IN PRIMUM SENTENTIARUM RESPONSIONES AD QUAESITA OMNIA, QUAE CIRCA...

Paolo Ciera, Giovanni Battista Coccini

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
3 C
31

C.64.C.

Digitized by Google

ز٠ ٢ ١.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IN PRIMVM SENTENTIARVM RESPONSIONES

Ad Quæſita omnia, quæ circa materiam de Vnitate, Trinitate, & Attributis diuinis à Sapientioribus ſcholaſticæ Theologiæ Patribus fieri ſolent, eorundemq; clariſſimæ Reſolutiones.

AVCTORE
PAVLO CIERA VENETO
AVGVSTINIANO

Olim Genuæ, Senis, Arimini, Piſis, Peruſiæ, Romæ Studiorum ſui Ordinis Regente.

Poſtremo deſtinatione Summi Pontificis VRBANI PP. *Octaui in Almæ Vrbis Vniuerſitate publico, ac ordinario ſacrarum litterarũ Expoſitore.*

ET RELIGIONI

ET ÆTERNITATI

ROMÆ. Apud Franciſcum Caballum Anno M.D.C.XXXIII. Super. licentia.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D.

D. OCTAVIANO RAGGIO

COLLEGII PROTHONOTARIORVM Apoſtolicorum de numero Participantium Decano, *Collegijq. Clericorum Cameræ Apoſt. Prodecano, & Annonæ Præfecto.*

Paulus Ciera Venetus Auguſtinianus. S. D.

QVANTVM operis, & laboris impendere mihi neceſſarium fuerit in colligendis, & ad breuem methodum, claramq. intelligēdi rationem redigendis his, quæ à Theologis Scholaſticis de Summa diuinitate hucuſq; tradita ſunt, & litteris demandata, hi nouerint, qui in Theologicæ facultatis ſpeculationibus ſunt verſati. Ne igitur fruſtrà tantum laborem profudiſſe videar, iam quod ad ſenectutem propero, inſtantibus quoq; & hortantibus amicis meis, ac coniectantibus, quantum vtilitatis, & commodi ſint Theologiæ ſtudioſis allaturæ iſtæ lucubrationes meæ, vt, quæ diu latuerant prodirent in lucem, curaui; à quo autem nitorem recepturæ eſſent, & vires in illuceſcendo, potiorem Te iudicaui neminem, quippe qui cognomine ipſo ſplendorem, lucē præfers, & velut depuratis radijs, virtutibus omnibus, religione ſcilicet, pietate, clemētia, & in rebus gerēdis peritia, ſolicitudine, fide, prudētia emicas. Et quidē hanc radiorū tuorū beneficam vim ſenſerunt olim, & prædicant adhuc multæ Eccleſiaſticæ ditioni ſubiectæ regiones, quę paucis ab hinc annis VRBANI Octaui Pontificis prouidentiſſimi conſilio, ac liberalitate, tua verò ſolertia, & labore impendētem a rei frumentarię inopia interitū, euitarunt. Meminimus quippe omnes, quāto timore toto ferè Latio, Vmbria, & Sabinorum terris trepidatum ſit anno 1630. cum ſegetibus, quæ in agris fœliciter adoleuerant, & ſpem vberrimæ frugis pollicebantur intempeſtiuo vehementium Aquilonum flatu repentè exuſtis, ac perditis, extrema frumentorum penuria paſſim innumera ferè oppida, vrbeſq; laborare cœperunt, quod incommodum auxit proximè ſuperioris anni 1629. par

ca-

calamitas, quo videlicet frumenta in areas iam coacta, noxio repentinorum imbrium humore corrupta penitus perierunt, & quid in tam miſerabili diſcrimine molita non eſt VRBANI Principis prudentia, prouidentia, charitas? quid non tentauit, atque ad exitum perduxit tua in Optimi Pōtificis iuſſis capeſſendis, & calamitatibus populorum ſubleuandis induſtria? Tibi enim per id tempus Annonæ Præfecto publicæ ſalutis cura commiſſa fuit. Hinc noua opportunis locis aperta horrea, nouæ frumentariæ apothecæ idoneo ſitu patefactæ, ex quibus in omnem partem facilè tranſmitteretur annona, empta longinquis in regionibus ingenti pretio frumenta, & longiſſimo interiacentium vndarum tractu ab Ægæo vſque mari Latinas in oras comportata. Quo factum eſt, vt ſtatim ſuppeditata eorum copia Pontificiæ ditionis vrbes, & oppida plurima, & a fame, qua premi iam cœperant, & a famis pediſſequa peſte vendicata ſint; quinimmò Vrbs ipſa vrbium nutrix aliarum Roma, tota ferè Italia, immò Europa acerbiſſimas peſtilentiæ clades lamentante, nihil, aut de valetudine corporum, aut de rei cibariæ copia imminutum ſenſerit, Pontifice videlicet opes ſuas diminuente, te verò de labore nihil remittente ad ſubſidium publicæ incolumitatis; Quid deinde mirandum ſit, ſi tu & populo eximiè gratus, & Principi vnicè carus ſis, cum vterque te fideliſſimum expertus fuerit, hic ſuæ miniſtrum prouidentiæ, ille ſuæ depulſorem inopiæ? Non hic ego commemorabo alia, quæ plurima ſunt, tuæ laudis argumenta; non nauatam Eccleſiæ multos iam annos operam, & laborem; non ſinceritatem animi, omnem fucum, ac fallaciam prorſus auerſantis; non pietatem in rebus diuinis obeundis eximiam; non ſtudium, & amorem doctrinarum; non denique nobilitatem generis, ſplendoremq; maiorum Legationibus honorificis, Præfecturis illuſtribus, Muneribus grauiſſimis in Genuenſi Republica fulgentium: non hæc (inquam) memorabo, cum hæc omnia ſint, & tuis operibus, & fama ipſa ſufficientiſsimè comprobata. Age igitur Præſul humaniſſimè, & hos labores meos tua radiorum luce cōmunitos, vt benignè amplectaris rogo, quos ſi tibi gratos extitiſſe cognouero, tunc quoque omnibus numeris abſolutos exiſtimabo. Vale. Romæ 10. Kal. Septemb. 1633.

A P-

APPROBATIONES.

EGo frater Aurelius Aeſinas Ord. Eremitarum S. Auguſtini ſacræ Theologiæ doctor. De mandato Reuerendiſs. Patris noſtri Generalis Magiſtri Hieronymi Rigolij Reſponſiones, & Reſolutiones quæſitorum ſuper primum librum ſententiarum Reuerendi Patris Magiſtri Pauli Ciera Veneti in Archigymnaſio Romano ſacræ Theologiæ publici profeſſoris, vidi, legi, & diligenter examinaui, nihilq; in eis reperi, quod aut Catholicæ Fidei, aut Sanctorum Patrum doctrinæ, aut bonis moribus aduerſetur, quin potius omnium grauiſſimorum auctoritate, & validiſſimis rationibus confirmatas, ac propterea dignum iudico, vt typis mandentur, & in publicam ſtudioſorum vtilitatem euulgentur. In quorum fidem, &c. Ex Conuentu noſtro S. Auguſtini in Vrbe die 12. Ianuarij 1633.

Nos Magiſter Hieronymus Rigolius Cornetanus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Prior Generalis.

HAbita atteſtatione Reuerendi Patris Magiſtri Aurelij Aeſinatis, quod opus inſcriptum. In Primum Sententiarum Reſponſiones ad quæſita omnia, &c. Auctore Paulo Ciera Veneto Auguſtiniano nihil contineat, quod piorum aures offendere poſſit, dignumq; ſit, vt euulgetur, idcirco eidem auctori concedimus facultatem, vt illud typis mandare valeat. Dat. Romæ Kal. Februarij 1633.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sacri Palatij Apoſt.

A. Torniellus Viceſg.

EX commiſſione Reuerendiſsimi Patris Fr. Nicolai Ricardij Sacri Palatij Magiſtri diligenter euolui librum, qui inſcribitur. In primum Sententiarum Reſponſiones ad quæſita omnia, &c. Auctore Paulo Ciera Veneto Auguſtiniano, nihilq; in eo reperi, quod Fidei Catholicæ, boniſq; moribus repugnet, opus perutile præſertim Scholaſticis, quod typis mandari valeat. Romæ die 22. Iulij 1632.

Bernardinus Larizza V. I. & Sacræ Theologiæ Doctor, ac Prothonotarius Apoſtolicus.

Digitized by Google

MAndante Reuerendiſs. P. Mag. Nicolao Ricardo Sacri Apoſtolici Palatij Mag. Diligentiori, qua potui cura relegi quæſita, & reſponſiones, quæ a Doctoribus Scholaſticis circa Vnitatem, Trinitatem, & Attributa Diuina in primo Sententiarum libro ſciſcitari ſolent, ſtudioſo labore admodum Reu. Patris Mag. Pauli Ciera Veneti, in hoc volumine collecta, nihilq; quod catholicam doctrinam, aut Chriſtianos lædat mores penitus offendi, quinimmò quo ſacræ Theologiæ profeſſores, tam vtili commodius fruantur opera, publicis typis dignum cenſeo. In fidem &c. die 28. Ianuarij 1635.

Ita eſt Fr. Bonauentura Malnaſia Franciſcanus Conuent. Sacræ Theologiæ profeſſor, ſacrarum dogmatum Lector, & in ſacra Congreg. de Propaganda Fide Qualificator.

Imprimatur. Fr. Antoninus Cellius Magiſter Socius Reuerendiſs. P. Mag. Sacri Palatij Apoſt.

DO-

Digitized by Google

DOCTORVM
CATHALOGVS, ET VITAE,
quorum in hoc opere doctrina recenſetur.

PETRVS Nouaria in Lombardia nobiliſsima Prouincia Italiæ natus, ob idque Lombardus dictus; cum Studiorum cauſa Lutetiam Pariſiorum ſe contuliſſet, in tantam venerationem, & exiſtimationem doctrinæ venit, quod ab omnibus appellatus eſt Magiſter; cumque ob ſuas inſignes virtutes Epiſcopus Pariſienſis effectus eſſet, gymnaſium illud per totum vniuerſum celebre innumeris fauoribus, & gratijs proſequutus eſt; ex quo deinceps prodierunt viri ſapientiſſimi, & omni ſeculo celebratiſsimi. Opus edidit eximium, quod Sententiarum dicitur, quatuor libris diſtinctum, in quibus quaſi ad quoddam compendium vniuerſam Theologiam reducit, ſuper quos poſtea quam plurima diſputationum, & commentariorum volumina excellentiores Chriſtiani orbis Theologi elaborarũt; claruit anno Dom. 1140.

Guilelmus Antiſiodorenſis ſic dictus ab Antiſiodoro, quæ eſt ciuitas in Gallia, ex qua originem duxit. Hic in Gymnaſio Pariſienſi magnæ auctoritatis fuit, primusq. qui Theologiam more Scholaſtico per quæſtiones, & tractatus docere cœpit; Epiſcopus factus, Antiſiodorum rediens, cum per aliquot annos illam Eccleſiam prudentiſsimè adminiſtraſſet, diem ſuum obijt circa annum Dom. 1200.

Alexander Alenſis ſiue de Ales, quod eſt oppidum in Anglia, fama Studij Pariſienſis commotus, eò ſe tranſtulit, ſummaq. cum laude receptus, ad lecturam Philoſophiæ, & Theologiæ admiſſus fuit; iuſſu Innocentij IV. ſummam Theologicam copioſiſsimis quæſtionibus refertam edidit, quam deinde Alexander IV. per Bullam à ſeptuaginta viris doctis ſubſcriptam, atque ſigillis appenſis obſignatam, approbauit; ex quo deinceps Doctor irrefragabilis eſt dictus: auditores habuit D. Thomam, & D. Bonauenturam; ſed cum iam ad ſenectam properaret ob deuotionem in Beatiſsimam Virginem, religionem D Franciſci ingreſſus, in ea reliquum tempus vitæ ſuæ honeſtiſsimè traduxit. Mortuus eſt Pariſijs anno Dom. 1245. 12. Kal. Sept. & in æde ſui ordinis tumulatus.

Albertus Theutonicus ex oppido Laugigen in Sueuia natus anno ſextodecimo ætatis ſuæ Patauium adijt, ibique religioni S. Dominici ſe aſcripſit, cumque ob hebetudinem ſui ingenij ſibi ipſi moleſtus factus abire vellet, à Beatiſſima Virgine, quæ apparuit ei confirmatus fuit, & ingenio auctus; inde cum doctiſſimus euaſiſſet, ad inſtructionem ſuorum religioſorum deſtinatus fuit, primum in Saxonia in Ildeſemenſi monaſterio, deinde in Triburgenſi, Ratiſponẽſi, Argentinenſi, Pariſienſi, & denique Colonienſi, in quo Magiſter declaratus fuit; Prouincialis inde effectus Germaniæ, dum Romam properat ab Vrbano IV. Ratiſponæ Epiſcopus efficitur, à quo Epiſcopatu, ſicut ipſum moroſè ſuſceperat, ita non poſt multos annos ſeſe liberè abdicauit, & Coloniam reuerſus, ad ſuum monaſterium rediens, reliquum tempus, quod ſibi vitæ ſuperfuit, religioſiſſimè vixit, ſenio tandem confectus anno octuageſimo ſuæ ætatis poſtremum diem clauſit, & in medio chori monaſterij ſui ſepultus fuit.

D. Thomas Aquini, quod eſt Campaniæ oppidum in Italia, illuſtri genere natus, adhuc adoleſcens, inſtitutum fratrum Prædicatorum amplexus Pariſium Studiorum cauſa ſe contulit, ibique cum multum profeciſſet ſub Alberto, ad publicas cathedras promotus fuit, in tãtamq. admirationẽ, ac opinionem ſui auditores traxit, quod ab omnibus ob ſui ingenij claritatẽ, atque præſtantiam Doctor Angelicus fuit acclamatus; vixit annos quinquaginta, & mortuus eſt in monaſterio Foſſenouæ, dum ad Conciliũ Lugdunenſe tenderet miſſus à Gregorio X. anno Domini 1274. Corpus eius inde Tholoſam trãſlatum, ibi decenti veneratione vſque hodie ſeruatur.

Digitized by Google

D. Bonauentura primò dictus Euſtachius Balneoregij in Tuſcia natus ab ineunte ætate religionem D. Franciſci ingreſſus, cum in ea diu ſanctiſſimè vixiſſet, ac ſibi magnum in re litteraria nomen comparaſſet, Miniſter generalis ſui Ordinis creatus eſt, deinde Epiſcopus Albanenſis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis; tanta vitæ puritate, dum viueret enitebat, quod Alexander Alenſis eius Magiſter ſi quando de eo habebat ſermonem, dicere ſolebat, Adam non videri peccaſſe in eo; ob idque Seraphicus fuit dictus. Multa ſunt, quæ ſcripſit, inter quæ opus egregium edidit ſuper libros quatuor ſententiarum, totidem voluminibus diſtinctum, quorum primum inutili quodam conatu, mutato ordine diſtinctionum, in quæſtiones, & articulos, redegit Petrus Trigoſius Capuccinus. Ad Concilium Lugdunenſe miſſus à Gregorio X. ibi è vita ceſſit, anno ætatis ſuæ quinquageſimo ſecundo, Chriſti verò 1274. & in illa Cathedrali ſepultus; eodem quidem anno, licet non eodē menſe, quo obierat D. Thomas, cui etiam erat ſumma dilectione coniūctus.

Aegidius Columna Romanus nobilibus natalibus ortus, adhuc iuuenis in Auguſtinianorum familiam receptus, mox ſtudiorum cauſa Lutetiam Pariſiorum miſſus, ibi D. Thomæ auditor fuit, ſub quo adeo profecit, quod breui ad primas cathedras illius Gymnaſij euectus fuit, & ob ſuæ doctrinæ præſtantiam, ac ſoliditatem Doctoris fundamentarij cognomen adeptus. Innumera ſunt, quæ ſcripſit, quæ docuit, quæ dictauit; inde maturæ ætatis iam factus Romam rediens, mox Prior generalis ſui Ordinis creatus eſt, paulò poſt etiā Epiſcopus Bituricenſis; Studioſiſſimus fuit Bonifacij Papæ VIII. de auguſtiſſima, & nobiliſſima familia Caetana, de qua quolibet ſeculo prodierunt viri illuſtres, & principes inclyti, inter quos hac ætate Stellis nitidiores emicant Franciſcus Sermonetæ Dux, princeps pietate, honeſtate, iuſtitia præclarus; Aloyſius ex Patriarcha Antiocheno, & Archiepiſcopo Capuano Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis effectus, præſul ſummo ingenio, ac prudentia decoratus, vitæ probitate, ac religione inſignis; Honoratus Patriarcha Alexandrinus Sacrarum Litterarum profeſſor, ac exemplari conuerſatione illuſtris; Et Gregorius æques indolis, ac morum ſuauitate conſpicuus, fratres omnes ex Philippo Duce progeniti. Reuerſus in Galliam Aegidius Auinione è viuis ceſſit ætatis ſuæ anno ſexageſimo nono, cuius corpus Pariſios deportatum, ibi honorificè in Eccleſia Sancti Auguſtini collocatum fuit.

Ricardus de Media villa Anglus Ordinis Minorum Theologus præſtantiſſimus, ſcripſit ſuper quatuor libros Sententiarum quæſtiones non minus doctè, quam dilucidè, ordinem, modū, ſtylum, breuitatem D. Thomæ quaſi per omnia ſequutus, à cuius ſententia vel nunquam, vel rarò diſſidere videtur; mortuus eſt anno Domini 1290.

Henricus de Gandauo Belga ob ſuæ doctrinæ præſtantiam doctor ſolemnis dictus in Gymnaſio Pariſienſi celebris fuit, magnoq. honori habitus. Duo egregia opera edidit, Quodlibetorum vnū, ſummæ Theologiæ alterum, in vtroque vſus ſtylo graui prolixo tamen, & quaſi moleſto. Archidiaconus Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Tornaco creatus anno Dom. 1292. in eodem munere moritur.

Ioannes Duns de Scotia Prouinciæ Angliæ Ordinis Minorum, vir fuit acutiſſimo ingenio præditus, adeoq. in ſcribendo profundus, vt vix reperiatur, qui eius ſenſum calleat, ac proinde cognomine Doctoris Subtilis inſignitus; ſequaces ſuæ doctrinæ quocūque ſeculo habuit inſignes; is cum Oxonij primum, deinde Pariſijs libros Sententiarum expoſuiſſet, doctiſſimasq. quæſtiones ſoluiſſet, vniuerſitatem Studij Colonienſis inſtituiſſet, ætatis adhuc floridæ magno omnium litteratorum dolore mortuus eſt, anno Dom. 1293. & Coloniæ decenti exequiarum pompa ſepultus.

Herueus Natalis in minori Britania natus Ordini Prædicatorum aſcriptus, cū Prouinciam Galliæ regeret anno Dom. 1318. Lugduni ob ſuos laudatos mores, & doctrinam, in Magiſtrum Generalem ſui Ordinis electus fuit. Doctrinæ D. Thomæ fuit addictiſſimus, & propterea Durandum, eoquod ei eſſet infenſus, ſcriptis adortus eſt, atque coercuit. Is quamuis ſui Magiſterij varijs occupationibus eſſet detentus, à Studijs tamen, & orationibus nunquam deſiſtebat, ſingulis medijs noctibus ad diuinarum rerum contemplationem, & laudum decantationem ſurgebat; cumque ſuo ordini per quinque annos præfuiſſet, ſexto incepto, ſed nondum completo, è mortalibus ereptus eſt, anno Dom. 1323.

Durandus à Sancto Portiano in Gallia natus, de Ordine Prædicatorum fuit, & ex Apoſtolico Pænitentiario ad Epiſcopatum Meldenſem aſſumptus mirabili ingenij acumine ornatus; bina commentaria ſuper libros Sententiarum edidit; vnum quod D. Thomæ doctrinæ in totum aduerſari videtur, alterum verò obſcu-

cundari, ſed ſicut hoc tanquam à ſe recognitum approbauit, ita illud tanquã ab aliis adulteratũ reiecit; claruit ſub Ioanne 22. & circa annũ Dom. 1308. ſenio confectus migrauit è vita.

Thomas Anglicus Ordinis Prædicatorum, cũ per ſeptem annos Prouinciam ſuam Angliæ rexiſſet, magnamq. ob eximias ſuas virtutes gloriam conſequutus fuiſſet à Clemente V. Cardinalatus inſignia accepit. Scripſit in defenſionem doctrinæ D. Thomæ contra Scotum ſuper primum Sententiarum; & quidem ſatis eruditè.

Ioannes de Neapoli & ipſe Ordinis Prædicatorum & Doctor Sorbonicus ſiue Pariſienſis, doctrinæ D. Thomæ ſtudioſiſſimus Sectator fuit, & Pontificiæ maieſtatis propugnator inſtructiſſimus; Cum itaque per multos annos legendo, docendo, diſputando Regentis munere functus fuiſſet, ac inde nomen ſuum per omnes Academias Europæ celebre euaſiſſet, mortuus eſt circa annum Dom. 1325.

Petrus de Verberia dictus Aureoli Gallus Ordinis Minorum, cum per multos annos litteras Sacras Pariſijs publicè legiſſet, ac inde Prouincialis Aquitaniæ factus, mox ad Archiepiſcopatum Aquenſem promotus fuit, in quo cum laudabiliter ſe geſſiſſet ob ſuas virtutes à Ioanne 22. Cardinalitia dignitate ornatus eſt. Super quatuor libros Sententiarum egregiè, & ſubtiliſſimè ſcripſit, ſed cum iniuria temporum, quæ ſcripſit iam tenebris coaleſcerent, Conſtantius Sarnanus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis curauit, vt iterum prodirent in lucem. Vehementi ingenio fuit, & in euertendis aliorum Sententijs vt hoc idem annotauit Syluester lib. 2. de Strig. cap. 10. maximè valuit. Mortuus eſt Aqui, ibique ſepultus circa annum Dom. 1327.

Iacobus Viterbienſis ex Ordine D. Auguſtini ad Archiepiſcopatum Beneuentanum primum, deinde Neapolitanum aſſumptus, vitæ exẽplaritate, & doctrina claruit illuſtris; ſcripſit opus inſigne de Quolibet, ſcripſit etiam de Prædicamentis diuinis, quod opus antiquiſſimis caracteribus conſcriptum per manus Venerabilis Fratris Balthaſar Fenech Auguſtiniani, viri religioſiſſimi, ad me peruenit. Cum itaque per multos annos vixiſſet Iacobus, nomenq. ſuum, patriam, ordinem illuſtraſſet, mortuus eſt Neapoli circa annum Dom. 1318.

Franciſcus Maro, quem alij de Mayronis vocant Gallus Ordinis Minorum S. Franciſci, & vnus ex primarijs ſectatoribus Scoti, ſummo ingenij acumine valuit, ob idque doctor illuminatus dictus. In Gymnaſio Pariſienſi magnæ auctoritatis fuit, ipſeq. primus, qui actum Sorbonicum inſtituit. In omnibus ſuis ſcriptis tam in argumentando, quam ſoluendo, & explicando quaternario ferè ſemper vſus eſt. Cum in Italiam veniſſet Placentiæ obijt, anno Domini 1320.

Guilelmus Occham Anglus Ordinis Minorum, vir non minus in Philoſophia, & Theologia, quam in legali facultate verſatus, Ioanni 22. infenſus, à quo quia hæreſim Fraticellorum defendere conabatur, excommunicatus fuit; qui confugiens ad Ludouicum Bauarum, cuius nimis ardenter contra eũdem Pontificem tuebatur partes; ab eo benignè receptus, cum eo multo tempore manſit: ſed cum à quibuſdã Theologis doctiſſimis diſputando victus, tandem ceſſiſſet, & ad bonam frugem redactus fuiſſet ab excommunicatione indulgentia Pontificis abſolutus fuit. Poſtremò cum Capuam Italiæ Vrbem veniſſet, ibi ſenio, & laboribus confectus obijt die 20. Septemb. 1320.

Adam Godam Anglus Ordinis Min. ob ſuam in dicendo, & docendo auctoritatem Magiſter paſſim dictus, ſcripſit ſuper Sententias ſatis eruditè, ac ſubtiliter, minus tamen dilucidè, ac ordinatè; claruit circa annum Dom. 1330.

Thomas ab Argentina Germanus cum Ordini S. Auguſtini, qui tunc temporis in Germania mirabiliter florebat, fuiſſet aſcriptus, totum ſe obſeruantiæ regulari dare cœpit bonas litteras, & artes amplexari; hinc Lutetiam Pariſiorum veniens adeo in Gymnaſio illo profecit, quod non poſt multum temporis ſuper quatuor libros Sententiarum non minus doctè, quam dilucidè, & faciliter ſcripſerit; cumque anno Domini 1345 Pariſijs celebraretur Capitulum Generale ſui Ordinis, Prior Generalis electus fuit, in qua dignitate, & officio, cum per annos duodecim religioſiſſimè, ac prudentiſſimè vixiſſet, Viennæ Auſtriæ ex hac vita deceſſit, ibique in Eccleſia S. Auguſtini honorificè ſepultus fuit anno Dom. 1357.

Gregorius Ariminenſis, ſiue de Arimino Vrbe antiquiſſima Italiæ Ordinis Sancti Auguſtini ob ſuæ doctrinæ præſtantiam, ac firmitatem Doctor Authenticus dictus; in Gymnaſio Pariſienſi ſupremas cathedras obtinuit; ſubtiliſſimas quæſtiones ſuper primũ & ſecundum Sententiarũ expoſuit. Cumque eius prudentiã, pietatẽ & vitæ regularis obſeruantiã animaduertiſſent Fratres ſui Ord. eum in Monte Peſſulano

anno

anno Domini 1357. capitulariter congregati in locum demortui Thomæ ſuffecerunt, in quo munere, & officio non plus anno permãſit morte præuentus Viennæ, & in eodem loco, in quo prædeceſſor ſuus poſitus fuerat, & ipſe tumulatus anno Dom. 1358.

Gerardus Senenſis & ipſe Ordinis S. Auguſtini, cum ſtudiorum cauſa Pariſium profectus eſſet, multumq. ibi profeciſſet de more Baccalaureus creatus fuit, inde ad publicè legendum Bononiam miſſus, poſtremò Senas reuerſus eſt, vbi morbo correptus adhuc florente ætate diem ſuum clauſit, ſed cum viuens nondum magiſtralem lauream accepiſſet, inſtante populo, & Archiepiſcopo ciuitatis ei mortuo data fuit, & loco ſeiuncto ab alijs in Eccleſiæ ſui Ordinis pro tumulo conditus; ſed cum anno Dom. 1596. vrgeret neceſsitas reſtaurãdi Lithoſtratum Eccleſiæ exhumatus, inuentus eſt adeo integer, & incorruptus, ac ſi pridie mortuus fuiſſet. Fuit Theologus inſignis, ſectator præcipuus doctrinæ Aegidij, & in vtroque iure peritiſsimus. Floruit circa annum Dom. 1348.

Guilelmus Rubion de Villafranca Tarraconenſis Hiſpanus ad ordinem minorum aſſumptus Theologus euaſit celeberrimus, ſcripſit ſuper Sententias, & in ſenſu ſuo ſatis abundans fuit, Prouincialis electus, & eo officio functus, mortuus eſt circa annum Dom. 1340.

Alphonſus Vargas Toletanus Ordinis S. Auguſtini, cum Pariſijs magna ſui nominis gloria per decem annos Theologiam publicè profeſſus eſſet, reuerſus in Hiſpaniam Epiſcopus Vſſamanus creatus fuit, deinde Archiepiſcopus Hiſpalenſis; ſcripſit ſuper primum Sententiarum quæſtiones ſubtiliſsimas, eaſq. ſumma eruditione refertas, mortuus eſt Hiſpali anno Dom. 1359. die 11. Octobris, ibique ſepultus.

Ioannes Bacconus, ſiue de Bacchontorpe Anglus Ordinis Carmelitarum Peripateticæ, & Auerroiſticæ doctrinæ ſtudioſiſsimus fuit. Theologus ſubtiliſsimus, & Canoniſta inſignis. Corpore (vt ferunt) exiguo erat, ingenio tamen acri, & ardenti. Cum in Sorbonico Lyceo legendo, & diſputando magnam ſibi gloriam comparaſſet. Prouincialis electus Angliæ eo in officio terminauit dies ſuos anno Dom. 1346. & corpus eius Londini in Eccleſia ſui Ordinis reconditum fuit.

Robertus Olchot Anglus de Ordine Prædicatorum ſatis probatæ exiſtimationis fuit, & in exponendis Sacris Scripturis multum valuit, Obijt peſte anno Dom. 1349.

Michael Angrianus de Bononia Vrbe nobiliſsima Italiæ, & Studiorum matre, Ordinis Carmelitarum, doctiſsimus Theologus, & Iuriſta fuit, in moralibus quoque eruditiſſimus, ac proinde propter ſuas virtutes, & doctrinam Prior generalis ſui Ordinis electus, cum in ea dignitate, & officio parum vixiſſet, mortuus eſt in patria ſua (vt ferunt) anno Dom. 1360.

Paulus Venetus Ordinis, & Inſtituti D. Auguſtini Theologorum omnium, & Philoſophorum ſui temporis ſine dubio Princeps; in Patauino Gymnaſio nomine publico ductus per multos annos ſumma cum laude, & gloria docuit, ex diſputationibus, concurrentijs, congreſſibus, nunquam victus exiuit, catholicæ veritatis perpetuus propugnator extitit. Ferunt, ex priuilegio in teſtimonium ſuæ ſingularis doctrinæ Capuccium ex ſerico villoſo geſtare ſolitum; mortuus eſt adhuc florida ætatis Prouincialis electus anno Dom 1429. & Patauij in Sacriſtia ſui Ordinis ſepultus, cuius effigies in marmore ſculpta, & in parietem eleuata hodie vſque viſitur.

Ioannes Capreolus Tholoſanus Ordinis Prædicatorum doctrinæ D. Thomæ indefeſſus defenſor, extitit ſuper libros Sententiarum volumina laborioſiſſima edidit, in quibus cum ſola breuitas deſideraretur, Matthias Aquarius quaſi in formã Compendij redigere conatus eſt; vixit honoratus à ſuis, & ab extraneis, mortuus eſt Tholoſæ circa annum Dom. 1420.

Petrus de Aliaco olim Sorbonæ Cancellarius, & Ioannis de Gerſon Magiſter, Epiſcopus, & Cardinalis Cameracenſis, doctrinæ Gregorij Ariminenſis addictus, & inter nominales non vltimus; Floruit tempore Concilij Conſtantienſis, cui etiam perſonaliter interfuit.

Gabriel Biel Germanus Ordinis fratrum qui de communi vita dicuntur, præcipuus ſectator, immo & abbreuiator Guilelmi Occham. Gymnaſio Thilingenſi per multos annos præfuit, ibique cum multos tàm in Philoſophia, quam in Theologia erudiſſet, ſenex, prouectaq. ætatis mortuus eſt circa annum Dom 1494.

Nicolaus de Orbellis Andegauenſis Gallus Ordinis Minorum, cum multos annos in Gymnaſio Pictauienſi Theologiam profeſſus eſſet, atque inde celebre factum eſſet nomen eius in Gallia anno Dom 1455 migrauit è vita.

Marſilius Inguem Hidelbergenſis Gymnaſij, quod Rupertus Dux Bauariæ, ac Comes Palatinus Rheni magnificè dotauit, & Vrbanus VI. inſtar Pariſienſis confirmauit, primus inſtitutor

fuit;

fuit; Canonicus item, & Theſaurarius Eccleſiæ S. Andreæ Colonienſis; Scripſit ſuper libros Sententiarum Thomã de Argentina vt in plurimum doctrinam ſequutus; mortuus eſt anno Dom. 1394. 13. Kal. Sept. Heidelbergæ; ibique in Eccleſia S. Petri ſepulturæ datus.

Ioannes de Baſſolis Ordinis Minorum ob ſuã in docendo excellentiam Doctoris ordinati cognomen, adeptus ſcripſit ſuper libros Sententiarum opus abſolutiſsimum; cumque in ſua religione debitos ſibi honores potitus fuiſſet, circa annum Dom. 1469. exiuit è vita.

Laurentius Opimus Bononienſis Ordinis Sanctæ Mariæ Seruorum, lecturam non minus acutam, quam doctam Pariſijs habuit ſuper quatuor libros Sententiarum, demum ad Epiſcopatum Tridentinum aſſumptus, eo in munere obijt circa annum Dom. 1415.

Stephanus Brulifer ex ciuitate Maclouinenſi in minori Britaniæ natus Ordinis Minorum, Doctor Pariſienſis, & doctrinæ D. Bonauenturæ Sectator primarius. De hoc Boſius lib. 6. de Sig. Eccl. tale profert teſtimonium. De his noſtris, de Orbello, Nicolao Nyſeno, & Stephano Bruliſero, ſi linguarum, hiſtoriarumq. cognitio fuiſſet, illos ego non in terra natos, ſed cælo lapſos dicerem. Florebat anno Dom. 1455.

Nicolaus de Nyſe Gallus Ordinis Minorum, vniuerſa Gallia ſuo tempore concionator gratiſſimus, ſcripſit ſuper quatuor libros Sententiarũ ſatis doctè, & vt in plurimum mentem, & ſententiam Scoti imitatus; cum poſtea Prouincialis effectus eſſet, eoq. in officio optimè ſe geſſiſſet, terminauit dies ſuos circa annum Dom. 1476.

Dionyſius Belga de Ordine Carthuſianorum ingens opus edidit ſuper quatuor libros Sententiarum, in quibus plus laboris impenſum quam inde aliquid vtilitatis à Studioſis hauriri poſſit, videtur. Cum in ſuo ordine quadraginta annos integerrimè vixiſſet ſexageſimo nono ſuæ ætatis, Chriſti verò 1471. ex hac vita ſublatus fuit.

Antonius Andreas de Aragonia Ordinis Minorum ſcripſit ſuper quatuor libros Sententiarum potius vt abbreuiator Scoti, quam auctor; florebat anno Dom. 1317. ſed eius ſcripta non ante annum 1480. viſa fuerunt.

Paulus Scriptor Vnilenſis Sueuus Ordinis Minorum, ſcripſit ſatis luculenter ſuper Sententias iuxta doctrinam Scoti, cuius diligentiſſimus indagator fuit, & conditor. Pro veritate catholica triennio exilium paſſus, obijt Kaiſeſpergæ anno Dom. 1504.

Ioannes Maior Hadyngtonenſis Scotus, Doctor Pariſienſi ſcripſit ſuper quatuor libros Sententiarum valdè eruditè. Florebat circa annum Dom. 1525.

Ioannes à Celaia Valentinus Doctor Pariſienſis ſcripſit ſtylo plano, ac facili ſuper libros Sententiarum circa annum Dom. 1527.

Paulus Corteſius Mutinenſis Prothonotarius Apoſtolicus ſcripſit ſuper quatuor libros Sententiarum breuiſſima commentaria, in quibus ad hoc præſertim omnem ſuam curam, & diligentiam adhibuiſſe videtur, vt quæ ab alijs Scholaſticis longiori ſermone, ac puro propoſita fuerint, ipſe breuiori, compoſito, ac eleganti repræſentaret, quod eſt nedum inuſitatum Theologis, verum & à puritate fidei, & à dilucidatione veritatis prorſus alienum, viuebat tempore Iulij II. anno Dom. 1509.

Guilelmus Vorrillongon Brito Ordinis Minorum ſcripſit ſuper quatuor libros Sententiarum; cum Pariſijs publicè doceret, ob ſui nominis famam ad diſputationem de Sanguine Chriſti, quæ vertebatur inter Dominicanos, & Minoritas tempore Pij II. Romam accitus, completo certamine paulò poſt ſub Paulo II. moritur, & in Eccleſia Aræ cæli honorificè ſepelitur.

Franciſcus Lycchettus Brixienſis Ordinis Minorum ſcripſit ſuper primum Sententiarum cõmentaria in Scotum, cuius doctrinæ dilucidator fuit, & idoneus defenſor; electus Miniſter Generalis ſui Ordinis obijt circa annum Domini 1500.

Michael de Palatio Clericus, & Canonicus Granatenſis in Gymnaſio Salmanticenſi Theologiæ profeſſor, edidit ſuper quatuor libros Sententiarum diſputationes, in quibus magis ad elegantiam, & politiam Sermonis attendere videtur, quam ad rerum difficilium perutilem explicationem.

Ioannes Vigerius Genuenſis Ordinis Minorum, Vicarius Generalis Apoſtolicus à Clemente VII electus, Theologus inſignis, & cui propoſitum fuit difficilem doctrinam Scoti quibuſcunque legentibus claram, & perſpicuam reddere, ob idque commentaria ſuper primum Sententiarum edidit, eaque eidem Clementi VII. benefactori ſuo dicauit. Florebat anno Domini 1527.

Thomas ex familia Viorum de Caieta Ordini Prædicatorum vir vſquequaque inſignis, & doctrinæ D. Thomæ enucleator exactiſſimus. Studuit Bononiæ primum, deinde Patauij,

Papiæ

Papiæ publicè legit; deinde Procurator Ordinis factus anno Dom. 1508. ætatis verò ſuæ 39. Prior Generalis eſt electus, & inde à Leone X. ad Cardinalitiam dignitatem euectus. Stylo graui, ac perinde difficili ſemper vſus eſt. Ferunt corpore imbecilli fuiſſe, & exiguo, ſed animo inconcuſſo & forti. Obijt anno Dom. 1534. ætatis verò ſuæ 66.

Iacobinus Maleſoſius Bargienſis Pedemontanus Ordinis Minorum in Gymnaſio Patauino per annos 45. Methaphyſicam, & Theologiam publicè profeſſus eſt; inde Taurinum à Sabaudiæ Duce vocatus magno pro lectura ſtipendio obſignato, cum octuageſimum ſecundum ætatis annum ageret, è viuis ereptus eſt, & Bargij in ſua Eccleſia tumulatus.

Franciſcus à Chriſto Conimbricenſis Luſitanus Ordinis S. Auguſtini Theologiæ in Conimbricenſi Academia publicus profeſſor; ſcripſit ſuper Sententias in omnibus ferè D. Thomæ & aliquando Aegidij & Durandi doctrinam ſequutus, mortuus eſt circa annum Dom. 1590.

Dominicus Bannes Mandragonenſis Hiſpanus Ordinis Prædicatorum Salmanticenſis Doctor, & in doctrina D. Thomæ optimè verſatus, ſcripſit commentaria ſuper eius primam partem Theologiæ & ſuper Secundam Secundæ; mortuus eſt circa annum Dom. 1588.

Franciſcus Zumel ſeù C'Vmal Palentinus à Pintia inſtituti B. Mariæ de Mercede in Salmãticenſi Academia Theologiæ Profeſſor; Scripſit ſupra primam partem D. Thomæ; an verò, quæ ſcripſerit ipſe mutuauerit à Bannes ſuo coætaneo, an econuerſò, non conſtat, niſi quod quæ Bonnes breuius egit, Zumel diffuſius tractauit.

Petrus Trigoſius Hiſpanus Ordinis Capuccinorum primum Volumen D. Bonauenturæ ſuper Sententias tractatibus, commentarijs, quæſtionibus, dubijs auxit, & illuſtrauit. mortuus eſt circa annum Dom. 1590.

Ludouicus Molina Societatis Ieſu Theologus celeberrimus, & olim in Academia Eborenſi primarius Lector, ſuper primam partem D. Thomæ exactiſſimè, & doctiſſimè ſcripſit, præter alia multa, quibus nomen ſuum ſatis magnificauit; mortuus eſt Madriti 12. Octob. 1600.

Gregorius de Valentia Methimnenſis Hiſpanus vir eruditiſſimus de Societate Ieſu, multa, & varia ſcripſit, præſertim autem commentaria ſupra primam partem D. Thomæ. Obijt Neapoli 25. Aprilis 1603.

Gulielmus Eſtius Belga, & Cãcellarius Duacenſis in quatuor Sententiarum libros ſolida eruditione referta edidit commentaria; quæ ipſe typis mandauit anno Dom. 1607.

Franciſcus Suarez Hiſpanus Societatis Ieſu, primum in Academia Complutenſi, deinde Salmanticenſi, poſtea in Collegio Romano, denique Conimbricenſi in Luſitania docuit; multa egregiè ſcripſit in Theologia Scholaſtica, in quibus nihil aliud niſi ſola breuitas, vel ſaltem non tanta prolixitas deſideratur. mortuus eſt Oliſſipone 25. Septembris 1617.

Gabriel Vaſquez Bellomontanus Hiſpanus de Societate Ieſu, vir ingenio acuto, perſpicaci, & claro, & qui antiquorum opiniones multas, quæ iam è ſcholis abierant, in ſuam priſtinam reuocauit auctoritatem; Scripſit ſupra primam partem D. Thomæ diſputationes, & commentaria, in quibus aliquando eius ſectator, aliquando verò inſequutor apparet. mortuus eſt Compluti 23. Septembris 1604.

Archangelus Rubeus Cremonenſis Canonicus Regularis S. Auguſtini ſcripſit ſuper primũ librum Sententiarum ſatis ornatè, ſtylo vſus perſpicuo, & ad inſtruendum eos, qui nondum in Theologicis diſciplinis ſunt exercitati, valdè accommodato, viuebat anno Domini 1601.

Petrus Paulus Nazarius Cremonenſis Ordinis Prædicatorum Theologus inſignis, & clarus, multa ſcripta edidit, in quibus ingenij ſui fœcunditatẽ ſufficientiſſimè demonſtrauit, multis in locis Inquiſitor fuit, in multis Studiorum Regens, in quibus muneribus, magnam quoque ſuo nominis gloriam, & famam comparauit.

Paulus antea Alphonſus dictus; ex antiquiſſima familia de Ciera, Ciuis Venetus, anno decimo ætatis ſuæ religionem D. Auguſtini ingreſſus, eandemq. decimo ſexto profeſſus; Studiorum cauſa Bononiam primum, deinde Senas miſſus, ibi ſub diſciplina præſtantiſsimi Theologi Magiſtri Hieronymi Rigolij Cornetani, tunc Regentis, & qui poſtea ob ſuas præclaras virtutes, probitatem, pietatem, iuſtitiam, & doctrinæ eminentiam ad Generalatus apicem anno Dom. 1630. euectus fuit, litteris operam dedit; à quo etiam Curſor in Theologia eſt effectus. E Senis iterum Bononiam reuerſus à Fuluio Aſculano Vicario Generali Apoſtolico Lector declaratus, anno vigeſimo octauo ab Hyppolito Rauennate, Baccalaureus, & Magiſter creatus; ſub Ioanne Baptiſta de Aſte, Nicolao Ioannetto, & Fulgentio Galluccio Magiſtris Generalibus, in di-

uerſis

Digitized by Google

uerſis Italis Vrbibus Regentis officio functus, poſtremò Romam accitus, ab Vrbano VIII. Pontifice Optimo Maximo, & Principe clementiſſimo ad Lecturam publicam Theologiæ deſtinatus fuit, & Breui ſuper hoc ſpecialiter expedito, perpetuus Diffinitor Prouinciæ Venetæ factus. Duos Tractatus adhuc iuuenis edidit, vnum de Iure Principum; alterum Apologeticum pro Statu Romanæ Vrbis, & Curiæ. Scripſit ſuper primum Sententiarum opus laboris, & induſtriæ plenum, in quo per viginti ferè annos ſudauit, & alſit, omnium eorum, qui ſcripſerunt ante eum quæſtiones diffuſiſſimas breuiſſimo compendio congerens, exactiſſimoque ordine pertractans, & reſoluens; Romæ adhuc viuit.

Digitized by Google

AVCTOR AD LECTOREM.

Habes, amice Lector, in hoc volumine ad breuia compendia redactas omnium ferè eorum doctrinas, qui ſcholarum more à tempore Magiſtri, vſque ad ætatem noſtram de Deo diſputauerunt, omiſſis tantum illis, quos, vel acerbitas in ſcribendo reddidit iniucundos, vel librorum raritas inconceſſos. Ordine in eorum atteſtatione vſus ſum temporis, non dignitatis, & excellentiæ. Aliquando verba conceptibus, & aliquando verbis conceptus aptaui. Deſiderium omnibus ſatisfaciendi ad hoc me impulit. Ea animi modeſtia fuit, vt nullius iudicem me conſtituerim. Ab inuectionibus, contentionibus, impugnationibus abſtinui, ſatis fore arbitrans, ſi cuiuslibet mentem fideliter exprimerem. Scio vnumquemq; abundare in ſenſu ſuo, ac proinde ſi ad illum diuerſio fiat, neceſſitatem quoque vlterius obſtrependi è medio tolli. Multa ſunt, de quibus ſentire licet cuique, quod libet, & hinc Scholarum maieſtas ſummoperè fœcundatur. Non quorumlibet expoſitorum commentationes adduxi, & ſi aliquorum, non ſemper, nedum quia idem ſæpius repetere, ſed etiam quia longiori contextu opus fuiſſet, quam animo concepiſſem. Quod in reſolutionibus aſſero, quamuis vt in plurimum certiſſimis demonſtrationibus demonſtrare contendam, ab omni tamen proteruitate me alienum proteſtor. Hoc vnũ ſcito me nihil magis, quam breuitati, facilitati, perſpicuitati ſtuduiſſe. Fruere ergo in Domino, in quo etiam, vt valeas, rogo.

Digitized by Google

QVÆSITVM PRIMVM.

An Deus ſit cognoſcibilis à nobis.

p.p. q.2. m.1. ar. 1. ALexander Alenſis reſpōdet, quod ſicut ſummum bonum poteſt amari à nobis virtute potentiæ affectiuæ rationalis, ita & ſummum verum, quod eſt Deus, poteſt cognoſci virtute potētiæ cognitiuę rationalis.

p p. iii. q. 13. Albertus Magnus reſpondet, quod hoc eſt deſideriū naturale homini, vt Deū cognoſcat, eſſet autē inane, ſi ipſe cognoſcibilis nō eſſet.

1. ſtt. d. 3. q. 1. ar. 1. D. Thomas reſpōdet, quod intellectus noſter ordinatur ad contēplationem Dei, tanquā ad finem vltimum humanę vitæ, quod ſi ipſum pertingere non poſſet, eſſet ordinatio vana.

1. ſtt. d. 3. q. 1. Ægidius Romanus reſpondet, quod Deus eſt cognoſcibilis à nobis dū ſumus in hac via, non cognitione perfecta, & propter quid; ſed imperfecta, & quia.

1. ſtt. d. 3. q. 1. Herueus Brito reſpondet, quod Deus non eſt cognoſcibilis à nobis, vt res quæ ſtatim occurrat intellectui noſtro, ſed ſecundum habitudinem aliquam ad aliquod prius notum, vt ſecundum habitudinem cauſalitatis, vel eminentiæ, vel ſuperioritatis.

1. ſtt. d. 3. q. 1. Franciſcus Maro reſpōdet quod cum multos conceptus attribuamus Deo, neceſſariò quoq; ipſum intelligimus, atque cognoſcimus.

1. ſtt. d. 3. q. 4. Gregorius Ariminenſis reſpōdet, quòd ſicut Philoſophi habuerunt aliquam cognitionē de Deo, teſte Apoſtolo, ſic & nos poſſumus habere aliquā cognitionē de eo. Itē Ioānes Maior.

1. ſtt. q. 1. prol. Guilelmus Rubion reſpondet, quòd omnis notitia de Deo, alia à comprehenſiua eſt nobis poſſibilis viatoribus, quia eſt accidens, & omne accidens eſt poſſibile recipi in ſubiecto ſuo; ſubiectum autem notitiæ receptiuum eſt intellectus noſter.

1. ſtt. d. 3. q. 1. Ioannes de Baſſol s reſpōdet, quod ex creaturis poſſumus habere de Deo nō ſolum conceptus ſimplices, ſed etiam complexos, & hoc ſatis eſt, vt ſit cognoſcibilis à nobis.

1. ſtt. d. 3. Stephanus Bruliſer reſpondet, quod Deus duplici cognitione eſt cognoſcibilis à nobis, apprehenſiua ſcilicet, & iudicatiua.

1 prim. 1. ſtt p. 2. cor. 5. Guilelmus Varrillong reſpondet, quod ſub diuerſis conditionibus poteſt intellectus noſter Deum apprehendere cognitione fidei in via, & viſionis, in patria, primo modo, abſtractiuè, ſecundo, intuitiue.

Reſolutio.

REſpondeo quod in tantū aliquid eſt cognoſcibile, inquantum eſt verum, verum enim eſt obiectum intellectus noſtri, in tantū autem aliquid eſt verum, in quantum eſt ens, ens enim, & verum cōuertuntur; & in tantum aliquid eſt cognoſcens, in quantum habēs potentiam ſeu virtutem cognitiuam aliquid percipit ſecundum ſe, ſi eſt præſens in ratione obiecti, ſi verò non eſt præſens, per aliquam ſimilitudinem, ſeu eius ſpeciem, eſt enim intellectus noſter perceptiuus ſimilitudinum, & ſpecierum, & exinde efficitur cognitio. Cum itaque Deus ſit maximè ens, & verum, & intellectus noſter ipſum ſecūdum aliquam ſimilitudinem, ſeu ſpeciem, ſi non ſecundum ſe immediatè percipiat, vnde de ipſo multos format conceptus: tum affirmatiuos, tum negatiuos, vt quod ſit bonus, iuſtus, ſanctus, quod non ſit materialis, non corporeus, non finitus, & huiuſmodi, & verè eſt talis, qualis concipitur (ſicut modo ſupponitur) idcircò eſt cognoſcibilis à nobis.

Sed ſi Deus caret phantaſmatibus, oportet autem (vt dicit Ariſt.) cognoſcentem phantaſmata ſpeculari? Obiectio.

Reſpondetur, quod Deus non eſt cognoſcibilis à nobis per propria phantaſmata, ſed per aliena, ſuorum ſcilicet effectuum. Ita D. Tho. Ægid. & Ricc. Non per ſe, & directè; (inquit Paulus Venetus) in Summa Phil. li 3. de An. c.42. ipſum cognoſcimus, ſed indirectè, & reflexè; & ideò vtimur phātaſmatibus alienis.

QVÆSITVM II.

An Deus ſit cognoſcibilis à nobis quantum cognoſcibilis eſt.

ALexander Alenſis reſpondet, quod impoſſibile eſt, quod intellectus noſter in ſua cognitione Deū includat, quod eſt ipſum comprehēdere, vnde nec poteſt ipſū cognoſcere quantum cognoſcibilis eſt. q. 7. m. 1.

D. Thomas reſpondet, quod Deus eſt ens actu infinitum, ac proinde in infinitū cognoſcibilis eſt; cum autem intellectus noſter finitus ſit, non poteſt ipſum cognoſcere quantum cognoſcibilis eſt. Item Nicolaus de Nijſe. q. 12 ar. 7.

D. Bonauent. reſpondet, quod Deus eſt cognoſcibilis à nobis, non quidem cognitione comprehenſiua, ſecundum quam cognoſcitur quantum cognoſcibilis eſt; ſed apprehēſiua, ſecundum quam non totaliter cognoſcitur quamuis cognoſcatur totus. 1. ſtt. d. 3.

Reſolutio.

REſpondeo, quod tunc aliquid ab aliquo cognoſcitur, quantum cognoſcibile eſt, quando cognoſcitur, ſecundum omnia prædica-

Digitized by Google

cata, quæ de ipſo dici poſſunt, ſiue ſint eſſentialia, ſiue non, hoc eſt enim comprehendere, quod perfectè cognoſcere, & nihil eſſe, quod de ipſo cognoſci poſſit, & non cognoſcatur: cum itaque prædicata, quæ de Deo dici poſſunt ſint infinita, eo quòd ipſe eſt infinitus, & ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum virtutem, ſicut intellectus noſter, & ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum virtutem finitus, non poteſt ſecundum illa omnia, quæ ſunt infinita cognoſci ab eo qui eſt finitus, & per conſequens nõ eſt cognoſcibilis à nobis, quantum cognoſcibilis eſt.

Obiectio. Sed ſi eſt Deus ſummè ſimplex; ac proinde, aut totaliter cognoſcitur, aut totaliter ignoratur?

Reſpondetur, quod Deus totaliter cognoſcitur, non vt ly totaliter dicit modum obiecti, ſed modum cognitionis, ſic enim intellectus noſter poteſt ſua virtute tota, ipſum cognoſcere. Ità D. Thom.

QVÆSITVM III.

An Deus ſit cognoſcibilis à nobis immediatè, & in ſeipſo, an verò mediante aliqua ſpecie.

q. 2. m. 3. a. 1. ALexander Alenſis ex Dionyſio reſpondet, quod ſicut non eſt poſſibile percipere ſpirituales creaturas, niſi per medias ſimilitudines, ità multò minus eſt poſſibile cognoſcere ipſũ Deũ, niſi aliquo medio.

q. 12. m. 5. Albertus reſpondet, quod accipiendo ſpeciẽ non pro eſſentia, ſed pro ſpecie intelligibili theoria, & theophania, contingit aliquando cognoſcere Deum per ſpeciem.

q. 14. a. 5. D. Thomas reſpondet, quod Deum cognoſcere non poſſumus in præſenti, niſi per aliquã formam, ſeu ſpeciem intelligibilẽ, quæ tamen ſpecies nõ eſt ei propria, & adæquata, ſed aliena, & inadæquata, vt pote ſuorum effectuum.

d. 3. q. 1. D. Bonauentura reſpondet, quod cum Deus ſit præſens intellectui noſtro non eſt neceſſe, quod ab ipſo abſtrahatur ſimilitudo, ſeu ſpecies, per quam cognoſcatur à nobis; nihilominus dum cognoſcitur, intellectus informatur quadam notitia, quæ eſt velut ſimilitudo quædam non abſtracta, ſed impreſſa, inferior Deo.

ar. 33 q. 2. Henricus reſpondet, quod Deus eſt cognoſcibilis à nobis triplici medio, primò, per donum gratiæ, ſeu diſpoſitionem ſupernaturalem, ſecundò, per ſpeciem neceſſariam videnti, ac cognoſcenti eum, tertiò, per creaturas: Seipſo autem, & immediatè, non eſt cognoſcibilis, niſi à ſe.

d. 3. Ioannes Scotus reſpondet, quod quæ cognoſcuntur de Deo, cognoſcuntur per ſpecies creaturarum, quæ ſicut poſſunt imprimere intellectui noſtro proprias ſpecies, ità & ſpecies vniuerſalium, ac tranſcendentium, vt ſpecies ſummi, boni, actus, & huiuſmodi, ex quibus deinde ſimul ſumptis poteſt formari conceptus vnus ſummi boni ſcilicet, & actualis, quod eſt Deus. q. 2.

Durandus reſpondet, quod quamuis Deus cognoſcatur à nobis ex præcognitione alterius habentis habitudinem ad eum, non tamen hoc fit mediantè aliqua ſpecie impreſſa, intellectus enim in ſua operatione non indiget huiuſmodi ſpeciebus. 2 ſtt. d. 3. q. 6.

Gulielmus Occham reſpondet, quod Deus non poteſt cognoſci in ſe, ità vt, ex natura rei, ipſe, & nihil aliud terminet actum noſtrum intelligendi, nihil enim ſic cognoſcitur, niſi præuia intuitiua cognitione, poteſt tamen cognoſci in aliquo conceptu. d. 3. q. 1.

Gregorius reſpondet, quod Deum in hac vita non poſſumus cognoſcere in ſeipſo, quia quod in ſeipſo cognoſcitur, intuitiuè cognoſcitur, Eſt ergò neceſſarium (vt concludit etiam Petrus Aliacenſis) quod in aliquo eius repreſentatiuo cognoſcatur. d. 3. q. 4.

Ioannes Bacconus reſpondet, quod cum intellectus materialis fuerit adeptus, quod contingit ex copulatione perfecta intellectus agẽtis, tunc per ipſum intellectum agẽtem tanquã per formam propriam intelligit omnia entia, & ità formas penitus liberatas à materia. q. 2.

Stephanus Brulifer reſpondet, quod non eſt cognoſcibilis Deus à nobis per ſpeciem abſtractam ipſum repreſentantem, ſed impreſſam, per quam intelligitur ipſa notitia obiecti, vel eius actualis intellectio. diſt. 3

Reſolutio.

REſpondeo, quod quandocunque aliquod obiectum non eſt præſens potentiæ, ſi attingitur ab illa, neceſſariò attingitur, mediante aliquo, quod ſit ratio, ſeu medium attingendi, alioquin cum ipſum per ſe non ſit præſens, attingi non poſſet, eſt enim neceſſarium quod paſſum approximetur agenti, vel per ſe, vel per aliud, vt inde fiat actio: propterea nihil eſt cognoſcibile ab intellectu noſtro, niſi aliquo modo approximetur, vel inhæreat ei per ſe, vel per aliud, per ſe ſi præſens eſt, per aliud verò ſi non eſt præſens, & hoc ſit ei ſimile, quia omnis cognitio fit per aſſimilationem, & inſit intellectui vt forma, & hæc appellatur ſpecies, vnde dicit Ariſtoteles, quod Anima eſt locus ſpecierum, non tota, ſed intellectiua, hoc eſt, formarum re- lib. 3. de an.

preſentantium obiecta, quorum rerum ſimilitudines in intellectu noſtro. Quamuis ergò Deus ſit cuilibet intellectui intimè præſens ſecundum eſſe, ſicut eſt in omnibus alijs rebus per eſſentiam, præſentiam, & potentiā, non eſt tamen pręſens in ratione obiecti, neque ſic eſt in omnibus rebus, & ideò ad hoc vt intellectus noſter ipſum cognoſcat, neceſſariò requiritur aliquid ipſum repreſentans, ſeu medium, quod eſt ſpecies in ipſo, ipſum actuans, & tali cognitione informās, quæ ſpecies tamen cum nō poſſit ipſum repreſentare, ſicut eſt, perfectè, & diſtinctè, quoniam ſic nihil creatum Deum repreſentare poteſt, non poteſt eſſe in intellectu noſtro niſi imperfecta, indeterminata, & quodammodo confuſa, ſicut Deum in hac vita, non niſi imperfectè, indeterminatè, & quodāmodo cōfuſè cognoſcimus. Non ergò Deus eſt cognoſcibilis à nobis immediatè, & in ſeipſo, ſed mediante aliqua ſpecie, indeterminata tamen, & quodammodo confuſa, vt cuiuſdam entis, quo nihil maius excogitari poteſt.

Obiectio. Sed ſi nulla res creata, ſiue ſpiritualis, ſiue corporalis, ſiue determinata, & diſtincta, ſiue indeterminata, & confuſa, aſſimilatur Deo?

Reſpondetur, quod nulla res creata aſſimilatur Deo in eſſendo, & in perfectione quiditatiua, ſed vtique in repreſentando. Ità Petrus Aliacenſis.

QVÆSITVM IV.

An Deus ſit cognoſcibilis à nobis quantum ad quod quid eſt.

li. 1. cōt. g. c. 14. D. Thomas reſpondet, quod diuina ſubſtantia omnem formam, quam intellectus naturaliter attingit ſua immenſitate excedit, & ſic ipſam apprehendere non poſſumus, cognoſcendo quid eſt, ſed aliqualiter eius notitiam habemus cognoſcendo quid non eſt.

d. 3. q. 1. Ægidius reſpondet, quod Deus non eſt cognoſcibilis à nobis ſecundum ſuam quiditatē, ſiue ſecundum id, quod quid eſt, quia neque phantaſma habet quod ipſum ſic poſſit nobis repreſentare, neque proportionem cum alijs rebus, per quas ad hanc cognitionem peruenire poſſimus, neque eſt ſufficiens lumen intellectus noſtri, ſiue ſit naturale, ſiue ænigmaticum ad ipſum ſic attingendum.

d. 3. a. 2. q. 4. Riccardus reſpondet, quod cognitione in ſpeciali clara, & immediata nō poſſumus cognoſcere quid eſt Deus, ſed vtique in generali cognitione obſcura, & diſcurſiua, ſiue mediata.

Henricus reſpondet, quod Deus ſecundum eſſentiam, & quod quid eſt, eſt obiectum ſpeculationis, & intellectualis operationis in homine, ad quam ordinatur, alioquin eſſet fruſtrà, & ſic eſt abſolutè concedendum, quod quiditas Dei, & eſſentia, eſt cognoſcibilis ab homine, etiam in ſtatu iſto. ar. 24 q. 1.

Herueus reſpondet, quod ſi quæratur de Deo, quod quid nominis, non eſt dubium, quod Deus eſt cognoſcibilis à nobis ſecundū quod quid eſt, quocunque modo accipiatur, ſiue pro notitia entitatis rei in generali, etiam quātum ad eſſentialia, ſiue pro deſcriptione, ſiue pro ſignificatione nominis. Si autē quæratur quod quid rei, in generali quidem ſcimus de Deo quid rei, ſed non in ſpeciali. d. 3. q. 1.

Durandus reſpondet, quod de Deo poſſumus quidem cognoſcere quid eſt in generali, vt quod ſit ſubſtantia, & huiuſmodi; ſed non in ſpeciali, quia cum nō poſſit cognoſci à nobis niſi per effectus, nullus effectus facit deuenire in perfectam cognitionem ſuę cauſę, niſi quando eſt eiuſdem ſpeciei cum ipſa, vel demonſtrat totam ſuam virtutem, id autem nullus effectus Dei facit. d. 3. q. 2.

Guilelmus Occham reſpondet, quod accipiendo quid, non ſtrictè, ſed largè, Deus aliquo modo diffiniri poteſt, vt dicēdo. Deus eſt eſſentia intellectualis, volitiua, & huiuſmodi. d. 8. q. 1.

Franciſcus Maro reſpondet, quod ſi intellectus noſter poſſet cognoſcere quiditatem Dei, poſſet etiam cognoſcere aptitudines, quæ ipſam conſequuntur, omnem eius virtutem, & omnia ea, quæ ſunt idem realiter cum illa, vt perſonas, perſonales proprietates, & huiuſmodi. q. 12.

Thomas ab Argentina reſpondet, quod quiditas Dei eſt infinita, & eam non poſſumus cognoſcere niſi per effectus, nullus autē effectus finitus ducit in cognitionem quiditatis cauſæ infinitæ. Cognitio item quiditatiua eſt cognitio perfecta; de Deo autem nullā poſſumus habere cognitionem perfectam. d. 3. q. 1.

Gerardus Senenſis reſpondet, quod de Deo non poſſumus cognoſcere, quid eſt, neque cognitione intuitiua, quia talis eſt cognitio beata, neque abſtractiua, quia hæc de Deo nō eſt poſſibilis, nec in conceptu confuſo entis, quia hìc non explicat quiditatem, nec alicuius generis, quia talis conceptus repugnat Deo, poſſumus tamen de Deo cognoſcere aliqua, quæ ſunt de quiditate eius, non quidem per intrinſeca ei, ſed extrinſeca. d. 3. q. 2. ar. 3.

Guilelmus Rubion reſpondet, quod diffinitione propriè ſumpta, quæ ex genere, & d. 8. q. 24

differentia propriè ſumptis conſtat, Deus diffiniri non poteſt; diffinitione verò large ſumpta, quæ ex genere, & differentia large ſumptis conſtat, diffiniri poteſt.

q. 1. a. 3. Petrus Aliacenſis reſpondet, quod Deus diffiniri non poteſt, poteſt tamen deſcribi, deſcriptione ſcilicet affirmatiua, vt Deus eſt ens omni alio a ſe melius, & perfectius, & negatiua, vt Deus eſt ens, quo nihil melius eſt, vel perfectius.

diſt. 3 diſt. 2 Michael de Palatio reſpondet, quod Deus habet communem eſſendi rationem analogicam cum creaturis, at quiditas rei ſibi eſt propria, & ideò diuinum eſſe cunctis patet, non quiditas.

d. 3. q. 1. Franciſcus à Chriſto reſpondet, quod Deus eſt cognoſcibilis à nobis, vel per viam remotionis, vel efficientiæ, vel eminentiæ, nulla autem horum poteſt explicari quantum ad ſuum quod quid eſt.

Reſolutio.

RESpondeo, quod Deus nullis clauditur terminis, nullas partes habet, nihil diuerſum, ex nullis pendet principijs, ex nullis cauſis, vnde ex horũ ſpeculatione ipſum quod quid eſt haberi poſſit, ſicut habetur de omnibus alijs rebus, quarum natura nobis certa eſt; partes, principia, & cauſæ non ignotæ: non ergò Deus ſic cognoſcibilis eſt a nobis, neque nos quantacũque arte, & ingenio polleamus, ſumus ſufficientes ad ipſum ità notificandum. Poſſumus quidem ipſum inſinuare, imò & quodammodo deſcribere, cum de ipſo multa dici poſſint, quæ eius naturam inſequuntur, & infinitã eius maieſtatem, & celſititudinem præferunt, diffinire tamen non poſſumus:

Obiectio. Sed ſi idem eſt in Deo ſi eſt, & quid eſt, quod indicat diffinitio?

Reſpondetur, quod ſicut cognoſcimus de Deo ſi eſt, ſeu quia eſt in generali, & cognitione confuſa, ità & ipſum quid eſt. Ità Riccardus, & Durandus.

QVÆSITVM V.

An Deus ſit cognoſcibilis à nobis per fidem.

p. 3. q. 68 m. 1 ALexander Alenſis reſpondet, quod rationalis creatura ſicut neceſſario debet ſummæ bonitati dilectionem, & ſummæ maieſtati obedientiam; ità pariter debet ſummæ veritati aſſenſum, & cum hæc, tum ob ſui præſtantiam, tum ob noſtri intellectus imbecillitatem comprehendi non poſſint, omnino ſi les interuenit, qua illi firmiter adhærere poſſit, & ſic ipſum cognoſcere.

D. Thomas reſpondet, quod ſicut poſſumus ad diuinam viſionem pertingere per modum addiſcentis à Deo docente, ità hoc modo poſſumus per reuelationem de ipſo Deo aliquam cognitionem habere; vnde Dominus apud Ioan. Omnis qui audit a patre meo, venit ad me. 2. 2. q. 2. ar. 3. c. 6.

Durandus reſpondet, quod ad hoc, quod actus noſtri in beatitudinem ſupernaturalẽ, tanquam in finem ordinentur, oportet quod cognoſcamus eam ex alterius dicto, vel auctoritate, cui credimus, quod facit fides, certum eſt autem quod non eſt cognoſcibilis beatitudo ſine cognitione ipſius Dei igitur & ipſe Deus. 3. ſen. d. 23. q. 1.

Reſolutio.

REſpondeo, quod Deus eſt cognoſcibilis à nobis ſecundum noſtrum modum cognoſcendi, eſt autem modus noſter cognoſcẽdi, non ſolum per naturalem rationem, apprehẽſionem, & diſcurſum, ſed etiam per doctrinam, & inſtructionem, & ideò nihil repugnat quin de multis veritatibus ſpectantibus ad ipſum Deum, vel per ſeipſum, vel per dicta Sanctorum, & Scripturarum edoceamur, & inſtruamur, quæ ſecundum apprehenſionem naturalem, & diſcurſum inueſtigare non poſſumus, & hoc eſt cognoſcere Deum per fidẽ.

Sed ſi homo nihil debet ſine ratione iudicare, ſicut neque ſine ratione operari? etenim naturæ rationalis eſt. Obiectio.

Reſpondetur, quod non eſt ſimile, nam operatio facienda ſubiecta eſt facultati rationis, veritas verò iudicanda excedit facultatem rationis, & ideò neceſſe eſt vt per aliud à ratione credatur laudabiliter, vnde aliter ratio fidei non ſuffragatur. Sed nunquid nõ hoc etiam ſpectat ad rationalem naturam, vt ad ea quæ ex ſe non poteſt, ſuperiori fulcimine eleuari ſe ſinat? Hoc enim ſummæ dementiæ, & arrogantiæ argumentum eſt, conari ad ea, ad quæ propriæ vires nõ ſufficiunt. Ità Alexander Alenſis.

QVÆSITVM VI.

An Deus ſit cognoſcibilis à nobis per diſcurſum naturalem, & rationem.

ALexander reſpondet, quod Deus comprehenditur ratione, ſecundũ quod rationis nomen extenditur ad ſuperiorem partem, quæ eſt mens, vel intellectus di- q. 2. m. 2. ar. 3

dicta, non ſecundum quod reſtringitur nomē rationis ad inferiorem partem, quæ eſt ad cōtemplandas inferiores naturas.

q. 12 ar. 12 D. Thomas reſpondet, quod naturalis noſtra cognitio á ſenſu principium ſumit, vnde tantū ſe extendit quantū poteſt manuduci per ſenſibilia; per ſenſibilia autem prout ſunt effectus Dei poſſumus cognoſcere de ipſo quod eſt, & quod eſt prima cauſa, & huiuſmodi.

d. 3. q. 2. D. Bonau. reſpōdet, quod quia relucet cauſa in effectu, & ſapientia artificis manifeſtatur in opere, ideò Deus qui eſt cauſa creaturæ, & omnium artifex, per creaturas cognoſcitur.

d. 3. q. 3. ar. 1 Riccardus reſpondet, quod omnes creaturæ habent aliquam ſimilitudinem Dei, & ità aliquo modo ipſum repreſentant: cum itaque naturaliter poſſimus acquirere cognitionem de multis creaturis, naturaliter poſſumus venire in cognitionem ipſius Dei aliqualiter ſub ratione qua creaturæ ſunt eius effectus.

d. 3. q. 1. Herueus reſpondet, quod multa de Deo cognoſcimus per inueſtigationem naturalem ex creaturis, vt quæ important perfectiones abſolutas, ſicut quod ſit ſpiritus, quod ſit iuſtus, & huiuſmodi; quæ etiam important habitudinē ad eas, vt quod ſit creator, agens, & huiuſmodi; & quæ important remotionem imperfectionum repertarū in eis, vt quod ſit immēſus, incorporeus, immortalis, & huiuſmodi.

d. 3. q. 1. §. 1. Guilelmus Eſtius reſpondet, quod cognoſcitur Deus ex creaturis generali ratione ducta ab effectu ad cauſam tripliciter, vel ſimpliciter inferendo eius exiſtentiam, vel ex analogia rerum præſtabilium inferēdo eius attributa, vel ex remotione imperfectionum, quo modo etiam eius attributa nobis innoteſcunt.

q. 2. diſp. 19. c. 3. Gabriel Vaſquez reſpondet, quod Deus non poteſt cognoſci a nobis, niſi relatione ad creaturas, quia omnia nomina Dei aliquid genus relationis, aut dominij, aut cauſæ, aut alterius rationis denotant.

Reſolutio.

RESpondeo quod diſcurrere, ſiue ratiocinari eſt proprium intellectus noſtri, hoc eſt, ex vno cognito in aliud venire; Suppoſito ergo quod aliquam cognitionem habeamus de Deo, quæcunque illa ſit, naturaliter poſſumus ſecundum hanc vim ratiocinatiuam venire in aliam, & ſic vlterius, quoad generetur in nobis habitus ſcientificus, qui propriè Theologia dicitur.

Obiectio. Sed ſi (vt dicit Boetius) ratio non capit ſimplicem formam? Et Deus eſt forma ſimplex?

Reſpondetur, quod ratio non capit ſimplicem formam, nec ipſam poteſt pertingere, vt ſciat de ea quid eſt; poteſt tamen eam capere, vt cognoſcat, & ſciat, an eſt, & quæ eſt, Ità D. Thom.

QVÆSITVM VII.

An Theologia ſit Scientia.

ALexander Alenſis reſpondet, quod quæ cognoſcūtur per diuinam inſpirationem verius ſciuntur, quam quæ per humanam ratiocinationem, quia in inſpiratione nunquam contingit falſitas, ſicut in ratione; cum itaque quæ cognoſcūtur per Theologiam cognoſcantur per inſpirationem, dicit enim Apoſtolus: omnis doctrina diuinitus inſpirata eſt vtilis, &c. idcircò eorum habitus eſt ſcientia. q. 1. m. 1.

Albertus reſpondet, quod Theologia ex immobilibus habetur, ex eodem ſcilicet primo reuelante, à quo cuncta quæ reuelantur ſtabilia ſunt, nec aliter ſe habere poſſunt, & ideò ſcientia eſt. tr. 1. q. 1.

D. Thomas reſpondet, quod cum habitus ſpeculatiui ſint tres, ſapientia, ſcilicet, ſcientia, & intellectus, Theologia eſt ſapientia, ſed propter hoc non tollitur quin ſit ſcientia, & intellectus. Et iterum. Sicut perſpectiua eſt ſcientia procedens ex principijs notis per Geometriam, & Muſica per Arithmeticam, ita Theologia, ſeu ſacra doctrina eſt ſcientia procedens ex principijs notis lumine ſuperioris ſcientiæ, Dei, ſcilicet, & beatorum. Omnis enim ſcientia (inquit Caetanus) eſt ſcientia ex ſua continuatione ad habitum ſuperiorem, quoniam non niſi ex illa continuatione habet euidentiam concluſionum. 1. Sēt. q. 1. ar. 3. p. p. q. 1. ar. 2. Ibid.

Ægidius reſpondet, quod Theologia nō eſt ſcientia propriè ſumpta, ſed communiter, & non eſt ſcientia quantum ad id, quod principaliter conſideratur in ea, ſed ſolum quantum ad id quod conſideratur ex conſequenti. 1. Sēt. q. 4. q. 1.

Riccardus reſpondet, quod Theologia eſt ſcientia procedens ex principijs notificatis in lumine ſuperioris ſcientiæ, quæ eſt ſcientia Dei, & Beatorum; hæc autem principia ſunt articuli fidei, quibus ſuppoſitis, certitudinaliter cognoſcere poſſumus connexionem neceſſariam concluſionum ad ſua principia, vnde fit, quod non tantum eſt ſcientia ſimpliciter, ſed etiam quoad nos. q. 2.

Henricus reſpondet, quod Theologia eſt notitia credibilium, quæ poſtea nota fiunt per intelligentiam: inquantum ergò eſt notitia credibilium, dicitur ſcientia largè, ſic enim appellatur ſcientia, quælibet notitia certa veri- ar. 6. q. 1.

ri-

ritatis, in quantum verò eſt notitia credibilium, quæ nota fiunt per intelligentiam dicitur ſcientia ſtrictè, ſic enim appellatur ſcientia notitia eorum, quorum veritas intellectui ex rei euidentia apparet.

q.4. Ioãnes Scotus reſpõdet, quod quatuor ſunt cõditiones ſcientię ſtrictè ſumptæ, quod ſit cognitio certa, quod ſit de cognito neceſſario, quod ſit cauſata à cauſa euidẽte intellectui, & quod ſit applicata ad cognitum per diſcurſũ ſyllogiſticum; ſed quoniam hæc vltima conditio imperfectionẽ importat, ex parte ſciẽtię, & ex parte intellectus. hinc fit, quod Theologia in ſe quoad hanc conditionem tantum non eſt ſcientia, nec etiam intellectui diuino; ſed bene quo ad nos, & in beatis; beati enim per id quod vident prius in diuina eſſentia, poſterius cognoſcunt, & ex conſequenti cognitionem habent per diſcurſum.

q.1. Durandus reſpondet, quod Theologia ſumitur tripliciter, primò pro habitu, quo ſolũ, vel principaliter aſſentimus his, quæ in ſacra Scriptura traduntur, ſecundò pro habitu, quo fides, & ea, quæ in ſacra Scriptura traduntur defenduntur, & declarantur ex quibuſdam principijs nobis notioribus; tertiò pro habitu eorum, quæ deducuntur ex articulis fidei, & ex dictis ſacræ Scripturæ ſicut concluſiones ex principijs, & nullo iſtorum modorum eſt propriè ſcientia, non primò, quia ſic non differt a fide, non ſecundò, quia fides, & ſcientia non ſtant ſimul in eodem, & de eodem; non tertiò, quia articuli fidei non ſunt per ſe noti.

Q.11 q.8. 1 S. q.1. Herueus reſpondet, quod Theologia non eſt propriè ſcientia, quia principia eius ſunt tantum credita, & non videntur nota; ſed largè dicitur ſcientia; quia qui habet habitum Theologię vltra ſimplices fideles ſcit quomodo exponẽdæ ſunt auctoritates ſacræ Scripturæ, & quomodo ea, quæ videntur ibi repugnare non repugnant, & habet ſcientiam certam de conſequentijs, quę ibi fiũt, ſicut ſi filius Dei eſt homo, ergò habet animam.

d.1. q.6. Thomas Anglicus reſpondet, quod Theologia in ſe, & in mente beatorum eſt quidem ſcientia propriè dicta, ſed non Theologia noſtra.

q.18 Ioannes de Neapoli reſpondet, quod Theologia quantum ad communia, quæ habet cum metaphyſica ſic eſt ſcientia propriè dicta, quantum verò ad ſpecialia poteſt conſiderari dupliciter, vel ſecundum ſe, & ſic etiam eſt ſcientia propriè dicta, vel per comparationem ad nos, & ſic iterum poteſt conſiderari dupliciter, vel quantum ad ſua principia, vel quantum ad ſuas concluſiones, ſi quantum ad ſua principia adhuc dupliciter, vel quantum ad eorum poſſibilitatem, & ſic eſt etiam ſcientia propriè dicta, vel quantum ad eorum exiſtentiam, & ſic non eſt ſcientia propriè dicta. Si verò conſideretur quantum ad ſuas concluſiones, quia neceſſariò ſequuntur ex illis principijs, eſt etiam propriè ſcientia, & hoc modo poteſt dici ſcientia conſequentiarum, poteſt enim ſcire Theologus, quod concluſiones theologicæ neceſſariò ſequuntur ex ſuis principijs.

Petrus Aureolus reſpondet, quod quando in Theologia proceditur ad concluſionem ſcitam, vt quod Deus eſt vnus, acquiritur habitus methaphyſicus non Theologicus; quando ad concluſionem credendam de qua non eſt determinatum adhuc quid tenendum, ſi proceditur ex ambabus creditis, vel vna credita, & altera neceſſaria, acquiritur fides; ſi ex ambabus probabilibus opinio, quando verò proceditur ad propoſitionem de qua eſt determinatum quid tenendum, ſed cum hoc inducuntur rationes, ſoluuntur dubia, explicantur termini, & huiuſmodi, acquiritur habitus Theologicus, qui nec ſcientia eſt, nec fides, nec opinio, ſed alius vltra iſtos. q.1. ar.2.

Franciſcus Maro reſpondet, quod Theologia non eſt ſcientia propriè dicta, vt continet veritates theologicas, & theologicæ ſunt; ſed inquantum continet veritates methaphyſicales, quæ non ſunt propriè, & ſtrictè theologicæ, & ſic (inquit) Theologia eſt portio nobiliſſima metaphyſicæ, & eſt ſcientia. q.14

Guilelmus Occham reſpondet, quod Theologia non eſt ſcientia propriè dicta, quia ad aſſenſum eorum, quæ concluduntur, & tractãtur in ea requiritur fides. Et Gabriel Biel eius ſequens ſententiam, Vbi (inquit) præmiſſæ creduntur, concluſio creditur, non ſcitur. q.3.

Thomas ab Argentina reſpondet, quod licet Theologia non ſit ſcientia vſquequaque propriè dicta, cum non procedat per cauſam, nec per effectus adæquatos cauſæ, eſt tamen verè ſcientia, non ſicut natura rei ſcibilis, ſed ſicut natura ſcientis patitur, quod enim probat de ſubiecto ſuo infallibiliter probat, & ſufficienter ſoluit obiectiones, quæ fieri poſſunt contra veritates in ipſa contentas; Hoc autem (dicit Ariſt.) non eſt ignorantis vinculum, ſed munus ſcientis. q.2.

Gerardus Senenſis reſpondet, quod tres ſunt conditiones ſcientiæ propriè dictæ, quod ſit habitus veridicus, quod ſit habitus firmus, & quod ſit habitus demonſtratiuus, ſi conſideretur Theologia quantum ad primam, & ſecundam conditionem, verè eſt ſcientia; q.1. a.4.

ſi quan-

Digitized by Google

ſi quantum ad tertiam non eſt quidem ſcien-
tia propriè dicta quo ad illum proceſſum,
quo procedit in demonſtrando veritatem,
quia ſolum perſuadet, & declarat eam; ſed
bene quo ad illum, quo procedit in defenden-
do eam, & oſtendendo quantum deficiant, quæ
in contrarium obijciuntur.

q.1. Gregorius reſpōdet, quod Theologia, quia
ex creditis procedit, & auctoritati tantum
innititur, non eſt ſcientia propriè dicta; ſed
quidam habitus creditiuus, & fides quædam
habitualis acquiſita.

q.1d Guilelmus Rubion reſpondet, quod Theo-
logia non eſt ſcientia quæ cauſetur ex demon
ſtratione exprimente in præmiſsis cauſam rei
ſignificatæ per prædicatum concluſionis ip-
ſius, quia nihil eſt cauſa Dei, ſed quæ acqui-
ritur per demonſtrationem ex præmiſſis.

q.2. Alphonſus Toletanus reſpōdet, quod Theo
logia, vt eſt habitus concluſionum Theo-
logicarum, ſuppoſita articulorum notitia
euidenter deductiuus, eſt ſcientia propriè di-
cta; cum enim talis habitus non ſit fides, nec
aliquis eorum quos refert Ariſt. in lib. 6. Eth.
ſequitur neceſſariò quod ſit ſcientia.

q.1. Michael de Bononia reſpondet, quod ideo
Theologia non eſt ſcientia, quia principia
eius ſunt tantum credita, & de eis non habe-
mus maiorem euidentiam, quam quis habeat
adhærens alicui falſo.

q.1. Petrus Aliacenſis reſpondet, quod Theo-
a.2. logia non eſt ſcientia euidens, & ideo non
eſt ſcientia propriè dicta; ſed eſt quædam co-
gnitio adhæſiua, ſiue credulitas firma abſ-
que formidine.

q.2. Marſilius Inguen reſpondet, quod Theo-
a.1. logia cum habeat pro fundamento fidem,
ſcientia propriè dicta eſſe non poteſt quam-
uis etiam largè non omnis, ſed tantum ea,
quæ eſt de articulis neceſſarijs.

q.3. Ioannes de Baſſolis reſpondet, quod Theo-
a.4. logia nec ex ea parte, qua verſatur circa con-
tingentia, eſt ſcientia propriè dicta, quia obie
ctum ſcientiæ ſic debet eſſe neceſſarium, nec
ex ea parte, qua verſatur circa neceſſaria,
quia cum dependeat ex principijs tātum cre-
ditis, non habet euidentiam ex eis.

q.3. Laurentius Opimus reſpondet, quod Theo
princ logia non eſt ſcientia propriè dicta, tùm quia
ad aſſenſum eius requiritur imperium volun-
tatis, quod non requiritur ad ſcientiam pro-
priè dictam; tùm etiam quia nullam habet
formalem, & intrinſecam euidentiam.

q.1. Antonius Andreas reſpondet, quod Theo-
4.& logia noſtra licet non ſit ſcientia quantum
5.l. ad tertiam conditionem adductam à Scoto,
poteſt tamen abſolutè dici ſcientia, prout
ſcientia diſtinguitur contra opinionem, & ſu-
ſpicionem, ſicut ſumitur 6. Eth. cap. 4. vbi
dicitur, quod ſcientia eſt habitus, quo ve-
rum dicimus.

Ioannes à Celaia reſpōdet, quod nullus di- q.2.
ſcurſus Theologicus generat ſcientiā, ſed ſo-
lum fidem, & ideo Theologia noſtra non
eſt ſcientia.

Paulus Corteſius reſpondet, quod Theo- diſ.
logia eſt ſcientia, non quidem eius generis,
quod ab initijs naturalis intelligentiæ luce
notis eruitur; ſed quod ex ante gradientis
diſciplinæ principijs dimanat.

Guilelmus Varrillong reſpondet, quod q.1.
accipiendo ſcientiam eo modo quo accipit
eam Ariſt. in lib. 1. Poſter. Tunc autem vnū-
quodque ſcire arbitramur, &c. Sic Theologia
non eſt ſcientia; ſed accipiendo ſcientiam
pro habitu certitudinali, ſicut dicit Apoſtolus,
ſcio cui credidi, & certus ſum, &c. Sic eſt
ſcientia, quia eſt certiſſimus habitus.

Petrus Trigoſius reſpondet, quod Theo- q.1.
logia eſt dicenda ſimpliciter ſcientia; primò, a.1.
quia ſic Sancti, & Doctores eam appellant; p.1.
ſecundò, quia eſt ſubalternata ſcientiæ bea-
torum; tertiò, quia ſua principia ſunt eui-
dentia, euidentia credulitatis; quartò, quia
eſt habitus, & non opinio, non fides huma-
na, non ars, non prudentia, ergo ſcientia.

Ludouicus Molina reſpondet, quod ſi ſit a.1.
ſermo de ſcientia accepta pro habitu certo, d.1.
& euidenti, vt ab Ariſt. accipi ſolet, Theo- q.1.
logia qualis in hac vita haberi poteſt, non
eſt propriè ſcientia; appellari tamen debet
ſcientia, vt ſcientia idem eſt, atque cognitio
certa, & firma.

Gregorius de Valentia reſpondet, quod P.1.
Theologia realiter non eſt propriè ſcientia, 3.
quia aſſenſus elicitus ab ea non eſt euidens,
ob eius tamen præſtantiam, & quia ſic eam
appellant ſacræ litteræ eſt dicenda ſcientia.

Gabriel Vaſquez reſponden, quod licet diſ.
principia Theologiæ noſtræ ſint veriſſima, 4.
& neceſſaria, & diſcurſus ex ipſis diſpoſitus
ſit neceſſarius, imò in ratione conſequētiæ no-
bis euidens; non tamen eſt ſcientia. quia
cum ſint principia obſcura, ex ipſis non ge-
neratur in nobis euidens notitia concluſionū.

Petrus Paulus Nazarius reſpondet, quod q.1.
Theologia noſtra ſecundum ſe eſt verè, & a.2.
propriè ſcientia, quia conuenit ei diffinitio
ſciētiæ, vt ſit habitus per demonſtrationem
acquiſitus, licet tamen ſit imperfecta, & non
vniuocè dicta cum alijs ſcientijs; dicente
D. Thoma, quod ſi eſſet ſcientia, quæ non 2.ſēt.

d.13 poſſet reduci ad principia naturaliter cogni- ta, non eſſet eiuſdem ſpeciei cum alijs ſcien- tijs, nec vniuocè diceretur ſcientia.

Reſolutio.

RESpondeo quod de ratione ſcientiæ for- mali eſt, vt informet intellectum ad mo- dum habitus per demonſtrationem acquiſiti: eſt enim demõſtratio Syllogiſmus faciens ſci- re, ſeu ſcientiam cauſans, cuius principia ſunt vera, prima, immediata notiora, priora, cauſæq. concluſionum, & huiuſmodi ſunt vel dignitates, vel poſitiones, vel ſuppoſitiones, vel diffinitiones, vt docet Ar. 1. Poſt. Et quoniã Theologia ſe habet ad modum habitus de in- numeris veritatibus agens, quas diuerſimodè pertractat, modo exponendo, modo proban- do, aliquando contra proteruientes arguendo, aliquando eorum difficultates ſoluendo, & in omnibus his, vel ſaltem in pluribus demon- ſtrationes afferendo, vtens principijs veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, cauſiſq. concluſionum quia nulla ſunt verio- ra, priora, immediatiora, notioraue nobis articulis fidei, ſiue dignitatibus, poſitionibus, ſuppoſitionibus, & diffinitionibus Theologi- cis, non quidem lumine naturali, quia hic non agimus de ſcientia naturali, in qua principia debent eſſe naturaliter nota, ſed lumine ſu- pernaturali, quia hic agimus de ſcientia ſu- pernaturali, quę non minus debet habere prin- cipia ſupernaturaliter nota, quam ſcientia na- turalis habeat principia naturaliter nota, ſuf- ficit enim ad hoc quod aliqua ſcientia ſit ſciẽ- tia propriè, vt demonſtret ex principijs per ſe notis, hoc eſt non demonſtrabilibus ex alijs, ſiue autem hoc lumine, ſiue illo, hoc facit ad ſcientiam naturalem, vel ſupernaturalem. Eſt ergo Theologia propriiſſime ſcientia, vt potè quæ demonſtrando procedit ex principijs ſu- pernaturaliter notis veris ſcilicet primis, im- mediatis, notioribus, prioribus, cauſiſque concluſionum.

Oble- ctio. Sed ſi Theologia eſt de contingentibus; de quibus ſcientia eſſe non poteſt?

Reſpondetur, quod de contingẽtibus incer- tis, & non viſis, non eſt ſcientia; at de euiden- tibus, & certis in obiecto theologico, eſt qui- dem certa cognitio, & ſcientia. Ita Scotus. Et ſimiliter Caetanus, quod multa ſunt contin- gentia ſecundum ſe, de quibus eſt Theologia, ſed vt ſubſunt huic ſcientiæ ſunt neceſſaria, ſicut ſcita à Deo ſunt neceſſaria.

QVÆSITVM VIII.

An Theologia ſit Sapientia.

ALexander Alenſis reſpondet quod ſa- piẽtia dicitur à ſapore, & quia Theo- logia eſt cognitio ſaporem inducens, inquantum mouet affectionem ad bonitatem, idcirco propriè ſapientia dicitur. q. 1. m 1.

D. Thomas reſpondet, quod quia in Theo- logia agitur de Deo, qui eſt cauſa altiſſima, ſimpliciter, ſapientia autem dicitur in vno- quoq. genere in qua agitur de cauſa altiſſima illius generis; idcirco dicitur ſapientia ſim- pliciter, ſicut & Theologus ſimpliciter ſapiẽs. Item Nicolaus de Niſſe. 1. ſẽt. q 1. ar. 3

Ægidius reſpondet, quod ſex ſunt condi- tiones, propter quas aliqua ſcientia dici de- bet ſapientia; quarum prima eſt ſcire om- nia, ſecunda, ſcire difficilia, tertia, ſcire certè, quarta, ſcire cauſas earum, quinta, ſcire gratia ſui, & ſexta, ordinare non ordinari: & quo- niam huiuſmodi ſex conditiones conueniunt Theologiæ, ideo dicitur ſapientia. Item Ri- cardus, Thomas ab Argentina, & Petrus Tri- goſius. q. 10

Henricus reſpondet quod nomine ſapientiæ nihil niſi quędam prærogatiua ſcientię expri- mitur, quæ ex certitudine ſumi debet; & ideo quia Theologia cæteras ſcientias excedit cer- titudine, nam conſiderat prima principia, & altiſſima, propterea dicitur ſapientia. ar. 6. q 2.

Petrus Aureolus reſpondet, quod ſeptem ſunt actus ſapiẽtię, primus eſt manifeſtare mẽ- tientem, ſecundus, modum tradere generalẽ perueniendi ad veritatem, tertius, diſputare de difficilibus, quartus, defendere principia contra negantes, quintus, explicare intẽtiones generales nominibus eiſdem deſignatas, & reducere illas ad vnam primam, cui primo at- tribuitur ratio nominis, ſextus, veritates ge- neraliſſimas, quæ demonſtrabiles ſunt, demõ- ſtrare, ſeptimus de entibus ſpiritualibus per- tractare, de illis duntaxat, quæ à materia ſunt liberata. Et ſic habitus Theologicus decla- ratiuus, & defenſiuus articulorum fidei eſt ſa- pientia, non quidem ſapientia, quæ ſcientia ſit, ſed quæ eſt intellectus, lumen, & intelligen- tia nobiliſſimorum. q. 1. a. 1.

Gregorius de Valentia reſpondet, quod cũ Theologia in ſuo genere conſideret res diui- nas, & veriſſimè, & per altiſſimum, & ma- ximè vniuerſale principium, per reuelatio- nem ſcilicet diuinam, maximè propriè eſt ſa- pientia. q. 1. ar. 7 Pũct. 4.

Re-

Digitized by Google

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſapientia ſumitur dupliciter, in generali, & in ſpeciali, in generali ſumpta dicitur illa cognitio habitualis, quam quis habet de aliquo ſcibili, cuiuſcunque ſit generis ſcientiæ modo excellẽtiſſimo, & perfectiſſimo, quo ſenſu dicitur in libro Iob cap. 12. In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia, & Sapiens dicitur ille, qui hoc modo excellentiſſimo, & perfectiſſimo res cognoſcit, cuiuſcunque ſit generis cognitionis, quo ſenſu dicit Ariſtoteles in lib. 5. Problem. ſect. 39. quæſt. 10. quod ſapientibus inter ſe certantibus, nullum præmium poteſt proponi, cum ipſi arbitris careant; vnde hoc modo quælibet ſcientia, & ars poteſt dici ſapientia ſecundum quod eſt in aliquo modo prædicto excellentiſſimo, & perfectiſſimo. In ſpeciali verò ſumitur pro illa ſcientia, quæ cæteras rerum præſtantia de quibus agit, generalitate, cauſalitate, difficultate excedit, & talis eſt Metaphyſica inter ſcientias naturales, & ad eundem modum Theologia, quæ eſt ſcientia ſupernaturalis dici debet ſapientia, quia nõ ſolũ omnes alias ſcientias naturales; ſed & ipſam metaphyſicam excedit in agendo de rebus præſtantiſſimis, generaliſſimis, omnium rerum cauſis, & difficillimis, ac modo excellentiſſimo, & eminenti.

Obiectio. Sed ſi non probat principia aliarum ſcientiarum, quod eſt munus ſapientiæ?

Reſpondetur, quod cum Theologia procedat per reuelationem, quoniam reuelatio non probatur ratione, ſufficit, quod iudicet de principijs aliarum ſcientiarum, abſque quod probet ea. Ita D. Thomas. Et Aegidius, Non ſemper ſapientia probat principia aliarum ſcientiarum, ſed ſufficit, quod vtatur eis in ſui obſequium.

QVÆSITVM IX.

An Theologia ſit ſcientia vniuerſalis?

tr. 1. q. 3. ALbertus reſpondet, quod Theologia propriè nec vniuerſalis eſt, nec particularis, ſed quia eſt de ente determinato per formam analogiæ ad id quo fruẽdum eſt, & de partibus eius ſecundum quod habent ſpecialem analogiam ad illud, eſt quodammodo & vniuerſalis, & particularis.

q. 2. Aegidius reſpondet, quod Theologia ratione ſui obiecti principalis, quod eſt Deus, ſcientia ſpecialis dici debet, ratione tamen rerum de quibus agit, non tamen tanquam de obiecto principali communiſſima etiam dici poteſt.

Ricardus reſpondet, quod Theologia eſt ſcientia vniuerſalis, & prima, quia eſt de ſubſtantia prima, quæ eſt ſubſtantia increata; ſcientia autem, ſicut dicit Ariſt. de ſubſtantia ſimpliciter prima eſt vniuerſalis. *q. 3. c. 1.*

Henricus reſpondet, quod illa ſcientia eſt prima, & vniuerſalis ſimpliciter reſpectu omnium ſcientiarum, cuius eſt conſiderare primum ens ſimpliciter; cum itaque Theologia conſideret de ente primo, quod eſt Deus, & per attributionem ad illud conſideret de quolibet alio ente, idcirco dicenda eſt ſcientia vniuerſalis. *a. 7. q. 3.*

Ioannes Vigerius reſpondet, quòd Theologia eſt ſcientia ſpecialis, quia tractat de Deo ſub ratione deitatis. Et Iacobinus Maleſ. Bargius, quia eſt de Deo ſecundum conceptus proprios, qui non poſſunt via ſenſuum deduci; ſed tantum deducuntur ex creditis. *q. 1.*

Reſolutio.

REſpondeo, quod ſcientia illa dicitur vniuerſalis, quæ tractat de his, de quibus cæteræ ſcientiæ tractant, vel in vſum earum aſſumuntur, & ideo inter ſcientias naturales ſola metaphyſica dicitur ſcientia vniuerſalis, quia tractat de ente, de quo tractant aliæ ſcientiæ, & de principijs, & cauſis, quæ in vſum aſſumuntur ab alijs ſcientijs; vnde cum Theologia non tractet de his, de quibus etiam aliæ tractant, nulla enim ſcientia tractat de diuinitate, neque aliæ ſciẽtiæ aſſumant ſibi principia, & poſitiones theologicas in ſuis progreſſibus, hinc fit quod non eſt dicenda ſcientia vniuerſalis, & communis, ſed ſpecialis.

Obiectio. Sed ſi Theologia eſt ſapientia, ſapientia autem eſt communis, cum dicat Ariſt. quod ſapientis ſit ſcire omnia?

Reſpondetur, quod propterea dicitur Theologia ſapientia, non quod ſit ſcientia communis, ſed quia habens hanc ſcientiam ſcit quodammodo omnia in ordine ad Deum quem ſcit principaliter. Ita Aegidius.

QVAESITVM X.

An Theologia ſit de omnibus, vt de materia eius?

ALbertus reſpondet, quod Theologia eſt ſcientia ſecundum pietatem, ac proinde de his, quæ pertinent ad ſalutem, vt materia eius. *tr. 1. q. 2.*

a.19 Henricus reſpondet, quod ea tantum ſunt
q.2. materia in Theologia, quæ habent aliquam attributionem ad Deum ſub ratione qua credibilis eſt, ſub hac enim ratione eſt ſubiectum Theologiæ.

q.1. Ioannes Scotus reſpondet, quod Theologia in ſe eſt de omnibus ſcibilibus, quia omnia alia nata ſunt ſciri virtute primi obiecti, ſed quo ad nos non eſt de omnibus ſcibilibus, cum dependeat à diuina reuelatione, quæ non eſt de omnibus. Item Franciſcus Maro.

q.5. Thomas Anglicus reſpondet, quod Theologia noſtra non eſt actu de omnibus ſcibilibus, ſed ſolum de illis, quæ neceſſaria ſunt ad cognitionem finis ſupernaturalis, & eorũ, per quæ poteſt ad finem illum peruenire ſecundum præſentem ſtatum, & quæ in ſacra ſcriptura traduntur.

q.4. Petrus Aureolus reſpondet, quod Theologia noſtra etſi eſt latiſſima, non tamen ſe extendit ad omnia, quia non omnes naturæ propriæ in quantum propriæ ſunt, intenduntur in hac ſcientia, ſed tantum ſecũdum quod participant gubernationem, creationem, & huiuſmodi.

q.9. Guilelmus Occham reſpondet, quod accipiendo Theologiam pro habitu nobis neceſſario pro ſtatu iſto ad vitam æternam conſequendam non eſt de omnibus, accipiendo verò Theologiam pro omni habitu ſimpliciter Theologico eſt de omnibus incomplexis, non enim eſt aliquid incomplexum, de quo non prædicetur aliqua paſſio theologica, vt quod ſit creabile, conſeruabile, & huiuſmodi: ſed non de omnibus complexis, quia multa ſunt complexa, quæ in nullo penitus ſunt theologica.

q.4. Ioannes de Baſſolis reſpondet, quod Theologia innititur ſuper reuelationem, quæ cum nõ ſit de omnibus, nec ipſa Theologia eſt de omnibus, niſi ſecundum quandam rationem generalem, qua ſcilicet omnia à Deo ſunt producta, vel producibilia.

q.3. Antonius Andreas reſpondet, quod Theologia Dei eſt de omnibus abſolutè, Theologia beatorum eſt de his tantum, quæ Deus ſibi voluntariè oſtendit, Theologia verò noſtra de his tantum, quæ Deus nobis voluntariè reuelat. Item Nicolaus de Nijſe, & Nicolaus de Orbellis.

q.20. Guilelmus Varrillong reſpondet, quod, vt
ar.3. res omnes abſolutè conſiderantur pertinent ad ſuas proprias ſcientias, & non ad Theologiam; ſed vt referuntur in Deum, vel ſub ratione veſtigij, vel imaginis, vel alio reſpectu, ſic ad eam pertinent.

Iacobinus Maleſoſſius reſpondet, quod q.12
Theologia quantum eſt in ſe, & vt ſumitur in communi ad Theologiam Dei, beatorum, & noſtram, eſt de omnibus quantum ſit de poſsibili.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut aliæ multæ ſunt ſcientiæ à Theologia, ita etiam multa ſunt ſcibilia, quorum conſideratio pertinet ad illas, vt propria earum materia, de quibus per ſe, & conſultò tractant, vt ſcientiæ mathematicæ, phyſicæ, & huiuſmodi, de quibus non tractat Theologia, niſi incidenter, quatenus ſcilicet ſunt effectus Dei, non ſecundum eorum naturas, & intrinſecas qualitates, quas tamen neceſſe eſt illas ſcientias conſiderare, ad quas pertinẽt, vt materia earũ.

Sed ſi eſt de rebus, & ſignis, ſub qua di- Obiectio.
ſtinctione omnia ſcibilia cadunt?

Reſpondetur, quod Theologia eſt de omnibus his, ſub ratione tamen ſpeciali. Ita Albertus. Et Aegidius. Eſt de omnibus, ſed non per ſe, principaliter, & primò.

QVAESITVM XI.

An Theologia ſit ſcientia vna?

ALbertus reſpondet, quod Theologia tr.1.
eſt ſcientia vna, non vnitate generis, q.4.
& ſpeciei, ſed vnitate principij, & principaliter intenti, quod eſt Deus.

D. Thomas reſpondet, quod cum Theo- 1.ſte.
logia ſit ſcientia altiſſima, & lumen habeat q.1.
efficaciſſimum, quod eſt diuina inſpiratio, eſt ar.2.
etiam maximè vna, quia quanto aliqua ſcientia eſt altior, tanto eſt magis vna, & ad plura ſe extendit. Et iterum. Ratio forma- q.1.
lis obiecti Theologiæ eſt vna, quæ eſt diuina a.3.
reuelatio; & ab hac ratione ſumitur vnitas habitus; ergo Theologia eſt vna. Et notat
Caetanus, quod hæc ratio dicitur ſub qua, Ibid.
ſiue obiecti, vt obiectum; non quæ, ſiue obiecti, vt res.

Aegidius reſpondet, quod vnumquodque q.3.
per idem habet eſſe, & vnum eſſe; cum itaque Theologia ſit ſcientia, neceſſario eſt ſciẽtia vna, & hanc vnitatem habet ab obiecto principali, quod eſt Deus.

Ricardus reſpondet, quod illa ſcientia eſt q.4.
vna, in qua omnia, quæ conſiderantur in ea cõſiderantur ſecundum aliquam comparationẽ ad aliquod vnum, quod ſit ſubiectum principiorum, & quoniam Theologia omnia conſide-

ſiderat in ordine ad Deum, qui eſt ſubiectum ſuorum principiorum ſcilicet articulorum fidei; ideo eſt ſcientia vna.

ar.6 q.1. Henricus reſpondet, quod Theologia eſt vna, non ſolum vnitate generali, cũ ſit de Deo tamquam de ſubiecto, ad quod omnia, quæ conſiderantur in ea reducũtur; ſed etiam vnitate ſpeciali, cum ſit prima ſcientia, & menſura omnium aliarum; & hac vnitate eſt magis, & verius vna, quam alia ſcientia, nõ tantũ ratione formæ, ſed etiam ratione materiæ.

q.3. Herueus reſpondet, quod Theologia eſt ſcientia vna, quia tractat de Deo tamquam ſuo primo obiecto ſpeculabili, quod eſt vnum, & ſi tractat de operabilibus, tractat vt de habentibus connexionem ad ipſum.

q.4. Durandus reſpondet, quod Theologia tractat non ſolum de diuerſis obiectis, quæ pertinent ad ſcientias plures; ſed etiam per diuerſa media, quæ & ipſa faciunt diuerſitatem in habitibus; & ideo non eſt ſcientia vna.

q.19 Ioannes de Neapoli reſpondet, quod ſicut vnitas põtẽtiæ ſumitur ab vnitate ſui obiecti, ita vnitas ſcientiæ ſumitur ab vnitate ſui ſubiecti, cum ergo vnum ſit ſubiectum Theologiæ ſcilicet Deus, vna eſt etiam ſcientia.

q.2. Petrus Aureolus reſpondet, quod Theologia cum habeat modum vniformem, & vnius rationis in ſumendo, ac declarando principia, & deducendo cõcluſiones, hinc ſequitur, quod eſt ſcientia vna.

q.3. Guilelmus Occham reſpondet, quod Theologia vno modo includit fidem infuſam, & ſic eſt vna numero, ſicut & fides eſt vna numero, alio modo includit fidem acquiſitam, & alios habitus, tam propoſitionum, quam conſequentiarum, & apprehenſiuos, complexorũ & incomplexorum, & ſic non eſt vna numero, quia huiuſmodi habitus ab inuicem ſeparari poſſunt.

q.1. Gregorius reſpondet, quod non omnium concluſionũ theologicarum eſt habitus vnus, atque ſpecificus, non enim quicumque habet habitum vnius concluſionis theologicæ poteſt in actum circa quamlibet; omnium tamen eſt vna communis theologia, cum harum omnium ſubiecta conſiderentur in attributione ad vnum per ſe, & primò conſideratum, quod eſt Deus, & per eadem principia omnes probentur, ex vnitate enim principiorum, & vnitate per ſe ſubiecti ſatis concluditur vnitas habitus.

q.7. Guilelmus Rubion reſpondet, quod Theologia eſt vna aliquo modo, obiectiuè ſcilicet, ſeu ſignificatiuè, non quiditatiuè.

q.7. Alphonſus Toletanus reſpõdet, quod Theologia diſtinguitur in duplicẽ habitum, in habitum ſcilicet vnius concluſionis theologicæ tantum, & in habitum omnium concluſionũ ad eam pertinentium, primo modo tot ſunt habitus Theologiæ, quot ſũt cõcluſiones Theologicæ; ſecundo vero habitus theologicus, ſicut, & habitus metaphyſicus eſt tantum vnus, non quidem vnitate ſimplicis formæ, ſed vnitate cuiuſdam totalitatis per ſe ordinis. ar.1

Ioannes Bacconus reſpondet, quod illa ſciẽtia eſt vna, quæ non ſolum implicitè, ſiue in potentia continet omnia, quę attribuuntur ſuo ſubiecto, ſed etiã ea, quæ in proprijs rationibus explicat per attributionẽ tamen ad ipſũ; cum itaq; Theologia vt eſt de Deo cognoſcibili ex ſacra Scriptura cõtineat implicitè omnia, quæ Deo attribui poſſunt, & eadem explicet in proprijs rationibus per attributionem ad ipſum, vt eſt cognoſcibilis ex ſacra ſcriptura, idcirco eſt ſcientia vna. q.1. dub.5

Marſilius Inguen reſpondet, quod Theologia eſt ſcientia vna, quia habet vnam rationẽ formalem conſiderandi idem ſubiectum; nam conſiderat Deum, vt obiectum fruendum, & alia, vt vtenda in ordine ad ipſum. q.1. ar.4

Ioannes de Baſſolis reſpondet, quod Theologia cum habeat diſtinctas concluſiones, & principia non poteſt eſſe habitus ſimpliciter vnus, ſed plures, qui tamen ordinantur ad vnũ totalem complectentem alios, tam concluſionum, quam principiorum, vnde poteſt dici vna ordine quodam, & aggregatione, ſicut Geometria, non tamen ſimpliciter. q.6.

Dyoniſius Carth. reſpondet, quod ſi Theologia non eſſet vna ſcientia, non eſſet ſcientia, ex eodem enim res habet eſſe, & vnum eſſe. q.3.

Ioannes Maior reſpondet, quod ſi ſcientia ſumitur pro ſimplici habitu, ſic ſunt multæ ſcientiæ Theologiæ, ſicut multæ ſcientiæ geometricales; ſi verò ſumitur pro collectione multorum habituum, ſic eſt vna tantum ſcientia, ſicut vna collectio. q.6.

Ioannes à Celaia reſpondet, quod Theologia non eſt vna vnitate numerali, quia non eſt vnus habitus numero, ſed vnitate aggregationis, & attributionis, quia habet vnum ſubiectum, ad quod omnia ordinantur. q.2.

Michael de Palacio reſpondet, quod Theologia eſt collectio multorum habituum diuerſarum concluſionum, quæ collectio vna eſt, & ideo Theologia eſt ſcientia vna. q.9.

Petrus Trigoſius reſpondet, quod ſicut quando ignis additur igni, non producitur alius ignis; ita quando ſcientiæ Theologiæ additur alterius, & alterius rei notitia, non producitur alia Theologia, & ſic eſt vna re- q.1. p.1. ar.2

Digitized by Google

reſpectu omnium concluſionum.

diſp. 3 a 3. q. 1. Ludouicus Molina reſpondet, quod omnes aſſenſus concluſionum, quæ in Theologia ex ſolis reuelatis euidenter deducuntur ad vnam ſpeciem infimam pertinent, tum quia omnes aſſenſus principiorum à quibus generatur ſunt eiuſdem ſpeciei, tum quia ratio mouens ad aſſentiēdum omnibus his concluſionibus, ſemper eſt eiuſdem rationis, atque eadem, nempe euidenter deduci ex reuelatis.

diſp. 1 §. 3. Gregorius de Valentia reſpondet, quod quia omnia, quæ tractantur in Theologia tractantur in vna ratione formali, ſub qua, ideſt per quam, vt per modum infert ſuas concluſiones, quæ eſt diuina reuelatio, idcirco eſt ſcientia vna.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut operationes in artibus, quandocunque verſantur circa eandem materiam, & formam, & procedūt ex eiſdem principijs, & regulis, faciunt vnitatem in arte; ſicut econtra quando procedunt ex diuerſis principijs, & regulis, & verſantur circa diſſimiles materias, & formas faciunt pluralitatem; ita in ſcientijs, quandocunque operationes intellectus verſantur circa diuerſa ſubiecta, diuerſa principia, & diuerſos modos conſiderandi, ac regulas procedendi faciunt pluralitatem in eis, vnitatem autem econtra, quando ſcilicet verſantur circa idem ſubiectum, circa eadem principia, & eundem modum conſiderandi, ac regulas procedendi. Cum itaque in Theologia operationes intellectus ſecundum eam ſemper verſentur circa idem ſubiectum, quod eſt Deus, & ſi quando ſe extendunt ad alia, ſe extendunt tamen in ordine, & finaliter ad ipſum, & ſimiliter circa eadem principia, quæ ſunt propoſitiones reuelatæ à Deo, item ſecundum eundem modum conſiderandi, & regulas procedendi, ſemper enim intellectus, partim ex creditis, partim ex naturaliter notis deducit ſuas theologicas cōcluſiones, quæ ſunt ſicut forma in arte; idcirco non plures, ſed eſt vna ſcientia tantum, ſicut eſt vna Logica, vna Geometria, vna Aſtrologia, & huiuſmodi, loquendo ſecundum ſe, & per modum abſtractionis ſuæ.

Obiectio. Sed ſi ex diſtinctione rerum ſumitur diſtinctio ſcientiarum? ſcientiæ enim (inquit Ariſt.) ſecantur, quemadmodum & res.

Reſpondetur, quod ex diſtinctione rerum ſumitur diſtinctio ſcientiarum, quando non conſiderantur in relatione ad aliquid vnum, quod ſit principiorum ſubiectum; econtra autem, non. Ita Ricardus. Et Dionyſius. Scientiæ ſecantur, quemadmodum & res iuxta formalem diſtinctionem earum, non ſecundum materialem diuerſitatem; ſicque de multis ſub vna ratione formali acceptis eſt vna ſcientia. Et hæc eſt doctrina D. Thomæ.

QVÆSITVM XII.

An Theologia ſit ſcientia diſtincta à quacunque alia?

ALexander Alēſis reſpondet, quod multæ ſunt conditiones, quæ conueniūt Theologiæ, & non alijs ſcientijs humanis; acquiritur enim per reuelationem, innititur ſuper teſtimonium fidei, eſt ſpiritus efficacia credibilis, eſt de operibus reparationis, ſumit ſignificationem, non à verbis tantum, ſed etiam à rebus, & mouet affectū, quæ conditiones alijs non conueniunt, & ideo diſtinguitur ab eis. q. 1. m. 2

Albertus reſpondet, quod Theologia diſtinguitur ab omnibus alijs ſcientijs ſubiecto, paſſione, & principijs. tr. 1 q. 4

D. Thomas reſpondet, quod diuerſa ratio cognoſcibilitatis diuerſitatem ſcientiarum inducit; cum itaque Theologia tractet de Deo, & de alijs rebus, de quibus poſſunt tractare aliæ ſcientiæ lumine diuinæ reuelationis, ſecus autē illæ, idcirco diſtinguitur ab eis. q. 1. ar. 1 ad 2.

Aegidius reſpondet, quod Theologia diſtinguitur ab alijs ſcientijs, primò, quia aliæ ſcientiæ habentur per humanam inuentionē, hæc autem per diuinam inſpirationem. ſecundò, quia aliæ ſcientiæ incipiunt à ſenſu, & humanum modum ſequuntur, hæc autem diuinum. tertiò, quia aliæ ſcientiæ pro obiecto principali habent aliquid vniuerſale, hæc autem nec vniuerſale, nec particulare, cum ſit Deus. quartò, quia hæc ſcientia poteſt in propria forma omnia alia cognoſcere, quæ cæteræ non poſſunt. q 2.

Henricus reſpondet, quod Theologia nec tractat de his, de quibus tractant aliæ ſcientiæ, nec eodem modo, quia ad aliud, per aliud, & ſecundum aliud; & ideo ab illis omnibus eſt diſtincta. ar. 7 q. 1.

Ioannes de Baſſolis reſpondet, quod Theologia eſt ineuidens, & habet Deum pro ſubiecto, & eſt de ſoli Deo naturaliter notis, & non poteſt habere certitudinem ſibi debitam ſine fide, quæ omnia cum non conueniant alijs ſcientijs, neceſſarium eſt, vt diſtinguatur ab eis. q 6.

Re-

Digitized by Google

Reſolutio.

R Eſpondeo, quod vnumquodque per id, quod eſt, à quocunque alio etiam diſtinguitur, dicit enim Ariſt. quod eadem ſút principia eſſendi, & diſtinguendi; per id ergo, quod eſt Theologia facile demonſtrari poteſt, quod eſt ſcientia diſtincta à quacunque alia. Eſt autem Theologia ſcientia ex principijs nobis ſupernaturaliter notis procedens ad cognitionem Dei, & eorum, quæ habent aliquam attributionem, ordinem, & dependentiam ad ipſum, nobis tamen ſupernaturaliter notam. Si enim Theologia eſſet de quibu cunque habentibus attributionem, ordinem, ſeu dependentiam ad ipſum, eſſet de omnibus, omnia enim attributionem, ordinem, & dependentiam habent ad ipſum, ſed quia hæc dependentia eſt nobis naturaliter nota, ideo Theologia non eſt de his, ſed de eis tantum, quorum talis dependentia eſt nobis ſupernaturaliter nota, vt ſunt Sacramenta, dona gratiæ, & huiuſmodi, quæ cum ſint effectus Dei, ſicut quodlibet aliud, non tamen cognoſcuntur niſi ſupernaturaliter; cum itaq; de his nulla ſit alia ſcientia, & ſit Theologia, ſequitur, quod Theologia eſt ſcientia diſtincta à quacunque alia.

Obiectio. Sed ſi de eiſdem tractat, de quibus tractant aliæ ſcientiæ?

Reſpondetur, quod Theologia tractat quidem de omnibus alijs, de quibus tractant aliæ ſcientiæ, ſed aliter, quam illæ, nam aliæ tractant de eis, vt ſunt partes entis, ipſa verò, vt referuntur ad fruibile. Ita Albertus, Et D. Tho. & Gerardus, Non eadem (inquiunt) ratione, ſed diuerſa.

QVÆSITVM XIII.

An Theologia ſit omnibus alijs ſcientijs dignior?

p.p. q. 1. a. 5. D. Thomas reſpondet, quod vna ſcientia dicitur altera dignior, vel quia eſt de digniori ſubiecto, vel quia procedit maiori certitudine, vel quia ad digniorem tendit finem. Cum autem Theologia ſit de digniſſimo ſubiecto, quod eſt Deus, procedat maiori certitudine, quia ex reuelatione, in qua nulla poteſt eſſe deceptio, & ſimiliter tendat ad beatitudinem; igitur omnibus alijs eſt dignior. Item Ægidius, & Ricardus.

ar. 7. q. 0. Henricus reſp quod Theologia eſt omnibus alijs ſcientijs dignior, primò, veritatis certitudine, ſecundò auctoritatis magnitudine, tertiò nobilitate ſubiecti, quartò vtilitate finis, quintò fœcunditate eloquij, ſextò integritate perfectionis.

Durádus reſp. quod Theologia quatenus eſt defenſiua fidei, & declaratiua, eſt omnibus alijs habitibus nobilior; ſed non quatenus eſt habitus eorum, quæ ex articulis concluduntur, tam ratione ſubiecti, quia eſt de opere meritorio, quã rõne certitudinis, quia multæ aliæ ſcientiæ certius procedunt; quamuis tamen ratione finis, & etiam ſubiecti ſit nobilior inter alias ſcientias practicas, & communiter inter omnes ratione luminis, in quo cognoſcuntur ſuæ veritates. *q. … bd*

Alphonſus Tolet. reſp. quod dignitas, & nobilitas alicuius ſcientię concluditur ex nobilitate, & dignitate ſubiecti; cum itaque Theologia ſit de nobiliſſimo, & digniſſimo ſubiecto quod eſt Deus, propterea eſt etiam omnium digniſſima, & nobiliſſima. *q. … ar.*

Ioán. Vig. reſp. quod dignitas alicuius ſciétiæ non attenditur ex dignitate ſubiecti, quia metaphyſica eſt nobiliſſima ſcientia, & tamen de ignobiliſſimo ſubiecto, quia de ente; ſed attenditur penes nobilitatem obiecti, & modum conſiderandi illud in illa ſcientia: vnde cum Theologia ſit de Deo, & modus conſiderandi ſit ex reuelatione, ſequitur quod ſit omniũ ſciétiarũ nobiliſſima. Et materię dignitate, & oſtendendi rõne. inquit Paulus Cor. *q.*

Reſolutio.

R Eſpondeo, quod ſicut vna ars dicitur nobilior, & dignior altera, vel quia præſtantiorem requirit artificem, qua ratione ars venatoria eſt nobilior agricultura, vel quia eſt de præſtantiori artificiabili, qua ratione ars ſtatuaria eſt nobilior arte ſutoria. ita vna ſcientia dicitur eſſe nobilior, ſeu dignior altera, vel quia præſtantiorem requirit ſcientem, qua ratione Geometria eſt nobilior Perſpectiua, quia perſpectiuus eſſe non poteſt, qui non habet ſcientiam Geometriæ; vel quia eſt de nobiliori ſcibili, qua ratione Aſtrologia eſt nobilior Arithmetica. Cum itaque Theologia præſtantiſſimum, & in multis diſciplinis verſatum requirat ſcientem; theologus enim nullus poteſt eſſe perfectus, qui ſaltem in phyſicis non ſit ſufficienter eruditus, quod non eſt neceſſarium in alijs ſcientijs; & ſit ſimiliter de præſtantiſſimis ſcibilibus, quia de Deo, & de alijs rebus diuinis, de quibus non ſunt aliæ ſcientiæ, idcirco eſt dignior, & nobilior quacunque alia.

Ob. Sed ſi Theologia accipit ab alijs ſcientijs

Digitized by Google

tijs, & præſertim a philoſophia.

Reſpondetur, quod Theologia accipit ab alijs ſcientijs non propter indigentiam, ſed exigentiam, & congruitatem, exigitur enim, & congruit, vt intellectus noſter ex his, quæ inferiora ſunt manuducatur ad ea, quæ ſunt ſupra rationem. Ita D. Thomas.

QVÆSITVM XIV.

An Theologia ſit omnibus alijs ſcientijs certior?

ALex. Alen. reſp. quod Theologia non
q.1. humana ratione, ſed diuina inſpira-
m.4 tione eſt introducta, & non huma-
ar.2. no, ſed diuino teſtimonio confirmata, & ideo eſt omnibus alijs ſcientijs certior.

tr.1 Albertus reſp. quod Theologia innititur
q.1. inſpirationi factæ a ſpiritu veritatis, circa quam dubitari non licet, & ideo omnibus alijs ſcientijs eſt certior.

2 ſét. D. Thomas reſp. quod propterea Theolo-
d.23. gia eſt certior alijs ſcientijs, quia principia eius ſunt articuli fidei, qui ſunt noti per fidem, quæ eſt certiſſima.

q.11 Ægidius reſp. quod certitudo ſcientiæ accipitur ex omnibus rebus, de quibus conſiderat, & ex parte luminis cui innititur, & ex proportione ſcientiæ ad ſcientem. primo, & ſecundo modo eſt certior, tertio item, ſed certitudine adhæſionis, non contemplationis.

ar.7 Héricus reſp. quod Theologia ex parte rei
q.2. ſcitæ eſt certiſſima ſcientia, quia res ſcita in ea eſt firmiſſima in ſua veritate; & ſimiliter ex parte ſcientis, quo ad ſecuritatem, & quo ad euidentiam eorum, quæ in ea credibilia ſunt, non quidem ſub forma credibili, ſed intelligibili; & non vt per medium acquiſitam, ſed vt perceptã in ſe ab intellectu non quolibet, ſed bene diſpoſito.

q.3. Gerardus reſp. quod certitudo non eſt a-
ar.4 liud quam cognitio excludens omnem dubitationem, dubitatio autem duobus modis excluditur, ex immutabilitate, & ex euidentia demonſtrationis, cum itaque Theologia in ſuo aſſenſu habeat maiorem immutabilitatem, quam aliqua alia ſcientia, tum ex parte rei cognitæ, quæ eſt prima veritas, tum ratione medij, quod eſt auctoritas diuina, tum ratione luminis, quod eſt lumen fidei, idcirco omnibus alijs eſt certior.

q.1. Petrus Trigoſ. reſp. quod Theologia exce-
ar.1 dit omnes alias ſcientias certitudine, ex parte obiecti, ex parte magiſtri tradentis, in lumine per quod acquiritur, antiquitate, vtilitate, & auctoritate.

Gregor. de Valentia reſp. quod cum Theo- p. 1.
logia nitatur lumine diuinę ſciẽtiæ longè cer- 4.
tior eſt alijs, quæ nituntur lumine naturali.

Gabriel Vaſquez reſp. quod certitudo ca- diſp. 9
pitur tripliciter pro aſſenſu determinato v- q. 1.
nius partis ſine dubitatione; pro veritate co- ar. 8
gnitionis, quæ ſumitur ex conuenientia intellectus cum re; & pro actu reflexo, quo quis iudicat nullo modo ſe falli poſſe in eo, quod cogitat, & hoc modo Theologia eſt certior omnibus alijs ſcientijs, quia ortum habet ex Dei teſtimonio.

Reſolutio.

REſpondeo, quod tunc alicuius rei cognitio dicitur eſſe certa, quando intellectus iudicat de ea, quod aliter ſe habere non poteſt, eſt enim certitudo firmum iudicium intellectus de re cognita, quod ſit, ſicuti iudicatur, vel cogitatur eſſe, & quoniam intellectus noſter de his, quæ per theologiam cognoſcit firmiter tenet, quod aliter ſe habere non poſſunt, non ſolum quia circa ea (vt in cæteris ſcientijs) demonſtratiuè procedit; ſed etiam quia innititur ſuper diuinum teſtimonium, quod ſcit nec falli poſſe, nec fallere, ſuper quod non innituntur cæteræ ſcientiæ, idcirco Theologia certior eſt omnibus illis.

Sed ſi mathematicæ ſcientiæ ſunt in primo Obie-
gradu certitudinis? ctio.

Reſpondetur, quod ſcientiæ mathematicæ ſunt in primo gradu certitudinis in comparatione ad ſcientias naturales, non diuinam, quæ eſt Theologia. Itã Aegidius.

QVÆSITVM XV.

An Theologiæ ſubiectum ſit Deus?

ALex. Al. reſp. quod ſubiectum Theo- q. 1.
logiæ eſt multiplex, Deus ſcilicet, m. 3.
Chriſtus, Opera reparationis, & res, & ſigna.

Albertus reſp. quod Deus eſt ſubiectum tr. 1.
quod, Chriſtus totus, & opera reparationis q. 3.
de quo, res & ſigna circa quod.

D. Thomas reſp. quod ſubiectum Theolo- 1. ſét.
giæ eſt ens diuinum cognoſcibile per inſpi- q. 1.
rationem; ſub illo enim continentur omnia, ar. 4.
quæ conſiderantur in ea, & eius cognitio principaliter attenditur, & per illud ipſa diſtinguitur ab alijs ſcientijs, quæ ſunt conditiones ſubiecti. Et iterum reſp. quod Deus p. p. q.
eſt ſubiectum Theologiæ ſub hac generali ratio- 1. a. 7.

tione conſideratus, ſcilicet, inquantum Deus; primò, quia de eo principaliter tractatur in Theologia, ſecundò, quia ad ipſum, ſub hac generalitate conſideratum reducuntur omnia, quæ tractantur in Theologia; tertiò, quia Deus eſt ſubiectum articulorum fidei, qui ſunt principia Theologiæ, idem autem eſt ſubiectum principiorum, & totius ſcientiæ.

Huius ſententiæ ſunt Ioann. de Neapoli, Ioannes Capreolus, Thomas Caetanus, Gabriel Vaſquez, Petrus Trigoſius, Dominicus Bannes, Gregorius de Valentia, Gabr. Vaſq.

q.1. D. Bonau. reſpondet, quod ſi ſubiectum ſumitur, vt illud, ad quod omnia, quæ tractantur in Theologia reducũtur ſicut ad principium radicale ſic eius ſubiectum eſt Deus; ſi vt illud, ad quod omnia reducuntur ſicut ad totum integrale, ſic eſt Chriſtus; ſi vt illud, ad quod omnia reducuntur ſicut ad totum vniuerſale, ſic, vt circumloquimur eſt res, & ſigna; vt vnico verbo exprimimus, eſt credibile; in quantum tamen eſt intelligibile per rationem probabilem, addit Steph. Bruliſer.

q.1. q.3. Ægidius reſp. quod Deus eſt ſubiectum in Theologia, non quidem ſub ratione communi, quia ſic de eo tractat etiam Metaphyſica, ſed ſub ratione ſpeciali, vt ſcilicet reſtaurator eſt; ſiue glorificator, nam ſub hac ratione principaliter conſideratur in Theologia. Et hanc ſententiam ſequitur Gerardus.

q.6. Ricardus reſp. quod quia omnia, quæ conſiderantur in Theologia conſiderantur, vel in quantum comprehenduntur infra diuinam perfectionem, vel vt Dei effectus, propterea Deus eſt ſubiectum in ea.

ar.16 q.1. Henricus reſp. quod cum ſubiectum cuiuſcunque ſcientiæ ſit illud, quod eſt primũ per ſe mouens intellectum ad actum ſciendi in ea, Deus autem ſit huiuſmodi in Theologia, quia ad ipſum primò & principaliter notitiam dirigit, qui ad iſtam ſcientiam accedit: idcirco Deus eſt ſubiectum per ſe ſcientiæ Theologiæ.

q.3. Ioannes Scotus reſp. quod ſubiectum Theologiæ in ſe, tam neceſſariorum, quam contingentium, eſt Deus ſecundum quod Deus, ſiue ſecundum ſuam rationem quiditatiuam, quæ eſt eſſentia, nam ad ipſum primò vt ſic, ordinantur omnes veritates Theologicæ, tam neceſſariæ, quam contingentes; Theologiæ verò quo ad nos, tam contingentium, quam neceſſariorum, licet non oporteat dare obiectum primum, datur tamen primum notum, quod eſt ens infinitum, iſte enim eſt conceptus perfectiſſimus, quem poſſumus habere de illo, quod eſt in ſe primo obiectum. Ita etiam Antonius Andreas, Nicolaus de Nijſ & Nicolaus de Orbellis.

Herueus reſpondet, quod Deus eſt ſubiectum non ſecundum aliquam rationem determinatam attributalem, ſed ſecundum quo Deus, ideſt ſecundum rationem ſuæ ſubſtantiæ diuinæ, quæ omnium attributorum e fundamentum; & ſic Deus ſecundum quo Deus abſolutè eſt ſubiectum Theologiæ.

Durandus reſp. quod triplex eſt habitu Theologiæ, vnus quo aſſentimus his, quæ i ſcriptura traduntur, alter quo, quæ tradit fide defenduntur, & declarantur; tertius, qui e concluſionum deductiuus ex his, quę tradit fides. In primo, & tertio habitu ſubiectum e opus meritorium, ſiue actus ſalutaris, vel ordinabilis ad beatitudinem. in ſecundo ve Deus ſub iſta rõne determinata, vt Saluato

Petrus Aureolus reſp. quod Deus eſt ſubiectum in Theologia ſub ratione deitatis, ha enim eſt formalis ratio ſubiectiua reſpec habitus theologici, ſub qua omnia quæ conſiderantur in hac ſcientia attribuuntur De & ad ipſum reducuntur.

Guilelmus Occham reſp. quod Theolog non eſt vnum ſubiectum, ſed plura, ſecundu quod plures ſunt partes Theologiæ, in quibus eſt vnum primum aliqua primitate, quo diuerſæ partes conſiderantur, vnde reſpectu alicuius partis Deus ſub ratione deita eſt ſubiectum, reſpectu alterius Pater, & lius, & Spiritus ſanctus, reſpectu alterius Chriſtus, & etiam reſpectu alterius, creatura, res & ſigna.

Thomas ab Arg. reſp. quod ſubiectũ Theologiæ eſt Deus, non quidem ſub ratione abſoluta deitatis, quam abyſſalem vocat, & finitam; ſed ſub hac ratione ſpeciali, inquatum ſcilicet eſt verum, ſummè diligibile, proportionatum rationali animæ nondũ perfectæ per habitum luminis gloriæ. Et ha ſententiam dicit non niſi in verbis diſtare ſententia Ægidij.

Gregorius reſp. quod ſi Theologia accitur pro habitu vnius concluſionis theolocæ tantum, ſic Deus eſt alicuius Theolog ſubiectum, & alicuius non, ſecundum q aliquid de eo probatur, & non probatur verò accipiatur pro collectione multorum lium habituum, ſic iuxta mentem Ægi Deus in quantum Deus eſt ſubiectum pri Theologiæ noſtræ, & non in quantum D abſolutè, ſed contractè, ideſt, in quant glorificator, cum enim ſub eadem ratio ſit obiectum Theologiæ, fidei, & viſi patriæ, ſit autem ſub hac ratione obie

vi

Digitized by Google

viſionis propriæ, ſequitur quod ſub eadem etiam ſit ſubiectum Theologiæ, & fidei.

q.12. Guilelmus Rub. reſp. quod illud propriè dicitur eſſe ſcientiæ ſubiectum, cuius conceptus eſt omnium concluſionum, & quarumcunque etiam aliarum propoſitionum illius ſcientiæ ſubiectum, cum itaq; ſolus Deus ſub ratione deitatis ipſe ſit, cuius conceptus aliquis quiditatiuus, vel qualitatiuus eſt ſubiectum omnium propoſitionum theologicarum; ſequitur quod Deus ſub ratione deitatis ſit ſubiectum Theologiæ.

q.7 a.2. Alphonſus reſp. quod ſubiectum Theologiæ eſt Deus ſub ratione deitatis, non quidē ſimpliciter, & abſolutè ſumpta, ſed vt virtualiter proportionata intellectui creato; vt eſt attingibilis ab eo.

q.3. Ioann. Baccon. reſp. quod Deus eſt ſubiectum Theologiæ noſtræ ſecundum quod eſt a nobis cognoſcibilis in ſacra ſcriptura; ſub hac enim ratione omnia cognoſcuntur de eo, quę a nobis cognoſci poſſunt ſecundum theologiam noſtram.

q.2. a.5. Marſilius Inguen reſp. quod Deus eſt ſubiectum in Theologia, non ſub ratione eſſentiali, & abſoluta, quia ſic etiam conſiderat de Deo metaphyſica; ſed in quantum eſt finis vitæ viatoris, fide formata attingibilis; per hanc enim rationem Theologia diſtinguitur ab alijs ſcientijs, & principaliter ſua conſiderata conſiderat.

q.4. Ioann. de Baſſolis reſp. quod ſubiectum Theologiæ in ſe, & neceſſariorum eſt Deus ſub ratione deitatis, quia hæc eſt prima ratio, ſub qua omnes rationes ipſius Dei continentur, & ad quam reducuntur. Theologiæ verò contingentium ſi ſubiectum accipitur pro eo, quod primo certitudinaliter, & determinatè continet veritates alicuius ſcientiæ, ſic non eſt Deus ſub ratione eſſentiæ; ſed ſub ratione voluntatis, vt ſtantis ſub actuali determinatione.

q.4. Dionyſius Carthuſ. reſp. quod ſubiectum Theologiæ eſt Deus ſub ratione perfecti, tum in ſeipſo, tum quoque in operibus naturæ, gratiæ, & gloriæ, cum de his tota tractet Theologia, ſiquidem & effectus diuinæ prouidentiæ, & iuſtitiæ ſpectent, ſeu reducantur ad iſta.

q.6. Ioann. Maior reſp. quod Deus in quantum Deus eſt ſubiectum Theologiæ loquendo de ſubiecto totalis attributionis, ſic enim ad illum cætera ſubiecta theologica ordinem habent, & analogiam.

q.1. Franciſcus a Chriſto reſp. quod ſi ratio rei ſubiectæ ſumitur ex parte cognoſcentis ſic Deus ſub ratione credibilis, vel reuelabilis eſt ſubiectum; ſi verò ex parte cogniti Deus eſt ſubiectum ſub ratione deitatis. diſt.1

Paulus Corteſius reſp. quod in Theologia materia eſt triplex, prima, ad quam omnia tanquam ad initium, & fontem reuocantur, ſecunda, quam cuncta tanquam integrum totum contuentur, tertia, ad quam omnia tanquam ad vniuerſitatem totam referuntur, prima eſt Deus, ſecunda Chriſtus, tertia Sacramenta.

Guilelmus Varrill. reſp. quod Deus eſt ſubiectum primum, & adæquatum totius Theologiæ, ſiue ſumatur Theologia in ſe, ſiue in nobis; in nulla enim ſcientia ita traditur diſtincta cognitio Dei, ſicut in Theologia. q.1.

Ludouicus Molina reſp. quod Deus eſt formale ſubiectum attributionis tanquam id, de quo potiſſimè cognitio intēditur in Theologia, ſub ratione qua Deus, quia attributa, quæ in hac ſcientia probantur per ſuas proprias rationes de eo, ſub tali ratione conueniunt ei. d.3. a.7. a.3. d.2.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut quælibet ars verſatur circa aliquod artificiabile, ad quod omnia, quæ tractantur in arte ſunt reducibilia, ita quælibet ſcientia verſatur circa aliquod ſcibile, ad quod omnia, quæ tractantur in ſcientia ordinem habent, & attributionē, & huiuſmodi in Theologia eſt Deus, nihil enim magis intenditur in tota iſta ſcientia, quam eius diſtincta, & perfecta cognitio, quantum tamen intellectui noſtro in hac vita illuſtrato, tum lumine gratiæ, tum lumine naturæ cognoſcere fas eſt, atque idcirco omnia, quæ per ſe tractantur in ea ordinem habent ad ipſum, & attributionem, ad hoc enim tractantur, vt inde eius certa cognitio haberi poſſit. Et ſicut Theologia de ipſo agit, non ſecundum vnam, & determinatam rationem, neque ſecundum vnum tantum, & determinatum attributum, ſed ſecundum omnia attributa poſſibilia cognoſci de eo, & ſecundum quamcunque rationem, quæ conuenit ei vt Deo, ità non ſecundum aliquam aliā rationem eſt ſubiectum, quam ſecundū eam, qua eſt Deus, quæ licet in ſe infinita ſit, & incomprehenſibilis intellectui tamen noſtro finita eſt, qua mediante plures de eo poſſunt haberi conceptus, plures intellectiones, & intellectuales operationes, & exinde formari habitus vnus, ſiue ſcientia vna habitualis, quæ eſt Theologia.

Sed ſi Deus partes, principia, & paſſiones Obiec-nes

tes non habet, ſicut reliquarum ſcientiarum ſubiecta?

Reſpondetur, quod licet Deus partes non habeat, nec paſſiones, multa tamen ſe habent loco partium, & paſſionum, quæ ſunt prædicata de eo. Ita Ægidius. Et Scotus, & Henricus, perſonæ ſunt quaſi partes, & attributa quaſi paſſiones. Franciſcus à Chriſto. Non habet Deus principia, & cauſas in eſſendo; ſed bene in cognoſcendo. Ioann de Neapoli, De ratione ſcientiæ eſt, quod tradat perfectam notitiam ſui ſubiecti, quod autem conſideret eius partes, & paſſiones, hoc accidit ei.

QVÆSITVM XVI.

In Denominatio ſcientiæ practicæ, & diſtinctio eiuſdem a ſpeculatiua, & econuerſò ſumatur ab obiecto, an verò a fine?

D. Thomas reſpondet, quod intellectus ſpeculatiuus diſtinguitur a practico per hoc, quod ſpeculatiuus habet pro fine veritatem, quam conſiderat, practicus vero veritatem conſideratam ordinat in operationem tanquam in finem, vnde dixit Ariſt. lib. 2. Meth. quod finis ſpeculatiuæ eſt veritas, practicæ vero actio. & quoniam materiam ſcientiæ practicæ oportet eſſe res illas, quæ a noſtro opere fieri poſſunt, vt ſit materia proportionata fini, & non ſpeculatiuæ, idcirco (vt deducit Capreolus) differt ſcientia ſpeculatiua a practica, quantum ad finem, & quantum ad materiam, quæ eſt idem quod obiectum.

Et iterum reſp. quod intellectus diuiditur in actiuum, & contemplatiuum, quia finis intellectiuæ cognitionis, vel eſt ipſa cognitio veritatis, quod pertinet ad contemplatiuum, vel aliqua actio exterior, quod pertinet ad actiuum.

Ioannes Scotus reſp. quod ſcientia dicenda eſt practica, vel ſpeculatiua ex obiecto, non ex fine. Sic enim & Ariſt. in lib. 6. Meth. c. 2. diſtinguit ſcientias practicas a ſpeculatiuis penes obiecta, & non penes fines.

Herueus reſp. quod practicum, & ſpeculatiuum diſtinguuntur immediatè penes fines, qui ſunt aſſecutiones, ſiue operationes, quibus attinguntur obiecta; primordialiter verò, & radicaliter penes obiecta, quæ ſunt res, vt res, qui diſtinguuntur a finibus, vt aſſecutiones rei.

Durandus reſp. quod ſcientia dicitur ſpeculatiua, vel practica formaliter ex fine, radicaliter ex ſubiecto. Item Franciſcus a Chriſto.

Ioannes de Neapoli reſp. quod loquendo q. 19. de cauſa intrinſeca, & eſſentiali diſtinctionis ſcientiæ practicæ, & ſpeculatiuæ; ſeipſis diſtinguuntur, loquendo de cauſa extrinſeca, & immediata, ſic finis vtriuſque principalis, ſcilicet ſpeculatio, & operatio, eſt cauſa; habet enim ſpeculatiua à ſpeculatione quod ſit ſpeculatiua, & practica a praxi, vnde dicit Ariſt. 3. de An. c. 49 quod intellectus ſpeculatiuus differt a practico fine: loquendo verò de cauſa extrinſeca primordiali, & radicali, ſic diſtinguuntur penes obiecta; dicit enim Ariſt. in 3. de An. t. c. 38. quod ſcientiæ ſecantur quemadmodũ & res.

Petrus Aureolus reſp. quod ratio ſpeculatiui, q. 2. & practici non ſumitur ab obiecto tantum, quia non ſufficit; ſed ab obiecto relato ad talem ſcientem, & ſic ſcientia practica eſt illa, quæ habet pro obiecto rem operabilem a ſe, ſpeculatiua vero tantũ ſpeculabilè.

Guilelmus Occham reſp. quod ſcientia q. 4. ſpeculatiua, & practica diſtinguuntur ſeipſis intrinſecè, & formaliter; per fines cauſaliter; per obiecta tanquam per ſibi propria, quia verò idem ſubiectum ſimpliciter poteſt eſſe ſcientiæ practicæ, & ſpeculatiuæ, nullo modo per ſubiecta diſtinguuntur.

Thomas ab Argentina reſp. quod ſcientia q. 4. eſt dicenda practica, vel ſpeculatiua non ab obiecto, ſed a fine; vnde Ariſt. in 2. Meth. probare volens primam philoſophiam eſſe ſimpliciter ſpeculatiuam vtitur hoc medio, quia finis ſpeculatiuæ eſt veritas, practicæ verò opus.

Gerardus Senenſis reſp. quod diſtinctio ha- q. 5. bitus practici a ſpeculatiuo non eſt ſumenda totaliter ex obiecto, ſed ex obiecto, & fine ſimul, principalius tamen ex fine.

Guilelmus Rubion reſp. quod ſcientia ſpe- q. 10. culatiua dicitur a ſpeculatione veritatis, non quomodocunque intentæ, ſed vt vltimum, & proprium ſui finis; practica vero a praxi, ad cuius directionem, & executionem, vt in finem proprium, & vltimum ordinatur.

Alphonſus reſp. quod habitus ille eſt pra- q. 7. cticus, cuius finis propriè, & principaliter, intentus eſt praxis; ſpeculatiuus verò cuius finis proprius, & principaliter intentus, eſt ſpeculatio.

Ioannes Bacconus reſp. quod habitus pra- q. 4. cticus diſtinguitur contra ſpeculatiuum, quia hic eſt circa ſcibile præcisè, ille verò circa ſcibile operabile.

Marſilius Inguen reſp. quod ſcientiæ ſu- q. 3. munt a. 3

munt arguitiuè ſuam diſtinctionem, tam ex obiecto, quam ex fine gratia cuius, & ex fine quo: ſed principalius ex ratione formali conſiderandi obiectum, quam ex fine quo, quia obiectum eſt principalius, quam finis quo, principalius item ex fine gratia cuius, quam ex obiecto, quia principalius eſt cauſa ſcientiæ finis gratia cuius, quam obiectum.

q.6. Ioannes Maior reſp. quod quilibet habitus practicus a quolibet ſpeculatiuo diſtinguitur proprio fine: ſcientia autem ſpeculatiua diſtinguitur a practica obiectis totalibus, ideſt, propoſitionibus ipſis.

diſp. 8. Gabriel Vaſquez reſp. quod practica notitia eſt, quæ praxim habet pro obiecto, & circa illam verſatur eo modo, quo dirigit ad opus, ſpeculatiua verò, aut eſt talis obiecti, quod non eſt praxis ipſius cognoſcentis, aut licet habeat pro obiecto opus ipſius, circa illud tamen verſatur ſolum gratia contemplandæ veritatis.

Reſolutio.

RESpondeo, quod finis cuiuslibet ſcientiæ, ſemper correſpondet obiecto, ſaltem quo ad attingentiam, vnde ſi obiectum eſt operabile, finis illius ſcientiæ eſt operatio, & ſi eſt ſpeculabile, finis quoque eſt ſpeculatio, eſt enim impoſſibile, quod obiectum ſpeculabile tantum, operatione attingatur, & operabile tantum, attingatur ſpeculatione. Et ideo nulla ſcientia poteſt denominari vel practica, vel ſpeculatiua ab obiecto, quin etiam denominetur talis a fine, neque vna diſtingui ab alia ratione obiecti, quin etiam diſtinguatur ratione finis; & hinc eſt quod Ariſt. in 3. & 6. Meth. 6. Eth. & 3. de An. quãdoque diſtinguit huiuſmodi ſcientias penes obiecta, & quandoque penes fines. Scientia ergo denominatur practica, vel ſpeculatiua, tum ratione obiecti, cum ratione finis, ſi enim obiectum eſt operabile, cum ex conſequenti operatio ſit finis, eſt ſcientia practica, & ſi eſt ſpeculabile, cum finis quoque ſit ſpeculari, eſt ſcientia ſpeculatiua, & ſic etiam & eadem ratione, & modo ab inuicem diſtinguuntur.

Obiectio. Sed ſi denominatio cuiuſcunque habitus ſit a forma; forma autem ſcientiæ neque obiectum eſt, neque finis?

Reſpondetur, quod denominatio qua aliqua ſcientia denominatur a forma, eſt denominatio propria, & in ſpecie, non communis, & in genere, ſicut in propoſito, ad hoc quod reducatur ad genus, vel practicum, vel ſpeculatiuum. Ita Argentina.

QVAESITVM XVII.

An Theologia ſit ſcientia practica, an verò ſpeculatiua?

D. Thomas reſpondet, quod cum Theologia perficiat hominem, & in operatione recta, & in contemplatione veritatis eſt ſimul practica, & ſpeculatiua, ſed quia omnis ſcientia eſt principaliter attendenda ex fine, finis autem Theologiæ eſt cõtẽplatio primæ veritatis, idcirco eſt principaliter ſpeculatiua. 1. ſit. q. 1. a. 3

Et iterum reſp. quod Theologia eſt vna ſcientia, quæ ſe extendit ad ea, quæ ſpectant ad diuerſas ſcientias naturales, & quoniam harum alia eſt practica, & alia ſpeculatiua, ideo & Theologia ſimul ſpeculatiua eſt, & practica; quia tamen principalius agit de rebus diuinis, quam de actibus humanis, ideo magis ſpeculatiua eſt, quam practica. p. p. q. 1. a. 4.

D. Bonauent. reſp. quod Theologia eſt habitus medius complectens ſpeculatiuum, & practicum, eſt enim cognitio contemplationis gratia, & vt bonifiamus, principalius autem vt bonifiamus, quia eius cognitio cauſat fidem, fides autem quantum eſt de ſui ratione nata eſt mouere affectum. Item Steph. Brul. q. 3.

Ægidius reſp. quod Theologia nec propriè practica eſt, nec ſpeculatiua, ſed affectiua, quia principalis eius finis eſt dilectio, quæ eſt in affectu: cum tamen intendat etiam bonam operationem, & ſpeculationem tanquam ſubordinatos fines ad dilectionem eſt dicenda magis ſpeculatiua, quam practica, quia omnis noſtra cognitio ordinatur ad viſionem diuinam, quæ principalius reſpicit beatitudinem, quam faciat operatio. q. 18

Ricardus reſp. quod Theologia non eſt ſimpliciter ſpeculatiua, nec ſimpliciter practica, eſt tamen dicenda aliquo modo ſpeculatiua, & aliquo modo practica, principalius tamen practica, quam ſpeculatiua, quia finis eius principalior eſt excitare affectum, quam illuminare intellectum. q. 4.

Henricus reſp. quod ſicut ſcientia moralis ſpeculatur verum, ſed non niſi ad operandum bonum, & cum hoc tamen non dicitur ſpeculatiua, ſed practica; ita Theologia licet aliquo modo reſpiciat opus, quia tamen eſt propter ſpeculationem, ſimpliciter dici debet ſpeculatiua, non practica. art. 8 q. 3.

Ioannes Scotus reſp. quod Theologia, vt in ſe, tam contingentium, quam neceſſariorum eſt ſpeculatiua, in intellectu vero creato eſt practica, ſed neceſſariorum per ſe, q. 4.

con-

contingentium verò per accidens.

Herueus reſp. quod cum Theologia attingat obiectum ſuum duplici operatione, & elicita, & imperata, ſpeculatiua eſt & practica; ſed principaliter ſpeculatiua, ſecundariò verò practica, operatio enim, quæ conuenit ei reſpectu primi, & per ſe obiecti, quod eſt Deus eſt ſpeculatio, quæ verò conuenit ei reſpectu ſecundarij obiecti eſt praxis, quæ eſt operatio imperata.

Et iterum reſp. quod Theologia quantum ad ſpeculabilia vocatur ſpeculatiua, quãtum vero ad operabilia, practica.

Durandus reſp. quod Theologia ſi ſumitur pro habitu eorum, quæ in ſacra Scriptura tra- duntur, ſic eſt practica ſimpliciter, ſi vero pro habitu fidei declaratiuo, & defenſiuo, ſic eſt ſpeculatiua ſimpliciter.

Thomas Anglicus reſp. quod Theologia necceſſariorum, & etiam contingentium eſt vnus habitus ſpeculatiuus formaliter, virtualiter tamen, & ſecundum quid, eſt practicus.

Ioannes de Neapoli reſp. quod Theologia ſimul eſt ſpeculatiua, & practica, ſi tamen fiat comparatio inter finem, & finem, ſic tam principaliter eſt ſpeculatiua, quam practica, ſi inter ſubiectum, & ſubiectum; & conſiderationem, & conſiderationem, ſic principalius eſt ſpeculatiua, quam practica, nam- ior eſt, & dignior conſideratio ſpeculati- r, quam practicæ.

Petrus Aureolus reſp. quod Theologia eſt habitus merè practicus, tum ratione obiecti attingibilis a ſciente per excellẽtiſſimas operationes fidei, ſpei, & charitatis, tum ratione finis, pro quo habet actum, quem non elicit, ſed dirigit, qui eſt credere.

Franciſcus Maro reſp. quod Theologia eſt habitus regulatiuus operationis noſtræ, & directiuus, non ſolum in actibus elicitis, ſed etiam imperatis, ideo dicenda eſt ſcientia practica.

Guilelmus Occham reſp. quod non eſt vna ſcientia Theologia, ſed plures realiter di- ſtinctæ, & ſic quantum ad aliqua eſt ſpeculatiua, & quantum ad aliqua eſt practica.

Thomas ab Arg. reſp. quod Theologia nec eſt ſcientia practica, nec ſpeculatiua, nec ſimul practica, & ſpeculatiua, ſed affectiua; quia finis eius eſt dilectio, & per ſe propriè reficit, & delectat affectum.

Gerardus Senenſis reſp. quod Theologia cum habeat pro ſuo fine principali dilectionem, a fine autem dicatur ſcientia ſpeculatiua, vel practica, & dilectio non reducatur, nec ad ſpeculatiuam, nec ad practicam, ſequitur quod nec ſit practica, nec ſpeculatiua, ſed dilectiua, vel affectiua.

Gregorius Arim. reſp. quod loquendo de Theologia, vt eſt vnus habitus totalis, omnes partiales de omnibus veritatibus theologicis comprehendens, eſt ſcientia practica, quia ſic omnes actus eius diriguntur in praxim, ſcilicet dilectionem erga Deum. *q. 5.*

Guilelmus Rubion reſp. quod Theologia in ſe qualis ſola ea eſt, quam habet Deus poteſt dici reſpectu diuerſorum practica, & ſpeculatiua, beatorum autem, & viatorum aliquis habitus eſt practicus, vt qui eſt acquiſitus mediantibus actibus complexis intellectiuis practicis, & aliquis ſpeculatiuus, vt qui eſt acquiſitus mediantibus propoſitionibus ſpeculatiuis. *q. 10.*

Alphonſus Tolet. reſp. quod Theologia nec practica ſcientia eſt, nec ſpeculatiua, nec ſimul practica, & ſpeculatiua, ſed affectiua, inclinat enim ad operationem, quæ non eſt praxis, nec ſpeculatio, ſed affectio. *q. 10.*

Ioannes Bacconus reſp. quod Theologia præciſè, nec practica eſt, nec ſpeculatiua, ſed eſt habitus tertius includens practicum, & ſpeculatiuum ſpecie diſtinctus ab vtroq; quia tamen magis ordinatur ad operationẽ, quam ad ſpeculari, attendens enim ad iſtam ſcientiam plus intendit ſeruire Deo per obſeruationem eorum, quæ in ſacra ſcriptura continentur, quam ſcire tantum, ideo magis eſt practica, quam ſpeculatiua. *q. 4.*

Marſilius reſp. quod Theologia noſtra partialis aliqua eſt verè practica, & aliqua verè ſpeculatiua, ſed totalis eſt ſpeculatiua, non ſolum quo ad eius finem remotum, ſed etiam proximum. *q. 3.*

Laurentius Opimus reſp. quod Theologia cum ſit nobiliſſimus habitus, non eſt propriè practica, & ſimiliter cum finis eius non ſit tantum ſcire, ſed etiam diligere, non eſt ſpeculatiua, nec ſimul practica, & ſpeculatiua, ſed propriè affectiua. *q. 4. prin. q. 1. a. 1. col.*

Nicolaus de Niſſe reſp. quod Theologia, vt in nobis, & in beatis, tam de neceſſarijs, quam de contingentibus eſt practica, in Deo verò de neceſſarijs, eſt quidem practica, ſed non de contingentibus. *q. 8.*

Ioannes Maior reſp. quod Theologia neque practica eſt, neque ſpeculatiua, quia nõ eſt ſcientia; dato tamen quod ſit ſcientia, extendendo terminum ad quemcunque aſſenſum, aliqua Theologia eſt practica, & aliqua ſpeculatiua; nam alicuius Theologiæ actus non eſt alicuius praxis directiuus formaliter, & alicuius eſt. Collectiuè autem *q. 6.*

Digitized by Google

ſumendo eam, vt omnes iſtos habitus includit, dicenda eſt practica, quia denominatio fieri debet a potiori parte, pars autem potior eſt dilectio.

q.10. Michael de Palatio reſp. quod Theologia eſt practica ſecundum rationem proprij finis, qui eſt gignendi veras virtutes,& ratione ſui obiecti, quod eſt Deus,eſt ſpeculatiua.

diſ.1. Paulus Corteſius reſp. quod Theologia partim practica eſt, partim ſpeculatiua, ſed quoniam omne genus ſcientiæ finis menſione expenditur, extremumq. huius ſcientiæ finem in contemplatione principis veri eſſe dicamus, in primis eſt contemplatiua.

q.1. at.1 Petrus Trigoſ. reſp. quod Theologia neque purè practica eſt, neque purè ſpeculatiua, ſed ſimul practica, & ſpeculatiua eminenter, abſolutè tamen, & propriiſſimè eſt dicenda affectiua, quia hoc eſt ei peculiare, mouere affectum.

ar.4. diſp. 2.3. Ludouicus Molina reſp. quod Theologia non eminenter, ſed formaliter practica eſt, & ſpeculatiua; eſt tamen magis ſpeculatiua, quam practica, quia obiectum eius principale eſt Deus; ab obiecto autem principali ad quod omnia attributionem habent, eſt ſcientia iudicanda.

diſp. 8. Gabriel Vaſq. reſp. quod Theologia nō ſolum eminenter, ſed etiam formaliter ſimul practica eſt, & ſpeculatiua, poteſt enim & actum practicum elicere, & ſpeculatiuum; ex parte enim conſiderat Deum, myſterium incarnationis, & huiuſmodi,& ex parte conſiderat multa in operatione poſita.

Reſolutio.

RESpondeo, quod accipiendo Theologiā propriè, vt eſt ſcientia de Deo, & a qua denominantur Theologi, qui de eo, & de perfectionibus eius, & attributis demonſtratiuè tractant, eſt ſcientia ſimpliciter ſpeculatiua, quoniam ſubiectū circa quod principaliter verſatur, eſt tantum ſpeculabile, quod eſt Deus, & ſimiliter eius finis non eſt niſi ſpeculatio eius, vnde Theologi non dicuntur qui credunt, & faciunt, hi enim ſunt quam plurimi, ſed qui docent, & ſciunt, & hi ſunt pauci. Et licet de multis operabilibus tractet, vt de actibus humanis, de virtutibus, de Sacramentis, & huiuſmodi, de his tamen, non per ſe, ſed per accidens tractat,& quaſi incidenter, cum enim nulla alia ſit ſcientia determinata, & nominata, quæ de iſtis ex principijs ſupernaturalibus agat, ſupplet ipſa Theologia tanquam proximior ſcientia ratione ſui modi procedendi, qui eſt ex principijs fidei; vnde ſcientia de virtutibus, de Sacramentis, non eſt Theologia niſi reductiuè, quia ſcilicet reducitur ad eam rationem principiorum, cum non habeat nomen, & propriam denominationem.

Sed ſi Theologia introducta eſt principaliter ad opus, vt ſcilicet per diuinorum cognitionem bene operemur? Obiectio.

Reſpondetur, quod Theologia non eſt introducta principaliter ad opus, nō enim opus eſt, quod principaliter intenditur in ea; ſed contemplatio primæ veritatis. Ita D. Thomas, Henricus, & Aegidius. Opus, ſiue actio, eſt quodammodo finis Theologiæ; ſed non ſimpliciter, ſicut ſcientiæ moralis.

QVÆSITVM XVIII.

An Theologia ſit ſcientia ſubalternans ſibi aliam ſcientiam?

AEgidius reſp. quod vna ſcientia dicitur ſubalternare ſibi aliam tripliciter, vel quando attingit optimum in genere illo, & ſic metaph. quæ eſt de Deo ſubalternat ſibi alias ſcientias; ſed Theologia ſubalternat ſibi metaphyſicam; vel quando vna ſcientia dicit propter quid & dat alteri principia, illa vero accipit, & dicit quia; & ſic ſola metaph. ſubalternat ſibi alias ſcientias, nō Theologia: vel quando vna ſcientia de eadem re tractat modo ſubtili,& per cauſam,alia vero modo rudi,& hoc modo,neq; etiam Theologia ſubalternat ſibi aliquam aliam ſciētiam, quia nulla alia ſcientia tractat de eiſdem rebus, de quibus tractat Theologia. q.6.

ar.7 q.4. Henricus reſp quod vna ſcientia dicitur ſubalternans, & altera ſubalternata ſecūdum diuerſum modum conſiderandi ea,quæ vtraq; conſiderat; hic eſt autem quatruplex,nam aut vna cognoſcit per cauſam, altera vero per ſenſum,& per experientiam,aut vna cognoſcit modo cognitiuo,altera vero modo operatiuo, aut vna conſiderat idem abſolutum determinatione contractum,quæ eſt formalis conditio eius; aut idem conſiderat cum determinatione,quæ eſt eius materialis conditio: cū itaque Theologia dicat cauſam, & rationem de his, quæ in alijs ſcientijs ſciuntur per experientiā, & ſimiliter quæ cognoſcit modo cognitiuo, cognoſcit ceteris tradens regulas operandi ſecundum iuſtitiam;ideo primo, & ſecūdo modo reliquas ſcientias ſibi ſubalternat, non tertiò, & quartò,cū nulla alia ſcientia conſideret ſubiectū ſuū cū determinatione ſibi extranea, neque Deus vllo modo determinari poſſit.

Her-

Herueus reſp. quod nulla ſcientia humana accipit propter quid a Theologia, niſi remotè, & ideo nullam ex his ipſa poteſt ſibi ſubalternare.

Durandus reſp. quod aliæ ſcientiæ habent de ſuis principijs euidẽtiorem notitiam, quam ſi haberent per Theologiam, quia cognitio per Theologiã eſt ænigmatica, & ideo Theologia non poteſt ſubalternare eas.

Stephanus Brul. reſp. quod quælibet ſcientia alia à Theologia habet ſua principia naturaliter nota, theologia vero ſupernaturaliter, & ideo nulla alia poteſt ſubalternari ei.

Antonius Andreas reſp. quod Theologia nõ poteſt eſſe ſcientia ſubalternans ſibi aliã ſciẽtiã, quia nulla ſcientia humanitus acquiſita reſoluit ſuas veritates in veritates theologicas.

Michael de Pal. reſp. quod Theologia noſtra non ſubalternat ſibi alias ſcientias, quippe quæ principia ſua alijs non communicat.

Reſolutio.

RESpondeo, quod tunc vna ſcientia dicitur alteram ſibi ſubalternare, quando accommodat ei propoſitiones ſuas, vt inde illa tanquam ex principijs procedat ad ſua ſcibilia, & cõcluſiones, & ſimiliter ſubiectũ ſuum, ſub aliqua tamen ratione ſpeciali, & determinata, vt de eo poſſit, quæ ſunt de eo cognoſcibilia demonſtrare, ſicut Arithmetica dicitur ſubalternare ſibi muſicam, & quia muſica accipit ſubiectum ab ea, ſcilicet, numerum ſub ratione ſpeciali, & determinata ſonori, cum numerus ſit propriũ ſubiectum Arithmeticæ, & quia muſica vtitur pro principijs ad deducẽdas ſuas cõcluſiones propoſitionibus arithmeticis. Cum itaque Theologia nulli alteri ſcientiæ accommodet propoſitiones ſuas, neque ſubiectum ſuum, nulla enim apparet ſciẽtia quæ vtatur propoſitionibus Theologicis tanquam principijs in deducendo concluſiones ſuas, neque ſimiliter habeat pro ſubiecto ſuo Deum, ſub aliqua ratione ſpeciali, & determinata, idcirco Theologia nullam aliam ſcientiam ſibi ſubalternat.

Sed ſi Theologia tradit cognitionẽ Dei, qui eſt omnium cauſa, & a quo cuncta dependent, & eſſe habent?

Reſp. quod vt vna ſcientia ſibi alteram ſubalternet non ſufficit, quod tradat cauſam eorum, quæ dicuntur in ea, niſi illam cauſam tractat ſecundum rationis modum, & illam inferior præſupponat, quia in ſuperiori ſcientia traditur, quod non videtur in Theologia reſpectu alterius ſciẽtiæ humanę. ita Ægidius. Ioanne Neap. dicit quod hoc eſt reddere cauſam remotam, non propinquam, quam etiam poſſunt adducere philoſophi.

QVÆSITVM XIX.

An Theologia ſit ſcientia ſubalternata alteri ſcientiæ?

D. Thomas reſp. quod duplex eſt genus ſcientiarum, quædam enim ſunt, quæ procedunt ex principijs notis lumine naturali intellectus; & quædam ſunt, quæ procedunt ex principijs notis lumine naturalis ſuperioris ſcientiæ, ſicut perſpectiua, quæ procedit ex principijs notis per Geometriam, & huius generis eſt Theologia noſtra, quæ ſumit ſua principia a ſcientia diuina. p. p. q. 1. a. 2.

Ægidius reſp. quod triplex eſt modus ſubalternationis ſcientiarum, primus quãdo vna ſcientia ancillatur alteri, & ordinatur ad ipſam tanquam ad eam, quæ conſiderat optimũ in illo genere. ſecundus, quando vna ſcientia determinat de aliqua re non ſimpliciter, ſed per aliquem modum, tunc iſta ſcientia ſubalternatur ei, quæ tractat de illa re ſimpliciter. tertius, quãdo de eodem tractant ſcientia ſubalternans, & ſubalternata, ſed ſubalternans modo ſubtili, & per cauſam, ſubalternata modo groſſo. Quamuis itaque Theologia noſtra ſubalternetur ſcientiæ Dei, & beatorum, nulli tamen ſcientiæ humanæ ſubalternatur; non enim ſubalternatur metaph. tum quia magis principaliter conſiderat Deum, quam metaphyſica, tum etiam, quia Theologia tractat de his, quæ ſuper rationem ſunt, de quibus meth. rationem reddere non poteſt, tum tertio, quia ſubtiliori modo, & altiora proponit Theologia, quam metaphyſica: non alteri ſcientiæ humanæ ſpeciali, quia nulla ſpecialis ſcientia tractat de Deo, qui eſt optimum in genere entium ſecundum ſubſtantiam. q. 5.

Henricus reſp. quod Theologia nulli ſcientiæ ſubalternatur, nec humanæ, nec diuinæ, nõ humanę, tum quia eſt impoſſibile quod ſcientia aliqua humana dicat propter quid eorum, quæ ſunt fidei, de quibus Theologia dicit quia, tum etiam, quia Theologia non habet ſubiectum determinabile aliquo modo; non diuinæ, quia hoc eſt per ſe, & eſſentiale in ſubalternatione, quod ſcientia ſubalternans dicat propter quid, de quo ſubalternata dicit quia, principia autem Theologię cum ſint de omnino, & ſimpliciter primis, propter quid ſciri non poſſunt, cognitio enim propter quid ſemper eſt per prius, & notius. ar. 7. q. 5.

Ioannes Scotus reſp. quod Theologia noſtra q. 1.

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ſtra nulli alteri ſcientiæ ſubalternatur,& præſertim ſciētiæ Dei & beatorū,quod quadrupl: probat;primò,quia ſcientia de Deo non poteſt eſſe niſi vna; ſecundò,quia viſio beata nullam habet rationē cauſæ reſpectu intellectus viatoris; tertiò,quia Theologia noſtra & Dei poteſt eſſe de eiſdem prædicatis; quartò,quia nec viator poteſt habere theologiam beatorum, nec beatus viatorum, habens autem ſcientiam ſubalternantem poteſt habere ſubalternatam, & econuerſò.

q.7. & 8 Durandus reſp. quod Theologia non ſubalternatur neque ſcientiæ Dei, & beatorum, neque alteri ſcientiæ humanæ, non ſcientiæ Dei, & beatorum, quia huiuſmodi ſcientiæ non ſunt compoſſibiles in eodem, eſt autem de ratione ſcientiæ ſubalternantis,& ſubalternatæ, vt ſint compoſſibiles in eodem; & quia ſcientia beatorum non dicit propter quid de illis,de quibus Theologia noſtra dicit quia. non alicui ſciētiæ humanæ, quia nullum ſubiectum alterius ſciētiæ eſt finis ſubiecti Theologiæ, nec vlla ſcientia humana dicit cauſam, cuiuſcunque veritatis, de qua Theologia dicat tantum quia.

q.7. Thomas Anglicus reſp.quod Theologia noſtra ſubalternatur Theologiæ beatorum, non quidem ex parte ſubiecti, quia idem eſt ſubiectum vtriuſque, ſed ex parte finis, & principiorum.

q.21 Ioannes de Neap. reſp. quod ſi Theologia ſubalternaretur alicui ſcientiæ, maxime ſubalternaretur metaph. quod tamen non contingit, neque quantum ad finem, neque quantum ad ſubiectum, neque quātum ad modum.

q.2. ar.3 Thomas ab Arg.reſp. quod quia Theologia non reducit in per ſe nota, ſed præſupponit in altera ſcientia ſua principia, ideſt,in ſciētia Dei, & beatorum, eſt ſcientia ſubalternata ſcientiæ Dei,& beatorum,quoniā tamen habens eam non poteſt naturaliter attingere ſcientiam Dei, & beatorum, non eſt propriè ſubalternata ei.

q.6 Ioannes de Baſſolis reſp. quod ſi Theologia ſubalternaretur alicui ſcientiæ maxime ſubalternaretur metaphyſ. quod non eſt verum, tum quia ſubiectū Theologiæ nihil addit extra ſubiectum metaphyſicæ quod eſt ens, nihil enim effugit rationem entis,tum quia non accipit ſua principia a metaphyſ. ad probandas ſuas concluſiones potiſſimas, tum tertio,quia non eſt euidens ſicut metaphyſica.

ar.2 Thomas Caetanus reſp. quod Theologia noſtra eſt ſubalternata,quia cōcluſiones theologales procedunt ex articulis fidei, vt principijs, non in ſe euidentibus, ſed in ſcientia Dei, & beatorum, & hæc eſt conditio eſſentialis ſcientiæ ſubalternatæ.

Petrus Trigoſius reſp. quod Theologia in nobis, nec ſimpliciter, nec propriè eſt ſubalternata Theologiæ Dei, & beatorum; ſed tamen impropriè, & imperfectè, ratione ſcilicet finis, & euidentiæ. q.1. par.1 a.2.

Ludouicus Molina reſp. quod Theologia noſtra non propriè ſubalternatur Theologiæ Dei,& beatorum, quia nihil ex illius principijs demonſtrat de ſubiecto ſuo, ſubalternatur tamen ſubalternatione impropriè dicta. ar.2 diſ.3

Gregorius de Valentia reſp. quod Theologia noſtra non eſt propriè ſubalternata Theologiæ Dei, ſed impropriè propter aliquam ſimilitudinem,quam habet cum ſcientijs ſubalternatis. pūc.3 §.2

Gabriel Vaſquez reſp. quod cum Theologia noſtra non accipiat a Theologia Dei, & beatorum concluſiones, & principia, imo eadem ſint vtriuſque principia, idcirco non eſt ſubalternata ei. diſ.6 c.2.

Reſolutio.

RESpondeo, quod propria, & vera ſubalternatio, ſecundum quod accipitur ab Ariſtotele non poteſt eſſe propriè, niſi inter diſtinctas, & diuerſas ſcientias, quæ diuerſa habeant ſcibilia, & diuerſas concluſiones; ſubalternatio enim dicit relationem, ordinem, & cauſalitatem, quæ non poſſunt eſſe niſi inter diſtincta, & quoniam Theologia noſtra eſt vna, & eadem cum Theologia Dei, & beatorum, quia eſt de eiſdem principijs, & concluſionibus, & de eodem ſubiecto, & non niſi ſubiecto, in quo ſunt, diſtinguuntur, ratione cuius contingit maior, vel minor claritas, certitudo dignitas, & ad plura, vel pauciora extenſio; idcirco Theologia noſtra non ſubalternatur Theologiæ Dei, & beatorum; ſicut Geometria, quæ addiſcitur a diſcipulo,& eſt in eo,nō ſubalternatur Geometriæ, quæ eſt in magiſtro; nec ſimiliter poteſt ſubalternari alteri ſcientiæ humanæ, quia quamuis multa accipiat ab eis, non tamen accipit ea, tanquam principia, ex quibus neceſſariò ſuas deducat concluſiones, ſed in officium, & in miniſterium, quia omnes ſeruiunt ei propter dependentiam ſubiectorum ſuorum, quam habent, ad ſubiectum eius.

Sed ſi multa accipit Theologia a ſcientia naturali, quæ ſunt principia in ea, vt quod ſit vnum primum ens, primum agens, & huiuſmodi? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod hæc, & ſimilia, non ac-

accipit Theologia a ſciētia naturali, ſed præſupponit vt accepta a ſapientia increata; Ita Aegidius. Auctoritate diuina (inquit Durād.) In quantū reuelata (inquit Herueus.) Hæc ſunt cōmunia Theologiæ noſtræ, & ſciētiæ naturali (inquit Henricus) ſed alio modo, & alio nota a Theologia noſtra per reuelationem, a ſcientia naturali per diſcurſum.

QVÆSITVM XX.

An principia Theologiæ ſint articuli fidei?

THomas ab Argentina reſp. quod illa ſunt principia in qualibet ſcientia, quæ in ſe habent, quod ea æſtimantur magis vera, quæ magis conformiter ſe habent ad ipſa, principia enim ſunt quaſi regula, & menſura omnium conſideratorum in ſcientia, & quoniam in Theologia ea tanto veriora reputantur, quanto articulis fidei magis conformantur, ideo articuli fidei ſunt principia eius.

Gerardus reſp. quod articuli fidei ſunt principia in Theologia, vt dignitates & ſuppoſitiones, non vt petitiones; vt dignitates, quia ſunt per ſe intelligibiles ſaltē ab his qui perfectè habent hanc ſcientiam, ſicut ſunt beati, & quia his vtitur theologia regulando, & menſurando totam ſuam conſiderationem; vt ſuppoſitiones quia habent euidentiā ex Theologia Dei, & beatorum, a qua accipiuntur; non vt petitiones, quia articuli fidei non ſunt contrarij addiſcenti Theologiam, ſicut ſunt petitiones addiſcentibus alias ſcientias.

Gregorius Arim. reſp. quod ſacri canonis veritates ſunt principia Theologiæ, quoniam ad ipſas fit vltimata reſolutio theologici diſcurſus, & ſingulæ concluſiones theologicæ ex eis deducuntur. Item Petrus Aliacenſis & Ioannes Maior.

Alphonſus reſp. quod eſt tantū vnum principium Theologiæ, quod intrat quamcumque demonſtrationem ſecundum virtutem, & eſt, quod tota ſcriptura eſt a Deo reuelata; duo vero, quæ intrant demonſtrationes ſecundum ſubſtantiam, ſcilicet, articulus Trinitatis, & articulus Incarnationis; cæterum articuli fidei non ſunt principia, neque Theologiæ declaratiuæ & defenſiuæ eorum, quæ tradit fides, quia nullus habitus ordinatur ad declarationem, & defenſionem ſuorum principiorum; articulorum autem eſt fides; neque etiam Theologiæ deductiuæ concluſionum ex ipſis, quia principia tantum credita non poſſunt eſſe principia ſcientiæ propriè dictæ.

Marſilius reſpondet, quod hæc ſunt principia Theologiæ, Quod Deus eſt, quod Deus ſit ſummè bonus, quod omnis enunciatio a Deo reuelata eſt vera, & huiuſmodi; item omnia, quæ in ſacra ſcriptura ſunt poſita; & omnes articuli fidei, & omnes propoſitiones aſſertiuæ in ſacro canone poſitæ; Hæc itaque omnia ſunt principia Theologiæ defenſiuæ, vel declaratiuæ, vel illatiuæ. q. 2. a. 3.

Michael de Palacio reſp. quod Theologiæ principium primum eſt Deum eſſe reuelatorem vtriuſque teſtamenti, & quicquid in libris canonicis continetur, quatenus reuelatum eſt, quatenus creditum, & quatenus diuino lumine fulget. q. 10.

Franciſcus a Chriſto reſp. quod principia Theologiæ ſunt litterarum diuinarum teſtimonia, ſiue veritates ſacri canonis, quæ beatis ſunt euidentes, nobis tantum creditæ; quorum alia ſunt ſimpliciter prima, vt Deus eſt verax, Omne reuelatum a Deo eſt verum: alia ſunt prima in Theologia duntaxat, vt articuli fidei; & alia ſunt non prima ſimpliciter in Theologia, ſed in ordine ad certam concluſionem, vt articulus reſurrectionis mortuorum. q. 1.

Gregorius de Valentia reſp. quod principia Theologiæ ſunt quædam pronunciata, ſeu principia quædam vera, & certa, vt ſunt in primis aſſertiones fidei, ex quibus colliguntur concluſiones. Hæc autem pronunciata continentur ſeptem quaſi locis, & velut ſedibus Theologicorum argumentorum; ſunt autem huiuſmodi. Auctoritas ſcripturæ ſacræ, ſeu verbum Dei ſcriptum; Traditiones Apoſtolicæ, ſeu verbum Dei non ſcriptum. Auctoritas Summorum Pontificum. Auctoritas Conciliorum Oecumenicorum. Auctoritas conſentiens Doctorum Scholaſticorum. Communis fidelium conſenſus. Veritas naturaliter certa, & euidens, quando ad eam quoque veritas fidei adhibetur ex aliquo horum locorum. p. 1. c. 1.

Reſolutio.

REſpondeo, quod ſcientię Theologię tria ſunt genera principiorum, quædam enim ſunt principia, quæ ingrediuntur demōſtrationē tātum virtualiter, vt hæc, omne reuelatum a Deo eſt verum; ſcriptura ſacra mentiri non poteſt, & huiuſmodi; quædam ſunt, quę ingrediuntur demonſtrationem tantum formaliter, vt hæc, In diuinis omnia ſunt vnum, in quibus non obſtat relationis oppoſitio, Omne quod nobilius eſt, Deo attribuendum eſt, & huiuſmodi; & quædam

ſunt

ſunt quæ ingrediuntur demonſtrationem, & virtualiter, & formaliter vt hæc, Chriſtus eſt Deus, Chriſtus eſt homo, & huiuſmodi. Et hæc principia ſunt articuli fidei, ex quibus deducuntur demonſtratiuè omnes ferè concluſiones, quæ conſtituunt hunc habitum Theologiæ, vt ex veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, cauſiſque earundem concluſionum, & ad ipſos fit reſolutio, vt ad quædam notiſſima, & propria eiuſdem.

Obiectio. Sed ſi Theologia probat aliquando, & defendit articulos fidei? nulla autem ſcientia ordinatur ad defendendum principia ſua?

Reſpondetur, quod etiam metaph. probat & defendit principia ſua, vnde non eſt inconueniens, quod id quoque Theologia faciat, & ſi dicatur quod metaph. eſt ſcientia communis; etiam Theologia, licet non ratione ſubiecti, ratione tamen conſideratorum eſt ſcientia communiſſima. Ita Gerardus, & Argentina, Et Gregorius de Valentia, cum ſit Theologia præſtantior cæteris, nihil prohibet ſua probare principia.

QVÆSITVM XXI.

An poſſit eſſe aliqua probabilitas de articulis fidei?

Inſt. li. 1. GVilelmus Antiſiod. reſp. quod triplici ratione probatur fides, primò, quia rationes naturales in fidelibus augmentant fidem, & confirmant; ſecundò, quia defenditur contra hæreticos; tertiò, quia eſt promotio ſimplicium ad veram fidem.

q. 2. m. 3 a. 4. Alex. reſp. quod articuli fidei poſſunt aliquando probari, tum propter nos, ſcilicet, propter intelligentiam creditæ veritatis, quã ſemper debemus inueſtigare; tũ propter promotionem ſimplicium ad perfectam fidem; tũ tertiò propter vocationem infidelium ad fidẽ.

q. 2. Ioan. Scotus reſp. quod octo ſunt viæ infideles, & hæreticos rationabiliter conuincendi, quæ non ſunt niſi quædam probabilitates articulorum fidei, & omnium credibilium, quibus eorum veritas confirmatur, & ſunt hæ. Prænunciatio prophetica, Scripturarum concordia, Auctoritas ſcribentium, Diligentia recipientium, Rationabilitas contentorũ, Irrationabilitas ſingulorum errorum, Eccleſiæ ſtabilitas, & Miraculorum claritas; Item. Ant. And. Laurent. Opimus.

q. 1. ar. 2. Petrus Aliac. reſp. quod octo modis ſunt probabiles articuli fidei, & Theologiæ veritates; primò per teſtes, ſeu fide dignum hominum teſtimonium; ſecundò, per legem, ſeu authenticum legis ſcriptum; tertiò, per pactum antiquitus factum cum hominibus; quartò, per iuramentum factum Sanctis patribus; quintò, per miracula; ſextò, per diuerſa genera tormentorum Sanctorum; ſeptimò per eum, in cuius ore non eſt inuentum mendacium; octauò, per cõformitatem geſtuũ, & verborũ.

Reſolutio.

RESpondeo, quod quandocunque aliquid proponitur nobis eſſe credendum, non proponitur tantum, vt velimus credere, ſed, vt intelligamus illud, & cognoſcamus eſſe credendum, homines enim rationales ſumus, & in ſingulis actibus noſtris ratione vti debemus, nec ipſe Deus aliquid operatur in nobis, quod non cohæreat aliquo modo naturæ noſtræ; itaque articuli fidei proponuntur nobis credendi, & vt velimus credere, & intelligamus eos, & cognoſcamus eſſe credendos, tum propter auctoritatem eorum, a quibus ab hinc multis ſeculis nobis ſunt propoſiti, de quorum teſtimonio nihil dubitare licet, hos enim a Deo eſſe inſtructos, a quo non poteſt eſſe mendacium, ipſa eorum vitæ ſanctimonia, morum, conſuetudinumq. integritas, doctrinæ excellentia, & tandem tot prodigiorũ, ſignorumque operatio, conteſtantur; tum quia ipſimet articuli ſunt talis credulitatis, quod ſi non inueniant intellectum pertinacem, ſed bene ad veritatem diſpoſitũ, per ſeipſos ipſum mouent ad iudicandum, & concludendum ita eſſe conueniens, vt ſint, ſicut proponuntur, vt quod Deus creauerit cœlum, & terram, quod miſerit filium ſuum in mundum, & huiuſmodi.

Sed ſi fides non habet meritum, (vt dicit D. Greg.) vbi humana ratio habet experimẽtũ? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod quando id quod creditur in ſola humana ratione ſolidatur, tunc fides non habet meritum; ſed quando in auctoritate diuina, etiam ſi concurrat aliqua probabilitas humana, magnum habet meritum. Quando rationi quæ procedit ex principijs cognitis in lumine naturali, homo principaliter innititur, tunc euacuatur meritum fidei; inquit Ricardus.

QVÆSITVM XXII.

An poſſit eſſe ſcientia de articulis fidei.

ALex. reſp. quod articuli fidei poſſunt ratione naturali probari, non quidem per priora cum ſint ſupra omnem humanã rõnem, & intellectũ, ſed per poſteriora. *q. 2. ar. 3 ar.*

D.

D. Thomas reſp. quod ſicut non eſt poſſibile quod aliquid ſit viſum, & creditum, ita non eſt poſſibile quod aliquid ſit ſcitum, & creditum, cum itaque de articulis ſit fides, vnde ſunt crediti, non poteſt eſſe ſcientia, vnde ſint ſciti.

D. Bonau. reſp. quod ſcientia comprehenſionis ſecum non patitur fidem, ſed bene ſcientia, quę eſt a manuductione ratiocinationis; & hoc modo de articulis poteſt eſſe ſciẽtia, quamuis de ipſis habeatur fides.

Durandus reſp. quod quorundam articulorum fidei poteſt eſſe ſcientia, vt quod Deus ſit vnus, ſit bonus, ſit ſapiens; auctoritas enim diuina, & ratio demonſtratiua poſſunt ſimul concurrere ad cauſandum eundem aſſenſum de vno ex his, iſta per medium clarum, & euidens, illa tanquam minus, quorundam vero non poteſt, vt eorum, qui ſecundum communem curſum humanæ cognitionis non ſunt demonſtrabiles, vt quod Deus ſit trinus, quod Verbum ſit homo & Deus; ſi enim poſſent demonſtrari, vel hoc eſſet a priori .ſ. per cauſam, vel a poſteriori .ſ. per effectum, ſed non primo modo, quia articuli fidei non habent cauſam, & ſi habent, vt incarnatio, eſt nobis ignota; nec etiam ſecundo, quia nullus effectus apparens nobis procedit a Deo, niſi ſecundum illud quod eſt vnum, & commune cuilibet perſonæ intrinſecè, ad quod quamplurimi alij articuli non ſpectant.

Thomas ab Argentina reſp. quod ſicut abſtractiua, & intuitiua cognitio reſpectu eiuſdem obiecti creati ſimul ſe compatiuntur in intellectu Angelico; ita fides, & ſcientia, in humano; vnde non eſt inconueniens, quod de articulis fidei, de quibus habetur fides poſſit etiam haberi ſcientia; ſicut ſi quis aſſentiret prius alicui veritati ex auctoritate dicentis, & poſtea eidem aſſentiret efficacia demonſtrantis.

Gerardus reſp. quod fides, & ſcientia ſecũdum ſuas rationes formales opponuntur ad inuicem, & non ſunt incõpoſſibiles in eodem de eodem, non enim obſcuritas compatitur claritatem, & econuerſò; cum itaque de articulis ſit fides, non poteſt eſſe ſcientia.

Eiuſdem ſentẽtiæ eſt Gregorius; ſi enim (inquit) de articulis fidei poſſet eſſe ſcientia; poſſent actu credi, & actu ſciri, & cõſequẽter idẽ eſſet notum, & ignotum, & ſic verificarentur contradictoria de eodẽ, quod inconueniẽs; quod enim quis ſcit eſt ei notum, & quod quis credit eſt ei ignotum.

Alphonſus reſp. quod vbi eſt ſcire, ibi eſt euidentia, ſed vbi fides non eſt euidentia; ergo ſi articulorum fidei eſt fides, non poteſt eſſe ſcientia.

Petrus Aliacen. reſp. quod naturaliter poſſibile eſt viatorẽ de multis veritatibus Theologicis habere notitiam euidentem; nam philoſophi ſequentes rationem naturalem deuenerunt (licet a poſteriori) in notitiam euidentem iſtarum veritatum, Deus eſt, Deus eſt vnus, & huiuſmodi. q. 2.

Reſolutio.

RESPONDEO quod articulorum fidei quidã ſunt ita excedentes captum noſtrum, vt non niſi ſupernaturaliter, ac mediante diuina reuelatione a nobis cognoſci poſſint, quales ſunt, Deus eſt trinus, Deus eſt incarnatus, & huiuſmodi, & de his certum eſt, quod non poteſt haberi ſcientia, quia nec per rationes deductas ex principijs naturaliter notis, quoniã tales rationes tantam celſitudinem attingere nõ poſſunt, nec per rationes deductas ex principijs ſupernaturaliter notis, quia cum ipſimet articuli ſint principia, principiorum demonſtratio eſſe non poteſt. Quidam vero ſunt, qui non ita ſicut illi excedunt captum noſtrũ, quales ſunt, Deus eſt, Deus eſt bonus, Deus eſt intelligens, & huiuſmodi; & de his poteſt haberi ſcientia, non quidem per rationes deductas ex principijs ſupernaturaliter notis, quia ipſimet articuli ſunt principia, ſed per rationes deductas ex principijs naturaliter notis, & non inquantum ſunt principia Theologiæ, quia ſic ſunt indemonſtrabilia; ſed inquantum ſunt quædam propoſitiones ſcibiles pertinentes ad Phyſicum, vel Metaphyſicum, quæ habent alias priores ſe, & notiores ſaltem in inferendo, quæ efficiunt ſcientiam a poſteriori.

Sed ſi commune eſt axioma, quod non eſt tranſcendendum de genere in genus? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod non eſt tranſcendendũ de genere in genus intelligẽdo de genere ſubiecto in ſcientia illius generis, non de genere, ſiue modo procedendi circa illud, ſiue per rationes probabiles, ſiue per rationes demõſtratiuas; ſiue naturaliter notas, ſiue ſupernaturaliter.

QVÆSITVM XXIII.

An modus procedendi in Theologia ſit multiplex?

ALex. reſp. quod Theologia eſt ſcientia ſecundum effectum pietatis ex diuina traditione, talis autem ſcientia debet habere modum multiplicem in procedendo,

do, præceptiuum, & exẽplificatiuum, exhortatiuum, reuelatiuum, & oratiuum.

1.ſit. q 1. a.5. D. Thomas reſp. quod materia Theologiæ multipliciter ſe habet, & ideo eſt multiplex modus procedendi in ea, reuelatiuus, oratiuus, narratiuus, metaphoricus, argumentatiuus, præceptiuus, comminatiuus, promiſſiuus, & exemplificatiuus.

q.7. Ricardus reſp. ſicut D. Thom. quod modus procedendi ex ſacra ſcriptura propter ſui amplitudinẽ eſt multiplex, alicubi enim procedit præcipiendo, alicubi comminando, alicubi promittendo, alicubi exempla inducendo, alicubi veritatem de Deo, & de eius effectibus ſimpliciter narrando, & alicubi etiam arguendo.

Reſolutio.

RESpondeo, quod procedere in aliqua ſciẽtia eſt de vno in aliud tendere, modus ergo procedendi in ſcientia eſt modus acquirendi eam, eam docendi, & in eadem proficiendi, ſic enim acquirendo ſcientiam docẽdo, & proficiendo ſemper tenditur in aliud, & quoniã intellectus noſter non poteſt acquirere theologiam niſi diffiniendo, diuidendo, neque docere eam niſi declarando, exponendo, nec proficere niſi concludendo, idcirco in Theologia eſt multiplex modus procedẽdi.

Obiectio. Sed ſi vnius ſcientiæ eſt vnus modus procedendi in ea, ſicut vnius artis, vnus eſt modus operandi in illa?

Reſpondetur, quod vnius ſcientiæ eſt vnus modus procedendi in ea generalis, quia eiſdem regulis vtitur in ordine ad quodcunque ſubiectum, at ſpecialis eſt multiplex, modus enim procedendi diffiniendo, non eſt modus procedendi diuidendo, vel concludendo, & huiuſmodi.

QVAESITVM XXIV.

An modus procedendi in Theologia ſit ſcientialis?

q.1. m.1 ar.1 ALex. reſp. quod modus ſacræ ſcripturæ non eſt modus artis, vel ſcientiæ ſecundum comprehenſionem humanæ rationis, ſed per diſpoſitionem ſapientiæ diuinæ ad informationem animæ in his, quæ ad ſalutem pertinent.

tr. 1 q 5. Albertus reſp. quod modus procedendi in Theologia eſt ſcientialis, quia eſt argumentatiuus, ſunt enim multa complexa in ea, quæ ſine argumentatione, & deductione vnius ab altero certificari non poſſunt, & contra hæreticos defendi.

D. Thomas reſp. quod Theologia non ſolũ opponentes ſe ſibi, & ſimpliciter ſua principia negantes conuincit reſiſtendo, & contra negantes aliqua, & aliqua concedentes, ex conceſſis probat negata, ſed etiã ex ſuis principijs, quæ ſunt articuli fidei multas deducit concluſiones argumentando, qui modus procedendi eſt ſcientialis. p.p.q. 1.a.8

D. Bonau. reſp. quod cum ſcientia Theologiæ ſit ad fidei promotionem, debet confundere aduerſarios, fouere infirmos, & delectare perfectos, quæ omnia fieri non poſſunt, niſi per ratiocinationem. q.2.

Henricus reſp. quod modus ſcientiæ Theologiæ nõ poteſt eſſe doctrinalis inquiſitiuus, quia eſt de eis principaliter, quæ facultatem naturalis rationis excedunt, ſed eſt authenticus ſententiatiuus procedens ex ſermone ſimplici, & abſoluto. ar.1 q.2.

Reſolutio.

RESpondeo, quod modus ſcientialis procedendi in aliqua ſcientia, eſt modus diffinitiuus, demonſtratiuus, & diuiſiuus, per diffinitionem enim rerum naturam cognoſcimus, per demonſtrationem, quæ ſibi conueniunt oſtendimus, & per diuiſionem fallaciarum argutias, per quas aliquando decipimur, manifeſtamus; cum itaque in Theologia diffinitiones non deſint, quando neque res ipſæ deſunt, neque deſint demonſtrationes, quoniam multa ſunt principia, ex quibus fieri poſſunt, neque deſint diuiſiones, cum ſint quamplurimæ æquiuocationes in ea, quæ non niſi diuiſione, & diſtinctione tolluntur, idcirco modus procedendi in ea, eſt modus ſcientialis.

Sed ſi in Theologia principaliter conſideratur Deus, qui nec diffiniri, nec demonſtrari, nec diuidi poteſt? Obiectio.

Reſpondetur, quod ſi non diuiditur Deus, nec demõſtratur, nec diffinitur in ſe, diuiditur tamen, demonſtratur, & diffinitur in ſuis attributis, in ſuis cõceptibus, & etiam in effectibus ſuis, de quibus omnibus eſt Theologia.

QVÆSITVM XXV.

An aliquis poſſit habere ſcientiam Theologiæ non illuſtratus lumine fidei?

HEruęus reſp. quod ad intelligentiam rerum ſupernaturalium requiritur aliquod medium ſupernaturale, tum ex parte potentiæ, quia potentia non poteſt quod. 1.q. 1p

pro-

proportionari obiecto ſupernaturali, niſi ſupernaturaliter eleuetur; tum verò ex parte obiecti, quia obiectum ſupernaturale, neque per ſe, neque per ſuum effectum immediatè præſentatur intellectui noſtro; vt quod Deus eſt vnus, & trinus; & hoc medium eſt reuelatio, ſeu lumen fidei.

q. 2. a. 3. & 4. Alphonſus reſpondet, quod lumen fidei eſt neceſſarium ad cauſandum aſſenſum veritatibus theologicis, & eſt lumen ſub quo .ſ. aliquid videtur, & eſt habitus inclinans, & cauſans aſſenſum.

q. 1. & 2. a. 3. Ioannes Bacc. reſp. quod licet de potentia abſoluta, & obedientiali intellectus poſſit tendere in quamcunque cognitionem abſque alio lumine ſupernaturali, de facto tamen nõ tendit, & ſic ex parte potentiæ requiritur lumen ſupernaturale; requiritur etiam ex parte obiecti credibilis, quoniam cum tale ſit in potentia credibile, & obſcurum, neceſſariò requirit aliquod agens, quod ipſum reducat ad actum, & illuſtret lumine fidei.

q. 2. col. q. 3. prin. Laur. Opimus reſp. quod ad habendum aſſenſum Theologicę veritatis, ſola libertas viatoris non ſufficit, ſed requiritur lumen ſpeciale claritatis diuinæ.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſicut etiam probàt Ariſtot. in lib. 1. Poſt. propter principia aſſentimus concluſioni, ergo ipſis principijs magis aſſentimus quam concluſioni, quoniã propter quod vnumquodque tale, & illud magis, ſi itaque ipſis principijs non aſſentimus, multo minus aſſentimus concluſioni; certum eſt autem, quod ſcientia non poteſt eſſe ſine aſſenſu; imò eſt ipſe aſſenſus firmus cauſatus per demonſtrationem; Cum itaque principia Theologiæ ſint nobis nota lumine fidei, ſi eis mediante hoc lumine non aſſentimus ſcire theologicas concluſiones non poſſumus, neque ipſum habitum ſcientiæ ex eiſdem formare, niſi fictè, & apparenter, qui ſit habitus cõſequentiarum tantum, ſeu rationalis, non realis.

Sed ſi multi ſunt Theologi, vt hæretici, qui non habens fidem?

Obiectio. Reſpondetur, quod hæretici circa ea, de quibus habent fidem, poſſunt quoque formare ſcientiam; circa ea autem, de quibus non habent fidem, non poſſunt, cum potius dicendi ſint pſeudotheologi, & æquiuocè; non veri, & vniuocè.

QVÆSITVM XXVI.

An ad hoc quid aliquis habeat ſcientiam Theologiæ præter lumen fidei, ſit neceſſarium aliud lumen ſupernaturale.

Henricus reſpondet, quod cum theologia ſit homini neceſſaria de neceſſitate ſalutis, non ſolum eſt neceſſarium eam ſic recipere, vt veritati credibiliũ aſſentiat, & hoc eſt neceſſarium cuilibet, & ſufficit lumen fidei; ſed etiam neceſſarium eſt eam ſic recipere, vt veritati credibilium pijs opitulari, & contra impios defendere poſſit, & hoc neceſſarium maioribus, & ſuperioribus in Eccleſia, & ad hoc non ſolum ſufficit lumen fidei, ſed illuſtratio quædam ſuperior illuſtratione fidei. a. 13. q. 4.

Et infra. Scientia iſta (inquit) non poteſt haberi ſine illuſtratione ſpeciali lumini fidei ſuperaddita. a. 18. q. 3.

Et iterum reſp. quod credibilia vt hæc, Deus eſt. Deus eſt trinus, clarius poſſunt cognoſci quam per fidem, & hoc in clariori lumine, quam ſit lumen fidei, niſi enim clarius, quam per fidem poſſent cognoſci, non habet clariorem notitiam vnus fidelis, quam alter, licet firmiorem iuxta modum magnitudinis fidei, quod falſum eſt. Vnde D. Auguſt. in lib. 14. de Trinit. poſtquam de ſcientia Theologiæ illud dixit. Rerum diuinarum ſcientia, &c. continuò adiunxit. Qua ſcientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipſa fide plurimum; Iſtud autem pollere ſcientia non conſiſtit niſi in cognitionis claritate, quia ipſa ſcientia non eſt, niſi cognitio quædam. Q. 12. q. 2.

Durandus, Ioannes de Neap. Aureolus, Argentina, Gerardus, Alphonſus, & Michael de Pal. vnanimiter reſpondent, quod ad hoc vt aliquis habeat ſcientiam Theologiæ non eſt ei neceſſarium, vt dicit Henricus, hoc lumen, quod vocant lumen medium, mediat enim inter lumen fidei, & lumen gloriæ, cum ſit ſatis, ſufficiensq. lumen fidei, ad quod multa adducunt argumenta contra eum.

Ioann. de Baſſ. reſp. quod non eſt impoſſibile tale lumen ponere, ſicut nec lumen propheticum, quia nulla eſt repugnantia, nec ex parte ſubiecti, nec ex parte agentis, nec ex parte ipſius effectus, nec ex parte ſtatus viæ qua ambulamus per fidem. q. 3.

Dionyſ. Carthuſ. reſp. & ſequitur ſententiam Henrici, arguitq. Durandum, quod ipſius opinionem impugnauerit; & vocat hoc q. 1.

lumen, donum intellectus, quo viri docti certiſſimè, ac ſubtiliſſimè intelligunt ea, quæ ſunt fidei, & nexum, ac ordinem credendorum, & ſupernaturalem rationabilitatem catholicæ veritatis, habentq. fidem cum rationibus credendorum, & purificatæ mentis intelligentia: & illuminatio iſta non datur ſolis, aut omnibus in Theologia ſtudentibus, ſeu æquè ingenioſis, ſed eis, qui in puritate cordis, & charitate magis proficiunt.

Reſolutio.

RESpondeo, quod quamuis non ſit omnino improbabile, quod tale lumen medium inter lumen fidei, & lumen gloriæ, nō cuilibet ſtudioſo in Theologia, ſed eruditis, & magnis doctoribus ſit datū, videmus enim aliquos, vt Origenem, D. Aug. D. Thomam, ita in interpretando, in exponendo, in concludendo, demonſtrando, docendo excellere, vt humanam ſortem quodammodo ſuperare videantur, nihilominus quia hæc omnia ex ſuppoſitis principijs, & fide notis, ipſummet naturale ingenium, quod ineſt iſtis perfectiſſimum, præſtare poteſt, ſicut hoc idem experimur in magnis doctoribus aliarum diſciplinarum, & naturalium facultatum, vt in Platone, & Ariſtotele; idcirco non niſi ſuperfluum hoc lumen, ac proinde non neceſſariò requiri, dicendum eſt, ipſum enim lumen fidei reſpectu credibilium, lumen vero naturale reſpectu ſcibilium, ſufficiunt.

Obiectio. Sed ſi defendenda eſt fides contra errores infidelium, quod non poteſt fieri ſolo lumine fidei; quod eſt cōmune omnibus fidelibus?

Reſpondetur, quod ad defendendam fidem in his, in quibus ſcientificè defendi poteſt, lumen naturale eſt ſufficiens.

QVÆSITVM XXVII.

An Theologia ſit ſcientia nobis neceſſaria?

2 ſēt. q. 1. d. 1. D. Thomas reſp. quod Dei contemplatio eſt finis humanæ vitæ, cum autē nulla ſcientia naturalis ad ipſam pertingat, neceſſaria eſt aliqua ſcientia ſupernaturalis, quæ ipſam in patria perfectè faciat cōſequi, & in via ad eam manuducat, & hæc eſt Theologia.

1 p. q. 1. a. 1. Et iterum reſp quod theologia eſt homini neceſſaria ad ſalutem, cum enim homo debeat ordinare actiones ſuas in Deum, vt in finem, neceſſarium eſt ipſum præcognoſcere, cum autem humanam comprehenſionem excedat, non poteſt ipſum cognoſcere, niſi per ſcientiā hāc ſupernaturalē, quæ eſt Theologia.

Henricus reſp. quod Theologia eſt vtilis, & neceſſaria, vtilis, quia per ipſam homo tendit in finem ſuum; neceſſaria, quia multa ſunt, quæ homo per ſua naturalia attingere non poteſt, requiritur ergo aliqua ſcientia ſupernaturalis, per quam ſupernaturalia poſſit attingere, & hæc eſt Theologia. *a. 8. q. 1. & 2*

Ægidius reſp. quod aliqua ars, ſiue ſcientia tripliciter dicitur neceſſaria; primò, propter indigētiam corporalem, vt ſunt artes mechanicæ; ſecūdò, propter alium finem extrinſecum, vt ſunt ſcientiæ ordinatę ad alias ſcientias; tertiò, ex eo quia in ea determinatur de his, de quibus non determinatur in alia, & hoc modo Theol. eſt neceſſaria. *q. 4. q. 4.*

Ricardus reſp. quod Theologia eſt neceſſaria ad conſequutionem vltimi finis, qui eſt Deus, quem conſequi non poſſumus niſi amemus, nec amare niſi cognoſcamus, non cognitione naturali, quia talis eſt inſufficiens; ergo ſuper naturali, quæ eſt Theologia. Eſt ſimiliter vtilis non ſolum ad generandam maiorem & pleniorem intelligentiam de Deo, quam per alias ſcientias, ſed etiam ad excitandum noſtrum affectum in efficaciorem dilectionem Dei, eſt enim Theologia de his, quæ maximè nos excitant ad amandum ipſum, & colēdum. *q. 1.*

Ioannes Scotus reſp. quod cum homo ſit agens ex cognitione, & propter finem eſt ei neceſſaria diſtincta cognitio ſui finis, & quoniam finis eius eſt beatitudo, idcirco eſt ei neceſſaria diſtincta cognitio eius, & cum ad hoc non ſit ſufficiens cognitio naturalis, neceſſaria eſt ſupernaturalis, quæ eſt Theologia. Item Ant. And. *q. 1.*

Thomas Angl. reſp. quod non poteſt probari ratione naturali, quod aliqua notitia ſupernaturalis ſit nobis neceſſaria, ſed hoc ſolum probari poteſt ſupponendo ex fide ordinem ad finem ſupernaturalem. *d. 1. q. 1.*

Ioann. de Neap. reſp. quod ſi quæſtio intelligitur de neceſſitate immutabilitatis, ſic theologia ex parte obiecti eſt maximè neceſſaria, quia eſt de his, quæ infallibilem continent veritatem; ſed non ex parte ſubiecti, quia intellectus non ſic aſſentit principijs huius ſcientiæ, ſicut principijs ſcientiæ alterius. Si quæſtio intelligitur de neceſſitate vtilitatis, ſic eſt neceſſaria, & quantum ad documenta propria, vt quod Deus eſt trinus; & quantum ad communia, vt quod Deus eſt vnus. *q. 17*

Gerardus reſp. quod multæ ſunt veritates, de quibus non tractant aliæ ſcientiæ, & ideo ad habendum cognitionem earum ne- *q. 1.*

neceſſaria eſt Theologia.

ar.1 q.2. Nicolaus de Nijſe reſp. quod ideo eſt nobis neceſſaria Theologia, quia non poteſt homo naturaliter habere diſtinctam cognitionẽ ſui finis, & eorum, quæ ſunt neceſſaria, & ſufficientia ad conſequendum illum.

q.1. Ioannes à Celaia reſp. quod placere Deo eſt ſummè neceſſarium viatori; eſt autem hoc impoſſibile ſine fide, ergo cum nulla ſcientia humana ducat nos in cognitionem fidei, neceſſaria eſt theologia, quæ eſt per reuelationem diuinam.

li 8 Melchior Canus reſp. quod Theologia Scholaſtica adeo eſt neceſſaria; quod ſine ea nullam omnino perfectam in Eccleſia doctrinam conſequi poſſumus; imò ipſa neglecta, qui ſe theologos eſſe arbitrantur, tum ſe denique erraſſe ſentient, cum eos, aut diſputatio cum hæreticis, aut grauis aliquis, & perplex conſcientiæ caſus experiri coget.

dub.2 Petrus Trigoſ. reſp. quod ſumendo Theologiam pro cognitione concluſionum, quæ eliciuntur ex articulis fidei, & ſcriptura, quæ appellatur theologia ſcholaſtica, eſt neceſſaria (vt inquit Apoſtolus) ad arguendum.

diſp. 1.q. 1 Gregorius de Val. reſp. quod habitus theologiæ conſideratus abſolutè, & ſecundum ſe, omnino eſt ad hominum ſalutem in Eccleſia neceſſarius; ſecundum modum verò, quo vtuntur ſcholaſtici, licet non ſit ad ſalutem hominum neceſſarius, eſt tamen vtiliſſimus, tum quia ex methodo, & forma diſſerendi maior efficitur intelligentia; tum quia per alium modum tractandi huic contrarium magis obſcuratur veritas, quam elucidetur.

diſp. 4. Gabriel Vaſq. reſp. quod vtilitas Theologiæ in duobus maximè apparet, & quod pondere ſuarum rationum verum à falſo ſecernitur, & myſteria fidei noſtræ, & quæ ex his deduci poſſunt facilius addiſcuntur, & memoria retinentur.

q.1. Petrus Paulus Nazar. reſp. quod Theologia ſiue poſitiua, ſiue ſcholaſtica, non eſt ſingulis hominibus ad ſalutem neceſſaria, quia multi ſunt fideles carentes vtraque.

Reſolutio.

RESpondeo, quod neceſſitas alicuius ſciẽtiæ ſumitur a fine, ad quem per ſe, & principaliter eſt ordinata; finis autem ad quẽ per ſe, & principaliter eſt ordinata Theologia eſt cognitio ipſius Dei, non quidem talis, qualis habetur per ſcientias naturales, quia hæc admodum tenuis eſt, & imbecillis, nec ſimiliter qualis habetur per fidem, quia hæc ad pauca intendit, & circa pauca verſatur, ſed quæ ad quamplurima aſpicit, & certiſſimo curſu, circa innumera ſcibilia verſatur. Et quoniam ſine Theologia (non diſtinguendo poſitiuam a ſcholaſtica niſi ſecundũ modum agendi) eſt impoſſibile ſecundum ſtatũ noſtrũ habere talem cognitionem ipſius Dei, cum ſit impoſſibile Deum, & quæ Dei ſunt, ita bene, & abundanter cognoſcere ſine ratione, & diſcurſu, ideo ad talem cognitionem, quæ conſiſtit in manifeſtatione myſteriorum diuinorum, in defenſione fidei, in aſſecuratione verorum dogmatum, & exploſione falſorum, eſt ſimpliciter neceſſaria; ad alios vero fines, qui non ſunt fines ab ipſa per ſe, & principaliter intenti, vt sũt bonę operationes, fælicitas, & huiuſmodi, eſt neceſſaria ſecundum quid, quę neceſſitas coincidit cum vtilitate, & ſic etiam ad multa eſt vtilis theologia.

Obiectio. Sed ſi intellectus noſter naturaliter poteſt cognoſcere omne, quod cadit ſub primo, & adæquato eius obiecto, quod eſt ens?

Reſpondetur, quod ens non eſt obiectum naturaliter attingibile quantum .ſ. ad omnia obiecta, quæ ſub eius communitate continentur; ſed bene quantum ad ea, ad quæ naturaliter intellectus inclinatur. ita Scotus.

QVÆSITVM XXVIII.

An habitus Theologiæ ſit realiter diſtinctus ab habitu fidei?

q.1. PEtrus Aur. reſp. quod Theologia eſt habitus cauſatus ex propoſitionibus probabilibus, ex expoſitionibus terminorum, & deductionibus concluſionum, quem præcedit fides; & ideo non poteſt eſſe fides.

q.4. ar.4 Thomas ab Argent. reſp. quod quamuis Theologia & fides habeant idem obiectum, quod eſt Deus, quia tamen ipſum reſpiciunt ſub rationibus diuerſis, nam fides ipſum reſpicit ſub ratione primæ veritatis, Theologia vero ſub ratione veri diligibilis; ideo ab inuicem realiter diſtinguuntur; Diſtinguuntur item quia fides tendit in ſua conſiderata non reſoluens vnum articulum per alium; Theologia vero reſoluit vnam veritatem per aliam, quia vnam deducit ex alia.

q. 3. ar. 3 Gerardus reſp. quod Theologia addit aliquid ſupra fidem, tollendo .ſ. impedimenta, & contrarias opiniones, iuuando eius certitudinem.

q. 1. a.4. Gregorius reſp. quod Theologia, vt eſt quidam habitus acquiſitus ex adhæſione eorum, quæ in ſcripturis traduntur non eſt niſi fides habitualis acquiſita, & ſic Theologiæ habitus

tus

tus nō diſtinguitur ab habitu fidei.ſ.acquiſitę.

q.7. Guilelm. Rub. reſp. quod habitus Theologiæ, quem acquirit viator per ſtudium, licet non ſit alius in ſignificando ab habitu fidei, cum vtriuſque vnum tantum ſit obiectum, in eſſendo tamen eſt alius, quæ fides tam acquiſita quam infuſa eſt communis, tam ſcientibus quam ignorantibus fidelibus; Theologiæ vero habitus conuenit tantum intelligentibus non ſimplicibus, & ignorantibus; multi enim ſimplices, & ignorantes excedunt aliquando in fide Theologos magnos.

q.3. Alphonſus reſp. quod Theologia vt eſt habitus deductiuus concluſionum Theologicarum ex articulis ſuppoſitis in fide, ac proinde ſcientificus, qualis non eſt fides, realiter diſtinguitur a fide.

q.1. ar.1 par.1 dub1 Petrus Trigoſ. reſp. quod eſt magna differentia inter fidem, & Theologiam, primò, quia fides eſt habitus, quo aſſentimus articulis fidei, Theologia vero eſt facultas, qua deducimus concluſiones neceſſariò ex his. ſecundò, quia fides immediatè innititur auctoritati dicentis, Theologia vero rationibus, & argumentis. tertiò, quia fides ſe habet reſpectu articulorum, ſicut habitus primorum principiorum, Theologia verò eſt ſcientia concluſionum, quartò, quia lumen fidei, vt infuſum a Deo eſt excellentius lumine theologiæ, quod eſt acquiſitum.

diſ.1. q.1. Ludou. Molina reſp. quod ſicut in ſcientijs humanis ex aſſenſibus principiorū generatur aſſenſus, & habitus concluſionum, qui eſt ſpecie diſtinctus ab eis, ita in Theologia ex aſſenſibus articulorum fidei generatur aſſenſus, & habitus concluſionum ſpecie diſtinctus ab habitu fidei articulorum.

q.1. a.1. Petrus Paulus Nazar. reſp. quod ratio cognoſcendi principia eſt lumen diuinæ reuelationis immediatum; ratio vero cognoſcendi concluſiones per diſcurſum acquiſitum, & ſic fides, quæ eſt principiorum diſtinguitur a Theologia, quæ eſt concluſionum.

Reſolutio.

RESpondeo, quod habitus intellectuales diſtinguuntur ab inuicem, vel ſecundū diſtinctionem actuum, ex quibus fiunt, vel ſecundum diſtinctionem mediorum, quibus generantur, vel ſecundum diſtinctionem obiectorum, circa quæ verſantur, ſecundum quod enim hæc diſtinguuntur, vel realiter, vel ſecundum rationem, ita & ipſi habitus diſtinguuntur; cum itaque actus fidei, & actus Theologiæ ſint diſtincti realiter; eſt enim alius actus credere filium Dei eſſe factum hominem, & aliud ſcire Chriſtum duas habere voluntates; ſimiliter aliud ſit medium conſequendi fidem, quod eſt lumen diuinæ reuelationis, & aliud acquirendi, & proficiendi in Theologia, quod eſt lumen naturalis diſcurſus, & etiam alia ſint obiecta fidei, vt Chriſtus Filius Dei eſt conceptus de Spiritu ſancto, eſt natus de Maria Virgine, & huiuſmodi, & alia Theologiæ, vt in Chriſto fuit liberum arbitrium, in Chriſto fuerunt omnes virtutes, & huiuſmodi; propterea dicendum eſt, quod etiam habitus fidei, & Theologiæ ab inuicē realiter diſtinguūtur.

Sed ſi Theologia pro maiori parte ex his concluſionibus conſtat, quæ fide tenentur, & ſunt de fide? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod etſi quamplurimæ ſunt concluſiones, quæ fide tenentur, & ſunt de fide, non tamen ita, quod ſint articuli fidei, ſed quia per neceſſariam conſequentiam, & naturalem diſcurſum deducuntur ex eis, & ex huiuſmodi pro maiori parte, immo tota ferè Theologia conſiſtit.

DISTINCTIO PRIMA.

Veteris, ac nouæ legis continentiam, &c.

QVÆSITVM I.

An fruitio ſit dilectio, an verò delectatio?

D. Thomas reſpondet, quod fruitio eſt nomen, quod deriuatur a fructu, & quoniam fructus eſt illud, quod vltimò expectatur de arbore, & cum quadam ſuauitate percipitur, ita fruitio eſt amor, vel delectatio, quam quis habet, de vltimo expectato quod eſt finis. p. 2. q. 11. a. 1.

D. Bonau. reſp. quod accipiendo frui ſecundum illam diffinitionem. D. Aug. Frui eſt vti cum gaudio ſic dicit motum voluntatis cum delectatione; accipiendo ſecundum illam Frui eſt amore inhærere alicui propter ſe ſic dicit motum cum quietatione: accipiendo vero ſecundum illam, quod ſit Quieſcere in cognitis voluntate propter ſe delectata, ſic ſimul dicit delectationem, & quietem. Item Guil. Varrill. d. 1. q. 4. d. 1.

Et infra. Amor (inquit) eſt quaſi acumen penetrans, & ideo maximè ei conuenit vnire, & per conſequens delectare, & quietare, ideo non eſſentialiter, ſed diſpoſitiuè eſt fruitio. ar. 1

Ægidius reſp. quod tria requiruntur ad fruitionem, delectatio quam importat, cognitio, quia nullus ſine cognitione delectatur q. 1.

Digitized by Google

tur, & quies, quia hæc conſequitur ad delectationem.

q.1. Ricardus reſp. quod frui eſt vltimus actus fruentis, quo quieſcit in re, qua fruitur, quam delectatio immediatè concomitatur, cum ipſa cognitio diſponat ad actum appetitus, qui eſt fruitio.

q.3. Ioann. Scotus. reſp. quod fruitio aliquando ſumitur pro actu tantum, ſicut ſumit eam D. Auguſtinus, quando dicit, quod omnis humana peruerſio eſt fruendis vti velle, & vtendis frui; aliquando pro delectatione tantum, vt quando dicit, quod hoc eſt plenum gaudium noſtrum frui trinitate, & aliquando pro vtroque ſimul, vt quando dicit, quod fruimur cognitis in quibus voluntas ſeipſa delectata cõquieſcit. Ex vſu tamen vocabuli magis ſignificat actum, quam delectationem, nam conſtruitur cum ablatiuo ſignificante obiectum ex vi tranſitionis, qualis conſtructio appropriatur verbis ſignificantibus actum, non paſſionem. Infra autem dicit, quod delectatio eſt paſſio conſequens actum perfectum.

q.3. De mente Scoti eſt (inquit Paulus ſcriptor) quod hoc nomen frui ſignificet tantum diligere, & connotet delectari.

4.ſẽt. Sed reuera (inquit Dom. Soto) Scotus mul-
d.49. tum hic vacillando hæſit, ambigens amor ne,
q.1. an delectatio eſſet fruitio, plura hinc inde D.
ar.4. Auguſtini teſtimonia conferens; tandem decreuit eſſe amorem. Et inde notat, quod vſque ad Scotum nemo legitur amorem exiſtimaſſe fruitionem; vnde mirandum eſt (inquit) quomodo talis opinio vſque adeo irrepſerit, & increbruerit in ſcholis.

d.1. Durandus reſp. quod tria requiruntur ad
q.1. fruitionem; cognitio, delectatio, & quies, quorum primum .ſ. cognitio non pertinet ad eſſentiam fruitionis intrinſecè, ſed antecedit; delectatio ſe habet ad fruitionem ſicut genus ad ſpeciem; quies vero ſicut differentia ſpecifica, vel eam circumloquens; eſt enim fruitio delectatio non quæcumque, ſed delectans appetitum, & non quæ eſt paſſio, ſed actio.

q.3. Thomas Angl. reſp. quod frui importat actum, prout in ipſo eſt aliqua ratio bonitatis vltimæ, & hoc poteſt eſſe tripliciter; nam vel iſta bonitas vltima ſolum eſt ex parte obiecti, & ſic dicitur amor vltimi finis eſſe fruitio; vel ex parte actus, & ſic omnis delectatio poteſt eſſe fruitio, vel ex parte vtriuſque, & ſic delectatio tantum de fine vltimo poteſt dici fruitio, & hoc modo magis propriè accipitur, quam primò, & ſecundò.

q.2. Ioann. de Neap. reſp. quod fruitionis genus eſt delectatio, & non delectatio de his quæ ſunt ad finem, ſed de fine, quia fruitio dicitur a fructu, fructus autem eſt vltimum quod expectatur de arbore.

Petrus Aur. reſp. quod fruitio beatifica nõ c.2.
eſt delectatio, quam beati hauriunt de diuina ar.1
viſione; ſed eſt complacentia, qua delectantur in Deo, quæ non eſt aliud, quam amor beatificus, & per conſequens fruitio dicit vnum ſimplicem actum, videlicet amorem complacentiæ, & delectationis in Deo.

Franciſcus Maro reſp. quod cum delecta- q.2.
tio ſit paſſio, non poteſt eſſe fruitio formaliter delectatio, quia eſt actio, dicente Apoſtolo, Deus dat frui omnibus, quibus eſt bene agere.

Guilel. Occham reſp. quod fruitio non po- q.3.
teſt eſſe delectatio, quia fruitio eſt actus elicitus, non autem delectatio; cum delectatio vt dicit Ariſ. in 6. Eth. ſit ſuperueniẽs operationi.

Adam Godam reſp. quod fruitio beatifica q.4.
creaturæ rationalis eſt formaliter delectatio, tum quia delectatio eſt naturaliter ab omnibus appetibilis, & eligibilis ſi daretur optio etiam ad ipſam fruitionem, tum etiam, quia delectatio eſt actus quietatiuus, actus autem ſummè quietatiuus, eſt fruitio.

Gerardus reſp. quod fruitio delectatio eſt, q.1.
& dilectio, non quidem ſimul & coniunctim a.3
tanquam aliquid aggregatum ex eis, ſed magis diminutim, & diſiunctim, tanquam quodam nomen analogum, quod per prius importat vnum, per poſterius alterum, licet diuerſimodè, nam quantum ad ſuum ſignificatum per prius importat amorem, quam delectationem, quantum ad noſtram innoteſcẽtiam, per prius delectationem, quã amorem.

Gregorius reſp. quod bene aliqua fruitio q.1.
eſt delectatio, quia aliqua delectatio, vt eſt ar.5
actio beatifica eſt amor rei propter ſe, omnis autem amor rei propter ſe eſt fruitio, non tamen omnis fruitio eſt delectatio, nam nullum deſiderium eſt delectatio, & aliquod deſiderium eſt fruitio.

Guilel. Rub. reſp. quod fruitio propriè cũ q.2.
ſit quietatiua, eſt idem quod delectatio, & complacentia; non autem fruitio viæ.

Alphonſus reſp. quod fruitio eſſentialiter q.2.
includit delectationem, & dilectionem tanquam vnum aggregatum ex his; ſed quoniam delectatio eſt actus perfectior voluntatis, cuius ſuprema perfectio eſt fruitio, & ad cuius augmentum & diminutionem augetur, & diminuitur fruitio, & promittitur in præmium, idcirco per prius & principalius importat fruitio delectationem, quam dilectionem, quæ tantum promittitur in meritum; quæ tamen de-

de-

Digitized by Google

delectatio non eſt paſſio, ſed actio.

1. Michael de Bonon. reſp. quod formalis beatitudo hominis (quam cum fruitione confundit) eſt amor voluntatis immediatè terminatus ad eſſentiam, quia actus voluntatis beati, quo Deum diligit vltimatè delectatur in ea.

q. 1. Ioann. Capreolus reſp. quod fruitio potius nominat delectationem, quam dilectionem, vtrumque n. ex æquo nominare non poteſt, cum dilectio, & delectatio differant.

diſ. 1. Stephanus Bruliſ. reſp. quod neque tentio, neque viſio eſt fruitio formaliter, ſed viſio diſpoſitiuè, tentio concomitanter, amor formaliter, & eſſentialiter.

diſt. 1 Michael de Pal. reſp. quod propriè fruitio eſt ipſa delectatio, quæ ex adeptione optati boni rationalibus creaturis accidit.

q. 11 a. 1. Thomas Caetanus reſp. quod ſecundum Thomiſtas fruitio delectationē importat formaliter, amorem verò connotatiuè, & cauſaliter; ſecundum Scotiſtas verò, amorem formaliter; ſed hi abuſiuè loquuntur, illi verò propriè, quia ſecundum nominis proprietatem, & vſum.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod fruitio quamuis dilectionem importet, & delectationem, non enim quis aliqua re fruitur, niſi ipſam amet, ac delectetur, ſeu ſibi complaceat in ea, ſicut inſinuant diffinitiones, quas de fruitione affert D. Auguſtinus, non eſt tamen formaliter, & in recto dilectio, nec delectatio, quoniam aliquis poteſt aliquid diligere, & non frui eo, ſicut auarus, qui diligit diuitias, & tamen non fruitur eis, & ſimiliter aliquis poteſt delectari in aliquo, & tamen non frui, ſicut principes, qui delectantur pace, & tamen non fruuntur ea. Eſt ergo fruitio actus, quo quis percipit cum delectatione bonum illud, quod aptū natum eſt cauſare obiectum, circa quod verſatur, quod quidem patet deducendo in ſingulis, tunc enim aliquis dicitur frui honoribus, diuitijs, amicis, voluptatibus, cum percipit ea bona, quæ cauſare ſolent, honores, diuitiæ, amici, & voluptates.

Obiectio. Sed ſi nulla eſt operatio voluntatis circa obiectum per ſe bonum, & delectabile, præter dilectionem, & delectationem?

Reſpondetur, quod præter dilectionem & delectationem, circa bonum per ſe, & delectabile, nō eſt alia voluntatis ſiue alterius potentiæ operatio, quæ faciat prædicationem formalem in recto; ſed bene quæ eam faciat in obliquo, & hæc eſt fruitio, quæ licet præciſè non ſit dilectio, aut delectatio; concomitatur tamen dilectionem, & delectationem.

QVÆSITVM II.

An fruitio ſit idem, quod beatitudo?

D. Thomas reſp. quod ad beatitudinem duo requiruntur, vnum quod eſt eſſe beatitudinis, aliud quod eſt quaſi per accidens, eius .ſ. delectatio ei adiuncta, cum itaque fruitio delectationem nominet, ſequitur quod non eſt eſſentialiter beatitudo. Et ita ex mente D. Thomæ deducit Capreolus. p. 2. q. 3. a. 4

Robertus Olchot reſp. quod beatitudo excludit omnem indigentiam competentium commodorum; cum autem fruitio tam in via quam in patria ſtet cum multiplici indigentia, & eorum inſufficientia, quæ homo ordinatè natus eſt appetere, vnde & Chriſtus quamuis ſummè frueretur, multorum tamen commodorum habebat indigentiam; idcirco fruitio non poteſt eſſe beatitudo eſſentialiter. diſ. 1 q. 1.

Laurentius Opimus reſp. quod ſicut dicit D. Auguſt. in lib. de doctr. Chr. c. 6. ſumma merces eſt, vt Deo fruamur; ſed ſumma merces eſt actualis beatitudo, ergo fruitio eſſentialiter eſt ipſa beatitudo. d. 12 q. 2. col.

Reſolutio.

Reſpondeo quod ſicut dictum eſt; Fruitio eſt actus, quo, quis percipit cum delectatione bonum illud, quod natum eſt cauſare obiectum, circa quod verſatur. Beatitudo verò, ſicut dicit Boetius eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, & quoniam fruens dum fruitur, non eſt neceſſarium, quod fruatur omni bono, ſicut neceſſarium eſt, quod beatus habeat omne bonum; nam vt dicit D. Auguſtinus. Beatus eſt, qui habet quicquid vult, ideo non eſt idem fruitio, quod beatitudo, ſed diſtinguitur ab ea, tum quia eſt actus, illa vero ſtatus, tum etiam quia illa includit, hæc includitur; beatitudo enim cum includat omne bonum, includit etiam bonum illud, quod fruēs percipit cauſatum ab obiecto, circa quod verſatur; poteſt enim eſſe fruitio reſpectu vnius boni, & non alterius; at beatitudo non poteſt eſſe niſi reſpectu omnis boni competentis tamen ſiue in via, ſiue in patria

Obiectio. Sed ſi omnes beati tam in via, quam in patria fruuntur, & non fruuntur in patria, niſi beati, & in via qui fruuntur dicuntur beati?

Reſpondetur, quod in patria non fruuntur

niſi

niſi beati, quia ibi alij eſſe non poſſunt,& quia fruitio pertinet ad beatitudinem rationem illius boni cauſati ab obiecto fruitionis, quod includitur a beatitudine, non proptetea ſequitur quod ſit beatitudo,& in via,qui fruuntur dicũtur beati quãdocunque apparet, quod fruantur omni bono, quia tunc habent omne bonum, quod ſi aliquid bonum eis deficiat, quamuis dicantur frui,non ſunt tamen dicendi beati.

QVÆSITVM III.

An fruitio ſit actus intellectus, an vero voluntatis.

3 p. tr. 2 q. 7. ALbertus reſp. quod intellectus ſe habet vt nuncians, ad quod mouendum eſt,voluntas vero mouens, & ideo oportet dicere quod ſint vnum in radice, vnde fruitio eſt vtriuſque; ſed prout eſt paſſio, eſt voluntatis;prout vero cõſideratur in operatione, circa quam eſt, eſt intellectus.

d.1. a.12. Et iterum, reſpondet dicens quod frui eſt actus affectus ſequentis actum intellectus ſecundum quod huiuſmodi, qui affectus eſt voluntas, cum enim ſit vis altiſſima animæ in illa, vt in completiuo perficitur gaudium, eius, & quietatur.

d.1. q.1. a.1 D. Thomas reſp quod fruitio ſecundum perfectionem eſt actus voluntatis, ſecundum originem intellectus, nominat enim fælicitatem, quæ in delectatione perficitur,quæ oritur ex viſione obiecti, quod eſt Deus.

1.2. q.11 ar.1 Et iterum reſp. quod fruitio pertinet ad amorem, vel delectationem, quam aliquis habet de vltimo expectato,quod eſt finis & quoniam finis, & bonum eſt obiectum appetitiuæ potentiæ, ideo frui eſt actus appetitiuæ potentiæ.

q.4. D. Bonau. reſp. quod fruitio eſt actus ſolius voluntatis, & ſi aliæ vires animæ aliquo modo concurrunt ad fruitionem, hoc non cõtingit eſſentialiter, ſed tantum diſpoſitiuè. fruimur enim delectabili, vt habet rationem boni, & eo fruimur,quo quietamur; quietamur autem in fine,& finis habet rationem boni, & bonum eſt obiectum voluntatis.

q.1. Ægidius reſp. quod in cognoſcendo eſt motus rerum ad animam, in appetendo vero animæ ad res; & ideo non quietatur intellectus in actu ſuo, ſicut voluntas; cum itaque fruitio quietem importet, non poteſt eſſe niſi actus voluntatis.

Ioannes Scotus, Petrus Aureolus, Robertus Olchot, Nicolaus de Orbellis, Andreas de Nouo caſtro, Anton. Andreas, Ioann. Vigerius, Paulus Scriptor, Franciſcus a Chriſto, Iacobin. Malefoſſ. omnes iſti affirmant fruitionem eſſe voluntatis actum,non tamen quẽlibet, ſed ab ea elicitum. At Dominicus Soto dicit fruitionem eſſe actum elicitum ab intellectu, imperatum a voluntate; præter intentionem tamen D. Thomæ, qui in prima ſecundæ in introductione quæſt. 8. inter actus elicitos a voluntate enumerat ipsã fruitionẽ. 4 ſēt. d 49. q.1. a.4.

a.2. q.1. Ricardus reſp. quod frui, ſumpta ſimilitudine a fructu, eſt vltimus actus ipſius fruentis, quo quieſcit in re, qua fruitur, quam delectatio immediatè concomitatur; cum itaq; actus cognitiuæ potentiæ non ſit vltimus, nec in eo poſſit eſſe quies, nec ipſum immediatè concomitetur delectatio, ſequitur quod frui eſt actus tantum appet. potentiæ, quæ eſt voluntas, non cognitiuæ,quæ eſt intellectus.

q.1. Durandus reſp. quod illius potentiæ actus eſt frui, cuius eſt deſiderium, & delectari; ſed deſiderium, & delectari ſunt actus voluntatis; igitur, & frui.

q 2. Ioann. de Neap. reſp.quod voluntas reſpectu finis triplicem habet actum,volitionem, intentionem, & fruitionem, ſeu delectationẽ; eſt ergo frui actus voluntatis, vt principij a quo, & obiecti, & fruentis.

q.2. Guilelmus Occham reſp. quod etſi fruitio non dicitur actus intellectus, ſed tantum voluntatis, vtpote cuius actus vltimus eſt, & quietatiuus, non tamen per hoc excluditur intellectus, cum intellectus, & voluntas ſint idem, ſed intantum dicitur non eſſe intellectus,quia non eſt intelligere, aut ſcire,aut aliquis alius actus cognitiuus.

q.4. Adam Godam reſp. quod fruitio propriè eſt vltimata delectatio de ſummo bono, delectatio autem propriè non eſt, niſi virtutis appetitiuæ rationalis, vel animalis, & ſic intellectus non delectatur de apprehenſis, ſed apprehenſo conuenienti appetitus concipit deſiderium, vel amorem illius, & ita delectatur.

q 1. ar.2 Thomas ab Arg. reſp. quod ideo ſolius voluntatis actus eſt fruitio, quia ſola voluntas ea eſt, quæ delectatur, vt dicit D. Ambroſ. ipſa eſt, quæ eſt nobiliſſima potentia; per quã etiam mouemur ad terminum, & in eo quieſcimus, & quia eius actus eſt amor; frui autem eſt amore inhærere alicui propter ſe.

diſ.1. Gerardus reſp. quod ſi conſideretur fruitio quantum ad diſpoſitionem, quæ ſibi eſt neceſſariò præuia, eſt actus intellectus, quia talis eſt præuia cognitio, quæ neceſſariò requiritur in fruitione. Si verò ſecundum ſe, ſic eſt

Digitized by Google

actus ſolius voluntatis, non ſola voluntas ea eſt, quæ poteſt inhærere vltimo fini, qui eſt ſummum bonum, quod eſt obiectum ſolius voluntatis.

q. 2. Gregorius reſp. quod fruitio eſt amor, amor autem ſolius eſt voluntatis, quia non niſi voluntatis eſt amare, & ideo fruitio eſt actus ſolius voluntatis.

d. 1. q. 1. d. 3. q. 1. ar. 2 Alphonſus reſp. quod fruitio præciſè, formaliter & ſubiectiuè ſolius eſt voluntatis, non intellectus; non intellectus quoniam nec formaliter, diligere, nec formaliter delectari eſt intellectus, diligere autẽ, & delectari sũt eſſentialia fruitioni; ſolius ergo voluntatis eſt frui, quia ſolius eius eſt amore inhærere alicui, & alio vti, eiuſdem autem potentiæ eſt moueri in finem, & quieſcere in eo.

d. 1. Michael de Bonon. reſp. quod fruitio eſt actus voluntatis, & probat, primò, quia cum ſit ſumma perfectio, oportet quod etiam ſit actus perfectiſſimus, ſecundò, quia actus voluntatis eſt proximior, & immediatior vltimo fini, quam actus intellectus; nam iſte eſt propter actum voluntatis, & non econtra, tertiò, quia finalis præmiatio, vt annuit D. Aug. in Ep. 51. ſtat in actu voluntatis.

q. 1. colli. Laurent. Opimus reſp. quod ex verbis D. Auguſt. Fruimur cognitis, in quibus voluntas delectata conquieſcit, deducitur fruitionẽ præſupponere cognitionem, nec conſiſtere formaliter in cognitione, ſed potius in voluntate.

q. 2. Ioann. de Baſſ. reſp. quod frui eſt actus nobiliſſimus, ad quem ſequitur delectatio, & ideo eſt actus voluntatis, quæ eſt nobiliſſima potentia, & cuius eſt delectari.

ar. 2. p 2. p 3. q. 10 Nicol. de Nijſe reſp. quod fruitio nominat actum quietatiuum, & quoniam quietatio pertinet ad voluntatem, ideo fruitio eſt actus voluntatis.

diſ. 1 Ioann. à Celaia reſp. quod ab actu fruendi homo dicitur vel bonus, vel malus, conſtat autem quod nõ dicitur bonus, vel malus, niſi ab actu voluntatis.

4. ſtn. d 49. Dominicus Soto reſpondet, quod fruitio poteſt duobus modis accipi, vel effectiuè, vel formaliter, effectiuè eſt actus elicitus intellectus, ideſt viſio Dei clara quatenus eſt imperata, & volita a voluntate, formaliter vero eſt motus paſſiuus voluntatis .ſ. receptio gaudij, & delectationis in ipſa voluntate, frui enim eſt voluptatem capere, & gaudium, & voluntas eſt primum mouens, quod mouet omnes potentias ad conſequendum ſuos fines, atque illos, mediantibus potentijs, adipiſcitur, & illis adeptis conquieſcit, & capit delectationem, & hæc captatio voluptatis eſt formaliter fruitio.

Archangelus Rubeus reſpondet, quod fruitio completiuè, ſeu perfectiuè eſt voluntatis, tantum, diſpoſitiuè vero etiã intellectus. d. 1.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut natura intellectualis non habet tantum potentiam intelligendi, ſeu videndi, quæ eſt intellectus, & potentiam volendi, ſeu diligendi, quæ eſt voluntas, quarum actus ſunt intelligere, & velle, videre, & diligere; ſed etiam potentiam exequendi, cuius actus eſt exequi, quod intelligit & vult, circa illud quod diligit, & videt, vt verbi gratia Angelus motor non ſolum intelligit orbem mouere, ſed etiam ipſum mouet, & non niſi per potentiam mouendi, quæ eſt in eo, & fortaſſe non in alijs, quamuis in alijs ſit intellectus, & voluntas. Et huiuſmodi potentia poteſt dici executiua, & eius actus eſt exequi, quod per intellectum intelligitur, & per voluntatem diligitur. Et ſicut talis potentia non eſt intellectus, aut volũtas, quia poteſt eſſe quod aliquis Angelus non intelligat mouere, & velit, & tamen poſſit, ita eius actus non eſt actus intellectus, aut voluntatis. Sic itaque dicendum eſt de fruitione, quod non eſt actus, neque intellectus, neque voluntatis, cum neque intellectio ſit, neque volitio; ſed eſt actus alterius potentiæ exequutiuæ .ſ. dum ipſa natura intelligens, & videns obiectum fruibile, ipſumque volens, & diligens fruitur eo, operando circa ipſum in percipiendo bonum, quod ipſum idem aptum natum eſt cauſare.

Sed ſi potentia exequutiua non eſt capax dilectionis, & delectationis, ſicut intellectus, & voluntas? Obiectio.

Reſpondetur, quod hæc potentia exequutiua non eſt capax ſubiectiuè, & per ſe dilectionis, & delectationis; ſed præſuppoſitiuè, & per aliud, præſupponit enim dilectionem, & delectationem in anima tanquam in ſubiecto per ſe.

QVÆSITVM IV.

An ſolo Deo ſit fruendum?

ALbertus reſp. quod ſi fruitio accipitur ſimpliciter, vt dicit ſummam delectationem circa nobiliſſimam operationem intellectus, quæ ſummi boni immediatè apprehenſio eſt, non niſi ſummo bono, quod eſt Deus, fruendum eſt; ſi vero commu- q. 9.

d by Goog

muniter, vt dicit vſum cum gaudio etiam alijs a Deo contingit frui.

d. 1. q. 2. ar. 1 D. Thomas reſp. quod frui aliquo tripliciter contingit, vel vt inſtrumento fruitionis, vel vt habitu eliciente actum fruitionis, vel vt obiecto; primo modo fruimur potentia, cuius fruitio eſt actus; ſecundo modo beatitudine, tertio vero ſolo Deo; eſt enim omnium finis, & quicquid diligitur, in ordine ad ipſum diligitur.

q. 1. & 6 D. Bonauent. reſp. quod frui poteſt ſumi dupliciter, propriè, vt dicit motum cum delectatione, & quietatione, & ſic ſolo Deo fruẽdum eſt, quia ipſe ſolus poteſt quietare appetitum noſtrum; quia ipſe ſolus eſt per ſe amandus; & communiter, vt dicit motum cum delectatione tantum, & ſic aliud etiam a Deo poteſt eſſe obiectum fruitionis noſtræ.

q. 4. Aegidius reſp. quod intantum aliquo fruimur inquantum eſt bonum diligibile; eſt autem huiuſmodi bonum quadruplex. Quod eſt diligibile per accidens, vt potio amara; Quod habet ex ſe vnde diligatur, vt potio dulcis; Quo formaliter boni ſumus, vt virtus, & Quod eſt cauſa omnis bonitatis, vt Deus; Hæc autem bona per ordinem ſe includunt, ſecundum includit primum, tertium primum, & ſecundum, quartum, quod eſt Deus, primum, ſecundum, & tertium, & ſic in eo eſt ratio omnis diligibilitatis, & quietationis, & propterea ſolo eo eſt fruendum.

q. 3. Ricardus reſp. quod loquendo non de fruitione imperfecta, quia etiam bruta dicuntur frui cibo, ſed de fruitione ſecundum rationem perfectam, ſolo Deo fruendum eſt, quia cum ſit ens nobiliſſimum, quod per voluntatem attingi poteſt, in ipſo ſolo eſt vltimate quieſcendum.

q. 1 Ioannes Scotus reſp. quod ordinatæ fruitionis, quæ fruitio ordinatur ſecundum debitas circunſtantias, obiectũ eſt ſolus Deus; quia ei ſoli tanquam vltimo fini, & primo bono, propter ſe adhærendum eſt; Fruitionis autem inordinatæ, ſiue in communi, quæ .ſ. abſtrahit a circunſtantijs, etiam obiectũ eſt vltimus finis, qui licet non ſit huiuſmodi ex natura rei, eſt tamen apparens, vel quia ſic oſtenditur a natura errante, vel quia voluntas ex ſua libertate vult illud, tanquam finem vltimum.

q. 2. Durandus reſp. quod duplex eſt obiectum fruitionis noſtræ immediatum, & remotum, remotum eſt Deus, immediatum eſt viſio Dei; quod multipliciter probat; primò, quia obiectum immediatum fruitionis noſtræ eſt bonum, quod nobis volumus; cum enim fruitio ſit actus amoris cõcupiſcentiæ, obiectum amoris concupiſcentiæ eſt bonum, quod nobis volumus; Deus autem, vt res diſtincta a fruente non poteſt eſſe bonum, quod nobis volumus, ſed bene viſio eius, quæ ſubiecto non eſt diſtincta a fruente; ſecundò, quia cum idem ſit obiectum deſiderij præcedentis, & delectationis ſequentis; immediatum obiectum deſiderij cum ſit aliquod futurum, non poteſt eſſe Deus, ſed viſio Dei; tertiò, ſumma triſtitia, quam habent damnati non eſt de Deo, ſed de carentia viſionis, ergo a ſimili ſumma delectatio non eſt de ſummo bono, ſed de viſione ſummi boni; quartò, quia ſicut dicit Ariſt. 10. Ethic. delectationes diſtinguuntur ſecundum operationes, quas conſequuntur; quintò, quia Deus, ſicut & quælibet alia res diſtincta ab homine non poteſt eſſe proprium bonum ipſius, niſi per denominationem extrinſecã ratione operationis, per quam attingitur.

Ioann. de Neap. reſp. quod fruitio poteſt eſſe de aliquo dupliciter, vno modo, vt de vltimo fine ſimpliciter, & ſic non niſi ſolo Deo fruendum eſt, alio modo, vt de vltimo fine non ſimpliciter, ſed in genere, ſiue fine, vt quo, & ſic etiam de viſione Dei poteſt eſſe fruitio. q. 2.

Franciſcus Maro reſp. quod voluntas non poteſt quietari niſi in ſolo Deo; ipſe enim ſolus habet perfectiſſimè rationẽ entis, ipſe ſolus continet omnia bona, ipſe eſt, quo nihil maius excogitari poteſt, & ipſe eſt, ad quem omnia alia bona ordinem habent; ex quo ſolus ipſe eſt obiectum fruitionis noſtræ. q. 1.

Guilel. Occham reſp. quod loquendo de fruitione patriæ obiectum talis fruitionis eſt ipſemet Deus, tum quia, cum talis fruitio ſit amor perfectiſſimus, eſt amor amicitiæ, non concupiſcentiæ, amor autem huiuſmodi terminatur ad Deum in ſe, tum quia eſt actus nobiliſſimus, talis autem actus debet habere nobiliſſimum obiectum, quod non eſt niſi Deus in ſe, tum tertiò, quia correſpondet charitati viæ, charitatis autem viæ obiectum eſt Deus in ſe; loquendo vero de fruitione viæ, fruitionis ordinatæ ſimiliter obiectũ eſt Deus; inordinatæ vero poteſt eſſe aliquid aliud a Deo, quia poteſt voluntas ex ſua libertate ſummè diligere quodcumque ſibi oblatum, etiamſi nõ ſit ſummè diligendum, & ita frui eo. q. 4.

Adam Godam reſp. quod frui ſumi poteſt dupliciter, vno modo pro amore abſoluto, quo aliquid amatur ſecundum ſe, ſine hoc, quod amor illud referat ad aliud magis amatum, & ſic etiam virtutibus fruendum eſt: alio modo pro amore non ſolum non referente dile- q. 11.

ctum ad aliud, ſed etiam accipiente illud pro fine vltimo, & repugnante naturaliter amori relato, & ipſius ad aliud, ſicut ad finem magis propriè acceptum, & ſic ſolo Deo eſt fruendum.

q. 1. Thomas ab Argentina reſp. quod quia non niſi in ſolo Deo voluntas noſtra quietari poteſt, quocumque enim bono cognito, vel cogitato a Deo, ſemper maius cogitare poteſt; idcirco non niſi ſolo Deo eſt fruendum.

q. 2. Gerardus reſp. quod voluntas noſtra fruitur fruitione ſua tanquam actu aliquo formali, viſione tanquam diſpoſitione præuia, Deo vero tanquam, vt obiecto.

q. 3. Gregorius reſp. quod loquẽdo non de fruitione communiter ſumpta, quę etiam ad inordinatam ſe extendit, & qua etiam peccatores fruuntur ſeipſis; ſed de ordinata, qua fruimur eo, quo fruendum eſt debitis circumſtantijs, ſolo Deo eſt fruendum; quia, vt dicit D. Auguſtinus, omnibus alijs a Deo eſt vtendum.

q. 2. Guilel. Rub. reſp. quod cum actus fruendi ſit amor alicuius propter ſe, conſequenter illud ſolum eſt huius actus, vt virtuoſi, debitũ obiectum, quod propter ſe tantummodo eſt diligendum; quod eſt Deus.

q. 5. Alphonſus reſp. quod ideo voluntas noſtra non poteſt in alio quietari citra Deum, quia cum huiuſmodi ſit creatura, non poteſt eſſe certa de continuatione, & perpetuitate ſui actus, cum non ſit certa de continuatione, & perpetuitate creaturæ; quilibet autem fruens fruitione beatifica, vt dicit D. Auguſtinus, eſt certus de continuatione ſui actus.

q. 1. Ioann. Bacc. reſp. quod duplex eſt fruitio eſſentialis, & accidentalis, eſſentialis conſiſtit in actu recto, qui eſt reſpectu diuinæ eſſentiæ, vt habet rationem cauſæ finalis. Accidentalis, quæ eſt reſpectu creaturæ, poteſt conſiſtere in actu reflexo.

q. 2. a. 2. Petrus Aliacen. reſp. quod nihil aliud a Deo eſt, aut eſſe poteſt ſaltem ſecundum legẽ ſtatutam pro nunc ordinatæ fruitionis obiectum, quia omnis dilectio, qua aliquid aliud a Deo diligeretur ſuper omnia, ſiue tamquam vltimus finis, eſſet inordinata, & culpabilis ſecundum ſtatutam legem.

q. 4. Marſilius reſp. quod fruitione inordinata poteſt quis frui etiam creatura, vt peccatores; ſed ordinata ſolo Deo; quia ſolus Deus eſt bonum hominis, non referendo in aliud.

q. 1. Ioann. de Baſſ. reſp. quod eſt quædam fruitio ordinata, & recta, & huiuſmodi obiectum eſt ſolus Deus, cum ſit finis vltimus, & bonum ſupremum, in quo eminenter eſt ratio omnis boni, & formaliter carentia omnis mali, eſt etiam quædam fruitio inordinata, & huius obiectum poteſt eſſe aliquid citra primum, & ſummum bonum. Eſt tertiò quædam fruitio quaſi neutra, & communis ad iſtas, & huius obiectum adæquatum poteſt poni finis abſolutè loquendo, vel bonum, quod dicit aliquid commune ad finem ſimpliciter primum qualis eſt Deus, ex natura rei, & ad finem apparentem tantum, qui præſentatur voluntati a ratione errante.

Lauren. Opimus reſp. quod voluntas creata non quietatur niſi in bono, quod ipſam totaliter adæquat, quod non eſt, niſi bonum incommutabile, quod eſt Deus, poteſt enim ſuper alia bona ſemper aliud appetere. q. 1.

Stephanus Bruliſ. reſp. quod fruitione ordinata ſolo Deo eſt fruendum, quia ipſe ſolus finit, quietat, terminat, & ſatiat animam, & voluntatem noſtram. a. 1.

Nicol. de Nijſe reſp. quod obiectũ potentiæ fruentis vt dicit Auic. 2. meth. eſt ens in communi, & ideo volũtas nõ poteſt quietari, niſi in bono perfectiſſimo, & ſummo ente, quod omnia alia eminenter contineat, quod eſt Deus. q. 1.

Ioann. Maior reſp quod ſolo Deo fruendũ eſt, quia ipſe ſolus eſt ſummum ens, & rector vniuerſi, ſummo autem enti debetur ſummus amor, qualis eſt fruitiò, fruitio enim eſt eccellentiſſimus amor a nobis emanans. q. 1.

Franciſ. a Chriſto reſp. quod immediatum obiectũ fruitionis noſtræ eſt ſolus Deus, quia ipſe ſolus eſt propter ſe diligibilis, & ad nihil aliud referibilis. q. 4.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut dictum eſt tunc aliquis dicitur frui, quando percipit cum delectatione bonum, quod aptum natum eſt cauſare obiectum illud, circa quod verſatur, & quamuis ſit aliud bonum quod cauſatur, & aliud obiectum illud cauſans, ſicut tamen in vna, & eadem diffinitione includuntur, ita vna, & eadem eſt vtriuſque fruitio, boni .ſ. & obiecti, propterea idem eſt dicere quis fruitur obiecto, vt vinea, quod dicere, quis fruitur bono cauſato ab obiecto, vt fructu vineæ; Si ergo in præſenti quæſito fiat comparatio inter obiectum, & bonum cauſatum a Deo, vt obiecto, non differt dicere, quis fruitur Deo, & viſione Dei, hoc eſt enim bonum .ſ. viſio Dei, quod cauſat Deus, vt fruitionis obiectum. Si autem comparatio fiat inter obiectum, & obiectum, vt inter Deum, & aliquid aliud, quod non poteſt eſſe niſi creatum, ſic dicendum eſt quod nullo creato fruendum eſt fruitione perfecta, quia cauſare tale bonum in nobis, quod

ſit

ſit perfectum, & completum, & verè ſatiatiuum appetitus noſtri, nullum creatum poteſt, è contra tamen quia ſolus Deus poteſt cauſare in nobis tale bonum, ſiue in via, ſiue in patria, quod ſit perfectum, & completum, & verè ſatiatiuum appetitus noſtri, ideo ſolo Deo, vt obiecto, fruitione perfecta fruẽdũ eſt.

Obiectio. Sed ſi capacitas animæ noſtræ finita eſt; appetitus ſimiliter finitus, & adæquatus ei; Deus verò infinitus, & inadæquatus?

Reſpõdetur, quod capacitas animæ noſtræ cum finita ſit, appetitus quoque finitus, ſatiari quidem non poteſt formaliter, ſeu informatiuè niſi ab obiecto finito, & ſibi adæquato, obiectiuè tamen, ſiue in ratione obiecti non poteſt ſatiari niſi ab obiecto infinito. finitè tamen, inquit Bonauentura. Ita reſp. Ricardus, Durandus, Maro, Adam, Argent. Bruliſer, & Ioan. de Baſſolis:

QVÆSITVM V.

An aliqua creatura poſſit clarè videre Deum, & non frui eo?

4.ſēt. d 48. q.1. ar.3 D. Thomas reſp. quod illud quod eſt delectabile, per participationem bonitatis, quæ eſt ratio delectabilitatis poteſt apprehenſum non delectare, quia poteſt habere aliquod admixtum, vnde nõ ſit delectabile, ſed illud quod eſt per eſſentiam ſuã bonitas, impoſſibile eſt quod eius eſſentia apprehenſa non delectet; cum itaque Deus ſit eſſentialiter ipſa bonitas, fieri non poteſt, vt aliqua creatura clarè videat eum, & non delectetur, ſeu fruatur eo. Item Franciſcus a Chriſto.

Q.3 q.6. Ægidius reſp. quod fieri non poteſt, vt aliqua creatura clare videat Deum, & non diligat eum, ſeu fruatur eo; tum ex parte ipſius Dei, quia ſic non poteſt apprehendi, niſi ſub ratione boni, omnes autem neceſſariò diligunt bonum: tum ex parte modi videndi eũ, qui eſt, vt intimè feratur in ipſum, ex quo ſit delectatio, quæ transmutari non poteſt, quia viſio nulli eſt transmutationi ſubiecta; tum etiam ex parte ipſius videntis, quia videns Deum per eſſentiam videt, quod bonum eius magis eſt in Deo, quam in ſeipſo, ſicut autem nullus poteſt non diligere ſeipſum, ita nullus videns Deum poteſt non diligere eũ. Item Gerardus Sen.

q.4. Ioannes Scotus reſp. & probat, quod poteſt aliqua creatura videre Deum clarè, & tamen quantum eſt ex parte ſua non frui eo. primò. Neceſſitas agendi non poteſt contrahi, niſi per aliquod intrinſecum principio actiuo, per hoc autem, quod intellectus nunc videt obiectum, nihil nouum eſt intrinſecum principio actiuo in fruitione, ergo nec noua neceſſitas agendi: ſecundò. Diuerſa approximatio paſſi ad agens, non cauſat neceſſitatem; ſed diuerſa præſentia obiecti cogniti, vt puta viſi, & non viſi, eſt quædam approximatio diuerſa eius ad voluntatem, circa quod debet eſſe actus voluntatis; ergo iſtud non diuerſificat neceſſitatem; tertiò. Viſio, & fruitio ſunt duæ naturæ abſolutæ, ergo ſine contradictione viſio, quæ eſt prior naturaliter poteſt eſſe ſine fruitione, quę eſt poſterior.

Thomas Anglicus reſp. quod ſi finis apprehendatur ſiue in vniuerſali, ſiue in particulari clarè, vel obſcurè, neceſſe eſt voluntatem frui eo, quantum eſt ex parte voluntatis; Deus tamen poteſt de potentia abſoluta ſuſpendere actum fruitionis, & ſic de potentia abſoluta Dei poteſt voluntas non frui eo. q.4.

Ioann. de Neap. reſp, quod Deus de ſua potentia abſoluta poteſt facere, quod videns Deum nullum actum voluntatis habeat erga eum; nam Deus poteſt omnem cauſam creatam etiam perfectè diſpoſitam impedire ab actu ſuo, quia poteſt non influere in cauſam ſecundam, quæ non agit niſi influentia primæ, & facere rem actualem ſine eo, quod nõ eſt de eius ratione, quia non implicat; eſt autem fruitio extra rationem viſionis, & ſic poteſt facere viſionem ſine fruitione. q.7.

Petrus Aureol. reſp. quod voluntas cum in nullo magis poſſit complacere, quam in Deo immutabiliter eliciat actum complacẽtiæ circa eum in patria clare viſum, a quo ratione ſuæ infinitæ bonitatis, & ſummæ veritatis reſilire non poteſt. d.12 q.1.

Franciſ. Maro. reſp. quod vt ſaluetur certitudo beatorum, & obſtinatio dæmonum, neceſſe eſt dicere, quod Deus eſt cauſa totalis beatitudinis, & ideo non eſt in poteſtate voluntatis ſupernaturaliter eleuatæ, eo clarè viſo non frui, quia voluntas ſic tantummodo paſſiuè, & receptiuè ſe habet, non eſt autem in poteſtate patientis pati. q.8.

Guilel. Occham reſp. quod Deus, ſiue ſuſpendat actiuitatem voluntatis reſpectu voliti etiam clare viſi, ſiue non, ſed relinquat eã naturæ ſuæ poteſt non eſſe obiectum volitum, quia voluntas eſt potentia libera, & obliquabilis, & poteſt nolle quicquid intellectus poteſt dictare ei eſſe nolendum. d.1. q.2. 4.ſēt. q.14.

Thomas ab Argent. reſp. quod nulla creatura nec per ſe, nec per accidens poteſt clarè videre Deum, & non frui eo; non per ſe, quia q.2. & 3.

Deus

Deus ſic clarè viſus ſufficienter mouet voluntatem quantum ad ſe totam, & quamlibet rationem ſui tali motione, quæ eſt conuenientiſſima ei, vnde ab eo reſilire non poteſt; non per accidens, quia non ſubeſt aliqua cauſa, quare ipſa creatura auertat intellectum ſuum ab actuali conſideratione eius, tanquam vltimi finis, de potentia tamen Dei abſoluta fieri poteſt, vt aliqua creatura clarè videat Deũ, & tamen non diligat, neque fruatur eo; ſicut contingit in dæmonibus, in quibus naturalia remanſerunt integra.

q. 5. Guilel. Rub. reſp. quod eſt quidem in poteſtate viatoris frui, & non frui Deo, ſed non in poteſtate comprehenſoris, cuius fruitio, nec poteſt fieri, nec deſtrui, niſi a ſolo Deo, cum autem fruitio beatifica conſiſtat in clara viſione ipſius Dei, ſequitur quod aliqua creatura clarè videns Deum non poſſit nõ frui eo.

q. 6. Alphonſus reſp. quod voluntas reſpectu fruitionis beatificæ non eſt libera, nam talis fruitio, non minus quam gratia eſt totaliter effectiuè a Deo, ipſe enim ſolus beatificat, cuius virtus cum ſit infinita a nullo poteſt impediri; ſicut nec eſt in ſua poteſtate non eſſe beata, cum ſit in bono confirmata, de potentia tamen Dei abſoluta fieri poteſt, quod creatura intuitiuè videat ipſum, & nullum actum dilectionis, & delectationis habeat circa ipſum, quia non implicat.

Det. Robertus Olchot reſp. quod talis viſio po-
q. 9. teſt communicari creaturæ rationali, ita quod etiam ipſa manente, voluntas ex ſua libertate poſſit non diligere Deum ipſum viſum; cum non ſit neceſſe, vt cognoſcat omnem veritatẽ & conſequenter aliquid ignorare poſſit, ac proinde ſuſpendere actum ſuum donec reueletur ei a Deo quid velit, velit ne diligat, an non diligat, vel inuitè diligat. Poteſt etiam talis viſio communicari, quod neceſſario diligat, & fruatur: eſt enim poſſibile, quod aliquod obiectum ſub tanta intenſione boni repreſentetur voluntati, quod voluntas non poſſit illud reſpuere, alioquin voluntas eſſet infinitæ virtutis in reſpuendo quodcumque bonum. Et poteſt eſſe quod Deus ſic ſe præſentet voluntati, quod nullam cauſam videat, propter quam illum nolit diligere.

q. 2. Michael de Bonon. reſpondet, quod ſummum bonum clarè cognitum reſpectu voluntatis eſt obiectum adæquans totam capacitatem eius, & ipſam etiam excedens, ſicque replet, & mouet eam, quod non poteſt reſilire ab eo: Aliqua bonitas (inquit) alicuius obiecti clarè oſtenſi voluntati aliqualiter ipſam alijcit ad ipſum volendum, & diligendum, ac maior bonitas, magis alijcit, ergo & infinita ad ipſum diligendum infinitè alijcit, & ſic impoſſibilem reddit ad reſiliendũ. Et hac ratione vtitur etiam Aureolus, & Alphonſus.

Ioannes Capreolus reſp. quod voluntas vi- q. 8.
dentis Deum neceſſariò mouetur a Deo non ſolum, quoad ſpecificationem actus, cum nõ poſſit eum odire, aut nolle, vel reſpuere; ſed etiam quo ad exercitium, cum non ſit in poteſtate voluntatis viſa diuina eſſentia, omnem actum circa eam ſuſpendere, vel intellectum ab eius conſideratione auertere.

Ioannes de Baſſ. reſp. quod quæſtio eſt du- q. 3.
bia, nec magis pro vna parte, quam pro alia poſſunt adduci rationes nobis demonſtrabiles; eſt tamen verum, quod Deus abſolutè loquendo poteſt facere viſionem ſui ſine fruitione, quia hoc non implicat.

Laurent. Opimus reſp. quod nulla creatu- q. 2.
ra poteſt clarè videre Deum, & non frui eo, quia talis fruitio eſt beatifica, quæ non eſt in poteſtate voluntatis creatæ, cum enim beatitudo ſit a ſolo Deo, ſicut impoſſibile eſt creaturam facere ſe beatam, ita impoſſibile eſt facere ſe non beatam; & quia nulla potentia per ſuam propriam virtutem, & efficaciam poteſt in oppoſitum eius, in quod immutabiliter, & neceſſariò fertur, omnes autem volunt immutabiliter beatitudinem, quæ conſiſtit in Deo clarè viſo.

Nicolaus de Nijſe reſp. quod ſi actus frui- tr. 2
tionis beatificæ cauſatur totaliter a Deo non p. 2.
eſt in poteſtate voluntatis non frui vltimo ſi- p. 3.
ne clarè viſo; ſi verò cauſatur totaliter, aut q. 10.
partialiter a voluntate creata, ipſa non neceſſariò fruitur.

Reſolutio.

RESpondeo, quod quamuis Deus ſit obiectum per ſe delectabile, ac mediante clara viſione ſufficienter approximetur creaturę, quia tamen eſt obiectum voluntarium aptum natum cauſare delectationem ſecũdum ſuum beneplacitum; idcirco ſicut in aliqua creatura cauſat maiorem delectationem clara viſione ſui, in alia vero minorem, ita in aliqua alia poteſt nullam cauſare, & conſequenter illa creatura etiam ſi clare videat eum, poſſibile eſt tamen, quod non fruatur eo.

Sed ſi (vt inquit Magiſter in 4. ſentent. Obie-
diſ. 48.) diuinitas ſine gaudio videri non ctio.
poteſt?

Reſpondetur quod diuinitas ſine gaudio videri non poteſt, inquantum Deus ordinauit quod homo diuinitatem non videat, niſi gaudeat,

deat, vnde de potentia Dei ordinaria intelligitur, non abſoluta. Ita Olchot.

QVÆSITVM VI.

An aliqua creatura poſſit clare videre Deum, & ipſum odio habere, reſpuere, ac triſtari eo?

cõt g. c 62. D. Thomas reſp quod ſicut nihil appetitur, niſi ſub ratione boni, ita nihil fugitur niſi ſub ratione mali, cum itaque in fruitione diuinæ viſionis non poſsit eſſe aliquid malum cum ſit viſio optimi, neque etiam poteſt eſſe quod ab eo, qui fruitur illa viſione, æſtimetur in ea eſſe aliquid malum, vel aliquid ea melius, quia viſio ſummæ veritatis omnem falſam æſtimationem excludit; ergo fruens Deo ipſum reſpuere non poteſt. Itẽ. Franciſcus a Chriſto.

q.7. Ioann. de Neap. reſp. quod creatura clarè videns Deum, nec peccare poteſt, vt dicit D. Auguſtinus, nec miſeriam velle, & per conſequens nec tantum bonum reſpuere, nec etiam Deus poteſt facere, quod talis creatura clarè videns eum, habeat eum odio, quia non poteſt facere, quod illum apprehendat, vt malum: nec quod ipſum minus diligat, quia non poteſt facere quod ipſum apprehendat, vt minus bonum.

d.1. c.3. Petrus Aureol. reſp. quod voluntas beata adeo confirmata eſt, quod peccare non poteſt, nec omittendo dilectionem Dei, nec committendo aliquid oppoſitum ei.

q.7. Alphonſus reſp. quod neque per poteſtatẽ creaturæ, neque per potentiam Dei, fieri poteſt, quod creatura rationalis intuitiuè videat Deum, & ipſum odio habeat, vel eo triſtetur; non per poteſtatem creaturæ, quia voluntas non poteſt odire aliquid, niſi in illo ſit, vel ſaltem æſtimetur eſſe aliquis defectus boni, vel aliqua ratio mali, neque poteſt odire ſeipſam eſſe, vnde neque Deum clare viſum a quo cognoſcit ſe eſſe; non per potentiam Dei, quia Deus non poteſt facere quod non poteſt velle, non poteſt autem velle malum, ergo nec quod creatura odiat eum.

q.9. Robertus Olchot reſp. quod Deus clarè viſus poteſt apprehendi ſub ratione nociui, quia ſtante illa viſione poteſt Deus reuelare euidenter, quod vult ipſum videntem anihilare, vel damnare, vel ſub aliqua alia intentione, quam voluntas poteſt odire per ſe, & ſic creatura poteſt illum odio habere, & contriſtari eo.

Reſolutio

RESpondeo quod cum Deus ſit obiectum per ſe diligibile, ac delectabile, & mediante clara viſione ſufficienter approximetur creaturæ, ipſe creatura non poteſt ipſum odire ac triſtari eo, ſi eſt bene diſpoſita, ſi vero eſt deprauata, vtique poteſt & odire eum, non diligere, ac eo triſtari, quoniam poteſt videre eum vt paratum ad vlciſcendum, puniendum, & etiam anihilandum, quod eſt cauſa triſtitiæ, & odij.

Sed ſi Deus ſemper agit ex conditione ſuæ naturæ, eſt autem de conditione ſuæ naturæ vt efficiat bonum in illud ſubiectum, cui per gratiam, & gloriam ſufficiẽter approximatur? Obiectio.

Reſpondetur, quod Deus ſemper agit ex conditione ſuæ naturæ, in ſubiecto bene diſpoſito, & neceſſario; ſed in male diſpoſito, & contingenti, non ſemper ſic agit; eſt autem huiuſmodi voluntas, & ideo poteſt aliquando odire eum.

QVÆSITVM VII.

An aliqua creatura poſſit frui Deo abſque quod clarè videat eum?

THomas ab Argentina reſp. quod licet ſecundum ordinem inſtitutum a Deo, voluntas non poſſit eſſe in actu fruitionis intellectu exiſtente ſuſpenſo, quo ad actum cognitionis; de potentia tamen Dei abſoluta poteſt; quando enim duæ potentiæ ſic ſe habent quod differunt ab inuicem re abſoluta, ſicut modo differunt intellectus, & voluntas, Deus per ſuam omnipotentiam poteſt vnam conſeruare in operatione ſibi conueniẽte alia ſuſpenſa a ſua operatione permanente. Hoc enim non implicat (inquit, Ioan. de Baſſ. Et Guilel. Varrill) viſio (inquit) & fruitio ſunt duo actus diſtincti eſſentialiter in diuerſis potentijs, & ideo nihil repugnat, quod Deus non poſsit cauſare vnum ſine altero, fruitionem .ſ. abſque viſione. q. 1. ar. 9.

Gerardus reſp. quod actus viſionis ſaltem ordine naturæ prior eſt actu fruitionis; & ideo nulla creatura poteſt frui Deo, niſi prius videat eum; & quia ſimiliter nulla potentia poteſt moueri a ſuo obiecto, niſi illud fiat præſens in ratione obiecti, fit autem præſens obiectum fruibile voluntati per actũ intellectus, qui eſt viſio. q. 11.

Alphonſus reſp. quod licet per nullam potentiam creatam fieri poſſit, vt creatura rationalis actualiter diligat aliquid, & nullum q. 10.

actum

actum cognitionis præuium habeat circa illud, tamen de potentia Dei abſoluta fieri poteſt, vt dilectio maneat formaliter ſine omni cognitione; primum probat, quia vt dicit D. Auguſtinus, rem ignotam nullus amare poteſt; & ſimiliter, quia implicat, quod voluntas aliquid diligat, & illud non ſit ſibi præſens in ratione obiecti, alterum ſimiliter probat, quia dilectio, qua nunc creatura diligit Deum beatificè eſt res abſoluta diſtincta realiter ab omni cognitione creata, & independẽs; vnde non implicat, quod Deus ipſam poſſit conſeruare ſine ea.

q. 1. Iacob. Malef. reſp. quod ſi inter viſionem, & fruitionem eſt ordo eſſentialis, tunc Deus non poteſt ſecundum cauſare ſine primo; mirabile enim eſt (inquit) quod ignota diligam.

Reſolutio.

RESpondeo, quod etiamſi aliqua creatura clarè non videat Deum, poteſt tamẽ frui eo mediante viſione non clara, quia cum Deus ſit obiectum voluntarium ad hoc, quod cauſet delectationem in ea, ſufficit quod aliquo modo approximetur ei, talis autem approximatio quacunque viſione fieri poteſt; quod ſi nullo modo videat eſt impoſſibilis talis fruitio, eſt enim ſimpliciter impoſſibile, quod aliqua creatura fruatur eo, quod ſibi non obijcitur, ſeu approximatur, Deus autem approximatur voluntati in ratione fruibilis, mediante viſione.

Obiectio. Sed ſi viſio non eſt de intrinſeca ratione obiecti fruibilis? cum enim terminetur ad obiectum ſub alia ratione acceptum, tunc illud eſſet fruibile ſub alia rõne quam fruibili.

Reſpondetur, quod viſio non eſt de intrinſeca ratione obiecti fruibilis, nec eſt requiſita ad fruitionem propter obiectum, quod ſit de intrinſeca ratione eius; ſed ſolum propter naturalem ordinem potentiarum. Ita Gerardus.

QVÆSITVM VIII.

An fruamur Deo, Patre, ſcilicet, Filio, & Spiritu ſancto, fruitione vna?

p. p. q. 10. ALbertus reſp. quod eo tantum fruimur, quod habet rationem ſummi boni, & quia Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus habent vnam rationem ſummi boni, quia ſunt vnum bonum ſummum, & indiuiſum numero; ideo illis vna tantum fruitione fruimur.

q. 1. ar. 2. diſ. D. Thomas reſp. quod Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnus finis, vna bonitas, vnum nobiliſſimum, vnius autem finis, & bonitatis, & nobiliſſimi non poteſt eſſe niſi vnica fruitio; vna item per relationem, quam habent ad inuicem eſt eorum cognitio, ſeu viſio; ergo & vna fruitio, quia cognitionem, ſeu viſionem conſequitur fruitio.

diſ. 1. q. 5. Aegidius reſpondet ſicut D. Thomas, quod Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnus finis, ſicut ſunt vnum principium, & vnum bonum, quod eſt obiectum fruitionis, ſiue vna bonitas, quæ eſt ratio eius; igitur & vna eorum fruitio; ſicut etiam vna propter eorum maieſtatem adoratio. Nullus item quietatur in pluribus, vt pluribus, Ergo ſi fruimur Patre, Filio, & Spiritu ſancto, fruitione vna fruimur, non pluribus.

q. 4. Ricardus reſp. quod perſonæ diuinæ ſunt relatiuæ, & quoniam relatiua ſunt ſimul natura (vt dicit Ariſt. in præd.) ideo vna cognitione cognoſcuntur, & conſequenter vna eorum eſt etiam cognitio.

q. 6. Franciſcus Maro reſp. quod vnica eſt ratio fruibilitatis in Deo, quæ eſt ipſa diuinitas per quam habent omnia, quæ ſunt in Deo, vt ſint fruibilia, quod inductione probatur, fruimur enim paternitate ſolum inquantum diuina, ſimiliter bonitate inquantum diuina, & ſic de alijs.

q. 5. Thomas ab Argent. reſp. quod Deus eſt obiectum fruitionis ſimpliciſſimum, & ideo non poteſt eſſe niſi vna ratio fruibilitatis eius, & conſequenter vna fruitio.

q. 2. ar. 1. Gerardus reſp. quod ratio fruibilitatis eſt eadem cum ratione vltimi finis, aut ſaltem vna ſequitur ad alteram; & ideo ſicut eſt vna ratio vltimi finis, ita eſt vna ratio fruibilitatis, qua non ſolũ beati fruuntur Patre, Filio, & Spirituſancto apertè videndo, ſed & viatores enigmaticè cognoſcendo.

q. 1. Ioannes de Baſſ. reſp. quod Deus eſt obiectum fruitionis ordinatæ ſecundum propriã rationem formalem diuinitatis, qua formaliter eſt Deus, quia illa eſt prima ratio perfectiſſima ſimpliciter in ipſo, per quam poteſt primò quietare appetitum, & actum fruitionis; ad quam omnes aliæ rationes cõparantur vt paſſiones, & poſteriores, & ſic eſt vna tantum ratio per ſe primò obiectiua viſionis, & intellectionis, ſcilicet, ratio diuinitatis.

q. 2. Laurentius Opimus reſp. quod cum actus fruitionis terminetur ad perſonas ratione diuinæ eſſentiæ, ſit autem vnica, & indiuiſibilis diuina eſſenita, ſequitur quod etiam actus fruitionis reſpectu trium perſonarum ſit vnicus, & conſequenter vnica fruitio.

q. 9. Franciſcus a Chriſto reſp. quod comprehen-

henſor nõ niſi vna fruitione fruitur tribus perſonis, Patre .ſ. Filio, & Spirituſancto, primo, quia eſt vna ſumma bonitas, quæ eſt fruibilitatis ratio. ſecundò, quia eſt vnum obiectum fruibile. tertiò, quia eſt tantum vnus finis vltimus.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut vnitas, & pluralitas actuum arguitur ex vnitate, & pluralitate obiectorum, ita vnitas, & pluralitas fruitionum arguitur èx vnitate, & pluralitate obiectorum, eſt enim fruitio actus, fruibile vero obiectum, cum itaque Deus, Pater .ſ. Filius, & Spiritus ſanctus ſit vnum obiectum fruibile, & nõ plura, alioquin aliud eſſet bonũ, quod Pater aptus natus eſſet cauſare, & aliud Filius, & aliud Spiritus ſanctus, quod eſt impoſſibile, quia huiuſmodi cauſationes, cum habeant reſpectum ad extra ſunt ſimpliciter indiuiſæ, propterea ſequitur, quod non niſi vna, & eadem fruitione fruamur Deo, Patre .ſ. Filio, & Spiritu ſancto.

Obiectio. Sed ſi Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt plures res diſtinctæ? ac proinde tria obiecta diſtincta; & ex conſequenti actus fruitionis circa ea ſunt diſtincti.

Reſpondetur, quod tres perſonę diuinę ſunt diſtinctæ quantum ad eſſe perſonale, ſed non ſecundum quod ſunt obiectum fruitionis, quatenus ſcilicet conueniunt ſub vna ratione bonitatis, a qua ſumitur ratio fruitionis. Ita D. Thomas, & Ægidius.

QVÆSITVM IX.

An ſit poſſibile frui eſſentia, non fruendo perſonis?

d. 1. q. 1. IOannes Scotus reſp. quod licet de facto quicunque fruitur eſſentia, fruatur etiã perſonis, poſſibile eſt tamen tam viatori de potentia ordinata, quam comprehenſori de potentia Dei abſoluta frui eſſentia non fruendo perſonis. Quod hoc ſit poſſibile viatori probat ſic. Quandocunque intellectus poteſt formare conceptum de aliquo quatenus habet rationem ſummi boni, poteſt eo frui abſque quocunque alio, ſed viator poteſt formare conceptum de eſſentia diuina, quatenus habet rationem ſummi boni, abſque relatione ad aliud; dicitur .n. ad ſe, vt aſſerit D. Aug. 7. de Trin. c. 1. Igitur, &c. Item. Poteſt Viator ex puris naturalibus circa diuinam eſſentiam habere aliquem actum non inordinatum voluntatis, & non circa perſonas; poteſt enim concludere eſſe vnum bonum, & illud non eſſe trinum, quoniam eſſentia in ſui ratione non includit perſonas; igitur &c. Quod autem hoc ſit poſſibile cõprehenſori probat ſic. Eſſentia ex ſe poteſt terminare fruitionem nondum communicata tribus perſonis; in illo enim priori originis antequam Pater generet Filium non eſt communicata tribus, & tamen eſt obiectum beatificans, ſiue terminans fruitionem patriæ, alioquin cum beatitudo ſit perfectio intrinſeca haberet Pater talem perfectionem a perſona producta, quod eſt inconueniens, ergo poſſibile eſt abſque contradictione frui eſſentia non fruendo perſonis. Item. Quandocunqne aliquis actus reſpicit duo obiecta, vnum tanquam primarium, a quo ſpecificatùr, & in quod eſſentialiter tendit, & aliud tanquam ſecundarium in quod non tendit, niſi virtute primi, poteſt Deus facere abſque contradictione, quod ille actus terminetur ad obiectum primarium, & non ad ſecundarium, ſed actus fruitionis eſt huiuſmodi, reſpicit enim eſſentiam tanquam obiectum primarium, & perſonas ſecundarium; ergo de potentia Dei poteſt terminari ad eſſentiam, non terminando ad perſonas. Item Nicol. de Nijſe, & Ant. Andreas.

Petrus Aureolus reſp. quod impoſsibile eſt diuinam eſſentiam ſeorſum concipi a perſonis ſiue intuitiuè, & beatificè, ſiue imaginariè, & quaſi abſtractè, dum tamen propria ratio deitatis clarè concipiatur, & hoc prouenit, quia eſſentia non habet propriam vnitatem realiter, nec etiam intelligibiliter, ſed cum perſonis fundat penitus eandem vnitatẽ, & ſecundum rem, & ſecundum intellectum, cum perſonæ, nec addant aliquid ei, nec ponant in numerum cum ea, quinimò faciunt ad conceptum, qui nos beatificat obiectiuè, ex quo eluduntur in conceptu illius, & ideo ipſa, nec præciſè diligi, nec obiectum fruitionis ſeorſum a perſonis eſſe poteſt. *Ar.*

Guilel. Occham reſp. quod nec licitè, nec illicitè contingit frui eſſentia, non fruendo perſonis, nec in via, nec in Patria, & ratio eſt, quia nunquam de eadem re debent concedi contradictoria, niſi habeantur in ſcriptura ſacra, vel ex determinatione Eccleſiæ, vel euidenter & conſequentia formali, ex talibus inferantur, certũ eſt autem, quod nec ex ſcriptura ſacra, nec ex determinatione Eccleſiæ, nec ex conſequentia formali, & euidenter deducitur aliquem frui poſſe eſſentia non fruendo perſonis, cum enim eſſentia, & perſonæ ſint idem, ſic concederentur con- *q. 1.*

tradictoria. Item Petrus Aliacenſis.

q.3. Thomas ab Argent. reſp. quod circa eſſentiam abſtractam, vel circumſcriptam a perſonis non poſſumus habere actum, niſi merè ſpeculatiuum; nec ipſa vt ſic poteſt habere rationem ſummi boni, nec conſequenter vltimi finis; cum itaque non diſtinguatur à perſonis, non eſt poſſibile ipſa frui ſine perſonis.

q.6. Guilel. Rubion reſp. quod tam viator,quã comprehenſor poteſt intelligere eſſentiã, non intelligendo perſonas, ſaltem notitia abſtractiua; & diuerſas propoſitiones formare de eſſentia, & de perſonis, & per talem intelligentiam ipſam eſſentiam percipere, vt ſuper omnia diligendam, & conſequenter frui; nõ fruitione tamen beatifica, nam fruitione beatifica, quæ correſpondet intellectioni intuitiuæ, hoc eſt impoſſibile, quia talis fruitio nõ eſt in poteſtate beati, ſed neceſſariò fruitur omni eo, quod eſt eius obiectum.

q.8. Alphonſus reſp. quod viator poteſt quidẽ frui eſſentia, non fruendo perſonis, quia poteſt concipere eſſentiam ſub ratione ſummi boni, & vltimi finis, non conceptis perſonis, & ſi non eſt inſtructus in fide, poteſt diligere Deum propter ſe, non diligendo perſonas. Comprehenſor autem non poteſt, tum quia perſonæ diuinæ faciunt ad beatitudinem obiectiuè, & per ſe, vt dicit D. Aug. tum quia non poteſt videre eſſentiam, non viſis perſonis; videret enim eam,aut communicatam, aut non, ſi non communicatam, non frueretur ea, ſi communicatam, ergo non niſi communicatam perſonis.

dict. q.5. Robertus Olchot reſp. quod omnis creatura diligens Deum, diligit quodlibet quod eſt Deus; ſed hoc quodlibet, quod eſt Deus, demonſtrata eſſentia, & perſona eſt idem quod Deus, ergo quis non poteſt diligere eſſentiam, quin etiam diligat perſonam, quæ eſt Deus.

q.1. Ioannes de Baſſolis reſp. quod abſolutè loquendo poteſt viator frui eſſentia non fruendo perſonis, quia poteſt intelligere eſſentiam non intelligendo perſonas; & concipere aliquod de eſſentia, & non de perſonis, & in ipſam ferri tanquam in ſummum bonum, & finem. Comprehenſor item de potentia Dei hoc poteſt, quia actus beatificus poteſt cadere ſuper eſſentiam tanquam obiectum primarium, non perſonas tanquam obiectum ſecundarium. Cum inſuper ſubiectum poſſit intelligi abſque paſſione, & eſſentia ſit quaſi ſubiectum, & perſona quaſi paſſio, non implicat, comprehenſorem ipſam intelligere, non intelligendo perſonas, & conſequenter frui.

Ioannes Maior reſp. quod nullus ſiue viator, q.2. ſiue comprehenſor, poteſt diuinam eſſentiam cognoſcere, ſiue ea frui, quin talis quamlibet perſonam in diuinis cognoſcat, & qualibet fruatur; eſt enim eſſentia diuina tres perſonæ diuinæ, vnde verificarentur cõtradictoria de eodem, ſi eſſentia cognoſceretur, & non perſonæ.

Michael de Palatio reſp. quod poteſt qui- diſ.3. dem diuina eſſentia, vt quæ habet ſubſiſtentiam abſolutam ſe oſtendere menti noſtræ ſine perſonis; ſed mens quantum eſt de ſe ornata lumine gloriæ, & ipſa eſſentia vicem ſpeciei ſubeunte, non poteſt ipſam videre ſine perſonis, nec conſequenter frui.

Franciſcus a Chriſto reſp. ſimiliter, quod q.6. viator poteſt frui eſſentia non fruendo perſonis, quia poteſt ipſam cognoſcere,vt ſummũ bonum, & ſumme diligibile non cognitis interea perſonis, ſicut ipſam cognouerunt philoſophi. Comprehenſor tamen non poteſt, quia cognitio beatifica eſt cognitio intuitiua, & perfecta; cognitio autem talis eſſentiæ eſt, prout eſt communicata tribus.

Reſolutio.

REſpondeo,quod eſſentia non diſtinguitur a perſonis, & ideo nulla creatura poteſt operari circa ipſam, percipiendo cum delectatione aliquod bonum,quod apta nata ſit cauſare ſine perſonis, cum nec etiam vllũ ſit tale bonum, cum opera trinitatis ad extra ſint indiuiſa, ac proinde impoſſibile eſt frui ea, non fruendo perſonis.

Sed ſi poteſt diſtinctè intelligi eſſentia a *Obiectio.* perſonis, & conſequenter diligi, ac delectabiliter percipi?

Reſpondetur, quod poteſt quidem eſſentia diuina diſtinctè intelligi a perſonis, intellectione imperfecta, incompleta, & merè ſpeculatiua, quæ fruitionem veram non efficiat, ſed tantum chimericam, & apparentem, quia non eſt circa obiectum ſecundum verum eſſe ſuum, & reale, ſed tantum ſpeculatiuum; intellectione autem completa,& ſecundum eſſe rei, qualis ad veram fruitionem requiritur, non poteſt: ad fruitionem enim non ſola operatio fruentis requiritur,ſed etiã efficientia obiecti; ſic enim quocunque obiecto poſſemus frui, quod inconuenit.

Occhã reſp.quod nec intuitiuè,nec abſtractiuè põt intelligi ſine perſonis; Et Aur. quod eſſen.nõ põt intelligi,nec cõcipi ſine perſonis, quia nõ habet propriã vnitatẽ,ſine perſonis.

QVAE-

QVÆSITVM X.

An ſit poſſibile frui perſonis nõ fruẽdo eſſentia?

q.2. IOannes Scotus reſp. quod perſonæ in ſui rõne includũt eſſentiam, & ideo impoſſibile eſt frui perſonis, non fruẽdo eſſentia.

q.3. Thomas ab Argent. reſp. quod beatus non poteſt frui diuinis perſonis, niſi fruatur eſſentia; primò, quia perſonæ neque poſſunt eſſe, neque intelligi ſine eſſentia; ſecundò, quia perſonæ circumſcripta eſſentia non habent rationem boni, tertiò, quia nullum relatiuum ſine fundamento quietare poteſt.

d.1 Ioannes de Baſſol. reſp. quod quia eſſentia intrinſecè includitur in perſona, & non poteſt intelligi perſona ſine eſſentia, ideo impoſſibile eſt, & implicat contradictionem, quod aliquis ſiue viator, ſiue comprehenſor fruatur aliqua perſona diuina, non fruendo eſſentia.

d.1. Paulus Scriptor reſp. quod non eſt poſſibile ordinatè frui eſſentia, & non perſona, quia perſona inquantum diſtinguitur ab eſſentia, non eſt infinita formaliter ex ſe intenſiuè extra genus, quæ infinitas requiritur ad fruibilitatem ordinatam.

Reſolutio.

REſpondeo, quod perſonæ diuinæ ſunt idem, quod eſſentia, & ideo nulla creatura poteſt operari circa eas, percipiendo cum delectatione bonum, quod aptæ natæ ſunt cauſare in eo indiuiſibiliter ab eſſentia, quin etiam operetur circa eſſentiam; proptereà impoſſibile eſt, quod aliqua creatura fruatur perſonis, non fruendo eſſentia.

Obiectio. Sed ſi non repugnat perſonæ terminare dependentiam naturæ aſſumptæ, cur repugnat terminare actum fruendi ſine eſſentia?

Reſpondetur, quod repugnat perſonæ terminare actum fruendi, & non dependentiam naturæ aſſumptæ; quia actum fruẽdi terminat ſub ratione eſſentiali, quæ eſt bonitas communis tribus perſonis; dependentiam autem naturæ aſſumptæ terminat ſub ratione perſonali, quæ non eſt communis tribus.

QVÆSITVM XI.

An ſit poſſibile frui vna perſona, non fruendo altera?

d.1. q.2. IOannes Scotus reſp. quod diuinarum perſonarum ſunt diſtincti articuli, atque ita diſtincti conceptus, vnde viator poteſt de potentia ordinata frui vna perſona nõ fruendo altera; quod poteſt etiam comprehenſor de potentia abſoluta, quia actus fruitionis reſpicit primam perſonam, vt obiectum primarium, ſecundam verò, vt obiectũ ſecundarium, quando autem aliquis actus reſpicit duo obiecta, vnum tanquam primariũ, & alterum ſecundarium, poteſt Deus facere ſine contradictione, quod actus ille terminetur ad obiectum primarium, & non ad ſecundarium. Item Franciſcus Maro.

Thomas ab Argent. reſp. quod beatus per nullam potentiam poteſt frui vna perſona, non fruendo altera; primò, quia perſonæ diuinæ ſunt relatiuæ; ſecundò, quia ratio fruibilitatis eſt vna, quæ eſt ſumma bonitas; tertiò, quia perſonæ diuinæ ſicut ſeorſum non poſſunt cognoſci cognitione abſtractiua, multo minus etiam intuitiua; quartò, quia voluntas beati ab vna perſona tantum quietari non poteſt: quintò, quia ſi huiuſmodi actus fruitionis circa vnam perſonam eſſet perfectus, tunc ſuperflueret ad beatitudinem actus circa alias perſonas, ſi imperfectus, ergo non eſſet beata fruitio. d.1. ar.4

Gerardus reſp. quod quia relatiua ſunt ſimul naturali intelligentia, ac proinde vnum non poſſit intelligi ſine altero, & perſonæ diuinæ ſint correlatiuæ, non poteſt viator frui vna non fruendo altera; ſed nec etiam comprehenſor de quacunque potentia, quia perſonæ diuinæ ſunt connexæ quantum ad cognitionem intuitiuam; vnde vna non poteſt oſtendi ſine altera. q.2. ar.3

Alphonſus reſp. quod viator ſicut poteſt concipere Patrem, & Filium ſine Spiritu ſancto, cum Pater, & Filius ipſum includant in quantum tales in eorum per ſe conceptu, cum ſic non referantur ad ipſum; ita poteſt frui Patre, & Filio, non fruendo Spiritu ſancto. Cõprehenſor autem non põt, & ratio eſt, quia qui fruitur eſſentia beatificè, fruitur tribus perſonis diſtinctè; quicunq; autem fruitur aliqua perſona beatificè, ex neceſſitate fruitur eſſentia beatificè: ergo, qui fruitur aliqua perſona beatificè fruitur omnibus diſtinctè; Qui videt ſimiliter vnam perſonam perfectè, videt aliam, quia ad inuicem referuntur; ſed comprehenſor videt fruendo illam perſonam, qua fruitur perfectè, ergo & altera fruitur. q.8. ar.2

Ioannes Baccon. reſp. quod licet vna perſona habeat diſtinctam bonitatem ab alia, quæ eſt bonitas relatiua; quia tamen non habet eam diſtinctam in ratione fruibilis ab alia, quia hæc eſt bonitas eſſentialis ſumma, & infinita; idcirco non eſt poſſibile q.2.

Digitized by Google

frui vna ſine alia.

1. ſit. Robertus Olchot reſp. quod impoſſibi-
q.1. le eſt, quod aliquis diligat Deum, & non Trinitatem, quia Trinitas eſt Deus, & diligat Trinitatem, & non diligat Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, & diligat Filiũ, & non Patrem, quia Filius eſt Deus, qui Deus eſt Trinitas, quæ eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.

q.2. Petrus Aliacen. reſp. quod nulla creatura ſiue in via, ſiue in patria poteſt cognoſcere, vel diligere vnam perſonam ſine alia, niſi per accidẽs propter communicationem idiomatum, quia .ſ. obiectum ſuæ fruitionis eſt humanitas vnita Filio Dei; propter quam vnionem, hæc eſt concedenda, iſte diligit Filium Dei.

q.1. Ioannes de Baſſol. reſp. quod viator fruitione recta ſequente iudicium naturalis rationis non poteſt frui vna perſona non fruendo altera, ſaltem habitualiter, quia ſunt correlatiuæ, nec etiam comprehenſor loquendo de facto, & de ſua propria virtute; virtute tamen diuina poteſt, quia ſi aliquid ſequitur ad aliud per locum extrinſecum non oportet quod ſi voluntas vult antecedens, velit etiam conſequens.

q.2. Antonius Andreas reſp. quod licet voluntas viatoris poſſit frui vna perſona ſine alia, quia ſic ipſam poteſt concipere ſub ratione ſummi boni, voluntas tamen comprehenſoris non poteſt, quia eius obiectum eſt eſſentia communicata tribus:

d.1. Paulus Scriptor reſp. quod viator poteſt cogitare patrem eſſe quandam perſonam in vniuerſali, & non cogitare eam eſſe abſolutam, vel reſpectiuam, & tamen ipſam verè Deum eſſe, & conſequenter ipſa ſola frui.

q.1. Guilelmus Varrill. reſp. quod quia reſpe-
a.2. ctu trium perſonarum ſunt articuli diſtincti; quia actus elicitus fruitionis eſt liber; & quia alia eſt ratio entitatis paternitatis, & alia filiationis, hinc eſt, quod fieri poteſt, vt fruamur vna perſona non fruendo alia, licet tamen de facto non fruamur.

d.1. Michael de Palatio reſp. quod fieri poteſt,
diſp. vt aliquando cogitemus Patrem ſolum vt Tri-
4. nitatis principium, & Filium vt Redemptorem, & in hac cogitatione delectatione ſuffuſi perſiſtamus, & hæc eſt quaſi fruitio vnius perſonæ, & non alterius, actu quidem, ſed non poteſtate, qui enim delectatur in patre virtualiter quoque in reliquis perſonis delectatur.

q.2. Franciſcus a Chriſto reſp. quod fruitio beatifica, cognitionem beatificam requirit, hæc autem non eſt ſolum in cognitione eſſentiæ, & proprietatis relatiuæ, ſed etiam in habitudine ipſius ad quamlibet alteram perſonam, & ideo nec perfecta, ſeu beatifica fruitio poteſt eſſe vnius perſonę ſine altera

Reſolutio.

RESpondeo, quod nulla perſona diuina eſt apta nata cauſare illud bonum, quod eſt cum delectatione perceptibile a creatura fruente ſine altera, quia talis cauſatio cum habeat reſpectum ad extra eſt ſimpliciter indiuiſa, nulla igitur perſona diuina poteſt eſſe obiectum fruitionis ſine altera, & conſequenter non eſt poſſibile frui vna perſona non fruendo altera.

Sed ſi vna perſona poteſt diſtinctè intelli- *Obiectio.*
gi, quia ſub aliquo conceptu, ſub quo non intelligitur altera?

Reſpondetur, quod vna perſona poteſt quidem intelligi ſub aliquo conceptu perſonali, ſub quo non intelligitur altera; ſed non ſub conceptu eſſentiali, & ſub ratione obiecti fruitionis, ad quam requiritur, vt ſingulæ cognoſcantur, ſicut a ſingulis bonum illud cauſatur, ex quo delectatio ſequitur in fruente, vel ſaltem, quod altera earum in hac cognitione non excludatur.

QVÆSITVM XII.

An Deo conueniat frui.

ALbertus reſpondet, quod ſeipſo fruitur p.p.
Deus, non accipiendo frui ſtrictiſſi- q.12.
mè, vt eſt eius, qui diligit aliquid propter ſe, a quo ſecundum eſſentialem diſtinctionem diſtinguitur, quod diligitur, ſed largè, vt eſt eius, qui quomodocunque gaudet. Item D. Thomas, & Arg.

Ægidius reſpondet, quod fruitio in magna d.1.
voluptuoſitate conſiſtit, cum igitur Deus in q.7.
intelligendo maximam capiat voluptatem, nam, vt dicit Ariſt. 12. Metaph. Intelligere primi eſt maximè voluptuoſum, ideo & ei maximè competit fruitio.

Ricardus reſp. quod frui eſt quieſcere in q.2.
aliquo cum delectatione, & quoniam Deus a.2.
quieſcit in ſummo bono per omnimodam realem identitatem cum eo, quod eſt ipſe, ideo conuenit ei frui ſeipſo.

Ioannes Scotus reſp. quod Deus amat ſe, q.2.
& non propter aliud, quia vteretur ſe, propterea fruitur ſe, ſi enim amat ſe, aut vtendo, aut fruendo, non vtendo, ergo fruendo, Ideo fruitur (inquit Anton. Andr.) quia vult

Digitized by Google

velit ſe, & non propter aliud.

q. 3. Petrus Aureol. reſp. quod Deus fruitur ſe,
ar. 1. & nullo alio extra ſe, cum complaceat, & delectetur propter ſe in propria bonitate.

q. 3. Nicolaus de Orbellis reſp. quod voluntas diuina fruitur primò per ſe, & immobiliter, quia ipſa adhæret neceſſariò vltimo fini, non per actum, vel habitum differentem, nec virtute alicuius cauſæ ſuperioris.

q. 2. Ioannes de Baſſol. reſp. quod Deus ſeipſo fruitur perfectiſſimè, & quietatur in ſeipſo, & per ſeipſum primò, & immobiliter, ſicut terra in centro modo ſuo.

§. 6. Guilelmus Eſtius reſp. quod Deus dicitur frui ſeipſo, quia cum ſit in ſeipſo perfectus, ſibique per omnia ſufficiens, & ſibi ſemper præſens in ſeipſo tanquam infinito bono perfectiſſimè delectatur, nihil habens extra ſe, quo velut ad finem bonum illud ſummum, idest ſeipſum referat.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut Deus propter ſuã infinitam actualitatem eſt ſibi ipſi obiectum ſuum, ita propter ſuam infinitam bonitatem eſt ſibi ipſi bonum ſuum, quod cum ſit ſibi maximè conueniens, eſt etiam ſibi maximè delectabile, cui cum infinitè inhæreat, infinitam inde percipit delectationẽ, ac proinde fruitur.

Obiectio. Sed ſi fruitio eſt reſpectu finis, Deus autem non habet finem?

Reſpondetur, quod ratio finis non eſt per ſe, & propriè ratio fruibilis, ſed ratio boni, cui competit ratio finis, licet ergo Deus non ſit finis ſui, quia tamen eſt ſummum bonum reſpectu voluntatis ſuæ, eſt illud obiectum abſolutum, cui nata eſt competere ratio finis. Ita Scotus.

QVÆSITVM XIII.

An ſola creatura intellectualis fruatur Deo?

d. 1. q. 4. ar. 1. D. Thomas reſp. quod fruitio dicit delectationem in finem, & quoniam delectatio nõ poteſt eſſe niſi in natura cognoſcente, idcirco non niſi natura cognoſcens fruitur.

1. 2. q. 11. ar. 2. Et iterum reſp. quod frui eſt actus potentiæ peruenientis ad finem, & non ſicut exequentis, ſed imperantis executionem, & quoniam in his, quæ cognitione carent, licet inueniatur potentia pertingens ad finem per modum exequentis, non tamen ea, quæ pertingit per modum imperantis, & idcirco frui eſt in his tantum, quæ cognitionẽ habẽt.

q. 7. Ægidius reſp. quod frui eſt eorum, quæ ordinantur ad beatitudinem, fruimur enim rebus (inquit D. Aug.) quæ nos beatos faciunt, & quoniam ſola creatura intellectualis ordinatur ad beatitudinem, & non inanimata, & beſtialis, ideo ſoli creaturæ rationali conuenit frui.

d. 1 ar. 2 q. 2. Ricardus reſp. quod frui aliqua re ſicut obiecto, eſt in ea quieſcere cum delectatione, ſed hoc non poteſt competere niſi rei habenti potentiam cognitiuam, & appetitiuam, ideo ſoli creaturæ competit frui, quæ potentiam habet cognitiuam, et appetitiuam, quæ eſt creatura intellectualis.

q. 5. Ioannes Scotus reſp. quod cognitio eſt neceſſaria ad fruitionem, et ſimiliter amor, et quoniam ſola creatura intellectualis eſt illa, quæ cognoſcit, et habet amorem, quia voluntatem; idcirco ſola creatura intellectualis fruitur Deo. Item Ant. Andr.

q. 8. Nicolaus de Orbellis reſp. quod cum fruitio ſit actus voluntatis non omnia fruuntur, propriè ſumendo nomen fruitionis, ſed ea ſolum, quæ intellectum habent, et voluntatẽ.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut dictum eſt fruitione propriè dicta non eſt fruendum niſi ſolo Deo, quoniam ipſe ſolus poteſt cauſare bonum illud, quod ſit ſimpliciter ſatiatiuum cuiuslibet appetitus; cum itaque ſola creatura intellectualis tendat in Deum, vt in finem ſuum, ad hoc vt perficiatur bono illo, quo nulla alia creatura perfici põt, quia nulla alia creatura ab intellectuali Deum videre poteſt, propterea ſoli creaturæ intellectuali fruitione propriè dicta, conuenit frui.

Obiectio. Sed ſi quælibet creatura naturaliter deſiderat finem, quo adepto quieſcit in eum?

Reſpondetur, quod ad fruitionem non ſolum requiritur quietatio in finem, ſed etiam cognitio, et delectatio, quæ non omni creaturæ conueniunt. Ita Aegidius.

QVÆSITVM XIV.

An homini exiſtenti in puris naturalibus conueniat frui?

q. m. ALbertus reſp. quod ad fruitionem omnes virtutes concurrunt, aliquę tamen vt organicè miniſtrantes, ſicut ſpes, et fides, aliquæ vt diſponentes, ſicut virtutes cardinales, et aliquæ vt remouentes prohibens, ſicut reliquæ, propriè tamen con-

Digitized by Google

concurrit charitas, cum ipſa fruitio propriè amoris ſit.

d. 1. D. Thomas reſp. quod homo exiſtens in
q. 4. puris naturalibus non poteſt frui, quia in
a. 2. tali ſtatu non poteſt habere perfectam operationem ſine habitu gratuito, quæ ad fruitionem ſufficiat.

q. 2. Aegidius reſp. quod ſicut eſſentia non poteſt in operationem niſi mediante potentia, ita potentia non poteſt in operationem perfectam niſi mediāte aliquo ſuperaddito habitu, vel virtute, vnde cum fruitio dicat delectationem, in qua perfectio operationis conſiſtit, eſt perfecta operatio voluntatis, vel cõſequens ad operationem perfectam, et propterea non poteſt eſſe ſine aliquo habitu, vel virtute: eſt autem triplex virtus, moralis, intellectualis, et diuina, et quoniam non poteſt fieri mediante aliqua virtute, vel habitu morali, vel intellectuali, quia ad huiuſmodi non pertinet quietatio, cum reſpiciant bonum mutabile, vel ſaltem modo mutabili; idcirco fit mediante aliqua virtute diuina; eſt autem talis triplex fides, ſpes, et charitas; in fide, et ſpe non poteſt eſſe quietatio, Ergo mediante ſola charitate fit fruitio.

q. 4. Ioannes Scotus reſp. quod ad hoc quod vo-
ar. 4 luntas fruatur obiecto clarè viſo, non neceſſariò requiritur charitas, tum quia illud quo, quis poteſt aliquid ſimpliciter agere, eſt potentia, charitas autem non eſt potentia volitiua, nec pars potentiæ, tum etiam quia voluntas non ſic eleuata, poteſt velle obiectum ſibi obſcurè præſentatum, ergo magis clarè, quia ſic perfectius præſentatur ei.

q. 7. Franciſcus Maro reſp. quod voluntas poteſt frui Deo, etiam ſi non ſit ſupernaturaliter eleuata, ex quo enim obiectum habet bonitatem naturalem, poteſt voluntas ſine habitu eleuante in ipſum, et in quodcunque obiectum præſentatum.

q. 2. Guilelmus Occham reſp. quod obiecto fruibili oſtenſo quocunque modo voluntati, poteſt ipſa voluntas ex puris naturalibus elicere actum fruitionis circa illud obiectum, tum quia voluntas poteſt ſe conformare recto dictamini rationis; et intellectus poteſt dictare tale obiectum eſſe ſummè diligendum, tum etiam quia omnis potentia libera poteſt habere aliquem actum circa obiectum ſibi oſtenſum, et non neceſſariò inordinatum, ergo ordinatum.

d. 1. Thomas ab Argentina reſp. quod fruitio
a. 3 eſt operatio perfectiſſima, delectabiliſſima, et ſupernaturalis; et ideo pura potentia ipſam non poteſt elicere, niſi aliquo ſupernaturali habitu, ſiue charitate eleuata.

Gregorius reſp quod frui eſt mediante gratia, quia frui eſt diligere propter ſe, non poſſumus autem Deum diligere meritoriè, niſi mediante gratia. q. 1.

Alphonſus reſp. quod voluntas creata in naturalibus conſtituta poteſt naturaliter frui obiecto beatifico clarè viſo, ſuppoſito quod Deus de ſua potentia abſoluta ſe oſtenderet intellectui non dando habitum ſupernaturalem voluntati; tum quia eſt potentia libera, et ſicut poteſt in obiectum obſcurè ſibi præſentatum, ita et clarè; tum etiam, quia ſic in puris naturalibus conſtituta, poteſt Deum diligere, et non neceſſariò propter aliud, ergo propter ſe. q. 6. a. 2.

Robertus Olchot reſpondet, quod ex puris naturalibus homo poteſt frui Deo, nam intellectus eius ex ſuis naturalibus aſſentiendo auctoritati alicuius, vel rationi, poteſt credere Deum eſſe ſummum bonum, et ſummè diligendum, ergo et voluntas poteſt ſũmè, et ſuper omnia ipſum diligere, irrationale enim videtur, quod intellectus dictet aliquid eſſe diligendum, et voluntas non poſſit diligere, cum nihil ſit magis in poteſtate voluntatis, quam ipſa voluntas, ſicut dicit D. Aug. 3. de lib. arb. Item Aliacenſis. q. 16.

Laur. Opimus reſp. quod requiritur actus ſupernaturalis increatus, quo voluntas dilectione beatifica vltimo fini coniungatur. q. 2. coll.

Reſolutio.

RESpondeo, quod nullam dicit repugnantiam, vt homo exiſtens in puris naturalibus percipiat aliquod bonum cum delectatione, quod aptum ſit cauſare obiectum fruibile, quod eſt Deus, et hoc fieri poteſt de potentia Dei abſoluta, quamuis de lege ordinaria hoc non contingat, quia Deus nulli creaturæ ſe attingendum obijcit, niſi prius ipſam diſponat per habitum fidei, et ſpei in via, charitatis verò, in via, et in patria.

Obiectio. Sed ſi implicat, quod homo ſit in ſtatu ſuæ naturæ, et immediatè ſit in ſtatu ſupernaturali dum fruitur obiecto beatifico, non eleuatus mediante aliquo habitu?

Reſpondetur, quod implicatio ſemper eſt reſpectu vnius, non reſpectu diuerſorum; nõ ergo implicat, quod exiſtens in puris naturalibus, ſiue in ſtatu ſuæ naturæ; quoad ſua principia naturalia ſit in ſtatu huiuſmodi; reſpectu verò obiecti fruibilis, ſit in ſtatu ſupernaturali; quod quidem implicaret ſi reſpectu eiuſdem eſſet in eodem ſtatu et naturali, et ſupernaturali.

QVAE-

Digitized by Google

QVÆSITVM XV.

An homini tantum in patria conueniat frui?

p. p. q. 1. 2. ALbertus reſp. quod homo in patria tantum fruitur, & non in via, niſi fruitione non propriè ſumpta, & ratio eſt, quia frui eſt non ad aliud referre, quod ſtantis eſt, & non viatoris.

d. 1. q. 4. ar. 1 D. Thomas reſp. quod homo in via poteſt quidem quieſcere quiete deſiderij, vt iuſtus, quia poteſt quieſcere in ſuo deſiderio, ſed non quiete finis, quia non poteſt quieſcere, niſi perueniat ad terminum deſideratum, vnde & impropriè dicitur fruitio in via, propriè autem in patria.

q. 7. Ægidius reſp. quod Deus tanquam bonum immobile, cui cætera inhærent, fruitur primò per ſe, propriè, & perfectè; Beati in patria plenè, & propriè, ſed non primò; Viatores iuſti propriè, ſed non plenè; Peccatores vero, & beſtiæ, impropriè.

q. 1. Ioann. Scotus reſp. quod voluntas diuina fruitur ſimpliciter, & neceſſariò, & per ſe primò; voluntas beata creata ſimpliciter & per ſe, ſed non immobiliter, nec primò, voluntas autem peccatoris ſimpliciter ex parte ſui, ſed non ſimpliciter ex parte obiecti; vnde quia tale obiectum non eſt de ſe quietatiuum, ideo talis fruitio eſt inordinata.

q. 2. Ioann. de Baſſolis reſp. quod beati quietantur in Deo tanquam obiecto fruibili per ſe, & immobiliter non tamen primò; iuſti viatores, nec primò, nec immobiliter, ſed per ſe, peccatores vero nec per ſe, nec primò, nec immobiliter.

q. 2. ar. 4 Petrus Aureol. reſp. quod Deo non poſſumus frui in hac vita fruitione ſimpliciter dicta, quæ eſt totaliter quietatiua; extenſo tamen fruitionis nomine ad delectationem, & complacentiam rei præſentis in eſſe cognito, eo frui poſſumus, quia ſic apprehenſo delectamur in eo.

Reſolutio.

REſpondeo, quod homo dum eſt in via non adhuc attingit illud bonum vltimū, quod aptum natum eſt cauſare obiectum fruitionis perfectæ, hoc enim bonum, tale obiectum non ſolet cauſare niſi in patria, & ideo fruitione perfecta homini in patria tantum conuenit frui, non in via?

Obiectio. Sed ſi frui eſt vti cum gaudio, vt dicit D. Aug. 1. de Trinit. quod non tantum homini in patria conuenit, ſed etiam in via?

Reſpondetur, quod homo præſertim iuſtus fruitur quidem in via, quia bonum in quod tendit eſt immobile, tamen non perfectè, quia in ipſum non perfectè quieſcit, cum non perfectè poſſideat. Ita Aegidius.

QVÆSITVM XVI.

An ſit aliquis actus medius inter frui, & vti?

d. 1. q. 3. IOannes Scotus reſp. quod voluntati poteſt oſtendi aliquod bonum abſolutè, non ſub ratione propter ſe boni, nec propter aliud bonum, voluntas autem circa tale ſic oſtenſum poteſt habere aliquem actum, & non neceſſariò inordinatum, ergo poteſt habere aliquem actum volendi illud abſolutè abſque relatione ad aliud, aut abſque fruitione, & propter ſe: Et vlterius poteſt imperare intellectui, vt inquirat quale illud bonum ſit, & qualiter volendum, & tunc illi poteſt aſſentire ſic, vel ſic. Item Nicolaus de Orbellis.

q. 3. ar. 1. Petrus Aureolus reſp. quod contingit hominem diligere aliquod bonum creatum, vt ſcientiam, & virtutes, non referendo illud actu in Deum, nec æſtimando illud eſſe in aliud non referibile, nec figendo ſe ad non referēdum, vnde talis actus, quia actu non refert, nec æſtimat irreferibilē, nec vſus eſt, nec fruitio, ergo medius inter fruitionem, & vſum. Item Ioannes Maior.

d. 1. q. 1. Guilelmus Occham reſp. quod aliquid poteſt amari non tanquam finis ſimpliciter, & tanquam ſummum ſibi poſſibile præſentari, nec eſſe propter aliud, vt honor, voluptas, virtus, & huiuſmodi, ſicut dicit Ariſt. 1. Ethic. & ideo eſt poſſibilis aliquis actus medius inter fruitionem, & vſum, cum enim talis actus non ſit referens, non eſt vſus, & cum non acceptetur tanquam vltimus finis, & ſummum ſibi poſſibile præſentari, non eſt fruitio.

ar. 1 Gregorius reſp. quod omnis actus voluntatis eſt vſus, vel fruitio; primò, quia omnis actus voluntatis, vel eſt velle, vel nolle, omne autem velle, vel nolle eſt vſus, vel fruitio, nam velle aliquid propter ſe, eſt fruitio, propter aliud, eſt vſus, & omne nolle eſt vſus; ſecundò, quia omnis actus voluntatis, aut eſt bonus, aut malus, ſi circa debitum obiectum, & propter debitum finem, & cū debitis circunſtantijs, eſt bonus, ſi econtra, malus; Ergo nullus actus voluntatis eſt medius.

q. 1. Guilelmus Rubion reſp. quod loquendo de actu volendi complexo, qui ſcilicet imme-

mediatè ſequitur actum intelligendi complexum, non eſt dare aliquem, qui non ſit vel actus fruendi, vel vtendi, loquendo autem de actu volendi ſimplici præcedente omnem actum complexum, & aſſenſum, vel diſſenſum, & per conſequens omne dictamen intellectus, nec vſus eſt, nec fruitio.

1 ſit. q. 4. Robertus Olchoth reſpondet. quod omnis amor eſt fruitio, vel vſus, vnde non eſt actus neuter, vel medius, ſi enim (inquit D. Aug. 1. de doctr. Chr. c. 6.) Deus nec vtitur, nec fruitur nobis, non inuenio, quomodo diligat nos.

q. 2. ar. 1 Petrus Aliacenſis reſp. quod eſt aliquis actus voluntatis medius, qui nec eſt propriè fruitio, nec vſus .ſ. quo aliquid amatur, nec eſt tamen finis ſimpliciter vltimus, nec in aliud actualiter refertur.

q. 1. Laurentius Opimus reſp. quod poteſt rationalis creatura elicere actum medium inter fruitionem, & vſum, eſt enim actus medius quidam amor voluntatis terminatus ad aliquam rem actu, vel habitu, non ad meritum, vel demeritum, poteſt enim exiſtens in peccato mortali habere actum dilectionis circa Deum, qui tamen non ſit ſibi meritorius, neque demeritorius; poteſt ſimiliter diligere virtutem per ſe, ſed dum non ſiſtit in eam, vt in optimum finem, non fruitur, & dum non refert ad aliud, non vtitur.

tr. 2 q. 2. Nicolaus de Niſſe reſp. quod eſt dare actum neutrum, vt cum quis diligit aliquod bonum non referendo ipſum actualiter in finẽ, nec tamen in eo ſiſtendo, vt in fine, quod poteſt fieri abſque inordinatione, aliàs quandocunque aliquod bonum creatum diligimus non cogitantes actualiter de Deo ſemper peccaremus.

q. 1. & 3 Ioannes Vigerius reſp. quod inter fruitionem, & vſum datur actus medius .ſ. actus ſpei bonus moraliter, & meritorius, qui actus non eſt vſus, quia nullo actu ordinatè vtimur Deo, nec fruitio, cum ipſa ſolummodo ſit actus charitatis.

Reſolutio.

RESpondeo, quod omnis actus humanus, vel eſt aſſecutio finis, vel ad aſſequendum finem, quoniam ſicut dicit Ariſt. Omne agens agit propter finem, niſi ſit agens per accidens, de quo non eſt ſcientia; ſi itaque eſt aſſecutio finis, cum finis ſit appetibilis, talis actus eſt etiam delectabilis, & conſequenter eſt frui, ſi vero eſt ad aſſequendum finem eſt vti, atque ita non eſt actus aliquis medius inter frui, & vti.

Sed ſi aliquis dat eleemoſynam pauperi naturali pietate non referendo illum actum ad Deum quo fruendum eſt, nec ad aliud cũ nullo alio a Deo fruendum ſit? Obiectio.

Reſpondetur quod quilibet actus dandi eleemoſynam ſi non referatur in Deum nec actu, nec habitu, eſt peccatum, vt patet per D. Auguſtinum lib. 4. contra Iul. vbi expreſſè determinat, quod opera miſericordiæ facta ab infidelibus, quia non propter Deum fiunt, eis ſunt peccata. Ita Gregorius.

QVAESITVM XVII.

An frui, & vti ſint actus realiter diſtincti?

FRanciſcus Maro reſpondet, quod aliquando contingit actum fruendi eſſe ſine actu vtendi, vt quando ordinatè diligitur Deus, aliquando verò actum vtendi ſine actu fruendi, vt quando diligitur vna creatura propter aliam; aliquando autem idem eſt actus fruendi, & vtendi, vt quando diligitur creatura propter Deum, tunc enim vt intelligitur tranſire ſuper Deum dicitur fruitio, ſuper creaturam verò vſus. q. 1.

Guilelmus Occham reſp. quod aliquid poteſt aſſumi in poteſtatem voluntatis dupliciter, vel propter ſe, vel propter aliud, ſi propter aliud, ſic eſt actus referibilis, ſi propter ſe, non eſt referibilis, ſed quod non ſit referibilis contingit dupliciter, vel quod obiectum acceptetur tanquam ſummum ſibi poſſibile præſentari, vel abſolutè, vt neque ſũmum, neque non ſummum, primus actus eſt actus fruendi; ſecundus non eſt propriè frui, nec vti, alter, quando .ſ. eſt referibilis eſt propriiſſime vti. q. 1.

Gerardus reſp. quod iſti actus frui .ſ. & vti, non ſunt neceſſariò diſtincti, neque neceſſariò ſunt vnus, poteſt enim contingere, quod voluntas ita fruatur vltimo fine, quod etiam actualiter conuertat ſe ſuper ea, quæ ſunt ad finem, & ſic per vnum actum elicitum fruatur, & vtatur, & ſimiliter, ſi tendat in ea, quæ ſunt ad finem actualiter referendo ea in finem tunc ſimul, & per vnum actũ fruatur, & vtatur. Et ſimiliter poteſt contingere, quod voluntas ita fruatur vltimo fine, vt non conuertat ſe ſuper aliquod aliud, & tunc iſte actus eſt ſimpliciter frui, & ſe conuertat ſuper ea, quæ ſunt ad finem, non referendo tamen ea actu in finem, ſed habitu tãtum, & tunc ille actus erit vti, non frui. q. 1. ar. 2

Gregor. reſp. quod nullo actu quo, quis vult aliquid propter aliud ſicut ad finem, vult finẽ, dſt. 1 q. 1.

& ex

& ex conſequenti nullus vſus eſt fruitio.

q.2. Guilelmus Rubion reſp. quod actus fruendi eſt cauſa actus vtendi, & actus vtendi præſupponit actum fruendi, vt aliquam cauſam ſui, & quoniam idem non poteſt ſe præſupponere, vt cauſam ſui, ideo actus vtendi diſtinguitur ab actu fruendi.

q.4. Robertus Olchot reſp. quod aliquando frui & vti ſunt duo actus diſtincti, quorum vnus, qui eſt finis cauſat alium, & aliquando vnus tantũ, homo enim habituatus ad diligendum proximum propter Deum poteſt elicere vnũ actum, quo vtrumque [diligat Deum .ſ. & creaturam.

q.8. Petrus Aliac. reſp. quod ſicut intellectus
n.1. poteſt intelligere cõcluſionem diſtincto actu ab actu intelligendi principia, & vnico actu ſimiliter intelligere vtrumque, ſic & voluntas, & diſtincto, & vnico actu poteſt diligere finẽ, & ea quæ ſunt ad finẽ, quod eſt frui, & vti.

q.1. Lauren. Opimus reſp. quod quilibet actus dilectionis reſpectu cuiuſcunque entis creati qui non eſt per ſe bonus, ſed in ſummum bonum relatus, eſt formaliter fruitio, & vſus, reſpectu diuerſorum, ita quod idem actus poteſt eſſe & fruitio, & vſus.

ar.2 Nicol. de Niſſe reſp. quod fruitio, & vſus
p.2. realiter diſtinguuntur, poſſumus enim Deum
q.10. diligere nihil aliud diligendo, & ſic eſt frui, & diligere aliquid bonum propter finem non vltimum, & ſic eſt vti; aliquando tamen poteſt eſſe, quod actus vtendi ſit idem realiter cum aliquo actu fruendi, vt cum quis vtitur creatura propter Deum.

d.1. Franc. a Chriſto reſp. quod vti eſt applicatio rei ad ſuam actionem, talis autem applicatio ſumitur dupliciter, latius, & ſic non eſt aliud, quam facultatis ad rem ſibi obiectã, & propoſitam applicatio, & preſſius, & ſic non eſt aliud, quam rem quãlibet, aut facultatem ſuæ actioni applicare, rei alterius aſſequendæ gratia; primo modo frui eſt vti; ſecũdo modo diſtinguuntur.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod frui eſt actus circa finem, vti verò circa ea, quæ ſunt ad finem, ſicut ergo finis, & ea quæ ſunt ad finẽ realiter diſtinguuntur, ita etiam neceſſe eſt, vt realiter diſtinguantur actus, qui circa huiuſmodi realiter diſtincta verſantur.

Obiectio. Sed ſi Deus non habet niſi vnum actum volendi, & tamen fruitur aliquibus, & vtitur alijs?

diſt.1 q.1. Reſpondetur, quod iſti actus non diſtinguuntur in Deo, quia omnia quæ ſunt in Deo etiamſi ex natura ſua ſunt realiter diſtincta, identificantur in eo; ſed diſtinguuntur in nobis ex natura ſua propter diuerſas, & diſtinctas formalitates, quas habent.

QVAESITVM XVIII.

An vſus ſit actus alicuius determinatæ potentiæ?

Albertus reſpondet, quod vſus ſumitur tripliciter; primò, pro actu elicito de potentia rei, propter quam habetur, relatus ad commodum, vel delectationem hominis; ſecundò, pro rei exercitio ad inducendum habitum; tertiò, pro actu vtilis, quod vt adminiculum refertur ad obtinendum, quod intenditur, vt finis, & ita vti eſt aliquid in facultatem voluntatis aſſumere, & ad aliud referre, quo fruendum eſt. p.p. q.8.

D. Thomas reſp. quod vſus ſumitur tripliciter, primò, pro quacunque operatione, & ſic dicitur vſus alicuius rei bonus, vel malus; ſecundò, pro frequentia operationis, & ſic eſt idem quod conſuetudo; tertiò, pro operatione circa ea, quæ aliquo modo ordinantur ad finem; & quoniam ſic vſus nominat exequutionem eius, quod eſt ordinatum ad finem, idcirco eſt actus voluntatis, vt quæ eſt motrix virium ſecundum ordinem ad rationem. d.1. ar.2

Et iterum. Vti primò, & principaliter eſt voluntatis tanquam primi mouentis], rationis tanquam dirigentis, aliarum verò potentiarum, & cerum, tanquam exequentium, quia tamen actio propriè attribuitur principaliter agenti, idcirco vti propriè dicitur actus voluntatis. Item Franc. a Chriſto. 1.2. q.16 ar.1

D. Bonauentura reſpõdet quod vti ſumitur quintupliciter, communiſsimè, communiter, propriè, magis propriè, propriiſſimè; communiſſimè, & communiter ſumptus eſt actus omnis potentiæ; propriè verò, magis propriè, & propriiſſimè ſolius voluntatis, ab actu enim vtendi denominatur vnuſquiſque bonus; nullus autem bonus dicitur niſi ab actu voluntatis: Item Guilel. Varrillong. & Steph. Brul. diſ.1. q.1.

Aegidius reſp. quod iſta quatuor ſe habent per ordinem, deſiderium finis, electio, impetus, & vſus, v. g. primò deſideramus finem, vt puta dominari, deinde eligimus viam, per quam poſſimus conſequi dominationem, vt puta per bellum, poſtquam autem eligimus bellare, ſtatim a voluntate fit impetus in membris, quia imperat eis, vt arma ſumant, q.3.

& bellent, & facto impetu, tunc ſequitur pertractatio armorum ſecundum voluntatis imperium, & iſta pertractatio libera ſecundum voluntatem dicitur vſus, non igitur vtitur niſi potentia, cuius eſt eligere, & impetum facere, & quoniam ſola voluntas cum ſit domina ſui actus eligere poteſt, & cum dominetur cæteris potentijs impetum poteſt facere in eis, idcirco ſoli voluntati competit vti.

a. 1. q. 1. Ricardus reſp. quod vti re aliqua eſt ipſam referre ad finem debitum ſemel, vel frequenter; poteſt autem quis referre rem ad finem debitum dupliciter, aut realem applicationem alicuius rei ad finem debitum exequendo, aut intendendo; primo modo vti eſt actus cuiuslibet potentiæ actiuæ, ſecundo modo ſolius voluntatis, vt elicientis; voluntas.n.eſt principaliter mouens, & actio qualibet attribuitur principali agenti.

q. 3. Durandus reſp. quod vti eſt actus propriè voluntatis elicientis, nec eſt alterius potentiæ, niſi ſecundum quid, & per attributionē ad voluntatem, ſolius enim voluntatis eſt applicare res ſuo vſui, cum dominium habeat ſuper omnes potentias.

q. 4. Thomas ab Argentina reſp. quod eadem potentia eſt reſpectu finis, & eorum, quæ ſunt ad finem; & quoniam frui quod eſt reſpectu finis, eſt actus voluntatis, idcirco & vti, quod eſt reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem eſt actus voluntatis.

q. 5. ar. 1 Gerardus reſp. quod vti eſt quidam actus, per quem vtens applicat ſe rei vtibili referendo eam in debitum finem, & eſt actus voluntatis, quia etiam abuſus, qui opponitur vſui, eſt actus ipſius, eiuſdem autem potentiæ ſunt actus oppoſiti.

q. 2. ar. 1 Petrus Aliacenſis reſp. quod vſus eſt actus voluntatis, quo aliquid aſſumitur in eius facultatem, non propter ſe finaliter, ſed propter aliud.

q. 1. Ioann. a Cel. reſp. quod ab actu vtendi, & fruendi homo dicitur bonus, vel malus, & ideo vterque actus eſt actus voluntatis quia non niſi voluntate homo bonus eſt, vel malus.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod tunc aliquis dicitur aliqua re vti, quandocunque illam refert ad aliud agendo circa illud, ſic enim homines dicuntur vti virtutibus ad conſequendum beatitudinem dum agunt ſecundum eas; Eſt ergo vſus actus ille, ſiue actio illa, qua quis aliquid agens agit referendo illud, circa quod agit ad aliquid aliud tanquam finem, vnde vti virtutibus non eſt aliud, quam agere ſecundum virtutes, & vſus earum non eſt aliud, quam actio ſecundum eas, & quoniam ſic agere non eſt velle, ſeu intelligere, ſed exequi, quod agens vult & intelligit, quod pertinet ad potentiam agentis executiuam; idcirco vſus immediatè eſt actus potentiæ executiuæ, non intellectus, aut voluntatis, niſi præſuppoſitiuè, & radicaliter; non enim ſufficit ad vtendum quod quis intelligat, & velit, ſeu diligat aliquid etiam in ordine ad aliquem finem, ſed neceſſarium eſt, vt opere cōpleat, quod diligit, ſeu vult, & intelligit, referendo illud, & quoquo modo applicando ad illum finem, quem intendit exercitio animæ, vel exercitio corporis.

Sed ſi Angelis, & cælo, vtimur, & tamē circa huiuſmodi non eſt executiua potentia? Obiectio.

Reſpondetur quod Angelis, cælo, & huiuſmodi non vtimur; ſed horum conſideratione, & intellectu vtimur ad habendam cognitionem ipſius Dei, non ergo immediate ſed mediate, & aliquo ſui vtimur, quod poſtea tendit in executiuam potentiam.

QVAESITVM XIX.

An Deo, Angelis, & hominibus exiſtentibus in patria conueniat vſus?

Albertus reſp. quod Deus vtitur nobis, Angeli habent cognitionem matutinam, & veſpertinam, & vnam referunt ad aliam, ſancti ſimiliter ſuam beatitudinem referunt in Deum, & ſic Deo, Angelis, & hominibus in patria exiſtentibus conuenit vſus. p. 1. q. 12. m. 2

D. Thomas reſp. quod multa ſunt, quæ cōueniunt exiſtentibus in patria, quæ & ſi referuntur ad finem, non tamen repugnant fini, ſed ſunt contingētia finem, vt ſunt perfectiones naturales, dilectio proximi, dona Spiritus ſancti, & quoniam horum eſt vſus, quia vſus eſt eorum, quæ ſunt ad finem, ideo vſus conuenit exiſtentibus in patria. d. 1. q. 4. ar. 2

Ægidius reſp. quod cum vti ſit aſſumere aliquid in facultatem voluntatis, hoc contingit debitè per relationem ad bonitatem diuinam, & tripliciter, vel propter bonitatem diuinam communicandam, vel propter eam cōſequendā, vel propter ipſam conſequutam habendam, & poſſidendam; primò modo vtitur Deus omnibus quæ ſunt propter bonitatē ſuam non quidem conſequēdam, quia iam habet; ſed tribuendam, quia eam omnibus largitur, ſecundò modo vtuntur viatores rebus vt diuinam bonitatem conſequantur; tertio q. 2.

modo

Digitized by Google

modo comprehenſores, & beati exiſtentes in patria.

a.1. q.3. Ricardus reſp. quod omnis res habens volūtatem poteſt aliquam creaturam referre in debitum finem ſiue ſit creator, ſiue creaturā beata, ſiue viatrix, nam creator refert omnia in ſuam bonitatē, & creatura in ipſum creatorē.

c.3. ar.1. Petrus Aureolus reſp. quod Deus vtitur creaturis, nō vt his mediantibus finem acquirat, ſed vt eis ſeipſum, qui finis eſt, acquirat.

Reſolutio.

RESpondeo, quod omne agens propter finem, dum ad finem illū applicat id quod agit dicitur vti eo, & quoniam Deus eſt agēs propter finem, & ad illum applicat cauſas ſecundas quibus agit, ideo dicitur eis vti, & ſimiliter Angeli, & homines exiſtētes in patria quamuis non ſemper agant his rebus inferioribus, quibus dicantur vti, agunt tamen ſemper facultatibus ſuis, virtutibus, & operationibus, quibus inhærent diuino amori referendo eas ad illum tanquam ad finem.

Obiectio. Sed ſi in patria (vt dicit D. Auguſtinus) non ſunt volubiles cogitationes, neque diſcurſus; ex quo neque referre vnum ad aliud?

Reſpondetur, quod in patria non ſunt cogitationes volubiles, quæ ſunt illæ, quibus non ſtatim offertur quod quæritur, ſed bene eſt ſucceſſio cogitationum, & ordo vnius ad alteram; Ita D. Thomas. Et Ægidius, Referre (inquit) non ſemper dicit diſcurſum, cum ſimul aliquid poſſit referri in relatum, & in finem; & ita Deus volendo bonitatem ſuam vult etiam alia a ſe ſine diſcurſu.

QVÆSITVM XX.

An rationali natura tantum conueniat vti?

1.2. q.16. a.2. D. Thomas reſpondet, quod vti eſt applicare aliquid principium actionis ad actionem, applicare autem aliquid ad alterum non eſt niſi eius, quod habet ſuper illud arbitriū, quod non eſt niſi eius, qui ſcit referre aliquid in alterum, quod ad rōnē pertinet, & ideo ſola natura rationalis vtitur.

q.3. Ægidius reſpōdet, quod vti nihil eſt aliud, quam quadam negociatio voluntatis circa res quibus vtitur, & propterea vti non competit niſi naturæ habenti voluntatem, quæ eſt natura intellectualis.

Reſolutio.

RESpondeo, quod aliquis non proprie dicitur vti, niſi ſit agens propter finem, cū vti ſit referre id quod agit ad aliquid tāquā ad finem, & quoniā naturæ rationali, ſeu intellectuali tantum conuenit agere propter finem, & referre, idcirco naturæ rationali tantum conuenit vti.

Sed ſi animalia quæ rationem non habent vtuntur; ſaltem membris ſuis ad aliquid agēdum, vt pedibus ad ambulandum, cornibus ad percutiendum, & huiuſmodi;

Reſpondetur, quod hoc agunt inſtinctu naturæ, non quod cognoſcant ordinem illorum membrorum ad illas operationes, vnde non propriè referunt, & ex conſequenti nec propriè vtuntur. Ita D. Thomas.

QVÆSITVM XXI.

An Deo ſit vtendum?

D. Bonauentura reſpondet, quod ſolo bono quod eſt ad finem, vtendum eſt, quia ratio vtilis eſt ducere in finem, ſolum autem bonum creatum eſt ad finem, & ideo ſolo bono creato eſt vtendum, non Deo. Item Ricardus.

Ægidius reſpondet, quod vti poteſt ſumi dupliciter. vno modo largè, & ſic vti nihil aliud eſt quam aſſumere aliquid in facultatē voluntatis quocumq; modo; alio modo propriè, & ſic vti eſt aſſumere aliquid in facultatem voluntatis, non quocunque modo, ſed referendo ipſum in finem, primò modo Deo quandoque eſt vtendum, quia etiam hoc modo ipſo ſine vtimur, non ſecundo.

Guilelm. Occham reſpondet, quod Deus non eſt obiectum vſus ordinati, quia vel eſſet obiectum ordinatæ volitionis, vel nolitionis, nō nolitionis, quia nullus poteſt ordinatè odire Deum, nec etiam volitionis, quia tunc poſſet aliquid plus amari, quam Deus.

Thomas ab Argentina reſpondet, quod eo non eſt vtendum, quod referri non poteſt in maius bonum, cum ergo Deus referri non poſſit in maius bonum, idcirco Deo non eſt vtendum.

Gregorius reſp. quod vſus ſiue vti ſumitur tripliciter communiter & largè; ſpecialiter & propriè; ſpecialius & magis propriè; quod eſt aſſumere aliquid in facultatem voluntatis propter aliud quo fruendum eſt; primo itaque & ſecundo modo poteſt voluntas vti Deo, nō tertio, ſi.n. ipſo fruendū eſt; igitur nō vtendū.

Reſolutio.

RESpondeo, quod vti non poſſumus niſi eo quod eſt in noſtra poteſtate & agere, &

non agere propter aliquem finem, vti enim eſt (inquit D. Aug.) aliquid aſſumere in facultatem voluntatis; cum itaque non ſit in poteſtate noſtra Deo agere, & nō agere, quia nulli potētiæ noſtræ executiuæ ſubiacet, idcirco eo vti non poſſumus, ac proinde non eſt vtēdum eo.

Obiectio. Sed ſi licet Deum amare intuitu mercedis, quod eſt referre in aliud, & conſequenter vti?

Reſpondetur, quod illa merces eſt Deus, & ſic intuens mercedem non vtitur Deo quia nō refert ad aliud; Ita D. Bonauentura. Et ſic (inquit Ricardus) licet amare Deum propter mercedem, quæ eſt ipſe Deus. Et Thomas ab Argentina Deum amare propter mercedem ſumitur dupliciter, vel propter mercedē ęternam, & ſic diligitur propter ſeipſum, quæ dilectio non eſt vſus, vel propter mercedem temporalē, & ſic eſſet diligere propter aliud; primo modo ergo licet, non ſecundo.

QVÆSITVM XXII.

An omnium citra Deum poſſit eſſe vſus?

p.p. q.21. ALbertus reſp. quod omni creaturæ vtendum eſt, dummodo tamen non ſit peccato deprauata, per quod vſui contrariatur, quia ſic ad ſummum bonum obtinendum referri non poteſt, contingit tamen per accidens, & caſu, his vti, vt peccato ad maiorem compūctionem, & diabolo ad maiorem patientiam.

d.1. q.4. D. Thomas reſp. quod ſicut ad perfectionem diuinæ potentiæ pertinet quod nihil habeat eſſe niſi productum ab ipſo, ita ad perfectionem diuinæ bonitatis pertinet quod nihil ametur, niſi quod eſt in ordine ad ipſum, & quoniam omnia habēt ordinem ad ipſum, inquantum ſunt bona, igitur omnibus etiam contingit vti.

q.2. D. Bonau. reſp. quod quatuor modis ſumitur vti, aut ſicut inſtrumento, quo operamur, aut ſicut habitu, quo regulamur, aut ſicut actu, quo mouemur, aut ſicut obiecto, adquod inclinamur; primo modo non contingit omnibus vti, ſecundo modo non omnibus contingit rectè vti; tertio modo omne actu conuenit vti, quarto autem omnibus contingit vti, & abuti, quia omnia poſſunt aſſumi in facultatem voluntatis ad approbandum, & reſpuendum, & quia omnia ordinabilia ſunt in Deum, & diligenda tamquam bona, ſi non propter ſe, tamen propter aliud. Item Stephanus Brul.

q.6. Ægidius reſp. quod omnibus vti poſſumus, & his, quæ non ſunt in poteſtate noſtra .ſ. approbando ea, & per ea in cognitionem æternæ maieſtatis, & bonitatis veniendo, & his, quæ ſunt in poteſtate noſtra ea in Deum referendo, poſſumus etiam vti malis pænæ tolerando ea patienter, & vti malis culpæ ipſa deteſtando.

Durandus reſp. quod omne quod eſt citra Deum, vel eſt cognoſcibile a nobis ſecundum vires apprehenſiuas, vel proſequibile, aut fugibile ſecundū vires appetitiuas, vel etiā operabile ſecundum vires executiuas: & omnes huiuſmodi vires cadunt ſub facultate voluntatis, vt applicātur ſuis actibus, & obiectis, & vt referuntur ad aliud obtinendum; & ita omne citra Deum cadit ſub vſu. q.4.

Guilel. Occham reſp. quod omne aliud a Deo poteſt eſſe obiectum vſus ordinati, quia cum Deus ordinatè ſummè acceptetur, omne aliud ab eo poteſt aſſumi in facultatem voluntatis propter eum, nam omne aliud a ſummè acceptato, aut eſt bonum, aut malum, ſi bonum poteſt eſſe amatum propter ſummè acceptatum, ſi malum poteſt eſſe nolitum propter idem. Item Petrus Aliacenſis. q.1.

Thomas ab Argentina reſp. quod aliquid poteſt aſſumi in facultatem voluntatis noſtræ quintupliciter; primò per modū imperantis, & ordinātis, & huiuſmodi ſunt bona noſtra propria; ſecundò per modum approbantis, & huiuſmodi ſunt bona proximorum noſtrorum; tertiò per modum collaudantis, & huiuſmodi ſunt cæli, & angeli; quartò per modum tolerantis, & huiuſmodi ſunt mala pœnæ; quintò per modum referentis, & huiuſmodi ſunt mala culpæ, & ideo his omnibus vti poſſumus quia hæc omnia poſſunt aſſumi in facultatem voluntatis. d.1. q.4.

Gerardus reſp. quod omnia citra Deum ſūt referibilia in eum, & conſequenter eorum poteſt eſſe vſus; omnia enim citra Deum, vel ſunt opera Dei, vel opera noſtra, ſi ſunt opera Dei, non eſt dubium, quod ſunt referibilia in Deum tanquam in vltimum finem & pertractabilia a noſtra voluntate ſaltem per actū elicitum, ſi non imperatum; ſi vero ſunt opera noſtra, vel ſunt opera virtuoſa, vel vitioſa, vel indifferentia; ſi virtuoſa, vel ſunt facta in charitate, & ſic ſunt, vel actu, vel habitu referibilia in Deum, qui eſt obiectum charitatis, vel ſunt facta extra charitatem, & ſic licet non ex parte noſtra, ex genere ſuo tamen ſunt referibilia in Deum, ſi verò ſunt opera vitioſa, quamuis non ſint ipſa referibilia in Deum ſecundum ſe, nec inquantum ſunt elicita a peccante, quia ſic deuiant omnino ab vltimo fine, quatenus tamen voluntas q.5 ar.8

po-

Digitized by Google

poteſt circa ea habere aliquem actum, vt diſplicentiæ, & deteſtationis, ſic vtibilia dici poſſunt, ſi verò ſunt opera indifferentia, quia pro aliquo caſu poſſunt imperari a voluntate, idcirco & ipſa poſſunt referri in Deum, & conſequenter vtibilia eſſe.

q. 3 a. 2. Gregorius reſp. quod voluntas poteſt diligere, & odire propter aliud quæcunque ſunt citra Deum, quia poteſt ea apprehendere ſub ratione boni, & mali, & quoniam ſic diligēdo & odiendo aſſumitur aliquid in facultatem voluntatis propter aliud, quod eſt vti, ideo omnibus citra Deum contingit vti.

Reſolutio.

RESpondeo, quod multa ſunt citra Deum quæ non ſunt in poteſtate noſtra, nec ſubiacent noſtræ voluntati, & quamuis ſecundum intellectum, & voluntatem operemur circa ea intelligendo .ſ. & amando, non tamen poſſumus aliquid operari circa ea exequendo, & quoniã (vt dictũ eſt) vſus eſt actus immediatè potentiæ executiuæ, ideo non omnium citra Deum poteſt eſſe vſus.

Obiectio. Sed ſi omnia ſubiacent operi noſtro, ſi non quantum ad eſſe, ſaltem quantum ad operari? ea .ſ. vel reſpuendo, vel approbando, & ad Deum referendo?

Reſpondetur, quod reſpuendo, vel approbando ea, quæ non ſubiacent operi noſtro quantum ad eſſe non vtimur propriè, & immediatè illis, ſed vtimur operatione noſtra, quæ eſt reprobatio, & approbatio, ſicut opere intellectus, & voluntatis.

DISTINCTIO SECVNDA.

Hoc itaque vera, ac pia fide tenendum eſt, quod Trinitas, &c.

QVÆSITVM I.

An Deum eſſe ſit per ſe notum?

p. p. q. 17. ALbertus reſp. quod aliquid dicitur eſſe per ſe notum tribus modis primò ex parte noſcentis, ſecundò ex parte noſcibilis, tertiò quando propoſitio ex terminis in ſe poſitis omnibus ſe manifeſtat, quibus noti ſunt termini, & hæc duplex eſt, vel quę omnibus eſt nota ſic, vel ſapientibus tantum; Eſt itaque Deum eſſe per ſe notum primo modo non ſecundo, & tertio quoad ſapientes, non quoad omnes, quia poteſt concipi contrarium, cum dicat aliquando inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus.

D. Thomas reſp. quod Deum eſſe conſideratur dupliciter vel ſecundum ſeipſum, vel quoad nos & quoad nos dupliciter, vel ſecundum ſimilitudinem, & participationem, vel ſecundum ſuppoſitum conſiderando .ſ. ipſũ Deum, ſecundum quod eſt in natura ſua quid incorporeum. Si itaque conſideretur ſecundum ſe ipſum eſt per ſe notum, & ſimiliter quoad nos ſecundum ſuam ſimilitudinem, & participationem; nihil enim cognoſcitur niſi per veritatem ſuam, quæ eſt a Deo exemplata, veritatem autem eſſe eſt per ſe notum, ſi verò conſideretur ſecundum ſuppoſitum, non, quia aliquãdo negatur, vt ab inſipientibus, & aliquando a ſapientibus demonſtratur. d. 3 ar. 4

Et iterum reſp. quod in hac propoſitione Deus eſt, quia prædicatum includitur in ratione ſubiecti, quia eſſe eſt idem cum Deo, Deus enim eſt ſuum eſſe, ideo eſt propoſitio quantum in ſe eſt per ſe nota, ſed quia neſcimus de Deo quid eſt, non eſt nobis per ſe nota, ſeu quoad nos; eſt enim propoſitio per ſe nota, & non quoad nos, in qua prædicatum includitur in ratione ſubiecti, ſed nos ignoramus quid eſt ſubiectum illud, & prædicatum, ſicut ecõtra illa propoſitio eſt per ſe nota, & quo ad nos, in qua prædicatum includitur in ratione ſubiecti, & ſcimus quid eſt prædicatum illud, & ſubiectum. Item de Ver. q. 10. ar. 12. Ad hoc (inquit) quod aliquid ſit per ſe notum nihil aliud requiritur, niſi vt prædicatum ſit de ratione ſubiecti. Item contra gentes lib. 1. c. 10. p. p. q. 2 ar.

AEgidius reſp. quod tres ſunt conditiones propoſitionis per ſe notæ, prima quod prædicatũ ſit de ratione ſubiecti, ſecunda quod directè negari non poſſit, tertia quod quilibet eam probet auditam, & quoniam in hac propoſitione Deus eſt, prædicatum eſt de ratione ſubiecti ſcilicet eſſe, & directè eam nullus negare poteſt, ſi enim aliquis negat hoc eſt indirectè, quia non apprehendit quid eſt quod dicitur per hoc nomen Deus, ideo iſta propoſitio Deus eſt, eſt per ſe nota, etiam quoad nos. non quidem omnibus ſimpliciter, vt inſipientibus & ſtultis, ſed habentibus intelligentiam, & ſapientibus. Item Thom. ab Argentina diſ. 3. q. 1. ar. 3. d. 3 q. 2

Ricardus reſp. quod Deum eſſe nobis per ſe notum conſideratur dupliciter, vel quantum ad conditiones ſibi, & creaturæ communes, non communitate vniuocationis; ſed analogiæ, quæ ſunt vnum, bonum, ens; vel quantum ad cõditiones, a quibus hoc nomen imponitur ad ſignificandum, quæ ſunt fouere vniuerſa, conſumere malitiam, & huiuſmo- d. 3 a. 1

modi, primo modo, Deum eſſe eſt nobis per ſe notum, quia alquid ens eſſe, bonum eſſe, & huiuſmodi vltrò ſe offerunt cognitioni noſtræ; ſecundo modo quamuis Deũ eſſe ſit per ſe cognoſcibile, tamen propriè loquendo de nobis per ſe noto, ipſum eſſe non eſt nobis per ſe notum, quia nec etiam quid ſit, eſt nobis notum.

a 22. q. 2. Henricus reſp. quod propoſitio per ſe nota dicitur ex hoc quod termini notitiam rei ſic vltrò offerunt, vt virtute ipſorum ſtatim prædicatum cognoſcatur in ratione ſubiecti, & ideo iſta propoſitio Deus eſt, non eſt per ſe nota alicui, quia termini non vltrò ſe ſe notificant, & hoc in ſpeciali, vt ſignificatur ſub hoc nomine Deus natura aliqua excellentiſſima; nam in generali inquantum Deus, intelligitur ſub nomine entis, vel boni abſolutè, quæ cognitio de eſſe Dei eſt nobis naturaliter inſerta.

d. 2. q. 2. Ioannes Scotus reſp. quod in hac propoſitione Deus eſt, ly Deus, vel concipitur perfectè, vt ab ipſo Deo, vel imperfectè vt a nobis, tamen ſub ratione deitatis, & ſic iſta propoſitio, Deus eſt, eſt per ſe nota, quamuis diſtinctè a Deo, non diſtinctè verò a nobis. Si autem concipiatur Deus ſub alio conceptu vt ſummi boni, entis infiniti, & huiuſmodi, vt ſi quæratur; an ſummum bonum eſſe ſit per ſe notum, vel an infinitum eſſe ſit per ſe notum, reſp. quod non, primò quia hoc eſt dimonſtrabile, ſecundò quia non eſt euidens, tertiò quia talis conceptus non eſt ſimpliciter ſimplex.

diſ. 2 q. 2. Herueus reſp. quod iſta propoſitio Deus eſt, eſt per ſe nota, quia ſubiectũ habet ex ſe, quod ſibi conueniat prædicatum, eſt etiam per ſe nota ſimpliciter, quia prædicatum eſt de ratione ſubiecti, vnde quantum eſt ex natura rei per ſe nota eſt ab aliquo intellectu, qui poteſt videre rem, quæ Deus eſt, per ſe, vel in ſe; non eſt tamen per ſe nota nobis.

d. 3. q. 1. Durandus reſp quod Deum eſſe eſt propoſitio per ſe nota ſecundum ſe, quia prædicatum eſt de natura ſubiecti, ſed non quoad nos, primò quia non formatur ex terminis per ſe notis nobis, ſecundò quia ſicut de ratione Dei eſt ſuum eſſe, ita etiam ſua ſcientia, & immaterialitas, cum autem huiuſmodi termini non faciant propoſitionem per ſe notam quoad nos, neque iſti .ſ. Deus eſt; tertiò quia non ſtatim apparet connexio terminorum cognito eo, quod primò occurrit nobis de ſignificato huius termini Deus, & huius termini eſſe, quæ eſt proprietas propoſitionis per ſe notæ quoad nos.

Thomas Anglicus reſp. quod Deũ eſſe aliquo modo eſt notum, non tamen fortè ſicut per ſe intellectum, vel per ſe ſcitum, ſed fortè tanquam per ſe creditum, vel æſtimatum eſſe, & hoc quidem nõ ſecundum conceptum aliquem ſpecialem ſecundum quem eſt demonſtratum Deum eſſe a philoſophis, ſed alium .ſ. ſecundum conceptum communem; quem habent de Deo tam indocti, quam docti; omnes enim concipiunt aliquid eſſe, in quo poteſt eorum appetitus quietari, & a quo dependent tanquam ab agente completiuo, & quod eſt adorandum, & ad quod recurrendum, & huiuſmodi, quæ cognitio eſt valde confuſa, & indiſtincta. d. 2. q. 1.

Petrus Aureol. reſp. quod hæc propoſitio Deus eſt, immediate venit in mentem cuiuſlibet naturaliter, omnes enim imaginantur ſibi aliquem eſſe Deum, & licet non ex terminis, nam viatores non concipiunt aliter Deum, quam ſub ratione cuiuſdam entis, in quo conceptu attingitur ratio deitatis, confuſè tamen ex quodam imperceptibili argumento; omnes enim aſpiciẽtes ordinem rerum ſtatim veniũt in quodam primum, quod eſt Deus, & ideo hæc propoſitio Deus eſt, eſt per ſe nota; quia hæc eſt conditio eſſentialis propoſitionis per ſe notæ, vt immediatè .ſ. in mentem veniat. d. 2. a. 1

Franciſcus Maro reſp. quod iſta propoſitio Deus eſt, quãtum ad intellectum intuitiuè videntem Deum eſt per ſe nota, & ſimiliter quãtum ad intellectum habentem notitiam intuitiuam de omnibus creaturis; quantum verò ad intellectum habentem ſpeciem intelligibilem repreſentantem diuinam eſſentiam non eſt propoſitio per ſe nota, nec ſimiliter quãtum ad intellectum noſtrum, tum quia ab aliquibus negatur, & ab aliquibus probatur, tum quia ſubiectum quod eſt Deus, prout cõcipitur à nobis non habet conceptum ſimpliciter ſimplicem, quoniam includit partes, quarum vnio non eſt per ſe nota, includit enim entitatem, & infinitatem, quarum vnionem multi conantur demonſtrare. d. 2. q. 1.

Guilelmus Occham reſp. quod iſta propoſitio Deus eſt, quam pro ſtatu iſto formamus non eſt per ſe nota, quia eſt dubitabilis, vt verò eam format intellectus beatus cognoſcens diuinam eſſentiam in ſe eſt per ſe nota, quia beatus eam formans neceſſariò ei aſſentit. Item Petrus Aliacenſis q. 2. ar 2. & Gabriel Biel. d. 3. q. 4.

Gerardus reſp. quod duobus modis propoſitio aliqua dicitur per ſe nota, primò quãdo eius notitia immediatè ex ipſo ſenſu accipitur; ſecundò quando eius notitia immediatè ac- d. 3. q. 2. ar. 3.

accipitur ex ipſo ſignificato terminorũ. Hæc itaque propoſitio, Deus eſt, primo modo non eſt per ſe nota, quia eius euidentia non accipitur a ſenſu; ſed ſecundo; nam ſuppoſita notitia de ſignificato ſuorum terminorum abſque alio medio habetur euidens notitia de ea a ſolis ſapientibus, qui hanc ſignificationem cognoſcunt.

d.2. Gregorius reſp. quod hæc propoſitio Deus eſt, non eſt propoſitio per ſe nota; tum quia hoc prædicatum, eſt, non eſt per ſe notũ verificari de diffinitione exprimente quid eſt, quod dicitur per illud ſubiectum Deus; tum etiam quia adhoc, vt ſit nota, indiget notitia alterius propoſitionis, nulla autẽ propoſitio huiuſmodi eſt per ſe nota.

d.2. Guilel. Rub. reſp. quod iſta propoſitio Deus eſt, quam format viator, nõ eſt propoſitio per ſe nota, quia non eſt euidens, ſeu ex euidentibus formata; ſed ex ineuidentibus notitijs incomplexis, vt ex abſtractiuis notitijs rei nõ viſæ, ea autem quam format comprehenſor eſt per ſe nota, quia quilibet beatorũ nulla alia probatione mediante, aſſentit rei ſignificatæ per ipſam, & credit ipſam eſſe veram.

tr.1 p.1. q.1. Nicol. de Nijſe reſp. quod iſta propoſit. Deus eſt, eſt per ſe nota in ſe, quia habet euidentiam ex terminis notis, eſſe enim per ſe primò & immediatiſſimè conuenit eſſentiæ diuinæ, ſed non eſt nota per ſe nobis, quia non poſſumus habere conceptum proprium, & quiditatiuum ipſius Dei.

d.2. q.vn. Ioannes Maior reſp. quod iſta propoſitio Deus eſt, & ab inſipiente dubitatur, & eam multi philoſophi nixi ſunt demonſtrare; & ideo non eſt per ſe nota.

d.2. q.4. Ant. Andr. reſp. quod cum eſſe vt propriſſimum Dei dicatur in primo modo dicendi per ſe, eſſentia enim eius eſt ſuum eſſe; ſequitur quod hæc propoſitio Deus eſt, eſt per ſe nota.

d 3. q.2. Franc. a Chriſto reſp. quod in propoſitione per ſe nota tria maximè requiruntur, primum; vt ad ſui cognitionem alicuius extrinſeci cognitione non indigeat; ſecundum, vt cuilibet propoſita terminis cognitis probetur, tertium, vt naturaliter cuilibet veniat in mentem, eidemque quilibet mentis compos natura duce aſſentiat; & quoniam cognitio Dei eſt inſita a natura, & naturaliter cuilibet in mẽtem venit ſine alterius extrinſeci cognitione; idcirco hæc propoſitio Deus eſt, eſt propoſitio per ſe nota.

p.p. q.2. ar.1 Ludouic. Molina reſp. quod ſi res ſignificata hac propoſitione Deus eſt, ſpectetur ſecundum ſe, & non, vt his, vel illis terminis ſignicatur, eſt quidem ſecũdum ſe per ſe nota, ideſt ex ſuis tantum extremis cognoſci poteſt eſſe vera, quo pacto res ipſa cognoſcitur a beatis, qui diuinam eſſentiam manifeſtè intuentur; at vero nobis, qui in hac viſa extrema apprehẽdimus confuſè, nec penetramus naturam Dei, non eſt per ſe nota.

Gabriel Vaſquez reſp quod vnica ratio eſt, quæ optimè probat, quod Deum eſſe non ſit per ſe notum, & hæc eſt. Deus non poteſt cognoſci a nobis, niſi relatione ad creaturas, quia omnia nomina Dei aliquid genus relationis, aut dominij, aut cauſæ aut alterius rationis denotant; ſicut ergo impoſſibile eſt Deum a nobis cogitari pro ſtatu iſto niſi relatiuè ad creaturas, ſic etiam fieri nequit, vt per ſe, & non per alia nobis innoteſcat. a 1. c.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut notum dicitur in comparatione ad noſcens, nihil enim eſt notum, niſi quod ab aliquo noſcitur, vnde ſi nullum eſſet noſcens, nihil etiam eſſet notum, ex quo etiam fit, quod idem poteſt eſſe notum, & non notum; ita aliquid dicitur eſſe notum per ſe, quod noſcens non noſcit illud per aliud tanquam ſibi prius, vel magis notum, ſed immediatè, & per ſe, ex quo etiam fit, quod idem poteſt eſſe notum per ſe, & notum non per ſe. Et ſic dicitur de propoſitione, quod ſicut eadem propoſitio poteſt eſſe nota, & non nota, ita poteſt eſſe nota per ſe, & nota non per ſe, ſi enim noſcens illam immediatè noſcit, & non per aliam propoſitionem priorem, ſeu notiorem, dicitur talis propoſitio eſſe nota per ſe, ſi vero indiget, & requirit aliam propoſitionem priorẽ, & notiorem ea ad habendam notitiam eius, vtique talis propoſitio eſt nota non per ſe; ſed per aliud: ſic itaque dicendũ eſt de iſta propoſitione Deus eſt, vel Deum eſſe, quod ſicut non eſt nota omnibus, quia omnes non cognoſcunt Deum, ita non eſt nota per ſe omnibus, quidam enim habentes mentem optimè diſpoſitam aſſentiunt ei primò, & per ſe, ſine alterius propoſitionis adminiculo, & ſic talis propoſitio dicitur per ſe nota, quidam verò non ita, ſed demonſtrationem quærentes, & rationem, denominant iſtam propoſitionem notam non per ſe.

Sed ſi (vt inquit D. Ioann. Dam. in li. 1. de Orth. Fid. c. 1.) cognitio exiſtentiæ Dei, eſt nobis naturaliter inſerta? Obie. Fid. orth. lib.

Reſpondetur, quod ita loquitur D. Ioann. Dam. propter naturalem promptitudinem quam omnes habent intelligendi hanc veritatem quod Deus eſt, & non propter notitiã

aſt un-

Digitized by Google

actualem, & diſtinctam. Ita Nicolaus de Nijſe. Sub quadam confuſione (inquit D. Thomas, cum Scoto) non diſtinctè, & ſecundum ſuam naturam.

QVÆSITVM II.

An Deum eſſe demonſtrari poſſit?

In 1. ſũ c. 1. GVilelmus Antiſiodor. reſp. quod multipliciter poteſt probari Deũ eſſe; ex dependẽtia cauſatorum a cauſa; ex reductione eorum quæ ſunt ad primum fontem eſſendi; & intelligibilitate cuiuſdã optimi, & entis, quo nihil maius excogitari poteſt; hoc enim nomine Dei intelligimus.

p. p. q. 2. ar. 2. & 3. D. Thomas reſp. quod ex hoc, quod omnes intelligũt nomine Dei illud, quod eſt primum mouens immobile, primum efficiens, per ſe neceſſarium, quod eſt cauſa omnibus ſuæ bonitatis, & perfectionis, & quod omnia ordinat, & gubernat, ſatis demonſtratur ipſum eſſe demonſtratione quia, non propter quid; in omnibus enim mouẽtibus eſt deuenire ad aliquid primum mouens, & ſimiliter in omnibus efficientibus ad aliquid primum efficiens, & in omnibus neceſſarijs ad aliquid per ſe neceſſarium, alioquin daretur proceſſus in infinitum, & ſimiliter in gradibus rerum ad aliquid, quod ſit maximè tale, & cauſa omnis bonitatis, & perfectionis, & in gubernatione vniuerſi ad aliquid intelligens, quod omnia dirigat in ſuum finem.

d. 3. q. 3. Ægidius reſp. quod eatenus demonſtratur Deũ eſſe, quatenus demonſtratur eſſe id, quod nomine Dei intelligitur; id autem quod importatur, ſiue intelligitur nomine Dei tripliciter cognoſcitur, per excellentiam, per cauſalitatem, & per remotionem; & ſecundum huiuſmodi fiunt demonſtrationes, per quas neceſſariò concluditur Deum eſſe. Secũdum excellentiam fiunt quatuor demonſtrationes, ſicut in quatuor excellit creaturas, quantũ ad eminentiam poteſtatis, quantum ad pulchritudinem perfectionis, quantum ad excellentiam bonitatis, & quantum ad plenitudinem nobilitatis; cum enim ſit neceſſariũ eſſe quodam eminẽs omnibus, quodam perfectiſſimũ, quodam optimum, & quodam nobiliſſimum, & Deus eſt huiuſmodi, neceſſarium eſt quoque concludere Deũ eſſe. Secundum cauſalitatem, quatuor ſimiliter fiunt demonſtrationes ſicut quatuor cauſat in vniuerſo, eſſe, motũ, concordiam, ordinem; cum enim vnaquęque res habeat ab aliquo, eſſe, motum, connexionem ad alias, & ordinem; neceſſarium eſt deuenire ad aliquid vnum, quod det omnibus eſſe, quod ſit immobile, quod partes vniuerſi tam diuerſas connectet, & quod omnia dirigat propter finem, & cum huiuſmodi ſit Deus, neceſſarium eſt cõcludere Deum eſſe; Secundum remotionem, fiunt ſimiles demonſtrationes, quæ fiunt ſecundum excellentiam, & cauſalitatem, cũ enim neceſſe ſit eſſe perfectiſſimum, neceſſe eſt etiam eſſe aliquid in quo nulla ſit imperfectio, & hoc eſt Deus, & ſic de ſingulis.

Henricus reſp. quod aliquid eſt demonſtrabile ſimpliciter ex natura rei, & aliquid nobis ex diſpoſitione noſtri intellectus; quantum ergo eſt de natura Dei in ſe, Deum eſſe non eſt demonſtrabile homini, quia non eſt per medium cognoſcibile, cum nullum ſit medium inter eſſe, & eſſentiam eius; Quantum verò eſt ex diſpoſitione noſtri intellectus bene eſt ei demonſtrabile, non quidem eſſe Dei quod habet in ſe, ſed quod ſignificat compoſitionem intellectus, vt quod iſta enunciatio ſit vera Deus eſt, & hoc eſt demonſtrabile ex creaturis, ex quibus propter eſſentialem dependentiam earum ad Deum tanquam ad cauſam irrefragabiliter probari poteſt, quod ipſe eſt, & hoc dupliciter, analiticè, & demonſtratiuè; Demonſtratiuè duplici via. ſ. cauſalitate, & eminentia; ex cauſalitate tripliciter ſecundum quod eſt triplex cauſa efficiens, formalis, & finalis; ſecundum quod eſt cauſa efficiens tripliciter, primò ex parte motus, vt enim non detur proceſſus in infinitum neceſſe eſt deuenire ad aliquid primum mouens immobile; ſecundò ſimiliter neceſſè eſt deuenire ad aliquid neceſſarium habens eſſe a ſe; tertiò quia etiam in efficientibus neceſſe eſt deuenire ad aliquid primum; ſecundum quod eſt cauſa formalis dupliciter, primò quia eſt deuenire ad aliquid pulcherrimum, decentiſſimum, ſecundò quia ſimiliter eſt diuenire ad aliquod omnia iudicans. ſecundum quod eſt cauſa finalis, quia eſt deuenire ad vnum vltimum finem; ex eminentia dupliciter; primò quia omne bonum in creatis eſt deficiens; ergo eſt deuenire ad aliquid perfectum; ſecundò quia in his in quibus eſt magis & minus, ſemper eſt deuenire ad aliquid ſimpliciter. Analiticè ideſt probabiliter, probatur tripliciter, ex cauſa efficiente; materialiter, & ratione conſeruationis. ar. 22 q. 4

Ricardus reſp. quod duplex eſt demonſtratio, propter quid, quæ procedit per cauſam, & quia, quæ procedit per effectum; prima demonſtratione non poteſt demonſtrari Deũ eſſe, ſed bene ſecunda. hæc autem quintuplex d. 3. ar. 1 q. 3.

plex; prima ſumitur ex eo quod vna res magis eſt quam alia; ſecunda ex eo, quod nulla creatura quietari poteſt in bono creato; tertia ex eo, quod in mouentibus, & motis non eſt procedere in infinitum; quarta ex eo quod res naturarum diſſonantium in vnum tamen ordinem ſemper concordant; quinta ex eo quod omnia tendunt in finem, & illum appetunt, vt vltimum.

d.2. q.1. Ioannes Scotus reſp. quod eſt aliquid realiter inter entia, quod eſt ſimpliciter primum primitate efficiétiæ, finis, & eminentiæ. Quod ſit aliquid ſimpliciter primum primitate efficientiæ deducit ex tribus propoſitionibus, quarum prima eſt, eſt aliquid quod eſt primũ effectiuum ſimpliciter, nec effectibile, nec effectiuum virtute alterius, alioquin daretur proceſſus in infinitũ; ſecunda Simpliciter primum effectiuum eſt incauſabile, alioquin eſſet dependens & non primum; tertia, primum effectiuum eſt in actu exiſtens, & aliqua natura exiſtens actu ſic eſt effectiua repugnat enim ei eſſe ab alio vt ſic Quod ſit aliquid ſimpliciter primum primitate finis deducit ex tribus propoſitionibus, quarum prima eſt aliquid finitiuum eſt ſimpliciter primũ, ideſt non ad aliud ordinabile; infinitas .n. eſſentialiter ordinatorum eſt impoſſibilis; ſecunda, primum finitiuũ eſt incauſabile, eſt enim infinibile; tertia, primum effectiuũ eſt actu exiſtens, & alicui naturæ neceſſario actu exiſtẽti conuenit iſta prioritas, nam eſt, & repugnat ei ſimpliciter ab alio eſſe. Quod ſit aliquid ſimpliciter primum primitate eminentiæ ex tribus alijs propoſitionibus deducit; prima eſt, aliqua natura eminens eſt ſimpliciter prima ſecundum perfectionem, per Ariſ. 8. Meth. t. 10. ſecunda, ſuprema natura eſt incauſabilis, quia eſt infinibilis. tertia, ſuprema natura eſt aliquid actu exiſtens, nam repugnat ei eſſe ab alio: ex quibus deductionibus ſatis conſtat, Scotum velle demonſtrare, Deum eſſe.

d.3. q.1. Durandus reſp. & probat Deum eſſe per viam eminentiæ, per viam cauſalitatis, per viam remotionis in quibuſcunq; enim perfectionibus ſpecificis eſt deuenire ad aliquid primum ne detur proceſſus in infinitum, ſicut etiam in cauſis finitis, in quibus non eſt circulatio, neceſſe eſt dare primam cauſam; & eſt aliquid in entibus quod eſt, & non eſt ab alio; & hoc eſt, quod nomine Dei intelligimus. Item Franciſcus a Chriſto.

d.2. q.2. Franc. Maro reſp. quod Deũ eſſe eſt demõſtrabile demõſtratione quia, duplici modo phyſico. ſ. per motum, quia ſic eſt deuenire ad primum, quod eſt prima cauſa, & metaphyſico per eminentiam, quia eſt deuenire ad primum eminens, quod eſt primum ens; duplici itẽ demõſtratione quia, a priori, & a poſteriori, a priori eſt iſta, omne ens infinitum exiſtit actualiter; Deus eſt huiuſmodi. ergo Deus eſt. a poſteriori eſt iſta, omnis prima cauſa exiſtit; Deus eſt huiuſmodi, ergo Deus exiſtit.

Guilel. Occham reſp. quod ex rerum conſeruatione demonſtratur ſic Deum eſſe. Omnes res quæ producuntur ab aliquo conſeruantur, quandiu manent in eſſe reali, vel ergo illud conſeruans producitur ab alio, vel non, ſi non; eſt efficiens primum, quia omne conſeruans eſt efficiens, ſi ſic, vel datur proceſſus in infinitum, quod eſt impoſſibile, vel ſtatur ad aliquid quod non producitur. & hoc eſt primum conſeruans, & conſequenter efficiens primum, quod eſt Deus. q.1.

Adam Godam reſp. quod ex eo quod in entibus neceſſe eſt dare aliquid nobiliſſimum actu, ſatis probari poteſt Deum eſſe. q.1.

Guilel. Rub. reſp. quod Deum eſſe non eſt proprie demonſtrabile per rationem ſ. ita euidentem, quod non poſſit ad eam eſſe ſolutio; nam ſi eſſet ita demonſtrabile maximè demõſtraretur per illam rationẽ, in qua aſſumitur, quod non ſit proceſſus in infinitum in cauſatis & cauſis, vnde eſt deuenire ad aliquid primum, quod eſt Deus; cuius tamẽ rationis poteſt negari aſſumptum; ſed bene eſt demonſtrabile demonſtratione largè ſumpta, quæ eſt omnis ratio, quæ cuique indifferenti, & indeterminato eſt euidentior, quam ſolutio, quæ poſſet dari ad ipſam, quod conſtat ex ratione adducta, nam non poteſt dari aliqua ſolutio ipſa euidentior. q.1.

Alphonſus reſpondet, quod naturaliter poteſt demõſtrari Deum eſſe; primò, per id, quod Deus eſt id quo maius cogitari non poteſt; ſecundò per id, quod in vniuerſitate entium eſt aliquid, quo non eſt, nec poteſt eſſe maius, tertiò, quia in perfectionibus ſpecificis aut eſt dare ſupremũ, in quo eſt ſtatus, aut nõ, ſi datur ſtatus, ergo eſt Deus, ſi non; vel eſt, proceſſus in infinitum actu, vel potentia tantũ, ſi actu, ergo eſt Deus, ſi potentia, ſimiliter. q.1.

Petrus Aliac. reſp. quod eſt naturaliter probabile Deum eſſe, vnde philoſophi naturali ratione probauerunt primum motorem eſſe, primam cauſam, primum principium, & huiuſmodi. q.3. ar.2

Nicol. de Niiſe reſp. quod eſt demonſtrabile aliquod eſſe ens ſimpliciter primum, ne tollatur ordo eſſentialis a rebus; eſt autem ens ſimpliciter primum, Deus. tr.1 p.1. q.1.

Andreas de Nouo caſtro reſp. quod natura- q.4.

taliter poteſt demonſtrari, & ſufficienter, aliquod eſſe ens eminentiſſimum ſecūdum perfectionem, & nobilitatem, quo .ſ. nullum aliud ſit eminentius, quod omnes intelligunt nomine Dei.

d. 1. Ioann. a Gel. reſp. quod difficile eſt demōſtrare contra proteruum Deum eſſe, & argumenta, quæ ad hoc ſolēt adduci, ſolui poſſunt.

d. 3. Michael de Pal. reſp. quod eſt quodam genus demonſtrationis, quod cauſam ſimul cum effectu demonſtrat eſſe; aliud, quod cauſam oſtendit, ſed non rem eſſe; tertium, quod rem oſtendit eſſe, non tamen cauſam, & hæc demōſtratio eſt, qua vtuntur philoſophi ad oſtendendum Deum eſſe.

§. 2. Guilel. Eſtius reſp. quod Deus non poteſt demōſtrari eſſe per cauſam, ſed per effectus, & huiuſmodi conuincunt, alioquin non diceret Apoſtolus inexcuſabiles eſſe ſapientes, qui ex viſibilibus huius mundi Deum nō cognouerunt, vel glorificauerunt.

q. 2. ar. 2 Ludouic. Molina reſp. quod negare non poſſe demonſtrari Deum eſſe, ſaltem a poſteriori, non ſolum eſt temerarium, ſed in fide minimè tutum; ſunt ergo quatuor demonſtrationes, quæ vt rationes efficaces id demonſtrant; prima, nihil quod intra orbem lunæ continetur habet eſſe a ſe, ergo eſt aliqua cauſa ſuperior, a qua res primò eſſe acceperunt, vel ergo, hæc habet eſſe a ſe, vel ab alio; ſi a ſe, habetur intentum, ſi ab alio, ergo proceſſus in infinitum. 2. materia cum ſit imperfectiſſima non habet eſſe a ſe, ergo ab alio, & non niſi per creationem, quoniam effici debet nullo præſuppoſito, ergo &c. 3. anima rationalis eſt immortalis, & independens a materia, ergo per creationem producitur, & nō a corpore, ergo ab intelligentia. 4. omnia agunt propter finem, ordinantur, prouidentur, & huiuſmodi, ergo eſt Deus, qui ea dirigit in finem, ordinat, prouidet &c.

diſp. 1 a 2 p. 2 Gregor. de Valent. reſp. quod a priori non poteſt demonſtrari Deum eſſe, quia non habet cauſam, neque per eius quiditatem, quia eſſe rei non poteſt demonſtrari per eius quiditatem, cum an eſt ſit prior quid eſt; poteſt tamen Deum eſſe demonſtrari per demonſtrationem euidentem ex ſuis effectibus, & hoc negare eſt planè erroneum in fide, ſi non etiā aperta hæreſis. Probat autem hoc ex quinque, ex motu; ex ratione cauſæ efficientis; ex ratione contingentiæ, atque neceſſarij; ex rerum gradibus ſecundum perfectionem; & ex rerum gubernatione.

diſp. 19. c. 3. Gabriel Vaſquez reſp. quod ex gubernatione, & conſeruatione creaturarum exactiori conſideratione, & diſcurſu a poſteriori, non tantum probabiliter, ſed etiam euidenter probamus quantum naturali philoſopho fas eſt, Deum eſſe, tripliciter autem hoc demonſtramus; primò, quia in cauſis per ſe ordinatis deueniendum eſt ad primam; ſecundò, quia ſi non eſſet Deus, tollenda eſſent præmia virtutum, & ſupplicia viciorum; tertiò, quia vt dicit D. Anſelmus Deus eſt id, quo melius excogitari non poteſt.

Reſolutio.

RESPONDEO, quod exiſtentia effectus ſemper ducit in cognitionē exiſtentiæ cauſæ ſuæ, qui effectus ſi ab alia cauſa prouenire poteſt, ducit in cognitionem illius tantum probabiliter, ſi verò ab alia cauſa prouenire non poteſt ducit in cognitionem illius neceſſariò, & hæc eſt demonſtratio ab effectu, vt dies eſt, ergo ſol eſt ſuper terram. Cum itaque multi ſint effectus, qui eſſe non poſſunt niſi ab aliquo ſummo opifice, & excedente facultatem omnium, quæ ſunt in vniuerſo, vt cælum, terra, mare, pulchritudo, & ornatus eorum, & huiuſmodi; ideo ex horum exiſtentia, quæ nobis maximè innoteſcit neceſſariò concludimus exiſtentiam ipſius ſummi opificis, quem nomine Dei intelligimus: & hæc ſola eſt vera demōſtratio ab effectu, quæ eius exiſtentiam probat, niſi tamen ſit alia, quæ æquipolleat ei: cæteræ quæ adducuntur ab alijs ſunt rationes probabiles facientes quidē opinionem, non ſcientiam.

Sed ſi effectus Dei non ſunt proportionati ei, cum ſint finiti, ipſe verò infinitus? Obiectio.

Reſpondetur, quod per effectus non proportionatos cauſæ non poteſt perfecta cognitio de cauſa haberi; ſed tamen ex quocunque effectu poteſt manifeſtè demonſtrari cauſam eſſe. Ita D. Thomas. Et Eſtius, Ex quocunque effectu poteſt demonſtrari quod cauſa ſit, licet non ex quocunque poſſit haberi perfecta cognitio cauſæ.

QVÆSITVM III.

An Deus poſſit cogitari non eſſe?

ALex. reſp. quod Deus veriſſimè eſt, et perfectè, quod autem veriſſimè eſt, & perfectè non poteſt non eſſe, nec cogitari non eſſe. q. 3. m. 1

Albertus reſp. quod eſt impoſſibile cogitare Deum non eſſe; primò, quia ipſum eſſe eſt omnibus inditum per naturam; ſecundò, quia eſt eſſe veriſſimum; tertiò, quia eſt eſſe neceſſ.; q. 19. m. 2

quar-

quartò, quia ei attribuendum eſt, quo nihil maius excogitari poteſt, quintò, quia principium intelligendi (vt dicit Auer.) intellectus diuinus eſt, ſextò, quia eſt eſſe ſimpliciter; Imò (ſubiungit m.4.) cum nullam habeat potentiam, vel relationem ad non eſſe, ſolus ipſe eſt, de quo non poteſt cogitari non eſſe.

p.1. q.2. ar.1 D. Thomas reſp. quod quis poteſt intelligere quod ſignificetur per hoc nomen Deus, et cum hoc poteſt etiam intelligere, quod id quod ſignificatur per nomen non ſit in rerum natura; ſed tantum in apprehenſione intellectus.

d.8. a.1. q.2. D. Bonau. reſp. quod aliquid poteſt cogitari non eſſe dupliciter, aut in ratione falſi, ſicut cum homo cogitatur aſinus, aut cum aſſenſu cogitantis ſicut cum aliquid cogitatur non eſſe, quia creditur non eſſe; primo modo Deus poteſt cogitari non eſſe; ſecundo verò, ex parte intelligentis, quando .ſ. intelligens eſt ignorans, non quoad ſi eſt, ſed quoad quid eſt, poteſt ſimiliter cogitari non eſſe; ſed ex parte intelligibilis, non poteſt, quia quod ex parte intelligibilis aliquid poſſit cogitari non eſſe, hoc eſt, vel quia illud non eſt ſemper, vel quia non eſt vbique, vel quia non eſt vbique totaliter; at Deus eſt ſemper vbique, et totaliter, ideo non poteſt cogitari non eſſe.

a.30. q.3. Henricus reſp. quod quæſtio de non cogitando Deum non eſſe poteſt eſſe de incomplexo, et de complexo, primo modo eſt impoſſibile cogitare Deum non eſſe, quia nihil poteſt in rerum natura cogitari non eſſe, niſi ſeorſum cogitetur ipſum eſſe, et eſſentia, quæ in Deo idem ſunt re, et intentione: ſecundo modo cogitare Deum non eſſe contingit dupliciter, vno modo cogitando vocem, qua dicitur Deum non eſſe, alio modo cogitando rē ſignificatam per vocē; primo modo eſt poſſibile cogitari non eſſe; ſecundo modo verò ſi cogitans aſſentit ei, quod cogitat, & intelligit quid per vocem diſtinctè ſignificatur, non poteſt cogitare Deum non eſſe, ſi tamen confuſè, & in vniuerſali, ſi cogitare ſumitur propriè pro actione partis intellectiuæ puræ, non poteſt cogitare Deum non eſſe, ſi pro actione intellectus phantaſtica, poteſt & implicitè, & explicitè; explicitè, vel conuertendo intellectum in intelligendo Deum ad aliquid nobile in creaturis exiſtens, exiſtimando illud eſſe Deum, vel ad aliquid in imaginatione excedens in nobilitate omnes creaturas, quæ in eſſe conſpiciuntur; implicitè verò cogitando aliquid indignum de illo.

d.3. Durandus reſp. quod aliquis non poteſt cogitare Deum non eſſe ex ſuppoſitione, quod ſcilicet ſupponat Deum eſſe id, quo nihil maius cogitari poteſt; ſecus tamen abſolutè.

Gabriel Vaſquez reſp. quod ſi ſemel concipiamus rem ſignificatam per nomen, non poſſumus cogitare Deum non eſſe. diſp. 19 c.3

Reſolutio.

RESpondeo, quod Deus poteſt cogitari nō eſſe ab inſipientibus, & fatuis, ab his ſcilicet, qui quamuis hæc mundana conſpiciant, ipſa tamen pertranſeunt, vel non cogitando de ſua cauſa, vel perperam opinando de ſuo auctore, qui eſt Deus; at fatui ſunt, & inſipientes; a ſapientibus autem, & ab his, qui intelligentia pollent, & diſcurſu, non poteſt cogitari non eſſe, ſicut ab his, qui cognoſcunt veſtigium, non poteſt cogitari non eſſe animal; ſunt autem omnia creata quaſi veſtigium Dei, ex quibus ad eum mens ipſa naturaliter inducitur, & eleuatur, niſi velit petulanter obſiſtere, & in profunditate ſuæ fatuitatis, & ignorantiæ permanere.

Ob. Sed ſi diuinum eſſe eſt minus cognoſcibile, quam eſſe creatum quodlibet, de quo tamen ſapientes poſſunt cogitare non eſſe?

Reſpondetur, quod diuinū eſſe eſt minus cognoſcibile quoad quid eſt, non tamen quo ad quia eſt. Ita Alexander. Et Henricus. Minus notum magis cogitari poteſt non eſſe, quam magis notum, quantum eſt ex parte cogitantis, quia poteſt cogitare cogitatione phantaſtica, ſed non ex parte rei cogitatæ cogitatione propria intellectuali.

QVAESITVM IV.

An Deus ſecundum eſſentiam ſit tantum vnus, idque ratione aliqua naturali demonſtrari poſſit?

GVilelmus Antiſiod. reſpondet, quod Deus eſt ſummum bonum, non poſſunt autem eſſe plura ſumma bona; nam ſequeretur, quod hoc ſummum bonum eſſet vniuerſale, nullum autem vniuerſale poteſt trahi ad ſingulare, niſi per aliquā adiunctionem, vnde non eſſet ſummè ſimplex, ſummum autem bonum debet eſſe ſummè ſimplex, & conſequenter vnum.

D. Thomas reſp. & probat quadrupliciter vnum tantum eſſe Deum: primò, quia oportet eſſe vnum perfectiſſimum, a quo entia habeant eſſe: ſecundò, quia oportet eſſe vnum quod ſit vſquequaque bonum: tertiò, quia impoſſibile eſt eius, in quo idem eſt eſſentia, & eſſe, multiplicari eſſentiā ſine eſſe; quartò,

quia

quia omnem multitudinem rerum oportet ad vnum tantum reduci.

1. p. q. 11. a. 3. Et iterum reſp. quod Deum eſſe vnum poſſumus demonſtrare primò ex eius Simplicitate; cum enim Deus ſit ſua natura, ſecūdum idem eſt Deus, & hic Deus; ſed non eſt plurificabilis hic Deus, ergo non poſſunt eſſe plures dij: ſecundò, ex infinitate eius perfectionis, ſi enim eſſent alij dij ab vno differret ab eo, & conſequenter haberent aliquam perfectionem, quam ipſe non haberet; tertiò, ex vnitate mundi; cum enim vnus ſit mundus ex reductione omnium rerum in ordinem vnū, neceſſe eſt, vt reducantur in vnum ab aliquo vno, quod ſit cauſa per ſe, & prima; (multa enim vnius non ſunt cauſa, niſi per accidens) hæc autem non eſt, niſi Deus.

d. 2. q. 1. D. Bonauentura reſp. Deum eſſe vnum, quod ex his probat: Deus eſt ſimpliciſſimus, ergo cum nullo alio diuerſo poteſt communicare. Deus eſt omnipotentiſſimus, ergo poteſt facere, quod alia potentia a potentia ſua nihil poſſit. Deus eſt quid ſimpliciter ſummum; ergo omnia ſunt infra ipſum, quæ ſunt diuerſa ab eo. Deus eſt infinitus, ergo non poteſt eſſe alius ab eo. Deus eſt ſummum bonum, ergo non indiget alio, vt fruatur eo. Deus intelligitur vt ſimpliciter ſummum, & a quo ſunt omnia; ergo non eſt intelligibile poſſe plurificari.

d. 2. q. 1. Ægidius reſp. quod quæ plura ſunt neceſſe eſt, vt aliquo modo ſint vnum, ſi ergo ſunt plures Dij, ſunt etiam vnum, vel ergo ſunt plura accidentibus, & vnū ſubiecto, vel plura numero, & vnum ſpecie, vel plura ſpecie, & vnum genere, vel vnum analogia; Si primo modo nullus eorum eſſet per ſe exiſtens; ſi ſecundo haberent materiam; ſi tertio eſſet compoſitio in eis generis, & differentiæ; ſi quarto aliquis eorum non eſſet per eſſentiam tale, ſed per reductionem, & ſic non eſſet Deus.

ar. 23 q. 2 & 3 Henricus reſp. quod ex ordine vniuerſi ſecundum quem omnia connexa ſunt, deducimus tanquam a poſteriori eſſe vnum tantum Deum .ſ. primum motorem, qui mouet vt efficiens, ſecundum formam, & finem, a priori verò hoc idem deducimus ex ſua ſimplicitate, ex ſua gubernatione, & ex ſua perfectione.

d. 2. ar. 1 q. 4 Ricardus reſp. & probat multipliciter nō poſſe eſſe plures Deos; primò, quia omnis multitudo ab vnitate trahit originem; ſecundò, quia in omni ordine eſſentiali neceſſe eſt deuenire ad aliquod primum; tertiò, quia connexionem diuerſorum oportet reducere ad aliquod vnum; quartò, quia omne imperfectum oportet trahere originem ab aliquo ſimpliciter perfecto; quintò, quia nomine Dei intelligimus id, quod eſt incircunſcriptum, & vbique; ſextò, quia id eſt quo nihil maius cogitari poteſt; ſeptimò, quia eſt id, quod eſt omnino ſimplex.

Ioannes Scotus reſp. quod primum efficiens eſt tantum vnum ſecundum naturam, & hoc probat tripliciter; primò, ſi duo eſſent prima ſimpliciter effectiua, vel rationes formales, per quas diſtinguuntur eſſent rationes formaliter neceſſariò eſſendi, vel non, ſi ſic, ergo vtrumque duabus rationibus formalibus erit neceſſe eſſe, quod eſt impoſſibile, ſi non, ergo illæ rationes non ſunt formaliter rationes neceſſariò eſſendi, & ita neutrum neceſſe eſt eſſe; ſecundò, ſpecies ſunt ſicut numeri, ergo duæ naturæ eminentiſſimæ nō poſſunt eſſe in vniuerſo, nec ex conſequenti duo prima effectiua; tertiò, non poſſunt eſſe duo vltimi fines; nam haberent duas coordinationes entium ad ſe, ita quod iſta entia ad illa nullum ordinem haberent, quod eſt inconueniens. d. 2. q. 2. ar. 3

Deinde quæſt. 3. reſpondet ex ſeptem vijs deduci poſſe Deum vnum tantum eſſe .ſ. Ex infinito intellectu, ex infinita voluntate, ex infinita bonitate, ex ratione infinitæ potentiæ, ex ratione infiniti abſoluti, ex ratione neceſſe eſſe, & ex ratione omnipotentiæ.

Herueus reſp. quod ſi eſſent plures dij, vel eſſent ſpecie, vel numero differentes; quod non poſſint eſſe plures ſpecie differentes probat tripliciter; ex præeminentia ſuæ nobilitatis in comparatione ad alia; ex plenitudine ſuæ perfectionis ſecundum ſe acceptæ; & ex ſua vniuerſalitate, & primitate in cauſando. Quod nec numero probat quintupliciter, primò, quia in Deo non eſt materia vnde poſſit ſic plurificari; ſecundò, quia in diuinis non eſt diuerſitas productionum abſolutarum; tertiò, quia nulla eſt potentialitas; quartò, quia iſti dij omnes eſſent cauſa omnium, vel nulli, vel quidam tantū, quæ omnia ſunt inconuenientia; quintò, quia cum ex parte formæ non eſſet ſumenda iſta pluralitas, quod .ſ. eius indiuidua eſſent in tanto, & tanto numero, ergo eſſet ſumenda ex parte agentis, vel finis; ſed Deus nec agens habet, nec finem, ergo plurificari non poteſt. d. 2.

Durandus reſp. quod eſt impoſſibile plures eſſe Deos, ſiue ſpecie, ſiue ſolo numero differentes, quod ſit impoſſibile plures eſſe ſecundum ſpeciem probat dupliciter; primò, d. 2. q. 2.

per

Digitized by Google

per id, quod omnes ſpecies ſubſtantiæ quæ ſunt, & eſſe poſſunt ordinantur ſub vno ſecundum ſpeciem, quod eſt ſupremum, & perfectiſſimum inter omnes ſubſtātias; ſecundò, per id, quod nomine Dei intelligimus, quod eſt perfectiſſimum, vbicunque autem ſunt duo, quæ ſpecie differunt, vnum eſt altero perfectius. Quod autem ſit impoſſibile plures eſſe ſecundum numerum differentes probat item dupliciter; primò, per hoc, quod natura diuina non eſt ab alio plurificabilis effectiuè, cum non habeat cauſam agentem priorem ſe, ſed eſt de ſe plurificata ſi eſt in pluribus, & ſic non eſt vna ſecundum ſpeciem in illis, & conſequenter non differunt ſolo numero; ſecundò, per hoc, quod ſi ſic poſſet plurificari, poſſet in infinitum plurificari, atque ita poſſent eſſe infiniti Dij.

d.1. Petrus Aureolus reſp. quod vnitas Dei poteſt demóſtrari ex ratione nobiliſſimæ ſubſtantiæ, ex ratione vltimi finis, & ex ratione formæ exemplaris; quia enim eſt nobiliſſima ſubſtantia neceſſariò eſt vna ſecundum ſpeciem, quia impoſſibile eſt dari duas ſpecies in æquali gradu differentes, & ſicut eſt vna ſpecificè, ita & numeraliter cum ſit abſtracta ab omni materia; & quia eſt vltimus finis, neceſſariò ſimiliter eſt vnus, ad quem omnia tendunt, & inclinantur; & quia eſt forma exemplaris omnium, eſt item vnus cōtinens omnem aliam entitatem eminenter.

d.2. q.4. Franciſcus Maro reſp. quod qnatuor modis poſſumus imaginari plures eſſe Deos, vel diuerſos, vel contrarios, vel diſparatos, vel eiuſdem rationis; nullo autem ex his modis poſſunt eſſe plures dij; non diuerſi, quia diuerſitas dicit imperfectionem; non contrarij, quia contrarietas eſt mala; non diſparati, quia nulla poſſibilitas eſt in Deo, ſed ſumma neceſſitas; non eiuſdem rationis, quia eſt in eo ſumma hæcceitas, & actualitas.

d.2. q.10. Guilelmus Occhā reſp. quod ſi eſſent duo dij diſtinguerentur, vel ſpecie, vel numero; ſi ſpecie, ergo vnus eſſet perfectior altero, & ſic ille non eſſet Deus, ſi numero, ergo ſine contradictione poſſent eſſe plures, & plures, cum non poſſit dari certus numerus talium indiuiduorum; ſed hæc ratio (ſubiungit) eſt probabilis, non demonſtratiua.

d.2. q.1. a.2. Adam Godam reſp. quod ſi eſſent plures dij, vel diſtinguerentur ſpecie, vel genere, vel numero, ſicut probant plerique alij doctores; cæterum, hoc euidenter probari non poteſt.

Thomas ab Argentina reſp. quod non poſſunt eſſe plures dij, neque ſolo numero differentes, quia Deus eſt actus purus, & omnino neceſſe eſſe; neque ſpecie, quia non eſt compoſitus, ſeu potentialis; neque genere, quia in ſe omnes continet perfectiones; nec etiam analogia, quia non conuenirent in deitate, ſi plures eſſent.

Et iterum hoc idem probat quintupliciter; primò, quia non poſſunt eſſe plura prima principia, nec ſimilia, nec contraria; ſecundò, quia eſt vnum tantum purum neceſſe eſſe; tertiò, quia primum principium ab eodē habet, quod ſit hoc, & quod ſit eſſentia, eſſentia autem, quæ per ſe ipſam eſt hoc ſignatum, non poteſt pluribus conuenire; quartò, quia primum principium debet eſſe ſimplex; quintò, quia non poſſunt eſſe plura neceſſe eſſe propter ordinem vniuerſi.

Hanc rationem adducit etiam Mich. de Bon. quod ſi eſſent plures, plures eſſent omnipotentes, quod eſt inconueniens.

Gerardus reſp. quod Deo repugnat plurificari; primò, quia principio ſummè bono, vt eſt ens indepēdens repugnat plurificari; ſecundò, ratione ſuæ perfectionis; tertiò, ratione ordinis vniuerſi.

Guilelmus Rub. reſp. quod iſta propoſitio Deus eſt vnus, eſt demonſtrabilis demonſtratione euidenti, quia vnum eſt paſſio, cuius diffinitio eſt eſſe in ſe indiuiſum, & ab alio diuiſum, ſeu diſtinctum, eſt autem quælibet paſſio demonſtrabilis per ſuam diffinitionem de ſuo ſubiecto, vnde Deum eſſe vnum ſic poteſt euidenter demonſtrari. Omne in ſeipſum indiuiſum, & ab alio diſtinctū eſt vnum; ſed Deus eſt in ſe indiuiſus, & ab omni alio diſtinctus, Ergo eſt vnus.

Alphonſus reſp. & ex eo quod, ex pluralitate Deorum deducit, vel inſufficientiam in eis, vel ſuperfluitatem, & infinitatem, ſatis concludit plures non poſſe eſſe Deos. Et quaſi eodem modo, procedit Michael de Pal.

Petrus Aliacen. reſp. quod in lumine naturali non eſt nobis per ſe, aut per experientiā notū tantum vnū Deū eſſe, nec ex taliter notis euidenter probari, cum iſta non ſit per ſe nota, Deus eſt; eſt tamen probabile in lumine naturali, quia multæ rationes naturales poſſunt fieri, & factæ ſunt a Philoſophis cōcludentes tantum vnum eſſe Deum.

Marſilius reſp. quod Deum eſſe tantum vnum probari poteſt ex rerum ordine, ex earum vnione, ex mundi vnitate, ex non apparente neceſſitate ſui, & ex omnimoda eius ſimplicitate.

Stephanus Bruliſer reſp. Deum eſſe plures impoſſibile eſſe, quia eſt impoſſibile plura

um-

ſumma eſſe, Deus autem propriè accipiendo eſt ſummum ens.

d.2. q.5. Andreas de Nouo Caſtro reſp. qood in lumine naturali ponendum eſt Deum vnicum eſſe: primó, quia magis conſonat vnitati, & connexioni vniuerſi; ſecundò, quia pluralitas deorum deſtrueret ordinem eiuſdem vniuerſi. Hanc eandem rationem adducit Guilel. Eſtius d. 2. §. 2.

d.2. Ioannes a Cel. reſp. quod iſta propoſitio Deus eſt vnus, non eſt demonſtrabilis, ſed iſta conditionalis eſt demonſtrabilis ſi Deus eſt, vnus eſt, non plures, ſuppoſito quod per ly Deus intelligatur ſummum bonum, aut perfectiſſimum.

d.2. ar.2. Guilel. Varrill. reſp. & probat impoſſibilitatem plurium deorum triplici medio .ſ. ratione potentiæ, quia eſſent plures omnipotentes, ratione intellectus, quia ſi alter intelligeret alterum per eſſentiam illius eſſet imperfectior eo, ſi per eſſentiam propriam eſſet perfectior; tertiò rõne voluntatis, quia in fruendo ſe ipſis duo eſſent adæquata obiecta fruitionis perfectæ, quod eſt inconueniẽs.

q.11. ar.14 Ludouic. Molina reſp. quod ſi eſſent plures numero dij, vel eſſent vnum genere, vel ſpecie, vel analogia; ſi genere, aut ſpecie, ergo eſſet ibi compoſitio ex genere & differentia; ſi analogia, cum ea quæ ſunt ſic vnum non ſint æqualis perfectionis, vnus eſſet perfectior altero, quod eſt inconueniens.

q.11. Gregorius de Val. reſp. quod euidenter demonſtrari poteſt non eſſe plures Deos per hoc quod Deus eſt quædam res ſumma, ſimplex, infinitè perfecta, prima cauſa, finis vltimus omnium, princeps, ac rector vniuerſi.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut non eſt notũ apud omnes Deum eſſe, ſed apud eos tantũ, qui mentem habent bene diſpoſitam; ita eſſe vnum non ſolum non eſt notum apud omnes, ſed neque demonſtrabile; ſunt enim quamplurimi, qui ita plures eſſe Deos aſtruunt, vt nihil firmius, ac proinde eos adorant, & colunt, quales erant olim teſte lactantio Firmiano; Phœnices, Phriges, Athlantici, & cæteri idololatræ, de quibus etiam D. Aug. in lib. 7. de Ciu. Dei. Eſt tamen demonſtrabile apud eos, qui mente pollent, & ingenio cum enim nomine Dei intelligamus id quo nihil maius excogitari poteſt, hoc etiam intelligere neceſſe eſt eſſe infinitam quandam ſpiritualem ſubſtantiam, & quoniam eſt impoſſibile infinitam ſubſtantiam, ſecum aliam ſubſtantiã infinitã pati, nam talis ſubſtãtia eſſet, vel ſuperior, vel inferior, vel æqualis; non ſuperior, quia infinito nihil eſt ſuperius, non inferior, quia infinitum nulli eſt inferius, non æqualis, quia cũ infinitum totum exhauriat, nulli poteſt æquari; ergo eſt vna tantum ſubſtantia ſpiritualis infinita, vnus Deus ſecundum eſſentiam, & naturam.

Obiectio. Sed ſi inquit Apoſtolus ſcribens ad Corinth. ep. 1. c. 8. ſiquidem ſunt dij multi, & domini multi?

Reſpondetur, quod Apoſtolus loquitur ſecundum errorem gentilium, qui plures putabant eſſe Deos, vnde poſtea ſubiungit. Nobis autem vnus Deus; Ita D. Thomas; Et Scotus. Loquitur Apoſtolus de idolis, de his .ſ. qui nuncupatiuè, non realiter ſunt dij.

QVÆSITVM V.

An ſtante vnitate Dei ſecundum eſſentiam ſit in eo pluralitas ſecundum perſonas?

ALex. reſp. quod in diuinitate ſunt plura, quę ex ſuis proprietatibus incommunicabilibus habent vnum, & idẽ eſſe, quod eſt eſſe diuinum, & ideo ſtante hac vnitate in eſſe, neceſſarium eſt ponere plures perſonas, quoniam nihil eſt eſſe perſonæ quam habere eſſe rationalis naturæ ex incommunicabili proprietate. q.44.

D. Thomas reſp. & probat quod in diuinis eſt pluralitas perſonarum, & primo ſic. Bonum eſt ſui communicatiuum, & ſi eſt ſummè bonum eſt etiã ſummè communicatiuũ, & cum nulla creatura poſſit recipere totam bonitatem, talis communicatio ſit Deo, non creaturæ; ſed hoc non poteſt fieri ſine diſtinctione, & pluralitate, & iam nulla eſt diſtinctio, & pluralitas ſecundum eſſentiam, ergo ſecundum perſonas; ſecundò, Summum gaudium non eſt ſine conſortio; ſed in diuinitate eſt ſummum gaudium, ergo non ſine conſortio; ſed tale conſortium non poteſt eſſe niſi in quibus cum vnitate naturæ eſt diſtinctio ſecũdum perſonas, ergo &c. tertiò, Summè ens, ſummè diligit; ſed non creaturam, quoniam nõ eſt ſummè diligenda, ergo Deũ; ſed in hac dilectione eſt aliqua diſtinctio, & vt dictum eſt, nõ eſſentiæ, ergo perſonarum. d.2.

Et iterum reſp. quod in diuinis ſunt plures relationes reales, ex quo etiam ſunt plures res ſubſiſtentes in diuina natura, & conſequenter plures perſonæ, quia perſona diuina ſignificat relationem, vt rem ſubſiſtentem. p.1. q.30. ar.2

D. Bonau. reſp. quod propter ſummam beatitudinem, perfectionem, ſimplicitatem, & pri- d.2. q.2.

Digitized by Google

& primitatem, aſſerere debemus pluralitatem perſonarum in diuinis; propter ſummã beatitudinem, quia vbi eſt ſumma beatitudo, ibi eſt ſumma bonitas, ſumma charitas, & ſumma iucunditas, quæ non poſſunt eſſe ſine cõſortio; propter ſummam perfectionem, quia perfectionis eſt producere tale, quale ipſum eſt producens in natura; propter ſummã ſimplicitatem, quia ſimplicitatis ſummæ argumentum eſt, quod aliqua natura ſit in pluribus, & quod ipſa ad eorum plurificationẽ non plurificetur; propter ſummam primitatem, quia quanto aliquid eſt prius tanto eſt fœcundius, & aliorum principium.

d.2. a.2. q.1. Ricardus ad has rationes hanc addit. omnes emanationes neceſſe eſt reduci in vnã primam, ſicut omnes vnitates in vnam vnitatem; ſed non poſſunt omnes reduci in vnam emanationem alicuius creaturæ, quia multæ creaturæ immediatè tantum emanant a Deo, ergo oportet reduci ad emanationẽ alicuius increatæ perſonæ; ſed eadem perſona nõ poteſt emanare a ſeipſa, ergo ab altera, & ſic eſt pluralitas perſonarum.

q.1.2 prim. Ægidius reſp. quod tota difficultas conſiſtit in hoc, quod, ſ. plurificentur ſuppoſita, & non plurificetur natura, & ideo dicit, quod hæc eſt ratio, quia cum eſſe ſit idem quod natura, natura non acquirit eſſe in ſuppoſitis, nec plurificatur per ſe, nec ex conſequenti, ſicut contingit in ſuppoſitis creatis, quibus plurificatis, plurificantur etiam naturæ.

a.53. q.8. Henricus reſp. quod perſona in diuinis nõ accipitur penes aliquam rationem abſolutã ſed penes relationem, & non quamcumque, ſed relationem originis, & quoniam relationes originis, non ſunt niſi plures, plures etiã ſunt ponendæ perſonæ.

d.2. q.4. Ioannes Scotus reſp. quod cum vnitate eſſentiæ diuinæ poteſt ſtare pluralitas perſonarum; primò, quia in vnitate eſſentiæ, & pluralitate perſonarum nulla eſt contradictio, contradictio enim eſt ſecundum idem; ſecundò, quia eſſentia eſt idem quod natura in diuinis, quælibet autem natura per identitatem eſt communicabilis pluribus; tertio, quia natura diuina, & quicquid ineſt naturæ, vt natura eſt, eſt perfectio ſimpliciter, omnis autem perfectio ſimpliciter eſt communicabilis; quartò, quia cum ratio ſuppoſiti non ſit perfectio ſimpliciter, non oportet includere quamlibet rationem entis per identitatem, & ſic poteſt ſtare alia ratio diſtincta ſuppoſiti, & conſequenter aliud ſuppoſitum; quintò, quia ſi forma, quæ eſt aliquo modo illimitata in perficiendo materiam ſine ſui diſtinctione poteſt perficere plures partes materiæ, tanto magis diuina eſſentia, quæ eſt penitus illimitata, poteſt dare totale eſſe pluribus diſtinctis ſuppoſitis.

Herueus reſp. quod ſicut infinitas perfectionis diuinæ eſt ratio quod eadem eſſentia numero eſt voluntas, & intellectus, & iuſtitia, & huiuſmodi, quæ in creaturis propter earum limitationem non poſſunt eſſe vna eſſentia ſimpliciter; ita eadem infinitas eſt ratio, quare eadem eſſentia, & idem eſſe abſolutum ſint plures oppoſitæ relationes, & per conſequens oppoſitæ res relatiuæ, & cum quælibet res in diuinis ſit per ſe ſubſiſtens, ſint quoque plures res ſubſiſtentes, quæ ſunt idem quod perſonæ. Eodem ferè modo reſpondet Durandus. d.2 q.4

Thomas ab Arg. reſp. quod cum in Deo ſit perfectiſſima charitas, infinita puritas, & ſumma felicitas, conſequens eſt vt ſit etiam perſonarum pluralitas. q.2

Gerardus reſp. & ex eo quod in diuinis eſt amor cum ſumma charitate, iucunditate, & beneuolentia deducit neceſſariò eſſe etiam plures perſonas. d.2 q.3

Steph. Bruliſ. reſp. quod ſuppoſita veritate bene poſſunt adduci aliquæ rationes congruentes ad probandum pluralitatem perſonarum in diuinis; ſed nulla ratio demonſtratiua, aut euidens, quia termini non ſunt per ſe noti. d.2

Ant. Andr. reſp. quod de ratione eſſentiæ eſt communicabilitas, & hanc rationem non tollit, neque eius ſimplicitas, neque perſonarum diſtinctio, igitur cum vnitate eſſentiæ ſimpliciter ſtat pluralitas perſonarum. q.4

Reſolutio.

RESPONDEO, quod quamuis Deum eſſe vnũ ſecundum eſſentiam ſit demonſtrabile apud eos, qui mente pollent, & ingenio, hunc tamen vnum, & eundem eſſe plures, vt plures ſubſiſtentes, plures perſonas, omnino eſt indemonſtrabile, cum nullum ſimile videamus in rerum natura, ex quo regulam aliquam formare poſſimus, vt inde ad hanc certam, & indubitatã concluſionẽ perueniamus, nec ſimiliter appareat aliquis effectus, per quem in eãdem manuducamur tanquam in cauſam per ſe, & neceſſariam. Hoc itaque ſola fide credimus, & tenemus, vt. ſ. quod vnum eſt, & ſimplex ſine detrimento aliquo ſuæ vnitatis, & ſimplicitatis, ſit quoque plura ab inuicem realiter diſtincta, & huiuſmodi ſunt perſonæ. Cæterum, rationes quæ ſolent adduci faciunt quidem ad generãdam di-

Digitized by Google

diſpoſitionem ad fidem in nobis, ipſamque habitam ſtabiliendam, non certitudinem ad ſcientiam.

Obiectio. Sed ſi eſſentia ſecundum fidem eſt ſummè vna, ſumma autem vnitas non compatitur ſecum aliqua pluralitatem, ſicut nec ſumma puritas, aliquam potentialitatem?

Reſpondetur, quod diuina eſſentia cum ſit ſummè vna non compatitur ſecum aliquam pluralitatem abſolutam, ſed reſpectiuam, hæc enim non derogat eius vnitati. Ita Ægidius. Et Thomas ab Argentina Vnitas non compatitur ſecum pluralitatem penes idem, & ſecundum idem, ſiue eodem modo; at in propoſito vnitas eſt ſecundum eſſentiam, ſed pluralitas ſecundum perſonas.

QVÆSITVM VI.

An perſonæ diuinæ ſint infinitæ ſecundum numerum?

q. 41. m. 6. Alexander reſp. quod numerum diuinarum perſonarum non poteſt eſſe infinitus, quia vbi eſt numerus infinitus, ibi ponitur inordinatio, & confuſio, & ita cum ſumma ordinatio, & perfecta diſtinctio debeat eſſe inter perſonas diuinas neceſſario eis repugnat numerus infinitus.

q. 3. D. Bonauent. reſpondet, & ex diſtinctione, ordine, connexione, & completione, quæ eſt in diuinis, probat non eſſe infinitatẽ perſonarum in eis. Ex diſtinctione ſic. Vbi eſt diſtinctio, non eſt confuſio, ſed vbi eſt infinitas eſt confuſio, ergo &c. Ex ordine ſic. Vbi eſt ordo, ibi eſt terminatio, ſed vbi eſt terminatio, non eſt infinitas, ergo &c. Ex connexione ſic. In diuinis perſonis eſt connexio, ergo ſi eſſent infinitæ, prima & vltima diſtarent in infinitum. Ex completione ſic. In diuinis eſt ſumma completio in beatitudine, ſed ſi eſſent infinitæ perſonæ non complerent beatitudinem, nec aliquam beatificarent, ergo &c.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſicut demonſtrari non poteſt, quod ſint plures perſonæ in diuinis, ita nec demonſtrari poteſt, quot ſint, & ex conſequenti, neque quod ſint finitæ, vel infinitæ, itaque ſola fide creditur infinitas non eſſe. Cæterum, rationes quæ ad excludendam hanc infinitatem adducuntur, & ab Alexandro, & a D. Bonau. habent quidem multum probabilitatis, & in ipſius veritatis adhæſionem mentem corroborant, ſcientiam tamen non faciunt.

Obiectio. Sed ſi plurificatio perſonarum, & earum multiplicatio eſt perfectionis, & virtutis, nonne maior erit maioris, & infinita infinitæ?

Reſpondetur, quod plurificatio, ſeu multiplicatio perſonarum modo perfecto conuenit Deo, & eſt perfectionis in eo, non tamen quocunque modo, & præſertim in infinitum; cum talis multiplicatio, non dicat perfectionem, neq; virtutem. Ita D. Bonau.

QVÆSITVM VII.

An tantum ſint tres perſonæ diuinæ?

Gvilelmus Antiſiod. reſp. quod in ſummo bono eſt ſumma bonitas, ergo vna perſona diligit aliam ſummè, & alia eſt ſummè diligenda, quod autem ſummè diligendum eſt, Deus eſt, ergo ſic ſunt duæ diuinæ perſonæ, & quoniam neceſſe eſt, vt vtraque tertiam inquirat, cui communicet delicias ſuæ bonitatis, idcirco tres neceſſe eſt eſſe diuinas perſonas. c. 2. p. 3.

Alexander reſp. quod in diuinis non poſſunt eſſe neque plures, neque pauciores perſonæ quam tres, alioquin ſequeretur, quod in Trinitate non eſſet ſumma germanitas, neque connexio, ſed confuſio, & inordinatio; ſuppoſito enim, quod communicatio boni non poſſit eſſe niſi duobus modis, vel per modum naturæ, & hæc eſt generatio verbi, vel per modum voluntatis, & hæc eſt proceſſio amoris, non eſt poſſibile intelligere plures eſſe perſonas, nec pauciores, quã tres. q. 44. m. 7.

Albertus reſp. quod ex relatione originis, quæ eſt per eſſe ab alio, & non eſſe ab alio in diuinis ſatis deducitur numerus ternarius perſonarum in eis, & non quidem ex eſſe ab alio, & non eſſe ſic in genere, ſed in ſpecie per modum .ſ. intellectus, quo aliquid eſt ab alio per generationem, & per modũ voluntatis, quo aliquid eſt ab alio per ſpirationem. d. 10. a. 12.

D. Thomas reſp. quod perſonæ diuinæ ſunt relationes ſubſiſtentes ab inuicem realiter diſtinctæ; & quoniam realis diſtinctio inter relationes diuinas eſt in ratione oppoſitionis relatiuæ, idcirco ex his relationibus oppoſitis concludimus numerum perſonarũ, ſunt autem relationes oppoſitæ paternitas, filiatio, ſpiratio, & proceſſio, paternitas igitur ſubſiſtens eſt vna perſona, filiatio altera, ſpiratio verò, quia non habet oppoſitionem ad paternitatem, & filiationem eſt eadem perſona, quod paternitas, & filiatio, ſed 1. p. q. 30. a. 2.

Digitized by Google

ſed proceſſio quia habet oppoſitionem ad ſpirationem, & non eſt eadem perſona, quod paternitas, & filiatio, igitur eſt alia perſona, & quoniam non ſunt in diuinis aliæ relationes oppoſitæ, idcirco tres tantum ſunt diuinæ perſonæ.

d.2. q.4. D. Bonauentura reſp. neceſſarium eſſe, & congruum tres perſonas eſſe in diuinis; neceſſitatem deducit ex quatuor, Ex ſumma beatitudine, ex ſumma perfectione, ex ſumma ſimplicitate, & ex ſumma primitate. Congruentiam ex duobus, ex ſufficientia combinationum amoris .ſ. gratuiti, debiti, & ex vtroque permixti; principij, & non principiati; principiati, & non principij; & principij, & principiati ſimul; & ex parte numeri, numerus enim ternarius eſt primus, & perfectus.

d.3. q.2. Ricardus reſp. quod in diuinis non ſunt niſi duo actus productiui dicendi .ſ. & ſpirandi, ſed per actum dicendi producitur verbum, & ſpirandi Spiritus ſanctus, & eſt alia perſona a qua eſt omnis proceſſio, quæ eſt Pater, ergo tres tantum ſunt diuinæ perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.

d.2. q.3 Ioann. Scotus reſp. quod cũ in diuinis ſint duæ tantum potentiæ productiuæ termini ſui adæquati, intellectus .ſ. & voluntas; ſequitur quod duæ tantum ſint perſonæ productæ, vna per actum intellectus, & altera per actum voluntatis; & cum ſit vnum tantum ingenitum, eſſentia enim diuina vna actu exiſtens, non poteſt habere plures modos eſſendi immediatè ſine productione, quod eſſet ſi plura eſſent ſuppoſita ingenita; ſequitur quod vltra has duas perſonas productas, ſit alia producens, & ſic tres ſunt perſonæ in diuinis duæ productæ, & vna producens. Item Franc. Maro. Nicol. de Niſſe. Anton. Andr. & Guil. Varrill.

d.2. p.1. a.2. Petrus Aureolus reſp. quod in diuinis ex paternitate, & eſſentia, quarum neutra eſt res habens propriam vnitatem conſtituitur, & reſultat vna diſtincta veritas, & per conſequens conſurgit quidam aliquis vnus, diſcretus, ſingularis, & ſolus; & ſimiliter ex eſſentia, & filiatione alius; & eodem modo ex eſſentia, & paſſiua ſpiratione alius; ergo ibi verè, & propriè triplicatur ratio perſonæ.

d.10. q.2. Durandus reſpondet, quod ſuppoſitis duabus emanationibus in diuinis efficaciter probatur tres eſſe perſonas, cum enim perſonæ diſtinguantur per relationes originis neceſſe eſt vnam tantũ eſſe perſonam, quæ a nulla alia procedat, alioquin ſi plures eſſent non diſtinguerentur inter ſe ſecundum huiuſmodi relationes, & cum ſint duæ emanationes vniformiter ſemper ſe habentes, neceſſe eſt duas eſſe perſonas procedentes ſecundum eas, & ſic cum vna ſit perſona non procedens, duæ verò procedentes conſequens eſt, vt ſint tantum tres perſonæ in diuinis.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſecundum fidem catholicam cum vnitate eſſentiæ debemus in diuinis confiteri trinitatem perſonarum, vnum .ſ. eſſe Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & hoc eſt, quod primò nobis ſcripturarum teſtimonio proponitur ad credendum: vnde non ex eo, quod ſunt plures emanationes, plures relationes, plures origines, aut aliquid aliud deducimus tres eſſe perſonas; ſed potius econuersò ex eo, quod ſunt tres perſonæ, & huiuſmodi ſunt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus arguendo deducimus, tanquam ex nobis antecedenter noto eſſe etiam plures emanationes, plures relationes, plures origines in eis.

Sed ſi infinita ſunt ſubſiſtentia in Deo? quicquid enim in Deo eſt, ſubſiſtens eſt, quia nullum accidens, quod autem ſubſiſtit perſona eſt?

Reſpondetur, quod infinita quidem ſunt ſubſiſtentia in Deo; ſed non alia ſubſiſtentia ab ea, qua ſubſiſtunt perſonæ diuinæ; vnde ad eorum infinitatem non ſequitur infinitas perſonarum.

QVÆSITVM VIII.

An naturaliter probari poſſit, quod ſint tres perſonæ diuinæ?

Alexander reſpondet, quod intellectus noſter obtenebratus per originalem corruptionem deficit in his, quæ veriſsimè ſunt, & circa maximè, & minimè intelligibilia, ſicut etiam ſenſus deficit in extremis, & in maximè, & minimè ſenſibilibus, quamobrem cum eſſe diuinarum perſonarum ſit veriſsimè, & maximè, intellectus noſter non niſi ſuperiori ſulcimine adiutus ipſas diuinas perſonas cognoſcere poteſt.

Albertus reſp. quod non poteſt haberi ſcientia de aliqua re naturaliter, cuius oppoſita principia habentur tanquam nota; cum autē intellectus noſter habeat hoc principium tanquam notum, quod vna natura non poteſt ſubſiſtere in tribus perſonis, ideo non poteſt haberi ſcientia, quod natura diuina

I

uina vna exiſtens, ſubſiſtat in tribus perſonis.

d. 3. q. 1. ar. 4. D. Thomas reſp. quod quicquid naturaliter cognoſcitur de Deo, cognoſcitur per reſpectum ad creaturas, cum autem quæ dicuntur de Deo per reſpectum ad creaturas pertineant ad eſſentiam non ad perſonas, idcirco naturaliter non poſſumus cognoſcere aliquid de ipſis perſonis.

p. p. q. 32. ar. 1. Et iterum reſp. quod qui nititur probare trinitatem perſonarum naturali ratione dupliciter derogat fidei, primò quidem quantum ad eius dignitatem, quæ eſt, vt ſit de rebus inuiſibilibus, quæ rationem humanam excedunt; ſecundò, quantum ad vtilitatem trahendi alios ad fidem; cum enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quæ non ſunt cogentes cadit in deriſionem infidelium, credunt enim, quod huiuſmodi rationib. innitamur, & propter illas credamus.

d. 3. q. 4. D. Bonauentura reſp. quod non poſſumus aliquam cognitionem habere de Deo naturaliter niſi duobus modis, vel afirmando quod eſt in creatura vt ſimile, vel remouendo; ſed non remouendo, quia Trinitas non cognoſcitur per remotionem, nec ſimiliter affirmando, quia in nulla creatura inuenitur pluralitas ſuppoſitorum cum vnitate eſſentiæ; ergo nullo modo poſſumus de Trinitate habere cognitionem naturaliter.

d. 3. ar. 2. q. 2. Ricardus reſp. quod tripliciter poſſumus venire in cognitionem Dei per creaturas, vno modo per ablationem conditionum imperfectarum, alio modo per cauſalitatem creaturarum; tertio, per ſupereminentiam conditionum perfectarum, nullo autem iſtorum modorum poſſumus ipſum cognoſcere eſſe trinum, & vnum.

d. 2. q. 4. Herueus reſp. quod operationes intellectus, & voluntatis in diuinis ponuntur perfectè, non ſunt autem perfectæ, niſi terminētur ad aliquid productum intra, quod ex parte intellectus eſt verbum, & ex parte voluntatis amor ſpiratus; ſed hæc (inquit) perſuaſio eſt, non demonſtratio.

d. 2. q. 4. Durandus reſp. quod articulus Trinitatis demonſtrari non poteſt, poteſt tamen aliqualiter perſuaderi recurrendo ad infinitatem diuinæ perfectionis.

d. 3. c. 3. Petrus Aureolus reſp. quod ex imagine Trinitatis poteſt bene demonſtrari trinitatē eſſe in diuinis; omne enim intelligens ſe, & complacens amore in ſeipſo, & eſt in ſe, & eſt ante ſe, & eſt extra ſe; ex quo tale eſt vna res ter ſubſiſtens; cum igitur Deus intelligat ſe, ac complaceat amore in ſeipſo, conſequens eſt, vt etiam ſubſiſtat in tribus ſuppoſitis realibus quidem, vt ponunt Theologi, non intentionalibus, vt aſſerunt Philoſophi.

d. 2. q. 9. & 10. Franciſcus Maro reſp. quod intellectus noſter ſeparatus, ex cognitione animæ noſtræ, quæ eſt Trinitatis imago, & aliarum creaturarum, quæ ſunt Dei veſtigium; & ex cognitione conformitatis, quam habet productio amoris, & verbi in nobis ad productionem Verbi, & Spiritus ſancti in diuinis, poteſt quidem in puris naturalibus exiſtens demonſtrabiliter cognoſcere trinitatem perſonarum; ſed intellectus noſter coniunctus, & non ſupernaturaliter eleuatus, non poteſt, nec demonſtratione quia, nec propter quid.

d. 1. q. 5. Guilelmus Occham reſp. quod de virtute ſermonis hæc debet concedi: ex puris naturalibus poteſt ita bene cognoſci trinitas perſonarum ſicut eſſentia diuina, & ratio eſt, quia quicquid poteſt cognoſci ex puris naturalibus, quantum ad conceptus quos communiter habebant philoſophi de Deo, ita verè competit trinitati perſonarum, ſicut eſſentiæ; ſed in quantum in hac, Trinitas eſt, ſubijcitur ille conceptus, qui non eſt Deus, non eſt ex puris naturalibus nota.

d. 2. q. 2. Thomas ab Argentina reſp. quod non poſſumus ratione neceſſaria probare diſtinctionem realem diuinarum perſonarum; primò, quia huiuſmodi ratio conuinceret infideles, ſecundò, quia non minus eſt ſupernaturalis fides de S. Trinitate, quam de Verbi Dei incarnatione, & quoniam hanc probare non poſſumus, nec etiam illam.

d. 2. q. 3. a. 3. Gerardus reſp. quod ſi per aliquam rationem naturalem poſſet probari trinitas diuinarum perſonarum, illa ratio vel eſſet ſumpta ex habitudine creaturarum ad Deum, vel Dei ad creaturas, non quidem ex habitudine Dei ad creaturas, quia talis habitudo vel eſt in ratione efficientis, vel in ratione finis, vel in ratione formæ, quæ habitudines ducunt nos in cognitionem Dei, prout eſt vnus in eſſentia, & non trinus in perſonis; nec ex habitudine creaturarum ad Deum, quia omnis talis habitudo, vel eſt ex eo, quod ſunt effectus Dei, vel ex eo quod ſimilitudo, non primo modo, quia vnam, & eandem habitudinem habent ad tres perſonas; nec ſecundo, quia hæc ſimilitudo attenditur ratione imaginis, vel veſtigij, in imagine autem, aut in veſtigio non inuenimus, quod aliqua realiter diſtincta habeant eandem eſſentiam.

d. 2. q. 4. Guilel. Rubion reſp. quod Trinitatem perſonarum diuinarum demonſtrari, poteſt intelligi dupliciter, vno modo demonſtratione habente euidentiam ex obiecto, modo quo ſiunt

Digitized by Google

ſiunt demonſtrationes communiter in ſcientijs, alio modo demonſtratione non ſic habente euidentiam ex obiecto ſignificato, ſed tantum ab extrinſeco, modo quo demonſtrantur omnia in ſcriptura contenta; primo modo Trinitas perſonarum demonſtrari non poteſt a quocunque intellectu in ſuis naturalibus exiſtente, ſed ſecundo.

d.2. q.1. Alphonſus Toletan. reſp. quod ſi Trinitas perſonarum poſſet demonſtrari, quatuor inconuenientia ſequerentur; primum quod ad aſſentiendum articulo Trinitatis non neceſſario requireretur imperium voluntatis; ſecundum, quod ad aſſentiendum ei tam fidelis, quam infidelis, poſſet euidenter conuinci; tertium, quod ad huc fides non eſſet neceſſaria; quartum, quod fides de hoc articulo viatoribus non eſſet meritoria.

q.1. Robertus Olchot reſp. quod non ſolum eſt præſumptuoſum, ſed etiam fatuum ad probandum diuinarum perſonarum proprietatem, & diſtinctionem niti, quia hæc humanæ rationis facultatem excedunt.

q.5. ar.1 Petrus Aliacenſis reſp. quod poſitio de Trinitate non eſt nobis naturaliter euidens, nec poteſt euidenter probari, alioquin infideles poſſent cogi vi rationis naturalis ad aſſentiendum articulis fidei, quod eſt falſum, poteſt tamen probabiliter ſuaderi, & ad eius apparentiam poſſunt aliquæ rationes probabiles fieri.

q.6. Marſilius reſp. quod Trinitas diuinarum perſonarum, poteſt quidem rationabilibus congruentijs perſuaderi, non tamen demonſtratiuè conuinci; ſunt autem rationabiles congruentiæ duæ; vna eſt. In Deo eſt charitas excellentiſſima, ergo & Trinitas, quia charitas tendit in alterum; altera eſt. Deus vt eſt infinitè actus purus, ita eſt infinitè actiuus, ſed non infinitæ eſſentiæ, ergo infinitæ perſonæ.

d.2. diſp. 3 Michael de Palatio reſp. quod perdunt Theologi oleum, & operam, ſi oſtendendæ rei occultiſſimæ qualis eſt perſonarum trinitas, manum admoueriut; Sed ſi aliqua conferantur, vt mentis fœcunditas, generantis perfectio, bonitatis diffuſio, quo fides ſuauior ſit credentibus, commendanda eſt collatio, at ſi eo quo quis innitendum fidem duxerit, ſtulta eſt cogitatio.

d.3. §.7. Guilelmus Eſtius reſpondet, quod Trinitatis myſterium nulla demonſtratione oſtendi poteſt, non cauſæ, quia Trinitatis nulla eſt cauſa, non ex effectibus, quia ex creaturis non poteſt veniri in cognitionem creatoris, niſi tanquam cauſæ, & principij earum, atqui ratio cauſæ reſpectu omnium creaturarum prorſus æqualiter, & indifferenter tribus perſonis communis eſt. Fide tamen ſuppoſita poſſunt afferri multæ congruētiæ.

Ludouicus Molina reſp. quod nullum eſt argumentum, nulla ratio ex lumine naturali petita, propter quam ſecluſa omni auctoritate, ac reuelatione poſſint homines ſibi perſuadere Trinitatem perſonarum eſſe in Deo, nedum demonſtrare; imò neque Angelos id idem ſuſpicari poſſe, nedum certò cognoſcere, & hæc eſt ratio, quia omnis noſtra cognitio trahit originem a cognitione rerum creatarum; certum eſt autem, quod res creatæ non emanant a Deo, quatenus eſt trinus in perſonis, ſed vt vnus in eſſentia. q.2. ar.

Gabr. Vaſq. reſpondet, quod hac ſola ratione a priori poteſt ſuaderi, quod Trinitas diuinarum perſonarum non eſt demonſtrabilis; aut enim hæc cognitio eſſet per propriā ſpeciem illius, & ſic eſſet intuitiua; aut per alienas ſpecies creaturarum, & ſic Deus non poteſt cognoſci niſi vt vnus, quia nulla eſt creatura, quæ ad Deum vt trinum referatur, quinimo omnes reſpiciunt ipſum vt vnum, eo quod ab eo, vt vno producuntur, & ad illum ſub hac ſola ratione terminantur; neque enim Deus producit quo Patér, Filius, & Spiritus ſanctus; ſed quo vnus ſapiens, omnipotens, & huiuſmodi. q. a.

Reſolutio.

RESpondeo, quod quandocunque aliquid naturaliter probatur a nobis, vel probatur per cauſam nobis naturaliter notā, vel per effectum, & hoc vel efficaciter, & euidenter ſi eſt cauſa euidens per ſe, & neceſſaria; & ſimiliter effectus; vel probabiliter ſi cauſa & effectus aliter ſe habere poſſunt: cum itaque diuinæ perſonæ nullam talem cauſam habeant, nullum ſimilem effectum ſaltem apparentem in rerum natura, idcirco impoſſibile eſt a nobis naturaliter probari efficaciter, & euidenter; eſt tamen poſſibile probabiliter, non quidem per cauſam, ſed per effectum; quia in effectibus ſuis apparent multa, quæ licet non neceſſariò, tamen probabiliter ducunt in eius cognitionem.

Sed ſi per veſtigium, & imaginem naturaliter venimus in cognitionem eius, cuius eſt imago, & veſtigium? O. B.

Reſpondetur, quod in creaturis eſt veſtigium trinitatis, quatenus in omnibus relucet potentia, ſapientia, bonitas, quæ non ſunt proprietates perſonales, licet attribuan-

Digitized by Google

tur perſonis, atque ita non ducunt ſufficienter in cognitionem trinitatis; & ratio illa Trinitatis, quæ in homine cernitur imperfectior eſt, quam vt afferat ipſa per ſe cognitionem Trinitatis, cum nec fuiſſemus quidem cogitaturi in homine trinitatis imaginem, niſi aliunde nobis ſuppeteret ratio fidei. Ita Gregorius de Valentia.

DISTINCTIO TERTIA.

Apoſtolus namque ait, inuiſibilia Dei, &c.

QVÆSITVM I.

An ſit aliquid in creaturis, quod quaſi veſtigium ducat nos in cognitionem Trinitatis?

q. 15. m. 2 ALbertus reſpondet, quod veſtigium ſumitur dupliciter propriè .ſ. & per translationem, propriè eſt impreſſio pedis in pulucre, vel aliquo alio molli, & quoniam non per omnia pedem repreſentat, ideo ſub hac ſimilitudine transfertur ad quodcunque ſignum, quod cum cauſa non ſit conuertibile, & ſecundum hoc dicitur veſtigium Dei in creaturis ſignum, quo probabiliter aliquid Dei cognoſcitur.

d. 3. q. 2. ar. 1 D. Thomas reſp. quod veſtigium hic ſumitur metaphoricè ad ſimilitudinem veſtigij propriè dicti, quod eſt impreſſio quædã confuſè ducens in cognitionem alicuius; tria autem ſunt de ratione veſtigij ſimilitudo, imperfectio, & in cognitionem ductio; inquantum ergo creaturæ ducunt in cognitionem ſecundum ſimilitudinem, licet imperfectam, quam habent Dei, dicuntur veſtigia Dei, quoniam tamen magis deficiunt a repreſentatione diſtinctionis perſonarum, quã attributorũ eſſentialiũ minus propriè dicuntur veſtigia ſecundum quod ducunt in perſonas, quam ſecundum quod ducũt in eſſentiã.

p. p. q. 45. a. 7. Et iterum reſpõdet, quod in omnibus creaturis inuenitur repreſẽtatio trinitatis per modum veſtigij, inquantum in qualibet creatura inueniuntur aliqua, quæ neceſſe eſt reducere in diuinas perſonas ſicut in cauſam: quælibet enim perſona ſubſiſtit in ſuo eſſe, & habet formam per quam determinatur ad ſpeciem, & habet ordinem ad aliquid aliud; ſecundum igitur, quod eſt quædam ſubſtantia creata, repreſentat cauſam, & principium, & ſic demonſtrat perſonam patris, qui eſt principium, non de principio, ſecundum quod habet quandam formam, & ſpeciem, repreſentat verbum, ſecundum autem quod habet ordinem repreſentat Spiritum ſanctum.

Ægidius reſpondet, quod in creaturis reperitur veſtigium Dei; primò, quantum ad repreſentationem, nam ſicut veſtigium repreſentat perſonam hominis non omnino diſtinctè, neque omnino confuſè, ſed modo medio, ita creaturæ repreſentant Deum non quantum ad diſtincta, quæ ſunt perſonalia, nec ad communia, quæ ſunt eſſentialia, ſed quæ medio modo ſe habent, qualia ſunt appropriata perſonis, vt ſapientia, bonitas, & huiuſmodi; ſecundò, quantum ad cognitionem, nam ſicut per veſtigium in via ducimur in cognitionem eius, cuius eſt veſtigium, ita per creaturas venimus in cognitionem Dei. tertiò quantum ad impreſſionem, nam ſicut pes imprimit veſtigium ſuũ in puluere, ita Deus ſimilitudinem perfectionis ſuæ impreſſit in creaturis. d. 3. q. 2.

Thomas ab Argentina reſp. quod res tripliciter poteſt cognoſci, cognitione valde confuſa, cognitione diſtincta, & determinata, & cognitione nec nimis confuſa, nec nimis determinata, & hæc eſt cognitio per veſtigium, quam habemus de Deo per creaturas circa communia, perſonis tamen appropriata, vt ſunt potentia, ſapiẽtia, bonitas. d. 3. q. 1.

Marſilius reſp. quod veſtigium metaphoricè ſumptum reperitur in creaturis, & eſt ſimilitudo reperta in eis nata ducere in cognitionem Dei per attributa; & non propria vt ſic, in cognitionem Trinitatis. q. 7. a. 1.

Antonius Andreas reſp. quod veſtigium conſiſtit in hoc, quod quælibet creatura refertur ad Deum ſecundum triplicem reſpectum, vt exemplatum ad cauſam exemplarem, & vt productum ad cauſam productiuam, & vt ordinatum ad cauſam finalem. d. 3. q. 3.

Paulus Scrip. reſp. quod veſtigiũ ſtrictè ſumptũ conſiſtit in quibuſdã cõditionibus, cõmunibus omni creato ducentibus in cognitionẽ cõmuniũ tribus perſonis, illis appropriatis. d. 3. a. 6.

Reſolutio.

REſpondeo, quod ſicut veſtigium propriè ſumptum eſt ſignum, ſeu ſimilitudo pedis, quæ alicui corpori cedenti ſuo tranſitu imprimitur, & relinquitur ab animali, ad quod ſi intendatur quæri poteſt, & niſi aliud obſtet, inueniri; ita metaphoricè dicitur veſtigium, quod imprimitur, & relinquitur ab aliquo agente in aliquid, ad quod ſi aliqui attendunt, poſſunt venire in aliqualem cognitionem ſui auctoris, propter aliquam aſſimilationem effectam in eo, atque inde

Digitized by Google

inde ipſum inquirere, & ſi poſſibile eſt inuenire. Cum itaque in creaturis multa ſint indicia diuinarum actionum, & proprietatum, multæ item aſſimilationes ad perſonas, quarum ſunt actiones, & proprietates, his de facili mouemur in earundem inquiſitionem, qua inquiſitione facta, talem poſtea cognitionem conſequimur, qualem poſſumus ex imperfectione aſſimilationis; non quidem perfectam, & diſtinctam, ſed imperfectam, & confuſam; tunc enim perfectam, & diſtinctam obtinebimus, quãdo præſentialiter attingemus; propterea dicendum eſt, quod eſt aliquid in creaturis, per quod tanquam per veſtigium ducimur in cognitionem trium diuinarum perſonarum.

Obiectio. Sed ſi de diuina maieſtate (inquit Apoſtolus) Quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & ininueſtigabiles viæ eius? Rom. c. 11.

Reſpondetur, quod diuina maieſtas non eſt inueſtigabilis perfectè, ſicut intendit Apoſtolus, ſed aliquo modo, quod non negat, & ſecundum quod eſt inueſtigabilis veſtigiũ habet. Ita Aegidius. Et D. Thomas Diuina maieſtas eſt ininueſtigabilis inquantum ipsã comprehendere non poſſumus, non quod vllo modo in eius cognitionem deuenire non poſſimus.

QVAESITVM II.

An veſtigium Trinitatis quod apparet in creaturis accipiendum ſit penes aliqua diſtincta in eis?

q. 18. m. 3. ALex. reſp. quod ſeptem modis poteſt aſſignari ratio veſtigij præfixa numero ternario in creaturis; primò, ſecundum quod res fit, & ſic partes veſtigij ſunt numerus, pondus, & menſura; ſecundò, ſecundum quod res eſt, & ſic partes veſtigij ſunt entitas, veritas, bonitas; tertiò, ſecundum quod res perfectè eſt, & ſic partes veſtigij ſunt modus, ſpecies, & ordo; quartò, ſecundum quod res diſponitur ad actum, & ſic partes veſtigij ſunt ſubſtantia, ſpecies, & virtus; quintò, ſecundum quod in actu eſt, & ſic partes veſtigij ſunt eſſentia, virtus, & operatio; ſextò, ſecundum quod res ad cognitionem diſponitur, & ſic partes veſtigij ſunt ſubſtantia, ſpecies, & ratio; ſeptimò, ſecundum quod eſt in cognitione, & ſic partes veſtigij ſunt quod conſtat, quod congruit, quod diſcernitur.

q. 15. m. 2. Albertus reſp. quod ſi creatura conſideretur in fieri, ſic partes veſtigij ſunt numerus pondus, & menſura; ſi in eſſe, modus, ſpecies, & ordo; ſi in perfecto eſſe ens verum, bonum; ſi vt cognoſcibilis eſt, quod eſt, quod congruit, quod diſcernitur; ſi in diſpoſitione ad opus, ſubſtantia, virtus, & operatio.

D. Thomas reſp. quod communis ratio veſtigij eſt principium, medium, & finis, quoniam per huiuſmodi creatura imitatur diuinam perfectionem, & hæc diuerſimode cõbinando diuerſæ aſſignari poſſunt partes veſtigij, vt numerus, pondus, & menſura; quod conſtat, quod congruit, quod diſcernitur; modus, ſpecies, & ordo; vnum, verum, & bonum; forma, virtus, & operatio.

Ægidius reſp. quod veſtigium in creaturis accipitur ſecundum perfectiones in eis repertas, per quas aliquo modo repreſentatur trinitas perſonarum; iſtæ autem perfectiones licet ſint multæ & diuerſæ, omnes tamen reducuntur ad tria genera, quia vel deſignant habitudinem cauſæ efficientis, vel formalis, vel finalis; ſi itaque per huiuſmodi perfectiones ducimur in cognitionem Dei, vt eſt cauſa efficiens, ſic ducimur in appropriatum patris, quod eſt illud, a quo cuncta procedunt; ſi vt eſt forma exemplaris, ſic habemus appropriatum filij, per quem cuncta producuntur; ſi vt eſt cauſa finalis, habemus appropriatum ſpiritus Sancti, in quo cuncta exiſtunt, & quia omnes tales habitudines ducunt in cognitionem appropriatorum tribus perſonis, tres partes veſtigij aſſignantur; quas diuerſi diuerſas poſuerunt; Pithagoras; principium, medium, finem; Ariſtoteles ſubſtantiam virtutem, operationem; Sapiens, numerum, pondus, menſuram; & ſi quæ aliæ ponuntur reducuntur ad iſtas.

Petrus Aureolus reſp. quod in aſſignatione veſtigij hæc eſt regula generalis, quod omnes perfectiones ſimpliciter, quæ poſſunt ad trinarium reduci, ſub quadam connexione mutua, & quæ repreſentant appropriata perſonis, conſtituunt rationem vnius veſtigialis trinarij.

Guilel. Varrill. reſp. quod creatura poteſt conſiderari tripliciter in ſe, in comparatione ad alias creaturas, & in comparatione ad primam cauſam, ſi primo modo, aut hoc fit quantum ad ſubſtantiam principiorum, & ſic eſt illa trinitas, materia, forma, compoſitio, aut quantum ad habitudines, & ſic eſt illa, numerus, pondus, menſura; ſi ſecundo modo, aut conſideratur, vt agit actione naturali, & ſic aſſignatur illa trinitas ſubſtantia, virtus, & operatio; aut actione ſupernaturali, & ſic aſſignatur illa, quod conſtat, quod congruit, quod

quod diſcernitur, ſi tertio modo, aut conſideratur inquantum refertur tantum, & ſic eſt illa modus, ſpecies, & ordo, aut inquantum aſſimilatur, & refertur, & ſic aſſignatur vnitas, veritas, bonitas: & in hac perfectius conſiſtit ratio veſtigij, quam in quacunque alia, quia huiuſmodi ſunt abſtracta, & per ipſa fit aſſimilatio, & proprie ſunt in Deo. Item Paulus Scriptor.

d. 3. q. 1. Ioannes Vig. reſp. quod octo ſunt trinitates veſtigiorum, quæ aſſignantur ſecundum quod natura conſideratur octo modis; primò ſi conſideretur quantum ad fieri, ſic eſt prima trinitas numerus, pondus, & menſura; ſecundò quantum ad eſſe abſolutè, & ſic eſt ſecunda trinitas vnitas, bonitas, veritas; tertiò ſecundum quod eſt in eſſe perfecto, & ſic eſt tertia trinitas modus, ſpecies, ordo; quartò vt eſt in diſpoſitione ad ſuas operationes naturales alias ab intellectione, & volitione, & ſic eſt quarta trinitas ſubſtantia, ſpecies, & virtus; quintò vt eſt ſub actuali operatione naturali alia ab intellectione, & volitione, & ſic eſt quinta trinitas, eſſe, virtus, & operatio; ſextò vt eſt ſub proxima diſpoſitione ad intellectionem, & volitionem, & ſic eſt ſexta trinitas, eſſentia, ſpecies, & ratio; ſeptimò vt eſt ſub actuali intellectione, & volitione, & ſic eſt ſeptima trinitas quod conſtat, quod congruit, quod diſcernitur; octauò ſecundum quod eſt in intellectione ſimul, & affectione, & ſic octaua trinitas eſt, exemplar, pulchrum, delectabile.

Reſolutio.

RESpondeo, quod de ratione veſtigij eſt, vt repreſentet id, cuius eſt veſtigium, ad hoc vt quæri poſſit, & inueniri, hoc autem fit propter aſſimilationem cauſatam in eo ab eius auctore: neceſſarium eſt itaque, vt ſi apparet aliquod veſtigium diuinarum perſonarum in creaturis accipiatur ſecundum aliqua diſtincta in eis, alioquin non diſtinctas indicaret perſonas, ac proinde in inquiſitione deficientes ad earum diſtinctiorem notitiam non perueniremus, hoc autem fit penes ſingula appropriata eis, in quibus relatio eſt, & aſſimilatio.

Obiectio. Sed ſi creaturæ ſunt ab eſſentia? accipiendum eſt ergo veſtigium per comparationem ad eſſentiam; eſſentia autem inueſtiganda eſt non penes diſtincta.

Reſpondetur quod creatura dicitur veſtigium per comparationem ad eſſentiam, inquantum facit ipſam ſciri propriè, & certitudinaliter cognitione perfecta, quia, & per comparationem ad perſonas per appropriationem, quæ eſt cognitio imperfecta, quia in comparatione ad cognitionem propriè, & certitudinaliter quoad eſſentiã. Ita Ægidius.

QVÆSITVM III.

An ſit veſtigium trinitatis in omni creatura?

D. Thomas reſp. quod in indiuiduis tantum ſubſtantiæ eſt inuenire veſtigiũ, in accidentibus autem, non niſi in ordine ad ſubſtantiam, quaſi ſint modi, ſpecies, & ordines ſubſtantiarum; & ratio eſt, quia veſtigium inuenitur in creatura ſecundũ quod conſequitur eſſe perfectum a Deo; eſſe autem perfectum non habent, niſi indiuidua ſubſtantiæ. d. 3. q. 2.

Ægidius reſp. quod ſicut dicit ſapiẽs, Deus fecit omnia in numero pondere, & menſura, hæc autem poſſunt accipi dupliciter vt dicũt diuerſas res; vt. ſ. numerus virtutem, pondus operationem, menſura ſubſtantiam; & ſic non in omnibus, ſed tantum in per ſe entibus reperitur veſtigium; ſecundo modo, vt dicunt res rationis, & ſic reperitur aliquo modo veſtigium in omnibus, Deus enim omnia conſtituit, & diſpoſuit, vt haberent numerum, pondus, & menſuram. q. 4. ar. 3

Ricardus reſp. quod omnis creatura habet veſtigium Dei, quia omnis creatura aliquam ſimilitudinem Dei gerit, quæ confuſè, & debiliter ipſum repreſentat. d. 3. a. 1. q. 1.

Durandus reſp. quod in omni creatura eſt aliqua repreſentatio trinitatis, ducens nos in aliqualem notitiam eius licet confuſam; in omni enim creatura inuenitur eſſentiæ vnitas, & quædam tria, quæ reſpondet tribus perſonis, modus. ſ. qui repreſentat patrem, ſpecies filium, ordo Spiritum ſanctum. d. 3. q. 4.

Petrus Aur. reſp. quod ſicut ſe habent res ad entitatem, ſic ſe habẽt ad veſtigium, & ideo prima materia, & accidentia, & omnia quæ ſunt, ſunt veſtigium Trinitatis; nihilominus principaliter ſubſtantia eſt veſtigium ſicut principaliter eſt. d. 3 c. 2. n. 2.

Guilel. Occham reſp. quod veſtigium aliquando conſiſtit in diſtinctis realiter, & ſic conſiſtit in ſubſtantia, & diuerſis accidentibus, & hoc modo non omnis creatura eſt veſtigium trinitatis, quia non omnis creatura eſt habens diuerſa accidentia, & aliquando conſiſtit in vno tantum, quod ſortitur diuerſas denominationes, vel continetur ſub diuerſis communibus, ex quo poſſunt haberi diuerſa appropriata in Deo, & hoc modo omnis creatu- d. 3. q. 9.

tu-

tura eſt veſtigium trinitatis. Itẽ Petrus Aliae.
q. 6. ar. 3 Nicol. de Nijſe reſp. quod in omni creatura reperiuntur aliqua tria repreſentatiua aliquorum, quæ ſunt appropriabilia tribus perſonis, & ideo in omni creatura apparet trinitatis veſtigium.

d. 2. q. 1. Antonius Andreas reſp. quod in qualibet creatura eſt veſtigium, quia qualibet creatura habet propriam vnitatem, per quam diſtinguitur ab omni non tali, propriam ſpeciem, per quam imitatur propriam ideam, & proprium ordinem, per quem tenet certum gradum in entibus.

d. 1. ar. 2. Guilel. Varrill. reſp. quod nõ in omni creatura eſt veſtigium, quia cum veſtigium ſit creatura in veſtigio eſſet veſtigium, & ſic in infinitum, quod eſt incõueniens, eſt tamen verum quod omnis creatura, aut habet veſtigiũ, aut eſt ipſa veſtigium.

d. 3. §. 9. Guillel. Eſtius reſp. quod in omni creatura eſt veſtigium, quia in omni creatura eſt vnitas, ſpecies, & ordo; nam vnitas reſpõdet Patri, ſpecies Filio, ordo Spiritui ſancto.

Reſolutio.

RESpondeo, quod nomine creaturæ intelligitur omne illud, quod eſt creatum a Deo in ſuo eſſe completo, & perfecto, ex quo partes creaturarum, principia, accidentia, & huiuſmodi non propriè dicuntur creaturæ. Cum itaque ſit de ratione veſtigij inſinuare, & repreſentare id, cuius eſt veſtigium propter ſimilitudinem, quam præfert illius, ſi non ſimpliciter, ſaltem ſecundum quid, & omnis creatura habeat ea, quæ quodammodo præferunt ſimilitudinẽ Trinitatis, vt principium, medium, finem; modum, ſpeciem, ordinem, & huiuſmodi, idcirco in omni creatura eſt veſtigium Trinitatis.

Obiectio. Sed ſi etiam in creatura habente eſſe completum, & perfectum, vt in homine, reperitur imago? nunquid reperitur veſtigium? cum ex oppoſito diſtinguantur.

Reſpondetur, quod ſicut virtus inferioris includitur in ſuperiori, ſic in imagine includitur ratio veſtigij, quæ conſequitur ipſam ſecundum quod natura quædam eſt creata, & talis eſt oppoſitio inter ipſa, qualis eſt inter ſuperius, & inferius. Ita D. Thomas; Et Ægidius; Vt ſpeciale, & generale ſe habent. Et Albertus. Talis oppoſitio non eſt niſi per oppoſitos modos, & rationis; Et Scotus; In creatura intellectuali eſt imago, & veſtigiũ, ſed non eodem modo.

QVÆSITVM IV.

An veſtigium trinitatis ſit in omni creatura æqualiter?

AEgidius reſp. quod æqualitas veſtigij dupliciter poteſt conſiderari, vel quantum ad numerum partium, vel quantum ad intenſionem earum, primo modo in omnibus entibus per ſe æqualiter reperitur veſtigium; nam numerus, pondus, & menſura, quæ ſunt partes veſtigij in omnibus talibus ponuntur; ſed ſecundo modo magis reſeruatur in vna creatura, quam in altera, quia ſecundum quod creſcunt in bonitate, & decreſcunt, ſic in eis modus, ſpecies, ordo, vel numerus, pondus, & menſura augetur, & minuitur. q. pr. ar.

Reſolutio.

REſp. quod ratio veſtigij in creaturis accipitur penes ea, quæ ſunt cõmuniſſima illis; non enim aliqua creatura dicitur habere veſtigium, quia talis creatura eſt, ſed quia creatura: in hoc enim quod creatura eſt, habet principium, medium, & finem; modum, ſpeciem, & ordinem, & huiuſmodi; cum itaque ratio hæc non magis conueniat vni, quam alteri, omnes creaturæ æqualiter diuinas perſonas repreſentant in ratione veſtigij.

Sed ſi creaturæ non ſe habent æqualiter ad diuinas perſonas, cum & ipſæ diuinæ perſonæ non ſe habeant æqualiter ad eas? alioquin omnes creaturæ eſſent æquales; intantum enim ſunt, inquantum Deus agit in eas. Obiectio.

Reſpondetur, quod creaturæ non ſe habent æqualiter ad diuinas perſonas in ratione eſſendi, quia vna magis participat de eſſe, quam altera, ſed bene in ratione repreſentandi per modum veſtigij.

QVÆSITVM V.

An repreſentatio Trinitatis per veſtigium differat ab ea, qua eſt per imaginem?

D. Thomas reſp. quod cõmune eſt imagini, & veſtigio repreſentare, quia omnis effectus repreſentat ſuam cauſam, differunt autem, quia veſtigium repreſentat cauſalitatem, imago verò formam eius. p. p. q. 4. a. 7

D. Bonau. reſp. quod creaturæ dicuntur vmbra, veſtigium, & imago, dicuntur vmbra, inquantum repreſentant Deum in quadã elongatione, & confuſione; veſtigium inquantum repreſentãt Deũ in quadã elõgatione, & diſtinctio- d. 3. q. 2.

ctione; imago, inquantũ repreſẽtant Deum in quadam propinquitate, & diſtinctione; dicuntur vmbra, quantum ad proprietates, quæ reſpiciunt Deum in aliquo genere cauſæ ſecundum rationem cauſæ indeterminatam; veſtigium, quantum ad proprietates, quæ reſpiciunt Deum ſub ratione triplicis cauſæ efficientis, formalis, & finalis, imago quantum ad conditiones, quæ reſpiciunt Deum non tantum in ratione cauſæ, ſed etiam obiecti. Dicuntur item vmbra vt ducunt in cognitionem communium, vt communia ſunt; veſtigium vt appropriata ſunt; imago propriorum vt propria ſunt. Item dicuntur vmbra, vt cõparatæ ad Deum in ratione cauſæ, veſtigium in ratione obiecti, imago vt ſunt capaces Dei per imaginationem, & amorem.

d. 3. p. 2. q. vn. Ægidius reſp. quod imago in hoc diſtat a veſtigio, quia veſtigium repreſentat id, cuius eſt quantum ad communia, ſed imago etiam quantum ad perſonalia.

d. 3. q. 9. Ioann. Scotus reſp. quod imago eſt repreſentatiuum totius, & in hoc differt a veſtigio quod eſt repreſentatiuum partis. Et ſimiliter in ſecundo ſent. d. 16. q. 1. a. 2. Differt imago, & veſtigium, quia imago repreſentat per modum totius, veſtigium primò repreſentat partem, licet arguitiuè repreſentet totum; trinitas autem in diuinis eſt quaſi quodam totum numerale, ideo quod repreſentat ipſam totam dicitur imago, ſed quod repreſentat quaſi partes dicitur veſtigium. Item Nicol. de Nijſe tr. 2. p. 1. q. 4.

d. 3. q. 3. Herueus reſp. quod in hoc differunt veſtigium, & imago, quod vnum eorum .ſ. veſtigium magis confuſè ducit in cognitionem perſonarum, quam imago.

d. 3. c. 2. a. 1. Petrus Aur. reſp. quod differunt veſtigium & imago; & in modo ducendi in notitiam, quia veſtigium ducit arguitiuè, & per modũ effectus, imago autem repreſentatiuè, & per modum ſimilitudinis; & differunt etiã quantum ad illud quod ſunt, nam imago de ratione ſua eſt ſimilitudo, & accidit ſibi quod ſit impreſſa ab eo, cuius eſt ſimlitudo; econtrà autem veſtigium de ratione ſua non eſt niſi impreſſio, & accidit ſibi, quod ſit ſimilitudo.

d. 3. q. 9. Guilel. Occham reſp. quod veſtigium & imago conueniunt in tribus, primò, quia vtrũque diſtinguitur ab eo, cuius eſt imago, vel veſtigium. ſecundò, quia vtrunque natum eſt ducere in cognitionem eius, cuius eſt imago, & veſtigium, tertiò, quod tam veſtigium, quã imago ex natura ſua non plus repreſentant vnum indiuiduum quam aliud ſibi ſimillimũ. Differunt autem in duobus; primò, quia de ratione veſtigij eſt quod ſit cauſatum ab illo cuius eſt, non autem de ratione imaginis; ſecundò quia veſtigium niſi ſit impeditum ducit non tantum in notitiam recordatiuam illius, cuius eſt, ſed etiam in notitiam complexam alicuius veritatis contingentis de ipſo; non autem imago, quia enim non cauſatur ab illo, cuius eſt non facit regulariter notitiam alicuius veritatis contingentis de illo, cuius eſt; niſi fortè recordatiuam. Item Petrus Aliacenſis q. 4.

Adam Godã reſp. quod veſtigium, & imago aliqualiter cõueniunt, & aliqualiter differunt: conueniunt, quia vtrũque ducit in notitiam illius cuius eſt imago, vel veſtigium tanquam cauſatiuum notitiæ illius mediãte notitia ſua, ſed non deducit in primam notitiam determinatam, & propriam illius, cuius eſt imago, vel veſtigium; differunt autem, quia de ratione veſtigij eſt, quod cauſetur ab illo in ſpecie cuius eſt veſtigium; ſed non imago; & ſimiliter poteſt veſtigium ducere in alias notitias conſequutiuas, vt hic tranſiuit bos, equus, & huiuſmodi, non imago. d. 3.

Gerardus reſpondet, quod veſtigium, & imago coincidunt in hoc, quod vtrunque eſt ſimilitudo diminuta trinitatis; in hoc autem differunt, quod veſtigium repreſentat trinitatem quantum ad quædam communia, & appropriata; imago verò quantũ ad propria. d. 3. q. 4. a. 1.

Marſilius reſpondet, quod imago, & veſtigium tripliciter differunt, primò, veſtigium eſt in omni creatura, non imago; ſecundò, veſtigium exiliter ducit in cognitionem Dei, magis clarè imago; tertiò, veſtigium ducit in cognitionem Dei per appropriata, imago per propria. q. 7. a. 3.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut ad rationem veſtigij ſufficit impreſſio vnius partis eius cuius eſt veſtigium, ad rationem verò imaginis neceſſaria eſt expreſſio multarum partiũ eius, cuius eſt imago, ex quo fit quod repreſentatio per veſtigium eſt magis confuſa, & imperfecta, quam repreſẽtatio per imaginem; ità dicendum eſt, quod repreſentatio Trinitatis per veſtigium quod apparet in creaturis differt ab ea, quæ eſt per imaginem, quæ apparet in homine, ex hoc, quod illa eſt confuſa magis, & imperfecta; hæc autem magis diſtincta, & minus imperfecta.

Obiectio. Sed ſi vnum eſt idem ipſumque ſimpliciſſimum repreſentabile .ſ. ſancta Trinitas, & per veſtigium, & per imaginem, cur etiam non vna, & eadem repreſentatio?

Re-

Reſpondetur quod vnum, & idem non poteſt repreſentari niſi vna repreſentatione, vnius .ſ. generis, & vno modo; pluribus autem modis, & ſecundum repreſentationes diuerſorum generum poteſt vnum, & idem, etiam ſimpliciſſimum, repreſentari.

QVÆSITVM VI.

An ſit aliquid in homine, quod per modum imaginis ducat nos in cognitionem Trinitatis?

q. 15. m. 3. ALbertus reſp. quod in homine eſt mẽs quæ ſi concipitur ſecũdum ſe ipſam, ſic dicitur imago potentia, ſi conſideratur, vt per conceptum veri, & boni, quod eſt Deus vnus, & trinus, actualiter configuratur, ſic actu, & immediatè imago dicitur; ſi verò conſideratur, vt per conceptum veri, & boni configuratur ei, quod ſimile eſt Deo vni, & trino, vt quando concipit ſeipſam in tribus viribus, quæ ſunt partes eius, itaquod meminit ſui, intelligit ſe, vult ſe, ſic etiam actu dicitur imago, ſed mediatè.

d. 3. q. 3. ar. 1 D. Thomas reſp. quod ſicut in homine eſt repreſentatio diuinæ eſſentiæ, ita eſt repreſentatio diuinarum perſonarum, quia diſtinctio diuinarum perſonarum eſt ſecundũ quod conuenit diuinæ eſſentiæ, & hæc repreſentatio eſt imago, quæ quoniam eſt ſecundum quod nobilius eſt in eo, & nobilius in eo eſt mens, idcirco talis imago in homine eſt penes mentem.

d 3. p p q. vn. Aegidius reſp. quod imago repreſentat Trinitatem quantum ad perſonalia, perſonalia autem oportet accipere per actus notionales, actus verò notionales radicaliter ſunt ex actibus ad ſe cõuerſiuis, pater enim intelligendo ſe producit verbum, & pater, & filius diligendo ſe, Spiritum ſanctum: illud ergo eſt imago Trinitatis, quod habet operationem ſupra ſe conuerſiuam, & quoniam quælibet natura intellectualis eſt ad ſe conuerſiua; ideo quælibet natura intellectualis eſt imago Trinitatis, Angelus .ſ. & homo; ſed quoniam Angelus eſt magis intellectualis quam homo, cum actionem ſuam non habeat communicatam corpori, nec per ſe, nec per accidens. ideo magis ſeu expreſſius reperitur imago Dei in Angelo, quam in homine.

d. 3. q. 9 Ioann. Scotus reſp. quod illa creatura ducit nos in cognitionem Trinitatis per modum imaginis, quæ repreſentat diſtinctionem triũ perſonarum, vnitatem eſſentiæ, & ordinem originis, & quoniam anima, ſeu mens in homine eſt huiuſmodi; igitur eſt aliquid in homine, quod per modum imaginis ducit nos in cognitionem trinitatis. Minorem ſic probat. Anima ſeu mens habet in ſe triplicem perfectionem, vnam, ſecundum quam formaliter eſt actus primus reſpectu notitiæ genitæ, alteram, ſecundum quam recipit formaliter notitiam genitam, tertiã, ſecundum quã recipit volitionem, eſt enim actus primus reſpectu vtriuſque actus ſecundi .ſ. intellectionis, & volitionis, & iſtæ tres perfectiones dicuntur, memoria, intelligentia, voluntas, in quibus vnitas eſt, & conſubſtantialitas, nam ipſa anima, inquantum habet actum primum totalem reſpectu intellectionis, & obiectum ſibi præſens in ratione intelligibilis dicitur memoria, inquantum recipit notitiam genitam dicitur intelligentia, & inquantum eſt ſub actu volendi dicitur voluntas. Eſt etiam diſtinctio reſpectu iſtarum actualitatum receptarum in anima, nam alia eſt actualitas ſecundum memoriam, alia ſecundum intelligentiam, & alia ſecundum voluntatem; Similiter & origo, nam memoria habet rationem parentis, intelligentia geniti, & voluntas procedentis.

Durandus reſp. quod in homine ſunt tres potentiæ in vna eſſentia, quarum ſecunda originatur a prima, & tertia ab vtraque, vt intelligentia a memoria, & voluntas a memoria, & intelligentia, & huiuſmodi repreſentant diuinam Trinitatem, in qua eſt vnitas eſſentiæ cum pluralitate perſonarum, & ſic in homine eſt aliquid, quod per modum imaginis ducit nos in cognitionem Trinitatis. q. 1.

Guilel. Occham reſp. quod imago ſumitur tripliciter; primò pro ſubſtantia formata ab artifice ad ſimilitudinem alterius, ſecundum quædam accidẽtia eiuſdem ſpeciei cum accidentibus eius, ad cuius intentionem eſt formata ducens in notitiam ipſius, & hoc modo in nulla creatura eſt imago trinitatis; quia Trinitas nulla habet accidentia; ſecundò pro tali formato ſiue fiat ad ſimilitudinẽ alterius, ſiue non, & hoc modo, & in creatura rationali, & irrationali reperitur imago; tertiò pro omni vniuoco producto ab alio, & hoc modo in homine reperitur imago trinitatis, quia reperitur mens, quæ producit notitiam, & mens, & notitia, amorem. Item Petrus Aliac. & Ioannes a Cel. diſ. 3. q. 10

Adam Godam reſp. quod actualis intellectio in homine diſtinguitur a memoria, ideſt, ab intellectu exiſtenti in primo actu ſufficienti reſpectu intellectionis gignendæ, & ſimiliter amor a notitia. a qua gignitur, & ſecundum hanc diſtinctionem, & originem d. 9.

Digitized by Google

memoriæ, intellectionis, amoris, ſumitur ratio imaginis trinitatis in homine,

q. 7. a. 3. Marſilius reſp. quod in creatura rationali reperitur ſimilitudo Dei repræſentans Deum, non ſolum per appropriata, ſed etiam per propria .ſ. per rationes originis aliquo modo, & hæc eſt imago trinitatis in ea.

d. 3. q. 6. Ioannes Maior reſp. quod imago eſt ſimilitudo expreſſa totius diſtincta ab illo, cuius eſt imago, in notitiam rememoratiuam illius ducens, & hoc modo in creatura rationali reperitur imago trinitatis, quia eſt in ea memoria, intellectus, & voluntas, quæ ipſā repræſentant

d. 3. q. 2. Guilel. Varrill. reſp. quod imago dicitur tripliciter; vno modo id, ad cuius exemplar aliud fit; ſecundò productum modo naturæ ſuo producenti per omnia æquale; tertiò imitatiuum ſui artificis, ſiue imaginati in quadam propinquitate, & diſtantia, licet differat ſecundum eſſentiam, ſicut imago Cæſaris, Cæſarem repræſentat, & hoc modo in homine dicitur eſſe imago Trinitatis.

d. 3. §. 10. Guilel. Eſtius reſp. quod in homine eſt trinitatis imago, quia eſt memoria, intelligentia, voluntas; memoria cogitamus, intelligentia comprehendimus, voluntate amamus; ſicut ergo cogitatio eſt origo intelligentiæ, & voluntatis, ita pater eſt origo filij & Spiritus ſancti, & ſicut comprehenſio præcedit amorem, ita filius eſt prior Spiritu ſancto; & ſicut ex cogitatione præuia, & ſubſequenti cōprehenſione oritur amor, ita ex patre, & filio procedit Spiritus ſanctus; & ſicut hæc tria diſtincta ſunt inter ſe, ſed tamen in vna mentis natura conueniunt, ita diſtinctio trium perſonarum non diuidit vnitatem,

Reſolutio.

RESpondeo, quod imago eſt repræſentatio alicuius non ſolum totius, ſed etiam partium ſecundum imitationem, ex quibus deinde venitur in cognitionem diſtinctam illius, cuius eſt imago: cum itaque ſit in homine anima rationalis, quæ ſecundum vnitatem ſubſtantiæ imitatur diuinam eſſentiam, & ſecundum pluralitatem potentiarum, quæ ſunt memoria, intellectus, & voluntas, imitatur diuinas perſonas, quæ ſunt pater, filius, & Spiritus ſanctus; ideo dicendum eſt, quod anima rationalis eſt imago quodammodo trinitatis, ex qua ſatis venimus in cognitionem eius, & ſic in homine eſt aliquid, quod per modum imaginis ducit nos in cognitionem diuinæ eſſentiæ, & trium perſonarum.

Obiectio. Sed ſi in homine quamuis ſit vnitas ſecundum ſubſtantiam, non eſt tamen pluralitas ſecundum perſonas.

Reſpondetur, quod in homine non eſt tanta ſimilitudo trinitatis, quin ſit maior diſſimilitudo; vnde non eſt aliquid in eo, quod per omnem modum repræſentet trinitatem; quod tamen ſecundum mentem intelligat, meminerit, & velit, hoc iuuat ad aliqualem notitiam trinitatis, & emanationis diuinarū perſonarum. Ita Petrus Aliacenſis.

QVÆSITVM VII.

An imago Trinitatis, quæ eſt in homine, attendatur principaliter penes eſſentiam animæ eius; an penes ſuas potentias, memoriam .ſ. intellectum, & voluntatē; an penes actus?

D. Thomas reſp. quod tres ſunt proprietates ſeu virtutes, quæ conſequuntur eſſentiam animæ; vna, ſecundum quam anima, quæ eſt receptiua, retinet, & eſt memoria, altera, ſecundum quam anima retenta intelligit, & eſt intellectus; tertia, ſecundum quam anima in ipſum conueniens tendit, & eſt voluntas, & ſecundum huiuſmodi proprietates, quæ appellantur potentiæ, attenditur imago trinitatis in anima rationali. d. 3. q. 4. a. 1.

Et iterum reſp. quod imago in anima principaliter attenditur ad repræſentādum ſpeciē diuinarum perſonarum, & quoniam perſonæ diſtinguuntur ſecundum proceſſionem verbi a dicente, & amoris connectentis vtranque, verbum autem in anima noſtra ſine actuali cognitione eſſe non poteſt; ideo principaliter attenditur imago trinitatis in anima ſecundū actus; ſed quoniā principia actuum ſunt habitus, & potentiæ, & vnumquodque virtualiter eſt in ſuo principio, imago trinitatis poteſt attendi in anima ſecundum potentias, & ſecundum habitus, prout in eis .ſ. actus virtualiter exiſtunt. p. p. q. 93. a. 7.

D. Bonau. reſp. quod imago attenditur in his tribus potentijs cum comparatione ad vnitatem eſſentiæ, & pluralitatem actuum, in quibus eſt diſtinctio, & origo, & ordo vnius ab altero per modum quendam diſponendi, nam retentio ſpeciei diſponit ad intelligendum, & intelligentia ad amandum, ſecūdum quod intelligitur illud eſſe bonum. d. 3. ar. 2. q. 1.

Ægidius reſp. quod ſicut dicit D. Auguſt. lib. 14. de Trin. c. 7. imago potius eſt in nobis cum actu intelligimus, quam cū intelligimus habitu; ſed quoniam ad actū intelligendi non ſufficit eſſētia aīæ, ideo aliud requiritur, memo- d. 3. 2. p. q. 2.

Digitized by Google

moria .ſ. quæ ſpecies conſeruat, intellectus qui ſpeciebus informatur, & cognoſcit, & voluntas, quæ vtrunque nectit, atque ita partes imaginis aſſignari ſolent, memoria, intellectus, voluntas.

d. 3. q. 1. Ricardus reſp. quòd imago debet aſſignari in anima per comparationem ad memoriā intellectum, & voluntatem, ſecundum quod nominant potentias, & ſecundum quod nominant actus, ſed expreſſius, quando nominát actus, quam quando non ſunt in actibus ſuis, quia earum origo eſt maximè ſecūdum actus, & dicunt quid actualius, quam potentiæ ſub ratione qua potentiæ ſunt.

d. 3. q. 9. Ioannes Scotus reſp. quod imago conſiſtit in actibus ipſius animæ tam primis, quam ſecundis, actus primi ſunt fæcunditas ad gignēdū, & fæcunditas ad ſpirandum, actus ſecundi intellectio, & volitio; & ita in imagine ſic accepta eſt conſubſtantialitas, & diſtinctio, & origo, non quidem quod vnus actus producatur ab altero, vt volitio ab intellectione; ſed quod vnus naturaliter præſupponat alterum, & ita non attenditur imago in anima rationali penes potentias, ſed penes actus.

d. 16. q. 1. a. 2. Et in 2. ſent. reſp. quod anima inquantum eſt vna eſſentia habens intellectum, & voluntatē repreſentat diuinam eſſentiam, non ſic autem tres perſonas, quia eſſentia, intellectus, & voluntas ſunt in qualibet perſona, repreſentat autem tres perſonas vt potentiæ ſuæ ſunt ſub actibus ſuis, quia vnus actus eſt ab alio per modum originis, ſicut perſonæ inter ſe originantur, ſicut enim a patre verbum, & ab vtroque Spiritus ſanctus, ſic quodammodo a memoria actus intellectus, & velle ab vtroque originatur.

q. 4. Franc. Maro reſp. quod per tres potentias quæ ſunt in anima noſtra intelligitur imago trinitatis; eſt enim origo inter eas, nam memoria eſt intellectus agens cum ſpecie, quæ ſimul iuncti producunt verbum, & hæc appropriatur patri; intelligentia autem quæ appropriatur filio dicit actum intelligendi in intellectu poſſibili, non quod intellectus ſit productus, ſed intellectus vt ſub actu, velle autem ab vtroque, ſicut Spiritus ſanctus.

d. 3. q. 2. Thomas ab Argentina reſp. quod memoria, intellectus, & voluntas, vt nudæ ſumuntur non connotatis actibus, minus expreſsè repreſentant trinitatem, ſi verò cum actibus ſibi congruentibus concernuntur, magis expreſsè.

d. 3. q. 8. Guilelmus Rubion reſp. quod imago vt ponitur in mente, ſeu in anima rationali repreſentat Deum hoc modo; Memoria cuius eſt ſpeciem conſeruare, & dicere, repreſentat patrem generantem filium; intelligentia autem, hoc eſt, ipſa notitia producta, ſeu dicta, repreſentat ipſum filium genitum; & amor, qui eſt tertia pars imaginis Spiritum ſanctum ſpiratum.

Alphonſus reſp. quod ſuppoſito quod memoria intellectus, & voluntas in natura rationali ſint tres potentiæ realiter diſtinctæ partes imaginis eſſētialiter, necnō intrinſecè ſunt iſtæ tres potentiæ, natura verò, in qua fundantur non quidem formaliter, ſed fundamentaliter, imago dicitur; ſuppoſito autem quod non ſint realiter diſtinctæ, perfecta ratio imaginis conſiſtit in ipſa ſubſtantia animæ, & duabus potentijs .ſ. intellectu, & voluntate; aliquo enim modo intellectus emanat, & originatur ab ipſa ſubſtantia animæ, & voluntas ab anima originante, & intellectu originato. d. 5. q. 1. a. 1.

Ioannes Bacc. reſp. quod imago trinitatis attenditur ſecundum eſſentiam animæ, vt ſui ipſius eſt intellectiua, vt a ſe intellecta, & vt a ſe amata; anima enim vt eſt ſic intellectiua poteſt habere rationem parentis, vt autem intellecta ſic producitur .ſ. de primo eſſe intellecto, ſic habet rationem prolis, & verbi; vt autem a ſe amata ſic producitur in quodam complacito, habet rationem amoris, & in iſta trinitate ſemper retinet identitatem eſſentiæ; & in ipſa ſimiliter eſt ordo originis vnius ab vno, & vnius a duobus. d. 3. q. 5.

Nicol. de Nijſe reſp. quod imago Trinitatis conſiſtit in actibus primis, prout ſunt ſub actibus ſecundis, nam ibi eſt conſubſtantialitas quantum ad realitates actuum primorū, quæ ſunt ex parte animæ, & eſt realis diſtinctio, & ordo ex parte actuum ſecundorum. p. 3. q. un.

Guilel. Varrill. reſp. quod imago non conſiſtit ſolum in actibus primis .ſ. intellectu, & voluntate, quia licet huiuſmodi actus habeant conſubſtantialitatem, non tamen habent originem; nec tantū in ſecundis, quia nō habent conſubſtantialitatē, ſed conſiſtit in actibus primis & ſecundis, in primis quia habent conſubſtantialitatem, in ſecundis, quia habent originem, vnde ſic perficitur ex his ratio imaginis: potentia cum obiecto, ſeu in ſe, ſeu in ſpecie intelligibili, habet rationē mentis, ſeu memoriæ, & eſt prima pars imaginis; intellectus verò cum actu intelligendi habet rationem intelligentiæ, ſeu notitiæ, & eſt ſecunda pars imaginis; potentia volitiua, cum volitione habet rationem voluntatis, ſeu interni amoris, & eſt tertia pars imaginis. d. 3. q. un.

Reſolutio.

RESpondeo, quod imago trinitatis in homine attenditur, ſecundum quod anima eius ipſam repreſentat, ſicut autem eſt vna eſſentia, tres perſonæ, ipſæque producentes, & productæ, ita imago eius in anima rationali repreſentat eius eſſentiam, inquantum eſt vna ſubſtantia; inquantum memoria, intellectus, et voluntas repreſentat perſonas, & inquantum intelligens, & volens repreſentat earum productiones, & actus, & quoniam nulla principalitas attenditur in his, neque ex parte Trinitatis, neque ex parte animæ, non enim magis diuina eſſentia eſt vna, quam ſint tres perſonæ, ipſæque producant, ſimiliter non magis ſit anima, quam ſuæ potentiæ, & actus; neque hæ magis appareant in repreſentando, quam illa, idcirco imago trinitatis in anima æquè attenditur penes eſſentiam, penes potentias, & penes actus, eſt enim vna, quæ hæc omnia ſimul repreſentat, in quibus conſiſtit.

Obiectio. Sed ſi potentiæ non ſunt ſemper in actibus ſuis? non enim ſemper cogitat intellectus, neque ſemper diligit voluntas?

Reſpondetur, quod licet potentiæ animæ non ſint ſemper in actu ſecundo, ſunt tamen ſemper in actu primo: voluntas enim ſemper vult, & intellectus ſemper intelligit, quamuis non ſemper cogitet. Ita Ægidius.

QVÆSITVM VIII.

An potentiæ animæ, penes quas attenditur imago ſint ſemper in actu?

d. 3. q. 4. a. 1. D. Thomas reſpondet, quod aliud eſt cogitare, aliud diſcernere, & aliud intelligere, cogitare eſt conſiderare rem ſecundum partes, & proprietates ſuas, diſcernere eſt cognoſcere rem per differentiam ſui ab alijs, intelligere vero dicit ſimplicem intuitum intellectus in id, quod ſibi eſt præſens intelligibile, anima itaque non ſemper cogitat, & diſcernit de Deo, ſed tamen intelligit ſe ſemper, & Deum indeterminatè, quia hæc ſunt ſibi ſemper præſentia.

d. 3. q. 2. ar. 2 Ricardus reſpondet, quod memoria, intellectus, & voluntas in nobis non ſunt ſemper in actibus ſuis; nam anima naturaliter venit in cognitionem ſui, primò, per cognitionem obiectorum, & ab illa venit in cognitionem actuum, & ex cognitione actuum venit in cognitionem ſui ipſius, non ſemper autem cognoſcit actum ſuum, quia non ſemper nos intelligimus intelligere, vnde nec ſeipſam ſemper cognoſcit, nec ſimiliter alia a ſe, & ideo non ſemper eſt in actu cognoſcendi; non ſemper item phantaſmata ſpeculatur, ſine quibus intelligere nequit; igitur neque ſemper actu intelligit.

Reſolutio.

RESpondeo, quod tunc quælibet potentia eſt in actu ſuo, quando ab aliquo extraneo non impedita, ſed ipſa per ſe benè diſpoſita verſatur circa aliquod obiectum, quod ſibi præſentialiter adeſt, vel eo modo quo aptum natum eſt adeſſe, ex quo fit quod potentiæ, vt memoria, intellectus, & voluntas, in beatis ſint ſemper in actu ſuo, quia nec impediuntur ab aliquo extraneo, nec poſſunt eſſe niſi bene diſpoſitæ propter lumen gloriæ, & gratiæ, nec procul eſt obiectum, circa quod operantur; at in nobis ſecus contingit, tum propter impedimenta multa, quæ poſſunt prouenire ab extrinſeco, quæ .n. aliquibus indigent, ab aliquibus poſſunt impediri, tum propter defectum ſenſuum, ex quarum mala diſpoſitione, malè etiam diſponuntur ipſæ potentiæ, ex quo non ſemper ſunt in actu, ſiue omnes, ſiue quædam earum vt in actu memorandi, intelligendi, vel volendi quodcunque obiectum, cuius præſentialitas impeditur propter talia impedimenta, & indiſpoſitiones.

Sed ſi anima eſt ſibi ſemper præſens, & eſt naturæ cognitiuæ? neque ad hoc aliquod impedimentum eſſe poteſt? Obiectio.

Reſpondetur, quod ad hoc, quod anima ſe cognoſcat non ſufficit, quod ſit ſibi præſens, ſed quod feratur in ſe, & in obiectum, quod aliquando non fit, vel ex defectu ſui, vel ex defectu medij, vel ex defectu obiecti.

QVÆSITVM IX.

An in ſolo homine ſit trinitatis imago?

D. Thomas reſp. quod non ſolum in homine, ſed etiam in Angelo imago trinitatis apparet, imò quantum ad id in quo primo conſideratur ratio imaginis, quod eſt intellectualis natura, quæ eſt magis perfecta in eo, quam in homine, magis apparet in eo, quam in homine. p. p. q. 93. ar. 3

Ægidius reſp. quod imago repræſentat trinitatem quantum ad perſonalia, perſonalia autẽ oportet accipere per actus notionales, ac- d. 3. p. 2. q. vn.

Digitized by Google

actus verò notionales radicaliter ſunt ex actibus ad ſe conuerſiuis, pater enim intelligendo ſe producit verbum, & pater & filius diligendo ſe ſpirant Spiritum ſanctum; illud ergo eſt imago trinitatis, quod habet operationem ſupra ſe conuerſiuam, & quoniam natura intellectualis eſt ad ſe conuerſiua, ideo natura intellectualis eſt imago trinitatis, Angelus .ſ. & homo; ſed quoniam Angelus eſt magis intellectualis, quam homo, ideo magis ſeu expreſſius reperitur imago Dei in Angelo, quam in homine.

Reſolutio.

RESpondeo, quod imago trinitatis attenditur penes vnam eſſentiam, & tres potentias, memoriam .ſ. intellectum, & voluntatem, in quibus ergo ſunt huiuſmodi potentiæ, in illis etiam eſt trinitatis imago, & quoniam non in ſolo homine, ſed etiam in Angelo eſt memoria, intellectus, & voluntas, idcirco non in ſolo homine, ſed etiam in Angelo eſt trinitatis imago.

Obiectio. Sed ſi vnus Angelus non procedit ab altero, ſicut in diuina Trinitate vna procedit ab altera?

Reſpõdetur, quod repreſentare trinitatem ſecundum quod vna perſona procedit ab altera eſt per accidens ad imaginem, vnde non ſequitur, quod ſi Angelus non procedit ab Angelo, per hoc non ſit trinitatis imago. Ita Ægidius.

QVÆSITVM X.

An potentiæ animæ ſint idẽ cum eſſentia eius?

p. p. q. 15. m. 2. ALbertus reſp. quod potentiæ animæ ſunt proprietates conſequentes eſſe, & ſubſtantiam eius ſicut rectum & curuum, lineam, par & impar, numerum, & ideo ſunt in genere qualitatis in ea ſpecie, quę diuiditur in naturalem potentiam, & impotentiam; & ſic non poſſunt eſſe idem cum eſſentia eius.

d. 3. a. 34. Et iterũ reſp. quod ſi anima conſideratur in ſuo eſſe ſecundum quod eſt quædam ſpiritualis ſubſtantia, ſic potentiæ eius ſunt cõſequentes eſſe, & principiantur ab ipſo eſſe & quod eſt, ſi autem conſideratur vt ſubſtantia agens in exteriora, & in corpus, ſic anima accipitur vt totum poteſtatiuum, cuius poteſtas completur in ſuis potentijs, & ſic ſunt ſubſtantiales ei.

d. 3. q. 4. D. Thomas reſp. quod potentia animæ eſt proximum principium operationis, in alijs autem a Deo principium proximũ operationis eſt accidens, & non ſubſtantia; potẽtiæ ergo animæ ſunt accidentia, & non ſubſtantiæ; & perfectiones emanantes ab eſſentia eius, & ideo non ſunt idem cum eſſentia.

Et iterum reſp. quod cum actus & potentia ordinata ad illum actum, pertineant ad idem genus entis, ac potentia in anima ſit ordinata ad operationem, quæ eſt accidens, ſequitur quod & ipſa potentia ſit accidens, & non ſubſtantia; anima item ſecundum ſuam eſſentiam eſt actus; nihil autem eſt in potentia ſecundum actum, inquantum eſt actus; ergo potentia non poteſt eſſentia, ſecundum quam anima eſt actus. p. p. q. 97. a. 1.

D. Bonau. reſp. quod illæ potentiæ animæ quæ immediatè egrediuntur ab eius ſubſtantia, quales ſunt memoria, intelligentia, & voluntas, non ſunt quidem cum eſſentia animæ idem, ſed tamen non ſunt adeo diuerſæ, quod ſint alterius generis cum ea, cum ſint in genere ſubſtantiæ per reductionem. d. 3. q. 1.

Ægidius reſp. quod iſtæ potentiæ animæ memoria, intellectus, & voluntas non ſolum prædicatione cauſali, ſicut cæteræ potentiæ debent dici anima, ſed etiam quodammodo prædicatione formali, cum non propter aliã entitatem ſint entia, quam propter entitatem animæ, ſicut reliquæ potentiæ ſunt entia propter entitatem ſubiectorum, in quibus exiſtunt, quæ ſunt organa, non ipſa anima. d. 3. q. 1.

Ioannes Scotus reſp. quod anima eſt per ſe ſufficiens principium ſuorum actuum ſine reali diſtinctione ſuarum potentiarum ab ea, & ſe ipſa immediatè attingit finem ſuũ, & per ſe, nullo .ſ. accidente mediante, quo recipiat viſionem Dei, eſt beata, quæ omnia arguunt eius nobilitatem. non itaque potentiæ realiter diſtinguuntur ab ea, ſed ſunt vnitiuè contentæ in ea, quaſi paſſiones eius, propter quas eſt operatiua, non quod ſint eſſentia eius formaliter; ſed ſunt formaliter diſtinctæ, idem tamen identicè, & vnitiuè. q. 1. a.

Ricardus reſp. quod potentiæ animæ non ſunt accidentia, nec addunt aliquam rem abſolutam ſuper animæ eſſentiam, ſed tantummodo reſpectus ad actus, & obiecta. d. 3. p. 2. q. 1.

Herueus reſp. quod potentiæ animæ neque organicæ neque immateriales ſunt idem eſſentialiter cum ea; cum ſint de genere qualitatis, ipſa verò de genere ſubſtantiæ. d. 3. q. 4.

Durandus reſp. quod potentiæ animæ vegetatiuæ, quales ſunt generatiua, nutritiua, & augmentatiua ſunt idem cum eſſentia eius; at potentiæ animæ ſenſitiuæ, & intellectiuæ, cum eſſentia ſit indifferens ad actus per eas, d. 3. q. 2.

Digitized by Google

eas, non ſunt idem cum ea.
d.3. Franciſcus Maro reſp. quod ex eo quod D.
q.4. Auguſtinus potentias vocat proprietates ani-
mæ deducitur quod non ſunt idem omnibus
modis cum eſſentia, quia cũ ſint huiuſmodi di-
cuntur de eſſentia in ſecundo modo dicendi
per ſe, vnde non poſſunt eſſe idem quiditati-
uè cum ea.
d.3 Thomas ab Argentina reſp. quod ſi poten-
q.2. tiæ animæ eſſent idem realiter quod eſſentia
a.2. tunc vnum indiuiſibile fundamentum creatũ
fundaret ſimul oppoſitas relationes, nam
potentiarum animæ, quædam ſunt actiuæ, &
quædam paſſiuæ, actiuum autem & paſsiuum
fundant oppoſitas relationes; quod cum ſit
proprium ſolius Dei, non conuenit animæ.
2.ſt. Gregorius reſpondet, quod cum nec ex-
d.16. perientia doceat, nec ratio ex experientia
& 17 procedens oſtendat, nec ſacra auctoritas co
q.4. gat credere, quod anima hominis realiter di
ſtinguatur a ſuis potentijs, imo (vt ſibi vi-
detur) contrarium ſentiat D. Auguſtinus lib.
10. de Trin. c.2. lib. 10. Conf. ſerm. de imag.
tenendum eſt, quod anima ſit idem, quod ſuæ
potentiæ.
q.1. Alphonſus reſp. quod cum nulla res crea-
ar.2 ta, quæ eſt vna, poſſit eſſe plures; hoc eſt
enim ſingulare in diuinis, vt vna res, quæ eſt
eſſentia diuina ſit plures; ſintque plures res
potentiæ animæ, idcirco non poſſunt eſſe
idem realiter cum ea.
c.4. Paulus Venetus in ſum. de An. reſp. quod
anima realiter, & eſſentialiter diſtinguitur a
ſuis potentijs, ſi enim identificaretur vni,
pari ratione, & alteri, & per conſequens om
nes potentiæ animę identificarentur inuicem,
quod eſt impoſſibile.
q.7. Marſilius reſp. quod quælibet potentia
a.3. animæ rationalis, vt memoria, intellectus,
& voluntas, eſt anima intellectiua; cum
quælibet harum ſit actus primus ſubſtantia-
lis corporis phyſici, & organici, qualis eſt
anima.
d.2. Laurent. Opimus reſp. quod memoria, in-
q.vn. tellectus, & voluntas, non ſunt diſtincta ac-
cidentia, ſed ſola vna anima, vna vita, vna
eſſentia, alioquin ſequeretur, quod corpus
eſſet informatum pluribus formis ſubſtan-
tialibus, quod eſt inconueniens.
d.3. Michael de Pal reſp. quod apud Ariſt. di-
diſp.3 ſcuſſa res non eſt, an potentiæ animæ ſint
ſuperadditæ affectiones, an vero ipſa ſub-
ſtantia animæ; neutrumq. oſtendi poteſt ra-
tione vrgente.

Reſolutio.

RESpondeo, quod anima ſubſtantia eſt, &
forma, nulla autem potentia cuiuſcun-
que generis illa ſit, alicuius ſubſtantia eſſe
poteſt, aut forma; cum enim inſit ſubſtantia
eſſe non poteſt, quia ſubſtantia in ſubiecto
non eſt, & cum non ſit actus, non poteſt eſſe
forma, quia forma eſt actus, & dat eſſe rei,
quælibet autem potentia præſupponit rem
eſſe, conſequens ergo eſt, vt nulla potentia
animæ ſit idem realiter, & quiditatiuè cum
eſſentia eius.
Sed ſi ſententia D. Auguſtini eſt, quod hæc Obie-
tria .ſ. memoria, intellectus, & voluntas, ctio.
ſunt vna mens, vna vita, vna anima?
Reſpondetur, quod hæc prædicatio non
eſt ſubſtantialis, ſiue eſſentialis, & in pri-
mo modo dicendi per ſe; ſed in ſecundo; eſt
enim memoria anima, quia eſt proprietas
fluens ex eſſentia animæ. Ita Albertus. Et
D. Thom. de Ver. q. 10. ar. 1. Hæc tria di-
cuntur vna eſſentia inquantum ab vna eſſen-
tia procedunt, vna vita inquantum ad vnum
vitæ genus pertinent, & vna mens inquan-
tum ſub vna mente comprehenduntur; Hæc
locutio (inquit Herueus) eſt Emphatica,
qua vſus eſt D. Auguſtinus propter magnam
intimitatem, quam habent huiuſmodi po-
tentiæ ad eſſentiam animæ.

QVÆSITVM XI.

*An memoria, intellectus, & voluntas diſtin-
guantur realiter inter ſe?*

D. Thomas reſp. quod cum potentiæ p. p.
animæ diſtinguantur ſecundum di- q. 79.
uerſas rationes obiectorum, & in- ar. 7
tellectus reſpiciat ſuum obiectum ſecundum
vnam, & communem rationem entis, nulla
differentia potentiarum eſſe poteſt in intel-
lectu niſi poſſibilis, & agentis; aliud enim
oportet eſſe potentiam actiuam, quæ faciat
obiectum eſſe in actu, & aliud potentiã paſ-
ſiuam, quæ mouetur ab obiecto in actu exi-
ſtente, & ideo ſi in parte intellectiua memo-
ria ponitur, alia potentia ab intellectu eſſe nõ
poteſt, ſicut enim intellectus recipit ſpecies,
ita conſeruat, quod eſt de ratione memoriæ.
Et iterum reſp. quod cum intellectus in- de ve
differenter ſe habeat ad cogitanda præſentia q. 10.
præterita, & futura differentia præſentis, & a. 2.
præteriti, eſt accidentalis intelligibili inquã-
tum huiuſmodi vnde quamuis in parte intel-
lectiua poſſit eſſe aliquo modo memoria, non
ta-

tamen poteſt eſſe, vt potentia quædam per ſe diſtincta ab alijs, eo modo quo philoſophi de diſtinctione potentiarum loquuntur.

q. 2. ar. 2. Ægidius reſp. quod potentiæ diſtinguuntur in affectiuam, & cognitiuam, & ſicut affectiua eſt vna, ita & cognitiua, ex parte cuius ſe tenet memoria, & intellectus, quæ ideo non ſunt duæ potentiæ ſecundum rem, ſed tantum ſecundum rationem.

d. 3. q. 3. & 4. Durandus reſp. quod memoria non differt ab intelligentia, ſed eſt vna, & eadem natura earum ſub diuerſis tamen officijs, & actibus, nam ad memoriam pertinet habere ſpeciem, vel habitu cognoſcere, ad intelligentiam verò vti ſpecie, ſeu actualiter cognoſcere: intellectus item non differt a voluntate in aliquo abſoluto, ſed ſolum per reſpectum ad diuerſos actus.

d. 3. q. 4. Franciſcus Maro reſp. quod ex eo quod D. Auguſtinus huiuſmodi potentias dicit eſſe inſeparabiles deducitur quod non ſunt realiter diſtinctæ, quia quæ realiter diſtinguuntur videntur poſſe ſeparari.

q. 4. ar. 3. Gerardus reſp. quod memoria in parte intellectiua accipitur dupliciter, vno modo, vt eſt condiuiſa contra alias duas partes imaginis .ſ. notitiam, & amorem, & ſic de ratione memoriæ eſt gignere notitiam, quæ eſt principium amoris, & hoc modo partes imaginis ſunt realiter diſtinctæ: alio modo accipitur memoria, vt diſtinguitur contra duas partes imaginis .ſ. intellectum, & voluntatem, vt nominant potentias, & tunc non eſt realiter diſtincta ab intelligentia, quia de ratione memoriæ ſic acceptæ eſt continere in abſcondito illud, quod poſtea per intelligentiam fit manifeſtum; vt dicit D. Aug. lib. 14. De Trinit. c. 8.

d. 3. q. 8. Guilel. Rub. reſp. quod potentiæ animæ ſunt diſtinctæ formaliter, ſeu quiditatiuè licet ſint in re extra totaliter indiſtinctæ, nulla enim cadit in diffinitione alterius; non enim intellectus eſt voluntatis diffinitiuus, nec eſſentiæ animæ, nec econuersò:

d. 3. q. 1. a. 2. Alphonſus reſp. quod hæc voluntas eſt potentia libera, & hic intellectus non eſt potentia libera, & hæc voluntas vult, & non intelligit, hic autem intellectus non vult & intelligit; igitur non poſſunt eſſe realiter idē Et hæc (inquit) eſt intentio D. Auguſtini lib. 4. de trin. c. 38. & lib. 15. c. 44.

Reſolutio.

RESpondeo, quod diſtinctio actuum arguit diſtinctionem virium, ſiue potentiarum, eſt autem actus memoriæ memorari, hoc eſt ſubminiſtrare intellectui, ea qu illi iam nota erant, ſibique ab eo quodam modo commendata ad conſeruandum, acte verò intellectus eſt intelligere, non ſolu antequam aliquid memoriæ commendet, ſe etiam poſtquam illud commendauerit, cur ſibi ab ea ſubminiſtratum fuerit, voluntati autem actus eſt velle, hoc eſt acceptare, ve ſibi complacere in eo, circa quod memoria & intellectus agunt, cum itaque huiuſmod actus realiter diſtinguantur ab inuicem, nam vnus poteſt eſſe ſine alio, poteſt enim eſſe intelligere ſine memorari, vt cum aliquid de nouo intelligitur, & memorari, & intelligere poſſunt eſſe ſine velle, vt cum voluntas non acceptat, aut ſibi non complacet in eo circa quod memoria, & intellectus agunt; idcirco & ipſæ potentiæ animæ, quibus mediantibus agit, memoria .ſ. & voluntas, quorſ ſunt actus, realiter inter ſe diſtinguuntur.

Sed ſi potentiæ diſtinguuntur per actus, actus verò per obiecta, & obiectum memoriæ, intellectus, & voluntatis eſt idem quod eſt ens, verum, & bonum, quæ ad inuicem conuertuntur?

Reſpondetur, quod idem eſt obiectum memoriæ, & intellectus, & voluntatis, ſub alia tamen, & alia ratione, & hoc ſufficit ad hoc, quod actus potentiarum rationaliū diſtinguantur per obiecta, ratione ſcilicet diſtincta. Et hoc eſt, quod dicit D. Thomas p. p. q. 77. ar. 3. ad tertium. Nihil prohibet, id quod eſt ſubiecto idem, eſſe diuerſum ſecundum rationem, & ideo poteſt ad diuerſas potentias animæ pertinere.

QVÆSITVM XII.

An potentiæ animæ oriantur ab anima?

D. Thomas reſpondet, quod ſicut formæ ſubſtantialis ſubiectum eſt ens in potentia, ita formæ accidentalis eſt ens in actu, ſicut ergo forma ſubſtantialis dat actualitatem ſuo ſubiecto, ita ſubiectum dat actualitatem formę accidentali, vnde inquantum eſt in potentia, eſt quidem ſuſceptiuum eius, ſed inquantum eſt in actu, eſt eius productiuum, cum itaque anima ſit ſubiectum ſuarum potentiarum, ſequitur quod cauſet eas, ipſæque ab ea fluant, & oriantur tanquam a ſuo principio productiuo:

Aegidius reſpondet, quod ideo accidentia ſunt entia, quia ſunt entis, & cauſantur ab ente, cum itaque potentiæ animæ ſint qualitates, & virtutes perficientes, & di-

Digitized by Google

quod diſcernitur, ſi tertio modo, aut conſideratur inquantum refertur tantum, & ſic eſt illa modus, ſpecies, & ordo, aut inquantum aſſimilatur, & refertur, & ſic aſſignatur vnitas, veritas, bonitas; & in hac perfectius conſiſtit ratio veſtigij, quam in quacunque alia, quia huiuſmodi ſunt abſtracta, & per ipſa ſit aſſimilatio, & proprie ſunt in Deo. Item Paulus Scriptor.

d. 3. q. 3. Ioannes Vig. reſp. quod octo ſunt trinitates veſtigiorum, quæ aſſignantur ſecundum quod natura conſideratur octo modis; primò ſi conſideretur quantum ad fieri, ſic eſt prima trinitas numerus, pondus, & menſura; ſecundò quantum ad eſſe abſolutè, & ſic eſt ſecunda trinitas vnitas, bonitas, veritas; tertiò ſecundum quòd eſt in eſſe perfecto, & ſic eſt tertia trinitas modus, ſpecies, ordo; quartò vt eſt in diſpoſitione ad ſuas operationes naturales alias ab intellectione, & volitione, & ſic eſt quarta trinitas ſubſtantia, ſpecies, & virtus; quintò vt eſt ſub actuali operatione naturali alia ab intellectione, & volitione, & ſic eſt quinta trinitas, eſſe, virtus, & operatio; ſextò vt eſt ſub proxima diſpoſitione ad intellectionem, & volitionem, & ſic eſt ſexta trinitas, eſſentia, ſpecies, & ratio; ſeptimò vt eſt ſub actuali intellectione, & volitione, & ſic eſt ſeptima trinitas quod conſtat, quod congruit, quod diſcernitur; octauò ſecundum quod eſt in intellectione ſimul, & affectione, & ſic octaua trinitas eſt, exemplar, pulchrum, delectabile.

Reſolutio.

RESpondeo, quod de ratione veſtigij eſt, vt repreſentet id, cuius eſt veſtigium, ad hoc vt quæri poſſit, & inueniri, hoc autem fit propter aſſimilationem cauſatam in eo ab eius auctore: neceſſarium eſt itaque, vt ſi apparet aliquod veſtigium diuinarum perſonarum in creaturis accipiatur ſecundum aliqua diſtincta in eis, alioquin non diſtinctas indicaret perſonas, ac proinde in inquiſitione deficientes ad earum diſtinctiorem notitiam non perueniremus, hoc autem fit penes ſingula appropriata eis, in quibus relatio eſt, & aſſimilatio.

Obiectio. Sed ſi creaturæ ſunt ab eſſentia? accipiendum eſt ergo veſtigium per comparationem ad eſſentiam; eſſentia autem inueſtiganda eſt non penes diſtincta.

Reſpondetur quod creatura dicitur veſtigium per comparationem ad eſſentiam, inquantum facit ipſam ſciri propriè, & certitudinaliter cognitione perfecta, quia, & per comparationem ad perſonas per appropriationem, quæ eſt cognitio imperfecta, quia, in comparatione ad cognitionem propriè, & certitudinaliter quoad eſſentiã. Ita Ægidius.

QVÆSITVM III.

An ſit veſtigium trinitatis in omni creatura?

D. Thomas reſp. quod in indiuiduis tantum ſubſtantiæ eſt inuenire veſtigiũ, in accidentibus autem, non niſi in ordine ad ſubſtantiam, quaſi ſint modi, ſpecies, & ordines ſubſtantiarum; & ratio eſt, quia veſtigium inuenitur in creatura ſecundũ quod conſequitur eſſe perfectum a Deo; eſſe autem perfectum non habent, niſi indiuidua ſubſtantiæ. d. 3. q. 2.

Ægidius reſp. quod ſicut dicit ſapiẽs, Deus fecit omnia in numero pondere, & menſura, hæc autem poſſunt accipi dupliciter vt dicũt diuerſas res; vt. ſ. numerus virtutem, pondus operationem, menſura ſubſtantiam; & ſic non in omnibus, ſed tantum in per ſe entibus reperitur veſtigium; ſecundo modo, vt dicunt res rationis, & ſic reperitur aliquo modo veſtigium in omnibus, Deus enim omnia conſtituit, & diſpoſuit, vt haberent numerum, pondus, & menſuram. q. 4. ar. 3

Ricardus reſp. quod omnis creatura habet veſtigium Dei, quia omnis creatura aliquam ſimilitudinem Dei gerit, quæ confusè, & debiliter ipſum repreſentat. d. 3. a. 1. q. 1.

Durandus reſp. quod in omni creatura eſt aliqua repreſentatio trinitatis, ducens nos in aliqualem notitiam eius licet confuſam; in omni enim creatura inuenitur eſſentiæ vnitas, & quædam tria, quæ reſpondent tribus perſonis, modus. ſ. qui repreſentat patrem, ſpecies filium, ordo Spiritum ſanctum. d. 3. q. 4.

Petrus Aur. reſp. quod ſicut ſe habent res ad entitatem, ſic ſe habẽt ad veſtigium, & ideo prima materia, & accidentia, & omnia quæ ſunt, ſunt veſtigium Trinitatis; nihilominus principaliter ſubſtantia eſt veſtigium ſicut principaliter eſt. d. 3 c. 2. a. 2.

Guilel. Occham reſp. quod veſtigium aliquando conſiſtit in diſtinctis realiter, & ſic conſiſtit in ſubſtantia, & diuerſis accidentibus, & hoc modo non omnis creatura eſt veſtigium trinitatis, quia non omnis creatura eſt habens diuerſa accidentia, & aliquando conſiſtit in vno tantum, quod ſortitur diuerſas denominationes, vel continetur ſub diuerſis communibus, ex quo poſſunt haberi diuerſa appropriata in Deo, & hoc modo omnis creatu- d. 3. q. 9.

tura eſt veſtigium trinitatis. Itẽ Petrus Aliac.

q. 6. ar. 3 Nicol. de Nijſe reſp. quod in omni creatura reperiũtur aliqua tria repreſentatiua aliquorum, quæ ſunt appropriabilia tribus perſonis, & ideo in omni creatura apparet trinitatis veſtigium.

d. 3. q. 5. Antonius Andreas reſp. quod in qualibet creatura eſt veſtigium, quia quælibet creatura habet propriam vnitatem, per quam diſtinguitur ab omni non tali, propriam ſpeciem, per quam imitatur propriam ideam, & proprium ordinem, per quem tenet certum gradum in entibus.

d. 3. ar. 3. Guilel. Varrill. reſp. quod nõ in omni creatura eſt veſtigium, quia cum veſtigium ſit creatura in veſtigio eſſet veſtigium, & ſic in infinitum, quod eſt incõueniens, eſt tamen verum quod omnis creatura, aut habet veſtigiũ, aut eſt ipſa veſtigium.

d. 3. §. 9. Guillel. Eſtius reſp. quod in omni creatura eſt veſtigium, quia in omni creatura eſt vnitas, ſpecies, & ordo; nam vnitas reſpõdet Patri, ſpecies Filio, ordo Spiritui ſancto.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod nomine creaturæ intelligitur omne illud, quod eſt creatum a Deo in ſuo eſſe completo, & perfecto, ex quo partes creaturarum, principia, accidentia, & huiuſmodi non propriè dicuntur creaturæ. Cum itaque ſit de ratione veſtigij inſinuare, & repreſentare id, cuius eſt veſtigium propter ſimilitudinem, quam præfert illius, ſi non ſimpliciter, ſaltem ſecundum quid, & omnis creatura habeat ea, quæ quodammodo præferunt ſimilitudinẽ Trinitatis, vt principium, medium, finem; modum, ſpeciem, ordinem, & huiuſmodi, idcirco in omni creatura eſt veſtigium Trinitatis.

Obiectio. Sed ſi etiam in creatura habente eſſe completum, & perfectum, vt in homine, reperitur imago? nunquid reperitur veſtigium? cum ex oppoſito diſtinguantur.

Reſpondetur, quod ſicut virtus inferioris includitur in ſuperiori, ſic in imagine includitur ratio veſtigij, quæ conſequitur ipſam ſecundum quod natura quædam eſt creata, & talis eſt oppoſitio inter ipſa, qualis eſt inter ſuperius, & inferius. Ita D. Thomas; Et Ægidius; Vt ſpeciale, & generale ſe habent. Et Albertus. Talis oppoſitio non eſt niſi per oppoſitos modos, & rationis; Et Scotus; In creatura intellectuali eſt imago, & veſtigiũ, ſed non eodem modo.

QVÆSITVM IV.

An veſtigium trinitatis ſit in omni creatura æqualiter?

Egidius reſp. quod æqualitas veſtigij dupliciter poteſt conſiderari, vel quantum ad numerum partium, vel quantum ad intenſionem earum, primo modo in omnibus entibus per ſe æqualiter reperitur veſtigium; nam numerus, pondus, & menſura, quæ ſunt partes veſtigij in omnibus talibus ponuntur; ſed ſecundo modo magis reſeruatur in vna creatura, quam in altera, quia ſecundum quod creſcunt in bonitate, & decreſcunt, ſic in eis modus, ſpecies, ordo, vel numerus, pondus, & menſura augetur, & minuitur. q. 2. princ. ar. 3

Reſolutio.

Reſp. quod ratio veſtigij in creaturis accipitur penes ea, quæ ſunt cõmuniſſima illis; non enim aliqua creatura dicitur habere veſtigium, quia talis creatura eſt, ſed quia creatura: in hoc enim quod creatura eſt, habet principium, medium, & finem; modum, ſpeciem, & ordinem, & huiuſmodi; cum itaque ratio hæc non magis conueniat vni, quam alteri, omnes creaturæ æqualiter diuinas perſonas repreſentant in ratione veſtigij.

Sed ſi creaturæ non ſe habent æqualiter ad diuinas perſonas, cum & ipſæ diuinæ perſonæ non ſe habeant æqualiter ad eas? alioquin omnes creaturæ eſſent æquales; intantum enim ſunt, inquantum Deus agit in eas. Obiectio.

Reſpondetur, quod creaturæ non ſe habent æqualiter ad diuinas perſonas in ratione eſſendi, quia vna magis participat de eſſe, quam altera, ſed bene in ratione repreſentandi per modum veſtigij.

QVÆSITVM V.

An repreſentatio Trinitatis per veſtigium differat ab ea, quæ eſt per imaginem?

D. Thomas reſp. quod cõmune eſt imagini, & veſtigio repreſentare, quia omnis effectus repreſentat ſuam cauſam, differunt autem, quia veſtigium repreſentat cauſalitatem, imago verò formam eius. p. p. q. 45. a. 7.

D. Bonau. reſp. quod creaturæ dicuntur vmbra, veſtigium, & imago, dicuntur vmbra, inquantum repreſentant Deum in quadã elongatione, & confuſione; veſtigium inquantum repreſentãt Deũ in quadã elõgatione, & diſtin- d. 3. q. 2.

ctio-

ctione;imago, inquantũ repreſẽtant Deum in quadam propinquitate, & diſtinctione; dicuntur vmbra,quantum ad proprietates, quæ reſpiciunt Deum in aliquo genere cauſæ ſecundum rationem cauſæ indeterminatam; veſtigium,quantum ad proprietates, quæ reſpiciunt Deum ſub ratione triplicis cauſæ efficientis, formalis, & finalis, imago quantum ad conditiones, quæ reſpiciunt Deum non tantum in ratione cauſæ, ſed etiam obiecti. Dicuntur item vmbra vt ducunt in cognitionem communium, vt communia ſunt; veſtigium vt appropriata ſunt; imago propriorum vt propria ſunt. Item dicuntur vmbra, vt cõparatæ ad Deum in ratione cauſæ, veſtigium in ratione obiecti, imago vt ſunt capaces Dei per imaginationem, & amorem.

d.3. p.2. q.vn Ægidius reſp. quod imago in hoc diſtat a veſtigio, quia veſtigium repreſentat id, cuius eſt quantum ad communia, ſed imago etiam quantum ad perſonalia.

d.3. q.9. Ioann. Scotus reſp. quod imago eſt repreſentatiuum totius, & in hoc differt a veſtigio quod eſt repreſentatiuum partis. Et ſimiliter in ſecundo ſent. *d.16. q.1. a.2.* Differt imago, & veſtigium, quia imago repreſentat per modum totius, veſtigium primò repreſentat partem,licet arguitiuè repreſentet totum; trinitas autem in diuinis eſt quaſi quodam totum numerale, ideo quod repreſentat ipſam totam dicitur imago, ſed quod repreſentat quaſi partes dicitur veſtigium. Item Nicol. de Nijſe tr. 2. p. 1. q 4.

d.3. q.3. Herueus reſp. quod in hoc differunt veſtigium, & imago, quod vnum eorum .ſ. veſtigium magis confuſè ducit in cognitionem perſonarum, quam imago.

d.3. c.2. a.1. Petrus Aur. reſp.quod differunt veſtigium & imago; & in modo ducendi in notitiam, quia veſtigium ducit arguitiuè, & per modũ effectus, imago autem repreſentatiuè, & per modum ſimilitudinis; & differunt etiã quantum ad illud quod ſunt, nam imago de ratione ſua eſt ſimilitudo, & accidit ſibi quod ſit impreſſa ab eo, cuius eſt ſimilitudo; econtrà autem veſtigium de ratione ſua non eſt niſi impreſſio, & accidit ſibi, quod ſit ſimilitudo.

d.3. q.9. Guilel. Occham reſp. quod veſtigium & imago conueniunt in tribus,primò,quia vtrũque diſtinguitur ab eo, cuius eſt imago, vel veſtigium. ſecundò, quia vtrunque natum eſt ducere in cognitionem eius, cuius eſt imago, & veſtigium, tertiò,quod tam veſtigium, quã imago ex natura ſua non plus repreſentant vnum indiuiduum quam aliud ſibi ſimillimũ. Differunt autem in duobus;primò,quia de ratione veſtigij eſt quod ſit cauſatum ab illo cuius eſt, non autem de ratione imaginis; ſecundò quia veſtigium niſi ſit impeditum ducit non tantum in notitiam recordatiuam illius,cuius eſt, ſed etiam in notitiam complexam alicuius veritatis contingentis de ipſo; non autem imago, quia enim non cauſatur ab illo, cuius eſt non facit regulariter notitiam alicuius veritatis contingentis de illo, cuius eſt, niſi fortè recordatiuam. Item Petrus Aliacenſis q. 4.

Adam Godã reſp.quod veſtigium,& imago *d.3.* aliqualiter cõueniunt, & aliqualiter differunt conueniunt,quia vtrũque ducit in notitiam illius cuius eſt imago, vel veſtigium tanquam cauſatiuum notitiæ illius mediãte notitia ſua, ſed non deducit in primam notitiam determinatam, & propriam illius,cuius eſt imago, vel veſtigium; differunt autem, quia de ratione veſtigij eſt,quod cauſetur ab illo in ſpecie cuius eſt veſtigium; ſed non imago; & ſimiliter poteſt veſtigium ducere in alias notitias conſequutiuas, vt hic tranſiuit bos, equus, & huiuſmodi, non imago.

Gerardus reſpondet, quod veſtigium, & *d.3.* imago coincidunt in hoc, quod vtrunque eſt *q.4.* ſimilitudo diminuta trinitatis; in hoc autem *a.1.* differunt, quod veſtigium repreſentat trinitatem quantum ad quædam communia, & appropriata; imago verò quantũ ad propria.

Marſilius reſpondet, quod imago, & ve- *q.7.* ſtigium tripliciter differunt; primò, veſti- *a.3.* gium eſt in omni creatura, non imago; ſecundò, veſtigium exiliter ducit in cognitionem Dei, magis clarè imago; tertiò, veſtigium ducit in cognitionem Dei per appropriata, imago per propria.

Reſolutio.

RESpondeo,quod ſicut ad rationem veſtigij ſufficit impreſſio vnius partis eius cuius eſt veſtigium, ad rationem verò imaginis neceſſaria eſt expreſſio multarum partiũ eius, cuius eſt imago, ex quo fit quod repreſentatio per veſtigium eſt magis confuſa, & imperfecta, quam repreſẽtatio per imaginem; ità dicendum eſt, quod repreſentatio Trinitatis per veſtigium quod apparet in creaturis differt ab ea, quæ eſt per imaginem, quæ apparet in homine,ex hoc, quod illa eſt confuſa magis, & imperfecta; hæc autem magis diſtincta, & minus imperfecta.

Sed ſi vnum eſt idem ipſumque ſimpliciſſi- *Obiectio.* mum repreſentabile .ſ. ſancta *Trinitas*, & per veſtigium, & per imaginem, cur etiam non vna, & eadem repreſentatio?

Re-

Digitized by Google

Reſpondetur quod vnum, & idem non poteſt repreſentari niſi vna repreſentatione, vnius .ſ. generis, & vno modo; pluribus autem modis, & ſecundum repreſentationes diuerſorum generum poteſt vnum, & idem, etiam ſimpliciſſimum, repreſentari.

QVÆSITVM VI.

An ſit aliquid in homine, quod per modum imaginis ducat nos in cognitionem Trinitatis?

q.11. m.3. ALbertus reſp. quod in homine eſt mẽs quæ ſi concipitur ſecũdum ſe ipſam, ſic dicitur imago potentia, ſi conſideratur, vt per conceptum veri, & boni, quod eſt Deus vnus, & trinus, actualiter configuratur, ſic actu, & immediatè imago dicitur; ſi verò conſideratur, vt per conceptum veri, & boni configuratur ei, quod ſimile eſt Deo vni, & trino, vt quando concipit ſeipſam in tribus viribus, quæ ſunt partes eius, itaquod meminit ſui, intelligit ſe, vult ſe, ſic etiam actu dicitur imago, ſed mediatè.

d.3. q.3. ar.1. D. Thomas reſp. quod ſicut in homine eſt repreſentatio diuinæ eſſentiæ, ita eſt repreſentatio diuinarum perſonarum, quia diſtinctio diuinarum perſonarum eſt ſecundũ quod conuenit diuinæ eſſentiæ, & hæc repreſentatio eſt imago, quæ quoniam eſt ſecundum quod nobilius eſt in eo, & nobilius in eo eſt mens, idcirco talis imago in homine eſt penes mentem.

d.3. p.p. q.vn. Aegidius reſp. quod imago repreſentat Trinitatem quantum ad perſonalia, perſonalia autem oportet accipere per actus notionales, actus verò notionales radicaliter ſunt ex actibus ad ſe cõuerſiuis, pater enim intelligendo ſe producit verbum, & pater, & filius diligendo ſe, Spiritum ſanctum: illud ergo eſt imago Trinitatis, quod habet operationem ſupra ſe conuerſiuam, & quoniam quælibet natura intellectualis eſt ad ſe conuerſiua; ideo quælibet natura intellectualis eſt imago Trinitatis, Angelus .ſ. & homo; ſed quoniam Angelus eſt magis intellectualis quam homo, cum actionem ſuam non habeat communicatam corpori, nec per ſe, nec per accidens. ideo magis ſeu expreſſius reperitur imago Dei in Angelo, quam in homine.

d.3. q.9. Ioann. Scotus reſp. quod illa creatura ducit nos in cognitionem Trinitatis per modum imaginis, quæ repreſentat diſtinctionem triũ perſonarum, vnitatem eſſentiæ, & ordinem originis, & quoniam anima, ſeu mens in homine eſt huiuſmodi; igitur eſt aliquid in homine, quod per modum imaginis ducit nos in cognitionem trinitatis. Minorem ſic probat. Anima ſeu mens habet in ſe triplicem perfectionem, vnam, ſecundum quam formaliter eſt actus primus reſpectu notitiæ genitæ, alteram, ſecundum quam recipit formaliter notitiam genitam, tertiã, ſecundum quã recipit volitionem, eſt enim actus primus reſpectu vtriuſque actus ſecundi .ſ. intellectionis, & volitionis, & iſtæ tres perfectiones dicuntur, memoria, intelligentia, voluntas, in quibus vnitas eſt, & conſubſtantialitas, nam ipſa anima, inquantum habet actum primum totalem reſpectu intellectionis, & obiectum ſibi præſens in ratione intelligibilis dicitur memoria; inquantum recipit notitiam genitam dicitur intelligentia, & inquantum eſt ſub actu volendi dicitur voluntas. Eſt etiam diſtinctio reſpectu iſtarum actualitatum receptarum in anima, nam alia eſt actualitas ſecundum memoriam, alia ſecundum intelligentiam, & alia ſecundum voluntatem; Similiter & origo, nam memoria habet rationem parentis, intelligentia geniti, & voluntas procedentis.

Durandus reſp. quod in homine ſunt tres q.1.
potentiæ in vna eſſentia, quarum ſecunda originatur a prima, & tertia ab vtraque, vt intelligentia a memoria, & voluntas a memoria, & intelligentia, & huiuſmodi repreſentant diuinam Trinitatem, in qua eſt vnitas eſſentiæ cum pluralitate perſonarum, & ſic in homine eſt aliquid, quod per modum imaginis ducit nos in cognitionem Trinitatis.

Guilel. Occham reſp. quod imago ſumitur tripliciter; primò pro ſubſtantia formata q.10.
ab artifice ad ſimilitudinem alterius, ſecundum quædam accidẽtia eiuſdem ſpeciei cum accidentibus eius, ad cuius intentionem eſt formata ducens in notitiam ipſius, & hoc modo in nulla creatura eſt imago trinitatis; quia Trinitas nulla habet accidentia; ſecundò pro tali formato ſiue fiat ad ſimilitudinẽ alterius, ſiue non, & hoc modo, & in creatura rationali, & irrationali reperitur imago; tertiò pro omni vniuoco producto ab alio, & hoc modo in homine reperitur imago trinitatis, quia reperitur mens, quæ producit notitiam, & mens, & notitia, amorem. Item Petrus Aliac. & Ioannes a Cel. diſ. 3.

Adam Godam reſp. quod actualis intel- d.3.
lectio in homine diſtinguitur a memoria, ideſt, ab intellectu exiſtenti in primo actu ſufficienti reſpectu intellectionis gignendæ, & ſimiliter amor a notitia, a qua gignitur, & ſecundum hanc diſtinctionem, & originem

memoriæ, intellectionis, amoris, ſumitur ratio imaginis trinitatis in homine.

q. 7. a. 3. Marſilius reſp. quod in creatura rationali reperitur ſimilitudo Dei repreſentans Deum, non ſolum per appropriata, ſed etiam per propria .ſ. per rationes originis aliquo modo, & hæc eſt imago trinitatis in ea.

d. 3. q. 6. Ioannes Maior reſp. quod imago eſt ſimilitudo expreſſa totius diſtincta ab illo, cuius eſt imago, in notitiam rememoratiuam illius ducens, & hoc modo in creatura rationali reperitur imago trinitatis, quia eſt in ea memoria, intellectus, & voluntas, quæ ipsā repreſentant.

d. 3. q. 2. Guilel. Varrill. reſp. quod imago dicitur tripliciter; vno modo id, ad cuius exemplar aliud fit; ſecundò productum modo naturæ ſuo producenti per omnia æquale; tertiò imitatiuum ſui artificis, ſiue imaginati in quadam propinquitate, & diſtantia, licet differat ſecundum eſſentiam, ſicut imago Cæſaris, Cæſarem repreſentat, & hoc modo in homine dicitur eſſe imago Trinitatis.

d. 3. §. 10. Guilel. Eſtius reſp. quod in homine eſt trinitatis imago, quia eſt memoria, intelligentia, voluntas; memoria cogitamus, intelligentia comprehendimus, voluntate amamus; ſicut ergo cogitatio eſt origo intelligentiæ, & voluntatis, ita pater eſt origo filij & Spiritus ſancti, & ſicut comprehenſio præcedit amorem, ita filius eſt prior Spiritu ſancto; & ſicut ex cogitatione præuia, & ſubſequenti cōprehenſione oritur amor, ita ex patre, & filio procedit Spiritus ſanctus; & ſicut hæc tria diſtincta ſunt inter ſe, ſed tamen in vna mentis natura conueniunt, ita diſtinctio trium perſonarum non diuidit vnitatem.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod imago eſt repreſentatio alicuius non ſolum totius, ſed etiam partium ſecundum imitationem, ex quibus deinde venitur in cognitionem diſtinctam illius, cuius eſt imago: cum itaque ſit in homine anima rationalis, quæ ſecundum vnitatem ſubſtantiæ imitatur diuinam eſſentiam, & ſecundum pluralitatem potentiarum, quæ ſunt memoria, intellectus, & voluntas, imitatur diuinas perſonas, quæ ſunt pater, filius, & Spiritus ſanctus; ideo dicendum eſt, quod anima rationalis eſt imago quodammodo trinitatis, ex qua ſatis venimus in cognitionem eius, & ſic in homine eſt aliquid, quod per modum imaginis ducit nos in cognitionem diuinæ eſſentiæ, & trium perſonarum.

Obiectio. Sed ſi in homine quamuis ſit vnitas ſecundum ſubſtantiam, non eſt tamen pluralitas ſecundum perſonas.

Reſpondetur, quod in homine non eſt tanta ſimilitudo trinitatis, quin ſit maior diſſimilitudo; vnde non eſt aliquid in eo, quod per omnem modum repreſentet trinitatem; quod tamen ſecundum mentem intelligat, meminerit, & velit, hoc iuuat ad aliqualem notitiam trinitatis, & emanationis diuinarū perſonarum. Ita Petrus Aliacenſis.

QVÆSITVM VII.

An imago Trinitatis, quæ eſt in homine, attendatur principaliter penes eſſentiam animæ eius; an penes ſuas potentias, memoriam .ſ. intellectum, & voluntatē; an penes actus?

D. Thomas reſp. quod tres ſunt proprietates ſeu virtutes, quæ conſequuntur eſſentiam animæ; vna, ſecundum quam anima, quæ eſt receptiua, retinet, & eſt memoria, altera, ſecundum quam anima retenta intelligit, & eſt intellectus; tertia, ſecundum quam anima in ipſum conueniens tendit, & eſt voluntas, & ſecundum huiuſmodi proprietates, quæ appellantur potentiæ, attenditur imago trinitatis in anima rationali. d. 3. q. 4. a. 1.

Et iterum reſp. quod imago in anima principaliter attenditur ad repreſentādum ſpeciē diuinarum perſonarum, & quoniam perſonæ diſtinguuntur ſecundum proceſſionem verbi a dicente, & amoris connectentis vtranque, verbum autem in anima noſtra ſine actuali cognitione eſſe non poteſt; ideo principaliter attenditur imago trinitatis in anima ſecundū actus; ſed quoniā principia actuum ſunt habitus, & potentiæ, & vnumquodque virtualiter eſt in ſuo principio, imago trinitatis poteſt attendi in anima ſecundum potentias, & ſecundum habitus, prout in eis .ſ. actus virtualiter exiſtunt. p. p. q. 93. a. 7.

D. Bonau. reſp. quod imago attenditur in his tribus potentijs cum comparatione ad vnitatem eſſentiæ, & pluralitatem actuum, in quibus eſt diſtinctio, & origo, & ordo vnius ab altero per modum quendam diſponendi, nam retentio ſpeciei diſponit ad intelligendum, & intelligentia ad amandum, ſecūdum quod intelligitur illud eſſe bonum. d. 3. ar. 2. q. 1.

Ægidius reſp. quod ſicut dicit D. Auguſt. lib. 14. de Trin. c. 7. imago potius eſt in nobis cum actu intelligimus, quam cū intelligimus habitu; ſed quoniam ad actū intelligendi non ſufficit eſſētia aīæ, ideo aliud requiritur, memo- d. 3. 2. p. q. 2.

mo-

moria .ſ. quæ ſpecies conſeruat, intellectus qui ſpeciebus informatur, & cognoſcit, & voluntas, quæ vtrunque nectit, atque ita partes imaginis aſſignari ſolent, memoria, intellectus, voluntas.

d.3. q.1. Ricardus reſp. quòd imago debet aſſignari in anima per comparationem ad memoriã intellectum, & voluntatem, ſecundum quod nominant potentias, & ſecundum quod nominant actus, ſed expreſſius, quando nominãt actus, quam quando non ſunt in actibus ſuis, quia earum origo eſt maximè ſecũdum actus, & dicunt quid actualius, quam potentiæ ſub ratione qua potentiæ ſunt.

d.3. q.9. Ioannes Scotus reſp. quod imago conſiſtit in actibus ipſius animæ tam primis, quam ſecundis, actus primi ſunt fœcunditas ad gignẽdũ, & fœcunditas ad ſpirandum, actus ſecundi intellectio, & volitio; & ita in imagine ſic accepta eſt conſubſtantialitas, & diſtinctio, & origo, non quidem quod vnus actus producatur ab altero, vt volitio ab intellectione; ſed quod vnus naturaliter præſupponat alterum, & ita non attenditur imago in anima rationali penes potentias, ſed penes actus.

d.10. q.1. a.2. Et in 2. ſent. reſp. quod anima inquantum eſt vna eſſentia habens intellectum, & voluntatẽ repreſentat diuinam eſſentiam, non ſic autem tres perſonas, quia eſſentia, intellectus, & voluntas ſunt in qualibet perſona, repreſentat autem tres perſonas vt potentiæ ſuæ ſunt ſub actibus ſuis, quia vnus actus eſt ab alio per modum originis, ſicut perſonæ inter ſe originantur, ſicut enim a patre verbum, & ab vtroque Spiritus ſanctus, ſic quodammodo a memoria actus intellectus, & velle ab vtroque originatur.

q.4. Franc. Maro reſp. quod per tres potentias quæ ſunt in anima noſtra intelligitur imago trinitatis; eſt enim origo inter eas, nam memoria eſt intellectus agens cum ſpecie, quæ ſimul iuncti producunt verbum, & hæc appropriatur patri; intelligentia autem quæ appropriatur filio dicit actum intelligendi in intellectu poſſibili, non quod intellectus ſit productus, ſed intellectus vt ſub actu, velle autem ab vtroque, ſicut Spiritus ſanctus.

d.3. q.2. Thomas ab Argentina reſp. quod memoria, intellectus, & voluntas, vt nudæ ſumuntur non connotatis actibus, minus expreſsè repreſentant trinitatem, ſi verò cum actibus ſibi congruentibus concernuntur, magis expreſsè.

d.3. q.2. Guilelmus Rubion reſp. quod imago vt ponitur in mente, ſeu in anima rationali repreſentat Deum hoc modo; Memoria cuius eſt ſpeciem conſeruare, & dicere, repreſentat patrem generantem filium; intelligentia autem, hoc eſt, ipſa notitia producta, ſeu dicta, repreſentat ipſum filium genitum; & amor, qui eſt tertia pars imaginis Spiritum ſanctum ſpiratum.

d.3. q.1. a.1. Alphonſus reſp. quod ſuppoſito quod memoria intellectus, & voluntas in natura rationali ſint tres potentiæ realiter diſtinctæ partes imaginis eſſẽtialiter, necnõ intrinſecè ſunt iſtæ tres potentiæ, natura verò, in qua fundantur non quidem formaliter, ſed fundamentaliter, imago dicitur; ſuppoſito autem quod non ſint realiter diſtinctæ, perfecta ratio imaginis conſiſtit in ipſa ſubſtantia animæ, & duabus potentijs .ſ. intellectu, & voluntate; aliquo enim modo intellectus emanat, & originatur ab ipſa ſubſtantia animæ, & voluntas ab anima originante, & intellectu originato.

d.3. q.3. Ioannes Bacc. reſp. quod imago trinitatis attenditur ſecundum eſſentiam animæ, vt ſui ipſius eſt intellectiua, vt a ſe intellecta, & vt a ſe amata; anima enim vt eſt ſic intellectiua poteſt habere rationem parentis, vt autem intellecta ſic producitur .ſ. de primo eſſe intellecto, ſic habet rationem prolis, & verbi; vt autem a ſe amata ſic producitur in quodam complacito, habet rationem amoris, & in iſta trinitate ſemper retinet identitatem eſſentiæ; & in ipſa ſimiliter eſt ordo originis vnius ab vno, & vnius a duobus.

p.3. q.10. Nicol. de Niſſe reſp. quod imago Trinitatis conſiſtit in actibus primis, prout ſunt ſub actibus ſecundis, nam ibi eſt conſubſtantialitas quantum ad realitates actuum primorũ, quæ ſunt ex parte animæ, & eſt realis diſtinctio, & ordo ex parte actuum ſecundorum.

d.3. q.4. Guilel. Varrill. reſp. quod imago non conſiſtit ſolum in actibus primis ſ. intellectu, & voluntate, quia licet huiuſmodi actus habeant conſubſtantialitatem, non tamen habent originem; nec tantũ in ſecundis, quia nõ habent conſubſtantialitatẽ, ſed conſiſtit in actibus primis & ſecundis, in primis quia habent conſubſtantialitatem, in ſecundis, quia habent originem, vnde ſic perficitur ex his ratio imaginis: potentia cum obiecto, ſeu in ſe, ſeu in ſpecie intelligibili, habet rationẽ mentis, ſeu memoriæ, & eſt prima pars imaginis; intellectus verò cum actu intelligendi habet rationem intelligentiæ, ſeu notitiæ, & eſt ſecunda pars imaginis; potentia volitiua, cum volitione habet rationem voluntatis, ſeu interni amoris, & eſt tertia pars imaginis.

Reſolutio.

RESpondeo, quod imago trinitatis in homine attenditur, ſecundum quod anima eius ipſam repreſentat, ſicut autem eſt vna eſſentia, tres perſonæ, ipſæque producentes, & productæ, ita imago eius in anima rationali repreſentat eius eſſentiam, inquantum eſt vna ſubſtantia; inquantum memoria, intellectus, et voluntas repreſentat perſonas, & inquantum intelligens, & volens repreſentat earum productiones, & actus, & quoniam nulla principalitas attenditur in his, neque ex parte Trinitatis, neque ex parte animæ, non enim magis diuina eſſentia eſt vna, quam ſint tres perſonæ, ipſæque producant, ſimiliter non magis ſit anima, quam ſuæ potentiæ, & actus; neque hæ magis appareant in repreſentando, quam illa, idcirco imago trinitatis in anima æquè attenditur penes eſſentiam, penes potentias, & penes actus, eſt enim vna, quæ hæc omnia ſimul repreſentat, in quibus conſiſtit.

Obiectio. Sed ſi potentiæ non ſunt ſemper in actibus ſuis? non enim ſemper cogitat intellectus, neque ſemper diligit voluntas?

Reſpondetur, quod licet potentiæ animæ non ſint ſemper in actu ſecundo, ſunt tamen ſemper in actu primo; voluntas enim ſemper vult, & intellectus ſemper intelligit, quamuis non ſemper cogitet. Ita Ægidius.

QVÆSITVM VIII.

An potentia animæ, penes quas attenditur imago ſint ſemper in actu?

d. 3. q. 4. a. 5. D. Thomas reſpondet, quod aliud eſt cogitare, aliud diſcernere, & aliud intelligere, cogitare eſt conſiderare rem ſecundum partes, & proprietates ſuas, diſcernere eſt cognoſcere rem per differentiam ſui ab alijs, intelligere vero dicit ſimplicem intuitum intellectus in id, quod ſibi eſt præſens intelligibile, anima itaque non ſemper cogitat, & diſcernit de Deo, ſed tamen intelligit ſe ſemper, & Deum indeterminatè, quia hæc ſunt ſibi ſemper præſentia.

d. 3. q. 2. ar. 2 Ricardus reſpondet, quod memoria, intellectus, & voluntas in nobis non ſunt ſemper in actibus ſuis; nam anima naturaliter venit in cognitionem ſui, primò, per cognitionem obiectorum, & ab illa venit in cognitionem actuum, & ex cognitione actuum venit in cognitionem ſui ipſius, non ſemper autem cognoſcit actum ſuum, quia non ſemper nos intelligimus intelligere, vnde nec ſeipſam ſemper cognoſcit, nec ſimiliter alia a ſe, & ideo non ſemper eſt in actu cognoſcendi; non ſemper item phantaſmata ſpeculatur, ſine quibus intelligere nequit; igitur neque ſemper actu intelligit.

Reſolutio.

RESpondeo, quod tunc quælibet potentia eſt in actu ſuo, quando ab aliquo extraneo non impedita, ſed ipſa per ſe benè diſpoſita verſatur circa aliquod obiectum, quod ſibi præſentialiter adeſt, vel eo modo quo aptum natum eſt adeſſe, ex quo fit quod potentiæ, vt memoria, intellectus, & voluntas, in beatis ſint ſemper in actu ſuo, quia nec impediuntur ab aliquo extraneo, nec poſſunt eſſe niſi bene diſpoſitæ propter lumen gloriæ, & gratiæ, nec procul eſt obiectum, circa quod operantur; at in nobis ſecus contingit, tum propter impedimenta multa, quæ poſſunt prouenire ab extrinſeco, quæ .n. aliquibus indigent, ab aliquibus poſſunt impediri, tum propter defectum ſenſuum, ex quarum mala diſpoſitione, malè etiam diſponuntur ipſæ potentiæ, ex quo non ſemper ſunt in actu, ſiue omnes, ſiue quædam earum vt in actu memorandi, intelligendi, vel volendi quodcunque obiectum, cuius præſentialitas impeditur propter talia impedimenta, & indiſpoſitiones.

Sed ſi anima eſt ſibi ſemper præſens, & eſt naturæ cognitiuæ? neque ad hoc aliquod impedimentum eſſe poteſt? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod ad hoc, quod anima ſe cognoſcat non ſufficit, quod ſit ſibi præſens, ſed quod feratur in ſe, & in obiectum, quod aliquando non fit, vel ex defectu ſui, vel ex defectu medij, vel ex defectu obiecti.

QVÆSITVM IX.

An in ſolo homine ſit trinitatis imago?

D. Thomas reſp. quod non ſolum in homine, ſed etiam in Angelo imago trinitatis apparet, imò quantum ad id in quo primo conſideratur ratio imaginis, quod eſt intellectualis natura, quæ eſt magis perfecta in eo, quam in homine, magis apparet in eo, quam in homine. *p. p. q. 93. ar. 3*

Ægidius reſp. quod imago repreſentat trinitatem quantum ad perſonalia, perſonalia autẽ oportet accipere per actus notionales, *d. 3. p. 2. q. vn.*

ac-

actus verò notionales radicaliter ſunt ex actibus ad ſe conuerſiuis, pater enim intelligendo ſe producit verbum, & pater & filius diligendo ſe ſpirant Spiritum ſanctum; illud ergo eſt imago trinitatis, quod habet operationem ſupra ſe conuerſiuam, & quoniam natura intellectualis eſt ad ſe conuerſiua, ideo natura intellectualis eſt imago trinitatis, Angelus .ſ. & homo; ſed quoniam Angelus eſt magis intellectualis, quam homo, ideo magis ſeu expreſſius reperitur imago Dei in Angelo, quam in homine.

Reſolutio.

RESpondeo, quod imago trinitatis attenditur penes vnam eſſentiam, & tres potentias, memoriam .ſ. intellectum, & voluntatem, in quibus ergo ſunt huiuſmodi potentiæ, in illis etiam eſt trinitatis imago, & quoniam non in ſolo homine, ſed etiam in Angelo eſt memoria, intellectus, & voluntas, idcirco non in ſolo homine, ſed etiam in Angelo eſt trinitatis imago.

Obiectio. Sed ſi vnus Angelus non procedit ab altero, ſicut in diuina Trinitate vna procedit ab altera?

Reſpõdetur, quod repreſentare trinitatem ſecundum quod vna perſona procedit ab altera eſt per accidens ad imaginem, vnde non ſequitur, quod ſi Angelus non procedit ab Angelo, per hoc non ſit trinitatis imago. Ita Ægidius.

QVÆSITVM X.

An potentiæ animæ ſint idẽ cum eſſentia eius?

p. p. q. 15. m. 2. ALbertus reſp. quod potentiæ animæ ſunt proprietates conſequentes eſſe, & ſubſtantiam eius ſicut rectum & curuum, lineam, par & impar, numerum, & ideo ſunt in genere qualitatis in ea ſpecie, quę diuiditur in naturalem potentiam, & impotentiam; & ſic non poſſunt eſſe idem cum eſſentia eius.

d. 3. a. 34. Et iterũ reſp. quod ſi anima conſideratur in ſuo eſſe ſecundum quod eſt quædam ſpiritualis ſubſtantia, ſic potentiæ eius ſunt cõſequentes eſſe, & principiantur ab ipſo eſſe & quod eſt, ſi autem conſideratur vt ſubſtantia agens in exteriora, & in corpus, ſic anima accipitur vt totum poteſtatiuum, cuius poteſtas completur in ſuis potentijs, & ſic ſunt ſubſtantiales ei.

d. 3. q. 4. D. Thomas reſp. quod potentia animæ eſt proximum principium operationis, in alijs autem a Deo principium proximũ operationis eſt accidens, & non ſubſtantia; potẽtiæ ergo animæ ſunt accidentia, & non ſubſtantiæ; & perfectiones emanantes ab eſſentia eius, & ideo non ſunt idem cum eſſentia.

Et iterum reſp. quod cum actus & potentia ordinata ad illum actum, pertineant ad idem genus entis, ac potentia in anima ſit ordinata ad operationem, quæ eſt accidens, ſequitur quod & ipſa potentia ſit accidens, & non ſubſtantia; anima item ſecundum ſuam eſſentiam eſt actus; nihil autem eſt in potentia ſecundum actum, inquantum eſt actus; ergo potentia non poteſt eſſentia, ſecundum quam anima eſt actus.

D. Bonau. reſp. quod illæ potentiæ anima quæ immediatè egrediuntur ab eius ſubſtantia, quales ſunt memoria, intelligentia, & voluntas, non ſunt quidem cum eſſentia anima idem, ſed tamen non ſunt adeo diuerſæ, quod ſint alterius generis cum ea, cum ſint in genere ſubſtantiæ per reductionem.

Ægidius reſp. quod iſtæ potentiæ anim memoria, intellectus, & voluntas non ſolu prædicatione cauſali, ſicut cæteræ potenti debent dici anima, ſed etiam quodammod prædicatione formali, cum non propter ali entitatem ſint entia, quam propter entitate animæ, ſicut reliquæ potentiæ ſunt entia propter entitatem ſubiectorum, in quibus exſtunt, quæ ſunt organa, non ipſa anima.

Ioannes Scotus reſp. quod anima eſt pe ſe ſufficiens principium ſuorum actuum ſ ne reali diſtinctione ſuarum potentiarum a ea, & ſe ipſa immediatè attingit finem ſu & per ſe, nullo .ſ. accidente mediante, qu recipiat viſionem Dei, eſt beata, quæ omn arguunt eius nobilitatem. non itaque potentiæ realiter diſtinguuntur ab ea, ſed ſun vnitiuè contentæ in ea, quaſi paſſiones eiu propter quas eſt operatiua, non quod ſi eſſentia eius formaliter; ſed ſunt formalite diſtinctæ, idem tamen identicè, & vnitiu

Ricardus reſp. quod potentiæ animæ no ſunt accidentia, nec addunt aliquam rem abſolutam ſuper animæ eſſentiam, ſed tantummodo reſpectus ad actus, & obiecta.

Herueus reſp. quod potentiæ animæ nequ organicæ neque immateriales ſunt idem eſſentialiter cum ea; cum ſint de genere qualitatis, ipſa verò de genere ſubſtantiæ.

Durandus reſp. quod potentiæ animæ vegetatiuæ, quales ſunt generatiua, nutritiua, & augmentatiua ſunt idem cum eſſentia eiu at potentiæ animæ ſenſitiuæ, & intellectiuæ, cum eſſentia ſit indifferens ad actus pe

eas,

Digitized by Google

eas, non ſunt idem cum ea.
d.3. Franciſcus Maro reſp. quod ex eo quod D.
q.4. Auguſtinus potentias vocat proprietates animæ deducitur quod non ſunt idem omnibus modis cum eſſentia, quia cũ ſint huiuſmodi dicuntur de eſſentia in ſecundo modo dicendi per ſe, vnde non poſſunt eſſe idem quidditatiuè cum ea.
d.3 Thomas ab Argentina reſp. quod ſi poten-
q.2. tiæ animæ eſſent idem realiter quod eſſentia
a.2. tunc vnum indiuiſibile fundamentum creatũ fundaret ſimul oppoſitas relationes, nam potentiarum animæ, quædam ſunt actiuæ, & quædam paſſiuæ, actiuum autem & paſsiuum fundant oppoſitas relationes; quod cum ſit proprium ſolius Dei, non conuenit animæ.
a.ult. Gregorius reſpondet, quod cum nec ex-
d.16. perientia doceat, nec ratio ex experientia
& 17 procedens oſtendat, nec ſacra auctoritas co-
q.4. gat credere, quod anima hominis realiter diſtinguatur a ſuis potentijs, imo (vt ſibi videtur) contrarium ſentiat D. Auguſtinus lib. 10. de Trin. c.2. lib. 10. Conf. ſerm. de imag. tenendum eſt, quod anima ſit idem, quod ſuæ potentiæ.
q.1. Alphonſus reſp. quod cum nulla res crea-
ar.2 ta, quæ eſt vna, poſſit eſſe plures; hoc eſt enim ſingulare in diuinis, vt vna res, quæ eſt eſſentia diuina ſit plures; ſintque plures res potentiæ animæ, idcirco non poſſunt eſſe idem realiter cum ea.
c.4. Paulus Venetus in ſum. de An. reſp. quod anima realiter, & eſſentialiter diſtinguitur a ſuis potentijs, ſi enim identificaretur vni, pari ratione, & alteri, & per conſequens omnes potentiæ animę identificarentur inuicem, quod eſt impoſſibile.
q.7. Marſilius reſp. quod quælibet potentia
a.3. animæ rationalis, vt memoria, intellectus, & voluntas, eſt anima intellectiua; cum quælibet harum ſit actus primus ſubſtantialis corporis phyſici, & organici, qualis eſt anima.
d.2. Laurent. Opimus reſp. quod memoria, in-
q.vn. tellectus, & voluntas, non ſunt diſtincta accidentia, ſed ſola vna anima, vna vita, vna eſſentia, alioquin ſequeretur, quod corpus eſſet informatum pluribus formis ſubſtantialibus, quod eſt inconueniens.
d.3. Michael de Pal reſp. quod apud Ariſt. di-
diſp.3 ſcuſſa res non eſt, an potentiæ animæ ſint ſuperadditæ affectiones, an vero ipſa ſubſtantia animæ; neutrumq. oſtendi poteſt ratione vrgente.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod anima ſubſtantia eſt, & forma, nulla autem potentia cuiuſcunque generis illa ſit, alicuius ſubſtantia eſſe poteſt, aut forma; cum enim inſit ſubſtantia eſſe non poteſt, quia ſubſtantia in ſubiecto non eſt, & cum non ſit actus, non poteſt eſſe forma, quia forma eſt actus, & dat eſſe rei, quælibet autem potentia præſupponit rem eſſe, conſequens ergo eſt, vt nulla potentia animæ ſit idem realiter, & quidditatiuè cum eſſentia eius.

Sed ſi ſententia D. Auguſtini eſt, quod hæc Obiectio.
tria .ſ. memoria, intellectus, & voluntas, ſunt vna mens, vna vita, vna anima?

Reſpondetur, quod hæc prædicatio non eſt ſubſtantialis, ſiue eſſentialis, & in primo modo dicendi per ſe; ſed in ſecundo; eſt enim memoria anima, quia eſt proprietas fluens ex eſſentia animæ. Ita Albertus. Et D. Thom. de Ver. q. 10. ar. 1. Hæc tria dicuntur vna eſſentia inquantum ab vna eſſentia procedunt, vna vita inquantum ad vnum vitæ genus pertinent, & vna mens inquantum ſub vna mente comprehenduntur; Hæc locutio (inquit Herueus) eſt Emphatica, qua vſus eſt D. Auguſtinus propter magnam intimitatem, quam habent huiuſmodi potentiæ ad eſſentiam animæ.

QVÆSITVM XI.

An memoria, intellectus, & voluntas diſtinguantur realiter inter ſe?

D. Thomas reſp. quod cum potentiæ p.p.
animæ diſtinguantur ſecundum di- q.79.
uerſas rationes obiectorum, & in- ar.7
tellectus reſpiciat ſuum obiectum ſecundum vnam, & communem rationem entis, nulla differentia potentiarum eſſe poteſt in intellectu niſi poſſibilis, & agentis; aliud enim oportet eſſe potentiam actiuam, quæ faciat obiectum eſſe in actu, & aliud potentiã paſſiuam, quæ mouetur ab obiecto in actu exiſtente, & ideo ſi in parte intellectiua memoria ponitur, alia potentia ab intellectu eſſe nõ poteſt, ſicut enim intellectus recipit ſpecies, ita conſeruat, quod eſt de ratione memoriæ.

Et iterum reſp. quod cum intellectus in- de ve
differenter ſe habeat ad cogitanda præſentia q.10.
præterita, & futura differentia præſentis, & a.2.
præteriti, eſt accidentalis intelligibili inquãtum huiuſmodi vnde quamuis in parte intellectiua poſſit eſſe aliquo modo memoria, non ta-

tamen poteſt eſſe, vt potentia quædam per ſe diſtincta ab alijs, eo modo quo philoſophi de diſtinctione potentiarum loquuntur.

q.2. ar.2 Ægidius reſp. quod potentiæ diſtinguuntur in affectiuam, & cognitiuam, & ſicut affectiua eſt vna, ita & cognitiua, ex parte cuius ſe tenet memoria, & intellectus, quæ ideo non ſunt duæ potentiæ ſecundum rem, ſed tantum ſecundum rationem.

d.3. q.3. & 4 Durandus reſp. quod memoria non differt ab intelligentia, ſed eſt vna, & eadem natura earum ſub diuerſis tamen officijs, & actibus, nam ad memoriam pertinet habere ſpeciem, vel habitu cognoſcere, ad intelligentiam verò vti ſpecie, ſeu actualiter cognoſcere: intellectus item non differt a voluntate in aliquo abſoluto, ſed ſolum per reſpectum ad diuerſos actus.

d.3. q.4. Franciſcus Maro reſp. quod ex eo quod D. Auguſtinus huiuſmodi potentias dicit eſſe inſeparabiles deducitur quod non ſunt realiter diſtinctæ, quia quæ realiter diſtinguuntur videntur poſſe ſeparari.

q.4. ar.3 Gerardus reſp. quod memoria in parte intellectiua accipitur dupliciter, vno modo, vt eſt condiuiſa contra alias duas partes imaginis .ſ. notitiam, & amorem, & ſic de ratione memoriæ eſt gignere notitiam, quæ eſt principium amoris, & hoc modo partes imaginis ſunt realiter diſtinctæ: alio modo accipitur memoria, vt diſtinguitur contra duas partes imaginis .ſ. intellectum, & voluntatem, vt nominant potentias, & tunc non eſt realiter diſtincta ab intelligentia, quia de ratione memoriæ ſic acceptæ eſt continere in abſcondito illud, quod poſtea per intelligentiam fit manifeſtum; vt dicit D. Aug. lib. 14. De Trinit. c. 8.

d.32 q.8 Guilel. Rub. reſp. quod potentiæ animæ ſunt diſtinctæ formaliter, ſeu quiditatiuè licet ſint in re extra totaliter indiſtinctæ, nulla enim cadit in diffinitione alterius; non enim intellectus eſt voluntatis diffinitiuus, nec eſſentiæ animæ, nec econuerſò:

d.3. q.1. a.2. Alphonſus reſp. quod hæc voluntas eſt potentia libera, & hic intellectus non eſt potentia libera, & hæc voluntas vult, & non intelligit, hic autem intellectus non vult & intelligit; igitur non poſſunt eſſe realiter idē Et hæc (inquit) eſt intentio D. Auguſtini lib. 4. de trin. c. 38. & lib. 15. c. 44.

Reſolutio.

RESpondeo, quod diſtinctio actuum arguit diſtinctionem virium, ſiue potentiarum, eſt autem actus memoriæ memorari, hoc eſt ſubminiſtrare intellectui, ea quæ illi iam nota erant, ſibique ab eo quodam modo commendata ad conſeruandum, actus verò intellectus eſt intelligere, non ſolum antequam aliquid memoriæ commendet, ſed etiam poſtquam illud commendauerit, cum ſibi ab ea ſubminiſtratum fuerit, voluntatis autem actus eſt velle, hoc eſt acceptare, vel ſibi complacere in eo, circa quod memoria, & intellectus agunt, cum itaque huiuſmodi actus realiter diſtinguantur ab inuicem, nam vnus poteſt eſſe ſine alio, poteſt enim eſſe intelligere ſine memorari, vt cum aliquid de nouo intelligitur, & memorari, & intelligere poſſunt eſſe ſine velle, vt cum voluntas non acceptat, aut ſibi non complacet in eo circa quod memoria, & intellectus agunt, idcirco & ipſæ potentiæ animæ, quibus mediantibus agit, memoria, ſ. & voluntas, quorum ſunt actus, realiter inter ſe diſtinguuntur.

Sed ſi potentiæ diſtinguuntur per actus, actus verò per obiecta, & obiectum memoriæ, intellectus, & voluntatis eſt idem quod eſt ens, verum, & bonum, quæ ad inuicem conuertuntur?

Reſpondetur, quod idem eſt obiectum memoriæ, & intellectus, & voluntatis, ſub alia tamen, & alia ratione, & hoc ſufficit ad hoc, quod actus potentiarum rationaliter diſtinguantur per obiecta, ratione ſcilicet diſtincta. Et hoc eſt, quod dicit D. Thomas p. p. q. 77. ar. 3. ad tertium. Nihil prohibet, id quod eſt ſubiecto idem, eſſe diuerſum ſecundum rationem, & ideo poteſt ad diuerſas potentias animæ pertinere.

QVÆSITVM XII.

An potentia animæ oriantur ab anima?

D. Thomas reſpondet, quod ſicut formæ ſubſtantialis ſubiectum eſt ens in potentia, ita formæ accidentalis eſt ens in actu, ſicut ergo forma ſubſtantialis dat actualitatem ſuo ſubiecto, ita ſubiectum dat actualitatem formę accidentali, vnde inquantum eſt in potentia, eſt quidem ſuſceptiuum eius, ſed inquantum eſt in actu eſt eius productiuum, cum itaque anima ſit ſubiectum ſuarum potentiarum, ſequitur quod cauſet eas, ipſæque ab ea fluant, & oriantur tanquam a ſuo principio productiuo.

Aegidius reſpondet, quod ideo accidentia ſunt entia, quia ſunt entis, & cauſantur ab ente, cum itaque potentiæ animæ ſint qualitates, & virtutes perficientes, & di-

diſponentes animam, maximè cauſantur, & originantur ab ea.

Reſolutio.

RESpondeo, quod omne quod producitur, producitur per potentiam, quæ eſt in producente, non enim producens produceret, niſi haberet potentiam producendi, ſi ergo potentiæ animæ producerentur ab anima producerentur per alias potentias, & illæ per alias, & ſic eſſet proceſſus in infinitum quod eſt inconueniens; non ergo anima eſt principium productiuum ſuarũ potentiarum, ſed bene ſubiectum in quo fundantur, & manent inſeparabiliter, vt naturales proprietates, & vires ei congenitæ, quibus progreditur in ſuos actus, & operationes; & ita magis aptatur ratio imaginis animæ noſtræ ad diuinas perſonas, quæ & ipſæ non producuntur, ſeu oriuntur a diuina eſſentia.

Obiectio. Sed ſi anima eſt ſubiectum ſuarum potentiarum, quæ ſibi inſunt tanquam accidentia propria; ſubiectum autem eſt cauſa ſuorum propriorum accidentium, vnde etiam ponitur in diffinitione eorum, ſicut dicit Ariſt. in 7. Meth. t. 12.?

Reſpondetur, quod ſubiectum non eſt cauſa ſuorum propriorum accidentium in genere cauſæ efficientis, nam propria accidentia ſunt congenita ſubiecto; ponitur autem ſubiectum in eorum diffinitione, non quod ſit principium productiuum eorum, ſed quoniam accidentia nõ ſunt entia, niſi quia entis.

QVAESITVM XIII.

An vna potentia animæ oriatur ab alia?

a.3. q.4. ar.3 D. Thomas reſp. & probat dupliciter quod vna potentia oriatur ab altera & primo; potentiæ determinãtur per actus, ſed actus vnius potentiæ ſequitur naturaliter ad actum alterius, & originatur ex ipſa, ſicut intelligere ſequitur ad hoc, quod eſt tenere notitiam; ergo &c. ſecundò; omnis numeroſitas, quæ deſcendit ab aliquo vno naturaliter oportet, quod deſcendat ſecũdum ordinem, quia ab vno non deſcendit niſi vnum; ſed inter potentias animæ eſt ordo naturalis; ergo vna fluit ab anima mediante alia, & inde eſt, quod poſterior potentia in ſui diffinitione ſupponit priorem, & actus poſterior dependet a priori. Id idẽ, vel parumper diſſimile ponit in p.p.q.77.a.7.

q.2. a.3. Aegidius reſpondet, quod cum natura ſit determinata ad vnum naturaliter ab eodem non poſſunt progredi plura, niſi ſecundum quendam ordinem, cum itaque potentiæ animæ ſint proprietates progredientes a natura, conſequens eſt, vt vna fluat ab alia ſecundum ordinem naturalem, qui tamen ordo attenditur dupliciter, & ſecundum prioritatem dignitatis, & ſecundum prioritatem generationis; ſecundum prioritatem dignitatis ſic potentiæ intellectiuæ priores ſunt ſenſitiuis, & ſenſitiuæ vegetatiuis, ſed prioritate generationis, econuerſo.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut actus vnius potẽtiæ alium præſupponit, vt velle intelligere, ita & vna potentia aliam præſupponit, vt voluntas intellectum, habent enim huiuſmodi potentiæ ordinem naturalem ad inuicem, vnde ex ſententia D. Auguſtini quæ non poſſumus intelligere, nec etiam poſſumus amare. Et ſecundum hunc ſenſum ſi dicatur quod vna oriatur ab alia verum dicitur, & iuxta hanc acceptionem poſſunt etiã repreſentare diuinas perſonas; ſed ſi propriè loquamur neutiquam vna ab alia oritur, quia quæ propriè dicuntur oriri ab aliquo, vel dicuntur oriri ab eo, vt a producente in genere cauſæ efficientis, vel formalis, vel materialis; ſed nulla potentia aliam producit in genere cauſæ efficientis, quia iſte modus proprius eſt ſuppoſitorum, non accidentium, ſeu formarum, neque in genere cauſæ formalis, quia nulla potentia eſt principium quo, ſeu cauſa formalis alterius, neque in genere cauſæ materialis, ſicut riuulus oritur a fonte, quia ſic pendent ab eſſentia animæ, a qua realiter diſtinguuntur.

Sed ſi penes potentias animæ imago attenditur, quæ repreſentat diuinas perſonas, quarum vna oritur ſiue procedit ab altera, in ratione principij actiui? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod ad repreſentandum diuinas perſonas ſufficit quod vna potẽtia alteram præſupponat, non enim penes eas ſumitur imago ita completè; ac ſi per omnia, & ſingula, ipſas repreſentet.

DISTINCTIO QVARTA.

Hic oritur quæſtio ſatis neceſſaria, &c.

QVAESITVM I.

An in diuinis ſit generatio?

ALex. reſp. quod generatio eſt productio ſimilis in natura, de tota ſubſtantia ſecun- *q.42. m.1.a*

cun-

cundũ modũ principalẽ; modus antẽ principalis dicitur, quando productum ita producitur, quod habet virtutem producendi aliud ex ſe; deinde probat quadrupliciter quod datur generatio æterna; primò, quia Deus ab æterno potuit, voluit, & ſciuit generare; ſecundò, quia eſt ſummè bonus, & conſequẽter ſui ſummè diffuſiuus, tertiò, quia maioris perfectionis eſt ſibi ſimile generare in natura; quartò quia eſt lux, & omni luci eſſentiale eſt, & naturale de ſe gignere coæuum ſplendorem.

p.p. tr.7 q.30. Albertus reſp. & probat, quod in diuinis eſt generatio; primò, quia ſummum bonum eſt maximè communicatiuum ſui; ſecundò, quia generare eſt vis principalis naturæ creatæ, & hanc accipit a Deo, ergo multo magis eſt in eo; tertiò, quia vnumquodque perfectum dicitur, cum poteſt facere alterum, quale ipſum eſt; vnde cũ Deus ſit perfectiſſimus, igitur &c.

d.4. q.1. a.1. D. Thomas reſp. quod ſi generatio accipiatur ſecundum genus ſuum, quia ſic mutatio eſt, & dicit imperfectionem, non eſt Deo attribuenda, ſi vero accipiatur ſecundum differentiam ſuam, per quam completur ratio generationis, quæ eſt communicatio formæ, quæ de ſe communicabilis eſt, quia ſic dicit perfectionem, & ſic Deo generatio eſt attribuenda. Item Marſilius q. 8.

p.p. q.27. ar.1 & iterum reſp. quod nomine generationis dupliciter vtimur, vno modo communiter ad omnia generabilia, & corruptibilia, & ſic nihil aliud eſt quam mutatio de non eſſe ad eſſe, alio modo propriè in viuentibus, & ſic eſt origo alicuius viuentis a principio viuente coniuncto, ſecundum rationem ſimilitudinis, in natura eiuſdem ſpeciei; & quoniã eſt verbum in diuinis, quod procedit per modum intelligibilis actionis, quæ eſt operatio vitæ, & a principio coniuncto, quia procedit ad intra ſine diuerſitate, & ſecundum rationem ſimilitudinis, quia conceptio intellectus eſt ſimilitudo rei intellectæ, & in eadem natura exiſtens, quia in Deo idem eſt intelligere, & eſſe, ideo proceſſio eius eſt generatio, ſicut & ipſum verbum procedens dicitur filius.

d.9. q.1. D. Bonau. reſp. quod omnis natura eſt communicabilis, & quoniam in Deo propter ſui nobilitatem eſt aptitudo actui coniuncta, imo ipſe actus, ideo oportet, quod natura diuina ſit pluribus communicata, ſed non poſſunt eſſe plures ab vna natura, quin vnus ſit ab alio, vel ambo a tertio ergo cum ante diuinas perſonas nihil ſit, oportet quod vna ſit ab alia, & quoniam ſunt conformes in natura, & generatio eſt emanatio ſecundũ cõformitatẽ naturæ, ideo neceſſariò eſt in diuinis generatio.

Aegidius reſp. quod ex ipſa diſtinctione in diuinis poſſumus probare eſſe generationẽ in eis; ſi enim vna perſona diſtinguitur ab altera, hoc non poteſt eſſe per aliquid abſolutum, ergo per relationem, & non niſi per illam, quę ſecundum rationem quiditatis diſtinguit, quæ eſt relatio oppoſita, & ſecundum originem, per quam communicatur natura; eſt autem duplex origo, vna per modum voluntatis, & hęc praexigit alteram, quæ eſt per modum naturæ, & hæc dicitur generatio. d.4. q.1.

Henricus reſp. quod intellectus diuinus in perſona illa, quæ non eſt ab alia, ſecundum quod ſuum intelligere eſt in actu, eſt ratio eliciendi actum primæ emanationis, & eſt tale intelligere in ea, ſicut actualis memoria, & eſt ille actus intelligendi, ſecundum quem eſt in actu, purè eſſentialis, & idem intellectus in eadem perſona exiſtens, vt eſt quaſi in potentia ad actum intelligendi declaratiuum, eſt id a quo habet produci emanans, quod eſt ipſa notitia declaratiua, ſiue intellectio in actu intelligendi declaratiuo exiſtens in perſona a qua emanat, vt verbum non inhærens, ſed ſubſiſtens, & iſta emanatio dicitur vera generatio. a.38. q.1.

Ricardus reſp. quod generatio eſt perfecta productio alicuius ſecũdum ſubſtantiam per modum naturæ de ſubſtantia generantis, & quoniam huiuſmodi generationis ratio reperitur in productione filij Dei, ideo talis productio eſt talis generatio. d.9. q.1.

Ioannes Scotus reſp. & probat quadrupliciter quod in diuinis eſt generatio, ſiue productio ad intra; primò, quia in Deo a ſe, & ſine imperfectione eſt intellectus habens obiectũ actu intelligibile ſibi preſens, quod ex ſua ratione formali eſt principium ſufficiẽs perfectè producendi .ſ. notitiam genitam; in eo autem, in quo eſt huiuſmodi principium ſemper eſt productio; ſecundò, quia in Deo eſt obiectum, quod, vt eſt in memoria producit ſeipſum, vt eſt in intelligentia; tertiò, quia primum producens eſt neceſſariò producens, & non aliud ad extra, ergo ad intra; quartò quia eidem naturæ maximè illimitatæ poſſunt competere, ſicut eidem naturę limitatæ competunt, relationes ſecundi modi .ſ. producentis, & producti. d.2. q.6.

Herueus reſp. quod quia in diuinis eſt talis productio qua .ſ. producens producto cõmunicat eandem naturam, non ſolum ſpecie; ſed etiam numero, & modo naturæ, ideo in diuinis eſt generatio, hoc enim eſt, quod importat generaliter loquendo, generatio. d.4. q.1.

Durandus reſp. quod quamuis per huma- d.4.

Digitized by Google

q.1. nam rationem non poſſit efficaciter demonſtrari generationem eſſe in diuinis, ſuppoſita tamen pluralitate diuinarum perſonarum ſatis efficaciter poteſt probari, ad quod inferendum duo adducit; primum, quod perſonæ diuinæ diſtinguuntur relationibus originis; ſecundum, quod aliqua origo in diuinis habet rationem generationis; primum probat ſic. Perſonæ non diſtinguuntur per abſoluta, ergo per relationes; ſed non per alias relationes, quæ non ſunt reales, vel non ſunt in diuinis; ergo per relationes originis; ſecundum verò ſic probat. Prima perſona producta in diuinis accipit eſſe, & naturam, & modum naturæ, qui eſt quod vnum ſit ab alio tantũ, a perſona producente; ſed hoc eſt generari, quia generatio eſt via in naturam; ergo in diuinis eſt generatio.

d.9. q.4. Petrus Aureolus reſpondet, quod non eſt alia via ad probandum efficaciter generationem in Deo, niſi ea, qua procedit D. Auguſt. D. Anſel. & alij Sancti, quæ ſumitur ex emanatione intellectuali; illud enim, quod de neceſſitate exigit veram intellectionem, debet attribui Deo ſemota omni imperfectione; Deus autem eſt verè intelligens, propter quod nihil deeſt ſibi ex his, quæ ſpectant ad rationem veræ intellectionis; ſed in omni vera intellectione obiectum cognitum capit eſſe apparens in nobis; ergo & Deus intelligendo ſe, verè format, & gignit ſui ſimilitudinem, ponendo totum Deum in eſſe apparenti, & formato.

d.4. q.1. Franciſcus Maro reſpondet, quod ſicut dicit D. Aug. lib. 11. de *Trinit.* in diuinis eſt memoria fœcunda, quæ eſt potentia verbi generatiua, cuius eſt generatio, & quoniam vbi eſt potentia, poteſt etiam eſſe actus; idcirco in diuinis eſt generatio, quæ eſt formaliter productio.

d.9. q.1. Guilelmus Occham reſpondet, quod per nullam rationem naturalem probari poteſt, quod filius verè in diuinis generetur a patre, ſeu quod ſit generatio in eis; ſed hoc ſola fide eſt tenendum.

d.4. q.1. Thomas ab Argentina reſpondet, quod vbicunque a producente natura communicatur per modum naturæ, ibi eſt vera generatio, vnde cum ſit talis communicatio in diuinis, ſequitur quod ſit vera generatio in eis.

d.4. q.vn. Gerardus reſpondet, quod ſuppoſita perſonarum reali diſtinctione, quæ non niſi per relationes originis eſſe poteſt, neceſſe eſt fateri generationem eſſe in diuinis:

d.4. Gregorius reſpondet, quod generatio poteſt accipi tripliciter; primò, pro principio generandi; ſecundò, pro actu, ſeu operatione ipſius principij generatiui; tertiò, pro habitudine, ſeu reſpectu genitoris ad genitum: de generatione primo modo ſumpta non eſt ad præſens quæſtio; ſed de ſecundo, & tertio, & his duobus modis eſt in Deo: In Deo enim eſt potentia, ſeu verè principium verè generatiuum, & hæc potentia nunquam caret ſuo actu, & ſimiliter Deus eſt verè pater, & in quantum huiuſmodi verè refertur ad genitum.

Guilel. Rubion reſp. quod eſſe generationem in diuinis, non poteſt euidenter probari, ſed per aliquas rationes poteſt perſuaderi roborantes aſſenſum fideli, quales ſunt rationes, quas adducunt doctores, quibus auditis articulus iſte fideli minus apparet impoſſibilis, quam ante. d.9. q.1.

Petrus Aliacenſis reſpondet, quod verè, & propriè in diuinis pater generat filium, vt de fide tenere debemus: ergo in diuinis eſt vera, & propria generatio. q.7. a.3.

Laurentius Opimus reſp. quod in Deo, ſeu in diuina entitate intrinſecè eſt aliquid principium originatiuum, quod eſt paternitas, & quoniam quicquid eſt in Deo eſt purus, & actualiſſimus actus, idcirco ſi in Deo eſt principium originatiuum, eſt item actualis productio, quæ eſt generatio. d.4. q.vn.

Michael de Pal. reſpondet quod eſt generatio in Deo, & in nobis; ſed in nobis in præſidium mortalitatis, in Deo autem ex infinitate ſuæ poteſtatis. d.4.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod adeo ineffabilis eſt diuina generatio, quod a nobis, nec cogitari poteſt, nec explicari; ſola fide credimus diuinis ineſſe; cum enim ex ſcripturis ſacris conſtet, eſſe Deum Patrem, Filium habere Deum, conſequens eſt, vt generationem quoque eſſe credamus in eis, cum non ſit imaginabile aliquem patrem eſſe, filium habere, & quod non intercedat generatio; quia ergo eſt pater, & filius in diuinis, ideo eſt etiam generatio: ſed quid ſit, qualiſue, omnino incomprehenſibile eſt, & inexplicabile, ad inſinuandum tamen eam, & aliqualiter deſcribendum nulla alia notificatione iſta meliori vti poſſumus, quam dicendo, quod eſt æterna productio filij a patre.

Obiectio. Sed ſi generatio mutationem, ſeu materiam importat, potentiam ſimiliter, & exitum de non eſſe ad eſſe?

Reſpondetur, quod generatio dicit mutationem in viuentibus, quorum vita exit de po-

po-

Digitized by Google

potentia ad actum, non autem in his, quorum vita non exit de potentia ad actum, in his enim generatio ſumitur tantum, vt eſt origo viuentis a principio viuente coniuncto ſecundum rationem ſimilitudinis in natura eiuſdem ſpeciei. Ita D. Thomas. Et Ægidius. In diuinis ponitur ſpecies ſine genere, & ideo generatio, quæ eſt in eis eſt ſine motu, & ſine his, quæ imperfectionem deſignant. Et Scotus; Generatio transfertur ad diuina, non ſub ratione mutationis, ſed productionis. Et Gerardus. Generatio abſolutè ſumpta non eſt mutatio, ſed ſimplex communicatio, & ita ponitur in diuinis. Et Marſilius. Generatio Deo attribuitur circumſcriptis quibuſcunque imperfectionibus, mutatione, ſcilicet, potentia, & huiuſmodi.

QVÆSITVM II.

An diuina generatio ſit in filio?

d. 4. q. 3. AEgidius reſpondet, quod generatio quatuor importare videtur; primum, motum, ſiue mutationem, ſecundum, vnitatem in natura, & pluralitatem in ſuppoſitis; tertium, acceptionem eſſe ab alio; quartum, communicationem per modum naturæ; & quoniam nullum horum repugnat filio, non primum, quia generatio quæ ponitur in diuinis eſt ſine motu, non ſecundum, quia eius eſſe non differt a natura, non tertium, quia eſſe quod habet, a patre habet, & acceptum habet, nec quartum, quia eſſe filio communicatur per modum naturæ, ideo in eo eſt generatio; quod enim ab aliquo neganda ſit generatio, hoc eſt, quia aliquid vnum ex his deficit ei.

d. 4. q. 1. & 2. Thomas ab Argentina reſpondet, quod ſicut in patre eſt generatio actiua, quia generat, ita in filio, quia generatur eſt generatio paſſiua, quod etiam probat. Principium diſtinctiuum, quo vna perſona diſtinguitur ab alia, neceſſario eſt in ea; ſed filius per generationem paſſiuam diſtinguitur a patre, dicente D. Ioann. Dam. quod omnia ſunt vnum in diuinis præter ingenerationem, generationẽ, & proceſſionem; ergo generatio eſt in eo.

Reſolutio.

RESpondeo, quod quando dicitur generatio diuina eſt æterna productio filij a patre, ſicut in tali notificatione exprimuntur duo ſuppoſita ſecundum diuerſos caſus obliquos, ita ſecundum hunc rectum, qui eſt productio, duo inſinuantur actus patris ſcilicet, vt eius, qui producit, & filij, vt eius, qui producitur, vnus per modum actionis, & dicitur productio, ſeu generatio actiua, & alter per modum paſſionis, & dicitur productio, ſeu generatio paſsiua, & quoniam actus quilibet eſt in eo, cuius eſt actus; idcirco poteſt dici, quod generatio (paſsiua ſcilicet) eſt in filio, quia ipſe eſt, qui producitur, ſeu generatur.

Sed ſi generatio paſsiua eſt idem quod filius, nunquid poteſt dici, quod filius ſit in filio? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod ſi generatio filij dicitur eſſe in eo, hoc non dicitur ad excludendam identitatem, quam habet cum eo, ſed ad coaptandum noſtrum modum loquendi, & diſcurrendi, quantum poſſumus, ad diuina.

QVÆSITVM III.

An diuina generatio ſit in patre?

AEgidius reſpondet, quod ſicut generari non eſt aliud, quam proprietas filij ſignificata per modum paſsionis, ita generare non eſt aliud, quam proprietas patris ſignificata per modum actus, & ideo ſicut generari eſt in filio, ita generare eſt in patre, & in vtraque eſt generatio, in filio generatio paſſio, in patre generatio actio; verum, quia generatio abſolutè ſumpta magis denotat paſsionem, ſiue originem per modum paſsionis dictam, quam actionem, ſic ſimpliciter, & abſolutè loquendo concedimus generationem eſſe in filio, ſed loquendo non adeo propriè concedimus, quod ſit in patre, ſed tamen non niſi cum additione facta dicendo, generatio actio eſt in patre. d. 4. q. 2.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut dictum eſt hoc termino productionis, ſeu generationis, non ſolum inſinuatur actus, quo filius producitur, ſed etiam quo pater producit; ſicut ergo per hoc, generatio paſſiua dicitur eſſe in filio, ita generatio actiua dicitur eſſe in patre.

Sed ſi ingeneratio, quæ eſt oppoſita generationi eſt in patre? oppoſita enim non poſſunt eſſe in eodem. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod ingeneratio, & generatio, prout ponuntur in patre non ſunt oppoſita, quia ingeneratio in patre idem ſonat, quod non eſſe ab alio, & generatio idẽ quod aliud eſſe ab eo, non eſſe autem ab alio, & aliud eſſe ab eo, non ſunt oppoſita. Ita Ægidius.

Digitized by Google

QVÆSITVM IV.

An diuina generatio ſit in omnibus perſonis?

d 4. q 2. AEgidius reſpondet, quod quatuor modis poſſumus intelligere generationẽ eſſe in diuinis perſonis; vel quod a pluribus generentur plures, & tunc eſt impoſſibile, quia vna perſona eſſet ſimul generans, & genita, cum enim ſint tres perſonæ tantum, non eſt poſſibile ibi eſſe plures gignẽtes, & genitas, niſi eadem ſit ſimul generans, & genita; vel quod ab vna generentur plures, & hoc ſimiliter eſt impoſſibile, tum quia non eſt dare pluralitatem genitorum niſi in habentibus materiam, tum etiã quia huiuſmodi pluralitas non eſſet ſecundum rationem quiditatis relationis, ſed ſecundum eſſe, ſecundum quod relationes tranſeunt in diuinam ſubſtantiam, & ſic eſſet pluralitas, ſiue diſtinctio ſecundum abſoluta; vel quod a pluribus generetur vna, & hoc eſſe non poteſt, quia quod procedit per viam generationis, procedit per modum naturæ, nihil autem procedit per modum naturæ a pluribus, niſi alterum eorum ſit inſufficiens; vel quod ab vna tantum generetur vna, & hoc eſt concedendum, quo conceſſo neceſſario etiam ſequitur aliquam perſonam eſſe, quæ nec generatur, nec generat, & hæc eſt Spiritus ſanctus, qui a generante, & genito perfectiſſime procedit.

Reſolutio.

REſpondeo, quod in diuinis non eſt niſi vna perſona generans, quæ eſt pater, & vna genita, quæ eſt filius, non enim, vt ex ſcripturis habetur ſunt plures patres, aut plures filij in diuinis, generatio autem non poteſt conuenire, niſi generanti, inquantum actiua eſt, & genitæ, inquantum paſſiua, & quoniam eſt alia perſona, quæ eſt Spiritus ſanctus, qui neque generat, neque genitus eſt, idcirco illi non competit generatio, nec per conſequens eſt generatio in omnibus perſonis.

Obiectio. Sed ſi quælibet perſona diuina eſt vſquequaque perfecta, generatio autem dicit perfectionem?

Reſpondetur, quod aliquid eſt perfectionis in vna perſona, quod non eſt perfectionis in altera; & ſic generatio eſt perfectionis in Patre, & Filio, quod non eſt perfectionis in Spiritu ſancto. Ita Ægidius, & Thomas ab Argentina.

QVÆSITVM V.

An generatio in patre ſit idem quod dictio, ſeu verbi productio?

ALex. Alenſ. reſp. quod dicere ſumitur dupliciter, aliquando enim importat idem, quod manifeſtare, & ſic ſumitur eſſentialiter, & conuenit cuilibet perſonæ diuinæ; aliquando verò importat idem, quod proferre verbum, vt dicit rationem principij ad illud, quod eſt de principio, & ſic notionaliter ſumitur, & ſoli patri conuenit, atque ita idem eſt, quod generare. q.42. m.2.

Albertus reſp. quod dicere ſe per intellectum dicitur dupliciter, communiter, & propriè, communiter eſt manifeſtare in lumine intellectus, & hoc eſt eſſentiale, vnde ſic Pater dicit ſe, Filius dicit ſe, & Spiritus ſanctus; propriè verò eſt ex ſe formatum, & diſtinctum ab intellectu dicente, proferre, ſiue producere verbum, quod ſui ſimilitudo ſit ſecundum ſpeciem, & imago perfecta ſecundum ſubſtantiam, & hoc eſt notionale, & ſoli patri conuenit. q.10. m.2.

Henricus reſp. quod generatio in diuinis dicitur prima productio, quæ cum ſit in natura intellectuali, & intelligentis, ſecundum actum producentis ſua notitia ſimplici, vt forma, quæ agit de ſuo intellectu puro, notitiam declaratiuam dicitur dicere, & productum dicitur verbum, & ſic in tali natura idem eſt generare, quod dicere, & genitum quod verbum ſecundum rem, quamuis differant ſecundum rationem; quæ differentia attenditur ex tribus, ex parte principiorum emanandi, ex parte ipſarum emanationum, & ex parte eius quod emanat; ex parte principiorum emanandi, quia ſicut ex eo, quod emanatio hæc eſt a principio naturali actiuo ſimpliciter, & de principio naturali paſſiuo ſimpliciter, dicitur generatio, & emanans genitum, ita ex eo, quod eſt a principio actiuo naturali, quod eſt notitia, & de principio paſſiuo naturali, quod eſt intellectus, dicitur hæc emanatio dicere, & emanans verbum. Ex parte emanationum, quia ſicut ratio eſt perfectior, & magis ſpecialis cum dicitur natura, quæ eſt intellectus, quam cum dicitur natura ſimpliciter, & cum dicitur agens naturale, quod eſt intellectus, quam cũ dicitur agens naturale ſimpliciter, ſic perfectior ratio emanationis diuinæ exprimitur cũ dicitur dicere, quam cũ dicitur generare, & perfectior ratio emanantis cum dicitur verbum, quam cum dicitur genitum. a.68. q.2.

Ex

Digitized by Google

Ex parte eius, quod emanat, quia generare non reſpicit niſi genitum eſſe,& genitum non niſi generans; dicere verò mediante verbo,& in verbo, reſpicit omnia alia a verbo.

Reſolutio.

RESPONDEO, quod ſicut verbi productio in patre eſt dictio, eſt enim producere verbum dicere, ita productio filij eſt generatio,eſt enim producere filium generare, ſed quoniam filius in diuinis eſt idem, quod verbum;nõ enim alia eſt perſona filij, & alia perſona verbi, & eſt impoſſibile, quod vna, & eadem perſona pluribus productionibus producatur, ideo eius productio, quæ eſt generatio, non diſtinguitur niſi nomine, & modo ſignificãdi a dictione,quę eſt verbi productio.

Obiectio. Sed ſi dictio eſt productio per modum intellectus,generatio verò per modum naturæ?

Reſpondetur, quod hoc arguit differẽtiam ſecundum rationem, non ſecundum rem. Ita Henricus.

QVÆSITVM VI.

An generatio in patre ſit idem quod intellectio?

q.42. m.2 ALex. Alenſ. reſp. quod in diuinis generare concomitatur quidem intelligere, ſed non eſt idem cum eo; primò, quia generatio ſemper importat diſtinctionem generantis & geniti, non autem intelligere, poteſt enim intelligens intelligere ſeipſum; ſecundò,quia generans nunquam generat ſe, ſicut intelligens intelligit ſe; tertiò, quia intelligere dicitur abſolutè, generare verò relatiuè. Item Albertus.

tr.7 q.30. m.2 Henricus reſp. quod actus generandi in Deo eſt actus intellectus, non ſub ratione qua eſt intellectus purus, ſeu intelligentia pure,ſed eſt actus intellectus ſub ratione qua eſt memoria continens in ſe notitiam ſimplicem, & in ea obiectum, quo elicit actum producendi verbum.

Reſolutio.

RESPONDEO, quod generatio in patre eſt actus notionalis, ſibi .ſ. tantum conueniens; ſolus enim pater generat, concomitatur tamen intellectionem in eo, quæ eſt actus eſſentialis; eſt enim impoſſibile quod producens in natura intellectuali aliquid producat, & intellectione careat; hæc autem intellectio in patre communis eſt ſingulis diuinis perſonis,quia ſingulæ perſonæ intelligunt, & ideo vt quoddam commune diſtinguitur a generatione, ſicut ab actu proprio patris, eo modo .ſ. quo eſſentialia,diſtinguuntur a notionalib.

Obiectio. Sed ſi non producitur verbum niſi ab intelligente; & non ab alia perſona, niſi a patre?

Reſpondetur, quod non producitur verbũ niſi ab intelligente, non quidem accipiendo intelligentem ſimpliciter ſecundum quod huiuſmodi, ſed ab intelligente producere ipſum verbum, & ſic ſolus pater intelligit,quia ipſe ſolus intelligit producere verbum, hæc tamen intellectio, quamuis concomitetur eã actus notionalis; notionalis tamen non eſt, ſed eſſentialis, & ſecundum quod huiuſmodi diſtinguitur a productione actiua verbi.

QVÆSITVM VII.

An generatio in diuinis ſit vniuoca,an æquiuoca?

DVrandus reſp. quod nõ obſtante diuerſitate proprietatum conſtituentiũ ſuppoſita propter vnitatem naturæ in generante,& genito,eſt generatio vniuoca. *d.5. q.2.*

Franciſcus Maro reſp. quod generatio in diuinis eſt vniuoca; primò,quia producens & productum habent eãdem numero naturam, quia eandem numero eſſentiam;ſecundò,quia principium productiuum, & formalis terminus productionis ſunt eiuſdem rationis, quia eſt eſſentia; tertiò, quia producens non eſt perfectius producto, vt contingit in omni generatione æquiuoca; quartò,quia in diuinis nullus eſt defectus fœcunditatis; in omni autem generatione æquiuoca eſt ſemper defectus fœcunditatis. Hæc eadem ferè Guil. Varrill. d. 7. ar. 2. *d.4. c.8.*

Guilel.Occham reſp. quod generatio diuina non eſt ſimpliciter vniuoca, quia in generatione vniuoca generans, & genitum ſic ſunt eiuſdem rationis,quod quodlibet eſſentiale in genito eſt ſimillimum alicui in generante, at paternitas in patre, quæ eſt ſibi eſſentialis non eſt ſimillima filiationi,quæ eſt eſſentialis filio, cum duæ paternitates ſimiliores ſint paternitate, & filiatione; Nec ſimpliciter æquiuoca, quia in generatione æquiuoca ſemper eſt aliquid in genito,quod diſtinguitur realiter ab omni eo quod eſt in generante; at in iſta generatione nihil eſt in filio producto, quod diſtinguatur realiter ab omni illo quod eſt in patre, quia nihil diſtinguitur realiter ab eſſentia patris: ſimiliter in generatione æquiuoca generans, & genitum non ſunt ſimpliciter vna res, at pater, & filius ſunt vna res .ſ. eſſentia propter identitatem tam realiter *d.9. q.2.*

ter vnius eſſentiæ numero cum quolibet iſtorum ſuppoſitorum, & cum vnoquoque eſſentiali eorum magis aſſimilatur generationi vniuocæ, quam æquiuocæ.

d 4. q.1. ad 6 Thomas ab Argentina reſp. quod generatio in diuinis propriè loquendo, nec æquiuoca eſt, nec vniuoca, largè tamen loquendo poteſt vtroque modo dici.

d.6. q.1. Guilel. Rub. reſp. quod in illis eſt perfecta vniuocatio, inter quæ eſt realis diuerſitas, & ſumma vnitas; cum itaque inter patrem, & filium ſit realis diuerſitas, & ſumma vnitas, hinc eſt, quod generatio filij eſt perfectè vniuoca.

tr. 1. p.2. q.2. Nicol. de Nijſe reſp. quod generatio tunc eſt vniuoca, quando generans, & genitum conueniunt in natura ſpecifica, & quoniam ſuppoſitum, quod generatur in diuinis, & ſuppoſitum generans conueniunt non tantum in natura ſpecifica, ſed etiam numerica; ideo eſt vniuoca.

Reſolutio.

RESpondeo, quod tum ex parte generationis, tum etiam ex parte generantis, & geniti dicendum eſt generationem in diuinis eſſe vniuocam; ex parte generationis, quia generatio illa dicitur vniuoca, in qua generās communicat genitoeſſe, & naturam ſuam ſecundum modum communem, quo ſolet communicari in illa ſpecie, quod ſi aliter communicet, nedum generatio dicitur æquiuoca, ſed etiam agens dicitur generans æquiuocum, & propter hoc generatio ranarum ex ſole, & pluuia dicitur æquiuoca, & ipſe ſol generans æquiuocum; ex parte ſimiliter eiuſdem generationis dicitur generatio vniuoca quandocunque generans, ſiue generet formaliter, ſiue virtualiter, aſſimilat ſibi in ſpecie genitum, quod ſi deſit talis aſſimilatio, quamuis generans generet ſecundum modum communem communicandi eſſe, & naturam, in illa ſpecie, non eſt vniuoca generatio, ſed æquiuoca, ſicut & generans dicitur æquiuocum: licet ergo in diuinis nō ſit generatio plurium filiorum, ex quo poſſimus concludere hanc, quam vnius tantum perſonæ concedimus eſſe vniuocam, tamen ex infinitate, & ſimplicitate diuini eſſe poſſumus coniectari, quod ſi eſſent plures filij eodem modo communicaretur iſti natura, quo eſſet communicata alijs ſi eſſent geniti: & hoc ex parte generationis; ex parte vero generantis, & geniti poſſumus ſimiliter concludere eſſe vniuocam propter vnitatem naturæ, quia nedum eſt aſſimilatio inter patrem, & filium ſecundum eam, ſed etiam identitas, & ſimplex vnitas.

Sed ſi natura, ratione cuius generatio dicitur vniuoca, non dicitur vniuocè de generante, & genito; quia ſic eſſet ſpecies, ſed tantum identicè. *Obiectio.*

Reſpondetur quod natura diuina dicitur de generante, & genito, & cūm hoc etiam dicitur identicè, & propter iſtam identicam prædicationem fortè amouetur ab ea quod ipſa non ſit ſpecies. Ità Maro.

QVÆSITVM VIII.

An generatio dicatur vniuocè de generatione, quæ eſt in diuinis, & de generatione, quæ eſt in creaturis?

HEruæus reſp. quod generatio non dicitur vniuocè in diuinis, & in creaturis, ſed analogicè. Item Durādus diſt. 7. quæſt. 2. d.4. q.1.

Franciſ. Maro reſp. quod generatio ſecundum eandem rationem formalem dicta eſt in Deo, & creaturis, & ſi aliqua repugnāt huic, & non illi; aliqua item conueniunt, non eſt inquantum generatio eſt, ſed inquantum generatio talis, vnde licet generatio ſit eis communis, tamen adhuc per aliquid additū diſtinguitur ſpecificè, vel quaſi ſpecificè ab illa. d.4. q.2.

Petrus Aliac. reſp. quod generatio non vniuocè, ſed æquiuocè dicitur de generatione in diuinis, & de generatione in creaturis, quia non conueniunt in diffinitione; nam in creaturis omnis generatio eſt tranſmutatio, non ſic autem in diuinis. q 7. a.1.

Michael de Pal. reſp. quod non eſt vniuoca ratio generationis noſtræ, & diuinæ, nam generatio apud nos eſt ea, quam diffinit Ariſt. 1. de Gen. t. c. 25. non ſic autem in diuinis. d.4.

Reſolutio.

REſpondeo, quod generatio in diuinis omnino ineffabilis eſt, ſine materia, ſine trāſmutatione, ſine tempore, ſine loco, cum autem generatio in creaturis materiam ſupponat, & locum, cum tranſmutatione fiat, & in tempore, idcirco propter huiuſmodi maximam diuerſitatem, generatio vniuocè dici non poteſt de ea, quæ in diuinis eſt, & de ea quæ eſt in creaturis.

Sed ſi ſecundum eandem rationē diffinitiuam, quæ eſt vt ſit communicatio naturæ ſecundum modum naturalem illius, dicitur in diuinis, & in creaturis? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod iſta ratio diffinitiua, eſt quidem ſufficiens ad notificandam ipſam gene-

ne-

Digitized by Google

nerationem in quadam generalitate; ſed in
ſpecie, prout conuenit diuerſis naturis eſt in-
ſufficiens, & incompleta.

QVÆSITVM IX.

An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, Deus generat Deum?

q.60. ALex. reſp. quod hoc nomen Deus ha-
m.5 bet ſignificare diuinam naturam, &
ſupponere perſonam, & ideo hæc
eſt vera Deus genuit Deum, quia pater, qui
habet deitatem, genuit filium, qui habet
deitatem.

d.4. D. Thomas reſp. quod hoc nomen Deus rõ-
q.1. ne ſuæ ſimplicitatis ſignificat quidem eſſen-
a.2. tiam, ſed quãtum eſt de ſe, & ex modo ſigni-
ficãdi, quia ſignificat per modum per ſe ſubſi-
ſtentis ſupponit pro quolibet habente deita-
tem; licet tamen indiſtinctè, & quoniã hæc
eſt vera, habens deitatem, vt .ſ. perſona patris
generat habentem deitatem, vt .ſ. perſonam
filij, ita etiam iſta eſt vera, & concedenda,
Deus genuit Deum.

p.p. Et iterum reſp. quod hoc nomen Deus ali-
q.39. quando ſupponit pro eſſentia, vt cum dicitur
a.4. Deus creat, quia hoc prædicatum competit
ſubiecto ratione formæ ſignificatæ, quæ eſt
deitas, & aliquando ſupponit ex modo ſi-
gnificandi pro perſona, & ſic poteſt dici
Deus genuit Deum.

d.4. D. Bonau. reſp. quod iſta locutio Deus ge-
q.1. nerat Deum ſalua eſſentiæ vnitate recipitur
vt vera, tam a magiſtris, quam a ſanctis, & ra-
tio eſt; quia terminus habens multitudinem
ſuppoſitorum ſine diſtributione acceptus ſtat
pro illo, pro quo reddit locutionem veram, vt
cum dicitur homo currit, vera eſt locutio pro
currente, ſi aliquis ſit currens.

d.5. Ægidius reſp. quod niſi Deus ſupponeret
q.1. pro aliquo relatiuo hęc propoſitio Deus gene
rat, non eſſet vera, ſed quia trahitur ad ſuppo-
nendum pro patre, cum concreta ſecundum
ſuum modũ ſignificandi poſſint trahi ad ſup-
ponendum pro perſonis, ideo eſt vera, in-
quantum implicat ſuppoſitum patris, vel ſup-
ponit pro eo.

a.14. Henricus reſp. quod licet hoc nomen Deus
q.3. ſignificet ſolam eſſentiam ſimpliciter, ſignifi-
cat tamen eam per modum ſuppoſiti in com-
muni .ſ. vt habentis in ſe deitatem, & ideo
ſupponit pro ſuppoſito, & ſecundum hoc po-
teſt verificare locutionem pro alio, & alio
ſuppoſito, in prædicato, & ſubiecto.

d.4. Ricardus reſp. quod cum hoc nomẽ Deus
ſignificet diuinam naturam per modum con- q.1.
creti, poteſt ſupponere pro ſuppoſito patris,
de quo cum verificetur, quod generat; & pro
ſuppoſito filij, quod generatur, ideo eſt ve-
ra propoſitio, Deus generat Deum.

Herueus reſp. quod hoc nomen Deus po- a.5.
teſt ſtare pro ſuppoſito, ex eo quod non im- q.1.
plicat alquid re differens a forma, a qua im-
ponitur, ſed tantum ratione; vnde actus no-
tionales poſſunt verificari de eo, vt generare,
& generari, & ſic iſta propoſitio eſt vera
Deus generat Deum.

Durandus reſp. quod hoc nomen Deus cũ d.4.
ſit nomen concretum importat ſuppoſitum q.2.
habens naturam diuinam, & quoniam hoc
eſt quod generat, & generatur, ideo hæc
eſt vera, Deus genuit Deum.

Ioannes Scotus reſp. quod hæc eſt propo- d.4.
ſitio vera Deus genuit Deum, quia termini q.2.
in concreto poſſunt ſupponere pro ſuppoſitis
reſpectu prædicatorum, reſpectu quorum nõ
extraneantur ſuppoſitaliter, & ideo ſicut hæc
eſt vera, Deus pater genuit Deum filium, ita
hæc, Deus genuit Deum.

Petrus Aur. reſp. quod concipiens Deum q.5.
debet ipſum concipere ſub ratione trini ſub- a.3.
ſiſtentis, ſic, quod quilibet eſt Deus, & ideo
quicquid attribuitur cuilibet ſubſiſtenti po-
teſt attribui ipſi Deo, & quia pater generat,
& filius generatur, & Spiritus ſanctus pro-
cedit, verum eſt, quod Deus generat, gene-
ratur, & procedit.

Guilelmus Occham reſp. quod iſte termi- d.4.
nus Deus quantum eſt ex modo ſignificandi q.1.
ſupponit præciſè pro ſuppoſito, ex vſu tamen
loquendi ratione adiũcti poteſt etiã ſuppone-
re pro natura propter maximam identitatem
ſuppoſiti, & naturæ, quoniã tamẽ in hac pro-
poſitione, Deus generat Deum, ponitur quod
præcirè competit ſuppoſito, ideo de virtute
ſermonis iſta eſt vera, & ſimpliciter conce-
denda, Deus generat Deum, ſicut, & iſta, Pater
generat filium. Item Petrus Aliacenſis.

Gregorius reſp. quod ſi in hac propoſitio- d.4.
ne Deus genuit Deum, ly Deus ſupponit pro q.1.
communi natura, propoſitio eſt falſa, ſi verò
pro hypoſtaſi, eſt vera. Item Marſilius.

Guilel. Rub. reſp. quod in iſta propoſitio- d.4.
ne, Deus generat Deum, ſubiectum ſupponit q.2.
perſonaliter, & de eo prædicatum eſt verum,
nam pater, qui eſt Deus, generat illum, qui
eſt Deus, & ideo ſine diſtinctione eſt con-
cedenda.

Nicol. de Nijſe reſp. quod Deus eſt idem par. 2
quod habens deitatem, & quoniam in diui- pro 2.
nis perſona generans habet deitatem; ideo q.9.

eſt

Digitized by Google

eſt vera propoſitio Deus genuit Deum.

d.4. Michael de Pal. reſp. quod actio generandi Deum eſt ad intra, & congruit huic Deo ratione relatiuæ perſonæ .ſ. patris.

d.4. ar.2 Guilel. Varrill. reſp. quod quædam nomina in diuinis important ſolam diſtinctionem, quædam omnimodam vnitatem, & quædam modo medio, prima non admittuntur reſpectu nominum communium, vnde hæc non conceditur, Deus genuit alium Deum, nec ſecunda, quando ponuntur cum nomine diſtinctionis, vnde hæc non conceditur, Deus genuit ſe Deum, ſed tertia, quæ ſignificant diſtinctionem, & vnitatem, ſicut generare; & ſic iſta conceditur Deus genuit Deum, quia dicit diſtinctionem in perſona, & vnitatem in eſſentia.

diſp. 147 c.4. Gabriel. Vaſq. reſp. quod in hac propoſitione, Deus genuit Deum, ly Deus ſupponit pro eo quod ſignificat, ſignificat autem concretum indiuiduum deitatis, illudque eſt ipſa diuina natura directè ſignificata cum connotatione perſonæ indiſtinctè, & vniuerſim: vnde ly Deus in tali propoſitione ſupponit pro illo indiuiduo directè, connotando perſonam confuſè, quare de illo affirmare generationem eſt verum, ſicut negare, falſum.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod quãdocunque reperitur aliquis terminus communis in aliqua propoſitione ſiue ſit ſubiectum, ſiue prædicatum, ſemper contrahitur ad ſtandum ſiue vniuerſaliter, ſiue ſingulariter ſecundum naturam alterius cui apponitur, dummodo indefinitè ponatur, hæc eſt enim natura termini indefiniti, vt termino ſibi appoſito, definiatur, cum per ſe indefinitus ſit. Cum itaque iſte terminus Deus ſit terminus communis, quia dicitur de patre, filio, & Spiritu ſancto, & iſte terminus generat, cui apponitur ſit in diuinis terminus actum ſingularis perſonæ ſignificans, quia vna ſola perſona generat, ſicut & vna ſola generatur, idcirco indefinitè poſitus, vt in hac propoſitione, Deus genuit Deum, contrahitur ad ſtandum ſingulariter pro patre .ſ. & filio, vt pater ſit qui generat, & filius qui generatur, quorum vterque eſt Deus; atque ita concedenda eſt iſta propoſitio, vt vera, Deus genuit Deum.

Obiectio. Sed ſi generare relationem importat diſtinguentem perſonas, Deus autem non eſt diſtinctus a Deo?

Reſpõdetur, quod non oportet, quod Deus ſit diſtinctus a Deo, ſed ſufficit, quod illi pro quibus ly Deus ſupponit vtrobique ſint diſtincti .ſ. ille qui eſt generans, & ille qui eſt genitus; cauſa autem quare non dicitur Deus diſtinctus a Deo, ſicut Deus generat Deum, eſt, quia cum diſtingui non dicat actum niſi grammaticaliter, non facit teneri Deum in ſubiecto poſitum pro perſona, ex quo denotatur diſtinctio in natura, non perſona; generare autem dicit actum realem conuenientem ſoli ſuppoſito, & facit teneri terminum concretum de quo prædicatur pro ſuppoſito. Ita Herueus.

QVÆSITVM X.

An hac propoſitio ſit concedenda, vt vera, Deus generat ſe Deum?

D. Thomas reſp. quod cum ly ſe ſit relatiuum identitatis, & reciprocum refert idem ſuppoſitum; cum itaque idem ſuppoſitum nõ poſſit generare ſeipſum, nõ erit verum dicere Deus generat ſe Deum. d.4. ar.3

D. Bonau. reſp. quod hæc propoſitio, Deus genuit ſe, dicit vnionem in forma, & in ſuppoſito, & quoniam repugnat diſtinctioni ſuppoſitorum, ideo non eſt admittenda. Item Herueus. d.4. q.2.

Ægidius reſp. quod cum dicitur Deus genuit ſe Deum poteſt tripliciter intelligi, vno modo, vt ſe, ſit ablatiui caſus, & tunc eſt ſenſus, genuit ſe Deum, ideſt genuit Deum de ſe, ideſt de ſui ſubſtantia; alio modo, vt ly ſe, ſit caſus accuſatiui, ſed, ita vt ſit locutio expreſſiua, & ſit ſenſus, genuit ſe Deum, quia genuit per omnia ſibi æqualem, & iſtis duobus ſenſibus eſt locutio vera; quia pater genuit filium de ſubſtantia ſua, & per omnia ſibi æqualem; tertiò modo, vt ly ſe, ſit caſus ſimiliter accuſatiui, ſed in hoc ſenſu quod genuit ſe Deum ideſt, eundem in perſona, & ſic eſt locutio falſa, quia nihil generat ſeipſũ. q.2.

Petrus Aureol. reſp. quod iſta propoſitio Deus genuit ſe Deum eſt falſa, pronomen enim demonſtrat, & reciprocat ſuppoſitum, quia ſubſtantiam meram ſignificat, vnde ſi diceretur Deus genuit ſe, vel pater genuit ſe Deum, propter pronomen reciprocum ſenſus eſſet, quod genuiſſet idem ſuppoſitum. d.4. ar.5

Guilel. Rub. reſp. quod poteſt concedi quod Deus genuit ſe Deum, ſic intelligendo quod genuit perſonam, quæ eſt idem Deus cum eo. d.4. q.2.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod Deum generare ſe Deũ poteſt intelligi tripliciter, primò, vt ly ſe

Digitized by Google

ſe reciprocet perſonam, ſicut ſubiectum ſupponit pro perſona, ita vt ſit ſenſus, quod illa perſona quæ generat, generet ſemetipſam, & ſic intelligendo nulli eſt dubium, nec aliqua difficultas, quod Deus non generat ſe Deum, quia nulla perſona generat ſeipſam; ſecundò, vt ly ſe ſimul reciprocet perſonam, & naturam, ſeu eſſe diuinum, quod eſt eſſe Deum, ita vt ſit ſenſus, quod Deus generat ſe Deum, ideſt, Deus qui ſupponit pro patre generat ſe Deum, ideſt, dat ſibimet eſſe diuinum, & hoc modo ſimiliter eſt falſa, quia, eſſe diuinum in patre, non eſt eſſe acceptum; tertiò vt ly ſe non reciprocet perſonam tantum, nec eſſe diuinum tantum, diſtinctè, ſed confuſè, ita vt ſicut vnius, & eiuſdem naturæ, & deitatis eſt perſona, quæ generat, & perſona, quæ generatur, & non ſit alius, niſi vnus Deus, ita poſſit quodammodo concedi, quod Deus generet ſe Deum, quia ſ. perſona generans non generat, niſi illam perſonam, quæ eſt vnus Deus cum ea, eſt enim hæc generatio in deitate vna, & natura; ſed quamuis iſte modus loquendi contineat in ſe aliquam veritatem, velut tamen improprius, non eſt admittendus.

Obiectio. Sed ſi dicit D. Auguſtinus ſcribens ad Maxim. quod Deus pater genuit alterum ſe?

Reſpondetur quod iſta D. Auguſtini locutio eſt impropria, vel emphatica; vnde eſt ſenſus quod genuit alterum ſe, ideſt, alterum ſimillimum ſibi. Ita D. Thomas.

Figuratè locutus eſt D. Auguſtinus (inquit Eſtius) ad oſtendendum ſummam ſimilitudinem, & conuenientiam patris, & filij inter ſe. Dicit Henricus quod eſt ſermo proprius, & verus quantum eſt ex parte rei, ſed non quantum eſt ex parte ſermonis.

QVÆSITVM XI.

An hæc propoſitio ſit concedenda vt vera, Deus generat eundem Deum?

d 4. q 1. IOannes Scotus reſp. quod poteſt concedi quod Deus generat eundem Deum, quia pater generat filium, qui eſt idem Deus, nam identitas ponit ſuum ſignificatum circa ſuum determinabile commune extremis denotans ipſum non diſtingui in eis.

d 4. a. 5. Petrus Aureol reſp. quod ſi ly eundem referatur ad identitatem eſſentiæ eſt concedenda propoſitio, Deus genuit eundem Deum, non autem ſi referatur ad ſuppoſitum; de virtute tamen locutionis, cum ſit adiectiuum ponit huiuſmodi ſignificatum erga ſubſtantiuum, & ideo eſt concedendum, quod Deus genuit eundem Deum.

Gabriel Vaſq. reſp. quod hæc propoſitio eſt concedenda, vt vera, quia ſic non denotatur identitas in perſona, ſed in natura, quam ly Deus ſignificat; idem enim & diuiſum opponuntur, ac proinde quicquid nō eſt aliud ab aliquo eſt idem cum illo, ergo ſi Deus generat, Deum & non alium Deum, ſequitur quod generat eundem Deum. *d 157 c. 4.*

Reſolutio.

RESpōdeo, quod in iſta propoſitione Deus generat eundem Deum duplex inſinuatùr identitas, vna ex parte generantis, & geniti, & altera ex parte naturæ, ſeu, deitatis, vnde ad hoc, quod vt vera eſſet concedenda talis propoſitio neceſſariū eſſet, vt verificaretur ſecundum vtranque identitatem; ſed quoniam non verificatur niſi ſecundum vnā, quia licet generans, & genitum ſint idem ſecundum naturam, ſeu deitatem, non ſunt tamen idem ſecundum perſonas, idcirco, nec iſta propoſitio debet concedi, vt vera, Deus generat eundem Deum.

Sed ſi non generat Deus alium Deum? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod Deus nec alium Deum generat, neque eundem, non alium, ratione vnitatis in eſſentia; non eundem, ratione diſtinctionis in perſona.

QVÆSITVM XII.

An hæc propoſitio ſit concedenda vt vera, Deus generat alium Deum?

D. Thomas reſp. quod non eſt concedēda; quia cum ly alius ſit adiectiuum, & diuerſitatem notet, poneret formam ſiue rem ſuam circa terminum Deum, cui adiungitur, atque ita deſſignaretur diuerſitas in forma diuinitatis, quod eſt incoueniēs Item Thomas ab Argentina Varrill. & Nicol. de Niſſe. *d 4. q. 1. a. 3.*

D. Bonau. reſp. quod Deus generans, & Deus genitus, propter vnitatem in deitate non recipiunt nomina importantia ſimpliciter diſtinctionem, & ideo hæc non admittitur, Deus genuit alium Deum. Item Ægidius diſ. 4. par. prin. 2. q. vn. *d 4. q. 1. a. 4.*

Ricardus reſp. quod alius importat alietatem in generali, & cum ſit adiectiuum determinatur hæc alietas per ſignificatū nominis ſubſtantiui, cui adiungitur; & quoniam Deus eſt nomen ſubſtantiuum, ſi adiungitur ei hoc nomen alius notatur alietas in deitate, *d 4. q. 2.*

Digitized by Google

quod eſt inconeniens, & ideo hæc vt vera non conceditur, Deus genuit alium Deum.

d.4. q.1. Ioannes Scotus reſp. qnod cum Deus ſit de ſe hoc, cui repugnat alietas, alius eſſe non poteſt, & ideo etiam ſi Deus generet, non tamen poteſt generare alium Deum.

d.4. a.4. Petrus Aureol. reſp. quod hæc propoſitio Deus genuit alium Deum eſt propoſitio ſimpliciter falſa, nec ipſam veram facit etiamſi interponatur alium .ſ. qui eſt Deus, nam inter adiectiuum, & ſubſtantiuum non cadit aliqua interpoſitio, aliàs multæ propoſitiones eſſent veræ, quæ reputantur falſæ; cum itaque ly Deus ſit ſubſtantiuum, & ly alius adiectiuum, non licet aliquid interponere, & ſic eſt falſa.

d.4. q.vn. Gregorius reſp. quod ſi ly alium ſubſtantiuum eſt, propoſitio eſt concedenda vt vera, nam eſt ſenſus genuit alium, qui eſt Deus; ſi vero eſt adiectiuum falſa ex vi ſermonis; ſed quoniam de virtute ſermonis, & vſitatius, hic terminus alius additus alteri termino, & maximè ſubſtantiuo tenetur adiectiuè; ideo eſt propoſitio ſimpliciter neganda; Deus genuit alium Deum.

q.5. a.3. Petrus Aliac. reſp. quod iſta propoſitio eſt concedenda, Deus generat alium Deum ſub hoc ſenſu, alium .ſ. Deum in perſona, non in eſſentia, ideſt, aliã perſonam, quæ eſt Deus.

Reſolutio.

RESpondeo, quod in iſta propoſitione Deus generat alium Deum duplex inſinuatur alietas, vna ex parte generantis, & geniti, & altera ex parte deitatis, vnde ad hoc quod vt vera concedenda eſſet, eſſet neceſſarium, vt verificaretur ſecundum vtranq; alietatem, ſed quoniam licet ſit alietas ſecundũ perſonas, non eſt tamen alietas ſecundum deitatem, quoniã huiuſmodi perſonæ generãs .ſ. & genita ſunt vnus, & idem Deus; idcirco nec propoſitio eſt concedenda, Deus genuit alium Deum.

Obiectio. Sed ſi Deus generat alium, nonne Deum? & ſic alium Deum, aut non Deum, quod multo minus eſt admittendum.

Reſpondetur, quod Deus generat alium, ſed non alium Deum, vel alium non Deum, non alium non Deum, quoniam hæc non eſt ſua contradictoria, nec alium Deum, quia ſit varietas alietatis. Ita Scotus. Et Ricardus. Deus non generat, nec alium Deum, nec alium non Deum, ſed alium in perſona; non enim iſtæ propoſitiones ſunt contradictoriæ.

QVAESITVM XIII.

An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, Deus generat Deum qui eſt Deus pater?

ALex. reſp. quod iſta propoſitio non eſt concedenda vt vera, ſi iſti duo termini Deus, pater, referuntur ad ſubiectum; ſecus autem ſi iſte terminus Deus refertur ad ſubiectum, & iſte terminus pater, ad hunc terminum Deus, ita vt ſit ſenſus Deus generat Deum, qui eſt Deus pater, ideſt, qui eſt pater. q.1.

D. Thomas reſp. quod hæc eſt falſa Deus genuit Deum, qui eſt Deus pater, quia cum ly pater appoſitiuè conſtruatur cum ly Deus, reſtringit ipſum ad ſtandum pro perſona patris, vt ſit ſenſus genuit Deum, qui eſt ipſe pater, & ſic pater eſſet genitus, quod eſt falſum. Sed ſi intelligatur conſtructio non eſſe appoſitiua, ſed aliquid eſſe interponendum, tunc poteſt, vt vera concedi, ita vt ſit ſenſus, quod Deus genuit Deum, qui eſt Deus, qui eſt pater. Sed hæc (inquit) eſt extorta expoſitio, vnde melius eſt, quod ſimpliciter negetur. d.4. q.1. a.3.

Aegidius reſpondet, quod ly qui, aliquando facit ſuppoſitionem ſimplicem, vt dicendo mulier, quæ damnauit, ſaluauit, quãuis enim non fuerit eadem perſona mulieris, quæ fecit vtrunque, vtraque tamen mulier fuit; & aliquando facit ſuppoſitionem perſonalem, vt qui ſcripſit Bucolicam, ſcripſit, & Georgicam. Si itaque accipiatur ly qui, primo modo, ſic eſt vera propoſitio, quia gignens, & genitum eſt Deus, ſi vero ſecundo modo, non; quia non eſt eadem perſona gignentis, & geniti. d.4.

Gregorius reſpondet, quod Deus pater poteſt coniunctim proferri ſine interpoſitione cuiuſque expreſſa, aut intellecta; vel ſubintelligendo aliquam interpoſitionem; primo modo eſt propoſitio falſa, & ratio eſt, quia ly Deum in prædicato ſupponit pro perſona filij, & relatiuum illud, qui, immediatè ſequens ſupponit pro eodem; ſecundo modo verò, vt interponitur ly, qui eſt, ita vt ſit ſenſus, quod Deus genuit Deũ, qui eſt Deus, qui eſt pater, eſt vera; ſed quia hoc non eſt de virtute ſermonis, nec in vſu loquentium, ideo hæc potius eſt concedenda Deus genuit Deum, qui non eſt Deus pater. d.4. q.vn.

Ioannes Maior reſpondet, quod in hac propoſitione Deus genuit Deũ, qui eſt Deus pater, ly pater conſtruitur appoſitiuè ad ly d.4. q.vn.

Deus

Deus immediatè præcedens, & tunc Deus reſtringitur ad ſtandum pro perſona patris, & ſic propoſitio poteſt concedi vt vera.

diſp. 147 c.7. Gabriel Vaſq. reſp. quod quamuis idem Deus, qui eſt indiuiduum concretum deitatis ſit generans, & genitum, in hac tamen propoſitione ly Deus, ita reſtringitur ratione adiuncti, vt ſupponat pro perſona patris, & ſic propoſitio eſt falſa.

Reſolutio.

RESpondeo, quod idcirco eſt vera propoſitio, Deus generat Deum, quia pater, qui eſt Deus generat filium, qui eſt Deus, cum verò additur ad ly Deum, qui eſt Deus pater, talis additio poteſt facere duplicem ſenſum, vel quod pater qui eſt Deus, generat filium, qui eſt Deus, qui filius cum ſit Deus eſt Deus pater, de quo verificatur quod generat, & ſic eſt falſa, vel quod pater, qui eſt Deus generat filium, qui eſt Deus, qui tamen filius eſt ipſemet Deus, qui eſt pater, & ſic eſt vera, quando pater, & filius ſunt vnus & idem Deus. Ex quo ſimiles propoſitiones quamuis primo apprehenſæ ſint oneroſæ, ſenſim tamen ad veram, & facilem interpretationem reduci poſſunt, ſi pietas, & fides adſit.

Obiectio. Sed ſi Filius non eſt Pater? ergo etiam ſi verificatur, quod Deus generat Deum, quia Pater generat Filium, non tamen poteſt vllo modo verificari, quod generet Deum, qui eſt Deus Pater.

Reſpondetur quod ſi ly Deus accipiatur tantum ad ſtandum pro perſona patris, cum ei additur ly pater dicendo, qui eſt Deus pater, non eſt propoſitio vera, quia filius non eſt pater; ſed ſi accipiatur ad ſtandum pro his ex quibus conſtat, pro deitate .ſ. & pro perſona, pro Deo, & patre, vtique eſt propoſitio vera, & ſi non ex parte perſonæ, ex parte tamen deitatis, pater enim generat filium, qui filius eſt Deus, qui Deus eſt etiam pater.

QVAESITVM XIV.

An hæc propoſitio ſit concedenda vt vera, Deus non generat?

p. p. q. 39 a. 4. D. Thomas reſp. quod forma ſignificata per hoc nomen Deus .ſ. eſſentia diuina, eſt vna, & communis ſecundum rem ſingulis ſuppoſitis diuinis, vnde per ſe ſupponit pro natura communi, ſed ex adiuncto terminatur eius ſuppoſitio ad perſonam, vnde cum dicitur Deus generat, ratione actus notionalis ſupponit hoc nomen Deus pro perſona patris; ſed cum dicitur Deus non generat, nihil additur, quod determinet hoc nomen ad perſonam filij, vnde datur intelligi quod generatio repugnat diuinæ naturæ; quod ſi addatur, vtique vera erit propoſitio, vt ſi dicatur Deus genitus non generat Deum.

D. Bonau. reſp. quod cũ iſte terminus Deus dicat formam non plurificabilem, non differt ei præponere negationem, & poſtponere, ideo cum negatio præpoſita totaliter, & omnino a ſubiecto remoueat prædicatum, ſic & negatio poſtpoſita remouet totaliter prædicatum ab hoc termino Deus, cum dicitur, Deus non generat, quia remouet a quolibet ſuppoſito. Ita etiam Ricardus. *d. 4. q. 1.*

Ægidius reſp. quod cum dicitur Deus non generat, ly Deus ſtat pro ſuppoſito, ſed quia negatio non dicit diſtinctam relationem directè, neque etiam non generare aſſignatur proprietas alicuius perſonæ, non ſtat pro aliqua perſona diſtincta, ergo cum vnum ſit eſſe, & vna natura omnium perſonarum, ratione huius vnitatis, ſi non trahitur, vt diſtinctè ſtet pro aliquo, ſtat pro omnibus; cum itaque generare nõ remouetur a quolibet ſuppoſito, ideo non eſt locutio propria, Deus non generat. *d. 4. q. 1.*

Ricardus reſp. quod hoc nomen Deus inquantum ſignificat naturam non plurificabilem, habet naturam termini ſingularis; & ideo dicendo Deus non generat, negatur generare non tantum de filio, ſed de quocunque ſuppoſito diuinæ eſſentiæ. *d 4. q. 1.*

Henricus reſp. quod quia idem non poteſt conuenire, & non conuenire alicui, alioquin contradictoria verificarentur de eodem; idcirco ſi hæc eſt vera, Deus generat, non erit vera hæc, Deus non generat. Non eſt ergo hæc ſimpliciter vera, quia propoſitio quæ eſt vera de ſuppoſito, requirit etiam veritatem pro ſignificato, vt ſit vera ſimpliciter, eſt autem ſuum ſignificatum, vnum aliquid commune tribus. *a. 54. q. 3.*

Petrus Aureol. reſp. quod ſi loquamur ſecũdum naturam terminorum, ita æquè eſt vera iſta, Deus non generat, ſicut iſta, Deus generat, tum quia indefinita verificatur pro vno ſingulari, tum quia debet concipi per modum cuiuſdam ortri ſubſiſtentis; ſi ex accommodatione vſus, ſic non eſt concedenda, hæc enim eſt differentia inter indefinitam affirmatiuam, & negatiuam, quod affirmatiua æquipollet ſingulari, negatiua vniuerſali, quantum eſt ex communi vſu loquendi; cum itaque dicitur Deus generat, non intelligitur *d. 4.*

M 2 de

Digitized by Google

de omni, ſed cum dicitur non generat, intelligitur de nullo.

d.4. q.1. Guilelmus Occham reſp. quod ſicut iſta eſt vera de virtute ſermonis, Deus generat, quia verificatur de patre, ſic & iſta, Deus non generat, quia verificatur de filio; tamen propter hereticos ne decipiant ſimplices inferendo, quod ſi Deus non generat, non eſſet aliquis filius genitus, poteſt dici, quod hęc eſt falſa, Deus nō generat. Itē Adam Godam. d.33. q.2.

d.4. q.1. a.3. Thomas ab Argent. reſp. quod quamuis nō ſecundum artem, tamen ſecundum vſum hæc ab omnibus conceditur, vt vera, Deus generat, & a multis ſimpliciter negatur, Deus non generat.

d.4. q.1. Gregorius reſp. quod quãtum eſt ex vi ſermonis, & natura terminorum hæc propoſitio ſimpliciter eſt concedenda, Deus nō generat; aut enim Deus ſupponit pro natura communi, & tunc conſtat eam eſſe ſimpliciter veram, aut pro perſona, & tunc eſt indefinita tres habens ſingulares, quarum duæ ſunt veræ .ſ. Filius non generat, Spiritus ſanctus non generat; ad veritatem autem indefinitæ ſufficit alicuius ſingularis veritas, & ſicut iſtæ duæ ſunt veræ, perſona diuina generat, perſona diuina non generat, ſic & iſtæ ſunt veræ, Deus genuit, Deus non genuit; quamuis hęc vltima non ſit ſumenda in vſu, propter hæreticos, ne hac occaſione decipiant ſimplices.

d.7. ar.4 Ioannes Bacc. reſp. quod de virtute ſermonis hæc eſt concedenda, vt vera, Deus non generat, & probat. Quorumcunque contraria ſunt ſimul falſa, eorum ſubcontraria ſunt ſimul vera, & maximè in terminis accidẽtalibus: ſed iſtæ contrariæ ſunt falſæ in diuinis omnis Deus generat, nullus Deus generat, & generare, & non generare non ſunt termini ſubſtantiales, ſed relatiui, & quaſi accidentales; igitur ſubcontrariæ ſunt veræ, Deus generat, Deus non generat.

dei. q 10 Robertus Olchot reſp. quod iſta propoſitio apud Theologos non ſumitur pro indefinita, ſed magis pro ſingulari ſupponente pro perſona abſolutè, & ideo æquiualet iſti. Nihil quod eſt Deus generat, quod eſt falſũ.

q.5. a.3. Petrus Aliacenſis reſp. quod iſta eſt propoſitio vera, Deus non generat, quia ly Deus ſtat pro perſona filij, vel Spiritus ſancti; eſt enim indefinita. Item Steph. Brul.

d.4. q.un. Laurentius Opimus reſpondet, quod hæc eſt, vera Deus non generat, ſi non ſumitur eſſentialiter, ſed perſonaliter, cum ſit indefinita, ſufficit enim quod verificetur pro vna perſona, Deus autem filius non generat.

Michael de Palacio reſpondet, quod iſta propoſitio, hic Deus non generat, quæ in hac materia diuina æquipollet huic, Deus non generat, falſa eſt, namque ſubtrahitur generandi actio ab hoc Deo, qui cum ſit communis Patri, Filio, & Spiritu ſancto, ſequitur ex illa, quod diuinitati non competit talis actio generandi. d.4.

Reſolutio.

RESpondeo, quod iſta propoſitio, Deus non generat, eſt propoſitio indefinita, & ly Deus ſecundum quod ipſum primò apprehendit intellectus, ſupponit confuſè pro omni ſuppoſito diuino, & quoniam inter diuina ſuppoſita eſt vnum quod generat, ideo ſi negaretur generare de Deo, negaretur etiã de eo, quod eſt inconueniens; & propterea falſa eſt propoſitio, Deus non generat, ſicut ſalſa eſt iſta, homo non legit, vno tantum legente, cæteris vero non legentibus; poteſt tamen intellectus poſt primam iſtam apprehenſionem accommodare illum terminum ad ſupponendum pro perſona non generante, vt pro Filio, & Spiritu ſancto, & ſic eſſet vera propoſitio, Deus non generat, ſed eſſet accommodata, & artificialis conſtructio, non naturalis.

Sed ſic hæc conceditur, vt vera, Deus generatur, quare hæc etiam non conceditur, vt vera, Deus non generat? Sicut enim eſt proprium filij quod generetur, ita videtur per ſe competere ei, quod non generet. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod non ita importatur proprietas per non generat, ſicut per generetur, & ideo licet per iſtam proprietatem generatur, Deus ſtet pro filio dicendo Deus generatur, non tamen oportet, quod ſtet pro ſuppoſito filij cum additur ei negatio dicendo Deus non generat.

DISTINCTIO QVINTA.

Poſt hoc quæritur, Vtrum concedendum ſit, &c.

QVAESITVM I.

An diuina eſſentia generet?

GVilelmus Antiſiod. reſpondet, quod nominum ſignificantium eſſentiam quædam ſunt omnino abſtracta, vt eſſentia, deitas, quædam concreta, vt Deus, & quædam quaſi media inter abſtracta, & concreta, vt ſapientia, lumen; nomina itaque e.3. q.4.

itaque ſecundi, & tertij generis poſſunt trahi ad ſupponendum pro perſona, ſed non primi; vnde iſta propoſitio admitti non debet, eſſentia generat, quia non generat niſi ſuppoſitum. Ita etiam D. Bonau.

d.5. q.1. Alex. reſpondet, quod eſſentia, vt in ſe, conſideratur dupliciter, abſolutè vt deitas, & cum connotatione ordinis naturæ, qui eſt ordo originis, vt lux, bonitas, natura, & huiuſmodi; ſecundo modo admittit quidem prædicata notionalia, qualia ſunt generare, & ſpirare, licet tales locutiones propter periculum erroris non ſint extendendæ; ſed non primo, vnde non eſt admittenda hæc propoſitio, eſſentia generat.

tr.7. q.30. m.3 a.1. Albertus reſpondet, quod eſſentia diuina ſecundum modum ſignificandi per nomen tripliciter deſignari ſolet, aliquando abſtractè, & abſolutè, vt cum dicitur eſſentia, aliquando quaſi per modum concretionis; vt ſubſtantia, & Deus, & aliquando relata ad actum, vt natura, ſapientia, virtus, & huiuſmodi; ſecundo, & tertio modo trahitur ſæpe ad ſtandum pro perſona, & ſic de eo poſſunt prædicari notionalia; ſed primo modo, nequaquam, & ita non eſt vera propoſitio, eſſentia generat.

d.5. q.1. a.1. D. Thomas reſpondet, quod in diuinis eſſentia non differt realiter a ſuppoſito, ſed tantum ratione, vel ſecundum modum ſignificandi, quia ſuppoſitum eſt diſtinctum, eſſentia verò quid commune; & ideo quæcunq; prædicantur de ſuppoſito, non ſecundum modum, quo differt ab eſſentia, prædicantur etiam de eſſentia, eſſentia enim dicitur creare, iuſtificare, & huiuſmodi, ſed quæ prędicantur de ſuppoſito, ſecundum modum quo differt ab eſſentia, nõ poſſunt de eſſentia prædicari, & talis eſt actus generandi.

1.p. q.39. ar.5 Et iterum reſpondet, quod eſſentia ſignificat, vt forma abſtracta, & ideo non poteſt ſupponere pro perſona, vt dicatur eſſentia generat; generare enim competit perſonæ tanquam proprium eius diſtinctiuum, quod ſi competeret eſſentiæ eſſet diſtinctio in ea, quod eſt falſum.

d.5. Et Paulus Scriptor, Eſſentia (inquit) non poteſt ſupponere pro perſona, ideo eſt falſa. Eſſentia generat.

d.5. q.2. Ægidius reſpondet, quod generans, & genitum, quia conueniunt in forma, ſunt vnum in nomine, ergo ſi eſſentia generat, generat eſſentiam; aut ergo ſeipſam, aut aliam, ſi ſeipſam, ergo idem generat ſeipſum, quod eſt falſum, ſi aliam; ergo in diuinis ſunt plures eſſentiæ, quod eſt falſum.

d.5. q.1. Si eſſentia diuina generat (inquit Gregorius) aut generat eſſentiam, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum ſanctum, ſed nullum horum generat, quia nihil generat id, quod ipſum eſt, ergo &c.

a.39. q.3. Henricus reſpondet, quod nulla actio poteſt, aut debet attribui illi, quod ſe habet, vt alicuius, & ſicut exiſtens in alio, quia ſic ſaltem ſecundum modum ſignificandi attenditur ibi imperfectio, & potentialitas; ſed debet attribui ſolum ei, quod ſe habet, vt cuius eſt aliquid, quia tale conſideratur ſecundum rationem actualis, & perfecti, & quoniam eſſentia in diuinis eſt, vt aliquid alterius, & ſuppoſitum aliquid, vt cuius eſt, ideo eſſentiæ non poteſt, nec debet attribui agere, ſed tantum ſuppoſito.

d.5. q.1. Ricardus reſp. quod ſemper generans diſtinguitur a genito, & quoniã diuina eſſentia non diſtinguitur ab eſſentia, quia non a ſeipſa nec ab alia, quia non ſunt plures diuinæ eſſentiæ, nec a perſona, quia perſona prædicatur de eſſentia, & econuerſò; ideo non generat.

d.5. q.1. Ioannes Scotus reſp. quod pro ſententia Magiſtri quæ eſt, quod eſſentia non generat ſolẽniter approbata in Conc. Rhemenſi quantum ad ſuam realitatem, poteſt adduci ratio duplex; primò; quia eſſentia diuina eſt penitus indiſtincta generatio autem importat diſtinctionem; ſecundò, quia eſſentia ſe habet quaſi forma in perſona cui non conuenit generare; ſed quantum ad rationem logicam cur ſ. non verificetur hæc, eſſentia generat ſicut iſta, Deus generat, cum ſint idem; reſpondet, quod hæc eſt ratio, quia quandocũque aliquod ſubiectum eſt abſtractum vltimata abſtractione, & prædicatum ex ratione ſua non poteſt prædicari, niſi formaliter, non poteſt illa propoſitio eſſe vera, niſi ſit primo modo per ſe; cum autẽ eſſentia ſit ſubiectũ abſtractũ vltimata abſtractione, & ly generat non poſſit prædicari ex ratione ſua, niſi formaliter, ſeu per modum informantis: ideo non eſt propoſitio vera, eſſentia generat, ſicut iſta, Deus generat; quia non ſic abſtrahitur vltimata abſtractione, ſicut eſſentia, hoc nomen Deus, ex quo poteſt ſupponere pro perſona, vt cum dicitur Deus creat, Deus generat, & huiuſmodi. Item Antonius Andr. Guilel. Varrill. Nicol. de Orb.

d.5. ar.2 Herueus reſp. quod omnis propoſitio, in qua aliquid diuinum prædicatur de eſſentia, ſi tantum vnitas realis inter prædicatum, & ſubiectũ importetur in propoſitione illa, omnis talis eſt vera, ſiue prædicatum ſit eſſentiale,

Digitized by Google

le, ſiue perſonale, vt eſſentia eſt pater, eſſentia eſt res generans; ſi autem non importetur tantum identitas realis inter eſſentiam, & illud, quod prædicatur de ea, ſed etiam importetur diſtinctio realis ipſius eſſentiæ, cui tale prædicatum attribuitur ab aliquo exiſtẽte in diuinis, eſt propoſitio falſa, quia eſſentiam diuinam realiter diſtingui ab aliquo exiſtente, eſt falſum, & ita falſa eſt propoſitio, eſſentia generat.

d 5. Durandus reſp. quod generatio nulli com-
q.1. petit, tanquam ei, quod generat, niſi ſuppoſi-
d.5. to; actiones enim ſunt ſuppoſitorum, cum
§.1. itaque eſſentia diuina non ſit ſuppoſitum, ſequitur etiam, quod non competat ei, quod generet.

d.5. Guilel. Occham reſp. quod ſicut ſunt quæ-
q.1. dam prædicata, quæ dicuntur de aliquo mediante aliquo ſibi extrinſeco, ita ſunt quædam prædicata, quæ non poſſunt dici de aliquo, niſi de quo primò, & immediatè prædicantur, & huiuſmodi ſunt generare, & generari in diuinis, quæ non poſſunt dici primò, & immediatè niſi de ſuppoſito, & ideo prædicari non poſſunt de eſſentia.

d.5. Thomas ab Argentina reſp. quod actus no-
q.1. tionales actiui, quales ſunt generare, & ſpi-
a.1. rare non conueniunt diuinæ eſſentiæ, tanquam principio, quod; quod .ſ. generet, & ſpiret; primò, quia inter generans, & genitum, ſpirans, & ſpiratum, eſt ſemper diſtinctio realis; ſecundò, quia inter hæc eſt ſemper relatio oppoſita; tertiò, quia ſi eſſentia generaret, aut ſpiraret, generaret, aut ſpiraret eſſentiam, vel perſonam, quod inconuenit. Ita eſſentia eſt principium, quo (inquit Maro) quod nõ poteſt eſſe principium, quod, cui competat generare.

d.5. Guilel. Rub. reſp. quod excepta determi-
q.1. natione Eccleſiæ, quæ ad hoc, quod non intelligatur diuina eſſentia ab aliquo realiter diſtingui, non concedit, quod iſta propoſitio ſit vera, eſſentia generat; nulla ratio efficax pro eius probatione adduci poteſt.

det. Robertus Olchot reſp. quod Eccleſia non
q.10. negat tales propoſitiones, eſſentia generat, eſſentia non generat, propter aliquam rationem naturalem cogentem, ſed ſicut reuelatum eſt Eccleſiæ de re, quæ eſt Deus, quod eſt res vna, ita reuelatum eſt ei, quibus propoſitionibus debet vti in loquendo de Trinitate, & quibus terminis.

q.7. Petrus Aliac. reſp. quod iſta propoſitio,
ar.1 eſſentia generat, nedum non conceditur a doctoribus, ne videantur aliquam realem diſtinctionem ponere in diuinis; ſed etiam in ſe eſt falſa, quia iſti termini generare, & generari non ſupponunt, niſi immediatè pro ſuppoſito, & ideo non poſſunt prædicari de eſſentia.

Marſilius reſp. quod ſi eſſentia generaret q.9.
haberet eſſe relatum ad genitum, quod eſt a.1.
incõueniens; eſſent in filio ſimiliter duæ relationes, vna ad Patrem, & alia ad eſſentiam, & ipſe eſſet a duobus formaliter genitus, quia Pater, & eſſentia formaliter diſtinguuntur.

Michael de Pal. reſp. quod eſſentia non ge- d.5.
nerat, quia eſt communis, & quæ commu- q.1.
nia ſunt competunt ei, non quæ propria, & peculiaria perſonis.

Ludou. Mol. reſp. quod hæc eſt ratio ſuf- q.39.
ficiens propter quam Eccleſia diffiniuit, quod a.5.
eſſentia non generat, nam cum eſſentia in abſtracto propter modum ſignificandi non ſupponat pro perſona, ſi propoſitio eſſet vera, eſſentia generat, conueniret eſſentiæ generare ratione ſui, quod eſt falſum.

Gabriel. Vaſq. reſp. quod inter genitum, q.39.
& genitorem debet eſſe diſtinctio realis; cum enim opponantur relatiuè, non poſſunt non realiter diſtingui, ſed eſſentia in abſtracto ſignificata non poteſt diſtingui ab aliqua perſona generante, vel genita, igitur nec ei generare conuenire poteſt.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod eſſentia poteſt conſiderari tripliciter, vel quantum ad id, quod eſt, vel quantum ad id, quod ſignificat, vel quantum ad modum ſignificandi; ſi conſideratur quantum ad id, quod eſt, quoniam non eſt aliud quam tres perſonæ diuinæ ſimul ſumptæ, & indiuiſim, Pater .ſ. Filius, & Spiritus ſanctus; eſt enim ipſa vna, eademque, & indiuiſa in ſingulis, generare non poteſt, cum non omnes perſonæ ſimul ſumptæ, & indiuiſim, generent; ſi vero conſideretur quantum ad id, quod ſignificat, quoniam ſignificat formam denominantem eſſe diuinum, vel magis propriè loquendo, ſicut formam (eſſentia enim non ſignificat propriè formam) cum autem nulla forma eſſentia, vel ſicut forma agat; idcirco neque dici poteſt, quod eſſentia generet; ſi denique conſideretur quantum ad modum ſignificandi, quoniam ſignificat per modum abſtracti a quocunque ſuppoſito, nullum autem tale poteſt ſtare, vel ſupponere pro ſuppoſito, & ſit ſuppoſitum id quod agit, & generat, actiones enim ſunt ſuppoſitorum, idcirco non poteſt dici, quod eſſentia generet.

Sed ſi eſſentia eſt pater; pater autẽ generat?

Re-

Digitized by Google

Reſpondetur, quod cum dicitur eſſentia eſt pater, ly pater poteſt ſumi dupliciter adiectiuè, & ſubſtantiuè; ſi ſubſtantiuè ſignificat perſonã, cuius eſt paternitas, & ſic per identitatem propoſitio eſt vera, nam eſſentia eſt illa perſona, cuius eſt paternitas, quæ eſt pater, ſi verò adiectiuè ſignificat ipſam proprietatem denominatiuè (vt dicit Scotus) & ſic propoſitio eſt falſa, quia (vt dicit D. Thomas) proprietates non determinant eſſentiam. Et eſt reſponſio Alex. D. Thomæ, Aegidij, & Scoti. Dicunt Alphonſus, & Marſilius, quod eſſentia eſt Pater, & econuersò, ſed non conuertibiliter; ita vt nihil ſit eſſentia, quod non ſit Pater, & quod nihil ſit Pater, niſi quod eſt ipſa ſimpliciter eſſentia. Et Michael de Bononia, Eſſentia (inquit) eſt Pater identicè, non formaliter.

QVÆSITVM II.

An diuina eſſentia generetur?

d.5. q.2. RIcardus reſpondet, quod nunquam genitum de generante prædicatur, & quoniam eſſentia prædicatur de ſe, & de qualibet perſona, ideo nec a ſe, nec ab aliqua perſona generatur.

d.5. q.1. Ioannes Scotus reſpondet, quod ſicut eſſentia non generat, ita nec generatur, cum generari importet diſtinctionem, ipſa autem ſit indiſtincta; eſt ſimiliter quaſi forma in perſona, quia ea eſt, qua formaliter pater generat; formæ autem generari non conuenit, ſed ſuppoſito.

d.3. ar.2 Herueus reſp. quod eſſentia non generatur, nec ſubiectiuè, nec obiectiuè, nec ſicut relatum relatione geniti; non ſubiectiuè, quia nedum diuina eſſentia ſe habet, vt ſubiectum generationis, ſed dato etiam quod eſſet ſubiectum, adhuc non generaretur, quia ſubiectum tale eſt ingenerabile; non obiectiuè, ſiue per ſe, ſiue per accidens, quia ſoli illi conuenit obiectiuè generari, quod eſt productum per generationẽ; non ſicut relatum relatione geniti, quia nulla res refertur relatione reali, niſi ad aliud, eſſentia autem diuina realiter eſt idem cum omni eo, quod eſt in diuinis.

d.5. q.1. Durandus reſp. quod illud, quod generatur per ſe eſt ſuppoſitum, cuius eſt eſſe; ſicut ergo eſſentia non eſt illud quod generat, ſic nec eſt illud, quod generatur.

d.5. a.2. Petrus Aur. reſp. quod eſſentia nec etiam prout eſt in filio generatur; tum quia eſt eadem realitas cum eſſentia, prout eſt in Patre, & vna res, & eadem; tum quia nulla eſt diſtinctio in ea, prout in Patre eſt, & prout in Filio.

Franc. Maro reſp. quod eſſentia diuina nullo modo generatur, nec vt ſic ſimpliciter ſumpta; tum quia eſt vltimatè abſtracta; tum quia cum ſit primum quo, non poteſt eſſe quod; nec generatur ſaltem, vt quo, quia ſic comparatur quo, ad quod, ſicut principium formale generationis ad generans; nam eſſe generans eſt ſic eſſe agens; nec ſubiectiuè, quia cum ſit formalis terminus generationis, non poteſt eſſe eius ſubiectum. d.5. q.2.

Thomas ab Argentina. reſp. quod diuina eſſentia, nec per ſe, nec per accidens generatur; non per ſe, quia a nullo diſtinguitur in diuinis; non per accidens, quia habet eſſe per ſe, & in omnibus diuinis perſonis idem, nec illud de nouo acquirit, ſicut omne id, quod generatur per accidens. Item Gerardus: d.5. a.2.

Laurentius Opimus reſp. quod entitati primi entis, ſiue eſſentiæ, generari repugnat; quia cum ſit purus, & actualiſſimus actus, repugnat ei capere eſſe, & cum ſit entitas perfectiſſima repugnat ei capere eſſe dependens ab alio effectiuè, & cauſaliter, quod caperet, ſi ei paſſiua competeret generatio. d.5. q.vn.

Reſolutio.

REſpondeo, quod ſicut eſſentia diuina non generat, ita nec etiam generatur, neq; ſi conſideretur quantum ad id, quod eſt, quia cum ſit idem, quod perſonæ diuinæ ſimul ſumptæ, & indiuiſæ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, quamuis generetur Filius, non tamen generatur Pater, aut Spiritus ſanctus; neque ſi conſideretur quantum ad id, quod ſignificat, quia cum ſignificet quaſi formam, ac talis quaſi forma ſit vna, & eadem numero ſimpliciter in generante, & genito, non poteſt per generationem accipere eſſe in Filio, quod non accipit in Patre; neque tandem ſi conſideretur quantum ad modum ſignificandi, quia cum ſignificet per modum abſtracti a ſuis ſuppoſitis, conſideratur tantũ quo ad eſſe, non quo ad agere, & pati, quod eſt ſuppoſitorum proprium.

Sed ſi generatur Filius, eſſentia autem eſt in Filio? hoc autem videmus in nobis, quod generatis nobis, vel corruptis, ſecundum regulam Ariſt. generantur ea, vel corrumpuntur, quæ ſunt in nobis? Obiectio.

Reſpondetur, quod in nobis generatum non accipit naturam eandem numero, quam habet generans, ſed aliam quæ incipit in eo eſſe per generationem, & definit per corruptionem, & ideo generatur, & corrumpi-

pi-

Digitized by Google

pitur ſaltem per accidens; in diuinis autem Filius, qui generatur, accipit eandem numero naturam, quam habet Pater generans, & ideo talis natura, ſeu eſſentia non generatur, neque corrumpitur, neque per ſe, neque per accidens. Ita D. Thomas.

QVÆSITVM III.

An Filius generetur de eſſentia, ſeu de ſubſtantia Patris?

q. 42. m. 4 a. 1. ALexander reſpondet, quod iſta propoſitio de, vt cum aliquid dicitur de aliquo, poteſt capi quadrupliciter, aliquando materialiter, vt cum dicitur, quod cultellus eſt de ferro, aliquando ordinaliter, vt cum dicitur, quod de nocte fit dies, aliquando originaliter, vt cum dicitur radius eſt de Sole; & aliquando ſubſtantialiter, & hoc dupliciter, vel ſubſtantialiter, & partialiter, vt cum dicitur, quod pars eſt de toto, vel ſubſtantialiter, & originaliter, & hoc modo dicitur Filius eſt de ſubſtantia Patris; in qua locutione duplex habitudo notatur indiſtinctionis eſſentiæ, quæ eſt in Patre, & Filio, & originis, quæ eſt in Filio reſpectu Patris. Item D. Bonau. d. 5. art. 1. q. 2. & Steph. Brul.

p. p. q. 1. a. 3. D. Thomas reſpondet, quod hæc propoſitio de ſemper denotat conſubſtantialitatem, vnde quod aliquid dicitur eſſe de aliquo, poteſt dicere triplex principium conſubſtantiale, materiale .ſ. vt cum dicitur cultellus eſſe de ferro, actiuum, vt cum dicitur Filius eſſe de Patre, & formale, in formis duntaxat ſubſiſtentibus, vt cum dicitur, Angelus eſſe de natura intellectuali, & ſecundum hunc modum dicimus, quod Filius generatur de ſubſtantia Patris inquantum eſſentia Patris Filio per generationē communicatur, & in eo ſubſiſtit.

d. 5. q. 1. Ægidius reſp. quod Filius eſt de ſubſtantia Patris; tum quia eſt a Patre ſimplici, in quo nihil eſt, quod non ſit ſubſtantia eius; tum quia eſt Filius, ad hoc autem quod aliquis ſit Filius oportet, quod habeat vnitatem in natura, & in ſubſtantia cum Patre; tum quia procedit per modum naturæ, vnde oportet, quod ei natura Patris communicetur, & ita de natura Patris, quæ eſt eius ſubſtantia generatur; tum quia procedit per modum naturæ intellectualis, ex quo gignitur de ſcientia Patris, quæ eſt ſubſtantia Patris.

d. 5. q. 1. Ricardus reſpondet, quod Pater genuit Filium de ſua ſubſtantia, non partem ſubſtantiæ communicando ei, ſed totam; vnde per ly de notatur origo Filij a Patre, & quod ipſum Filius accepit a Patre eandem eſſentiam, quam habet Pater.

Ioannes Scotus reſp. quod per ly de in hac propoſitione, Filius eſt de ſubſtantia Patris, non tantum notatur efficientia, vel origo, ſic enim creaturæ eſſent de ſubſtantia Dei, nec notatur tantum conſubſtantialitas, quia tunc Pater eſſet de ſubſtantia Filij, ſed notatur ſimul originario, & conſubſtantialitas, vt .ſ. in caſuali huius præpoſitionis de denotetur conſubſtantialitas ſic, quod Filius habet eandem ſubſtantiam, & quaſi formam cum Patre, de quo eſt originaliter; & per illud, quod conſtruitur in genitiuo cum iſto cauſali, notetur principium originans, ita quod totales intellectus huius propoſitionis eſt iſte Filius eſt originatus a Patre, vt conſubſtantialis ei. Item Franc. Maro Nicol. de Niſſe Ioan. Maior. d. 5. q. 2.

Petrus Aureol. reſp. quod Filius eſt de ſubſtantia Patris, vt ly de notat ibi transfuſionem eiuſdem ſubſtantiæ per modum formæ ſymbolicæ, & communis, ſicut ſi Petrus generaret Linum in ipſum ſubſtantiam ſuam transfundendo, Linus diceretur de ſubſtantia Petri, quia conſubſtantialis illi. d. 5. a. 4.

Guilel. Occham reſp. quod Filius eſt de ſubſtantia Patris, non ſicut de materia, nec quaſi materia, ſed ſicut de aliquo, quod eſt ſibi conſubſtantiale, & ita eſt de ſubſtantia Patris ideſt de Patre, qui eſt Filio conſubſtantialis. Item Petrus Aliac. q. 7. ar. 1. d. 5. q. 2.

Thomas ab Argentina reſp. quod ſi ly de ſumitur, vt inſinuat circumſtantiam originis ſubſtantialis, ſiue principij ſubſtantialiter productiui, ſic eſt vera propoſitio, quod Filius eſt de ſubſtantia Patris; primò, quia habet eandem numero naturam, quam Pater, ſibi communicatam ab eo; ſecundò, quia Filius eſt verbum, verbum autem eſt de ſcientia Patris, & ſcientia eſt idem, quod ſubſtantia in Patre: ſi verò ly de ſumitur, vt inſinuat circumſtantiam cauſæ materialis, vel quaſi principij materialiter ſubiectiui, ſic Filius non eſt de ſubſtantia Patris. d. 5. & 4

Gregorius Arim. reſp. quod cum ſancti dicunt Filium eſſe natum de ſubſtantia Patris, denotatur conſubſtantialitas productiui principij, vnde eſt ſenſus, quod eſt natus a Patre qui eſt eadem ſubſtantia quod ipſe, & eius principium. Eodem ferè modo Michael de Palatio, & Varrill. d. 5. q. 2.

Guilel. Rubion reſp. quod per iſtam præpoſitionē de in hac propoſitione, Filius eſt de ſubſtantia patris, aut intelligitur, quod ſit d. 5. q. 2.

de

de ea tanquam de illo, quod eſt aliquid eius tantum, ita quod ly de, dicat circunſtantiam cauſæ formalis, & materialis, vel cuiuſcunque alterius partis, ex qua compoſitum dicitur eſſe, & ſic propoſitio eſt falſa; aut intelligitur quod filius, quia a Patre genitus, habet quod ſit eadem ſubſtantia cum ipſo; & ſecundum hunc ſenſum eſt vera; vnde ly de, importat cauſalitatem originatiuam, & conſubſtantialitatem.

diſp. 162 Gabriel Vaſq. reſp. quod ſibi placet eorum interpretatio, qui dicunt ly de, denotare formale principium, vel conſubſtantiale, quod idem eſt, ſi referatur ad eſſentiam, ſi verò referatur ad nomen Patris denotare ſimul principium originis.

Reſolutio.

RESpondeo, quod cum dicitur aliquid generari de aliquo, ly de dicit, vel circunſtantiam principij materialis, vt cum dicitur pluuia generatur de vaporibus, vel efficientis, ſeu productiui, vt cum dicitur calor generatur de igne; & quoniam eſſentia diuina reſpectu filij non habet rationem principij, neque materialis, neque efficientis, ſeu productiui; (idcirco) propriè loquendo) non poteſt dici, quod Filius generetur de ſubſtantia, ſiue de eſſentia Patris, quia tamen hoc modo loquendi plerumque vſi ſunt ſancti Patres, dicendum eſt, quod ſi ly de, non dicit circunſtantiã principij in ordine ad eſſentiam, dicit tamen rationem principij productiui in ordine ad perſonã Patris reſpectu filij, prout Filius per generationem habet eſſentiam ab eo, quæ eſt; vnde ſenſus eſt, quod Filius generatur de eſſentia, ſeu de ſubſtantia Patris, inquantum non generatur de aliquo extrinſeco Patri, cum ſit per generationem eadem eſſentia, qua Pater eſt, & quæ ſibi communicatur a Patre; & hoc modo loquendi vſi ſunt ſancti Patris ad inſinuandum, quod filius non eſt creatura, vt dicebat Arius, ſed eiuſdem naturæ, & eſſentiæ cum Patre? licet ergo non ſit proprius modus loquendi, Filius eſt de ſubſtantia, ſeu de eſſentia Patris, eſt tamen verùs, & rationabiliter introductus.

Obiectio. Sed ſi ly de, eſt præpoſitio tranſitiua, & omnis tranſitio diuerſitatem, ſiue diſtinctionem importat?

Reſpondetur, quod præpoſitio de, non importat tranſitionem reſpectu eſſentiæ, quæ eſt eadem in Filio, ſed ratione illius, cuius eſt eſſentia, ſcilicet perſonæ patris, qui quidẽ Pater diſtinguitur a Filio. Ita Alexander, & Ricardus.

QVÆSITVM IV.

An diuina eſſentia ſit ſubiectum diuinæ generationis?

D. Thomas reſpondet, quod id, quod producitur de materia ſit per tranſmutationem illius, de quo producitur in aliquam formam, & quoniam diuina eſſentia non eſt tranſmutabilis, neque alterius formæ ſuſceptiua, hinc ſequitur, quod diuina eſſentia in generatione filij non habeat rationem materiæ, ſiue ſubiecti. *p. p. q. 41. ar. 1*

Henricus reſpondet, quod quemadmodum in productione naturali materia eſt ſubiectum generationis, inquantum eſt in potentia ad formam, & per hoc ad compoſitum generandum de ea, ſic in generatione diuina, vt in generatione Filij, ipſa diuina eſſentia eſt quaſi ſubiectum generationis, & vt aliquid in potentia, licet neceſſariò ſemper coniuncta actui ad generandum de ea perſonam conſtitutam ex eſſentia, & proprietate, quæ eſt ſapientia genita. *a. 54. q. 1.*

Durandus reſpondet, quod in generatione filij eſſentia ſe habet ad ſimilitudinem materiæ, quantum ad ea, quæ imperfectionem non includunt; tum primo, quia ſecundum noſtrum modum intelligendi præexiſtit Filio in generando, & inexiſtit iam genito; tum ſecundò, quia Filius ex ea conſtituitur, & ex proprietate relatiua, quaſi actu perficiente; tum tertiò, quia recipit formam, per quam conſtituitur genitum, quæ eſt proprietas relatiua. *d. 5. q. 2.*

Petrus Aur. reſp. quod ratio materiæ, vt perfectibilis eſt imperfecta, Deus autem infinitè perfectus; & ipſa deitas perfectiſſima, quæ nullo modo actuari poteſt per filiationẽ, & perfici, & conſequenter non poteſt habere rationem materiæ in diuina generatione. *d. 5. a. 2.*

Thomas ab Argentina reſp. quod Deus eſt actus purus, & ſimpliciſſimus, in huiuſmodi autem actu non poteſt eſſe materia propriè dicta, nec aliquid ſe habens tanquam principium materiale; diuina eſſentia ſimiliter, prout eſt in Patre, eſt principium formale productiuum, prout eſt in filio eſt formalis terminus productionis, ex quo nullo modo poteſt eſſe principium materiale, aut gerere vicem cauſæ materialis. *d. 5.*

Gerardus reſpondet, quod conditiones ſubiecti generationis ſunt ſex; prima, quod ſit non ens. ſ. actu; ſecunda quod ſit ens ſecundũ potentiam; tertia, quod habeat annexam priuationẽ illius formæ, ad quam eſt in potentia; quarta, quod ſubijciatur non ſolum genera- *d. 5. q. 1. a. 1. 2.*

tioni, ſed etiam termino; ſexta, quod præexiſtat generationi, termino, & ei, quod generatur; ſexta, quod remaneat in genito: licet ergo diuina eſſentia non habeat has omnes conditiones; tres tamen ei poſſunt attribui, quod .ſ. ſit fundamentum generationis, (quod eſt idem, quod ſubiectum) generatio enim eſt quædam relatio, & eſſentia eſt fundamentum omnium diuinarum relationum; quod præexiſtat generationi, & ei quod generatur, & quod maneat in re genita, & ideo debet etiam concedi habere rationem ſubiecti diuinæ generationis.

d 5. q. 2. Gregorius reſpondet, quod eſſentia diuina non eſt ſubiectum diuinæ generationis; primò, quia non eſt realiter diſtincta a diuina generatione, omne autem ſubiectum generationis eſt diſtinctum realiter a generatione, cuius eſt ſubiectum; ſecundò, quia cum ſit actus purus, & ſimplex, non eſt perfectibilis per formam, ſicut eſt omne tale ſubiectum; tertiò, quia eſt actus per ſe ſtans, vnde non requirit ſubiectum; quartò, quia Filius ex ea non eſt genitus, tum quia eſt idem cum ea, tum etiam, quia nullum ſimplex eſt ex aliquo; quintò, quia ſic Filius includeret aliam, & aliam entitatem, eſſentiam, vt materiam, & aliam, vt formam, quod repugnat eius ſimplicitati. Et ideo dicit Petrus Aliac.

q. 7. a. 1. quod non eſt concedendum a catholicis diuinam eſſentiam eſſe ſubiectum, vel quaſi ſubiectum diuinæ generationis.

d. 4. Ioannes Bacc. reſp. quod eſſentia diuina eſt ſubiectum generationis, non quidem, vt habet rationem perfectibilis, & receptiui, quia hoc dicit potentialitatem, & imperfectionem, ſed vt habet rationem ſubſtrati, & deferentis actionem agentis; quod probat dupliciter; primò, quia generatio filij in illo priori, quo ſecundum ordinem naturalem præcedit terminum formalem acquiſitum per ipſam, neceſſe eſt, vt habeat aliquid poſitiuũ, cui innitatur, & hoc non poteſt eſſe niſi ſubiectum; ſecundò, quia ſicut creatio caret ſubiecto, ita ipſa generatio, vt a creatione differat, debet habere ſubiectum.

d 5. q. 1. Ioannes Maior reſpondet, quod filius eſt omnino ſimplex, nec diuina eſſentia eſt intrinſeca alicui perſonarum, tanquam aliquid earum, ſed eſt quælibet perſona diuiſim, & omnes tres copulatim, & ideo non dicit circunſtantiam materiæ.

q. 41. a. 3. Lud. Molina reſp. quod cum diuina eſſentia ſit actus purus, ac proinde forma ſubſiſtens, non ſatis caſtè loquuntur, qui dicunt habere ſe, vt materiam in generatione.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſi ad generationem in aliqua natura requiritur ſubiectum, requiritur propter tria, propter formam, propter priuationem, & propter compoſitum; propter formam, quia cum forma, quæ per generationem introducitur, non poſſit per ſe ſubſiſtere, indiget ſubiecto, vt ſit; propter priuationem, quia cum priuatio præcedat formam, non poteſt ipſam præcedere, niſi ſit in aliqua ſubiecta natura; propter compoſitum, quia compoſitum ſubſtantiale ex ſubiecto, & forma conſtituitur; ſi eſt ergo aliqua natura, in qua forma ſit per ſe ſubſiſtens, nulla ſit priuatio, nulla ſubſtantialis compoſitio, fruſtra etiam ponitur aliquid ſubiectum generationis in ea. Cum itaque in natura diuina, nulla ſit forma, quæ per ſe verè, & realiter non ſubſiſtat, cum vna ſit tantum forma, eaque perfectiſſima, & actualiſſima, nulla ſimiliter ſit priuatio, nullaque ſubſtantialis cõparatio, ſequitur quod nihil eſt, quod habeat rationẽ ſubiecti generationis in ea; non eſt ergo eſſentia ſubiectũ, ſeu aliquid habens ſe ad modum ſubiecti in generatione diuina.

Sed ſi eſſentia eſt fundamentum relationis? cur ergo non eſt accipienda, vt quaſi materia, ſeu quodam potentiale ſubiectum, ipſa vero relatio, actus, vel forma? Obiectio.

Reſpondetur, quod eſſentia eſt fundamẽtum relationis, ſed non quaſi potentiale recipiens ipſam, ſed quaſi per modum formæ, in qua talis forma nata eſt ſubſiſtere, non quidem per informationem, ſed ſicut ſubſiſtẽs in natura. Ita Scotus.

QVÆSITVM V.

An diuina eſſentia ſit terminus formalis diuinæ generationis?

D. Thomas reſpondet, quod in generatione diuina eſt duplex terminus, ipſum genitum, quod eſt perſona, & quod accipitur per generationem, quod eſt eſſentia; in ipſa enim eſt generatio, & eſt ad eam tanquam ad terminum ad quem, ex quo generatio omnis perficitur. d. 5. q. 1.

Ægidius reſp. quod ſi generatio ſumitur, vt ſonat in actionem, ſic termini eius ſunt gignens, & genitum, actio enim eſt media inter producens, & productum; ſi verò ſumitur, vt eſt aſſimilatio in natura, ſic eſſentia prout eſt in patre, virtute cuius ſit generatio, d. 5. q. 2.

eſt

Digitized by Google

eſt vnus terminus, quia eſt generationis principium, & eadem prout eſt in filio, & communicata ei, eſt alius terminus differens ſecundum modum ſe habendi.

n.39 q.5. Henricus reſpondet, quod tres ſunt modi actionis diuinæ, operatio, actio propriè dicta, & factio; ſi loquamur de actione, quæ eſt operatio, vt intelligere, & velle, quia iſti actus non habent alium finem a ſe, ideo idem eſt principium elicitiuum, & terminus; ſi de actione propriè dicta, vt eſt generatio, & ſpiratio, cum genitum, & ſpiratum ſint ſuppoſita, non poteſt eſſe ipſa eſſentia terminus, nec etiam per accidens; ſi verò loquamur de actione, quæ eſt factio, ſi talis actio conſideratur, vt eſt ab agente, quia non eſt niſi diuina voluntas, quæ non vult aliud a ſe, niſi volendo ſeipſam, ipſa eſſentia eſt terminus; ſi vero conſideratur, vt terminatur in factum, ſic non eſt terminus.

d.5. q.6. Ioannes Scotus reſpondet, quod eſſentia eſt terminus formalis generationis diuinæ, nō relatio; primò, quia eſſentia eſt formaliter infinita, non relatio; ſecundò, quia hoc etiā videmus in creaturis, quod terminus formalis generationis, non eſt proprietas indiuidualis, ſed natura; eſt enim vt dicit Ariſt. 2. Phyſ. c. 14. generatio via in naturam; tertiò, quia ſi eſſentia non eſſet talis terminus, generatio diuina non eſſet vniuoca; quartò, quia productio ponitur in genere, vel ſpecie ex ſuo termino formali; vnde ſi huiuſmodi terminus non eſſet eſſentia, ſed relatio, talis productio generatio non eſſet, ſed relatio, quod eſt falſum.

d.5. q.2. Herueus reſp. quod in generatione diuina, ſicut in quacunque alia generatione creata, duplicem poſſumus conſiderare terminum, a quo, & ad quem; itaque eſſentia diuina non eſt terminus a quo, nec quantum ad rem, nec quantum ad rationem, quia nulla eſt priuatio, & oppoſitio, a qua ſit, ſiue recedat; eſt tamen terminus ad quem, & non ſecundum rationem ſtrictè ſumptam termini ad quem, nec ſecundum quod eſt aliquid productum, ſed ſecundum quod eſt forma communicata per generationem.

d.5. q.1. Durandus reſp. quod principium, & terminus generationis videntur ſibi inuicem reſpondere; cum itaque non eſſentia, ſed relatio ſit principium, quo Pater generat, erit etiam terminus, quo Filius generationem terminat.

d.5. ar.4 Petrus Aur. reſp. quod ratio formalis termini in hoc cōſiſtit, quod capit quod ſit, & ſua realitas accipit, quod realitas ſit per productionem, ſicut ratio ſubiecti in hoc conſiſtit, quod recipit realitatem illam; & quoniam eſſentia per generationem non capit, vt realitas ſit, nec capit eſſe, tum quia iſta realitas iam eſt verè in patre facta, tum quia ſequeretur contradictio, puta quod eadem res haberet eſſe a ſe, & deinde ab alio; idcirco nō poteſt eſſe formalis terminus generationis.

Franc. Maro reſp. quod cum generatio ſit relatio, quiditas autem relationis ſit ad aliud, neceſſariò generatio habet terminum, & quoniā generatio præcedit Filium, & in illo priori non poteſt eſſe ſine termino, iſte terminus primus, non poteſt eſſe Filius, qui eſt terminus totalis, ſeu quod, dictus, ex eo quia poſterior eſt ipſa generatione, vt quid conſtitutum ex ea, ergo eſt alius terminus, qui eſt terminus formalis, ſeu quo; & talis eſt diuina eſſentia, quia non ſolum ſuppoſitum, quod producitur eſt de genere ſubſtantiæ, ſed etiam, quia ipſa tam intellecta in ſuppoſito, quam intellecta non vt in ſuppoſito eſt prima, & in ipſa primo generatio paſſiua fundatur. d.4. q.4.

Guil. Occham reſp. quod terminus formalis generationis eſt ille, qui habet eſſe ſimpliciter per productionem, & ideo ſola perſona eſt terminus formalis generationis diuinæ, nō eſſentia, quia non habet eſſe ſimpliciter per productionem, neque relatio, quia eſt idem realiter, & formaliter quod generatio nihil autem ſui ipſius poteſt eſſe terminus. d.5. q.3.

Thomas ab Argentina reſp. quod ideo eſſentia diuina eſt terminus formalis diuinę generationis, quia in ea Filius principaliter aſſimilatur Patri, & quia eſt Deus ratione deitatis, quæ non niſi per generationem communicatur ei. d.5. q.1. a.3.

Gerardus reſp. quod terminus generationis debet habere ſex conditiones, prima eſt, quod ante generationē non ſit aliquid ſecundum ſe, ſed ſolum in potentia paſſiua materię, & actiua agentis; ſecunda, quod habeat terminum oppoſitum .ſ. ipſam priuationem, quæ præexiſtit generationi ſecundum actum; tertia, quod exeat de potentia ad actum per generationem; & conſequenter generetur per accidens; quarta, quod in tali exitu communicetur, & acquiratur ſuppoſito, quod per ſe generatur; quinta, quod ſemper acquiratur per ſe, & primò, itaut denominet, & ſpecificet tam generationem, quam rem generatā; ſextò, quòd ſit ratio aſſimilandi genitum gignenti: licèt ergo diuina eſſentia non habeat omnes iſtas conditiones, nam illæ tres primæ, quia ex defectu proueniunt, ſibi repu- d.5. q.2. ar.23

Digitized by Google

gnant, tres tamen aliæ cum nullum defectum importent, poſſunt ſibi conuenire, & ſic habet ratione͂ termini formalis, acquiritur enim primò, & per ſe ſuppoſito, itaut generationem ſpecificet, & denominet, nam illa generatio dicitur naturalis, & diuina, propter diuinam naturam, quæ per eam acquiritur, & eſt ratio ſimiliter aſſimilandi Filium Patri, quæ eſt vltima conditio.

d. 5. q. 2. a. 2. Gregorius reſp. quod diſtinguendo terminum formalem a termino totali, ſeu per ſe generationis, diuina eſſentia neque eſt terminus totalis, ſiue per ſe, neque formalis; non totali s, ſeu per ſe, quia talis terminus eſt perſona, quæ generatur, nec ſimiliter formalis, aut quo, quia vbi terminus formalis diſtinguitur a termino per ſe, ibi terminus formalis eſt pars termini per ſe, eſſentia autem diuina propter ſuam ſummam ſimplicitatem, alicuius pars eſſe non poteſt.

d. 5. q. 2. Guilelmus Rub. reſp. quod eſſentia eſt terminus formalis generationis; non quidem tanquam illud, quod producitur, & in eſſe ponitur modo, quo in creaturis aliquid terminus productionis eſſe conceditur, ſed quia perſona, quæ producitur habet a perſona producente, quod ſit eadem eſſentia cu͂ ipſa.

d. 5. q. 1. a. 2. Ioannes Bacc. reſp. & probat tripliciter, quod eſſentia diuina eſt terminus formalis diuinæ generationis ratione qua producitur in Filio; primò, eſſentia datur Filio, ſed non ſicut terminus adæquatus, quia non generat, nec generatur; ergo ſicut terminus formalis; ſecundò, ſi in generatione filij non produceretur eſſentia in ratione termini formalis, Filius eſſet tantum Filius de Patre, & no͂ Deus, vt igitur ſit Deus ipſa eſſentia diuina producitur in ratione termini formalis; tertiò, generatio eſt ex ſimilibus ſimilia procreans, ergo ſicut eſſentia eſt principium formale generationis, ita & terminus.

d. 5. q. vn. Laurentius Opim.' reſp. quod ſolus Filius in eo quod eſt ſuppoſitum in diuinis eſt primò, & per ſe formalis terminus generationis; ipſe enim ſolus producitur, & ad ipſum ſolum terminat diuina generatio.

tr. 2 p. 2. c. 4. Nicolaus de Nijſe reſp. quod ideo eſſentia diuina eſt formalis terminus generationis diuinæ, quia eſt primò, in Filio per generationem actiuam in Patre, cum ſit perfectio Filij, & ſimiliter in ipſa fundatur generatio Filij paſſiua.

d. 5. q. 1. Ioannes Maior. reſp. quod eſſentia non eſt terminus diuinæ generationis, neque totalis, neque formalis, quia terminus formalis eſt forma producta, totalis verò totum, quod producitur; eſſentia autem nullo modo producitur.

Michael de Palatio reſp. quod terminus generationis eſt, quod verè eſt per generationem, vt hic ignis, non forma, quæ communicatur, & ſic eſt perſona in diuinis, non eſſentia, terminus. Item Ioan. a Cel. *d. 5. diſp. 1*

Guilel. Varrill. reſpondet, quod ſi eſſentia non eſſet formalis terminus generationis diuinæ, talis terminus eſſet relatio, & ſic generatio eſſet æquiuoca, cum filiatio non eſſet eiuſdem rationis cum generante; & ſimiliter deberet dici magis adaliquatio, quam generatio, quia vt dicit Ariſt. 5. Phyſ. motus ſpecificatur a termino. *d. 5.*

Franciſ. Suar. reſp. quod eſſentia, vt communicata Filio cum relatione tamen tanquam conditione neceſſaria, quæ eſt intellectio, eſt terminus formalis generationis. *li. 9 c. 9.*

Gabriel. Vaſquez reſpondet, quod circa hoc quæſitum communis ſententia amplectenda eſt, quæ affirmat terminum integrum productionis, quem vocant totalem, eſſe perſonam, formalem verò, eſſentiam. *diſp. 162 c. 4.*

Reſolutio.

RESPONDEO, quod per terminum formalem generationis aliquando poſſumus intelligere id, quod formaliter per generationem producitur, & aliquando id, quod per generationem communicatur genito, & in quo ſit aſſimilatio generantis ad genitum, quod eſt forma. Si itaque in propoſito per terminum formalem generationis diuinæ, intelligimus id, quod formaliter producitur, certum eſt quod non eſſentia, ſed perſona eſt terminus formalis generationis, quonia͂ ſola perſona producitur, & perficit, & terminat generationem; ſi verò intelligimus per terminum formalem ipſam formam, quæ communicatur per talem generationem genito, vtique poteſt dici ſecundum intentionem, & ſenſum multorum doctorum, quod eſſentia ſit talis terminus formalis generationis; ſed hoc valdè impropriè, ſicut enim aliud eſt generare, & aliud eſt, communicare, ita etiam propriè loquendo, alius eſt terminus communicationis, & alius productionis; cum ergo eſſentia ſit propriè terminus communicationis, non poteſt dici (niſi valdè impropriè) terminus generationis, & maximè cum terminare quamcunque productionem habeat rationem finis, finis autem perfecti, completi, & actualis.

Obiectio. Sed ſi eſſentia diuina datur Filio per generationem? quod fieri non poſſet niſi eſſet termi-

mi-

Digitized by Google

minus formalis huiuſmodi productionis.

Reſpondetur, quod aliud eſt communicari per aliquam productionem, ſiue dari, vt per generationem, & aliud eſſe terminum formalem illius productionis, ſpiratio enim actiua communicatur Filio, & datur ei, per generationem, & tamen non eſt qui dicat, eſſe terminum formalem generationis. Ita Aliacenſis.

QVÆSITVM VI.

An eſſentia diuina communicetur Filio per generationem?

d.5. a.2. q.2. D. Bonau. reſp. quod eſſentia diuina cum de ſe, vt quodam commune, ſit communicabilis, actu communicatur per illud, per quod fit, quod ſit in pluribus, hoc autem fit per generationem, & proceſſionem, per proceſſionem ergo, & generationem communicatur.

d.5. a.3. Petrus Aur. reſp. quod eſſentia diuina per modum formæ ſymbolicæ communicatur, nā per generationem transfunditur a ſuppoſito Patris in ſuppoſitum Filij; quandocunque autem aliqua forma manens eadem tranſit a ſuppoſito in ſuppoſitum, illa eſt ſymbolica, & ſymbolicè dicitur communicari.

d.5. q.3. Guilel. Occham reſp. quod communicari per productionem accipitur tripliciter, largè largiſſimè, & ſtrictiſſimè; & ſic illud communicatur quod habens eſſe in producente, capit eſſe in producto per illam productionem, & hoc modo, tam eſſentia, quam ſpiratio actiua cōmunicatur Filio per generationē.

q.5. Robertus Olchot. reſp. quod nihil propriè communicatur in diuinis, quia vbi aliquid communicatur, communicatur alteri a ſe; diuina autem eſſentia eſt eadem in tribus diuinis perſonis, dicitur autem communicari, vt communicabile ſumitur pro eodem.

q.7. a.2. Petrus Aliac. reſp. quod aliquid dari, vel cōmunicari alicui per productionem poteſt intelligi dupliciter, vno modo de virtute ſermonis, & ſic propriè, dari, vel communicari per productionem eſt habere eſſe in producto per ipſam productionem, & diſtingui ab eo; altero modo impropriè ad bonum ſenſum, & ſic aliquid dari, vel communicari per productionem eſt habere eſſe in producto, ſiue illud diſtinguatur ab eo, ſiue non, & hoc modo eſſentia datur, & communicatur Filio, quia Filius naſcendo habet a Patre non ſolum, vt ſit Filius, ſed etiam, vt ſit eſſentia, & generaliter, vt ſit, quicquid eſt.

Gabriel Vaſquez reſp. quod eſſentia dicitur communicari, non produci, quia inter rem communicantem, & rem communicatam denotatur tantum relatio rationis, ſed inter rem producentem, & productam relatio realis. q.19. a.5.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod quandocunque aliquid habet aliquid ab aliquo, quod ſit etiam in illo, a quo habet, tunc illud dicitur communicari ei, & quoniam communicatio ſonat in actionem, non niſi ſecundum illam, ſecundum quam operatur in eo; cum itaque Filius habeat eſſentiam diuinam, & hanc non habeat a ſe, quia Filius nihil habet a ſe, ſed quicquid habet, habet a patre, idcirco cum ſit talis eſſentia in patre, dicitur communicari ei, & non niſi per generationem, quoniam nulla alia eſt actio diuina præter generationem, per quam pater operatur in filiū, dando illi eſſentiam, & eſſe.

Sed ſi illud, quod communicatur alicui eſt aliquid adueniens ei, & conſequenter diſtinctum? nihil autem tale eſt in diuinis. Obiectio.

Reſpondetur, quod quando aliquid communicatur alicui habenti eſſe, & præſuppoſito iam in eſſe, vtique eſt aliquid adueniens ei: ſecus tamen, ſi non præſupponitur in eſſe, ſed idem eſſe communicatur ei, tunc enim id, quod communicatur, non eſt aliquid adueniens ei, ſed idem eſt, quod ipſum.

QVÆSITVM VII.

An Filius generatur de nihilo?

D. Thomas reſpondet, quod hæc eſt differentia inter veram generationem, & factionem, & generans, & faciens, quod generans generat aliquid de ſeipſo, faciens autem facit aliquid de exteriori materia, vel de nihilo, vt Deus; Filius ergo, quia verè generatur a patre, & eſt propriè filius, genitus, non factus, idcirco non de nihilo generatur. 1. p. q.41. a.3.

Ægidius reſpondet, quod aliquid eſſe ex nihilo poteſt intelligi tripliciter, vno modo materialiter, ſiue ſubſtantialiter, ita quod ipſum nihil ſit materia, vel ſubſtantia ipſius, alio modo ordinaliter, & ſic ſunt ex nihilo, quæ ſunt prius nihil; tertio modo negatiuè, & ſic aliquid dicitur ex nihilo, quia non eſt ex aliquo; nullo autem iſtorum modorum filius eſt ex nihilo, non primo, quia procedit a patre, vt verbum a dicente; non ſecundo, quia hoc modo aliquid dicitur de ni- d.5. q.2.

ni-

per violentiam : generatio ergo in diuinis eſt
neceſſaria neceſſitate abſoluta, non conditio-
nis , nam neceſſitas primæ cauſæ non eſt con-
ditionata.

f. D.Bonau reſp. quod alia eſt neceſſitas vio-
. lentiæ, alia coactionis, alia indigẽtiæ, alia ine-
uitabilitatis , alia exigentiæ , & alia immuta-
bilitatis , & hac neceſſitate Pater generat
Filium.

6. Ægidius reſp. quod neceſſarium ſumitur
2. quadrupliciter per comparationem ad qua-
druplicem cauſam ; ad cauſam materialem ,
& hæc apellatur neceſſitas indigentiæ ; ad
formalem , & dicitur neceſſitas exigentiæ ,
& immutabilitatis ; ad efficiẽtem , & dicitur
neceſſitas coactionis; & ad finem. Pater ergo
nulla neceſſitate generat filiũ niſi exigentiæ ,
ſeu immutabilitatis, immutabiliter enim ſe ha
bet ad generationem filij , cum ſua natura
exigat talem actum .

.6. Ricardus reſp. quod neceſſitas eſt triplex,
.1. indigentiæ, coactionis , & immutabilitatis ;
& hac neceſſitate Pater generat filium .

d.6. Durandus reſp . quod triplex eſt neceſſitas
q.1. coactionis, ſeu violentiæ, expedientiæ, ex ſup-
poſitione finis , & immutabilitatis; prima ne-
ceſſitas nullo modo eſt in Deo; ſecunda quoad
actus tranſeuntes in exteriorem materiam, nõ
immanentes ; tertia eſt in Deo quoad actus
immanentes ; & hac ſumma neceſſitate Pater
generat Filium in diuinis .

d.6. Herueus reſp. quod licet in Deo non ha-
q.7. beat locum neceſſitas coactionis, cum ſit pri-
ma cauſa, nec neceſſitas ex ſuppoſitione finis
cum ſit vltimus finis , nec quæcunque neceſ-
ſitas abſoluta , cuius ſit dare aliam cauſam ,
eſt tamen ibi neceſſitas abſoluta immutabilita
tis, cuius nulla eſt alia cauſa, ſecundum quam
Deus non poteſt eſſe aliter, quam ſit.

d.6. Petrus Aur . reſp. quod filius producitur a
a.3. Patre neceſſitate immutabilitatis , quæ oppo-
nitur contingentiæ , eſt enim omnino neceſſe
eſſe ; & ſimiliter neceſſitate indigentiæ , non
quidem formalis , qua .ſ. dicitur indigere li-
gnum album albedine, ad hoc , vt ſit album ,
ſed obiectiuè, qua .ſ. indiget Pater in huma-
nis filio , ad hoc , vt ſit Pater, & ſic Pater in
diuinis indiget filio tanquam obiecto , & ter-
mino ſuæ perfectionis , non enim ſine filio
eſſet, neque intelligeret .

d.6. Franciſc. Maro reſpõdet, quod eſt quadru-
q.3. plex neceſſitas , vna , quæ opponitur contin-
gentiæ , alia quæ vocatur violentia, tertia in-
digentiæ , & quarta exigentiæ , & hæc be-
ne (inquit) ponitur in Deo , quia ex per-
fecta, & abundanti fœcunditate Pater coexi-
git Filium ; neceſſitate item antecedente , &
concomitante, non conſequente, nec elicien-
te , niſi ſicut conditione elicientis, & pro-
ducentis .

Thomas ab Argentina reſp. quod Pater ge- d.6.
nerat filiũ, non quidem neceſſitate indigentiæ, q.2.
aut coactionis , ſed exigentiæ , & immutabi-
litatis, & etiam conditionata, reſpectu cauſæ
finalis , licet non propriè .

Gerardus reſp. quod in Deo non eſt neceſ- d.6.
ſitas indigentiæ, quia ibi nulla indigentia eſt, q.7.
vel defectus ; non violentiæ , quia nulla cauſa a.1.
eſt ſupra eum , a qua violentari poſſit ; non
influentiæ , quia nulla eſt cauſa , a qua poſſit
influxum accipere ; non expedientiæ , quia
quod ordinatur ad finem eſt minus dignum
ipſo fine ; ſed bene exigẽtiæ, & hac neceſſitate
Pater generat filium , nam diuina generatio
prouenit immutabiliter ab exigentia diuinæ
naturæ, & eius actualitatis .

Gregorius reſp. quod eſt neceſſitas indigẽ- d.6.
tiæ, neceſſitas coactionis, & neceſſitas immu- q.7.
tabilitatis , ſeu vt verius dicatur , ineuitabili-
tatis , nam neceſſitas ſic ſumpta non ſtat cum
contingentia , ſicut ſtat immutabilitas ; Pa-
ter ergo non generat filium neceſſitate indi-
gentiæ , nec coactionis , ſed bene ineuitabi-
litatis, quoniam Pater non poteſt non eſſe Pa-
ter, & Filius eſt ſemper neceſſe eſſe , quia
Deus . Item Guilel. Rubion, Marſilius, Ioã-
nes Maior , & Ioan. a Gelaia .

Laurentius Opimus reſpondet , quod im- d.6.
poſſibile eſt patrem non generare , & poſſe q.vn.
in actum oppoſitum ; & ſic principium gi-
gnendi verbum in eſſe ſuppoſitali habet ra-
tionem neceſſitatis , & immutabilitatis .

Nicolaus de Nijſe reſpondet , quod Pater tr.1.
generat Filium neceſſitate immutabilitatis , p.2.
quia impoſſibile eſt , quod non generet ; & q.12.
neceſſitate exigentiæ , quia memoria Patris
cum ſit perfecta , & fœcunda coexigit ver-
bum perfectum , & adæquatum .

Michael de Pal. reſp. quod Pater nõ neceſ- d.6.
ſitate generat Filium , ſi per neceſſitate gene disp.7
rare intelligitur coactè generare , ſponte .n.
& libenter generat Filium ; nec ſimiliter vt
neceſſitas dicit principium generandi Filium,
quia principium generandi eſt perſona , ſed
bene, vt neceſſitate generare, idem importat ,
quod naturali neceſſitate generare , tali enim
naturali neceſſitate Pater generat Filium .

Guilelmus Varrillong. reſpondet , quod d.6.
in ratione agentis Pater neceſſitate generat
Filium , tum quia iſta productio eſt ad intra,
omne autem, quod eſt ad intra in Deo eſt ne-
ceſſarium, tum verò quia ſi neceſſario non
ge-

generaret, poſſet mutari quod eſt impoſſibile.

Ludou. Molina reſpondet, quod generatio Filij eſt neceſſaria neceſſitate naturali, vt neceſſarium id dicitur, quod ſuaptè natura non poteſt aliter ſe habere. non verò neceſſitate coactionis. Item Eſtius.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut ſplendere eſt actus de intrinſeca ratione, & quiditatiua Solis, non enim eſſet Sol, ſi non ſplenderet, & propterea dicitur ipſe Sol neceſſitate ſplendere, quæ neceſſitas potius debet dici naturalis, quam immutabilitatis, vel ineuitabilitatis, aut exigentiæ, cum tales neceſſitates non ita veniant ab intrinſeco ſicut iſta; ita & in propoſito dicendum eſt, quod quia generare in diuinis eſt actus de intrinſeca ratione, & quiditatiua Patris, non enim Pater eſſet, ſi non generaret; idcirco Pater dicitur de neceſſitate generare, quæ neceſſitas cõgruentius dicitur naturalis, quam quocunque alio indicetur termino, cum ſit de natura, ſeu de ratione intrinſeca perſonę Patris, generare.

Obiectio. Sed ſi dicit D. Hylar. li. de Syn. quod Pater non naturali neceſſitate ductus genuit Filiũ?

Reſpondetur, quod auctoritas D. Hylarij inducitur contra eos, qui a generatione Filij etiam paternæ voluntatis concomitantiam remouebant dicentes, ſic eum natura genuiſſe Filium, vt tamen voluntas generandi ei non adeſſet, ſicut & nos multa naturali neceſſitate contra voluntatem patimur, vt famem, mortem, & huiuſmodi. Ita D. Thomas.

QVÆSITVM II.

An Pater generet Filium natura?

d.6. q.1. AEgidius reſp. quod Filium Dei eſſe Filium natura poteſt dupliciter intelligi, vno modo formaliter, & ſic eſt locutio falſa, quia ſic Filius eſt filiatione Filius, ſicut Pater paternitate Pater; vel poteſt ſe habere in ratione principij deſſignantis originem, & tunc locutio eſt vera, quia natura eſt illud, cuius virtute ſit generatio.

a.60. q.1. Henricus reſpondet, quod natura in diuinis quadrupliciter ſumitur; primò pro ipſa diuina eſſentia; ſecundò, pro principio actiuo naturali, & ſic natura eſt vis productiua ſimilis ex ſimili; tertiò, pro qualibet vi exiſtẽte naturaliter in natura primo modo ſumpta, etiam libera; quartò, pro incommutabili neceſſitate circa aliquem actum; Primo modo itaque natura concurrit ad actum generationis non quidem elicitiuè; ſed ſubiectiuè; ſecundo modo verò elicitiuè; tertio, & quarto modo cõcurrit ad Spirationem Spiritus ſancti.

Ricardus reſp. quod cum generatio ſit productio exiſtentis de exiſtente ſecundum operationem naturæ, & verè Pater genuerit Filium, verè etiam genuit ipſum per naturam, ſeu natura, vel per modum naturæ. *d.6. q.3.*

Durandus reſp. quod ſi conſideretur habitudo virtutis productiuæ in diuinis ad actum producendi, ſic quelibet perſona procedit per modum naturæ, quia quælibet perſona producitur ex neceſſitate immutabilitatis, & virtute determinata ad vnum; ſi conſiderentur ſuppoſita producentia, ſic Spiritus ſanctus procedit per modum voluntatis, Filius autem per modum naturæ, quia modus naturæ in creaturis eſt, qnod vnum ſit ab vno tantum, & non a pluribus eiuſdem gradus, & ordinis, quorum quodlibet eſſet per ſe ſufficiens ad totum perfectè faciendum; ſi autem attendatur ordo productorum, & productionum, ſic Filius dicitur procedere a Patre per modũ intellectus, ſicut Spiritus ſanctus per modum voluntatis, cum in imagine creata, quæ attenditur ſecundum potentias, & actus naturæ intelliectualis, prima emanatio ſit ſecundum intellectum, altera verò ſecundum voluntatem. *d.6. q.2.*

Petrus Aur. reſp. quod Filius procedit natura, non ratione alicuius principij productiui, ſed ratione modi productionis, eſt enim quædam ſimilitudo manens intra producens, cum namque eius productio non ſit elicita, eſt illatiua ſimilitudinis, & imaginis, videlicet eſſe conſpicui, & notitiæ obiectalis, & intra conceptum paternum obiectiuè. *d.6.*

Franc. Maro reſp. quod ideo productio verbi dicitur naturalis, quia eſt a principio naturali ſ. memoria fœcunda, quæ continet eſſentiã cum intellectu, quorum quodlibet principiat naturaliter. *d.6. q.4.*

Laurentius Opim. reſp. quod cum ſit impoſſibile Patrem producere Filium modo contingentiæ, neceſſe eſt ipſum producere naturali indagine, quia omnis productio diuina, vel eſt per modum amoris, vel naturæ, cum igitur ipſum non producat per modum amoris, producit per modum naturalis indaginis. *d.7.*

Reſolutio.

RESpondeo, quod cum natura ſit radix, & fundamentum omnium operationũ, cuiuſcunque agentis neceſſarij, & per ſe, illud agens dicitur agere natura, quod habet

bet ab intrinſeco, vt agat, & neceſſariò, & per ſe agit, ipſa .ſ. natura tanquam radice, & fundamento. Cum itaque Pater in diuinis habeat ab intrinſeco ſui, quod generet Filium, ipſumque neceſſariò, & per ſe generet, hoc eſt enim de quiditate Patris, quod generet, idcirco dicitur generare filium natura, quatenus .ſ. natura eſt radix, & fundamentum talis actionis in eo.

Obiectio. Sed ſi natura eſt quid commune etiam Filio, & Spiritui ſancto?

Reſpondetur, quod ſi Pater generat natura, non generat tanquam principio ſufficienti per ſe, & ſolo, ſeu ſecúdum quod huiuſmodi, ſed prout eſt in Patre, quæ eſt perſona fœcunda, nullam repugnantiam generandi habens, ſicut habent Filius, & Spiritus ſanctus.

QVÆSITVM III.

An Pater generet Filium arte?

d. 6. q. 1. AEgidius reſpondet, quod Filius non procedit arte, vt ars ſumitur in habitudine principij, eſſet enim ſenſus, quod ars eſſet ratio, qua re Filius procederet a Patre, quod eſt falſum, cum ſit talis ratio natura; ſed ſi ars ſumitur in vi declarationis eſſentiæ, vel naturæ, ſiue naturalis originis, vel non eſt conſtructio tranſitiua, ſed appoſitiua, ita vt ſit ſenſus, quod ipſe Filius procedit, vt ars Patris ab eo, ſic verũ eſt, quod Filius procedit a Patre per modũ artis, vel quod generatur arte. Item Herueus.

d. 6. q. 4. Ricardus reſpondet, quod Filius procedit a patre, vt ars, non vt exemplatus ſecundum aliquam artem, ſicut procedit quælibet creatura, ſed vt ratio exemplandi alia.

Reſolutio.

REſpondeo, quod cum nõ propriè aliquid dicatur generari arte, ſed natura, cum generatio ſit aſſimilatio in natura, largè tamẽ generari ſumitur pro produci, ita vt ſit ſenſus An generet Pater Filium arte .i. an producat eũ ſecundum artem, ad modum .ſ. quo artifices aliquid producunt; eſt autem arte producere, ſeu ſecundũ artem, producere ex principio ſibi extrinſeco, quod eſt exemplar, aliquid ſimile ei producere, & quoniã nihil eſt extrinſecũ Patri, ad cuius exemplar Filium producat, quamuis producat ſimilem ſibi; ideo arte ipſum non producit, ſed natura, vt dictum eſt, quia ſibi ſimilem producit.

Sed ſi Pater producit Filium cum ratione? eſt enim Filius verbum, verbum verò partus mentis, ars autem (vt dicit Ariſt. 3. Ethic. c. 3.) eſt habitus cum ratione in faciẽdo.

Reſpondetur, quod Pater producit Filium ratione, non quod ratio ſit principium in tali productione; ſed prout eſt conditio conſequens eius naturam, quæ eſt intellectualis, vnde ratio ſumitur pro intellectu, ſeu potentia, non operatione, & propoſito, qualis eſt ratio, quæ ingreditur diffinitionem artis aſſignatam ab Ariſtotele.

QVÆSITVM IV.

An Pater generet Filium voluntate?

ALex. Alenſ. reſpondet, quod voluntas diſtinguitur in conditionalem, & abſolutam; conditionalis, in trahentem, & impellentem; abſoluta, in antecedentem, concomitantem, & accedentem. Pater itaque generat Filium non voluntate conditionali, ſed abſoluta, & hac nõ antecedente, nec accedente, ſed concomitãte. q. 42. m. 5. a. 1.

Albertus reſp. quod voluntas diſtinguitur in antecedentem, & concomitantem, concomitans, in concomitantem actum interiorem ſubſtantialem naturalem, & concomitantem actum exteriorem, qui terminatur ad opus creatum; Pater itaque generat Filium voluntate concomitante primo modo, non ſecũdo. q. 33. m 3 ar. 2

Et iterum reſpondet, quod Pater generat Filium voluntate, non quidem antecedente, aut accedente operi, vel volenti, ſed concomitante. d. 6. ar. 1

D. Thomas reſpondet, quod voluntas poteſt comparari ad aliquid dupliciter, aut ſicut potentia ad obiectum, aut ad principium; ſi primo modo, quoniam ſic omne volitum a Deo poteſt dici voluntas eius, ita cõcedi poteſt quod Pater generando Filium generet voluntate, ſi ſecundo modo, ſiue illud ad quod comparatur dicat rationẽ principiandi, ſiue principiatum, nullatenus concedi poteſt quod Pater generet Filium voluntate. d. 6. q. 1. a. 2.

Et iterum reſpondet, quod cum dicitur aliquid eſſe, vel fieri voluntate, poteſt dupliciter intelligi, vno modo, vt ablatiuus deſſignat concomitantiam tantũ, & ſic poteſt dici, quod Pater generet Filium voluntate; alio modo vt ablatiuus importat habitudinem principij, & ſic Pater non generat Filium voluntate, nam hoc modo producit creaturas. p. p. q. 41. a. 2.

D. Bonau. reſp. quod Pater generat Filium voluntate, vt in ratione approbantis, & diligentis, & ſimiliter, vt in ratione principij d. 6. q. 2.

producentis naturæ coniuncti ipſam concomitantis, non tamen ipſum generat, vt habet rationem principij diſtincti contra naturam accedentis, vel antecedentis, nec coniuncti naturæ ipſam concomitantis.

d. 6. q. 2. Ægidius reſp. quod comparando per ſe, & directè voluntatem ad actum generationis diuinæ poteſt conſiderari dupliciter, vel vt dicit rationem principij, vel vt dicit quandã complacentiam, ſi vt dicit rationem principij poteſt intelligi tripliciter, vno modo, quod ſit accedens, alio modo, quod ſit antecedens; tertio modo, quod ſit coæua, Pater itaque nullo modo generat Filium, vt dicit rationem principij, non primò, quia ſic contingeret error Eunomij, non ſecundo, quia ſic contingeret error Arij, non tertiò, quia ſic contingeret error Sabellij; generat ergo eum voluntate, vt voluntas dicit complacentiam, maximè enim Pater ſibi complacet in generando Filium.

d. 6. q. 2. Ricardus reſpondet, quod Pater non generat Filium voluntate antecedente, nec cõſequente. nec actum eliciente, ſed concomitante, & approbante, quia Pater per ſuam voluntatem illam generationem approbat, eo quod ipſam amat, & vult.

d. 6. q. vn. Ioannes Scotus reſpondet, quod Pater generat Filium volens, non quidem voluntate vt principio productiuo, ſiue proximo, quia ſic producit Spiritum ſanctum, ſiue remoto, quia hæc productio eſt poſterior, quam productio intellectus; ſed voluntate antecedente, & conſequente; Pater enim in primo ſigno originis intelligit formaliter, ergo põt etiã habere actũ volendi formaliter, & ſic generare voluntate antecedente; in ſecundo ſigno gignit Filiũ, nec tñ vult illam gignitionẽ, volitione ſequente illam gignitionẽ, ſed volitione habita in primo ſigno originis, quia volitione Pater formaliter vult, præſuppoſita aliquo modo intellectione, qua Pater intelligit, non autẽ gignitione verbi, & ſic Pater volens, nõ tantũ voluntate conſequente, ſed etiã antecedente generat filium. Item Antonius, Andreas, & Nicolaus de Orbellis.

d. 6. q. 2. Petrus Aureolus reſpondet, quod filij productio non eſt abſolutè a voluntate eliciente; nam quod eſt ab huiuſmodi voluntate, vel eſt ipſemet actus voluntatis, vel aliquod emanans ab eo, actus quidem, vt amor, emanans verò, vt ſpiritus amoris; filius autem, nec emanat, vt amor, neque vt ſpiritus amãtis; neque etiam eſt a voluntate imperante, quoniam cum actus intellectus præcedat actum voluntatis, nullus actus intellectus imperatur a voluntate in Deo; ſed ã voluntate complacentiæ concomitante, Pater enim ſibi complacet in productione filij, vnde volens generat Filium, hæc autem volitio non eſt præueniens, nec ſubſequens, ſed concomitans in nunc æternitatis.

Franciſcus Maro reſpondet, quod cum voluntas ordine naturæ, vel ſaltem naturalis intelligentiæ, ſit prior proprietate perſonali, cum ſit actus eſſentialis, Pater generat Filium voluntate antecedente; & cum ſimiliter ſint ſimul in eodem inſtanti æternitatis, generat eum etiam voluntate concomitante; cum tamen voluntas, nec ordine naturæ, nec originis ſit poſterior productione; non ipſum generat voluntate conſequente, nec ſimiliter eliciente, quia tali voluntate producit Spiritum ſanctum. Item Nicolaus de Nijſe, & Guilelmus Vartill. d. 6. q. 1.

Guilelmus Occham reſp quod in hac propoſitione, ly voluntate poteſt ſumi dupliciter, aduerbialiter, & nominaliter, ſi aduerbialiter, vel ſecundũ quod eſt idem, quod voluntarium, & ſic concedendum eſt; vel ſecundum quod eſt idem, quod contingenter, & ſic negandum; ſi verò nominaliter, ſiue iſte ablatiuus conſtruatur in ratione alicuius formaliter denominantis, ſiue in ratione alicuius principij; nullo modo eſt concedenda. Item Petrus Aliacenſis. q. 1.

Thomas ab Argentina reſpondet, quod voluntas, vt ad præſens ſpectat, poteſt ſumi dupliciter, vno modo pro potentia volitiua, ſeu principio productiuo; alio modo pro actu perfecto ipſius potentiæ volitiuæ; ſecundo modo, Pater generat Filium voluntate, quia complacenter, & vt verbum, quod ſine amore produci non poteſt; non primò, quia nec voluntas eſt potentia prima, nec Filius procedit per modum amoris. d. 6. q. 2.

Gerardus reſp. quod Pater voluntate concurrente in ratione principij nullo modo generat Filium; ſed volens. d. 6. q. 2. a. 2.

Gregorius reſp. quod Pater non generat Filium voluntate, prout ſumitur aduerbialiter, ideſt voluntariè antecedenter, nam quod ſic producitur, contingenter producitur, nec ſimiliter voluntariè ſubſequenter, quoniam mutabile eſt omne, quod ſic producit; ſed voluntariè concomitanter; non tamen vt voluntariè ſumitur, prout liberè contingenter, ſed prout complacenter. Cum enim ſit bonum infinitum (inquit Marſilius) in generando eum ſummam habet complacentiam. Item Ioann. Maior. d. 6. q. 2.

Guilelmus Rubion reſp. quod Pater pro- d. 6.

du-

Digitized by Google

q.a. ducit Filium voluntariè, quia omne quod producit, producit volens, nō tamen ſic producit volens, quod productio iſta requirat, quod eius principium ſit voluntas volens, cū in qualibet productione principium productiuum ſit eſſentia, nec tamen eſt intellectus, ſeu voluntas, quamuis ſit indiſtincta a voluntate; & intellectu.

d. Laurentius Opimus reſpondet, quod quia voluntas diuina apprehendit ſe tanquam ſūmum bonum; ideo Pater volens gignit Filiū, non tamen voluntas ſe habet, vt principium formaliter gignendi verbum; tum quia tale principium eſt eſſentia, cum ſit ſpecies intelligibilis in intellectu paterno; tum quia prius eſt intelligere quam actualiter velle, per intelligere autem producit verbum.

d.6. diſp.1 Michael de Palatio reſp. quod ſi ly voluntate idem ſit quod ſpontè, & libenter, vtique Pater voluntate Filium generat; ſed ſi idem ſit quod liberè, ita quod ſit arbitrij generare Filium, voluntate non generat: ſimiliter nō voluntate generat, ſi voluntas principium denotat; quia Filius non per voluntatem generatur, ſed per operationem intellectus.

d.6. Paulus Scriptor reſpondet, quod cum in Deo non ſit niſi vna intellectio, nullam cauſalitatem in hac generatione poteſt habere voluntas in eo.

d.6. §.1 Gulielmus Eſtius reſp. quod Pater genuit Filium voluntate, non quidem deliberante, quaſi voluntas gignendi anteceſſerit natiuitatem Filij, ſed approbante, quæ vocatur cōcomitans.

q.41. a.2. Ludouicus Molina reſp. quod ſi iſte ablatiuus, voluntate, denotat habitudinem principij, & voluntas præcisè ſumitur, vt habet rationem liberi arbitrij, Filius nō producitur voluntate, ſed bene ſi denotat concomitantiā, ſicut enim hæc eſt vera, Deus ſua voluntate eſt Deus, quia vult ſe eſſe Deum, ita hæc, voluntate generat, quia vult generare, & re ipſa generat.

li.6. c.3. Franciſcus Suar. reſp. quod generatio filij eſt voluntaria, non quidem cauſaliter, ſed obiectiuè, vult enim Pater neceſſario ſe eſſe, & ex conſequenti generare.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſicut dicit Ariſt. lib. 1. Rhet. c. 28. Voluntas eſt appetitio boni coniuncta cum ratione, quæ appetitio, ſi eſt boni nondum habiti, dicitur deſiderium, vel expectatio, & talis voluntas non eſt in Deo: ſi verò eſt iam habiti, dicitur complacentia, & amor; & talis voluntas eſt in Deo quoad omnes operationes ſuas, tam quoad eas, quæ in res exteriores tranſeunt, quam quo ad eas, quæ manent in eo; & ideo Pater dicitur generare Filium, quoniam ſibi complacet in tali actione, vt in quodam bono, quod iam habet; eſt enim ita bonum generare Filium, ſicut bonum eſt, eſſe Patrem, & eſſe Deum.

Sed ſi voluntas ſemper importat libertatē; Pater autem neceſſariò ſibi complacet in generatione Filij, neque non ſibi complacere poteſt? Obiectio.

Reſpondetur, quod eſt libertas quæ ſtat ad vtranque contradictionis partem, & quæ ſtat ad vnam tantum, & cum hac poteſt ſtare neceſſitas, quæ neceſſitas poteſt dici ſecundum naturam, quæ libertatem non excludit, qualis eſt neceſſitas, qua quiſque naturaliter vult eſſe beatus.

QVAESITVM V.

An Pater generet Filium intellectu?

D. Thomas reſpondet, quod in diuinis ſecundum duplicem actionem immanentem duplex eſt etiam proceſſio ad intra, quarum vna eſt proceſſio verbi, quæ attenditur ſecundum operationem intellectus; quicumque enim intelligit ex hoc ipſo quod intelligit procedit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptio rei intellectæ ex vi intellectiua prouenięns, & ex eius notitia procedens. p.p. q.27. a.1.

Ægidius reſpondet, quod perſonæ diuinæ cum diſtinguantur per relationes originis, non poſſunt originari, niſi per actiones immanentes, alioquin non producerentur in identitate ſubſtantiæ, cum autem in natura intellectuali nō reperiantur niſi duæ actiones immanentes .ſ. intelligere, & velle, per intelligere producitur Filius, ſicut per velle Spiritus ſanctus. d.10.

Henricus reſp. quod intellectus ratione qua eſt ſimpliciter intellectus, non eſt principium elicitiuum actus notionalis, per quem producatur ſimile in forma naturali ipſi producenti, quia tunc in quocunque eſſet, eſſet principium productiuum, vel elicitiuum actus ſimilis, quo produceretur ſimile in forma, quod eſt falſum, vt apparet in creaturis. ar.60. q.1.

Ioannes Scotus reſp. quod in diuinis eſt intellectus habens obiectum actum intelligibile ſibi præſens; hoc autem ex ſua ratione formali eſt principium productiuum notitiæ genitæ; & ideo cum Filius ſit notitia genita, d.2. q.7.

per talem intellectum producitur.

d.6. q.2. Durandus reſp. quod Pater non generat Filium per intellectum, quaſi quod intellectus ſit principium productiuum Filij; tum quia actus eius eſt actus eſſentialis competens omnibus diuinis perſonis; tum quia opponitur fœcunditati, cum per ipſum nihil producatur teſte Ariſt. lib. 9 Meth. quapropter excluſo eo, adhuc reſtat generatio in diuinis, quia remanet fœcunditas naturæ, quam ex ſua infinitate habet.

d.27. q.3. Et iterum. Nullus (inquit) debet imaginari, quod Filius procedat a Patre per actum dicendi mentalem, & ideo fiat Verbum propriè, & Spiritus ſanctus a Patre, & Filio per actum voluntatis, & ideo fiat amor propriè, quia circunſcriptis omnibus actibus intellectus, & voluntatis, adhuc eſſent in diuinis generatio Filij, & proceſſio Spiritus ſancti, per actus competentes naturæ, propter ſuam fœcunditatē. Et ſi aliqui graues doctores dicunt intelligere, & velle eſſe rationes diuinarum emanationum, hoc intelligendum eſt ſecundum quādam adaptationem tantum ad ea, quæ inueniuntur in imagine creata, in qua prima emanatio eſt ſecundum intellectum, altera verò ſecundum voluntatem.

d.6. q.2. Franciſcus Maro reſp. quod Pater generat Filium intellectu antecedente, quia eſſentialia præcedunt notionalia, & ſimiliter intellectu concomitante, quia intellectus, & generatio ſunt coæterna, & etiam intellectu eliciente, quia ſecundum D. Auguſtinum Verbum nunquam eſt niſi a dicente, nulla autem potentia in diuinis eſt dictiua, niſi intellectus, non tamen producit intellectu conſequente, quia nullo ordine potentia intellectiua ſequitur actum generandi ſimpliciter, licet cum determinatione ſic.

d.7. q.2. Guilelmus Occham reſp. quod intellectus poteſt ſumi dupliciter, vel pro re, vt dicit præciſè aliquid abſolutum in Deo, nihil notionale determinatè connotando, vel per ſe connotando determinatum notionale, & vtroque modo eſt principium productiuum reſpectu generationis; nam ſi ſumitur primò modo cum ſit aliquid ſimpliciter indiſtinctum ab eſſentia, eſt principium cuiuſlibet productionis, vt eſſentia, & in ratione eſſentiæ, cum eſſentia ipſa ſit potentia generandi, ſeu principium productiuum: ſi ſecundo modo ſumitur, vt aliquid connotat, quod non connotat eſſentia .ſ. generationem, etiam tunc per ſe eſt principium productiuum verbi.

d.6. Gerardus reſp. & ad Ægidij ſententiā addit, quod ſi intellectus in Deo non eſſet principiū productionis Filij, & voluntas Spiritus ſancti duo inconuenientia ſequerentur, primum, quod intellectus, & voluntas in anima noſtra non pertinerent ad imaginem; ſecundum, quod in diuinis nulla eſſet productio, vel ſaltem, quod illa productio non eſſet in identitate ſubſtantiæ, videmus .n. quod ſola productio per actionem immanentē eſt huiuſmodi.

d.7. q.1. Gregorius reſp. quod Pater cum ſit infinitæ ſimplicitatis primo a ſeipſo producit Filium, & ideo non eſt aliud principium productiuū quo Filij, diſtinctum quocunque modo ab ipſo Patre, qui eſt principium quod eius.

d.6. q.2. Guilelmus Rubion. reſp. quod licet diuina eſſentia ſit intellectus, non tamen eſt productiua verbi, vt intellectus, ſed vt producentis natura, ita enim generatio verbi requirit per ſe, quod eius principium ſit natura producens; poteſt tamen dici intellectus, ſeu memoria principium producendi verbum, ſicut & voluntas principium producendi Spiritum ſanctum, non propriè, ſed appropriatè, quia verbo appropriatur intellectio, ſicuti Spiritui ſancto dilectio.

q.14. a.2. Marſilius reſp. quod ſecundum duas operationes immanentes in diuinis, duæ etiā ſunt proceſſiones in eis, quarum vna eſt per modū intellectus, & ſecundum hanc procedit Filius.

d.6. q.vn. Laurentius Opimus reſp. quod potentia intellectiua Patris, inquantum eſt perceptiua, non habet propriè actum dicēdi reſpectu verbi ſuppoſitalis, cum enim hæc potentia in ſingulis perſonis ſit adæquata, per ipſam ſingulæ perſonæ producerent; ſed inquantum eſt potentia productiua præciſè, & propriè habet actum dicendi reſpectu verbi ſuppoſitalis; Pater enim dicit verbum per actum productiuum.

tr.1. p.2. p.2. q.4. Nicolaus de Nijſe reſp. quod neque eſſentia, neque intellectus eſt totale principium Filij; ſed eſſentia in ratione obiecti, & intellectus in ratione potentiæ ſimul concurrunt neceſſariò ad productionem eius, eſſentia tamen principalius, quam intellectus, quia eſt illimitatior. Item Guil. Varrill.

q.27. a.2. Ludou. Molina reſp. quod ſi non eſſent huiuſmodi proceſſiones per intellectum, & voluntatem non minus poſſet dici proceſſio Spiritus ſancti generatio, quam proceſſio verbi, neque minus procederet Spiritus ſanctus, vt figura, & imago ſubſtantiæ Dei, quam verbum, neque ſimiliter probari poſſet, quare tantum duæ eſſent perſonæ productæ, & non plures, vel pauciores.

q.7. diſp.2. Gregorius de Valentia reſp. eſſe de fide aſſerere Filiū producere a Patre per intellectū

Spi-

Spiritum ſanctum verò a Patre, & Filio per voluntatem; nam de Fide (inquit) eſt aſſerere id, quod ſcriptura ponit, ponit autem ſcriptura Filium eſſe verbum, & Spiritum ſanctum dilectionem, & amorem.

li.1 c.5. Franciſcus Suarez reſpondet, & confirmat ſententiam D. Thomæ hac ratione. In omni rerum genere, productio, vel communicatio naturæ fit per operationem propriam, ſeu accommodatam tali naturæ; ſed in natura intellectuali propria operatio eſt actus intellectus, & voluntatis; ergo cum Deus ſit in gradu purè intellectuali, productio, quæ intra illũ eſt per actum intellectus, & voluntatis eſſe debet.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod Patrem generare Filium intellectu poteſt intelligi dupliciter, vel quod ly intellectu dicat conditionem neceſſariam ad eius generationem; & ſic dicitur quod Pater generat Filium intellectu, quia intelligendo generat; eſt enim intellectualis naturæ, & quicquid producit, cum intellectione producit; vel quod dicat rationem principij productiui; & ſic dicitur quod Pater generat Filium natura tanquam principio quo remoto, eſt enim de ratione naturæ diuinæ, vt ſit fecunda in Patre ad producendã perſonam filij; tanquam vero principio quo immediato, & proximo, Pater generat cum virtute generatiua; eſt enim principium quo immediatum, & proximum in alicuius productione, quo ipſo poſito, & producente, immediatè ſequitur productio, & habet eſſe productum vniuocum producenti, ſi productio eſt vniuoca, æquiuocum vero, ſi æquiuoca; certum eſt autem, quod intellectus, vt intellectus non eſt natura, ſicut neque voluntas, vt voluntas, alioquin idem eſſet intellectus, quod voluntas, neque ſimiliter eſt virtus generatiua, vt talis; tũ quia virtus generatiua relatio eſt, non autem intellectus, qui eſt de numero eſſentialium; tum etiam quia intellectus, vt intellectus in Filio eſt, non autem virtus generatiua, alioquin ſi eſſet huiuſmodi virtus in eo, atque hæc eſſet intellectus, conſequens eſſet, vt generaret. Generat ergo Pater Filium intellectu nõ tanquam principio productiuo proprio formali, ſeu vniuoco in tali productione, ſed vt conditione neceſſariò requiſita ad omnem actionem diuinam.

Obiectio. Sed ſi Filius procedit a Patre vt verbum?

Reſpondetur, quod ideo Filius procedit, vt verbum, quia per ipſum facta ſunt omnia, & per ipſum notificata ſunt, vt per quodã quod eſt exemplar omnium, imago, & figura ſubſtantiæ patris; non quod procedit per intellectũ tãquam per ſuum principiũ productiuum quo, proprium, & immediatum; niſi tamen fiat appropriata locutio, quæ multis Doctoribus ſacris eſt gratiſſima.

DISTINCTIO SEPTIMA.

Hic quæri ſolet a quibuſdam, Vtrum Pater potuerit, &c.

QVAESITVM I.

An ad generandum Filium in diuinis ſit potentia in Patre?

D. Thomas reſpondet, quod ſicut in creaturis aliquid producitur per potentiam naturalem, & aliquid per potentiam rationalem, ita in diuinis duplex eſt potentia, vna ſimilis potentiæ naturali, ſecundum quam Filius procedit a patre, eandem numero recipiens naturam, & altera ſimilis rationali; ſecundũ quã creaturæ procedunt a Deo in ſimilitudinẽ ideæ exiſtentis in mente diuina; & quoniam omnis operatio eſt manifeſtatiua potentiæ Patris, idcirco non ſolum creaturarum productio manifeſtat Dei omnipotentiam, ſed multo magis productio filij, potentiam generandi. d.7 q.1 a.1

Et iterum reſpondet, quod vbi ponitur actus ibi neceſſariò ponitur principium talis actus, vnde cum in diuinis .ſ. in Patre ponatur actus generationis, ponitur quoque principium, quod eſt potentia generandi. Item Herueus, & Gerardus. p. q.4 a.1

Aegidius reſpondet, quod licet idem ſit eſſentia, potentia, & virtus; vnum tamen præſupponit aliud, nam virtus præſupponit potentiam, & potentia eſſentiam, ſicut agere præſupponit eſſe; dicere igitur aliquid agens agere aliquid abſque potentia agendi, eſt dicere ipſum agere abſque eo, quod ſit, vel ipſum agere, prout non eſt in actu, & maximè in agentibus vniuocis, in quibus quod eſt actu tale producit tale, cum igitur Pater generet, neceſſe eſt, quod habeat potentiam generandi. d.7 q.1

Durandus reſpondet quod vbicunque ſunt plura realiter differentia, quorum vnum eſt productiuum alterius, ibi eſt verè, & realiter potentia productiua, eſt enim potentia productiua principium quo aliquid producitur, & quoniam in diuinis Pater & Filius differunt d.7 q.1

disp. 263 Gabriel Vaſquez reſp. quod probabilius eſt ponere potentiam productiuam realem in diuinis, non ſolum reſpectu perſonæ productæ, ſed etiam reſpectu productionis, & actus notionalis, non enim eſt neceſſarium quod productio diſtinguatur a re producta; & a producente, eo quod ipſa actio non eſt id, quod producitur, ſed quaſi medius actus, quo res ipſa producitur.

Reſolutio.

RESpondeo, quod non eſt intelligibile aliquod agens agere, & potentiam agendi non eſſe in eo; ſunt enim correllatina potentia, & actus, teſte Ariſt. 9. Meth. Cum itaque generatio Filij in diuinis ſit quædam actio Patris, omnino irrationale eſt ſecludere potentiam, ſeu virtutem generandi ab eo, cuius enim eſt potentia, eius etiam eſt actus, inquit Ariſt. lib. 1. de ſomno, & Vigilia.

Obiectio. Sed ſi potentia eſt reſpectu poſſibilium; nihil autem eſt poſſibile in diuinis?

Reſpondetur, quod poſſibile, vt opponitur neceſſario, non eſt in diuinis, ſed vt continetur ſub eo; vnde ſicut dicitur, quod Deum eſſe eſt poſſibile, ita poteſt dici, quod Filium generari eſt poſſibile. Ita D. Thomas.

QVÆSITVM II.

An potentia ad generandum Filium in diuinis ſit in ſolo Patre?

q.42. m.3 a.2 ALex. reſpondet, quod omnis virtus, & potentia, quæ eſt in Patre eſt etiā in Filio, & ideo in Filio eſt etiam virtus, & potentia generandi, quæ eſt in Patre, vt tamen ly generandi eſt gerundium verbi imperſonalis, hoc eſt potentia, qua ſit generatio.

tr.7 q.30. Albertus reſpondet, quod potentia generandi dicit duo potentiam, & hoc naturæ eſt, & hæc vna eſt in Patre, & Filio; generandi, & hoc eſt notionis, & proprietatis, & eſt in Patre, & Filio diuerſum, in Patre, vt generet, in Filio, vt generetur.

d.7. q.2. a.1. D. Thomas reſp. quod potentia generandi ſumitur tripliciter, vel vt ly generandi eſt gerundium verbi imperſonalis, & hoc modo potentia generandi, eſt potentia, qua quis ab aliquo generatur, vel aliquem generat; vel vt eſt gerundium verbi perſonalis actiui, & eſt potentia, vt quis generet, vel vt gerundiū verbi perſonalis paſſiui, & eſt potentia, vt quis generetur; primo & tertio modo eſt in Filio, non ſecundo. Item Thomas ab Arg.

Et iterum reſp. quod cum dicitur potentiā generandi, potentia, ſignificatur in recto, & generatio in obliquo; ſicut ſi diceretur eſſencia Patris, vnde quantum ad eſſentiam, quæ ſignificatur, ſicut eſſencia, eſt in Filio, & Spiritum ſancto, & non in ſolo Patre, ſic etiam eſt potentia generandi; quantum autem ad notionem, quæ connotatur eſt tantum in patre. p.1. q.41. a.5.

D. Bonau. reſp. quod in Filio non eſt potentia generandi, quia Pater non ei illam cōmunicat, & hoc propter duo, primum, quia non poteſt: non enim poteſt ei communicare ſuam fœcunditatem, alioquin communicaret etiam ſuam Paternitatem, ſecundum, quia non debet: non autem debet; quia non debet communicare ei aliquid, per quod inde non diſtingueretur ab eo, non diſtingueretur autem, ſi communicaret hanc potentiam, per quam poſſet eſſe Pater ipſe Filius. d.

Ægidius reſpondet, quod potentia, generandi, ita eſt in Filio, ſicut eſt in Patre, ſicut natura ita eſt in Filio, ſicut in Patre, cum potentia generandi ſit natura; eſt tamen alicui reſpectui coniuncta, prout eſt in Patre, cui non eſt coniuncta, prout eſt in Filio, nam in Patre dicitur per comparationem ad generare, in Filio verò ad generari. d.7. q.2.

Ricardus reſpondet quod potentia in diuinis ſemper eſt in actu ſuo, quia Deus eſt actus purus, ergo cum non ſit actus generandi in Filio, quia non generat, nec etiam eſt potentia; item. In diuinis non poteſt eſſe niſi vnus actus generandi, ſi ergo Filius poſſet generare, non poſſet generare niſi eodem actu, quo ipſe generatur, ergo generaret ſeipſum; tertio, potentia generandi eſt diuina eſſentia cum modo habendi eā non ab alio, ſed Filius quicquid habet, habet ab alio: ergo, &c. q.2.

Henricus reſp. quod in Deo vna eſt ratio eliciendi oēs diuinas actiones. ſ. ipſa diuina eſſentia, quia tñ ex ſe ad nullum actum determinatur, niſi ad actum primum qui eſt eſſe, vt determinetur ad alterum actum, oportet vt hoc habeat ab aliquo determinante eam ad actum, aut potius determinante ſibi actum, & huiuſmodi determinatiuum eſt ratio reſpectus, quæ aliquando conuenit omnibus perſonis, vt reſpectus bonitatis, & veritatis, aliquando duabus, vt potentia ſpirandi, & aliquando vni tantum, vt potentia generandi. a.39. q.6.

Durandus reſp. quod ſi potentia generandi eſſet in Filio, aut eſſet terminata ad vnum, aut non, ſi ad vnum, ergo non eſſet potentia generandi in Patre, niſi reſpectu illius Filij, ſi non, ergo qua ratione eſſet ad hunc, & illum, q.2.

lum, & alium, eadem ratione eſſet ad infinitos Filios, quod eſt inconueniens.

q.29. Ioannes de Neapoli reſp. quod potentia generatiua quantum ad illud quod ſignificat, quod eſt diuina eſſentia eſt in Filio; ſed quantum ad illud quod connotat, quod eſt paternitas, vel generare non eſt in eo; vnde in Patre potentia eſt cum paternitate, & generare, in Filio cum filiatione, & generari.

d.3. q.2. Petrus Aureolus reſp. quod potentia generandi non nominat principium productiuum, ſed proprietatem generationis, & ideo non eſt in Filio, ſed in ſolo Patre, cuius eſt talis proprietas.

d.7. q.3. Franciſcus Maro reſp. quod potentia generandi quadrupliciter ſumitur; primò; pro forma abſoluta, quæ eſt principium generandi, & hoc modo, cum ſit memoria fœcunda, eſt in Filio; ſecundò, pro ipſa forma abſoluta ſub reſpectu potentialitatis, & hoc modo ſimiliter eſt in filio, quia potentialitas eſt quaſi paſſio formæ abſolutæ, quæ dicitur potentia, paſſio autem eſt inſeparabilis a ſubiecto; tertiò, pro ipſa forma ſub illo reſpectu cum omnibus requiſitis ad generandum; quartò, pro ipſa forma cum omnibus prædictis, & ipſa actui coniuncta; & his duobus modis non eſt in Filio, quia ſic Filius generare poſſet, & eſſe Pater. Item Nicol. de Niſſe.

ar.1 q.7. Alphonſus reſp. & probat tripliciter, quod in Filio ſit potentia generandi; primò, quia omnis potentia quæ eſt in Patre eſt etiam in Filio, alioquin Filius non eſſet omnipotens; ſecundò, quia vt dicit Magiſter, eadem eſt potentia per quam Pater poteſt generare, & Filius generari, & hæc eſt in Filio, ergo, & illa; tertiò, quia huiuſmodi potentia eſt perfectio ſimpliciter; eſt autẽ omnis huiuſmodi perfectio in omnibus perſonis.

q.7. a.2. Petrus Aliacenſis reſp. quod ſola perſona Patris eſt potentia actiua generandi, quia ipſe ſolus poteſt actiuè generare; ſicut etiam ſola perſona Filij eſt potentia paſſiua generandi, quia illi ſoli conuenit, vt poſſit paſſiuè generari.

q.11. a.3. Marſilius reſp. quod potentia generandi in diuinis eſt eſſentia, vnde, ſiue actiue ſumatur illud gerundium generandi, ſiue paſſiuè, ſiue impersonaliter eſt in Filio, ſicut etiam in Patre, & Spiritu ſancto.

d.7. q.3. Laurentius Opimus reſp. quod potentia generandi eſt duplx complexa, & incomplexa, cõplexa eſt potentia Patris qua Pater diſtinguitur a Filio, & includit actum producendi, incomplexa eſt perfectio ſimpliciter & hanc habet Filius.

Guilelmus Varrill. reſp. quod potentia generandi capitur tripliciter, vno modo, vt dicit ſolum illud fundamentum, in quo fundatur reſpectus ille, qui dicitur potentialitas, & ſic eſt memoria fœcunda, & eſt in Filio; ſecundo modo ſumitur pro ipſo conſtituto in ipſo fundamento, & ipſo reſpectu, cum omnibus requiſitis ad actum; tertiò, cum omnibus iſtis, & cum hoc, pro ipſo actu illius potentiæ, & his duobus modis non eſt potentiã generandi in Filio. d.7. q.1.

Guilelmus Eſtius reſpondet, quod eſt abſurdum Filio tribuere potentiam generandi, abſque voluntate, & actu; primò, quia in diuinis idem eſt eſſe, & poſſe; ſecundò, quia ſi ponamus potentiam illam nunc demum reduci ad actum, ſequitur perſonam genitam non eſſe gignenti coæternam; tertiò, quia potentia gignendi in creatis eſt, vt perfectio, quæ communicatur, vt poſſit alijs communicari, & propagatione naturæ poſſit perpetuari, quod locum non habet in diuinis; quartò quia ſi potentia generandi tribuitur Filio, videtur etiam tribuenda Spiritui ſancto, & etiã patri in ordine ad plures filios. d.7. §.6.

Gabriel Vaſq. reſpondet, quod potentia quæ producit perſonam diuinam eſt eſſentia connotata tamen proprietate perſonæ, & ideo ſequitur, quod non ſit niſi in illa perſona, cuius proprietas eſt connotata, cum igitur potentia generandi connotet proprietatem patris, & non alterius perſonæ; ſequitur quod non ſit in alia perſona, niſi in Patre. d.164 c.4.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod potentiæ cognoſcuntur per actus, ſicut ergo ex actu generandi arguimus potentiam in Patre, ita ex negatione talis actus arguimus negationem potentiæ in alijs perſonis, cum itaque neque Filius, neque Spiritus ſanctus generent, conſequens eſt dicere quod non ſit potentia generandi in eis.

Sed ſi potentia generandi importat eſſentiã, eſſentia autẽ eſt in omnibus diuinis perſonis? Obiectio.

Reſpondetur quod fundamentaliter potentia generandi importat diuinam eſſentiam; ſed præcisè, & formaliter relationem .ſ. Paternitatem.

QVÆSITVM III.

An ſit in Filio potentia ad generari?

Ricardus reſp. quod in omni re, quæ fit de aliquo eſt aliqua potentia qua fieri po- d.7. q.1.

teſt

teſt alia a potentia facientis, vnde cum Filius ſit de ſubſtantia Patris, in eo eſt potentia, qua poteſt generari, & talis potentia eſt ſubſtantia ſecundum rationem, qua eſt communicabilis per generationem.

d. 7. q. 1. Franciſcus Maro reſp. quod ſicut omni potentiæ actiuæ reſpondet potentia paſſiua, ita omni potentiæ productiuæ reſpondet potentia producendi paſſiuè .ſ. producibilitas, & ideo eſt potentia generandi paſſiuè in Filio, nō quidem, ſicut nos accipimus in creaturis, quia talis dicit imperfectionem; ſed vt accipienda eſt in Deo cum omni perfectione.

Reſolutio.

RESpondeo, quod potentia in Patre ad generandum Filium eſt potentia ad agere quæ dicit perfectionem, & virtutem; at potentia ad generari eſt potentia ad eſſe, quæ nullam dicit perfectionem, & virtutem, ſed priuationem, & carentiam ſubſtantialis formæ, & eſſe; idem enim eſt habere potentiam ad generari, ſeu eſſe, quod eſt eſſe in potentia ad eſſe, quod autem eſt in potentia ad eſſe, non habet eſſe; cum itaque Filius ſemper habeat eſſe, non poteſt dici quod habeat potentiam ad generari, ſic enim eſſet in potentiā ad eſſe, & ideo dicit Ariſt. 7. Meth. t. c. 17. quod nihil potentia eſt æternum.

Obiectio. Sed ſi in Patre ad generare eſt neceſſaria potentia generandi? ſicut autem ſe habet generare in Patre, qui generat, ita ſe habet generari in Filio, qui generatur.

Reſpondetur, quod potentia ad generare dicit virtutem in ſubiecto iam exiſtente, & in eſſe completo, at potentia ad generari, cum ſupponat ſubiectum non eſſe adhuc perfectum, nullam perfectionem, & virtutem dicit in eo, & ideo non valet ratio de potentia ad generare, ſicut de potentia ad generari.

QVÆSITVM IV.

An potentia generandi in Patre ſit potentia elicitiua, generare verò actus elicitus.

d. 5. a. 3. PEtrus Aureolus reſp. quod ſicut deitas eſt res a ſe, non profluens, nec realitatem ſuam accipiens ab aliquo, imò ſecundum illud, quod eſt, omnino a ſemetipſa, ſic generare eſt quædam realitas in diuinis penitus improducta, non egrediens, nec profluens ab aliquo, ſed omnino a ſemetipſa, ſecundum illud, quod eſt, & quod fundat penitus indiſtinctionem omnimodam, & vnitatem cum eſſentia, quod etiam probat. Si generare eſſet quid elicitum, vel eſſet elicitum a Patre, vel ab eſſentia; non a Patre, quia nulla res elicit ſuum principium conſtitutiuum formale, nec illud, quo eſt; nec ſimiliter ab eſſentia, quia nulla res elicit ſe, nec eſt cauſa ſibi ipſi, vt ſit; eſt autem idem generare, quod eſſentia, igitur &c. ſecundò Cuius formale egreditur, vel elicitur, ipſum quoque neceſſe eſt egredi, vel elici, ſed Pater in diuinis non eſt Deus egrediens, vel elicitus, ergo nec actus eius, ſeu eius formale, quod eſt generare: Item Michael de Bononia diſt. 5. q. 8.

Franciſcus Maro reſp. quod nec generatio actiua, nec paſſiua in diuinis eſt actus elicitus; non actiua, quia impoſſibile eſt, quod principium conſtitutiuum alicuius ſuppoſiti eliciatur ab illo ſuppoſito; eſt autem generatio actiua conſtitutiua ſuppoſiti Patris; non paſſiua; quia ſicut generationis nō eſt generatio, ita nec elicitionis eſt elicitio, alioquin eſſet proceſſus in infinitum; cum itaquæ generatio paſſiua ſit elicitio, non poteſt ipſa elici. Item Nicol. de Nijſe. Et diſt. 7. q. 1. dicit, quod potentia generandi in Patre eſt potentia elicitiua; nam omnis potentia, quæ eſt ad aliquid elicitum per ipſam, ipſa eſt elicitiua; cum itaquæ potentia Patris ſit aliquid elicitum ſcilicet ad ſecundum ſuppoſitum; igitur ipſa eſt elicitiua. d. 4. q. 7.

Adam Godam reſp. quod omne illud dicitur eſſe elicitum, quod denotat aliquid aliud producere, ſicut calefactio ab igne, ignis enim a calefactione dicitur calefacere; vt ergo ſit aliquid elicitum, oportet vt ſit capiens eſſe, & originatum, & quoniam generatio actiua non eſt originata, quia eſt idem quod paternitas, ideo de proprietate ſermonis non eſt concedendum, quod generatio actiua in diuinis ſit elicita, quamuis concedi poſſit methaphoricè, & abuſiuè loquendo. d. 1. d. 5.

Gerardus reſpondet, quod nō eſt inconueniens eſſe in primo ſuppoſito aliquid quod ſit ab alio, nam ſi totum quod eſt in primo ſuppoſito eſſet a ſe, ita vt nullo modo eſſet ab alio, tunc actus generationis non eſſet ab ipſo tanquam ab eliciente, & ita primum ſuppoſitum non eliceret actum generandi, nec eſſet generans, quod eſt abſurdum. Eſt ergo generatio actus elicitus in Patre. d. 7. q. 1. a. 2.

Guilelmus Rubion reſpondet, quod iſta propoſitio ſanè intellecta eſt vera, & concedenda, omnis diuina productio eſt eliciens, ſeu producens, vel elicita, ſeu producta, & ratio eſt, quia generatio actiua non eſt aliud d. 4. q. 1.

Digitized by Google

in re extra, quam Pater, & generatio paſſiua non eſt aliud in re extra, quam Filius, vnde non minus eſt concedenda iſta, generatio generat, quam iſta Pater generat.

d.4. Alphonſus Tolet. reſp. quod eſt implicatio contradictionis quod formale conſtitutiuum ſuppoſiti totaliter improducti ſit elicitum, & productum; & quoniam generatio actiua eſt huiuſmodi, quia eſt idem quod paternitas, quæ eſt formale conſtitutiuum Patris; ideo generatio actiua non poteſt eſſe elicita.

d.5. q.1. Ioannes Bacconus reſpondet, quod generare non eſt actus elicitus, quaſi ſit aliud productum ab agente, ſed eſt actus elicitus, vt actio, qua agens agit, & ſecundum hunc ſenſum ponendum eſt in diuinis; alioquin nulla eſſet paternitas, nulla origo, aut productio per ſe a perſona, quod eſt falſum.

d.7. Paulus Scriptor reſp. quod nec generare, nec generari eleciuntur, ſed ſolæ perſonæ, abſque tamen productione ipſæ actiones oriũtur a fundamentis ſuis, vel ſubiectis.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ad productionem cuiuſcunque producibilis tria requiruntur, producens, virtus productiua, & actus, qui actus neque producit, neque producitur, ſed eſt via, & exitus virtutis a producente in productum, & hoc eſt elici, non produci; ſic itaque dicendum eſt, quod ad productionẽ Filij in diuinis requiritur Pater, vt producens, fœcunditas, vt virtus, & potentia productiua, & actus, qui eſt generare, quod generare eſt quodammodo via, & exitus fœcunditatis tendentis in Filium, qui producitur; ac proinde non dicitur produci, ſed elici ab ipſa fœcunditate tanquam a virtute, ſeu potentia generatiua exeunte a Patre, & tendente in Filium, vt in productum, & ſecundum hunc ſenſum poteſt illa dici elicitiua, actus verò ſ. generare elicitus, non productus, quoniam ſic daretur proceſſus in infinitum, quod inconuenit.

Obiectio. Sed ſi potentia elicitiua eſt potentia principiatiua, & quod elicitur eſt principiatum; nihil autem eſt in Patre, quod ſit principiatum?

Reſpondetur, quod potentia elicitiua non propriè habet rationem principij in ordine ad actum ſuum, neque ipſe actus rationem principiati; quoniam de ratione principij eſt, vt ſit id, a quo aliud, actus autem non eſt aliud a ſua potentia, quinimo, ipſum elici, hoc ipſum eſt, quod ipſam potent iam venire ad actum; quod ſi impropriè dicatur ipſam potentiam habere rationem principij reſpectu actus; hoc modo poteſt etiam concedi, quod in Patre eſt aliquid principiatum, ſicut concedit Gerardus.

QVÆSITVM V.

An potentia generandi in Patre dicat aliquid abſolutum, an reſpectiuum?

Alexander Alenſ. reſpondet, quod cũ dicitur potentia generandi duo dicuntur potentia, & reſpectus ipſius potentiæ, quod dicitur potentia, dicitur quid; ſed quod dicitur reſpectus potentiæ ad generandum, non dicitur quid, ſed ad aliquid. q.42. m.3

Albertus reſpondet, quod potentia eſt quid eſſentiale, generare vero quid notionale, & propterea potentia generandi, ſic accipiendo coniunctim, medium eſt ſecundum rationem intelligendi, inter eſſentiale, & notionale. p.1tr. d.7. a.2.

D. Thomas reſp. quod cum principiũ cuiuſlibet operationis diuinæ ſit eſſentia, potentia autem generandi habeat rationem principij, & coniungatur operationi, quæ eſt relatio; idcirco quaſi medium inter eſſentiam, & operationem ex parte illa, qua radicatur in eſſentia, eſt aliquid abſolutum, ex parte verò illa, qua coniungitur operationi, eſt quid relatiuum. d.7. q.1. a.2.

Et iterum reſp. quod potentia generandi ſignificat eſſentiam & relationem, non tamen ex æquo; ſed principaliter diuinam eſſentiam inquantum ipſam ſignificat in recto, in obliquo verò relationem; potentia enim generandi eſt eſſentia, non relatio; quod ſit eſſentia probat, quia illud eſt principium generationis, ſeu potentia generandi, in quo genitum aſſimilatur generanti; cum igitur filius aſſimiletur patri in natura, ſiue eſſentia, ſequitur quod potentia generandi ſit eſſentia; quod non ſit relatio, probat, quia relatio, vt proprietas bene conſtituit perſonam generantem, ſed non eſt principium quo generat, igitur neque potentia. P. P. q.41. a.5.

D. Bonauentura reſp. quod potentia generandi non videtur dicere niſi fœcunditatem ad actum generationis, & quoniam fœcunditas eſt propria perſonæ, igitur & potentia, & propterea potentia generandi de ſe dicit quid reſpectiuum, non abſolutum. a.1. q.1.

Ægidius reſp. quod illud eſt potentia ge- d.7.

ne-

pr.pr. nerandi, cuius virtute productum producen-
q.2. ti redditur conforme, & ideo ipſa natura est potentia generandi, tam in diuinis, quam in rebus creatis, & quoniã natura dicit quid ſimpliciter abſolutum, ideo & potentia generandi dicit quid ſimpliciter abſolutum, ſed cum hoc habet etiam, quod dicat aliquẽ modum reſpectiuum, ſcilicet, ad generare.

d 7. Ricardus reſpondet, quod potentia ge-
q.1. nerandi in diuinis dicit quid, & ad aliquid; nam potentia generandi eſt illud, quo Pater poteſt generare; hoc autem eſt natura cum modo habendi eam non ab alio, & quoniam natura dicit quid, modus verò habendi eam non ab alio dicit ab aliquid, idcirco potentia generandi, dicit quid, & ad aliquid, quia tamen iſte modus habendi diuinam naturam formalius videtur eſſe in ratione potentiæ, quam ipſa natura, ideo formalius dicit ad aliquid, quam quid.

q.1. Henricus reſpondet, quod ratio generandi, quæ eſt potentia generatiua in Patre duplicem complectitur rationem, vnam, qua aſſimilat ſibi genitum, & eſt eſſentia, alteram, qua diſtinguit, & eſt proprietas patris conſtitutiua. Potentia ergo generandi in patre dicit abſolutum, & reſpectiuum, quia dicit eſſentiam, non ſimpliciter, ſed vt eſt in patre, & vtrinſque rationem proprietatis; imò hoc principaliter, quia proprietas eſt, quæ diſtinguit, eſt autem principalis, & completiua ratio generandi illa, quæ ſimilem diſtinguit.

d.7. Ioann. Scotus reſp. quod ſi ſumatur potẽtia
q.vn. (loquendo de potẽtia reali) pro eo quod per ſe ſignificat, ſic ſignificat relationem, ſicut potentialitas, vel principiatio; ſi vero pro eo quod connotat, (ſub qua acceptione eſt difficultas) ſic non eſt relatio, quia huiuſmodi relatio in Patre eſſet paternitas, paternitas autem non poteſt eſſe principium quo generationis, cum ſit eadem relatio cum ipſa; ſed eſt aliquid abſolutum; ſicut enim aliquid abſolutum eſt terminus formalis generationis, ita aliquid abſolutum eſt ratio formalis qua agens agit; eſt enim impoſſibile agens communicare terminum formalem productionis, niſi agat forma æquè perfecta, ſi agit vniuocè, vel perfectiori, ſi æquiuocè; nihil autem in diuinis eſt perfectius abſoluto. Item Anton. Andreas, & Paulus Scriptor.

d.7. Herueus reſpondet, quod potentia gene-
q.7. randi intrinſecè, & formaliter, ſignificat eſſentiam, non relationem, cum ſit poſterior ea; niſi tamen extrinſecè, & in obl quo, omnis enim potentia ex hoc ipſo quod eſt potentia habet ordinem ad actum, ex quo ipſum extrinſecè, & in obliquo importat, qui actus in propoſito eſt generare, & generare eſt relatio; cum hoc tamen exigit eam, vt proprietatem conſtitutiuam ſibi vnitam, cum enim producẽs neceſſariò habeat, quod ſit diſtinctum a producente, oportet ponere potentiam generatiuam coniunctam alicui proprietati, per quam producens diſtinguatur a producto, quæ in diuinis eſt relatio, vt eſt proprietas conſtitutiua.

Durand. reſp. quod potentia generandi di- d 7.
cit ſolam relationem paternitatis; primò, q. 2.
quia cum generatio conueniat Patri, & Filio repugnet, neceſſe eſt, quod conueniat ei per illam rationem formalem, per quam differt ab eo, differt autem paternitate, non eſſentia; ſecundò, quia cum proprietas relatiua, det actum primum diuinæ perſonæ, vt perſonæ Patris, hoc eſſet imperfectionis eius, ſi etiam non daret ſecundum, qui eſt generare; tertiò, quia eſſentia diuina excedit actum generandi, cum ſit in Filio, cui non competit generare; non autem potentia generandi, & ideo debet eſſe in ſolo Patre; quartò, quia ſi eſſentia diuina eſſet principium producendi, non poneretur ſtatus in productionibus diuinis; ſicut enim vna exiſtens non eſt vnius tantum principium, ſed duarum, eadem ratione poſſet eſſe plurium; quod non poteſt inferri de relatione; cum enim ſit duplex, duplex etiam eſt productio

Ioannes de Neapoli reſpondet, quod po- q 2.
tentia generatiua ſignificat eſſentiam, ſed connotat relationem dupliciter, & vt eſt proprietas, & vt ſignificatur per modum actus, vnde ſi diffinienda eſſet, ſic eſſet dicendum. Potentia generatiua eſt eſſentia diuina Patris, vt eſt principium generationis filij, per principium intelligendo, non reſpectũ principij, cum potentia non ſit, in genere relationis; ſed illud, quod ſubſternitur prædicto reſpectui.

Franciſcus Maro reſpondet, quod poten- d. 7.
tia generandi non dicit purum quid, ſicut q. 2.
eſſentia, quia eſſentia ſemper concipitur ad ſe, potentia verò ad aliud; nec purum ad aliquid, ſicut proprietas, quia potentia generandi ſecũdum D. Hilarium lib. 4. de Trin. includit infinitam perfectionem, quod alicui relationi conuenire non poteſt; nec dicit aliquid conſtitutum ex abſoluto, & reſpectu formali, ſicut perſona, quia tale conſtitutum eſt, quod generat, potentia autem eſt ſolum quo; ſed bene dicit conſtitutum ex quid, ſ. eſſentia, vel memoria, & reſpectu

non formali, ſed fundamentali, .ſ. ex potentialitate, & fundamento. Item Nicolaus de Niiſe. tr. 1. p. 2. q. 6.

d.7. q.1. Guilelmus Occham reſp. quod principiũ elicitiuum generationis, quod eſt potentia generandi non eſt proprietas perſonalis, quia proprietas perſonalis patris, & ipſa generatio actiua ſunt idem omnibus modis, nihil autem eſt principium elicitiuum ſui ipſius, nec eſt aliquis reſpectus, quia cum talis reſpectus non poſſit eſſe niſi rationis, nullum ens reale reſpicit aliud tanquam principium eius reale per aliquid rationis; ſed eſt tantum aliquid abſolutum, quod eſt diuina eſſentia, quia ſola diuina eſſentia eſt illa, quæ neceſſariò, & per ſe requiritur ad illam productionem, & non conſtituitur ex ipſa productione, & producto; tale enim debet eſſe principium elicitiuum alicuius productionis. Item Gabriel.

d.33. q.5. Adam Godam reſp. quod cum generatio actiua non eliciatur, nec principietur, non oportet quærere de eius principio elicitiuo ſi ſit quid abſolutum, aut reſpectiuum; ſi tamen ſumitur potentia generandi pro eo, quod generat, vel generare poteſt, quia tale eſt perſona; ſine dubio eſt quid reſpectiuum.

q.1. Thomas ab Argentina reſp. quod potentia generandi in diuinis, quantum ad ſuum principale ſignificatum non dicit relationem, quia quod non poteſt eſſe terminus, nec principiũ actionis, non poteſt eſſe potentia generandi, relatio autem non poteſt eſſe terminus, neque principium actionis, & ideo non poteſt eſſe potentia generandi; ſed dicit rem ſimpliciter abſolutam, quæ eſt diuina eſſentia, nam in omni generatione vniuoca illud eſt principium generandi, in quo genitum aſſimilatur gignenti, certum eſt autem quod hoc eſt eſſentia in generatione diuina, de ſuo tamen conſignificato, ſeu connotato neceſſariò includit reſpectum.

d.7. q.1. Gregorius reſp. quod nec eſſentia, nec proprietas perſonalis, ſiue relatio Patris, eſt principium quo diuinæ generationis, quia omne principium generandi eſt realiter diſtinctum a generatione, vel a generato; ſed neque eſſentia eſt realiter diſtincta a generatione, vel a generato, neque ſimiliter proprietas perſonalis eſt diſtincta a generatione, & a generãte; ergo neque eſſentia, neque relatio poteſt eſſe principium quo generationis; eſt igitur idem principium quo, & quod, ipſa .ſ. hypoſtaſis.

d.7. q.2. Alphonſus reſp. quod potentia generandi eſt eſſentia præciſè, & abſolutè ſumpta, quod probat ſic. Non minoris perfectionis eſt poſſe generare Deũ in identitate ſingularis naturæ, quam in diuerſitate numerali, ſed ſi per impoſſibile Deus generaret alium Deum in diuerſitate numerali, eſſentia præciſè ſumpta eſſet ibi potentia generandi, ergo cum generet Deũ in identitate ſingularis naturæ, ſola eſſentia diuina eſt potentia generandi. Item Guil. Varrill.

Ioannes Bacc. reſp. quod potentia generandi ex ſe formaliter, & quiditatiuè eſt relatiua, quia relatio eſt de per ſe intellectu eius; ratio tamen formalis, ſecundum quam potentiæ competit actio, eſt eſſentia, nam perſona conſtituta ex eſſentia, & relatione habet actualitatem, & ſubſiſtentiam ſuam præciſè ex eſſentia; illud autem per quod aliquid eſt in actu, vel quo actu ſubſiſtit actualitate abſoluta, eſt principium agendi. d.5.

Michael de Bonon. reſp. quod principium formale generationis, ſeu potentia generandi non eſt præciſè eſſentia, quia per eſſentiam nullo modo Pater diſtinguitur a Filio; nec præciſè relatio, quia ſic eſſet paternitas, & idem eſſet principium ſui; ſed eſt eſſentia, vt eſt in ſuppoſito non habente proprietates repugnantes actioni. d.7. q.un.

Petrus Aliac. reſp. quod principium elicitiuum alicuius productionis realiter diſtinguitur a producto per illam productionem, nihil enim eſt principium elicitiuum ſui ipſius ſi ergo potentia eſt principium elicitiuum in diuina generatione, diſtinguitur realiter a producto; ſed nihil diſtinguitur realiter a producto per generationem niſi Pater, ergo potentia generandi non eſt, niſi Pater. q.7. a.2.

Marſilius reſp. quod omne complexum in diuinis, cuius determinabile eſt eſſentialis terminus qualiſcunque fuerit determinatio eſt commune tribus, & dicit quid abſolutum, & quoniam determinabile huius complexi .ſ. potentia generandi eſt terminus eſſentialis, quia in diuinis non eſt niſi vna potentia, quæ eſt terminus eſſentialis non diſtincta ab omnipotentia; igitur & ipſa potentia generandi eſt communis tribus, & dicit quid abſolutum. q.12. a.2.

Nicol. de Orb. reſp. quod potentia generandi ſumitur dupliciter, vno modo, pro principio quo Pater producit Filiũ præciſè ſumpto, alio modo, pro ipſo principio quo cum alijs cõcurrentibus ad productionẽ Filij; primo modo potentia non eſt relatio, ſed aliquid abſolutum, cum ſit huiuſmodi principium memoria perfecta, ſeu intellectus habens eſſentiam ſibi præſentem; ſecundò modo, dicit abſolutum cum reſpectu, quia dicit memo- d.7.

mo-

Digitized by Google

moriam in perſona innaſcibili.

d.7. q.2. Laurentius Opimus reſpõdet, quod ſicut terminus diuinæ generationis eſt præciſè totum ſuppoſitum verbi, ita principium illius eſt præciſè & formaliter totum ſuppoſitum patris, & per conſequens non eſt præciſè, & abſolutè eſſentia, nec præciſè reſpectus, vel ratio ſuppoſitalis.

d.7. Dionyſius Carthuſ. reſp. quod cum dicitur potentia generatiua complexum hoc ſumitur in virtute vnius dictionis, ideo quantuncunque potentia ſecundum ſe diceretur abſolutè, tamen ex tali limitatione, & contractione ſumitur reſpectiuè.

d.7. q.vn. Ioann. Maior reſp. quod ſola perſona Patris eſt potentia generandi actiua, quia ſoli ei competit actiuè generare.

d.7. diſp. 1. Michael de Palatio reſp. quod eſſentia, vt eſſentia eſt, & ſecundum ſuam communem rationem, ſecundum quam eſt in tribus, non eſt principium quo producendi; ſed ſecundum quod eſt in perſona producente, in qua includit proprietatem relatiuam, quam non habent cæteræ perſonæ.

§ 41. a.5. Ludouicus Mol. reſp. quod potentia generatiua non eſt relatio, ſed natura diuina non quidem abſolutè ſumpta, ſic enim eſt in tribus; ſed accepta ſub quadam conditione, ſ. vt eius, qui habet eſſe a ſe, nam ſic eſt in ſolo Patre; illud enim in generatione vniuoca eſt potentia generatiua, in quo genitum aſſimilatur generanti; generans enim reddit ſibi ſimile genitum quo ad formam ſecundum quam producit, Filius autem aſſimilatur Patri in natura, ſiue in eſſentia, & ideo Principium tale productiuum ſui, eſt natura, ſiue eſſentia.

de tr. lib. 6. c. 5. Franciſcus Suar. reſp. quod potentia generandi eſt quidem diuina eſſentia, ſed tamen vt includit proprietatem Patris.

diſp. 164 c.4. Gabriel Vaſquez reſpondet, quod probabilior eſt ſententia, quæ aſſerit potentiam producentẽ eſſe eſſentiam connotata tamen proprietate, vnde proprietas perſonæ non tantum, eſt conditio requiſita potentiæ vt producat, & exeat in actum, ſed etiam, vt ſit potentia formaliter.

Reſolutio.

RESPONDEO, quod (ſicut dictum eſt) ex actu generandi arguimus potentiam in diuinis, ſicut ergo ſolus Pater generat, ita ſoli ei competit potentia generandi, & quoniam, quod vni ſoli perſonæ competit, præciſè, & formaliter eſſentiam dicere non poteſt, hæc enim communis eſt omnibus, idcirco potentia generandi non poteſt dicere eſſentiam in Patre præciſè, & formaliter, & conſequenter non aliquid abſolutum, quoniam non eſt aliquid abſolutũ in diuinis præter eſſentiam; dicit ergo relationem, & conſequenter aliquid reſpectiuum, quia nil aliud eſt in Patre præter eſſentiam, & relationem, & huiuſmodi eſt virtus generatiua, ſeu fæcunditas, quæ licet ex modo ſignificandi non dicat formaliter relationem, quia tamen eſt in Patre, vt Pater eſt, & in Patre, in eo quod Pater quicquid eſt, relatio eſt, idcirco huiuſmodi fæcunditatem, relationem dicere, ſeu aliquid reſpectiuum neceſſe eſt, non abſolutum.

Obi. diu. Sed ſi generatio, vt dicit D. Ioann. Dam. eſt opus eſt naturæ?

Reſpondetur, quod pro tanto dicitur, quod generatio eſt opus naturæ, quia per eam natura communicatur, & virtute naturæ generatio fundamentaliter elicitur, quia relatio, quæ immediatè actum generandi elicit fundatur in eſſentia, non tamen propter hoc eſt potentia generandi. Ita Durandus.

QVÆSITVM VI.

An ſit poſſibilis generatio plurium filiorum [illegible] in diuinis?

ALbertus reſp. quod eſt impoſſibilis generatio plurium filiorum in diuinis, ita vt Filius poſſit generare alium filium; primò, quia propter huiuſmodi ſeriem propagationis non eſſet ſumma germanitas, & propinquitas inter diuinas perſonas; ſecundò, quia alij filij a primo, cum non haberent oppoſitionem ad Patrem, non diſtinguerentur ab eo; tertiò, quia nec diſtinguerentur ab ipſo primo filio, cum eſſent formaliter filiatione filij, ſicut ipſe.

D. Thomas reſp. quod ideo multiplicitas Filiorum eſt impoſſibilis in diuinis; tum quia ſi Filius poſſet generare alium Filium, eadem ratione, & alium, & ſic in infinitum; tum etiam ſequeretur quod inter diuinas perſonas non eſſet ſumma vnio, & indiſtantia æqualis; ſequeretur etiam quod eadem perſona, & Filius eſſet, & Pater; imo quod propter negationem oppoſitionis relatiuæ ipſi Filij non diſtinguerentur ab inuicem, quæ omnia ſunt inconuenientia, & impoſſibilia.

Et iterum, id idem probat quadrupliciter; primò ex parte relationum ſic. Non poſſunt eſſe in diuinis plures filiationes, nec plures paternitates, ergo nec plures Patres & Filij, con

conſequentia patet, quia perſonæ diuinæ ſunt ipſæ relationes ſubſiſtẽtes. Antecedens prob. Non poſſunt eſſe plures formæ vnius ſpeciei niſi in materialibus, formæ enim vnius ſpeciei non multiplicantur niſi ſecundum materiam; ſed filiationes, & Paternitates ſunt formæ vnius ſpeciei; ergo non poſſunt eſſe plures in diuinis; ſecundò ex modo proceſſionum. Deus omnia intelligit, & vult vno ſimplici actu; ergo non poteſt eſſe niſi vna perſona procedens per modum verbi, quæ eſt Filius, & vna per modum amoris, quæ eſt Spiritus ſanctus; tertiò ex modo procedendi. Natura determinatur ad vnum, ſed Filius naturaliter procedit; ergo non poteſt eſſe niſi vnus; quartò ex perfectione diuinarum perſonarum Filius eſt perfectus; ergo tota Filiatio diuina in eo continetur; ergo plurificari non poteſt.

d. 7. pr. 2. q. 4. Aegidius reſpondet, quod cum Filius procedat per modum intellectus, procedit vt verbum; verbum autem in diuinis non poteſt eſſe niſi vnum; quod enim verba multiplicentur in nobis cauſa eſt quadruplex; prima quia verbũ noſtrũ nõ ſemper gignitur de ſciẽtia, ſed etiam de ignorantia; ſecunda, quia in nobis ſucceſſiuè poteſt eſſe alia, & alia ſcientia, quia eſt amiſſibilis, & ideo aliud, & aliud verbum; tertia, quia in nobis aliquando verbum eſt informe, & aliquando formatum; quarta, quia intelligentia non poteſt ſimul informari omnibus, quæ ſunt in memoria; cum itaque verbum diuinum habeat oppoſitas conditiones, non poteſt eſſe niſi vnum; primò namque de ſcientia gignitur, & non de ignorantia; ſecundò, ſciẽtia, de qua gignitur, nunquam eſt amiſſibilis, quia eadem eſt cum diuina ſubſtantia; tertiò, nunquam informe eſt, ſed ſemper formatum; quartò, gignitur ex tota ſcientia Dei, cum ſcientia Dei ſit ſimplex, & non habeat partẽ, & partem. Cum itaq; non ſit poſſibilis pluriũ verborum productio in diuinis, nec etiam plurium filiorum poſſibilis eſt generatio.

d. 14. q. 2. Henric. reſp. quod non conuenit intelligere emanare aliquam aliam perſonã præter Filiũ, & Spiritum ſanctum, niſi vel per alium modũ emanationis a modo naturæ, & voluntatis, vel per aliquem illorum, non per aliquem alium modum emanationis, quia nullus talis eſt poſſibilis in diuinis, nec per aliquem ex his, quia ab vnico modo emanationis, non poteſt procedere niſi vnica perſona; primò, quia vna actio numero, & ſingularis, non eſt niſi ad vnum terminum numero ſingularem, vt hæc dealbatio non eſt, niſi ad hanc albedinem; ſecundò, quia cum eſſentia diuina ſit vnica, & ſingularis, & ſimiliter ſint ſimplices, & ſingulares actus intelligendi, & volendi eſſentiales, ſuper quos fundantur actus intelligendi, & volendi notionales; neceſſe eſt, vt etiam ſimplices, & ſingulares ſint perſonæ, quæ ex ipſis producuntur; tertiò, quia in qualibet emanatione diuinæ perſonæ tota fæcunditas in perſona producente exhauſta eſt omninò in productione vnius. Hac eadem ratione vtitur Michael de Pal. d. 7. & d. 13. diſp. 1. ita enim (inquit) generatio filij explet generatiuam potentiam, quod ad alium generandum non ſe poteſt proferre.

Ioannes Scotus reſp. quod non poſſunt eſſe plures productiones eiuſdem rationis, & per conſequens non poſſunt eſſe plures filij in diuinis; quòd probat primò, per rationem ducẽtem ad impoſſibile; ſi enim poſſent eſſe plures productiones eiuſdẽ rationis in Deo, ita poſſent eſſe infinitæ, quod eſt impoſſibile; cõmune enim ad ſua ſingularia non determinatur ex ſe ad certam pluralitatem, vnde neceſſe eſt ad hoc, vt certus numerus oriatur, ſint alterius rationis; ſecundò, oſtenſiue, illud enim non poteſt plurificari in diuinis, quod non poteſt determinari ad certam pluralitatem; ſi ergo plurificatur filiatio in diuinis non poteſt determinari ad certam pluralitatẽ; non enim ex rõne formali filiationis, quia qua rõne poſſent eſſe duæ, poſſent etiã eſſe infinitæ; nec ex formali principio .ſ. memoria paterna, quia qua ratione poſſet in duos, ita poſſet in infinitos; nec poteſt determinari per aliquam priorem pluralitatem, quia nulla eſt prior. q. 2. a. 2.

Petrus Aureolus reſpondet, quod ſtante quod nulla vna natura tota ſubſiſtens, vel vna tota quiditas, ſiue vnum totum totale plurificari poſſit, ſequitur quod non poſſunt plures eſſe filij in diuinis, eſt enim filiatio vna tota quiditas ſubſiſtens, & ſimiliter paternitas, verbum item vnum totale ſubſiſtens, & intelligere patris. d. 7. a. 4. p.

Franciſcus Maro reſpondet, quod non poſſunt eſſe plures filij in diuinis; primò, quia non poteſt eſſe niſi vna filiatio determinata ad vnum, ſi enim non eſſet determinata ad vnum, ſicut poſſet in pluribus, ita in infinitis; ſecundò, quia non eſt, niſi vnum principium productiuum adæquatum, quod eſt memoria fæcunda. d.

Guilelmus Occham reſp. quod magis tenendum eſt ex auctoritate ſacræ ſcripturæ, quod non poſſint eſſe plures filij in diuinis, quam propter aliquam efficacem rationem, ſunt tamen aliquæ perſuaſiones; prima, quia im- d.

Digitized by Google

impoſſibile eſt in eodem fundamento eſſe plures relationes omnino eiuſdem rationis, niſi propter diuerſitatem abſolutorum in terminis, quæ non eſt in diuinis; ſecundò, quia idem agens, & producens naturale, & totale non poteſt producere de eodem niſi vnum vnius rationis; tertiò, quia ſic filiatio eſſet compoſſibilis Patri, ſicut eſſet paternitas compoſſibilis filio, quod eſt impoſſibile; quando enim aliqua ſunt omnino eiuſdem rationis nihil eſt compoſſibile vni, quin aliquid ſimile ſit compoſſibile alteri.

d.7. q.vn. a.3. Thomas ab Argentina reſpondet, quod ſicut natura in creaturis, quæ eſt potentia generandi ipſarum creaturarum in actum generationis non prorumpit ſine accidentibus, quibus mediantibus actualiter determinatur ad actum generationis, ſic diuina natura, quæ eſt perfecta potentia generandi in actum generationis non prorumpit niſi vt ſtat ſub proprietate generationi congruente, quæ eſt paternitas; cum igitur in Filio ſit diuina natura, ſub oppoſita proprietate .ſ. filiatione, quamuis in ſe habeat perfectam potentiam generandi, non poteſt tamen generare.

d.7. q.1. Guilelmus Rubion reſpondet, quod licet iſta propoſitio, Filius generare non poteſt, nõ poſſit euidenter demonſtrari, neque infideli trinitatem neganti, neque catholico ipſam aſſerenti, poteſt tamen aliqualiter perſuaderi; quia ſi poſſet generare, vel poſſet generare Patrem, vel ſe, vel Spiritum ſanctum, vel aliam perſonam, quæ omnia ſunt impoſſibilia; nam Pater generari non poteſt, nec Spiritus ſanctus, nec ſimiliter Filius a ſe, quia ſic generaret ſeipſum, nec etiam aliam perſonam, quia ſic eſſent plures perſonæ, quam tres in diuinis, ergo nullo modo Filius generare poteſt.

d.6. Alphonſus reſpondet abſolutè, quod Filius generare non poteſt alium filium, quia hanc generationem actiuam non habet ſibi communicatam a Patre, cum ſecundum eam opponatur ei; nec ſimiliter Pater id poteſt, quia potentia generandi, quam habet eſt cõiuncta actui generationis ſibi totaliter adæquato, & ſemper ſtanti, alioquin Filius, qui producitur per huiuſmodi actum non eſſet in omnibus adæquatus Patri, & poſſet non eſſe, quod eſt impoſſibile.

d.7. q.1. Ioannes Bacconus reſpondet, quod quando aliqua productio habet terminum per modum ſpeciei, & non per modum indiuidui, impoſſibile eſt in tali ſpecie productionis multiplicari indiuidua, & quia productio in diuinis, quæ eſt generatio habet terminum per modum ſpeciei, & non indiuidui, cum ſit perfectiſſima productio, & habet terminum conſtitutum in totali eſſe, igitur non poſſunt plurificari filij per generationem diuinam; ſecundò, Pater in generando Filium, habet Filium pro termino adæquato ſuæ productionis, alioquin generatio eius eſſet imperfecta, ergo alios filios generare non poteſt.

Marſilius reſpondet, quod licet in Filio ſit perfecta potentia generandi, nunquam tamen per eam poteſt generare, quia non poſſunt eſſe diuinæ perſonæ plures tribus. q.11. a.5.

Laurentius Opimus reſpondet, quod eſt vnicum præcisè principium, vnica ratio, & vnicus modus generandi verbum in diuinis; igitur & ipſe terminus vnus; vnica item notitia, & ſimilitudo perfectè adæquata, de natura Patris, igitur & vnum verbum. d.7. q.2.

Michael de Palatio reſpondet, quod generatio Filij ita explet generatiuam potentiam, quod ad alium generandum non ſe poteſt proferre; & ſic explicanda ſunt verba D. Aug. Non quia non potuit, ſed quia non oportuit, ideſt non eſt impotens Filius, quia alium non generat, ſed quia non oportet, ideo non generat; non autem oportet, quia eius generatio explet totam generatiuam potentiam. d.7. diſ.1. & d.13. diſp.

Ludouicus Molina reſpondet, quod cum diuinus intellectus non habeat rationem potentiæ generatiuæ, niſi in illo, qui illum habet a ſe, is verò qui illum habet a ſe vnico actu intellectus, vnicum producat verbum, ac Filium, fit vt vnus tantum ſit Filius, qui rurſus per intellectum non producit alium Filium, eo quod intellectus in eo rationem non habet generatiuæ potentiæ. a.6.

Reſolutio.

RESpondeo, quod eadem impoſſibilitate, qua impoſſibile eſt plures eſſe perſonas in diuinis quam tres, eadem impoſſibilitate, eſt etiam impoſſibile plures eſſe Filios in eis, eſt autem hæc impoſſibilitas, impoſſibilitas proueniens ab illa neceſſitate, qua Deus neceſſario vnus eſt, & trinus, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, & ideo non niſi fruſtrà nitimur, ſi rationibus certis, & demonſtratiuis hanc eãdem probare exiſtimamus, quæcunque enim illæ ſine ſolui poſſunt. Si quæ tamen eſſet ratio valida, inter alias, hæc vna potiſſima eſſet. Si in humanis generatio plurium filiorum eſt poſſibilis, hoc eſt, quia in generatione vnius, non communicatur totũ ei, quod eſt communicabile ſecundum illam naturam, vt cuilibet intuenti patet, ſi enim

Adam

Adam communicaſſet Cain filio ſuo, totum quod erat communicabile ſecundum naturam humanam quocunque tempore, & cuicunque ſuppoſito non fuiſſet poſſibile generari alium filium; ſed Pater in diuinis generando Filium communicat ei totum, quod eſt communicabile in natura illa, quia infinita eſt, & infinitè communicatur, alioquin Filius infinitus non eſſet, idcirco alius filius generari non poteſt. Et ſic dicendum eſt de Spiritu ſancto, quod, quia Pater, & Filius, ipſum ſpirando communicant ei totum, quod eſt communicabile in natura illa per ſpirationem, non poteſt plurificari, ita quod ſint plures Spiritus ſancti.

ctio. Sed ſi non diminuitur potentia Patris in hoc, quod generat?

Reſpondetur, quod hoc non prouenit ex defectu potentiæ, ſed ex diſtinctione ſuppoſitorum diuinæ naturæ, quæ tolleretur, ſi eſſet talis multiplicatio Filiorum in diuinis. Ita D. Thomas. Vel vt ait Scotus, hoc prouenit ex ipſa natura rei, quæ ex ſe in pluribus ſuppoſitis, quam tribus, plurificari non poteſt.

QVÆSITVM VII.

An ſit eadem potentia in Deo generandi, & potentia creandi?

d.7. q.1. D. Thomas reſp. quod potentia generãdi, & potentia creandi, ſi conſiderentur ſecundum quod radicantur in diuina eſſentia, cum hæc vna ſit, & eadem, vna item, & eadem eſt potentia; at verò ſi conſiderentur ſecundum quod coniunguntur ſuæ operationi, cũ aliud ſit generare, & aliud creare, alia ſimiliter eſt potentia generandi, & alia creandi.

q.3. D. Bonau. reſp. quod potentia generandi, & potentia creandi, non ſunt quidem vna, & eadem potentia ſecundum rationem, ſed bene ſunt vna, & eadem ſecundum rem; & hoc probat dupliciter; primò, Vnius potentis omnino ſimplicis, vnica eſt tantum potentia; ſed Pater eſt potens omnino ſimplex, & eius eſt potentia generandi, & potentia creandi, ergo huiuſmodi potentiæ ſunt vna; ſecundò, ſi alia eſſet, ſecundum rem potentia generandi a potentia creandi, cum potentia generandi reſpiciat perſonam, creandi verò naturam; ergo ſecundum rem aliud eſſet perſona a natura, quod eſt falſum.

d.7. q.3. Aegidius reſp. quod potentia generandi, & potentia creandi in ſe, & realiter ſunt idem, non tamen ſecundum rationem, & comparationem ad actus.

Ricardus reſp. quod de virtute ſermonis iſta propoſitio non eſt vera, poſſe generare, q.4. eſt poſſe creare, licet enim huiuſmodi poſſe dicant diuinam eſſentiam, quæ eſt quid abſolutum, in quo realiter ſunt vnum, & idem; important tamen diuerſos reſpectus ad diuerſa connotata, nam poſſe creare importat reſpectum rationis ad creaturam, quã connotat, vt creabilem, poſſe verò generare importat reſpectũ realem ad perſonam, quã connotat, vt generabilem, & idcirco non ſolum ratione, ſed etiam pluſquam ratione propter tales reſpectus, & etiam maxime propter connotata differunt.

Herueus reſp. quod potentia Dei eſt ſecũ- d.42. dum rem vnam, quia non eſt niſi vna forma abſoluta, ſed plures ſecundũ rõnem, quia ſunt plures communicationes diuerſarũ rationũ, vt communicationes per generationem, ſpirationem, & creationem, igitur & earum principia ſecundum rationem diſtinguuntur.

Paulus Scriptor reſp. quod vna eſt poten- d.7. tia generandi, & creandi realiter, quia omnia ſunt idem in diuinis, ſed non formaliter quia memoria eſt potentia generandi; voluntas verò potentia creandi.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſi potentia creandi cõſideratur, vt in ſingulis perſonis diuinis, ſic diſtinguitur a potentia generandi, non ſolum penes actus, ſed etiam penes ſuppoſita, nam potentia creandi eſt in quolibet ſuppoſito diuino, potentia vero generandi eſt tantũ in Patre; & ſicut iſta identificatur cum Patre, ita & illa identificatur cum eſſentia, vnde cũ Pater, & eſſentia, ſint idem ſecundum rem, & diſtinguantur ſecundum rationem, ita etiã potentia generandi, & potentia creandi in Deo; ſed ſi potentia creandi conſideratur vt in Patre, ſic etiam diſtinguitur ſecundum rationem, & non ſecundum rem a potentia generandi; talis tamen diſtinctio eſt tantum penes actus, non penes ſuppoſita.

Sed ſi obiecta harum potentiarum realiter Obiectio. diſtinguuntur? eſt enim obiectum potentiæ generandi Deus, creandi verò creatura; eſt autem regula quod potentiæ diſtinguuntur per actus, actus verò per obiecta.

Reſpondetur, quod potentiæ diſtinguuntur per actus, qui habent completionem ab obiectis, quales non ſunt actus diuini. Ita D. Bonau. Et D. Thomas dicit, quod argumentũ procedit de potentijs comparatis ad actum, non quatenus radicantur in diuina eſſentia.

DI-

QVAESITVM VIII.

An Potentia generandi in diuinis ſit prior potentia creandi.

q. 1. a. 1. D. Thomas reſpondet, quod cum generatio ſit prior creatione, potentia quoq; generandi eſt prior potẽtia creandi. Item Aegidius.

q. 1. D. Bonau. reſp. quod ſi comparamus poſſe creare, & poſſe generare ad illud, cuius ſunt, cum poſſe creare ſit naturæ, poſſe vero generare ſit perſonæ, & intellectus communis ſit ante intellectum proprij, ſic prior eſt ſecundum rationem intelligendi potentia creandi; ſi vero comparamus ad illud, ad quod terminantur, cum potentia creandi reſpiciat temporale, potentia verò generandi æternum, prior eſt potentia generandi, quam potentia creandi.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod per potentiam generandi, quæ eſt in Patre habet eſſe ſuppoſitum Filij, ſi itaque conſideremus potentiam creandi, vt in ſingulis diuinis perſonis, cum potentia ſupponat id, cuius eſt potentia ſupponit eſſe Filium; ſicut ergo ſecundum rationem eſt prior potentia generandi in Patre, quam Filius, qui habet eſſe per illam potentiam, ſequitur, quod potentia generandi ſit prior potentia creandi: quæ etiam eſt prior ſi conſideremus eam, vt in Patre, quia prior eſt illa potentia, quæ eſt ad eſſe diuinũ, quam illa, quæ eſt ad eſſe creatum, cum hoc eſſe ſupponat illud.

Obiectio. Sed ſi commune eſt prius perſonali? eſt autem potentia creandi communis omnibus diuinis perſonis; generandi verò Patris tantum.

Reſpondetur, quod commune, quod per ſe accipitur eſt quidem prius perſonali; ſed quando accipitur cum reſpectu ad creaturas, ratione huius reſpectus adiuncti eſt poſterius. Ita D. Thomas.

DISTINCTIO OCTAVA.

Nunc de veritate, ſiue proprietate, & incommutabilitate &c.

QVAESITVM I.

An Deus ſit immutabilis?

d. 9. q. 3. a. 1. D. Thomas reſp. quod nullo modo Deus eſt mutabilis, quia omne quod mouetur ab alio mouetur, & illud ab alio; ergo vt non ſit proceſſus in infinitum eſt deuenire ad aliquid primum omnino immutabile, quod eſt Deus.

Et iterum reſp. quod impoſſibile eſt Deum aliquo modo mutari; primò, quia omne, quod mutatur, eſt aliquo modo in potentia; Deus autem eſt actus purus, abſque permixtione alicuius potentię; ſecundò, quia in omni, quod mutatur, attenditur aliqua compoſitio, nam quantum ad aliquid manet, & quantum ad aliquid tranſit; in Deo autem nulla eſt cõpoſitio; tertiò, quia omne, quod mouetur motu ſuo aliquid acquirit, & pertingit ad illud, ad quod prius non pertingebat, hoc autem Deo conuenire non poteſt propter ſuam infinitatem, & plenitudinem perfectionis. p. p. q. 9. a. 1.

D. Bonau. reſp. quod omne, quod mutatur, vel mutatur ſecundum ſubſtantiam, vel ſecundum accidens, Deus autem cum ſit incorruptibilis, non mutatur ſecundum ſubſtantiam, & cum in eo nullum ſit accidens, neque mutatur ſecundum accidens; vnde nullo modo mutatur. Deus item cum ſit vbique non mutatur loco, cum ſit actus purus non mutatur forma, & cum ſit æternus non mutatur tẽpore; igitur nullo modo mutatur. d. 8. q. 1.

Ægidius reſp. quod aliquid dicitur moueri tripliciter per ſe, vt corpora, per accidens, vt formæ inhærentes corporibus, & ab intra, vt intelligentiæ mouentes orbem; Deus itaque non mouetur per ſe, quia eſt præter omnem magnitudinem; non per accidens, quia a nulla re dependet, qua mota moueatur, & ipſe, nec tandem ab intra, quia, quæ ſic mouentur, mouentur ad finem, Deus autem eſt omnium finis, igitur nullo modo mouetur. d. 8. q. 1.

Henricus reſp. quod Deus eſt omnino immutabilis, tam tranſmutatione de non eſſe ad eſſe, quam de eſſe ad non eſſe; tranſmutatione de non eſſe ad eſſe, quia habet eſſe a ſeipſo formaliter, & per ſuam eſſentiam, quæ de ſe eſt neceſſe eſſe, & effectiuè a nullo, & ſic ęternaliter ſtans, & manens in eſſe eſſentialiter habito, & nullo modo accepto: tranſmutatione de eſſe ad non eſſe, quia eſſentia eius, & eſſe, ſunt idem re, & intentione, vnde ab inuicem ſeparari non poſſunt. a. 30. q. 1.

Ricardus reſp. quod ideo Deus omnino immutabilis eſt, quia eſt actus purus nullam ſecum patiens poſſibilitatem; ſecundò, quia in eo nulla eſt compoſitio; tertiò, quia eſt infinitè perfectus. d. 8. q. 1.

Ioannes Scotus reſp. quod quacunque mutatione ſiue ſubſtãtiali, ſiue accidentali, Deus d. 8. q. 5.

ſimpliciter eſt immutabilis; primò, quia eſt ſummè ſimplex, quapropter mutari non poteſt ad aliquam formam, quæ in ipſo recipiatur; ſecundò, quia eſt neceſſe eſſe, & idcirco non poteſt mutari ab eſſe in non eſſe, vel econuersò; quæ mutatio a D. Ioann. Dam. appellatur verſio. Itē Andr. de nouo Caſtro.

d.8. q.2. Herueus reſp. quod Deus nec eſt ſubiectū mutationis, quia non eſt ſubiectum alicuius inhærentis ſibi; nec eſt illud, ſecundum quod fit mutatio, quia non eſt actus, aut forma alteri inhærens; nec eſt mutabilis per vertibilitatem in nihil, vel per fieri ex nihilo, quia omne quod eſt ſic mutabile habet causā ante ſe, a qua nō ſolum in fieri, ſed etiam in eſſe dependet, cuius influentia ſubtracta, tale ens cederet in nihil; hoc autem repugnat Deo, vt primæ cauſæ, igitur & quælibet mutabilitas.

d.8. q.3. Durandus reſp. quod omne quod eſt mutabile, vel eſt mutabile per potentiam, quæ eſt in altero, vel per potentiam, quæ eſt in ipſo; Deus autem non eſt mutabilis per potentiam, quæ eſt in altero, quia quod eſt ſic mutabile habet cauſam, ipſe autem nullam cauſam habet; nec per potentiam, quæ eſt in ipſo, quia quod eſt ſic mutabile non poteſt eſſe perfectum, talis enim mutatio ſiue ſit ſubſtantiæ, ſiue accidentis arguit imperfectionem, quæ nulla eſt in Deo, igitur nec aliqua mutatio poteſt eſſe in ipſo.

d.8. a.2. Petrus Aureolus reſp. quod Deus eſt ſimpliciter immutabilis, non ſolum quo ad eſſe ſubſtantiale, vt non poſſit fieri non Deus, ſed etiam quo ad eſſe accidentale, vt non poſſit fieri non ſapiens, non bonus, & huiuſmodi: quod probat, non ſolum in generali, quia immutabilitas eſt perfectio ſimpliciter, omnis autem perfectio ſimpliciter eſt ponenda in Deo; ſed etiam in ſpeciali, quia .ſ. eſt inſeparabilis connexio inter eius eſſentiam, & eſſe, & tanta formalitas in eſſendo, quod eſt, quicquid eſt; nec conceptui quiditatiuo eius deitatis aliquid vltra deitatem ipſam, addi poteſt.

q.7. a.3. Franciſcus Maro reſp. quod Deus ex infinitate ſua eſt quicquid habet, & quicquid eſt, eſt Deus, ſi ergo mutaretur, terminus mutationis haberetur a Deo, & ſic eſſet de nouo Deus, quod repugnat.

d.8. q.7. Guil. Occham reſp. quod mutatio tripliciter ſumitur, largè, ſtrictè, ſtrictiſſimè; primo modo dicitur aliquid mutari, quod habet eſſe poſt non eſſe, vel econuersò; ſecundo modo quando recipit aliquid, quod prius non habebat, vel non habet, quod prius habebat; tertio quando aliquid manens ſecundum ſuam eſſentiam habet aliquid in ſe informans ipſum, quod prius non habebat, vel econuersò; itaquod ſubiectum manens prius eſt ſub forma, & poſtea ſub priuatione, vel econuersò. Deus itaque eſt immutabilis omnibus his modis, primo, & ſecundo, quia eſt neceſſe eſſe, tertio, quia eſt ens infinitum, quod perfici nullo modo poteſt. Item Petrus Aliac.

Adam Godam reſp. quod mutatio ſumitur tripliciter; primò, communiter pro omni noua inceptione rei, vel annihilatione, deſtructione, & huiuſmodi, & hoc modo Deus eſt immutabilis, quia eſt neceſſe eſſe; ſecundo pro omni receptione formæ non præhabitæ, vel pro deſinere habere formam pręhabitam, & ſic Deus eſt per ſe, & ſecundum ſe immutabilis, quia eius nō eſt, ſecundum ſe, formam aliquam ſubiectiuè recipere; tertio propriè, pro omni receptione noua formæ informantis vel ſitus, & ſic etiam eſt immutabilis ad locum, & ſitum. d.8. q.vn.

Guilel. Rub. reſp. quod ex hoc, quod Deus eſt neceſſe eſſe, & primum ens, poteſt euidenter probari eſſe eſſentialiter immutabilē, quod enim eſt neceſſe eſſe, nec incipere poteſt nec deſinere; & quod eſt primum, a nullo poteſt poni, nec deſtrui; ſed quod ſit accidentaliter immutabilis, quamuis ad hoc rationes probabiles adduci poſſint; non ſunt tamen demonſtrationes, quia ſolui poſſunt, & non conuincunt. d.8. q.6.

Michael de Bononia reſp. quod increatum eſſe, de non eſſe ad eſſe, & de eſſe ad non eſſe, eſt omnino immutabile; primò, quia nec poteſt incipere eſſe, nec deſinere; ſecundò, quia eſt neceſſe eſſe; tertiò, quia eſt purus actus eſt etiam immutabile loco, & tempore; quia nec in loco eſt, nec de eo prædicari poſſunt differentiæ temporis. d.8.

Nicolaus de Nijſe reſp. quod mutari ſecūdum Ariſt. eſt aliter ſe habere nunc, quam prius, & ideo omne mutabile eſt potentiale, & quoniam Deus eſt purus actus, ideo non eſt mutabilis, hoc eſt, non poteſt aliter ſe habere nunc, quam prius. tr. 1. p. 2. q. 3.

Ioannes Maior reſp. quod procedendo ſecundum lumen naturale, debemus dicere, quod Deus nullo modo eſt mutabilis; non eſſentialiter, quia de neceſſitate eſt; non accidentaliter, quia ob ſuam perfectionem nullum accidens recipere poteſt; non localiter, quia omne, quod mouetur ab alio mouetur; ipſum autem eſt primum mouens; non ſecundum quantitatem, quia omnino eſt impartibilis. d.8. q.2.

Guilel. Eſtius reſp. quod cum Deo nihil ſit potentius, quod ipſum mutare poſſit, vel d.8. S.4.

non

non conſeruare, nulla in eo ſit imperfectio, quam abijciat, nulla ei deſit perfectio, quam acquirat, ſequitur quod non eſt mutabilis.

19. Ludouicus Molina reſp. quod omne quod mutatur eſt in potencia ad id, quod mutatur, admittitque aliquam compoſitionem ſaltem cum eo ad quod mutatur, & quoniam Deus eſt actus purus & ſimplex, idcirco mutari non poteſt. Eſt item Deus prima cauſa, & ob id eſt ens, quod eſt neceſſe eſſe, quodque neque incipere poteſt, neque deſinere, atque de ſua eſſentia eſt ſua propria exiſtentia; igitur nec ſecundum ſubſtantiam, nec ſecundum accidens, ſiue ad eſſe, ſiue ad non eſſe, eſt mutabilis.

diſp. 20. ar. 2 Gabriel Vaſquez reſp. quod in natura rationali triplex eſt genus mutationis, ſecundum eſſe, ſecundum accidens, & ſecundum propoſitum, & voluntatem; & ſecundum horum quodlibet Deus eſt immutabilis; ſecundum eſſe, non quia eſt ſuum eſſe, ſed quia ab alio non pendet; ſecundum accidens, quia in eo nullum eſt accidens; nec ſecundum propoſitũ, & voluntatem, quia neque aliquid prius probat vt verum, deinde falſum iudicat; neque prius aliquid decernit, quod poſtea non velit.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut aliquid dicitur mutabile, quod poteſt aliter ſe habere, quã prius ſe habebat; ita omne illud dicitur immutabile, quod non poteſt aliter ſe habere, quam prius ſe habebat, aliquid autem aliter ſe habere, quam prius ſe habebat, contingit dupliciter, vel ſecundum id, quod eſt, vel ſecundum id, quod operatur; ſi ſecundum id, quod eſt, ſiue ſecundum ſubſtantiam, ſiue ſecundum accidens, adhuc dupliciter, vel vt aliter ſit, quam prius erat, vel vt deſinat ſimpliciter eſſe, quod erat; ſi ſecundum id, quod operatur, adhuc etiam dupliciter, vel vt aliter operetur, quam prius operabatur, vel vt deſinat ſimpliciter ab operatione. Cum itaque nomine Dei intelligamus id, quo nihil maius excogitari poteſt, ac proinde id, quod eſt ſummæ actualitatis, perfectionis, & infinitatis, impoſſibile eſt, quod aliquo modo ſit mutabilis, neque ſecundum id, quod eſt, neque ſecundum id, quod operatur; non ſecundum id, quod eſt, quia cum ſit quicquid eſt ſummè perfectè, & actualiſſimus eſt, & infinitus, non poteſt in vlteriorem perfectionem, actualitatem, & vlterius eſſe, ſicut nec poteſt deſinere, tali enim aliquod maius excogitari poteſt; non ſecundum id, quod operatur, quia omnis operatio eius eſt per intellectum, & voluntatem, intellectus autem cum ſit ſummè perfectus infinitus, & ſimpliciter in actu non poteſt in vlterius intelligibile, neque deſinere ab eius intellectione; ſimiliter nec voluntas poteſt in vlterius volitũ, neque deſinere ab eius volitione, eſt enim æquè ſummè perfecta, ſicut intellectus.

Obiectio. Sed ſi Deus ex non agente, & operante, ſit aliquando agens, & operans, ſicut ex non creante, creans?

Reſpondetur, quod Deus ex non agente, & operante ſit agens & operans, actione, & operatione, quæ non differt a ſua ſubſtantia; & inde non ſequitur, quod propter hoc mutetur. Ita D. Thomas. Et Alex. quando ex non agente (inquit) ſit agens, non arguitur ſemper mutatio ex parte agentis, ſed ex parte ſuſcipientis.

QVÆSITVM II.

An ſolus Deus ſit immutabilis?

ALex. reſp. quod ſicut duplex eſt mutatio ad eſſe .ſ. & in eſſe, ita duplex eſt immutabilitas ad eſſe .ſ. & in eſſe; Deus itaq; eſt immutabilis quo ad eſſe, & in eſſe, creaturę verò quãuis aliquę ſint immutabiles quo ad eſſe, quia habent eſſe perpetuum, vt Angeli, & animæ, omnes tamen ſunt mutabiles in eſſe, & ſi non ſecundum ſubſtantiam, ſaltem ſecundum accidens, & idcirco ſolus Deus ſimpliciter dicitur immutabilis. *p. p. q. 5. m. 3*

Albertus reſp. quod omnes creaturæ, aut mediatè, aut immediatè exeũt ab ęterno, idcirco omnes creaturæ ſecundum naturam ſunt mutabiles; ſolus ergo Deus eſt immutabilis. *q. 21*

D. Thomas reſp. quod mutatio ſequitur poſſibilitatem, & quoniam in qualibet creatura eſt quædam poſſibilitas, tam ſecundum totum, quam ſecundum partes, cum eſſe ſuum ſit eſſe dependens; idcirco omnis creatura eſt aliquo modo mutabilis. *d. 8. q. 3. a. 2.*

Et iterum reſp. quod omnes creaturæ ſunt mutabiles, non ſolum ſecundum potentiam quæ eſt in Deo, in cuius poteſtate eſt eſſe, & non eſſe earum, ſed etiam ſecundum potentiam, quæ eſt in ipſis; ſi enim ſunt ſubſtantiæ corruptibiles, & generabiles, quoniam materia talium poteſt eſſe cum priuatione formæ ſubſtantialis, & accidentalis, & conſequenter ſunt mutabiles ſecundum tale eſſe; ſi verò ſunt incorruptibiles, & corporeæ licet non ſint in potentia ad eſſe ſubſtantiale, quoniam earum materia non poteſt eſſe cum pri- *p. p. q. 9. a. 2.*

priuatione formæ cum illa perficiat, & impleat totam potentialitatem materiæ, ſunt tamen in potentia ad eſſe locale, & ex conſequenti ſunt mutabiles ſecundum locum; ſi verò, ſunt incorruptibiles, & incorporeæ, licet non habeant potentiam intrinſecam ad non eſſe, cum ſint formæ per ſe ſubſiſtentes, quæ non compatiuntur ſecum priuationem actus eſſēdi, quomodo eſſe cōſequitur formā, ſunt tamen in potentia ad finem, & ad applicandam ſuam virtutem in diuerſis locis, & ſic aliquo modo ſunt mutabiles.

d. 8. q. 2. D. Bonau. reſp. quod ſi ſumitur immutabilitas, vt eſt inuariabilitas, nulla creatura omnino eſt immutabilis, neque per naturam, neque per gratiam, quia omnis creatura, aut eſt accidens, aut habet accidens; ſi ſumitur, vt eſt incorruptibilitas, eſt quidem aliqua creatura immutabilis per naturam, vt creatura ſimplex, & aliqua etiam per gratiam, vt creatura glorificata, non tamen omnis; ſi ſumitur, vt eſt inuertibilitas, licet ſit aliqua creatura immutabilis per gratiam, nulla tamen eſt immutabilis per naturam, quia nulla creatura habet ex natura ſua, quod per ſe ipſam ſtare poſſit, & eſſe, & ita nulla creatura eſt, quæ aliquo modo non ſit mutabilis.

d. 8. q. 2. Ægidius reſp. quod omnis creatura, vel eſt corporalis, vel ſpiritualis non vnita corpori, vel ſpiritualis corpori coniuncta; corporalis poteſt moueri per ſe, quia poteſt eſſe ſubiectum motus, poteſt moueri per accidens, quia poteſt eſſe in corpore, quod mouetur per ſe; & poteſt moueri ab intra accipiendo largè talem motum, inquantum corporalibus conuenit agere propter finem; ſpiritualis corpori coniuncta non mouetur per ſe, quia non eſt quanta; ſed bene per accidens ad motum corporis, & mouetur ab intra, quia agit propter finem; ſpiritualis vero non coniuncta corpori non mouetur per ſe, quia non eſt quanta, non per accidens, quia non eſt forma corporis, ſed mouetur ab intra, quia agit propter finem.

d. 8. q. 2. Ricardus reſp. quod omnis creatura eſt mutabilis ſaltem ea mutabilitate, quæ eſt vertibilitas in nihilum, poteſt enim non eſſe; nam ſicut antequam eſſet, ex ſe non habebat, quod eſſet, ita modo poſtquam eſt, ex ſe non conſeruatur in eſſe, ſed ab eo a quo habet eſſe.

d. 8. q. 5. Ioann. Scotus reſp. quod nihil aliud a Deo eſt immutabile, quia nihil aliud a Deo eſt formaliter neceſſarium, & ſimpliciter perfectum ſi enim aliquid eſſet immutabile eſſet intelligentia prima, quæ tamen eſt mutabilis, non ſolum ea mutatione, quæ eſt vertibilitas, cum non ſit ens formaliter neceſſarium, ſed etiam mutatione ſubiectiua, cum ſit receptiua plurium intellectionum, non enim vnica intellectione, aut ſimul propter ſuam finitatem omnia intelligibilia intelligere poteſt.

Durandus reſp. quod omnis creatura, eſt mutabilis, & per potentiam, quæ eſt in Deo, quia ſecundum ſe totam dependet ab eo, vnde mutabilis eſt per ſubtractionem influentiæ illius, & etiam, quia in nihilum poteſt reduci; & per potentiam, quæ eſt in ipſa, quia non eſt omnino, & ſimpliciter perfecta, vnde poteſt mutari, vel ſecundum formam, vel ſecundum locum, vel ſecundum electionem. d. 8. q. 8.

Petrus Aureolus reſp. quod omnis creatura cum ſit quodam ens diminutum poteſt concipi abſque actu eius primo, & intrinſeca actione, quæ eſt eſſe, nec ſolum poteſt abſque prima actione concipi, ſed etiam ſub eius oppoſito, videlicet, vt non habens eſſe, quod eſt prima operatio cuiuslibet rei, idcirco omnis creatura eſt poſſibilis ad eſſe, & non eſſe, & cum Deus non poſſit ſic concipi, ſolus ipſe eſt incommutabilis, & neceſſe eſſe. d. 8. a. 4.

Franciſcus Maro reſp. quod in rebus creatis eſt ponenda vltima forma, quæ quoniam non poteſt mutari, ſicut cætera mutabilia in vlteriorem formam, dicitur immutabilis; quia tamen eſt ratio immutandi aliud; eſt enim illud, quo ſubiectum eam recipiens mutatur, ideo aliquo modo dicitur mutabilis. q. 7. a. 3.

Guilelmus Occham reſp. quod mutatio tripliciter ſumitur, large, ſtrictè, ſtrictiſſimè; primo modo omnis creatura eſt mutabilis, quia a principio mundi eſt producta; ſecundo modo verò, & tertio, quoniam eſt aliqua creatura, quæ nullius eſt receptiua, alioquin daretur proceſſus in infinitū, ſic eſt concedendum, quod aliqua creatura eſt immutabilis. Item Petrus Aliac. d. 8. q. 7.

Adam Godam reſp. quod ſolus Deus eſt immutabilis, accipiendo mutationem non ſolum pro noua inceptione rei, vel annihilatione, ſed etiam pro receptione formæ non præhabitæ, vel deſiſione præhabitæ; & ſimiliter ad locum, & ſitum, licet non ſolus ſecundum ſe ad formam, multa enim alia ſunt a Deo, vel ſaltem ſunt poſſibilia, quæ non poſſunt per formas in eis receptibiles ſubiectiuè perfici, aliter eſſet proceſſus in infinitum in formis eſſentialiter ordinatis receptibilibus in hoc ſubiecto. d. 8. q. [illegible]

Guilelmus Rubion reſp. quod omne ens creatum eſt ſupernaturaliter mutabile accipien- d. 92 q. 6.

piendo mutationem largè, pro ea .ſ. ſecundum quam, vel nunc non exiſtit, vel prius non fuit, quod ſic dicitur eſſe mutatum, nam quodcunque ens ſicut factum eſt a Deo, ita poteſt totaliter annihilari.

d.8. Michael de Bonon. reſp. quod nullum eſſe creatum eſt omnino immutabile, primò, quia omne creatum eſt dependens eſſentialiter a conſeruatione alicuius conſeruantis liberè, .ſ. Dei, qui conſeruat liberè, cum contingenter agat; ſecundò, quia capit eſſe poſt non eſſe, cum contingenter habeat eſſe.

W. 1. p. 1. q. 8. Nicolaus de Nijſe reſp. quod ſicut Deus liberè produxit omnia, ita liberè in eſſe conſeruat, poteſt ergo non conſeruare, & ita res ab eſſe decidere, & mutari.

d.8. q.5. Ant. Andr. reſp. quod omnis creatura eſt mutabilis mutatione quæ eſt verſio, cũ enim ſit ex nihilo, eſt etiam conuertibilis in nihil.

Reſolutio.

RESpondeo, quod cum nihil aliud a Deo ſit ſummæ perfectionis, actualitatis, & infinitatis, poſſibile eſt omne tale mutari, non ſolum ſecundum id, quod eſt, ſed etiam ſecundum id, quod operatur, quia nedum poteſt in vlteriorem perfectionem, intellectionem, & volitionem, ſi eſt agens ſecundum intellectum, & voluntatem, ſed etiam poteſt deſinere ab hac, & illa intellectione, & volitione, & ſi eſt agens non ſecundum intellectum, & voluntatem, ab hac, & ab illa operatione, & ſimiliter ab eſſe, cũ ſit aliquid aliud, quod maius eo excogitari poteſt, quod eſt Deus, cuius potentiæ ad nutum omnia ſubiacent, & in eſſe, & in conſeruari.

Obiectio. Sed ſi materia eſt inuariabilis, vt dicit D. Aug. lib. 12. Conf. Similiter & forma, vt dicit auctor ſex principiorum. Item cælum empireum, animæ beatorum, & etiam vniuerſale, quia vbique eſt, & ſemper?

Reſpondetur, quod vniuerſale, & materia, non ſunt quidem mutabilia ſecundũ eſſe per ſe, cum non habeant eſſe niſi in particularibus compoſitis, ſunt tamen mutabilia per accidens; Ita D. Thom. Et Ægid. Forma dicitur inuariabilis propter ſuum eſſe abſolutum, non eſt tamen huiuſmodi ſimpliciter, propter habitudinem, quam habet, vt ſit in materia. Ita Ricardus. Cælum empyreum eſt variabile, ſi non ſecundum locum, ratione tamen contenti, vel ſaltem a diuina potentia; & animæ beatorum, ſi non quantum ad præmium, variari tamen poſſunt, quantum ad conuerſioné ad inferius, tum quantũ ad affectiones, tũ quantum ad actiones. Ita D. Bonau.

QVÆSITVM III.

An Deus ſit æternus?

DThomas reſp. quod ratio æternitatis conſequitur immutabilitatem, ſicut ratio temporis conſequitur motum, vnde cum Deus ſit maximè immutabilis, ſibi maximè conuenit eſſe æternum. p. p. q. 1. a. 2.

Ægidius reſp. quod ſi accipiamus æternitatem quantum ad id, quod ſignificat ſic potiſſimè Deo competit, cum ſit de ratione eius interminabilitas, inuariatio, & ſimultas, quæ propriè Deo conueniunt, & ſic Deus eſt æternus; ſed ſi accipiamus æternitatem quantum ad modum ſignificandi, quia ſic ſignificat in abſtracto, & conſequenter non aliquid per ſe exiſtens, ſic æternitas non competit ei, ſed ſuper æternitas, & ſecundum hunc ſenſum dicimus Deum, non æternum, ſed ſuper æternum. d. 8. q. 2. p. 1. pr. 2. a. 3.

Henricus reſp. quod æternitas nihil aliud eſt, niſi diſpoſitio quæ dicit modum durationis eſſendi in permanentia, & fixione in re fixa, & permanente, abſque omni tranſmutatione exiſtens, & quoniam Deus in ſuo eſſe habet durationem omnino fixam, & permanentem, quæ procedit ex omnimoda eius intranſmutatione in ſuo eſſe cum ſit omnino ſimplex, & non tranſmutabilis, ideo dicitur eſſe æternus. a. 3. q. 1.

Reſolutio.

RESpondeo, quod illud dicitur eſſe ęternũ, quod cum ſit, nõ habet principiũ ſecundum durationem ſui eſſe, neque aliquando eſt habiturum finem, quod autem habet huiuſmodi principiũ neceſſe eſt ab aliquo eſſe, a quo incipiat eſſe, & habeat illud, quia quod non eſt, nõ poteſt ſibi eſſe cauſa eſſendi, cauſa enim eſt; neceſſe eſt ergo eſſe ab alio, quod incipit eſſe: quod ſimiliter eſt aliquando habiturum finem neceſſe eſt ab alio dependere in eſſe, ſiue ſit ſimplex, ſiue compoſitum, a quo poſſit auferri ei eſſe, & inde deſinere eſſe, ſicut enim nihil eſt cauſa ſui eſſe, ita nihil eſt cauſa ſui non eſſe. Cum itaque Deus non poſſit eſſe, neque dependere ab aliquo, cum ſit primum ens, a quo eſt omne eſſe, alioquin non eſſet Deus, quia nomine Dei intelligimus id, quo nihil maius excogitari poteſt, quod autem non eſt primum, non poteſt eſſe maius, idcirco neque principium habet ſecundum durationem ſui eſſe, neque vnquam eſt habiturus finem, ac proinde neceſſe eſt eum eſſe æternum.

Sed

Obiectio. Sed ſi in ſcripturis de Deo dicuntur verba præſentis temporis, præteriti, & futuri? hæc autem repugnant æternitati, cum ſit tota ſimul.

Reſpondetur, quod verba diuerſorum temporum attribuuntur Deo inquantum eius æternitas omnia tempora includit, non quod ipſe varietur per præſens, præteritum, & futurum. Ita D. Thomas.

QVÆSITVM IV.

An ſolus Deus ſit æternus?

q. 12. m. 8. ALex reſp. quod de ratione creaturæ, inquantum huiuſmodi, eſt eſſe ab alio de nihilo, & ſic de ratione eius eſt habere eſſe poſt non eſſe, & ita habere principium ſuæ durationis; & quoniam æternitas dicit diuturnitatem ſine principio, & ſine fine, ideo ſoli Deo conuenit; quoniam tamen æternitas dicitur etiam duratio non habens finem, hoc modo aliquæ creaturæ poſſunt dici æternæ, vt .ſ. ſunt perpetuæ.

d. 8. a. 9. Albertus reſp. quod æternum eſt, cuius propria menſura æternitas eſt, poteſt autem attendi menſurans tripliciter .ſ. vt adæquatũ quantitati virtuali menſurati, & ſic ſolus Deus eſt æternus, vel vt excellens menſura, & ſic omnia æuiterna, & ſpiritualia includuntur in æternitate, vel vt exemplar participatum ab alijs quantum vnumquodque poteſt, & ſic ipſum adiacet aliquo modo æuiternis, & tẽporalibus pro ſuo nunc, & quando.

q. 10. a. 3. D. Thomas reſp. quod multa alia a Deo dicuntur æterna, vel quia ſunt diuturna, vel quia nunquam eſſe deſinent, vel quia quandã intranſmutabilitatem contrahunt in eſſe, vel in operatione, quo modo ſancti dicuntur habere vitam æternam; ſed huiuſmodi eſt æternitas participata; ſolus autem Deus eſt æternus æternitate propriè ſumpta, quia talis æternitas conſequitur immutabilitatem omnimodam, & ipſe ſolus eſt omnimode immutabilis.

d. 8. q. 2. a. 2. Ægidius reſp. quod cum hæc tria ſint de ratione æternitatis interminabilitas, inuariabilitas, & ſimultas, nullique creaturæ conueniant, ſed tantũ Deo; omnis enim creatura eſſe cæpit, vel ſaltem habet ordinem naturaliter ad non eſſe, & non habet eſſe totum ſimul per omnem modum, ſicut Deus, idcirco ſequitur quod ſolus Deus ſit æternus, & quoniam eſt enter ens, & habens eſſe per omnem modum, dicitur eſſe æternus ſimpliciter; creaturæ autem quamuis dicantur æternæ, inquantum participant eſſe enter entis, non tamen dicuntur ſimpliciter æternæ, ſed ſecundum quaſdam conditiones.

Petrus Trig. reſp. quod ſolus Deus eſt abſolutè, & ſimpliciter æternus, quædam verò alia a Deo, vt Angeli, & beati dicuntur æterna ſecundum quid, quia .ſ. carent fine, non principio. q. 4.

Greg. de Val. reſp. quod aliæ res a Deo poſſunt dici æternæ, vel per participationem, vel per imitationem, vel per ſimilitudinem æternitatis. q. 10. punc. 2

Reſolutio.

REſpondeo, quod ſicut illud dicitur eſſe æternum, quod cum ſit, neque principium ſuæ durationis habet, neque aliquando eſt habiturum finem, ita illud non poteſt eſſe æternum, quod vel aliquando eſt habiturum finem, vel aliquando principium habuit, licet itaque non omnia alio a Deo ſint habitura finem, omnia tamen habuiſſe principium in ſua duratione, ſeu incepiſſe eſſe, ipſæ ſcripturæ diuinitus nobis datæ, teſtantur.

Sed ſi D. Auguſtinus lib. 83. q. Deum vocat auctorem æternitatis? cum enim non poſſit eſſe auctor ſui, hoc non poteſt eſſe niſi in ordine ad creaturas. Obiectio.

Reſpondetur, quod Deus a D. Aug. dicitur auctor æternitatis non quidem ſimpliciter, ſed æternitatis participatæ, qua etiam creaturæ aliquæ dicuntur æternæ. Ita D. Thomas, Ægidius, & Henricus.

QVÆSITVM V.

An æternitas poſſit dici menſura Dei?

ÆGidius reſp. quod menſura eſt illud per quod certificamur de menſuratis, illud autem per quod certificamur eſt actus, actus autem eſt duplex ſucceſſiuus, & permanens, ſucceſſiuus vt motus, permanens vt eſſe, & ſecundum hos duos actus ſumuntur duæ menſuræ, æuum .ſ. ſiue æternitas, & tempus; æternitas reſpectu eſſe, tempus reſpectu motus; ſicut ergo tempus dicitur menſura per modum mobilis, ſic æternitas dicitur menſura per modum entis, & quoniam in Deo nihil eſt niſi eſſe per omnem modum, & eſt enter ens, ideo veriſſimè æternitate menſuratur. d. 8. p. 1. pr. 2 q. 2. a. 2.

Henricus reſp. quod triplex eſt duratio ſecundum diuerſitatem triplicis eſſe, eſt enim quoddã eſſe omnino immutabile, & ſubſtãtia, & operatione, ſicut eſt diuinum eſſe, cuius du- a. 31. q. 2.

duratio eſt ſemper fixa, ſtans, & eodem modo perſeuerans, & dicitur æternitas; eſt etiã aliud eſſe, quod licet ſemper fixum ſit, & eodem modo perſeueret, incepit tamen eſſe, & deficere poteſt ab eſſe, & eius duratio dicitur æuum, eſt tandem aliud eſſe, quod incepit, & deficiet, & in ſubſtantia & in operatione, continuum fluxũ habens, & mutationem, & appellatur tẽpus; ſicut ergo tempus dicitur menſura rerũ temporaliũ, & æuũ menſura æuiternorũ, ſic æternitas dicitur menſura æterni; cũ ergo Deus ſit æternus ſequitur, quod eius menſura ſit æternitas.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod menſura eſt quantitas nota, quæ relata ad aliam non notam, ipſam determinatè notificat; ſicut ergo tempus dicitur menſura rerum creatarũ, inquantum ipſarum motum, & durationem variabilem notificat relatum ad ipſas, ita æternitas relata ad Deum, inquantum ipſius immobilem, & inuariabilem durationem notificat, poteſt dici menſura eius.

Obiectio. Sed ſi Deus realiter non refertur ad ſeipsũ cum ipſe ſit ſua æternitas, & menſuratum realiter referatur ad menſuram?

Reſpondetur, quod menſuratum realiter refertur ad menſuram, quando realiter differunt ab inuicem menſuratum, & menſura; non ſic autem in propoſito, nam Deus eſt idẽ, quod ſua æternitas, qua menſuratur. Ita Ægidius.

QVÆSITVM VI.

An conueniat Deo præſens, præteritum, futurum?

d. 8. q. 2. a. 4. Ægidius reſp. quod verba temporalia, vt ſcire ſciuiſſe, eſſe, fuiſſe, & huiuſmodi, quantum ad ipſam rem ſignificatam verè de Deo dicuntur, idem enim principaliter ſignificant, quod nomina, vt ſcientia, eſſentia. & huiuſmodi; ſed quantum ad modum ſignificandi, quia conſignificant tempus dicuntur ſecundũ quandam incompactionem, nihilominus propter talem incompactionẽ, ipſa de Deo negare non debemus ſimpliciter, & abſolutè, alioquin nulla propoſitio affirmatiua de Deo dictã, eſſet vera, cum quælibet ſit incompacta.

a. 31. q. 4. Henricus reſp quod verbum ſubſtantiuum duplicẽ habet ſignificationẽ, aliquando enim temporales motus ſecundũ naturam aliorũ verborum deſignat, aliquando ſubſtantiam vniuſcuiuſq; ſine motu; primo modo æqualiter congruit Deo, & æternitati eſſe, fuiſſe, fore, quia idem ſignificant .ſ. diuinam ſubſtantiam, ſub ratione durationis, quæ eſt ſua æternitas; ſecũdo modo maximè ei congruit ratio nunc præſentis, tum propter eius actualitatem, tum propter eius immutabilitatem, quæ minimè inueniuntur in præterito, & futuro, & maximè conueniunt æternitati.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſi præſens, præteritũ, & futurum ſumuntur in genere, vt sũt differentiæ temporis, quoniam ſic variabilitatem, & mutabilitatem important, eſt enim præteritum quod abijt; futurum, quod expectatur, & præſens, quod fluit Deo non cõuenit præſens, præteritum, & futurum, niſi quantum ad actiones tranſeuntes in creaturas, quæ quodammodo variationi ſubijciuntur, cum non ſemper ſint, vel fuerint, ſicut creare, punire, & huiuſmodi; ſi verò ſumuntur extra genus, vt rationes conceptibiles in quacunque duratione, & præſertim in æternitate, ſic Deo conuenit præſens, præteritũ, & futurum; eſt enim verum dicere quod fuit, quod eſt, & quod erit, quod ſcit, quod ſciet, & quod ſciuit.

Sed ſi dicit D. Dionyſ. c. 5. de Diu. Nomin. quod Deus nec erat, nec erit, nec factus eſt, nec gignitur, magis autem nec eſt? *Obiectio.*

Reſpondetur quod D. Dionyſ. negat omnia tempora de Deo ratione modi ſignificandi, vel ratione imperfectionis, quia non ſimpliciter imperfectionem important. Ita Aegidius.

QVÆSITVM VII.

An ſit in Deo aliqua compoſitio; an verò ſumma ſimplicitas?

Alex. reſp. quod omne compoſitum cum poſſit intelligi reſolubile poteſt intelligi non eſſe; & ſimiliter habet in ſe dependentiam ex componentibus, cum igitur Deus nullam ab alio dependentiam habeat, nec poſſit intelligi non eſſe; nullo modo eſt compoſitus. *q. 5. m. 1.*

Albertus reſp. & ex eo quod Deus eſt primum efficiens, neceſſe eſſe, ac proinde non in potentia, forma per ſe, & ſeparata; ac verè quid vnum nullũ in ſe habens numerũ, deducit Deum non eſſe compoſitum; quia hæc omnia competunt compoſitis. *p. P. q. 20. m. 1.*

D. Thomas reſp. quod Deus eſt ſimplex, *d. 8.*

&

q.4. & nullo modo compoſitus; primò, quia eſt ens ſimpliciter primū, nullum autem compoſitum, cum ſit poſterius ſuis componentibus poteſt eſſe tale; ſecundò, quia ſuum eſſe eſt eſſe independens, eſſe autem cuiuslibet compoſiti eſt dependens; tertiò, quia eſt totum ſuum eſſe; cum nobiliſſimo modo habeat eſ-
q.3. ſe. Et in Summa alias rationes adducit; quod
a.7. omne compoſitum cauſam habeat diuerſa .ſ. quæ in eo ſunt adunantem; quod in omni cōpoſito ſit actus, & potentia, quia vel vna partium eſt actus reſpectu alterius, vel ſaltem omnes partes ſunt in potentia reſpectu totius; & quod omne compoſitum ſit aliquid, quod non eſt ipſum; Deus autem nec cauſam habet, nec in eo eſt actus, & potentia, & eſt id quod eſt ipſum; igitur nullam compoſitionem habet. Et contra gen. l. 1. c. 16. alias addit, quia eſt ens nobilius omni ente, quia eſt ens purè beatum, & quia eſt ante omnia.

d.8. D. Bonau. reſp. quod Deus eſt primum in
a.3. genere entium, quod eſt quicquid habet, quod
q.1. eſt ens nobiliſſimum, & quod virtute eſt infinitus, & immenſus, & ideo eſt ſummè ſimplex; hæc enim omnia arguunt ſummam ſimplicitatem in eo.

d.7. Aegidius reſpondet, quod ſunt tres gene-
q.4. rales compoſitiones, quæ reperiuntur in omni compoſito, vna eſt eſſe & eſſentiæ, alia virtutis, & ſubſtantiæ; tertia generis, & differentiæ; & quoniam in Deo non eſt compoſitio eſſe, & eſſentiæ, quia in eo idem eſt eſſe quod eſſentia, nec etiam virtutis, & ſubſtantiæ, quia idem eſt ſua virtus, quod ſubſtantia, nec generis, & differentiæ, quia talis compoſitio non eſt ſine potentialitate, in Deo autem nulla potentialitas; ideo neq; aliqua compoſitio, ſed ſumma ſimplicitas.

a.28. Henricus reſp. quod in Deo non eſt com-
q.1. poſitio ex partibus quantitatiuis, quia non eſt corpus; non ex materia, & forma, quia non habet eſſe aliunde, nec participatum; non ex genere, & differentia, quia nec in genere eſt, nec differentiam habet, qua ab aliquo ſui generis diſtinguatur; non ex eſſentia & eſſe, quia hæc idem penitus ſunt in eo; non ex natura, & ſuppoſito, quia in eo ſuppoſitum prædicatur de natura, & econuerſò; non ex actu, & potentia, quia hæc non differunt in eo; igitur in Deo nulla eſt cōpoſitio.

d.8. Ricardus reſp. quod Deus nec eſt compo-
q.1. ſitus ex alijs, nec eſt etiam cōponibilis alijs, nec aliud eſt componibile ſibi; non eſt compoſitus ex alijs, quia eſt vnum actu; non cōponibilis alij, quia ſic eſſet in potentia, vt reciperetur ab alio; ſi verò aliud eſſet componibile ſibi, ſic eſſet in potentia ad recipiendū illud, quod ſuæ ſummæ entitati repugnat.

Ioannes Scotus reſp. quod Deus non habet compoſitionem ex materia, & forma, quia talis compoſitio præſupponit prioritatem in cauſa efficiente, Deo autem, cum ſit ipſe prima cauſa efficiens, nihil eſt prius; nec ſimiliter ex partibus quantitatiuis, quia cum ſit primum, eſt potentiæ infinitæ, infinita autem potentia non eſt in magnitudine; eſt item Deus ens neceſſe eſſe, & infinitum; igitur non poteſt eſſe niſi ſimplex; ex quo nec ipſe in compoſitionem aliorum venire poteſt, nec alia in compoſitionem illius. Item Anton. Andr. d.8. q.1.

Herueus reſp. & ex eo, quod Deus eſt primum ens, & perfectum; prima cauſa, ſummus; & purus actus deducit, quod eſt ſummè ſimplex, & non compoſitus; nullum enim compoſitum cum dependeat ex partibus poteſt eſſe primum; nec nullam habere cauſam; vel quantum ad vtramque partem, vel quantum ad alteram, vel ſaltem quantum ad vnionem earum; nec eſſe non potentiale, ex pluribus differentibus conſtans. Item Durandus. d.8. q.2.

Petrus Aur. reſp. quod Deus eſt omnis entitas eminenter, & ideo non admittit ſecum additionem alicuius alterius entitatis, ac proinde nullam compoſitionem habet, neque ſecundum rem, quæ eſt triplex; ex partibus quantitatiuis; ex partibus eſſentialibus .ſ. materia, & forma; & ex ſubiecto, & accidente; neq; ſecundum rationem, quæ eſt quadruplex ex actu, & potentia; ſiue ex eſſe, & eſſentia; ex ſuppoſito, & natura, ſicut ex quo eſt, & quod eſt; ex ſubiecto, & proprietatibus intentionalibus; & ex genere, & differentia. d.8. a.1.

Thomas ab Argentina reſp. quod in Deo nulla eſt compoſitio, ſiue ſit ſubſtantialis ex materia & forma, ſiue accidentalis ex ſubiecto & accidente; quoniam in eo nec materia eſt, nec accidens. q.1.

Gerardus reſp. quod in Deo nulla eſt compoſitio, neque realis, quæ eſt quintuplex; ex materia & forma; ex partibus quantitatiuis; ex ſubiecto, & accidente; ex motore, & mobili; & ex fine, & ex eo, quod eſt ad finem; neque ſecundum rationem, quæ eſt ex genere, & differentia; quæ ſingula probat ex eo, quod nullam dependentiam habet, nullam imperfectionem, nullam cauſam ſupra ſe, nullam potentialitatem, ſed ſummā actualitatē, perfectionem, immobilitatem, primitatem, & infinitatem. d.8. q.1.

Marſilius reſp. quod multiplex eſt compoſitio, q.12.

ſitio, quædam ex partibus diuerſarum rationum, vt in ſubſtantijs compoſitis ex actu, & potentia, quædam ex partibus quantitatiuis, vt in ſubſtantijs extenſis, quædam ex ſubiecto,& forma adueniente, qualis eſt animæ humanæ ad ſcientiam, & quædam innitentiæ in aliud prius eo naturaliter, a quo ſuum eſſe dependet, quæ dicitur eſſe, & eſſentiæ. Nulla autem harum habet locum in Deo, non prima, & ſecunda, quia in Deo non ſunt vllæ partes, nec tertia, quia nullo perficitur extrinſeco ſuæ eſſentiæ, nec quarta, qui nihil eſt eo prius.

q 1. Nicolaus de Orbellis reſp. quod in Deo
q.3. nulla eſt compoſitio propter ſuam infinitatẽ.
prol. Nicolaus de Nijſe propter ſuam puram
q.2. actualitatem. Andreas de Nouo caſtro propter ſuam ſummam ſimplicitatem. Michael de Pal. & Vaſquez propter ſuam ſummam perfectionem,& independentiam.

d.8. Guilelmus Varrill. reſp. quod Deus non eſt compoſitus ex materia, & forma; quia omne tale compoſitum eſt imperfectum, ipſe autem perfectiſſimus; non ex partibus quantitatiuis, quia omne tale compoſitum eſt finitum, ipſe autem infinitus; non ex ſubiecto, & accidẽte, quia nulli ſubiacet accidenti ſiue corporali, ſiue ſpirituali, cum ſit immobilis.

q.3. Gregorius de Valentia reſp. quod Deus
p.2. non eſt compoſitus; neque ex materia, & forma, quia talis compoſitio ſemper eſt coniuncta cum aliqua imperfectione; neque ex natura & ſuppoſito, quia non habet in ſe aliquid diſtinctum ab eſſentia ſua; neque ex eſſe, & eſſentia, quia eſſe, & eſſentia in Deo ſunt vnum realiter, & quiditatiuè; neque ex genere, & differentia, quia Deus non eſt in genere; neque ex partibus quantitatiuis, qui a non eſt corpus; neque ex ſubiecto, & accidente, quia nullius accidentis eſt capax. Item Franciſcus a Chriſto d. 8. q. 3. & Archangelus Rub. diſ. ead.

Reſolutio.

RESpondeo, quod in omni eo, in quo eſt aliqua compoſitio, eſt etiam diuerſitas, non ſolum inter ea, quæ in eius compoſitionem veniunt, ſed etiam inter ipſum, & ſua componentia; nam id quod componitur non poteſt eſſe id, ex quo componitur, quia ſic idem eſſet compoſitum, & componens, quod implicat; quamuis itaque in Deo aliqua ſint diuerſa, ſeu diſtincta, vel ſecundum rem, vt perſona,& perſona, vel ſecundum rationem, vt eſſentia, & perſona, attributum, & attributum, & huiuſmodi, quia tamen nihil eſt, quod non ſit Deus, & Deus ipſe non prædicetur de illo, alioquin Deus non eſſet ſimpliciter perfectus, & infinitus, ſicut intelligitur eſſe, ex eo quod eſt id, quo nihil maius excogitari poteſt; idcirco nulla poteſt eſſe compoſitio in eo, ſed eſt ſumma ſimplicitas.

Sed ſi in Deo ſunt plures res, quia plura ſuppoſita, plures relationes, & plures formæ actu? dicit enim Ariſt. 12. Metaph. t. c. 30. quod oẽs formæ actu ſunt in primo motore. Obiectio

Reſpondetur, quod diuina ſuppoſita non diſtinguuntur ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum relationem, relatio autem cum non addat aliquid ſupra ſubſtantiam, non tollit ſimplicitatem. Ita Albertus. Et Durandus. Pluralitas abſolutorum facit quidem compoſitionem in eo, in quo ſunt, ſed non pluralitas relationum; & Argentina. Formæ dicuntur eſſe actu in primo motore, ſed non ſunt diſtinctæ, & ideo creatura in creatore non eſt aliud, quam creatrix eſſentia.

QVAESITVM VIII.

An ſolus Deus ſit, in quo nulla eſt compoſitio, ſed ſumma ſimplicitas?

ALex. reſp. quod eſſe ſummè ſimplex hæc tria excludit compoſitionem, compoſſibilitatem, & compoſitioni contingentiam, & quoniam nulla creatura eſt, quæ hæc excludat, omnis enim creatura, aut eſt compoſita ex alijs, vt illa, quæ eſt per ſe exiſtens, aut componibilis alij, vt materia, & forma, aut compoſitioni contingens, vt forma vniuerſalis, ſicut homo, & humanitas, hinc ſequitur, quod ſolus Deus eſt ſummè ſimplex, cum hæc omnia excludat. q. 5. m. 5

D. Thomas reſp. quod nulla creatura eſt adeo ſimplex, quod omnino poſſit excludi a compoſitione, quia omne quod procedit a Deo in diuerſitate eſſentiæ deficit a ſimplicitate eius, Eſt itaque creatura duplex, quædam quæ habet eſſe completum in ſe, vt homo, & iſta eſt, quæ componitur ex alijs, quædam vero, quæ non habet eſſe completum in ſe, ſed in alio, & hæc eſt ſaltem alteri componibilis. d. 8.

D. Bonau. reſp. quod illud eſt ſimplex, quod non habet compoſitionem partium, nec differentiam actionum, ſiue formarum, & quoniam omnis creatura habet compoſitionem partium; nam ſi eſt ſubſtantia habet compoſitionẽ partium eſſentialium, vt quodlibet per ſe ens, vel integralium, vt quodli- q. 2.

bet corporeum, vel diſſimilium, vt quodli-
bet viuens; habet ſimiliter differentiã actio-
num,& formarum, nam ſi eſt ſubiectũ habet
differentiam ſubſtantiæ & virtutis, ſiue ſub-
ſtantiæ, & accidentis; ſi indiuiduum ſuppo-
ſiti,& eſſentiæ;ſi quodcunque aliud ſiue crea-
tum, ſiue concreatum, entis & eſſe; ideo
omnis creatura eſt compoſita, nullaque ſim-
plex. Quod etiam confirmat quadrupliciter;
primò,quia in omni creatura differt quod &
quo;ſecundò,quia omnis creatura habet eſſe
finitum, & limitatum; tertiò,quia nulla crea-
tura eſt ſuum eſſe, cum ſit eſſe acceptum;
quartò, quia omnis creatura deficit a prima
vnitate, vnde cadit in dualitatem.

d.8. Ægidius reſp. quod triplex eſt totum,
q.2. quod eſt ex partibus, & hoc totum eſt res,
pr.2 que participat eſſe; quod eſt in parte, & hoc
q.1. eſt eſſe participatum; & quod eſt ante partes,
& hoc eſt eſſe diuinum; totum ex partibus
quale eſt omnis creatura non poteſt eſſe ſim-
plex ratione partium, ex quibus conſtat;
totum in parte ſimiliter non effugit eſſe cõ-
poſitum, nam hoc totum diuiſibile eſt, eo
quod ſecundum aliquam partem recipitur in
vno, & ſecundum aliam recipitur in alio;
totum verò ante partes omnino immutabile
eſt,quia ſi aliquid mutatur,mutatur,vt acqui-
rat aliquid eſſe,quod nõ habet ibi,ibi autẽ hoc
eſſe non poteſt, quia eſt omnis modus eſſendi.

q.2. Ricardus reſp. quod nulla creatura eſt sũ-
mè ſimplex, omnis enim creatura aut eſt cõ-
poſita ex alijs, aut eſt componibilis alij, aut
alia eſt componibilis ei, ſolus ergo Deus qui
eſt actus purus eſt ſummè ſimplex.

d.8. Ioannes Scotus reſp.quod omnis creatura
q.2. eſt aliquo modo compoſita, non quidem ex
re, & re, quia ſic daretur proceſſus in infi-
nitum, ſed ex re ſaltem, & priuatione, quo-
niam nulla creatura eſt,quæ habeat entitatem
ſecundum totam perfectionem, quæ nata eſt
eſſe entitatis in ſe, & ſimiliter ex actu, &
potentia obiectiua, quod enim eſt ens, &
caret aliqua perfectione entis, eſt in potentia
obiectiua ad illud; eſt etiam qualibet crea-
tura componibilis alteri; ſi enim eſt accidens
eſt componibile ſuo ſubiecto; ſi materia eſt
componibilis formæ; ſi forma eſt componi-
bilis materiæ; ſi forma generabilis, & cor-
ruptibilis eſt receptiua accidentium; ſi in-
generabilis, & incorruptibilis, vt præſertim
intelligentia eſt receptiua ſuæ intellectionis,
& volitionis, non enim intellectio, aut vo-
litio eſt ſua ſubſtantia.

d.8. Herueus reſp. quod licet poſſit inueniri
q.2. aliqua creatura, quæ non ſit compoſita ex ali-
quibus, nulla tamen eſt, quæ ſaltem non ſit
compoſita cum aliquo; nulla etiam eſt crea-
tura, quæ non deficiat a ſimplicitate diuina;
non ſolum propter diuerſa ex quibus, vel
cum quibus componitur, ſed etiam propter
ſuam potentialitatem.

Thomas Anglicus reſp. quod accipiendo d.8.
ſimplex, prout diuiditur contra compoſitum q.2.
ex aliquibus,eſt aliqua creatura verè ſimplex
ſicut angelus, & partes compoſitorum; acci-
piendo verò ſimplex, vt diuiditur contra cõ-
poſitum cum aliquo, vel cum aliquibus, ſic
nulla creatura eſt ſimplex, cum vnaquaque
res componatur cum alia, vel ſicut accidens
cum ſubiecto ſuo, & econuerſò,vel ſicut ma-
teria cum forma; & ſic de alijs.

Franciſcus Maro reſp. quod ſimplex dici- q.8.
tur quod vnico actu intelligendi apprehendi
poteſt, ſicut eſt vna quiditas, vt homo, vel
animal, ſimpliciter verò ſimplex dicitur cõ-
ceptus irreſolubilis penitus, ſicut ſunt con-
ceptus entis primarum, & vltimarum diffe-
rentiarum; ſummè ſimplex dicitur, quod in
ſe omni caret cõpoſitione,nec alij eſt compo-
nibile, nec aliud cum eo. & ſic ſolus Deus
eſt ſummè ſimplex. Item Guil. Varrill.

Robertus Olchot reſp. quod aliquid dici- q.6.
tur ſimpliciter ſimplex dupliciter, vno modo
quod non componitur ex rebus, altero modo
quod nec etiam ſit rebus componibile;primo
modo eſt aliqua creatura ſimpliciter ſimplex,
alioquin daretur proceſſus in infinitum; ſecũ-
do modo ſolus Deus.

Gabriel Biel reſp. quod ſimplex aliquando d.8.
dicitur per carentiam compoſitionis rei ex q.7.
partibus, ipſum tamquam totum intrinſecè
conſtituentibus, & ſic Angelus, & anima
dicuntur ſimplices & ſimiliter accidentia;
alio modo dicitur ſimplex per carentiã omnis
compoſitionis,& componibilitatis intrinſecè,
& extrinſecè, & hoc modo nulla creatura
eſt ſimplex, ſed ſolus Deus.

Ludouicus Molina reſp. quod omne ens q.3.
completum ſingulare conſtat intimè ſaltem a.7.
genere, & differentia, genera verò ſuprema, diſ.1.
& partes tam methaphyſicæ, quam phyſicæ
componuntur cum ſua exiſtentia, vnde re-
ſultat vnum per ſe in ratione entis exiſtentis,
componuntur cum differentijs, & differentiæ
cum generibus, materia cum forma, ſubſtã-
tiæ cum accidentibus, & econtra, ideo hoc
proprium Dei eſt, vt ſit omnino ſimplex.

Reſolutio.

REſpondeo quod ſi accipiatur sũmã ſim-
plicitas pro ut excludit omnem compo-
ſitio-

ſitionem, ſic non eſt ſolus Deus, in quo nulla ſit compoſitio, quoniam omnia primò componentia ſunt huiuſmodi, vt materia, & forma, eſſe, & eſſentia; ſemper enim in quacumque compoſitione neceſſe eſt deuenire ad aliquod primò componens, & non reſolubile in aliud, alioquin daretur proceſſus in infinitum, & hoc eſt in quo nihil eſt, quod non ſit ipſum, vt in materia nihil eſt, quod non ſit materia, in forma nihil eſt quod non ſit forma, & in eſſe nihil eſt, quod non ſit eſſe, & conſequenter omnia hæc ſunt ſummè ſimplicia, nullam enim admittunt compoſitionem; ſi verò accipiatur ſumma ſimplicitas, vt etiam excludit omnem componibilitaté, cum omne incomponibile alteri ſit ens per ſe exiſtés, omnia autem hæc non per ſe exiſtant, vt materia, forma, eſſe; eſſentia, & huiuſmodi, ſúmè ſimplicia eſſe non poſſunt; ſolus ergo Deus, qui eſt ens perfectiſſimum, & per ſe exiſtens eſt, in quo nulla eſt compoſitio, ſed ſumma ſimplicitas.

Obiectio. Sed ſi anima eſt ipſum eſſe? eſt enim actus corporis primus, vt dicit Ariſt: 2. de An. t. c. 6. actus autem primus eſt eſſe, ſicut ſecúdus operari?

Reſpondetur, quod licet eſſe ſit actus primus reſpectu operari, forma tamen eſt actus primus reſpectu eſſe, & ideo anima eſt actus primus, non quod ſit eſſe, ſed quia eſt forma: Ita Ægidius.

QVÆSITVM IX.

An Deus in compoſitionem aliorum veniat?

q. 3. a. 8. D. Thomas reſp. quod non eſt poſſibile Deum aliquo modo in compoſitionem alicuius venire, nec ſicut principium formale, vt dicebant Almariani, nec ſicut principiũ materiale, vt dicebat Dauid de Dinando, qui ſtultiſſimè poſuit Deum eſſe materiam primam; primò, quia Deus eſt prima cauſa efficiens, cauſa autem efficiens non poteſt coincidere cum forma rei factæ in idem, neque cum materia; ſecundò, quia Deus eſt primo, & per ſe agens, quod autem eſt tale non venit in compoſitionem eorum, quæ agit; tertiò, quia Deus eſt primum ens ſimpliciter, nulla autem pars compoſiti poteſt eſſe prima in entibus.

a. 29. q. 1. Henricus reſp quod Deus in nullius compoſitionem venit, neque vt forma cum materia, quia quod eſt formale principium in conſtitutione alicuius compoſiti, eſt vt pars reſpectu totius, & ita eſt quid imperfectum, in Deo autem nulla poteſt eſſe imperfectio; neque vt materia cum forma, quia materia minimum habet de eſſe, Deus autem maximè eſt ens; neque vt accidens cum ſubiecto, quia Deus nullam rationem accidentis habere poteſt; neque vt ſubiectum cum accidente, quia omne tale compoſitum eſt in potentia ad illud, quantum eſt de ſe, in Deo autem nulla cadit potentia ad aliud a ſe; neque vt motor cum mobili, quia omne tale compoſitum dependet a mobili, Deus autem a nullo dependet, neque in eſſe, neque in operari, neque vt finis; neque tandem vt vnitas cum vnitate, quia Deus cum nulla creatura conuenire poteſt in aliquo formali communi ſecundum rem illam, numerus autem propriè loquendo non eſt niſi multitudo vnitorum in forma vna quocunque modo proueniens ex vnitatibus eiſdem ſecundum formam illam ſæpius ſuper ſe replicatis: nullo modo igitur Deus venit in compoſitionem aliorum.

Andreas de Nouo Caſtro reſp. quod Deus nullo modo eſt alteri componibilis, quia nec vt ſubiectum accidenti, quoniam ſic eſſet ens imperfectum, & diminutum, nec vt forma ſubiecto, quia hoc repugnat eius immenſitati, actualitati, & ſummæ ſimplicitati. q. 2.

Greg. de Val. reſp. quod quando aliquid componit rem aliquam aliqua ratione .ſ. vt principium materiale, vel formale eſt minus perfectum, quam ipſa res compoſita, cum autem Deus ſit ens perfectiſſimum, nullo modo poteſt venire in alicuius rei compoſitionem. Item Gabr. Vaſquez. Omne (inquit) id, ex quo aliquid componitur imperfectius eſt ipſo compoſito. q. 3. pũc. 8

Reſolutio.

Reſpondeo, quod compoſitio vnitatem importat, quæ ergo veniunt in compoſitionem alicuius faciunt vnum cum eo, hoc autem contingere non poteſt, niſi inter illa, quæ habent aliquam conuenientiam in natura, & eſſe, & quoniam Deus nec in eſſe, nec in natura propter ſuam immenſitatem, & infinitatem conuenit cum alijs a ſe; ideo in illorum compoſitionem nullatenus venire poteſt.

Sed ſi dicit D. Dionyſ. c. 4. de cæl. hierarch. quod Eſſe omnium eſt, quæ ſuper eſſe eſt deitas? eſſe autem omnium intrat compoſitionem vniuſcuiuſque. Obiectio.

Reſpondetur, quod deitas dicitur eſſe omnium effectiuè, & exemplariter, non per eſſentiam. Ita D. Thomas.

Digitized by Google

QVÆSITVM X.

An ſit Accidens in Deo?

p.p. q.3. a.7. D. Thomas reſp. quod in Deo non poteſt eſſe accidens; primò, quia ſubiectum accidentis comparatur ad accidens, ſicut potentia ad actum, a Deo autem remouetur eſſe in potentia, vnde cum non poſſit eſſe ſubiectum accidentis, in eo nõ poteſt eſſe accidens; ſecundò, quia Deus eſt ſuum eſſe, eſſe autem nihil aliud adiunctum habere poteſt; tertiò, quia Deus eſt ſimpliciter primum ens, vnde non poteſt eſſe aliquid per accidens, eo enim, quod eſt per accidens, prius eſt illud, quod eſt per ſe; & hoc, loquendo de accidente communi; ſed nec etiam poteſt in eo eſſe accidens, loquendo de accidente proprio, ſiue per ſe; quia huiuſmodi accidentia, ſicut riſibilitas in homine, cauſantur ex principijs ſubiecti, in Deo autem nihil eſt cauſatum.

a.29. q.4. Henricus reſp. quod Deus quicquid habet in ſe, cum ſit primum ens non habet per participationem, ſed per ſuam ſubſtantiam, & quod ſic habet eſt ſubſtantialiter illud, & non ſubiectum eius: non ergo in eo eſt accidens.

de di. præd. q.6. Iacobus de Viterb. reſp. quod accidens nõ dicitur de Deo ſimpliciter (propriè loquendo) ſed ſecundum quid, ideſt ſecundum aliquam ſecundariam rationem, quæ eſt, vt ſit ens extraneum a natura eius, de quo dicitur, & quod non declaret naturam eius, & ſic multa Deo conueniunt, vt quæ de nouo adueniunt ei.

d.8. Michael de Bonon. reſp. quod accidens accipitur tripliciter, vno modo pro forma realiter inhærente, & ſic nullum eſt accidẽs in Deo: ſecundò, pro omni modo ſe habendi accidentaliter, vt cum dicitur ſorti paupertas accidit, & ſic conceditur quod multa Deo accidunt ex tempore; tertiò, pro termino prædicabili accidentaliter, & ſic etiam conceditur, multa Deo accidere, quia iſti termini Dominus, creator, & huiuſmodi, ei accidunt ex tempore.

a.6. Ludouicus Molina reſp. quod in Deo non poteſt eſſe accidens; primò, quia vel ei adueniret de nouo, & ſic diceret mutationem, vel ineſſet ei ab æterno, & ſic vel a ſe, vel ab alio, quorum vtrumque eſt inconueniens; ſecundò, ſi in Deo eſſet accidens, daretur aliquod in eo propriè effectum, atque reale, quod ipſe non eſſet, cõparatione cuius Deus ſe haberet, vt potentia ad actum, quod ſimiliter eſt inconueniens.

Gabriel Vaſq. reſp. quod quamuis in Deo non ſit aliquod accidens prædicamenti, hoc eſt aliqua forma intrinſeca; eſt tamen accidens prædicabile, ideſt, aliquid de illo prædicatione quinti prædicabilis, prædicari poteſt, immo verò ſi aliquid eſt prædicamentum quod per intrinſecum ſolum reſpectum de ſubſtantia dicatur, ratione ſolius ſimplicitatis non repugnat. a.6. q.3.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod nihil poteſt eſſe in Deo quod non ſit Deus propter ſuam infinitatem, ſummam ſimplicitatem, & perfectionem in eſſendo, cumq. ſit omnino immutabilis, nihil poteſt adeſſe ei, & abeſſe præter id, quod eſt; ergo nullum accidens poteſt eſſe in eo; tum quia cum poſſit adeſſe, & abeſſe a ſubiecto, in quo eſt, non poteſt eſſe Deus, Deus enim ſibi ipſi adeſſe, & abeſſe non poteſt, cum ſit immutabilis; tum quia cum ſit aliud a ſubſtantia, Deus autem ſit ſubſtantia infinita, & ſimplex, non habet aliud, & aliud, vnde quodammodo rerũ alietate perficiatur, ſicut quodlibet aliud ab eo.

Sed ſi in Deo eſt iuſtitia, ſapientia, & huiuſmodi, quæ in nobis ſunt accidentia? quod autem vni eſt accidens, alteri non poteſt eſſe ſubſtantia; ſecundũ regulã Ariſt. 5. Phyſ. c.17. Obiectio.

Reſpondetur, quod tunc eſt verum, quod illud quod vni eſt accidens alteri non poteſt eſſe ſubſtantia, quando ſunt ſub eadem ratione rei, & naturæ; at in propoſito, iuſtitia ſapientia & huiuſmodi non ſunt cuiuſdam rationis in Deo, & creaturis ſecundum rem & naturam, quia in nullo reali communicant creator, & creatura. Ita Henricus. Et ſimiliter Argentina, quod accidens vni non poteſt eſſe ſubſtantia alteri, ſi vniuocè ſumatur, aliter autem non; Et Scotus, ſapientia ſecundum illam rationem, ſecundum quam eſt ſpecies, qualitatis, & accidens in nobis non eſt in Deo. Ita quoque Ricardus.

QVÆSITVM XI.

An Deus ſit idem, quod ſua eſſentia, ſeu natura?

D. Thomas reſp. quod in his, quæ non ſunt compoſita ex materia & forma, in quibus indiuiduatio nõ eſt per materiam indiuidualem, ideſt, per hanc materiã, ſed ipſæ formæ per ſe indiuiduantur, oportet quod ipſæ formæ ſint ſuppoſita ſubſiſtentia, vnde in eis non differt ſuppoſitum, & na- p.p. q.3. a.3.

natura, & quoniam Deus non eſt compoſitus ex materia, & forma, idcirco idem eſt quod ſua deitas, ſeu eſſentia, vel natura.

Reſolutio.

Reſpondeo quod in Deo ſicut dictum eſt, eſt ſumma ſimplicitas, ac proinde ſumma identitas, non enim eſt aliquid in Deo quod non ſit Deus, & propterea non poteſt eſſe aliud a ſua eſſentia, ſic enim eſſet aliud a ſeipſo, quod implicat.

Obiectio. Sed ſi cætera creata non ſunt idem quod ſua eſſentia, ſeu natura; & tamen effectus imitantur ſuam cauſam?

Reſpondetur, quod effectus imitantur ſuā cauſam, non tamen perfectè, & per omnem modum, ſed tantum quantum poſſunt. Ita D. Thomas.

QVÆSITVM XII.

An Deus ſit idem quod ſuum eſſe?

q. 3. a. 4. D. Thomas reſp. quod Deus non ſolum eſt ſua eſſentia, ſed etiam ſuum eſſe, quod probat ſic. Illud quod habet eſſe, & non eſt eſſe, eſt ens per participationē, ſicut illud quod habet ignem, & non eſt ignis, eſt ignitum per participationem; ſed Deus non habet eſſe per participationem cum ſit primum ens, ens autem primum eſt ens per eſſentiam; igitur eſt ſuum eſſe.

d. 8. p. 2. pr. 1 q. 2. Ægidius reſp. quod ea, quæ agūt in virtute alterius, non ſunt ſua virtus, vnde ignis non eſt ſuus calor, quia agit in virtute ſuper cæleſtis corporis; ſed ſi ignis eſſet primum agens, & calor eſſet illud, cuius virtute omnia cauſata ab igne participarent igne, ignis eſſet ſuus calor, cum igitur omnia habeant eſſe per eſſe primi, nam vt dicit Auer. 2. Meth. c. c. 4. Vnum eſt per ſe ens, & per ſe verum, & alia omnia ſunt entia, & vera per eſſe, & veritatem eius, igitur Deus eſt ipſum eſſe, cum ſit primum agens, & per eius eſſe, omnia habeant eſſe.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod eſſe Dei eſt ſuum exiſtere, quemadmodum eſſentia eſt ſua natura, ſicut ergo propter ſuam ſummam ſimplicitatem, & infinitatem eſt idem, quod ſua eſſentia, ita eſt idem, quod ſuum exiſtere, ſeu ſuum eſſe, alioquin vel Deus non eſſet, vel eſſe Deum non eſſet Deus, quod implicat in diuinis. Eſt ergo Deus vnum, & ſimpliciſſimum ens, in quo nulla eſt diuerſitas ſecundum rem, ſed tantum in noſtro modo explicandi, & intelligendi, aliter enim ipſum explicamus & intelligimus per eſſe, & aliter per eſſentiam, ipſum tamen non diſtinguimus ab hoc ſuo eſſe, & eſſentia.

Sed ſi dicit D. Dion. c. 5. de diu. nomin. quod deitas, & diuinum eſſe eſt eſſe omnium? Et Deus non eſt omnia. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod diuinum eſſe eſt eſſe omnium, non quidem formaliter inhærenter, ſed cauſaliter, quia cauſat omnia, & formaliter exemplariter, quia ad exemplar eius ſunt omnia. Ita Ægidius.

QVÆSITVM XIII.

An in Deo idem ſit eſſentia, & eſſe?

D. Thomas reſpondet, & probat dupliciter quod eſſe Dei non eſt aliud ab eſſentia eius; & primò, Omne illud, cuius eſſe eſt aliud ab eſſentia habet illud eſſe cauſatum ab alio, nam omne quod eſt in aliquo præter eius eſſentiam oportet eſſe cauſatum, vel a principijs eſſentiæ, vt riſibilitas in homine, vel ab alio exteriori, vt calor in aqua, & quoniam eſſe non poteſt eſſe cauſatum a principijs eſſentiæ tantum, quia nulla res ſufficit, quod ſit ſibi cauſa eſſendi, ſi habet eſſe cauſatum; ideo neceſſe eſt, vt ſit cauſatum ab alio exteriori; ſed Deus nihil habet cauſatum ab alio, quia eſt primum efficiens, ergo eius eſſe non eſt aliud ab eſſentia; ſecundò, eſſe eſt actualitas omnis formæ, & naturæ; tunc enim aliquid ſignificamus in actu, cum ſignificamus illud eſſe; in quibus ergo eſt aliud ab ipſa natura, comparatur ad eam ſicut actus ad potentiam, ſed in Deo nihil eſt potentiale, ergo neque aliud eſt eſſe ab eius natura, ſeu eſſentia. Et lib. 1. contra gentes c. 22. Reſpondet, quod ideo in Deo eſt idem eſſe, & eſſentia, quia Deus eſt, quod per ſe eſt neceſſe eſſe, quia non habet cauſam, quia eſt purus actus, non compoſitus, & eo nihil eſt prius. *q. 3. a. 4.* *ibid.*

Henricus reſp. quod omnino eſſentia diuina eſt ipſum eſſe diuinum, & econuerſò, & ſunt omnino idem in Deo non ſolum re, ſed etiam intentione, quia eſſe eſt purum ſine omne potentia, & Deus ſeipſo formaliter eſt a nullo eſſe habens: in creatura autem licet ſint idem re, differunt tamen intentione, alia enim eſt ratio, & intentio creaturæ, vt res, & eſſentia, & alia vt ens, & vt in effectu eſt. *a. 21 q. 4.*

Petrus Aur. reſp. quod eſſe differt ab eſſen- *d. 8.*

a.4. ſentia conceptibiliter in Deo, quia res diuinitatis poteſt concipi per modum habitus, & quietis, & hoc modo concipitur vt eſſentia, & per modum operationis, & actus, & hoc modo concipitur, vt eſſe.

d.8. diſp.2 Michael de Pal. reſp. quod quia eſſe actuale, quod eſt eſſe indiuiduale eſt extra eſſentiam rei, propter hoc eſt accidens, poſſumus enim planè intelligere eſſentiam rei, ſine exiſtentia indiuiduorum, & ſine accidentibus, ſed quoniam eſſentiam Deo nemo intelligere valet extra eſſe exiſtentiæ diuinum, nam ſi cogitat deitatem ſine eſſe exiſtentiæ impoſſibile cogitat, Deum enim non eſſe eſt impoſſibile, ideo ipſi eſſentiæ diuinæ, ita intrinſecum eſt eſſe exiſtentiæ, vt nec cogitatio valeat illa diſſociare, quod non contingit in eſſentijs creatis.

ar.4 Ludou. Mol. reſp. quod quãdocunque aliquid eſt in aliqua re, & non eſt ipſamet eſſentia rei, nec quippiam intrinſecum ei vtique vel ab eſſentia fluit, vel ab aliquo externo agente eſt effectũ; cum itaque eſſe, exiſtentiæ diuinum neque ſit effectum ab externo agẽte, alioquin Deus non eſſet prima cauſa, neque ab eſſentia fluat, alioquin eſſentia præexiſteret tali eſſe, ſequitur quod eſſe Dei non differat ab eſſentia eius.

q.3. pũc.4 Gregorius de Val. reſp. quod illud quod eſt eſſe primum, & ſimpliciter neceſſarium, non poteſt exiſtere per talem exiſtentiam, quæ vel ab illius eſſentia re diſtinguatur, vel non ſit omnino intrinſeca illius eſſentiæ; ſi enim quid exiſtit per exiſtentiam re diſtinctam ab eſſentia ſua, id non vtique habet omnem perfectionem ſuam intrinſecè in ſua eſſentia, cum itaq; Deus ſit ens primum, & ſimpliciter neceſſarium, igitur & eius eſſentia, & exiſtentia ſunt vnum, & idem realiter.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod eſſe in creatis addit aliquid ſupra naturam, ſeu eſſentiam .ſ. exiſtentiam, aliud enim eſt natura, & eſſe in rerum natura, & quoniam Deo nihil eſt additum, nihil quod eſt aliud, idcirco nihil etiam eſt, quod differat ab eius eſſentia.

Obiectio. Sed ſi de Deo ſcimus an ſit, non vero quid ſit? ſpectat autem ad eſſe an ſit, ad eſſentiam vero, quid ſit.

Reſpondetur, quod eſſe ſumitur dupliciter vno modo vt ſignificat actum eſſendi, alio modo vt ſignificat compoſitionẽ propoſitionis, quam anima adinuenit coniungens prædicatum ſubiecto, primo modo accipiendo eſſe, non poſſumus ſcire eſſe Dei, ſicut nec eſſẽtiam eius, ſed ſolum ſecundo modo; ſcimus enim quod hæc propoſitio, quam formamus de Deo, cum dicimus Deus eſt, vera eſt. Ita D. Thomas, & Ægidius.

QVAESITVM XIV.

An Deus ſit in genere? ſiue in aliquo prædicamento?

Alex. Alenſ. reſp. quod Deus non eſt in prædicamẽto propriè dicto, quia quæ ſic ponuntur in prædicamento dicuntur ſecundum ſuperius, & inferius; ſed eſt in prædicamento communiter accepto, ſic enim ſunt in prædicamento, quæ ſe habent per modum prædicamenti, in diuinis autem quædam ſe habent per modum ſubſtantiæ, & quædam per modum relationis. q.48. m.4. a.4.

D. Thomas reſp. quod ſicut dicit Ariſt. 3. Meth t. 4. Illud quod eſt in genere habet quiditatem differentem ab eſſe, & quoniam in Deo ſuum eſſe eſt ſua quiditas; ideo non ponitur in genere. Quod eſt ſimiliter in genere habet eſſe determinatum ſecundum illud genus, Deus autem cum contineat perfectiones omnium generũ non habet eſſe determinatum ad aliquod genus; & ideo non eſt in genere. d.8. q.4. a.2.

Et iterum reſp. quod neq; propriè, neq; per reductionem eſt in genere; non propriè, quia quod eſt ſic in genere ex actu conſtat, & potentia; Deus autem non conſtat ex actu, & potentia; & ſimiliter ſi eſſet ſic in genere, genus eius eſſet ens, ens autem non poteſt eſſe genus; & quę tandem ſic ſunt in genere cõueniunt in quiditate & differunt in eſſe, Deus autem non habet diſtinctum eſſe a quiditate; nec ſimiliter eſt in genere per reductionem, vt principium, quia principium, quod reducitur in aliquod genus, non ſe extendit vltra genus illud, Deus autem, vt principium ſe extendit vltra omne genus, quod eſt principium totius eſſe. Et cõt. gent. li. 1. c. 25. Deus (inquit) non eſt in genere, quia nec in genere ſubſtantiæ, nec accidentis; nec enim accidens, neque ſubſtantia, quæ eſt genus, eſt ipſum eſſe, ſicut Deus eſt eſſe ſuum. p. p. q.3. a.1.

D. Bonau. reſp. quod ſi Deus eſſet in genere, vel eſſet in quolibet genere, vel in aliquo determinato, ſed non eſt in quolibet, quia eſt ens ſimpliciſſimum, nec in aliquo determinato, quia eſt ens infinitum, non coarctatum, & limitatum, idcirco non eſt in gñe. d.8. q.vlt.

Ægidius reſp. quod cum Deus ſit ſimpliciter infinitus, habeat naturam ſimplicem, & p.2. pr.1

ſic

Digitized by Google

q.2. ſic actus purus, cuius quiditas non diſtet ab eſſe ſequitur, quod non eſt in genere, nec per ſe nec per reductionem.

d.8. q.vlt. Ricardus reſp. quod Deus non eſt in genere, neque directè, quia eſt actus purus, & ſummè ſimplex, & cum nulla alia re communicans in ratione communi; neque per reductionem, quia eſſe, quod habet eſt perfectiſſimum; neque eſt ipſum genus, quia nullo modo contrahi poteſt per aliquam additionem, nec eſt aliquid prędicabile, niſi de tribus perſonis.

d.8. q.3. Ioannes Scotus reſp. quod Deus eſt ens infinitum, & ens neceſſe eſſe, quod autem eſt huiuſmodi, in nullo genere eſſe poteſt.

d.8. q.4. Herueus reſp. quod Deus propter ſuam illimitationem, & perfectionem vniuerſalem non eſt in aliquo determinato genere, vt ſpecies, vel differentia, nec propter ſuam generalem cauſalitatem, vt principium.

d.8. q.3. Thomas Anglicus reſp. quod Deus non eſt in genere propriè loquendo, poteſt tamẽ dici aliquo modo eſſe in genere, ſicut continens, vel menſurans genus, ſicut etiam dicitur eſſe in tempore, vel in loco.

d.8. ar.2 Petrus Aur. reſp. quod genus exprimit cõceptum importantem determinatam rationẽ aliqualiter, licet non vltimatè; dicit enim formam, & rationem mediam inter purum actum, & puram potentiam, vt dicit Auer. 2. Meth. t. c. 33. ſed quoniam nullus conceptus prædicabilis de Deo importat determinatam rationem, imo omnes incidunt re & ratione in ipſam deitatem; propterea Deus non eſt in genere.

de di. præd. q.6. Iacobus Viterbienſis reſp. quod Deus poteſt quidem dici res prædicamenti cum omnia attribuantur ei ſicut agenti, & fini, & habeant ad eum habitudinem, & ordinem; non tamen poteſt dici res generis, cum non habeat cum aliquo conuenientiã ſimilitudinis, neque eſſentialem, neque ſubſtantialem, neque in eo poſſit ſumi aliquid indiſtinctum, & potentiale, ſicut in quolibet, quod eſt res generis.

q.11. prol. Franciſcus Maro reſp. quod omne illud, quod eſt in genere includit genus tanquam partem eſſentialem, & quoniã Deo repugnat includere aliquid ſuperius tamquam partem eſſentialẽ, quia eſt ſimpliciter ſimplex, & per conſequẽs irreſolubilis, ideo nõ eſt in genere.

d.8. q.1. Guilelmus Occham reſp. quod ſi Deus eſſet in genere, illud genus eſſet ens, quod eſſe non poteſt, quia omne genus ſeparat illud, cuius eſt genus ab alio, nihil autem poteſt ſeparari ab ente per aliquid aliud, quia genus, quod prędicatur de magis differẽtibus, prędicatur etiã de minus differentibus; ſecundò idem probat, quia omnia quæ ſunt in genere habent certam proportionem, & perfectionem inter ſe, ſed Deus in infinitum excedit omne aliud ab eo, ergo in nullo genere eſt cum quocunque alio ab eo.

Thomas ab Argentina reſp. & probat multipliciter, quod Deus nõ eſt in genere; primò, quia eſt cauſa omnis entitatis, & veritatis reperibilis in quocunque genere; vnde ſi eſſet in genere eſſet cauſa ſui ipſius; ſecundò, quia comprehendit in ſe perfectiones omnium generum; tertiò, quia eſt ens ſimpliciter illimitatum; quartò, quia nihil perfectius eo cogitari poteſt; quintò, quia eſt infinitæ virtutis; ſextò, quia eſt formaliter infinitus; ſeptimò, quia cum nulla re habet conuenientiam eſſentialem; octauò, quia cum nulla creatura conuenit in natura, & forma. q.1.

Gerardus reſp. quod Deus non poteſt cõcipi conceptu ſimplici, confuſo, & indiſtincto, qui eſt conceptus generis; primò, quia nullum gradum potentialitatis habet, quod autem concipitur conceptu confuſo concipitur potentialiter, & indeterminatè; ſecundò, quia Deus non poteſt fundare ſimilitudinem ad aliquid aliud; tertiò, quia non eſt quid limitatum; neque poteſt concipi conceptu determinato contrahente, & diſtinguente, qui eſt conceptus differentiæ; primò, quia Deus non recipit aliquam additionem; ſecundò, quia non habet aliquid quod poſſit ſtare cum oppoſito conceptu contrahente, & diſtinguente; tertiò, quia non eſt limitatus ad aliquam ſpeciem contentam ſub aliquo genere, cum contineat perfectiones omnium generum, nec tandem poteſt concipi conceptu complexo mediante quo dicatur compoſitus ex genere, & differentia, cum enim iſte conceptus ſupponat duos conceptus ſimplices, & Deus non poſſit concipi primis duobus conceptibus ſimplicibus, neque poteſt concipi complexo. d.8. q.2. a.2.

Gregor. reſp. & probat, quod Deus verè eſt in genere ſubſtantiæ ſic. Omne quod prædicatur verè in quid de pronomine demonſtrante rem aliquam, & de pronomine demonſtrante aliquam aliam rem ſpecie diſtinctam ab illa, nec tamen ſic prædicatur de quolibet, eſt genus illius rei, & res eſt in genere illo; ſed hoc commune, Spiritus, verè prædicatur in quid de Deo, & de pronomine demonſtrante aliquam rem ſpeciem diſtinctam ab illa, ſcilicet de Angelis, & non de omnibus; ergo Deus eſt in genere. d.8. q.3. a.1.

Gui-

Digitized by Google

d.8. Guilelmus Rub. reſp. quod ſumendo genus pro genere generaliſſimo, ſic Deus eſt
q.1. in genere, vt ſignatum in ſigno, quia omne illud eſt in tali genere, quod eſt obiectum per ipſum ſignificatum, ſeu intellectum, multi autem ſunt conceptus, quorum quilibet eſt genus iſto modo ſumptum, quorum omnium obiectum eſt Deus; ſumendo autem genus pro predicamento, non eſt ſic in genere, quia nulla res eſt obiectum, vel ſignatum generis ſic accepti, niſi quæ eſt intelligibilis conceptu aliquo ſpeciei intermedio inter conceptũ ipſum generis, & conceptum proprium ſingularis rei ipſius; Deus autem non eſt conceptibilis aliquo tali conceptu.

d.9. Ioannes Bacc. reſp. quod cum Deo conue-
q.1. niat ratio formalis generis coordinatè prædicabilis, nam conuenit ei relatio, & hæc relatio eſt paternitas, & ſimiliter de eo prædicatur ſubſtantia, & hæc ſubſtantia eſt incorporea, concedendum eſt quod ſit in genere, non tamen abſolutè, ſed cum locutione denominante exceſſum eius ſuper alia, quæ collocantur in genere, dicendo; quod Deus eſt ſic in genere, quod etiam eſt extra genus, quia infinitus eſt, & illimitatus.

q.6. Robertus Olchot reſp. quod aliquid dicitur eſſe in genere dupliciter, vno modo ſicut pars alicuius coordinationis prædicamentalis, & ſic nihil eſt in genere niſi vox, & conceptus; alio modo ſicut illud quod ſignificatur principaliter per conceptum, vel vocem; Deus itaque eſt in genere ſecundo modo, non primo, & probat. Omnis conceptus prędicabilis de Deo, & Angelo in quid eſt conceptus generis, ſed eſt aliquis conceptus, qui prædicatur de Deo, & Angelo in quid .ſ. conceptus ſubſtantiæ, nam ad interrogationem factam per quid de Deo, aptiſſimè reſpondetur eſt ſubſtantia; igitur Deus ſic eſt in genere.

d.8. Gabriel Biel reſp. quod aliquid eſſe in ge-
q.1. nere dicitur dupliciter, vno modo quia per aliquod genus ſignificatur, & hoc modo res ſignificatæ per genera dicũtur eſſe in genere, alio modo, quia de eo genus aliquid prædicatur, & illo modo, nulla res, quæ non eſt ſignum, vel terminus eſt in genere, quia res vt ſic non prædicatur, nec ſubijcitur, cum non ſit pars propoſitionis; primo modo itaque Deus eſt in genere non ſolum ſubſtãtiæ, ſed etiam qualitatis, relationis, & huiuſmodi, quia ſignificatur per terminos omnium horũ generũ; ſecũdo modo Deus, ideſt, illa ſumma res, quæ Deus eſt non eſt in genere, quia ſic, nec prædicatur, nec ſubijcitur.

q.12. Marſilius reſp. quod accipiendo ſubſtantiam pro eo, quod exiſtit per ſe, ſic Deus pro- a.2.
priè eſt in genere ſubſtantiæ; eſt etiam in genere ad aliquid, quia eſt pater filius, creator, & huiuſmodi; & in genere actionis, quia principaliſſimè mouet, & agit; vnde ipſum negare eſſe in his generibus, eſt negare ipſum eſſe ſubſtantiam, patrem, filium, motorem, & huiuſmodi.

Laurentius Opimus reſp. quod diuina eſ- d.8.
ſentia non eſt in genere; primò, quia nullo q.vn.
conceptu eſt quiditatiuè comprehenſibilis, nec conſequenter diffinibilis; quod autem nõ eſt diffinibile in nullo prædicamento ponitur; ſecundò, quia non poteſt habere vnicum cõceptũ cum alijs corruptibilibus ſubſtantijs; tertiò, quia eſt ſupra omnem ſubſtantiam, vnde impoſſibile eſt contineri ab eo.

Ioannes Maior reſp. & probat, quod hoc q.1.
vocabulum Deus ponitur in prædicamento ſubſtantiæ; primò, quia hæc prædicatio eſt directa, Deus eſt ſubſtantia, ergo alicuius prædicabilis prædicatio, & non niſi generis; ſecundò, quia ſpiritus prædicatur de pluribus differentibus ſpecie .ſ. Angelo, & Deo; tertiò, quia pater, & filius relatiuè dicuntur, ergo ponuntur in prædicamento ad aliquid; quartò, quia creare, producere, propriiſſimè competunt Deo, & ſunt in prædicamento actionis.

Michael de Palatio reſp. quod Deus eſt d.8.
in genere analogo, non vniuoco, quod idẽ eſt diſp.
quod eſt eſſe in genere impropriè, non pro- 3.
priè; licet etiam poſſimus dicere, quod eſt in genere vniuoco quodammodo deductiuè, cum ſit principium omnium, ſicut accidentia reducuntur ad prædicamentum ſubſtantiæ, inquantum ſubſtantia eſt principium; non tamen deductiuè eo modo, quo reducitur inferius ad ſuperius; ſed eo modo, quo ſuperius reducitur ad inferius, ſic enim Deus, qui eſt ſuperius deducitur ad prædicamenta, quatenus illorum eſt cauſa.

Guilelmus Eſtius reſp. quod Deus nec ge- d.8.
nus eſt, nec ſpecies, nec indiuiduum; non §.10.
genus, quia nulla ſpecies ſub ſe habet; non ſpecies, quia cum ſit res ſimpliciſſima, non componitur ex genere, & differentia; non indiuiduum, quia ex eiſdem componitur indiuiduum, ex quibus, & ſpecies.

Franciſcus a Chriſto reſp. quod ſi Deus eſ- d.8.
ſet in genere, vel eſſet tanquam vniuerſale q.2.
quod eſt inconueniens, quia tunc eſſet prædicabilis de multis, vel indiuiduum, quod ſimiliter eſt inconueniens, quia non habet eſſentiam communem cum multis.

Petrus Trig. reſp. puod Deus ratione ſuæ q.3.
infi-

Digitized by Google

infinitatis, puritatis, actualitatis, & ſimplicitatis, neque directè, neque reductiuè ponitur in genere.

q.3. Ludou. Molina reſpondet, quod opinio nominalium ponentium Deum in genere non eſt condemnanda erroris circa fidem, cum enim nullam putent eſſe diſtinctionem ex natura rei inter genus, & differentiam, neque naturam aliquam admittant communem, & cenſeant genera, & ſpecies ſolum eſſe conceptus illos formales communes, non vero aliquid eiſdem conceptibus immediatè ſignificatum, & apprehenſum, nihil ſententia hæc derogat diuinæ ſimplicitati; magis tamē conſonat diffinitioni eccleſiæ dicere, quod nō ſit in genere propter eandem ſuam ſummam ſimplicitatem.

diſp. 22. Gabriel Vaſquez reſp. quod omne quod eſt in genere, aut ſpecies eſt, aut indiuiduum, Deus autem non eſt ſpecies, quia nec ſubalterna, nec infima; non ſubalterna, quia nō cōtinet ſub ſe alias ſpecies; non infima, quaſi ſic eſſent plures numero dij; neque ſimiliter eſt indiuiduum, quia cum nullo alio in ratione ſpeciei eſſentialiter conuenire poteſt; ſecundò, ſi Deus eſſet in genere, aut eſſet in genere entis, quod eſt inconueniens, quia ens non poteſt eſſe genus; aut in aliquo decem; quod ſimiliter eſſe non poteſt, quia nulla ratio apprehendi poteſt ab intellectu noſtro vniuocè communis Deo, & creaturis.

d.8. Archang. Rub. reſp. quod Deus non eſt in genere proprie, ſed per reductionem, vt principium; ſed non vt principium contentum in ipſo genere, ſed vt continens ipſum genus.

Reſolutio.

RESpondeo, quod decem ſunt genera rerum, ſiue decem prædicamenta, quibus res omnes ſufficientiſſimè diſponuntur, & ordinantur, ſecundum quod conueniunt in aliqua natura prædicabili de illis, & ſecundum rem, & ſecundum rationem; vnde eſſe in genere, vel in prædicamento, non eſt aliud, quam hanc naturam communem prædicabilē dici de illis, & ſecundum rem, & ſecundum rationem, cum itaque ſubſtantia, & ſecundum rem, & ſecundum rationem, ſecundum quam dicitur de Angelis, hominibus, & alijs dicatur etiam de Deo, quia Deus eſt verè, & realiter ſubſtantia, eo modo, quo intelligimus ſubſtantiam, & non minus, aut magis, quam Angeli, & homines, idcirco non eſt excludendus ab hoc ordine, in quo omnes ſubſtantias collocamus.

Obie. Sed ſi genus ſignificat partem rei, vt dicit Ariſt. 7. Meth. c. 2. & Auic. 5. Meth. dicit Aie. quod eſt pars quiditatis eius? Deus autem eſt ſummè ſimplex.

Reſpondetur quod genus non eſt pars rei propriè loquendo, ſed pro tanto dicitur pars, quia eſt pars diffinitionis tam propriæ dictæ, quam datæ per additamentum. Ita Occham. Et Gregorius dicit, quod Auicen. pro quiditate intelligit diffinitionem. genus enim eſt pars diffinitionis ſpeciei, ſiue rei, quæ aut diffinitur propriè, aut deſcribitur.

QVÆSITVM XV.

An aliquid dicatur de Deo, quod ſit in genere?

ALex. reſp. quod cætera prædicamenta a ſubſtātia, & relatione ſecundum ſua genera rarò attribuūtur diuinis, ſecundum vero ſuas ſpecies attribuūtur Deo ſecundum illum modum, quo dicit Boetius, quod talia erunt prædicata, qualia permiſerunt ſubiecta, vnde cum dicimus Deus eſt iuſtus, dicimus qualitatem, non quidem eam, quæ ſit accidens, ſed quæ ſit ſubſtantia. q.48. m.4 a.3. §.4.

D. Thomas reſp. quod ſicut ea, quæ important aliquam imperfectionem non dicuntur de Deo, ſic ea quæ aliquam perfectionē important, dicuntur de eo, & quoniam prædicata accidentium ſecundum rōnem generis dicunt aliquam imperfectionem propter dependentiam ad ſubiectum, excepta tamen relatione, idcirco ſecundum rationem generis non ſunt in Deo; ſed ſecundum rationem propriam ſpeciei, quoniam ſecundum aliquas differentias completiuas aliquam perfectionem important. d.8. q.4. a.3.

Ioannes Scotus reſpondet, quod cum nihil ſit in genere, niſi limitatum, nihil autem, quod eſt formaliter dictum de Deo ſit limitatum, idcirco nullum formaliter dictum de Deo eſt in genere, & ſic ſapientia, iuſtitia, virtus, & huiuſmodi tranſcendentia ſunt, & extra omne genus. d.8. q.3.

Gregorius reſp. ex mente D. Aug. quod tria ſunt prædicamenta, quæ verè, & propriè dicuntur de Deo ſubſtantia, ſcilicet relatio, & actio; Spiritus enim, Pater, Filius, principium, agens, creator, & huiuſmodi, ſunt prædicabilia de prædicamento ſubſtantiæ, ad aliquid, & actionis. q.3. a.2.

Ioannes Bacconus reſp. quod ratione formales horum prædicamentorum, ſubſtantiæ, ſ. relationis, actionis, paſſionis, qualitatis, & quantitatis, cum dicant aliqualem perfectio- d.8. q.1.

Digitized by Google

q.4. & nullo modo compoſitus; primò, quia eſt
ens ſimpliciter primũ, nullum autem compo-
ſitum, cum ſit poſterius ſuis componentibus
poteſt eſſe tale; ſecundò, quia ſuum eſſe eſt
eſſe independens, eſſe autem cuiuslibet com-
poſiti eſt dependens; tertiò, quia eſt totum
ſuum eſſe; cum nobiliſſimo modo habeat eſ-
q.3. ſe. Et in Summa alias rationes adducit; quod
a.7. omne compoſitum cauſam habeat diuerſa .ſ.
quæ in eo ſunt adunantem; quod in omni cõ-
poſito ſit actus, & potentia, quia vel vna par-
tium eſt actus reſpectu alterius, vel ſaltem
omnes partes ſunt in potentia reſpectu to-
tius; & quod omne compoſitum ſit aliquid,
quod non eſt ipſum; Deus autem nec cauſam
habet, nec in eo eſt actus, & potentia, & eſt
id quod eſt ipſum; igitur nullam compoſi-
tionem habet. Et contra gen. l. 1. c. 16. alias
addit, quia eſt ens nobilius omni ente, quia eſt
ens purè beatum, & quia eſt ante omnia.

d.8. D. Bonau. reſp. quod Deus eſt primum in
a.3. genere entium, quod eſt quicquid habet, quod
q.1. eſt ens nobiliſſimum, & quod virtute eſt in-
finitus, & immenſus, & ideo eſt ſummè ſim-
plex; hæc enim omnia arguunt ſummam ſim-
plicitatem in eo.

d.8. Aegidius reſpondet, quod ſunt tres gene-
q.4. rales compoſitiones, quæ reperiuntur in omni
compoſito, vna eſt eſſe & eſſentiæ, alia vir-
tutis, & ſubſtantiæ; tertia generis, & dif-
ferentiæ; & quoniam in Deo non eſt compo-
ſitio eſſe, & eſſentiæ, quia in eo idem eſt eſ-
ſe quod eſſentia, nec etiam virtutis, & ſub-
ſtantiæ, quia idem eſt ſua virtus, quod ſub-
ſtantia, nec generis, & differentiæ, quia ta-
lis compoſitio non eſt ſine potentialitate,
in Deo autem nulla potentialitas; ideo neq;
aliqua compoſitio, ſed ſumma ſimplicitas.

a.28. Henricus reſp. quod in Deo non eſt com-
q.1. poſitio ex partibus quantitatiuis, quia non
eſt corpus; non ex materia, & forma, quia
non habet eſſe aliunde, nec participatum;
non ex genere, & differentia, quia nec in ge-
nere eſt, nec differentiam habet, qua ab ali-
quo ſui generis diſtinguatur; non ex eſſen-
tia & eſſe, quia hæc idem penitus ſunt in eo;
non ex natura, & ſuppoſito, quia in eo ſup-
poſitum prædicatur de natura, & econuerſò;
non ex actu, & potentia, quia hæc non dif-
ferunt in eo; igitur in Deo nulla eſt cõpoſitio.

d.8. Ricardus reſp. quod Deus nec eſt compo-
q.1. ſitus ex alijs, nec eſt etiam cõponibilis alijs,
nec aliud eſt componibile ſibi; non eſt com-
poſitus ex alijs, quia eſt vnum actu; non cõ-
ponibilis alij, quia ſic eſſet in potentia, vt re-
ciperetur ab alio; ſi verò aliud eſſet compo-
nibile ſibi, ſic eſſet in potentia ad recipien-
dũ illud, quod ſuæ ſummæ entitati repugnat.

Ioannes Scotus reſp. quod Deus non habet d.8.
compoſitionem ex materia, & forma, quia q.1.
talis compoſitio præſupponit prioritatem in
cauſa efficiente, Deo autem, cum ſit ipſe pri-
ma cauſa efficiens, nihil eſt prius; nec ſimi-
liter ex partibus quantitatiuis, quia cum ſit
primum, eſt potentiæ infinitæ, infinita autem
potentia non eſt in magnitudine; eſt item
Deus ens neceſſe eſſe, & infinitum, igitur
non poteſt eſſe niſi ſimplex; ex quo nec ip-
ſe in compoſitionem aliorum venire poteſt,
nec alia in compoſitionem illius. Item
Anton. Andr.

Herueus reſp. & ex eo, quod Deus eſt pri- d.8.
mum ens, & perfectum; prima cauſa, ſum- q.2.
mus; & purus actus deducit, quod eſt ſum-
mè ſimplex, & non compoſitus; nullum
enim compoſitum cum dependeat ex parti-
bus poteſt eſſe primum; nec nullam habere
cauſam, vel quantum ad vtramque partem,
vel quantum ad alteram, vel ſaltem quantum
ad vnionem earum; nec eſſe non potentiale,
ex pluribus differentibus conſtans. Item
Durandus.

Petrus Aur. reſp. quod Deus eſt omnis en- d.8.
titas eminenter, & ideo non admittit ſecum a.1.
additionem alicuius alterius entitatis, ac pro-
inde nullam compoſitionem habet, neque
ſecundum rem, quæ eſt triplex; ex partibus
quantitatiuis; ex partibus eſſentialibus .ſ. ma-
teria, & forma; & ex ſubiecto, & accidente;
neq; ſecundum rationem, quæ eſt quadruplex
ex actu, & potentia; ſiue ex eſſe, & eſſentia;
ex ſuppoſito, & natura, ſicut ex quo eſt, &
quod eſt; ex ſubiecto, & proprietatibus in-
tentionalibus; & ex genere, & differentia.

Thomas ab Argentina reſp. quod in Deo q.1.
nulla eſt compoſitio, ſiue ſit ſubſtantialis a.1.
ex materia & forma, ſiue accidentalis ex
ſubiecto & accidente; quoniam in eo nec
materia eſt, nec accidens.

Gerardus reſp. quod in Deo nulla eſt com- d.8.
poſitio, neque realis, quæ eſt quintuplex; ex q.1.
materia & forma; ex partibus quantitatiuis;
ex ſubiecto, & accidente; ex motore, & mo-
bili; & ex fine, & ex eo, quod eſt ad finem;
neque ſecundum rationem, quæ eſt ex gene-
re, & differentia; quæ ſingula probat ex eo,
quod nullam dependentiam habet, nullam
imperfectionem, nullam cauſam ſupra ſe, nul-
lam potentialitatem, ſed ſummã actualitatẽ,
perfectionem, immobilitatem, primitatem,
& infinitatem.

Marſilius reſp. quod multiplex eſt compo- q.12.
ſitio,

Digitized by Google

ſitio, quædam ex partibus diuerſarum rationum, vt in ſubſtantijs compoſitis ex actu, & potentia, quædam ex partibus quantitatiuis, vt in ſubſtantijs extenſis, quædam ex ſubiecto, & forma aduenie nte, qualis eſt animæ humanæ ad ſcientiam, & quædam innitentiæ in aliud prius eo naturaliter, a quo ſuum eſſe dependet, quæ dicitur eſſe, & eſſentiæ. Nulla autem harum habet locum in Deo, non prima, & ſecunda, quia in Deo non ſunt vllæ partes, nec tertia, quia nullo perficitur extrinſeco ſuæ eſſentiæ, nec quarta, qui nihil eſt eo prius.

q. 1. Nicolaus de Orbellis reſp. quod in Deo
q. 3. nulla eſt compoſitio propter ſuam infinitatẽ.
prol. Nicolaus de Nijſe propter ſuam puram
q. 4. actualitatem. Andreas de Nouo caſtro propter ſuam ſummam ſimplicitatem. Michael de Pal. & Vaſquez propter ſuam ſummam perfectionem, & independentiam.

d. 8. Guilelmus Varrill. reſp. quod Deus non eſt compoſitus ex materia, & forma; quia omne tale compoſitum eſt imperfectum, ipſe autem perfectiſſimus; non ex partibus quantitatiuis, quia omne tale compoſitum eſt finitum, ipſe autem infinitus; non ex ſubiecto, & accidẽte, quia nulli ſubiacet accidenti ſiue corporali, ſiue ſpirituali, cum ſit immobilis.

q. 3. Gregorius de Valentia reſp. quod Deus
p. 2. non eſt compoſitus; neque ex materia, & forma, quia talis compoſitio ſemper eſt coniuncta cum aliqua imperfectione; neque ex natura & ſuppoſito, quia non habet in ſe aliquid diſtinctum ab eſſentia ſua; neque ex eſſe, & eſſentia, quia eſſe, & eſſentia in Deo ſunt vnum realiter, & quiditatiuè; neque ex genere, & differentia, quia Deus non eſt in genere; neque ex partibus quantitatiuis, quia non eſt corpus; neque ex ſubiecto, & accidente, quia nullius accidentis eſt capax. Item Franciſcus a Chriſto d. 8. q. 3. & Archangelus Rub. diſ. ead.

Reſolutio.

RESpondeo, quod in omni eo, in quo eſt aliqua compoſitio, eſt etiam diuerſitas, non ſolum inter ea, quæ in eius compoſitionem veniunt, ſed etiam inter ipſum, & ſua componentia; nam id quod componitur non poteſt eſſe id, ex quo componitur, quia ſic idem eſſet compoſitum, & componens, quod implicat; quamuis itaque in Deo aliqua ſint diuerſa, ſeu diſtincta, vel ſecundum rem, vt perſona, & perſona, vel ſecundum rationem, vt eſſentia, & perſona, attributum, & attributum, & huiuſmodi, quia tamen nihil eſt, quod non ſit Deus, & Deus ipſe non prædicetur de illo, alioquin Deus non eſſet ſimpliciter perfectus, & infinitus, ſicut intelligitur eſſe, ex eo quod eſt id, quo nihil maius excogitari poteſt; idcirco nulla poteſt eſſe compoſitio in eo, ſed eſt ſumma ſimplicitas.

Sed ſi in Deo ſunt plures res, quia plura ſuppoſita, plures relationes, & plures formæ actu? dicit enim Ariſt. 12. Metaph. t. c. 30. quod oẽs formæ actu ſunt in primo motore. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod diuina ſuppoſita non diſtinguuntur ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum relationem, relatio autem cum non addat aliquid ſupra ſubſtantiam, non tollit ſimplicitatem. Ita Albertus. Et Durandus. Pluralitas abſolutorum facit quidem compoſitionem in eo, in quo ſunt, ſed non pluralitas relationum; & Argentina. Formæ dicuntur eſſe actu in primo motore, ſed non ſunt diſtinctæ, & ideo creatura in creatore non eſt aliud, quam creatrix eſſentia.

QVAESITVM VIII.

An ſolus Deus ſit, in quo nulla eſt compoſitio, ſed ſumma ſimplicitas?

ALex. reſp. quod eſſe ſummè ſimplex hæc tria excludit compoſitionem, compoſſibilitatem, & compoſitioni contingentiam, & quoniam nulla creatura eſt, quæ hæc excludat, omnis enim creatura, aut eſt compoſita ex alijs, vt illa, quæ eſt per ſe exiſtens, aut componibilis alij, vt materia, & forma, aut compoſitioni contingens, vt forma vniuerſalis, ſicut homo, & humanitas, hinc ſequitur, quod ſolus Deus eſt ſummè ſimplex, cum hæc omnia excludat. q. 5. m. 3.

D. Thomas reſp. quod nulla creatura eſt adeo ſimplex, quod omnino poſſit excludi a compoſitione, quia omne quod procedit a Deo in diuerſitate eſſentiæ deficit a ſimplicitate eius, Eſt itaque creatura duplex, quædam quæ habet eſſe completum in ſe, vt homo, & iſta eſt, quæ componitur ex alijs, quædam vero, quæ non habet eſſe completum in ſe, ſed in alio, & hæc eſt ſaltem alteri componibilis. d. 8.

D. Bonau. reſp. quod illud eſt ſimplex, quod non habet compoſitionem partium, nec differentiam actionum, ſiue formarum, & quoniam omnis creatura habet compoſitionem partium; nam ſi eſt ſubſtantia habet compoſitionẽ partium eſſentialium, vt quodlibet per ſe ens, vel integralium, vt quodli- q. 2.

bet corporeum, vel diſſimilium, vt quodlibet viuens; habet ſimiliter differentiā actionum, & formarum, nam ſi eſt ſubiectū habet differentiam ſubſtantiæ & virtutis, ſiue ſubſtantiæ, & accidentis; ſi indiuiduum ſuppoſiti, & eſſentiæ; ſi quodcunque aliud ſiue creatum, ſiue concreatum, entis & eſſe; ideo omnis creatura eſt compoſita, nullaque ſimplex. Quod etiam confirmat quadrupliciter; primò, quia in omni creatura differt quod & quo; ſecundò, quia omnis creatura habet eſſe finitum, & limitatum; tertiò, quia nulla creatura eſt ſuum eſſe, cum ſit eſſe acceptum; quartò, quia omnis creatura deficit a prima vnitate, vnde cadit in dualitatem.

d.8. p.2. pr.2 q.1. Ægidius reſp. quod triplex eſt totum, quod eſt ex partibus, & hoc totum eſt res, que participat eſſe; quod eſt in parte, & hoc eſt eſſe participatum; & quod eſt ante partes, & hoc eſt eſſe diuinum; totum ex partibus quale eſt omnis creatura non poteſt eſſe ſimplex ratione partium, ex quibus conſtat; totum in parte ſimiliter non effugit eſſe cōpoſitum, nam hoc totum diuiſibile eſt, eo quod ſecundum aliquam partem recipitur in vno, & ſecundum aliam recipitur in alio; totum verò ante partes omnino immutabile eſt, quia ſi aliquid mutatur, mutatur, vt acquirat aliquid eſſe, quod nō habet ibi, ibi autē hoc eſſe non poteſt, quia eſt omnis modus eſſendi.

q.2. Ricardus reſp. quod nulla creatura eſt ſūmè ſimplex, omnis enim creatura aut eſt cōpoſita ex alijs, aut eſt componibilis alij, aut alia eſt componibilis ei, ſolus ergo Deus qui eſt actus purus eſt ſummè ſimplex.

d.8. q.2. Ioannes Scotus reſp. quod omnis creatura eſt aliquo modo compoſita, non quidem ex re, & re, quia ſic daretur proceſſus in infinitum, ſed ex re ſaltem, & priuatione, quoniam nulla creatura eſt, quæ habeat entitatem ſecundum totam perfectionem, quæ nata eſt eſſe entitatis in ſe, & ſimiliter ex actu, & potentia obiectiua, quod enim eſt ens, & caret aliqua perfectione entis, eſt in potentia obiectiua ad illud; eſt etiam quælibet creatura componibilis alteri; ſi enim eſt accidens eſt componibile ſuo ſubiecto; ſi materia eſt componibilis formæ; ſi forma eſt componibilis materiæ; ſi forma generabilis, & corruptibilis eſt receptiua accidentium; ſi ingenerabilis, & incorruptibilis, vt præſertim intelligentia eſt receptiua ſuæ intellectionis, & volitionis, non enim intellectio, aut volitio eſt ſua ſubſtantia.

d.8. q.2. Herueus reſp. quod licet poſſit inueniri aliqua creatura, quæ non ſit compoſita ex aliquibus, nulla tamen eſt, quæ ſaltem non ſit compoſita cum aliquo; nulla etiam eſt creatura, quæ non deficiat a ſimplicitate diuina, non ſolum propter diuerſa ex quibus, vel cum quibus componitur, ſed etiam propter ſuam potentialitatem.

Thomas Anglicus reſp. quod accipiendo ſimplex, prout diuiditur contra compoſitum ex aliquibus, eſt aliqua creatura verè ſimplex ſicut angelus, & partes compoſitorum; accipiendo verò ſimplex, vt diuiditur contra cōpoſitum cum aliquo, vel cum aliquibus, ſic nulla creatura eſt ſimplex, cum vnaquaque res componatur cum alia, vel ſicut accidens cum ſubiecto ſuo, & econuerſò, vel ſicut materia cum forma; & ſic de alijs. d.8. q.2.

Franciſcus Maro reſp. quod ſimplex dicitur quod vnico actu intelligendi apprehendi poteſt, ſicut eſt vna quiditas, vt homo, vel animal, ſimpliciter vero ſimplex dicitur cōceptus irreſolubilis penitus, ſicut ſunt conceptus entis primarum, & vltimarum differentiarum; ſummè ſimplex dicitur, quod in ſe omni caret cōpoſitione, nec alij eſt componibile, nec aliud cum eo. & ſic ſolus Deus eſt ſummè ſimplex. Item Guil. Varrill. q.8.

Robertus Olchot reſp. quod aliquid dicitur ſimpliciter ſimplex dupliciter, vno modo quod non componitur ex rebus, altero modo quod nec etiam ſit rebus componibile; primo modo eſt aliqua creatura ſimpliciter ſimplex, alioquin daretur proceſſus in infinitum; ſecūdo modo ſolus Deus. q.6.

Gabriel Biel reſp. quod ſimplex aliquando dicitur per carentiam compoſitionis rei ex partibus, ipſum tamquam totum intrinſecè conſtituentibus, & ſic Angelus, & anima dicuntur ſimplices & ſimiliter accidentia; alio modo dicitur ſimplex per carentiā omnis compoſitionis, & componibilitatis intrinſecè, & extrinſecè, & hoc modo nulla creatura eſt ſimplex, ſed ſolus Deus. d.8. q.7.

Ludouicus Molina reſp. quod omne ens completum ſingulare conſtat intimè ſaltem genere, & differentia, genera verò ſuprema, & partes tam methaphyſicæ, quam phyſicæ componuntur cum ſua exiſtentia, vnde reſultat vnum per ſe in ratione entis exiſtentis, componuntur cum differentijs, & differentiæ cum generibus, materia cum forma, ſubſtātiæ cum accidentibus, & econtra, ideo hoc proprium Dei eſt, vt ſit omnino ſimplex. q.3. a.7. diſ.1.

Reſolutio.

RESpondeo quod ſi accipiatur ſūma ſimplicitas prout excludit omnem compoſitio-

Digitized by Google

ſitionem, ſic non eſt ſolus Deus, in quo nulla ſit compoſitio, quoniam omnia primò componentia ſunt huiuſmodi, vt materia, & forma, eſſe, & eſſentia; ſemper enim in quacumque compoſitione neceſſe eſt deuenire ad aliquod primò componens, & non reſolubile in aliud, alioquin daretur proceſſus in infinitum, & hoc eſt in quo nihil eſt, quod non ſit ipſum, vt in materia nihil eſt, quod non ſit materia, in forma nihil eſt quod non ſit forma, & in eſſe nihil eſt, quod non ſit eſſe, & conſequenter omnia hæc ſunt ſummè ſimplicia, nullam enim admittunt compoſitionem; ſi verò accipiatur ſumma ſimplicitas, vt etiam excludit omnem componibilitatẽ, cum omne incomponibile alteri ſit ens per ſe exiſtẽs, omnia autem hæc non per ſe exiſtant, vt materia, forma, eſſe, eſſentia, & huiuſmodi, ſūmè ſimplicia eſſe non poſſunt; ſolus ergo Deus, qui eſt ens perfectiſſimum, & per ſe exiſtens eſt, in quo nulla eſt compoſitio, ſed ſumma ſimplicitas.

Obiectio. Sed ſi anima eſt ipſum eſſe? eſt enim actus corporis primus, vt dicit Ariſt: 2. de An. t. c. 6. actus autem primus eſt eſſe, ſicut ſecũdus operari?

Reſpondetur, quod licet eſſe ſit actus primus reſpectu operari, forma tamen eſt actus primus reſpectu eſſe, & ideo anima eſt actus primus, non quod ſit eſſe, ſed quia eſt forma: Ita Ægidius.

QVÆSITVM IX.

An Deus in compoſitionem aliorum veniat?

q.3. a.8. D. Thomas reſp. quod non eſt poſſibile Deum aliquo modo in compoſitionem alicuius venire, nec ſicut principium formale, vt dicebant Almariani, nec ſicut principiũ materiale, vt dicebat Dauid de Dinando, qui ſtultiſſimè poſuit Deum eſſe materiam primam; primò, quia Deus eſt prima cauſa efficiens, cauſa autem efficiens non poteſt coincidere cum forma rei factæ in idem, neque cum materia; ſecundò, quia Deus eſt primo, & per ſe agens, quod autem eſt tale non venit in compoſitionem eorum, quæ agit; tertiò, quia Deus eſt primum ens ſimpliciter, nulla autem pars compoſiti poteſt eſſe prima in entibus.

a.29. q.1. Henricus reſp quod Deus in nullius compoſitionem venit, neque vt forma cum materia, quia quod eſt formale principium in conſtitutione alicuius compoſiti, eſt vt pars reſpectu totius, & ita eſt quid imperfectum, in Deo autem nulla poteſt eſſe imperfectio; neque vt materia cum forma, quia materia minimum habet de eſſe, Deus autem maximè eſt ens; neque vt accidens cum ſubiecto, quia Deus nullam rationem accidentis habere poteſt; neque vt ſubiectum cum accidente, quia omne tale compoſitum eſt in potentia ad illud, quantum eſt de ſe, in Deo autem nulla cadit potentia ad aliud a ſe; neque vt motor cum mobili, quia omne tale compoſitum dependet a mobili, Deus autem a nullo dependet, neque in eſſe, neque in operari, neque vt finis; neque tandem vt vnitas cum vnitate, quia Deus cum nulla creatura conuenire poteſt in aliquo formali communi ſecundum rem illam, numerus autem propriè loquendo non eſt niſi multitudo vnitorum in forma vna quocunque modo proueniens ex vnitatibus eiſdem ſecundum formam illam ſæpius ſuper ſe replicatis: nullo modo igitur Deus venit in compoſitionem aliorum.

Andreas de Nouo Caſtro reſp. quod Deus nullo modo eſt alteri componibilis, quia nec vt ſubiectum accidenti, quoniam ſic eſſet ens imperfectum, & diminutum, nec vt forma ſubiecto, quia hoc repugnat eius immenſitati, actualitati, & ſummæ ſimplicitati. q.2.

Greg. de Val. reſp. quod quando aliquid componit rem aliquam aliqua ratione .ſ. vt principium materiale, vel formale eſt minus perfectum, quam ipſa res compoſita, cum autem Deus ſit ens perfectiſſimum, nullo modo poteſt venire in alicuius rei compoſitionem. Item Gabr. Vaſquez. Omne (inquit) id, ex quo aliquid componitur imperfectius eſt ipſo compoſito. q.3. punc. 8

Reſolutio.

Reſpondeo, quod compoſitio vnitatem importat, quæ ergo veniunt in compoſitionem alicuius faciunt vnum cum eo, hoc autem contingere non poteſt, niſi inter illa, quæ habent aliquam conuenientiam in natura, & eſſe, & quoniam Deus nec in eſſe, nec in natura propter ſuam immenſitatem, & infinitatem conuenit cum alijs a ſe; ideo in illorum compoſitionem nullatenus venire poteſt.

Sed ſi dicit D. Dionyſ. c. 4. de cæl. hierarch. quod Eſſe omnium eſt, quæ ſuper eſſe eſt deitas? eſſe autem omnium intrat compoſitionem vniuſcuiuſque. Obiectio.

Reſpondetur, quod deitas dicitur eſſe omnium effectiuè, & exemplariter, non per eſſentiam. Ita D. Thomas.

natura, & quoniam Deus non eſt compoſitus ex materia, & forma, idcirco idem eſt quod ſua deitas, ſeu eſſentia, vel natura.

Reſolutio.

Reſpondec quod in Deo ſicut dictum eſt, eſt ſumma ſimplicitas, ac proinde ſumma identitas, non enim eſt aliquid in Deo quod non ſit Deus, & proptérea non poteſt eſſe aliud a ſua eſſentia, ſic enim eſſet aliud a ſeipſo, quod implicat.

Obiectio. Sed ſi cætera creata non ſunt idem quod ſua eſſentia, ſeu natura; & tamen effectus imitantur ſuam cauſam?

Reſpondetur, quod effectus imitantur ſuā cauſam, non tamen perfectè, & per omnem modum, ſed tantum quantum poſſunt. Ita D. Thomas.

QVÆSITVM XII.

An Deus ſit idem quod ſuum eſſe?

q. 3. a. 4. D. Thomas reſp. quod Deus non ſolum eſt ſua eſſentia, ſed etiam ſuum eſſe, quod probat ſic. Illud quod habet eſſe, & non eſt eſſe, eſt ens per participationē, ſicut illud quod habet ignem, & non eſt ignis eſt ignitum per participationem; ſed Deus non habet eſſe per participationem cum ſit primum ens, ens autem primum eſt ens per eſſentiam; igitur eſt ſuum eſſe.

d. 8. p. 1. pr. 1 q. 2. Ægidius reſp. quod ea, quæ agūt in virtute alterius, non ſunt ſua virtus, vnde ignis non eſt ſuus calor, quia agit in virtute ſuper cæleſtis corporis; ſed ſi ignis eſſet primum agens, & calor eſſet illud, cuius virtute omnia cauſata ab igne participarent igne, ignis eſſet ſuus calor, cum igitur omnia habeant eſſe per eſſe primi, nam vt dicit Auer. 2. Meth. c. c. 4. Vnum eſt per ſe ens, & per ſe verum, & alia omnia ſunt entia, & vera per eſſe, & veritatem eius, igitur Deus eſt ipſum eſſe, cum ſit primum agens, & per eius eſſe, omnia habeant eſſe.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod eſſe Dei eſt ſuum exiſtere, quemadmodum eſſentia eſt ſua natura, ſicut ergo propter ſuam ſummam ſimplicitatem, & infinitatem eſt idem, quod ſua eſſentia, ita eſt idem, quod ſuum exiſtere, ſeu ſuum eſſe, alioquin vel Deus non eſſet, vel eſſe Deum non eſſet Deus, quod implicat in diuinis. Eſt ergo Deus vnum, & ſimpliciſſimum ens, in quo nulla eſt diuerſitas ſecundum rem, ſed tantum in noſtro modo explicandi, & intelligendi, aliter enim ipſum explicamus & intelligimus per eſſe, & aliter per eſſentiam, ipſum tamen non diſtinguimus ab hoc ſuo eſſe, & eſſentia.

Sed ſi dicit D. Dion. c. 5. de diu. nomin. quod deitas, & diuinum eſſe eſt eſſe omnium? Et Deus non eſt omnia. Obiectio.

Reſpondetur, quod diuinum eſſe eſt eſſe omnium, non quidem formaliter inhærenter, ſed cauſaliter, quia cauſat omnia, & formaliter exemplariter, quia ad exemplar eius ſunt omnia. Ita Ægidius.

QVÆSITVM XIII.

An in Deo idem ſit eſſentia, & eſſe?

D. Thomas reſpondet, & probat dupliciter quod eſſe Dei non eſt aliud ab eſſentia eius; & primò, Omne illud, cuius eſſe eſt aliud ab eſſentia habet illud eſſe cauſatum ab alio, nam omne quod eſt in aliquo præter eius eſſentiam oportet eſſe cauſatum, vel a principijs eſſentiæ, vt riſibilitas in homine, vel ab alio exteriori, vt calor in aqua, & quoniam eſſe non poteſt eſſe cauſatum a principijs eſſentiæ tantum, quia nulla res ſufficit, quod ſit ſibi cauſa eſſendi, ſi habet eſſe cauſatum; ideo neceſſe eſt, vt ſit cauſatum ab alio exteriori; ſed Deus nihil habet cauſatum ab alio, quia eſt primum efficiens, ergo eius eſſe non eſt aliud ab eſſentia; ſecundò, eſſe eſt actualitas omnis formæ, & naturæ; tunc enim aliquid ſignificamus in actu, cum ſignificamus illud eſſe; in quibus ergo eſt aliud ab ipſa natura, comparatur ad eam ſicut actus ad potentiam, ſed in Deo nihil eſt potentiale, ergo neque aliud eſt eſſe ab eius natura, ſeu eſſentia. Et lib. 1. contra gentes c. 22. Reſpondet, quod ideo in Deo eſt idem eſſe, & eſſentia quia Deus eſt, quod per ſe eſt neceſſe eſſe, quia non habet cauſam, quia eſt purus actus, non compoſitus, & eo nihil eſt prius. q. 3. a. 4. ibid.

Henricus reſp. quod omnino eſſentia diuina eſt ipſum eſſe diuinum, & econuersò, & ſunt omnino idem in Deo non ſolum re, ſed etiam intentione, quia eſſe eſt purum ſine omne potentia, & Deus ſeipſo formaliter eſt a nullo eſſe habens: in creatura autem licet ſint idem re, differunt tamen intentione, alia enim eſt ratio, & intentio creaturæ, vt res, & eſſentia, & alia vt ens, & vt in effectu eſt. a. 21 q. 4.

Petrus Aur. reſp. quod eſſe differt ab eſſen- d. 8.

ſen-

a.4. ſentia conceptibiliter in Deo, quia res diuinitatis poteſt concipi per modum habitus, & quietis, & hoc modo concipitur vt eſſentia, & per modum operationis, & actus, & hoc modo concipitur, vt eſſe.

d.8. diſp.2 Michael de Pal. reſp. quod quia eſſe actuale, quod eſt eſſe indiuiduale eſt extra eſſentiam rei, propter hoc eſt accidens, poſſumus enim planè intelligere eſſentiam rei, ſine exiſtentia indiuiduorum, & ſine accidentibus, ſed quoniam eſſentiam Deo nemo intelligere valet extra eſſe exiſtentiæ diuinum, nam ſi cogitat deitatem ſine eſſe exiſtentiæ impoſſibile cogitat, Deum enim non eſſe eſt impoſſibile, ideo ipſi eſſentiæ diuinæ, ita intrinſecum eſt eſſe exiſtentiæ, vt nec cogitatio valeat illa diſſociare, quod non contingit in eſſentijs creatis.

ar.4 Ludou. Mol. reſp. quod quãdocunque aliquid eſt in aliqua re, & non eſt ipſamet eſſentia rei, nec quippiam intrinſecum ei vtique vel ab eſſentia fluit, vel ab aliquo externo agente eſt effectũ; cum itaque eſſe, exiſtentiæ diuinum neque ſit effectum ab externo agẽte, alioquin Deus non eſſet prima cauſa, neque ab eſſentia fluat, alioquin eſſentia præexiſteret tali eſſe, ſequitur quod eſſe Dei non differat ab eſſentia eius.

q.3. pũc.4 Gregorius de Val. reſp. quod illud quod eſt eſſe primum, & ſimpliciter neceſſarium, non poteſt exiſtere per talem exiſtentiam, quæ vel ab illius eſſentia re diſtinguatur, vel non ſit omnino intrinſeca illius eſſentiæ; ſi enim quid exiſtit per exiſtentiam re diſtinctam ab eſſentia ſua, id non vtique habet omnem perfectionem ſuam intrinſecè in ſua eſſentia, cum itaq; Deus ſit ens primum, & ſimpliciter neceſſarium, igitur & eius eſſentia, & exiſtentia ſunt vnum, & idem realiter.

Reſolutio:

Reſpondeo, quod eſſe in creatis addit aliquid ſupra naturam, ſeu eſſentiam .ſ. exiſtentiam, aliud enim eſt natura, & eſſe in rerum natura, & quoniam Deo nihil eſt additum, nihil quod eſt aliud, idcirco nihil etiam eſt, quod differat ab eius eſſentia.

Obiectio. Sed ſi de Deo ſcimus an ſit, non vero quid ſit? ſpectat autem ad eſſe an ſit, ad eſſentiam vero, quid ſit.

Reſpondetur, quod eſſe ſumitur dupliciter vno modo vt ſignificat actum eſſendi, alio modo vt ſignificat compoſitionẽ propoſitionis, quam anima adinuenit coniungens prædicatum ſubiecto, primo modo accipiendo eſſe, non poſſumus ſcire eſſe Dei, ſicut nec eſſẽtiam eius, ſed ſolum ſecundo modo; ſcimus enim quod hæc propoſitio, quam formamus de Deo, cum dicimus Deus eſt, vera eſt. Ita D. Thomas, & Ægidius.

QVAESITVM XIV.

An Deus ſit in genere? ſiue in aliquo prædicamento?

Alex. Alenſ. reſp. quod Deus non eſt in prædicamẽto propriè dicto, quia quæ ſic ponuntur in prædicamento dicuntur ſecundum ſuperius, & inferius; ſed eſt in prædicamento communiter accpto, ſic enim ſunt in prædicamento, quæ ſe habent per modum prædicamenti, in diuinis autem quædam ſe habent per modum ſubſtantiæ, & quædam per modum relationis. q.48. m.4 a.2.

D. Thomas reſp. quod ſicut dicit Ariſt. 3. Meth t. 4. Illud quod eſt in genere habet quiditatem differentem ab eſſe, & quoniam in Deo ſuum eſſe eſt ſua quiditas; ideo non ponitur in genere. Quod eſt ſimiliter in genere habet eſſe determinatum ſecundum illud genus, Deus autem cum contineat perfectiones omnium generũ non habet eſſe determinatum ad aliquod genus; & ideo non eſt in genere. d.8. q.4. a.2.

Et iterum reſp. quod neq; propriè, neq; per reductionem eſt in genere; non propriè, quia quod eſt ſic in genere ex actu conſtat, & potentia; Deus autem non conſtat ex actu, & potentia; & ſimiliter ſi eſſet ſic in genere; genus eius eſſet ens, ens autem non poteſt eſſe genus; & quę tandem ſic ſunt in genere cõueniunt in quiditate & differunt in eſſe, Deus autem non habet diſtinctum eſſe a quiditate; nec ſimiliter eſt in genere per reductionem, vt principium, quia principium, quod reducitur in aliquod genus, non ſe extendit vltra genus illud, Deus autem, vt principium ſe extendit vltra omne genus, quod eſt principium totius eſſe. Et cõt. gent. li. 1. c. 25. Deus (inquit) non eſt in genere, quia nec in genere ſubſtantiæ, nec accidentis; nec enim accidens, neque ſubſtantia, quæ eſt genus, eſt ipſum eſſe, ſicut Deus eſt eſſe ſuum. p. p. q.3. a.1.

D. Bonau. reſp. quod ſi Deus eſſet in genere, vel eſſet in quolibet genere, vel in aliquo determinato, ſed non eſt in quolibet, quia eſt ens ſimpliciſſimum, nec in aliquo determinato, quia eſt ens infinitum, non coarctatum, & limitatum, idcirco non eſt in gñe. d.8. q.vlt

Ægidius reſp. quod cum Deus ſit ſimpliciter infinitus, habeat naturam ſimplicem, & p.2. pr.c

ſic

Digitized by Google

q.2. ſic actus purus, cuius quiditas non diſtet ab eſſe ſequitur, quod non eſt in genere, nec per ſe nec per reductionem.

d.8. q.vlt. Ricardus reſp. quod Deus non eſt in genere, neque directè, quia eſt actus purus, & ſummè ſimplex, & cum nulla alia re communicans in ratione communi; neque per reductionem, quia eſſe, quod habet eſt perfectiſſimum; neque eſt ipſum genus, quia nullo modo contrahi poteſt per aliquam additionem, nec eſt aliquid prędicabile, niſi de tribus perſonis.

d.8. q.3. Ioannes Scotus reſp. quod Deus eſt ens infinitum, & ens neceſſe eſſe, quod autem eſt huiuſmodi, in nullo genere eſſe poteſt.

d.8. q.2. Herueus reſp. quod Deus propter ſuam illimitationem, & perfectionem vniuerſalem non eſt in aliquo determinato genere, vt ſpecies, vel differentia, nec propter ſuam generalem cauſalitatem, vt principium.

d.8. q.3. Thomas Anglicus reſp. quod Deus non eſt in genere propriè loquendo, poteſt tamē dici aliquo modo eſſe in genere, ſicut continens, vel menſurans genus, ſicut etiam dicitur eſſe in tempore, vel in loco.

d.8. ar.2 Petrus Aur. reſp. quod genus exprimit cōceptum importantem determinatam rationē aliqualiter, licet non vltimatè; dicit enim formam, & rationem mediam inter purum actum, & puram potentiam, vt dicit Auer. 2. Meth. t. c. 33. ſed quoniam nullus conceptus prædicabilis de Deo importat determinatam rationem, imo omnes incidunt re & ratione in ipſam deitatem; propterea Deus non eſt in genere.

de di. præd. q.6. Iacobus Viterbienſis reſp. quod Deus poteſt quidem dici res prædicamenti cum omnia attribuantur ei ſicut agenti, & fini, & habeant ad eum habitudinem, & ordinem; non tamen poteſt dici res generis, cum non habeat cum aliquo conuenientiā ſimilitudinis, neque eſſentialem, neque ſubſtantialem, neque in eo poſſit ſumi aliquid indiſtinctum, & potentiale, ſicut in quolibet, quod eſt res generis.

q.11. prol. Franciſcus Maro reſp quod omne illud, quod eſt in genere includit genus tanquam partem eſſentialem, & quoniā Deo repugnat includere aliquid ſuperius tamquam partem eſſentialē, quia eſt ſimpliciter ſimplex, & per conſequēs irreſolubilis, ideo nō eſt in genere.

d.8. q.1. Guilelmus Occham reſp. quod ſi Deus eſſet in genere, illud genus eſſet ens, quod eſſe non poteſt, quia omne genus ſeparat illud, cuius eſt genus ab alio, nihil autem poteſt ſeparari ab ente per aliquid aliud, quia genus, quod prędicatur de magis differētibus, prędicatur etiā de minus differentibus; ſecundò idem probat, quia omnia quæ ſunt in genere habent certam proportionem, & perfectionem inter ſe, ſed Deus in infinitum excedit omne aliud ab eo, ergo in nullo genere eſt cum quocunque alio ab eo.

Thomas ab Argentina reſp. & probat multipliciter, quod Deus nō eſt in genere; primò, quia eſt cauſa omnis entitatis, & veritatis reperibilis in quocunque genere; vnde ſi eſſet in genere eſſet cauſa ſui ipſius; ſecundò, quia comprehendit in ſe perfectiones omnium generum; tertiò, quia eſt ens ſimpliciter illimitatum; quartò, quia nihil perfectius eo cogitari poteſt; quintò, quia eſt infinitæ virtutis; ſextò, quia eſt formaliter infinitus; ſeptimò, quia cum nulla re habet conuenientiam eſſentialem; octauò, quia cum nulla creatura conuenit in natura, & forma. q.1.

Gerardus reſp. quod Deus non poteſt cōcipi conceptu ſimplici, confuſo, & indiſtincto, qui eſt conceptus generis; primò, quia nullum gradum potentialitatis habet, quod autem concipitur conceptu confuſo concipitur potentialiter, & indeterminatè; ſecundò, quia Deus non poteſt fundare ſimilitudinem ad aliquid aliud; tertiò, quia non eſt quid limitatum; neque poteſt concipi conceptu determinato contrahente, & diſtinguente, qui eſt conceptus differentiæ; primò, quia Deus non recipit aliquam additionem; ſecundò, quia non habet aliquid quod poſſit ſtare cum oppoſito conceptu contrahente, & diſtinguente; tertiò, quia non eſt limitatus ad aliquam ſpeciem contentam ſub aliquo genere, cum contineat perfectiones omnium generum, nec tandem poteſt concipi conceptu complexo mediante quo dicatur compoſitus ex genere, & differentia, cum enim iſte conceptus ſupponat duos conceptus ſimplices, & Deus non poſſit concipi primis duobus conceptibus ſimplicibus, neque poteſt concipi complexo. d.8. q.2. a.2.

Gregor. reſp. & probat, quod Deus verè eſt in genere ſubſtantiæ ſic. Omne quod prædicatur verè in quid de pronomine demonſtrante rem aliquam, & de pronomine demonſtrante aliquam aliam rem ſpecie diſtinctam ab illa, nec tamen ſic prædicatur de quolibet, eſt genus illius rei, & res eſt in genere illo; ſed hoc commune, Spiritus, verè prædicatur in quid de Deo, & de pronomine demonſtrante aliquam rem ſpeciem diſtinctam ab illa, ſcilicet de Angelis, & non de omnibus; ergo Deus eſt in genere. d.8. q.3. a.1.

Gui-

Digitized by Google

d.8. q.1. Guilelmus Rub. reſp. quod ſumendo genus pro genere generaliſſimo, ſic Deus eſt in genere, vt ſignatum in ſigno, quia omne illud eſt in tali genere, quod eſt obiectum per ipſum ſignificatum, ſeu intellectum, multi autem ſunt conceptus, quorum quilibet eſt genus iſto modo ſumptum, quorum omnium obiectum eſt Deus; ſumendo autem genus pro predicamento, non eſt ſic in genere, quia nulla res eſt obiectum, vel ſignatum generis ſic accepti, niſi quæ eſt intelligibilis conceptu aliquo ſpeciei intermedio inter conceptũ ipſum generis, & conceptum proprium ſingularis rei ipſius; Deus autem non eſt conceptibilis aliquo tali conceptu.

d.9. q.1. Ioannes Bacc. reſp. quod cum Deo conueniat ratio formalis generis coordinatè prædicabilis, nam conuenit ei relatio, & hæc relatio eſt paternitas, & ſimiliter de eo prædicatur ſubſtantia, & hæc ſubſtantia eſt incorporea, concedendum eſt quod ſit in genere, non tamen abſolutè, ſed cum locutione denominante exceſſum eius ſuper alia, quæ collocantur in genere, dicendo; quod Deus eſt ſic in genere, quod etiam eſt extra genus, quia infinitus eſt, & illimitatus.

q.6. Robertus Olchot reſp. quod aliquid dicitur eſſe in genere dupliciter, vno modo ſicut pars alicuius coordinationis prædicamentalis, & ſic nihil eſt in genere niſi vox, & conceptus; alio modo ſicut illud quod ſignificatur principaliter per conceptum, vel vocem; Deus itaque eſt in genere ſecundo modo, non primo, & probat. Omnis conceptus predicabilis de Deo, & Angelo in quid eſt conceptus generis, ſed eſt aliquis conceptus, qui prædicatur de Deo, & Angelo in quid .ſ. conceptus ſubſtantiæ, nam ad interrogationem factam per quid de Deo, aptiſſimè reſpondetur eſt ſubſtantia; igitur Deus ſic eſt in genere.

d.8. q.1. Gabriel Biel reſp. quod aliquid eſſe in genere dicitur dupliciter, vno modo quia per aliquod genus ſignificatur, & hoc modo res ſignificatæ per genera dicũtur eſſe in genere, alio modo, quia de eo genus aliquid prædicatur, & illo modo nulla res, quæ non eſt ſignum, vel terminus eſt in genere, quia res vt ſic non prædicatur, nec ſubijcitur, cum non ſit pars propoſitionis; primo modo itaque Deus eſt in genere non ſolum ſubſtãtiæ, ſed etiam qualitatis, relationis, & huiuſmodi, quia ſignificatur per terminos omnium horũ generũ; ſecũdo modo Deus, ideſt, illa ſumma res, quæ Deus eſt non eſt in genere, quia ſic, nec prædicatur, nec ſubijcitur.

q.12. Marſilius reſp. quod accipiendo ſubſtantiam pro eo, quod exiſtit per ſe, ſic Deus propriè eſt in genere ſubſtantiæ; eſt etiam in genere ad aliquid, quia eſt pater filius, creator, & huiuſmodi; & in genere actionis, quia principaliſſimè mouet, & agit; vnde ipſum negare eſſe in his generibus, eſt negare ipſum eſſe ſubſtantiam, patrem, filium, motorem, & huiuſmodi. a.2.

Laurentius Opimus reſp. quod diuina eſſentia non eſt in genere; primò, quia nullo conceptu eſt quiditatiuè comprehenſibilis, nec conſequenter diffinibilis; quod autem nõ eſt diffinibile in nullo prædicamento ponitur; ſecundò, quia non poteſt habere vnicum cõceptũ cum alijs corruptibilibus ſubſtantijs; tertiò, quia eſt ſupra omnem ſubſtantiam, vnde impoſſibile eſt contineri ab eo. d.8. q.vn.

Ioannes Maior reſp. & probat, quod hoc vocabulum Deus ponitur in prædicamento ſubſtantiæ; primò, quia hæc predicatio eſt directa, Deus eſt ſubſtantia, ergo alicuius prædicabilis prædicatio, & non niſi generis; ſecundò, quia ſpiritus prædicatur de pluribus differentibus ſpecie .ſ. Angelo, & Deo; tertiò, quia pater, & filius relatiuè dicuntur, ergo ponuntur in prædicamento ad aliquid; quartò, quia creare, producere, propriiſſimè competunt Deo, & ſunt in prædicamento actionis. q.1.

Michael de Palatio reſp. quod Deus eſt in genere analogo, non vniuoco, quod idẽ eſt quod eſt eſſe in genere impropriè, non propriè; licet etiam poſſimus dicere, quod eſt in genere vniuoco quodammodo deductiuè, cum ſit principium omnium, ſicut accidentia reducuntur ad prædicamentum ſubſtantiæ, inquantum ſubſtantia eſt principium; non tamen deductiuè eo modo, quo reducitur inferius ad ſuperius; ſed eo modo, quo ſuperius reducitur ad inferius, ſic enim Deus, qui eſt ſuperius deducitur ad prædicamenta, quatenus illorum eſt cauſa. d.8. diſp. 3.

Guilelmus Eſtius reſp. quod Deus nec genus eſt, nec ſpecies, nec indiuiduum; non genus, quia nulla ſpecies ſub ſe habet; non ſpecies, quia cum ſit res ſimpliciſſima, non componitur ex genere, & differentia; non indiuiduum, quia ex eiſdem componitur indiuiduum, ex quibus, & ſpecies. d.8. §.10.

Franciſcus a Chriſto reſp. quod ſi Deus eſſet in genere, vel eſſet tanquam vniuerſale quod eſt inconueniens, quia tunc eſſet prædicabilis de multis, vel indiuiduum, quod ſimiliter eſt inconueniens, quia non habet eſſentiam communem cum multis. d.8. q.2.

Petrus Trig. reſp. puod Deus ratione ſuæ infi- q.3.

infinitatis, puritatis, actualitatis, & ſimplicitatis, neque directè, neque reductiuè ponitur in genere.

q.3. Ludou. Molina reſpondet, quod opinio nominalium ponentium Deum in genere non eſt condemnanda erroris circa fidem, cum enim nullam putent eſſe diſtinctionem ex natura rei inter genus, & differentiam, neque naturam aliquam admittant communem, & cenſeant genera, & ſpecies ſolum eſſe conceptus illos formales communes, non vero aliquid eiſdem conceptibus immediatè ſignificatum, & apprehenſum, nihil ſententia hæc derogat diuinæ ſimplicitati; magis tamẽ conſonat diffinitioni eccleſiæ dicere, quod nõ ſit in genere propter eandem ſuam ſummam ſimplicitatem.

diſp. 22. Gabriel Vaſquez reſp. quod omne quod eſt in genere, aut ſpecies eſt, aut indiuiduum, Deus autem non eſt ſpecies, quia nec ſubalterna, nec infima; non ſubalterna, quia nõ cõtinet ſub ſe alias ſpecies; non infima, quaſi ſic eſſent plures numero dij; neque ſimiliter eſt indiuiduum, quia cum nullo alio in ratione ſpeciei eſſentualiter conuenire poteſt; ſecundò, ſi Deus eſſet in genere, aut eſſet in genere entis, quod eſt inconueniens, quia ens non poteſt eſſe genus; aut in aliquo decem; quod ſimiliter eſſe non poteſt, quia nulla ratio apprehendi poteſt ab intellectu noſtro vniuocè communis Deo, & creaturis.

d.8. Archang. Rub. reſp. quod Deus non eſt in genere proprie, ſed per reductionem, vt principium; ſed non vt principium contentum in ipſo genere, ſed vt continens ipſum genus.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod decem ſunt genera rerum, ſiue decem prædicamenta, quibus res omnes ſufficientiſſimè diſponuntur, & ordinantur, ſecundum quod conueniunt in aliqua natura prædicabili de illis, & ſecundum rem, & ſecundum rationem; vnde eſſe in genere, vel in prædicamento, non eſt aliud, quam hanc naturam communem prædicabilẽ dici de illis, & ſecundum rem, & ſecundum rationem, cum itaque ſubſtantia, & ſecundum rem, & ſecundum rationem, ſecundum quam dicitur de Angelis, hominibus, & alijs dicatur etiam de Deo, quia Deus eſt verè, & realiter ſubſtantia, eo modo, quo intelligimus ſubſtantiam, & non minus, aut magis, quam Angeli, & homines, idcirco non eſt excludendus ab hoc ordine, in quo omnes ſubſtantias collocamus.

Obie- Sed ſi genus ſignificat partem rei, vt dicit Ariſt. 7. Meth. c. 2. & Auic. 5. Meth. dicit tio. quod eſt pars quiditatis eius? Deus autem eſt ſummè ſimplex.

Reſpondetur quod genus non eſt pars rei propriè loquendo, ſed pro tanto dicitur pars, quia eſt pars diffinitionis tam propriæ dictæ, quam datæ per additamentum. Ita Occham. Et Gregorius dicit, quod Auicen. pro quiditate intelligit diffinitionem. genus enim eſt pars diffinitionis ſpeciei, ſiue rei, quæ aut diffinitur propriè, aut deſcribitur.

QVÆSITVM XV.

An aliquid dicatur de Deo, quod ſit in genere?

ALex. reſp. quod cætera prædicamenta a ſubſtãtia, & relatione ſecundum ſua genera rarò attribuũtur diuinis, ſecundum vero ſuas ſpecies attribuũtur Deo ſecundum illum modum, quo dicit Boetius, quod talia erunt prædicata, qualia permiſerunt ſubiecta, vnde cum dicimus Deus eſt iuſtus, dicimus qualitatem, non quidem eam, quæ ſit accidens, ſed quæ ſit ſubſtantia. q.48. m.4 a.3. §.4.

D. Thomas reſp. quod ſicut ea, quæ important aliquam imperfectionem non dicuntur de Deo, ſic ea quæ aliquam perfectionẽ important, dicuntur de eo, & quoniam prædicata accidentium ſecundum rõnem generis dicunt aliquam imperfectionem propter dependentiam ad ſubiectum, excepta tamen relatione, idcirco ſecundum rationem generis non ſunt in Deo; ſed ſecundum rationem propriam ſpeciei, quoniam ſecundum aliquas differentias completiuas aliquam perfectionem important. d.8. q.4. a.3.

Ioannes Scotus reſpondet, quod cum nihil ſit in genere, niſi limitatum, nihil autem, quod eſt formaliter dictum de Deo ſit limitatum, idcirco nullum formaliter dictum de Deo eſt in genere, & ſic ſapientia, iuſtitia, virtus, & huiuſmodi tranſcendentia ſunt, & extra omne genus. d.8. q.3.

Gregorius reſp. ex mente D. Aug. quod tria ſunt prædicamenta, quæ verè, & propriè dicuntur de Deo ſubſtantia, ſcilicet relatio, & actio; Spiritus enim, Pater, Filius, principium, agens, creator, & huiuſmodi, ſunt prædicabilia de prædicamento ſubſtantiæ, ad aliquid, & actionis. q.3. a.2.

Ioannes Bacconus reſp. quod ratione formales horum prædicamentorum, ſubſtantiæ, ſ. relationis, actionis, paſſionis, qualitatis, & quantitatis, cum dicant aliqualem perfectio- d.8. q.1.

ſtionem poſſunt Deo attribui, amota tamen omni imperfectione, & limitatione.

d 8. q 3. Nicolaus de Orbellis reſp. quod nihil formaliter dictum de Deo eſt in genere, quia nihil finitum, & limitatum dicitur de eo, relationes enim licet non ſint formaliter infinitæ; non ſunt tamen finitæ, quia ſunt idem cum eſſentia formaliter infinita.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod multa dicuntur de Deo, quæ licet ſecundum eorum naturam ſint in diuerſis generibus accidentium, quia tamen in Deo non eſt accidens, & omnia tranſeunt in diuinam ſubſtantiam, idcirco debeat excludi a generibus, ſeu prædicamentis accidentium, & reponi in prædicamento ſubſtantiæ, & ſic dici de eo, vt ſubſtantia.

Obiectio. Sed ſi dicit Boetius, quod duo prędicamēta manent in diuinis? ergo ſi vnum eſt ſubſtantia, neceſſarium eſt, quod aliud ſit accidens.

Reſpondetur, quod non dicit Boetius, quod ibi ſint duo prædicamenta, ſed duo modi prædicandi. Ita Franciſcus Maro.

QVAESITVM XVI.

An ſit aliquid diuinum; quod nomine attributi ſignificari poſſit?

d.2. q.1. a.2. D. Thomas reſp. quod omnes perfectiones, quæ ſunt in creaturis ſunt etiam in Deo, vt in ſua cauſa, & quia eſt ipſum eſſe per ſe ſubſiſtens, cui nihil deeſt de perfectione eſſendi, modo tamen perfectiſſimo, & eminentiori; vt ſapientia, bonitas, iuſtitia & huiuſmodi, quæ appellantur diuina attributa.

d.2. q.2. Ægidius reſp. quod cum Deus ſit perfectiſſimus, & nullo claudatur termino, non ſolum vnam perfectionem habet, ſed plures, & non ſolum vnius generis, quia ſic contineretur in genere, ſed omnium generum, & huiuſmodi perfectiones ſunt attributa.

a.12 q.1. Henricus reſp. quod non ſolum eſſe abſolutum Deo attribuendū eſt; ſed etiam eſſe ex circumſtantia bonorum, quia Deo attribuendum eſt, quicquid melius eſt, quod autem eſt ex circumſtantia bonorum, melius eſt, quā quod non ex circumſtantia; hoc autem non fit niſi Deo attribuendo aliqua, quæ ſunt dignitatis, & nobilitatis in creaturis, & in Deo ſunt attributa, quaſi ſupra rationem ſuæ eſſētiæ a creaturis, in quibus conſimilia conijcimus, ei attributa.

d.2. Ricardus reſp. quod attributa ſunt ſuper excellentiæ perfectionum repertarum in generibus entium, quarū quamlibet melius eſt ſimpliciter habere per modū rei intrinſecè, quam non habere. q.3.

Durandus reſp. quod attributum accipitur dupliciter, largè, & ſic omnia, quæ conueniunt Deo per modum cuiuſdam denominationis, dicuntur attributa, vt eſſe infinitum, immenſum, & huiuſmodi; ſecundò, ſtrictè & propriè, & ſic eſt perfectio communis Deo, & creaturæ ſaltem communitate eiuſdem analogiæ, quam intellectus noſter conſiderans in creaturis ratiocinatur, quod nihil eſt in creaturis ad perfectionem pertinens, quin èminentius ſit in Deo, & eam Deo attribuit; vt ſapientia, bonitas, & huiuſmodi. q.3.

Petrus Aureolus reſp. quod attributum eſt conceptus indeterminatus principaliter, & in recto ſecundum rem, & rationem, includēs in obliquo certum aliquid connotatum pertinens ad perfectionem ſimpliciter, communis Deo, & creaturæ in idem re, & ratione coincidens cum illo in quod ſpecificatur. d.8. p.5. a.2.

Iacobus Viterbienſis reſpondet, quod perfectiones creaturarum ſunt in Deo, vt in agente per intellectum, prout ſunt in diuina natura dicūtur perfectiones attributales, prout ſunt in diuina intelligentia dicuntur perfectiones ideales. de di prad. q.4.

Franciſcus Maro reſp. quod attributum quatuor modis accipitur; primo, pro omni prædicato, quod Deo conuenit quiditatiuè; ſecundo, propriè, pro omni ſecundaria perfectione, quæ non eſt quiditatiua, ſicut infinitas, & neceſſitas; tertio, magis propriè pro quacunque perfectione ſecundaria, quæ ex creaturis Deo attribuitur, amotis tamen imperfectionibus; quarto, non propriè, ſed appropriatè, & ſic attribuitur Patri æternitas, Filio pulchritudo, Spiritui ſancto clementia. q.7.

Gulielmus Occam reſp. quod diuina attributa ſunt præciſè conceptus, & nomina, quæ ſunt entia rationis, & important diuinam eſſentiam aliquando abſolutè, & affirmatiuè, vt intellectus, & voluntas, aliquando connotatiuè connotando ſ. aliquid aliud, vt prædeſtinans & creans, & aliquando negatiuè, vt incorruptibile, & immortale. d.2. q.1.

Thomas ab Argentina reſp. quod attributū nihil aliud eſſe videtur, niſi perfectio ſimpliciter cōmunis creatori, & creaturæ ſecundum quandam analogiam ex innoteſcentia creaturarum inueſtigata in creatore. d.6.

Gregorius reſp. quod aliud eſt attributum, aliud ratio attributalis, & aliud perfectio attributalis, attributum dicitur nomen de Deo, d.8. q.2. a.2.

&

Digitized by Google

& de omnibus perſonis ſimul, & de omnibus ſigillatim prædicabile, denotans quodlibet de quo dicitur eſſe tale, quale vnicuique melius eſt eſſe, quam non eſſe tale; ratio attributalis dicitur ratio, ſeu conceptus animæ explicans, quod per attributum ſignificatur; perfectio verò attributalis eſt entitas, quam ſignificat principaliter, & pro qua ſupponit abſtractum attributum de Deo dictum. Item Aliacenſis, Marſilius, & Ioannes a Celaia.

d. 8. q. 1. a. 2. Alphonſus reſp. quod perfectio attributalis poteſt accipi dupliciter largè, & ſtrictè; ſi largè ſumitur, idem eſt perfectio attributalis, quod perfectio alicui actualiter attributa, ſicut attribuimus homini riſibilitatē, & igni calorem; & ſic omnis perfectio, quæ competit Deo per modum cuiuſdam denominationis poteſt dici perfectio attributalis, vt infinitas, immenſitas, & huiuſmodi; ſi verò ſtrictè ſic perfectio attributalis eſt perfectio alicui non quocunque modo, ſed ex alio attributa, & hoc modo ſola perfectio, quam Deo attribuimus ex his, quæ videmus in creaturis eſt perfectio attributalis, vt ſapientia, bonitas, & huiuſmodi.

d. 2. q. 1. Ioannes Bacconus reſp. quod attributa ſunt formaliter in Deo ex natura rei, & ſine operatione intellectus, quia in Deo eſt omne illud, quod eſt melius eſſe.

d. 3. Paulus Scriptor reſpondet, quod attributum dicitur quaſi ad tria diſtributū .ſ. ad tria diuina ſuppoſita. Sumitur autem quintupliciter; primò, pro omni prædicato de Deo prædicabili; ſecundò, pro omni eſſentiali, ſiue ad intra, ſiue ad extra; tertiò, pro eo, quod non eſt de quiditate Dei, nec modus intrinſecus, tamen eſt ſimile eſſentiæ in modo prædicandi, vt ſapientia, iuſtitia, & huiuſmodi; quartò, ſolum pro illis quæ vniuocè ſunt in Deo, & creaturis, & amotis imperfectionibus, quas in creaturis habent; quintò, pro appropriatis, & ſic æternitas eſt attributum Patris, ſapientia Filij, bonitas Spūs ſācti.

d. 8. q. 3. Ioan. Vig. reſp. quod eſt duplex perfectio eſſentialis in Deo, primaria, vt eſſentia, entitas, vita, & huiuſmodi, & ſecundaria, vt ſapientia, iuſtitia, & huiuſmodi, & hæc dicitur attributum.

q. 28. a. 2. Ludou. Mol. reſp. quod attributa ſunt perfectiones ſimpliciter, de quibus formare non poſſumus in hac vita conceptū abſolutum incomplexū. qui ſit ipſarum proprius; ſed eum tantum, qui cōmunis etiam ſit ſimilibus perfectionibus creatis; preſſius autem ſumpta ſunt perfectiones ſimpliciter, quæ tanquam affectiones ſubſtantiæ, & eſſentiæ diuinæ a nobis concipiuntur, vt intellectus, voluntas, & huiuſmodi.

Gabriel Vaſq. reſp. quod attributum eſt quæuis in Deo perfectio, quæ naturali ratione inueſtigari poteſt, & a nobis ſignificatur per modum alicuius formæ Deo adiacentis, qualis eſt ſapientia, intellectus, voluntas, & huiuſmodi. diſp. 116 c. 1

Archang. Rub. reſp. quod ſi conſideretur attributi nomen quantum ad rem ſignificatā, ſignificat perfectionem ſimpliciter, & hoc modo propriè dicitur de Deo, quia perfectio ſimpliciter verè eſt in eo; ſi verò quantum ad modum ſignificandi, vtique impropriè Deo conuenit. d. 2.

Reſolutio.

RESpondeo, quod in Deo eſt ſapientia, iuſtitia, bonitas, & ſimilia, quæ cum ex hoc quod dicunt perfectionem ſimpliciter in creaturis, ipſa formaliter attribuamus Deo, nomine attributi ſignificari poſſunt. Eſt ergo attributum quælibet diuina perfectio, quæ ipſum formaliter denominat, & ex ratiocinatione facta ex creaturis attributa ei, & neceſſario concluſa.

Sed ſi quod a creaturis Deo attribuitur non poteſt eſſe æternum? nihil autem eſt diuinū, quod non ſit æternum. Obiectio.

Reſpondetur, quod nihil a creaturis Deo attribuitur de nouo, ſed bene, quod eſt æternum, nominatur de nouo, & talis nominatio, æterminati diuinarum perfectionum non repugnat.

QVÆSITVM XVII.

An plura ſint diuina attributa?

ALber. reſp. quod attributa comparata ad ſubſtantiam cauſæ, in qua ſunt, ſignificātur, vt vnum propter ſimplicitatem; comparata ad connotata, ſic ſunt ſecundum quid, vt plura, licet nō ſimpliciter plura, quia ſignificantur vt rationes plurium. d. 3. a. 4.

D. Thomas reſp. quod omnes perfectiones, quæ ſunt in creaturis, ſunt etiam in Deo, cum Deus ſit omnium cauſa, & quoniam ſapientia, iuſtitia, bonitas, & huiuſmodi ſunt plures perfectiones in creaturis, idcircò ſunt plura attributa in Deo. d. 2. q. 1. a. 2.

Ægidius reſp. quod pluralitas attributorū tripliciter poteſt aſſignari; primò ex parte obiecti; ſecundò, ex parte ſubiecti, & tertiò, ex parte cauſæ; ex parte obiecti habet eſſe ex ipſa diuina eſſentia, quæ reſpondet, vt im- d. 2. a. 2.

mediatum fundamentum huiuſmodi conceptionibus, in qua earum ſignificata veriſſimè continentur; ex parte ſubiecti prouenit ex intellectu noſtro, in quo talis pluralitas, vt in ſubiecto eſſe habet; ex parte cauſæ contingit ex vtroque, nam diuina eſſentia eſt cauſa huius, quia propter ſuam excellentiam ſuperat intellectum noſtrum, & etiam intellectus noſter deficit a perfecta cognitione eius, & ſuperatur ab ipſa.

d.8. p.3. a.6. Petrus Aureolus reſp. quod omnes diuinæ perfectiones quantum ad illud, quod ſunt formaliter coincidunt in rem, & formalitatem, ac rationem deitatis, ſunt tamen aliæ, & aliæ, ex eo quod connotant, & exprimunt in obliquo, non enim contradictoria poſſent verificari de ipſis, niſi aliquo modo plures eſſent, & diuerſæ.

q.3. Guilel. Occham reſp. quod quia attributa ſunt entia rationis, & conceptus, ſic ſunt plura, quia plura entia rationis, & conceptus prædicabiles de diuina eſſentia, perfectiones autem attributales, quia ſunt entia realia, & in diuinis non eſt niſi vnum reale abſolutum, quod eſt diuina eſſentia, non poſſunt eſſe plures.

d.2. diſp 2. Michael de Pal. reſp: quod in Deo non ſunt plura attributa eſſentialia ſimpliciter loquendo, cum ipſe ſit ſimpliciſſimus, & vnus, in vltimo vnitatis gradu, ſed ſunt plura ſecundum quid, ideſt, ſecundum quandam mentis noſtræ cogitationem.

diſp 117 c.3. Gabriel Vaſq. reſp. quod ex duplici capite prouenit, quod ſimplex eſſentia diſtinguatur a nobis in varias perfectiones; primò, ex imperfectione noſtræ cognitionis, quia non concipimus Deus ſicuti eſt, deinde quia per ſpecies creatarum rerum, & perfectionum ipſum concipimus, quare non poſſumus creaturas diſtinctas realiter, vel diſtinctas perfectiones non reſpicere, ideoque ex diuerſis effectibus, aut ex diuerſis creaturarũ perfectionibus Deo varia attributa aſſignamus.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ad hoc, quod aliquid diuinum nomine attributi ſignificari poſſit, non ſufficit, quod ſit perfectio, ſed perfectio ratiocinata ex creaturis formaliter ipſum denominans; & quoniam non vnam tantum perfectionem ſic ex creaturis intellectus noſter ratiocinatur in Deo, ſed plures; ideo etiam ſunt plura attributa, imò tot, quot ſunt perfectiones ſimpliciter in creaturis, has enim omnes ratiocinari poſſumus eſſe in Deo, ipſumq. formaliter denominare.

Sed ſi Deus eſt ſummè vnus, ſummæ autẽ vnitati repugnat pluralitas? Obiectio.

Reſpondetur, quod pluralitas attributorum eſt in intellectu noſtro ſicut in ſubiecto, in Deo verò ſicut in eo, qui correſpondet illis, & ſic poteſt ſtare cum ſumma eius vnitate, Ita D. Thomas. Vel, vt dicit Ægidius pluralitas attributorũ in Deo eſt modo vno; & ideo eius vnitati non repugnat.

QVÆSITVM XVIII.

An diuina attributa ſint diſtincta realiter a diuina eſſentia, & inter ſe?

D. Thomas reſp. quod omnes perfectiones, quæ ſunt in creaturis, ſunt etiam in Deo ſicut in ſua cauſa; ſed modo perfectiſſimo, quia ſunt vnum ſecũdum rem. d.2. a.2.

Thomas Anglicus reſp. quod ſi diuina attributa concipiuntur in generali, vt ſunt cõmunia Deo, & creaturæ, non eſt dubium quin diſtinguantur realiter, quantum ad id, quod dicunt formaliter, quia non omnis intellectus eſt voluntas, nec omnis ſapientia eſt iuſtitia; ſimiliter accipiendo attributa quantum ad id, quod connotant, adhuc eſt diſtinctio realis inter attributa, vt bonum, & verum non ſolum diſtinguũtur realiter propter hoc, quod aliquid eſt verum, quod non eſt bonum, vel bonitas veritas; ſed etiam, quia verum importat intellectum tanquam illud, ad quod dicitur, & bonum voluntatem; ſi verò præciſè accipiuntur attributa, quantum ad illud, quod ponunt in Deo formaliter, & ſubiectiuè, ſic nulla diſtinctio realis eſt inter ea, ſed tantum rationis. d.8. q 5.

Guilelmus Occham reſp. quod perfectio attributalis poteſt accipi dupliciter, vno modo pro aliqua perfectione ſimpliciter, quæ eſt ipſe Deus realiter, alio modo pro aliquo prædicabili verè de Deo, & de omnibus tribus perſonis coniunctim, & diuiſim, & ſic dicuntur attributa; primo modo non diſtinguuntur ab eſſentia diuina, ſed ſunt vnum cũ ea; ſecundo modo verò realiter diſtinguuntur ab ea, ſicut entia rationis ab ente reali, & ratio eſt, quia ſunt præciſè conceptus, & nomina, quæ ſunt entia rationis, & ſimiliter diſtinguuntur vt ſic, inter ſe. d.2. q.2.

Adam Godam reſp. quod ſapientia omnibus modis a parte rei eſt eſſentia, vel eadem eſſentiæ, quia ex hoc nulla contradictio poteſt oſtendi in diuinis; diſtinguitur tamen ſecundum conceptum, quia non eſt idem cognoſcere diuinam eſſentiam, & ſapientiam. d.6. q.1.

Digitized by Google

d.1. q.2. a.1. Gerardus reſp. quod attributa, ſeu perfectiones attributales poſſunt accipi duobus modis; primò, vt ſunt limitatę quantū ad genus, & quantum ad ſpeciem, vt in creaturis, & quia ſic mutuò ſe excludunt, habent proprias, & intrinſecas rationes, per quas realiter, & eſſentialiter diſtinguuntur; ſecundò, vt ſunt illimitatæ ad genus, & ſpeciem, vt ſunt in Deo, & quoniam ſic mutuò ſe includant, non diſtinguuntur realiter, ſed concurrunt in eandem realitatem, & ſola ratione diſtinguūtur per actum intellectus creati non valentis apprehendere diuinam perfectionē, ſicuti eſt in ſeipſa vnica, & ſimplex.

d.6. q.1. Guilel. Rub. reſp. quod attributa dupliciter ſumi poſſunt, vno modo ſecundum ſe quiditatiuè, vt ſunt quædam prædicabilia de conceptu proprio deitatis, & hoc modo tam inter ſe, quam a Deo, ſunt realiter diſtincta; quia ſic ſunt diuerſi conceptus mētis ſeorſum formabiles in anima, & de eodem conceptu deitatis prædicabiles; alio modo ſignificatiuè, puta in ordine ad ſignificatum per attributa huiuſmodi importatum, & ſic ſumpta ſunt tam inter ſe, quam a Deo indiſtincta totaliter in re extra.

tr.1 p.5. Nicolaus de Nijſe reſp. quod attributa veram habent vnitatem in realitate, in infinitate, & in eſſentia, quia omnibus respondet vna realitas, vna infinitas, & vna eſſentia, ſecundum quam ſunt idem realiter.

d.8. Ioannes a Celaia reſp. quod attributa, & rationes attributales diſtinguuntur ab inuicem realiter, & ſecundum rationem, quia ſunt nomina & conceptus, quibus ſubordinantur; & certum eſt, quod talia diſtinguuntur ab inuicem realiter, perfectiones autem attributales non diſtinguuntur realiter, aut formaliter, ſed ratione, quia omnes ſunt eadem res numero .ſ. natura diuina.

Reſolutio.

RESpondeo, quod in diuinis nulla eſt realis diſtinctio, qualis eſt inter rem, & rem, niſi inter diuinas perſonas, & ideo diuina attributa, quæ ſunt diuinæ perfectiones realiter diſtingui non poſſunt, neque a diuina eſſentia, neque inter ſe, quia neque perſonæ ſunt, neque pertinent ad perſonas.

Obiectio. Sed ſi aliquid conuenit vni, quod non conuenit alteri?

Reſpondetur, quod diuina attributa ſunt idem, ſecundum quod dicunt vnā perfectionem abſolutam; ſed diſtinguuntur, ſecundum diuerſos reſpectus rationis, & ſic aliquid poteſt conuenire vni, & non alteri; abſq; repugnantia realis vnitatis, & identitatis. Ita Bacconus.

QVAESITVM XIX.

An diuina attributa ſint formaliter diſtincta a diuina eſſentia, & inter ſe?

IOannes Scotus reſp. quod diuina attributa non diſtinguuntur a diuina eſſentia, & inter ſe differentia reali, neque tantum rationis, ſed formali, quæ eſt media inter realem, & rationis, quod probat ſic. Sapientia in communi diſtinguitur formaliter a bonitate in communi; ergo & ſapientia infinita diſtinguitur formaliter a bonitate infinita, quæ ſunt diuina attributa: conſequentia probatur, quia gradus rerum non tollit rationem formalem ab ipſis, ergo neque finitum, & infinitum deſtruunt rationem formalem eorum, quibus adduntur. d.8. q.4.

Herueus reſp. quod nulla diſtinctio formalis eſt ponenda inter diuina attributa; primò, quia, vt dicit D. Aug. Deus eſt eo ſapiens, quo bonus, iuſtus, & huiuſmodi, formalitas autem vniuſcuiuſque perfectionis conſiſtit in hoc, quod habens eam, ea eſt formaliter talis; ſecundò, quia iſtæ formalitates quibus attributa differunt, aut ſunt illæ formalitates, quibus vna eſt alia, aut aliæ; ſi vna, ergo vna eſt omnium formalitas, ſi aliæ, ergo formalitatum eſſent formalitates, quod eſt inconueniens; tertiò, diuina attributa ſunt maximè vnum, quia identicè, quæ autem ſunt ſic vnū, ſunt etiam vnum formaliter; quartò, quia vel iſtæ formalitates ſunt formaliter infinitæ, vel finitæ, ſi finitæ, ergo quodlibet attributū eſt finitum, ſi infinitæ, ergo nullum attributū ſecum aliud compatitur; quæ enim ſunt formaliter infinita non ſe compatiuntur in eodē; quæ omnia ſunt inconuenientia. Q.1 q.2.

Franc. Maro reſp. quod perfectiones diuinæ, quia de ipſis non verificantur contradictoria, diſtinguuntur formaliter; quæ diſtinctio poteſt ſtare cum earum reali identitate, cum ſumma ſimplicitate, cum ſumma vnitate, & infinitate, ſicut diſtinctio realis perſonarum. d.8. q.3.

Guilelmus Occham reſp. quod talis diſtinctio, inter diuinam eſſentiam, & attributa, & attributorum ad inuicem, formaliter, non habetur ex Scripturis ſacris, & ideo non eſt ponenda in eis, eſt enim ſemper talis diſtinctio inter rem, & rem, & vna eſt res, quæ eſt diuina eſſentia, ſapientia, bonitas, iuſtitia, & huiuſmodi. d.8. q.1.

Tho-

d.6. q.1. Thomas ab Arg. reſp. & probat dupliciter quod diuina attributa, ſeu perfectiones diuinæ non differunt inter ſe formaliter; primò, quia in Deo non poteſt dari alia, & alia forma, nam vel aliquid eſſet in potentia ad illas, vel vna ad alteram, quod repugnat; ſecundò, quia ſi differrent formaliter, tunc in diuinis diuerſum eſſet eſſe formale, quod eſt falſum.

d.2. q.2. Gerardus reſp. & probat quadrupliciter, quod diuina attributa non diſtinguuntur formaliter, neque inter ſe, neque a diuina eſſentia, & primò; realitas diuinæ eſſentiæ ſic eſt contentiua realitatum attributorum, quod omnia attributa non ſunt niſi vna realitas; ergo ſimiliter formalis ratio eſſentiæ ſic continet rationes formales attributorum, quod omnia attributa non ſunt niſi vna formalitas; ſecundò, attributa tranſeunt in diuinam eſſentiam ſecundum ſuas realitates, igitur etiam ſecundum ſuas formalitates; tertiò, actus, quo Deus videt eſſentiam ſuam intuitiuè eſt vnus ſimplex actus, non ſolum realiter, ſed etiam formaliter; ergo & ipſa eſſentia reſpondet illi actui, vt vnum obiectum, non ſolum realiter, ſed etiam formaliter; quartò, non habent attributa diuerſa eſſe formaliter, ergo neque ſecũdum rationes formales diſtinguuntur.

d.8. q.2. Gregorius reſp. quod perfectiones attributales non diſtinguuntur ab ipſa diuina eſſentia formaliter, neque quaſi diſtinctæ entitates ab inuicẽ; primum probat ſic, vel eſſẽtia diuina præciſè ſumpta eſt ſapientia, vel non, ſi ſic, ergo vel nulla ſapientia eſt diſtincta ab eſſentia diuina, quod eſt propoſitum, vel in Deo ſunt plures eſſentiæ, quod eſt erroneum; ſi non, ergo Deus non eſt ſapiens ſapientia ſua, quod eſt contra D. Auguſtinum; ſecundum vero probat ſic; Deus eſt ſimplex, igitur huiuſmodi entitates non poſſunt eſſe formaliter diſtinctæ, huic enim diſtinctioni repugnat ſimplicitas.

d.8. Alphonſus reſp. & probat, quod eſſentia eſt quodlibet attributum formaliter, & primò, quia circumſcripto omni eo, quod non eſt ipſa, eſt formaliter infinita; ergo & formaliter bonitas, ſapientia, & huiuſmodi; ſecundò, quia diuina eſſentia eſt illud, quo nihil maius excogitari poteſt; ergo ſeipſa eſt formaliter quælibet diuina perfectio; tertiò, quia vt dicit D. Auguſtinus Pater eo eſt bonus, & ſapiens, quo Deus; quartò, quia ſicut realitas eſſentiæ eſt realitas ſapientiæ, ita & formalitas, eodem enim modo ſe habent.

d.2. Ioannes Bacc. reſp. quod diuina attributa ex natura rei diſtinguuntur, non quidem in eſſe formali primo, vt tenet Scotus, ſed in eſſe obiectiuo, & cognito, & ratio eſt, quia habent in Deo proprias formales rationes repreſentatiuas, & diſtinctas, quas habent in creaturis, & ideo ſecundum has poſſunt dici formaliter, & ex natura rei diſtingui. q.1.

q.6. a.2. Petrus Aliac. reſp. quod ſi inter diuina attributa eſſet diſtinctio formalis, vel ipſa eſſent diſtincta magis vel minus, vel æquè, quã perſonæ, non magis vel æquè, quia ſic diſtinguerentur realiter; non minus, quia diſtinctio perſonarum eſt minima ſecundum doctores; ergo non eſt huiuſmodi diſtinctio formalis inter illa.

tr.1 p.4. Nicol. de Nijſe reſp. quod cum ſumma identitate attributorum inter ſe, & cum eſſentia ſtat eorum formalis diſtinctio, ſi enim diffinirentur, ratio formalis vnius non poneretur, in diffinitione alterius.

d.8 q.1. Laur. Opim. reſp. quod eſſentia diuina ſubducta quacunque re creata ex ſua natura intrinſecè, & eſſentialiter eſt ſummè bona, vera, & propriiſſimè ab æterno cognita, vt ſummum verum, & volita, vt ſummum bonũ, igitur ex ſua proprietate intrinſeca habet mutare intellectum in rationem ſummi veri, & voluntatem in rationem ſummi boni; ergo ratio ſummi veri, & ratio ſummi boni formaliter diſtinguuntur, alioquin verum ita moueret intellectum in ratione veri, ſicut in ratione boni, quod eſt falſum.

q.28 a.2. Ludou. Mol. reſp. quod attributa inter ſe, & a diuina eſſentia, virtute, & eminenter diſtinguũtur formaliter, ſunt enim formaliter in Deo ſecundum ſuas rationes formales, & nulla eſt diſtinctio ex natura rei, tamen eminenter, & virtute datur formalis diſtinctio, ſic enim Deus eſt formaliter ſingula attributa, & ſic habet aliquid ſecundum vnum attributum, & non ſecundum alia, & vnum eſt ratio alterius, aut aliud ſupponit.

Reſolutio.

RESpondeo, quod eſt impoſſibile, quod aliqua diſtinguantur formaliter, quin etiam deſtinguantur realiter, ſi aliquid verè ſunt, & realiter, quia cum forma det eſſe rei, ac diſtinguat, vt dicit Ariſt. non poteſt eſſe diſtinctio formalis, niſi inter aliam, & aliã rem, & quoniam talis diſtinctio non poteſt eſſe inter diuina attributa, quæ verè, & realiter ſunt in Deo, & diuinam eſſentiam, & inter ipſamet attributa, alioquin plures eſſẽt res in diuinis, quam tres, ideo neque poteſt eſſe diſtinctio formalis inter ipſamet attributa,

buta,

Digitized by Google

buta, & inter ipſa, & diuinam eſſentiam.

Obiectio. Sed ſi diuina attributa diffinitione differunt? eſt enim alia diffinitio ſapientiæ, alia bonitatis, & huiuſmodi.

Reſpondetur, quod alia eſt diffinitio ſapientiæ, & bonitatis, quando conſiderantur vt ſub eis continentur aliqua, quæ realiter differunt, in Deo autem eadem eſt diffinitio. Ita Durandus. Et Adam; ſi diffiniri poſſet illa ſapientia, quæ eſt Deus diffinitione quid rei, æquè bene poſſet diffiniri per conceptum bonitatis, ſicut per conceptum ſapientiæ, & econuerſò.

QVÆSITVM XX.

An diuina attributa ſint diſtincta aliquo modo ex natura rei ab eſſentia, & inter ſe?

Q. 1 q. 2. HErueus reſp. quod attributa diſtingui ex natura rei poteſt conſiderari dupliciter, vno modo, quod illa diſtinctio dicatur ex natura rei, ſicut ex fundamento remoto, mediante tamen actu intellectus, & hoc modo diſtinguunt attributa, qui eorum diſtinctionem ponunt per comparationem ad extra; alio modo poteſt conſiderari iſta diſtinctio ex natura rei ſic, vt non mediante actu intellectus attributa differant formaliter ab inuicem, & ſic eſt falſum, quia aut iſta diſtinctio eſt realis, aut non; ſi non, ergo ſecundum rõnem tantū; ſi ſic, ergo iſta attributa ſunt diuerſæ res, quod ſimiliter eſt falſum.

d. 2. q. 1. Durandus reſp. quod diuina attributa nullo modo differunt ex natura rei, quia quæ ſic differunt circumſcripto omni actu intelligēdi differunt realiter, & quoniam attributa diuina non differunt realiter, ideo neque differunt ex natura rei.

d. 6. q. 1. Adam Godam reſp. quod ſapientia, volitio, deitas, non ſunt in Deo inter ſe diſtinctæ formalitates eiuſdem rei abſolute, .ſ. quod ſint eadem res, ſed tamen diſtinctæ formalitates, vel perfectiones, vel formales rationes diſtinctæ, vel modi reales eiuſdem rei inter ſe, & a parte rei diſtincti, vel diſtinctæ quiditates, & huiuſmodi; & probat, quia ſic ſequeretur proceſſus in infinitum in diſtinctis formalitatibus, in qualibet earum contentis, vel dabitur, quod ſunt inter ſe diſtinctæ res.

d. 8. q. 2. a. 2. Gregorius reſp. quod attributa diuina diſtinguuntur penes extrinſeca connotata, ſi enim non diſtinguerentur tali ratione, nugatio eſſet, cum vnū iungeretur immediatè huic nomini Deus, v. g. dicendo Deus fortis, Deus iuſtus; & ſimiliter duæ contradictoriæ eſſent ſimul veræ, ſaltem ad intellectum; v. g. hæ ſunt ſimul veræ, Deus cognouit Petrum peccare, & Deus non vult Petrum peccare: ſi ergo volitio & cognitio, non diſtinguerentur ratione ſecundum extrinſecus connotata, vtiq; contradictoriæ forent ad intellectum.

d. 8. Guilelmus Varill. reſpondet, quod ſecluſo quocumque opere intellectus, adhuc intellectus diuinus, & voluntas, quæ ſunt attributa, ſunt principia realium productionū; igitur ex natura rei diſtinguuntur, nullum enim ens reale præſupponit ens rationis; multa item dicuntur de vno, quæ non dicuntur de altero; ergo ne contradictoria verificentur de eodem eſt dicendum quod ex natura rei diſtinguantur: eſt ſimiliter Dei beatitudo in intellectione diuinæ eſſentiæ, & volitione; ergo neceſſe eſt, vt ex natura rei diſtinguantur.

d. 8. q. 1. Ioannes Vigerius reſp. quod duplex eſt diſtinctio, vna rationis quæ eſt per actum intellectus tantum, & altera ex natura rei, quæ eſt etiam ſecluſo actu intellectus; & hæc diuiditur in eſſentialem, realem, formalem, & modalem; eſſentialis nulla eſt in diuinis; realis inter perſonas; formalis inter eſſentiā, & perſonas; inter eſſentiam & attributa; inter eſſentiam, & ideas; & inter attributum, & attributum; modalis verò inter eſſentiam, & modos eius intrinſecos, & ſimiliter attributa, & modos eorum intrinſecos; & ſic eſt aliqua diſtinctio ex natura rei.

q. 3. Petrus Trig. reſp. quod propter infinitatē diuinæ eſſentiæ, propter ſummam realitatem, identitatem, & ſimplicitatem eorum, quæ ſunt in Deo, non eſt dicendum diuina attributa diſtingui ex natura rei.

Reſolutio.

REſpondeo, quod illa dicuntur diſtingui ex natura rei, quæ habent ex ſua realitate, & ab intrinſeco, vt diſtinguantur; cum itaque diuina attributa nullam aliam habeāt realitatem præter realitatem diuinæ eſſentiæ, & hæc propter ſuam ſummam ſimplicitatem, nullam ſecum admittat diſtinctionem præter diſtinctionem relatiuorum, idcirco diuina attributa ex natura rei, quæ ſunt, vel quā important, diſtingui non poſſunt.

Obiectio. Sed ſi non ſunt ſynonima? cum enim ſignificent aliquid reale, ſi non diſtinguerentur ex parte rei, haberent idē ſignificatum formale.

Reſpondetur, quod huiuſmodi nomina ſiue attributa, quamuis idem ſignificent, ſignificant tamen illud ſub diuerſis rationibus, & hoc ſufficit ad hoc, quod non ſint ſynoni-

ni-

nima. Hinc Alphonſus. Ad hoc quod aliqua attributa non ſint ſynomina, ſufficit diſtinctio rationis.

QVÆSITVM XXI.

An aliquid in re reſpondeat diuinis attributis?

d.2. q.1. a.2. D. Thomas reſp. quod quamuis attributa ſint vnum in Deo ſecundum rẽ, ſunt tamen plura ſecundum rationẽ, nam alia eſt ratio bonitatis, alia ſapientiæ, & huiuſmodi; & hæc pluralitas non eſt tantum ex parte ipſius ratiocinãtis, ſed etiam ex proprietate ipſius rei. Et infra. Attributa diuina vt ſapientia, bonitas, & huiuſmodi ſunt in Deo plura, & diſtincta non tantum ſecundum noſtrum modum intelligendi; ſed etiam ſecundum ſuas proprias rationes, hoc eſt, ſecundum ea, quæ concipit intellectus de ſignificatione nominum ſingulorum, nam ratio, prout hic ſumitur, nil aliud eſt, quam quod apprehendit intellectus de ſignificatione alicuius nominis, & in his, quæ habent diffinitionem eſt ipſa diffinitio; ratio enim (inquit Ariſt.) quā ſignificat nomen eſt diffinitio.

d.2. q.3. a.1. Ægidius reſp. quod tunc aliquibus nominibus non correſpondet aliquid in re, quãdo vel intellectus eſt vanus, vt cum fingit ea, quæ non ſunt in rerum natura, vel quando eſt falſus, vt quando componit non componenda, vel diuidit non diuidenda, vel quando ipſa nomina ſunt ſynonima; & quoniam quando intellectus plura nomina attribuit Deo, neque eſt intellectus vanus, quia verè Deus exiſtit ſicut dicitur, neque eſt falſus, quia ſic competit ei, nec ſimiliter nomina ſũt ſynonima, quia a diuerſis rationibus imponuntur; ideo nominibus dictis de Deo, ſeu attributis correſpondet aliquid in re.

d.8. q.1. Alphonſus reſpondet, quod diuerſitati modorum intelligendi correſpondet aliquid in re, quæ eſt Deus, ſed non aliquid diſtinctum ex natura rei in eſſendo, ſed ſolum virtualiter, vel æquiualenter in mouendo intellectũ, & eius actum terminando.

d.2. diſp. 2. Michael de Palatio reſp. quod attributorũ diſtinctio, cum non ſit ficta, habet fundamentũ in re, & eſt diuina eſſentia, quippe quæ eſt obiectum attributalium conceptuum, quos nos de ipſa concipimus, ſiue ſapientem eſſe, ſiue iuſtum, & huiuſmodi, & hæc veriſſimè ſunt in ipſa. Creaturæ item ſunt fundamenta, & huius diſtinctionis radices, & veluti ſeminaria, namque diuerſa attributa ex diuerſis concinnamus creaturis, & in diuinum reducimus numerum.

diſp. 117. c.3. Gabr. Vaſq. reſp. quod in omni diſtinctione rationis duplex eſt fundamentum, vnum, quia res non concipiuntur proprio, & diſtincto conceptu ſicuti ſunt; & alterum, quia eas intelligimus relatè ad aliqua diſtincta realiter; prius fundamentum in ſolo modo concipiendi eſſe dicitur; poſterius etiam in rebus, & hac diſtinctione rationis diſtinguuntur diuina attributa, quæ ſ. habet fundamentum in re, & in modo concipiendi.

Reſolutio.

RESpondeo, quod diuina eſſentia etiamſi vna ſit, & ſimpliciſſima, propter ſuam infinitatem tamen, & perfectionem induit rationem omnium diuinorum attributorum; & idcirco omnia ſignificant diuinam eſſentiã, & hæc reſpondet eis ſecundum diuerſas rationes perfectiuas quas habet, inquantum enim eſt reddens vnicuique, quod ſuum eſt, reſpondet ei attributum iuſtitiæ, inquantum omnia rectè diſponit, & cognoſcit, reſpondet ei attributum ſapientiæ, & ſic de ſingulis. Omnibus ergo attributis reſpondet ipſa eſſentia, eorum verò pluralitati, pluralitas rationum, quam cum ſumma ſimplicitate verè, & realiter habet omnium eorum, quæ attribuuntur ei.

Obiectio. Sed ſi nulla res, quæ vna ſit, & ſimpliciſſima, poteſt reſpondere ad realiter oppoſita? multa autem ſunt attributa realiter, & formaliter oppoſita, vt iuſtitia, & miſericordia.

Reſpondetur, quod nulla res, quæ eſt vna, & finita, poteſt reſpondere ad plura realiter oppoſita; quæ tamen eſt infinita, vt eſt diuina eſſentia, poteſt.

QVÆSITVM XXII.

An diuina attributa ſint diſtincta ſecundum rationem tantum ab eſſentia, & inter ſe?

d.2. q.1. RIcardus reſp. quod cum Deus ſit res, quæ ſuperat intellectum noſtrum, intellectus noſter non poteſt vna conceptione apprehendere omnes modos perfectionum, quæ ſunt in Deo, & ideo aliã conceptionem format de ſapientia, aliam de ſcientia, & huiuſmodi, necnon ſunt vanæ, quia his correſpondet plena, & omnimoda perfectio Dei.

d.2. q.2. Herueus reſp. quod attributa diuina, vt intellectus, voluntas, ſapientia, ſcientia, & huiuſmodi ſola ratione differunt in Deo, ac-

accipiendo rationem pro illo formali, quod correſpondet conceptioni, ſeu verbo mentis, quod formatur de aliqua re, ad hoc, vt expreſsè intelligatur.

q.3. Durandus reſp. quod differre ratione intelligitur dupliciter, vel differre ratione, .ſ. diffinitione, vel per ſolam negociationem intellectus apprehendentis id, quod eſt vnum realiter ſub pluribus modis, vel habitudinibus, vt columnam nunc dicimus dextram, nunc ſiniſtram, & hoc modo differunt ratione attributa diuina, non primo.

d.8. Franc. Maro reſp. quod perfectiones diui-
q.4. næ diſtinguuntur quidem ex natura rei, ſed non ſecundum rationem ab anima fabricatã; & quia ſunt penitus eædem in ſe, & in nobis, & quia reſpectus rationis in huiuſmodi perfectionibus non dat diſtingui.

d.2. Guil. Occham reſp. quod perfectiones at-
q.2. tributales non diſtinguuntur ratione, eo modo, quo aliquid reale dicatur diſtingui a ſeipſo, nihil enim quod eſt alicui reale poteſt ab eo, vel ab alio diſtingui ratione.

q.1. Gregorius reſp. quod perfectiones attributales non diſtinguuntur ratione, quia neque vt rationes, & conceptus, cum ſint vna, & perfectiſſima res extra animam, neque vt res habentes diſtinctas rationes, & conceptus, quia vnica eſt, & ſimplex omnium perfectio, nec ſimiliter vt vna res ſub diſtinctis rationibus diſtincta a ſeipſa, quia hoc modo nulla res diſtinguitur a ſeipſa; quæ autem diſtinguuntur ratione, vno horum modorum diſtinguuntur; attributa verò diſtinguuntur ratione, imò verius rationibus, quoniam alia eſt ratio vnius, a ratione alterius, & econuersò, alietas tamen ſuarum rationum non attenditur penes illud, quod principaliter ſignificant, aut pro quo ſupponunt, dum prædicantur de Deo, quoniam tunc oporteret perfectiones attributales ſic eſſe diſtinctas ab inuicem, quod eſt falſum; diſtinguuntur ergo ratione penes extrinſeca connotata, ſiue illa ſint aliqua ſignificabilia incomplexè, ſiue complexè tantum.

q.4. Guilel. Rub. reſp. quod attributum poteſt ſumi dupliciter, vno modo pro aliquo probabili de Deo, & de perſonis omnibus coniunctim, & diuiſim: & hoc modo attributa ſunt realiter diſtincta; alio modo pro re extra, videlicet pro perfectione diuina per quodlibet talium prædicabilium importata, & hoc modo eſt tantum vnum attributum, ipſa ſcilicet diuina eſſentia, quod non diſtinguitur ratione tanquam aliquo inuento a ratione in ipſa eſſentia exiſtente, ſed tanquam aliquo in ipſa realiter fabricato a ratione, quia ſic diſtingueretur in re extra, ſed dicitur eſſe diſtincta ratione, quadam denominatione extrinſeca, vt eſt obiectum talium cõceptuum attributalium realiter diuerſorum. d.8.

Alphonſus reſp. quod perfectiones attributales inter ſe, & ab eſſentia diſtinguuntur ſecundum rationem, ſeu conceptibiliter; primò, quia æquipollent diſtinctis rebus ex natura rei; ſecundò, quia Deus ſub aliqua perfectione poteſt concipi, vt quod ſit ſapiens, & non ſub alia, vt quod ſit iuſtus; tertiò, quia non repugnat eis hæc diſtinctio, nec quod ſunt entia realia, nec quod ſunt idem omnibus modis cum diuina eſſentia; quia nec huic diſtinctioni repugnat nominis identitas, nec eiuſdem ad plura ſic referri. q.6.

Petrus Aliac. reſp. quod attributa, vt ſunt a.2. propriè nomina, ſiue ſigna vocalia ſupponentia immediatè pro perfectionibus diuinis eſſentialiter diſtinguuntur inter ſe, & a diuina eſſentia, quia ſunt voces, & conceptus, & propriè loquendo non diſtinguuntur ratione; poteſt tamen dici ad bonum ſenſum, quod intellectus, & voluntas diſtinguuntur ſecundum rationem, inquantum ſunt termini ſupponentes pro eadem re, qui habent diſtinctas rationes eis correſpondentes in mente.

Andr. de Nouo caſtro reſp. quod intellectus d.32. noſter per ſuã operationẽ in obiecto extra co q.2. gnito poteſt nouiter cauſare diſtinctionem ſecundum rationem tantum, quæ non ſit realis, & hæc diſtinctio eſt inter diuina attributa.

Ludouicus Molina reſp. quod attributa q.28. diuina comparatione intellectus viatoris, qui diſ.3. ea apprehendit, ita diſtinguuntur ratione, a.2. vt diſtinctio non ſolum ſit in conceptibus formalibus, quibus apprehenduntur; ſed etiam in rationibus ipſis formalibus apprehenſis, ſeu in conceptibus obiectiuis, per comparationem tamen ad formales, per quos percipiuntur; & ſic attributa diſtinguuntur ſecundum conceptus obiectiuos, ſeu ſecundum rationem, quæ dicitur ratio ratiocinata.

Gabriel Vaſq. reſp. quod cum intellectus diſp variè rem apprehendat, quæ ſimpliciſſima 117 eſt, non eſt negandum eam ab intellectu no- c.1. ſtro diuidi, & diſtingui, non quia res ipſa, quæ eſt extra, in ſeipſa intrinſecè diuidatur, ſed quia ex illa diuerſos elicimus nobis conceptus obiectiuos.

Reſolutio.

RESpondeo, quod diuina eſſentia propter ſui infinitatem, & ſimplicitatem ſibi identificat omnes perfectiones, quas habet

vt ſapientiam, iuſtitiam, bonitatem, & huiuſmodi, ex quo diuina eſſentia ſapientia eſt, iuſtitia, bonitas, & quodlibet aliud attributum, quoniam tamen aliquid verificatur de ea, inquantum eſſentia eſt, & non inquãtum ſapientia, & aliquid inquantum ſapientia, & non inquantum iuſtitia, cum autem non poſſit aliquid non verificari de vno, quin etiam non verificetur de altero, niſi aliquo modo diſtinguantur, & diuina attributa non diſtinguantur ab eſſentia, neque inter ſe realiter, ſequitur ſaltem, quod diſtinguantur ratione, ratione ſcilicet habente aliquid, cui reſpondeat in re.

Obiectio. Sed ſi attributa diſtinguuntur ſecundum rationem, quia alia eſt ratio vnius, & alia alterius, illa ratio pro quo ſupponit? pro re extra animam? an pro ente rationis? ſi primo modo, ergo alia eſt res vnius, & alia alterius; ſi ſecundo, ergo non eſt realiter in Deo.

Reſpondetur, quod duplex eſt diſtinctio rationis, quædam per negationem huius ab hoc; & quædam per abſtractionem, ſecundum primam diſtinctionem non eſt concedendum, quod alia ſit ratio vnius, alia alterius; ſed ſecundum diſtinctionem ſecundam, quia poteſt concipi vnum attributum, non concepto altero, & hoc ſufficit ad diſtinctionem rationis ſecundum abſtractionem. Ita Alphonſus.

QVÆSITVM XXIII.

An diſtinctio attributorum ſecundum rationem in Deo ſit accipienda per comparationem ad intra, an verò per comparationem ad extra?

d.2. q.3. Ricardus reſp. quod pluralitas attributorum fuit ab æterno per comparationem ad plures conceptiones, quæ a Deo ab æterno fuerunt intellectæ, quas ex tempore formauit intellectus creatus de diuina perfectione, vel potuit formare.

a.51. q.1. Henricus reſp. quod attributa in Deo diſtinguuntur ſecundum diuerſas rationes reſpectuum, quas important ex operatione diuini intellectus ipſa ad inuicem comparantis.

Q.1. q.1. Et iterum longiori ſermone reſpondet quod intellectus diuinus comparat ſuam eſſentiam ad ſuum intellectum, & voluntatem tanquã obiectum ſuum, ex qua comparatione reſultat diſtinctio attributorum in ipſa, omnia enim attributa, vel ad intellectum pertinent, vel ad voluntatem.

d.2. Herueus reſp. quod attributa diuina non poſſunt reduci ad diuerſas res in Deo, nec ad diuerſas habitudines ad diuerſas res, quæ includantur in ratione eorum, vt patet de ſapientia, & de iuſtitia; & ideo oportet, quod illa differentia reducatur ad diuerſas res in creaturis, cum quibus habent attributa ſimilitudinem analogicam, quantum ad id quod includunt in ſua ratione abſoluta. q.3.

Durandus reſp. quod diſtinctio attributorum ſecundum rationem non poteſt ſumi niſi per comparationem ad aliquam realem diuerſitatem in creaturis; primò, quia differentia rationis niſi ſit falſa, & vana oportet quod habeat fundamentum in re, cum autem eſſentia diuina ſit maximè vna, non poteſt per comparationem factam ad eam ſumi aliqua diſtinctio; igitur per comparationem ad creaturas ſumenda eſt diſtinctio attributorum; ſecundò, quia non plus differunt perfectiones diuinæ; quam creatæ; vnde cum perfectiones creatæ, quæ ſunt vnum re, nullo modo concipiantur, vt diuerſæ ſecundum rationem, niſi per comparationem ad aliquã diuerſitatem realem; igitur & perfectiones diuinæ; tertiò, quia nihil imperfectionem includens eſt in diuinis abſolutè, ſed ſolum in comparatione ad creaturas; & quoniam omnis diſtinctio per abſoluta, ſiue ſit rei, ſiue rationis includit ſemper aliquam imperfectionem, quia oportet quod vtrumque, vel alterum ſit finitum, & vt finitum apprehendatur; igitur diſtinctio attributorum non poteſt eſſe abſque comparatione ad creaturas. Item Thom. ab Argentina. q.2.

Petrus Trigoſ. reſp. quod attributa diuina diſtinguuntur ab inuicem ratione ratiocinata, ita quod fundamentum diſtinctionis eſt in Deo, diſtinctio autem ipſa extra Deum; quæ ſententia eſt communis omnium ferè Thomiſtarum. q.3.

Ludouicus Molina reſp. quod perfectiones, quæ ſunt formaliter in Deo multis de cauſis diſtinguuntur ratione per comparationem ad intellectum diuinum, atque adeo diſtinctio rationis inter eas, ex æternitate ipſis conuenit formaliter, & non ſolum fundamentaliter, & aptitudine per comparationẽ ad intellectum diuinum, cognouit enim Deus illas virtutes diſtingui inter ſe, & aliud ſibi conuenire per intellectum, aliud per voluntatem, & huiuſmodi. q.28. a.2.

Gabriel Vaſq. reſp. quod non poteſt Deus & beatus in clara viſione attributa diſtinguere etiam per reſpectum ad varias creaturas; primò, quia attributa Dei ſunt reipſa abſoluta, & intellectus diuinus qui videt ea, diſp. 118 c.3.

vt

vt ſunt in ſeipſis, non poteſt relatè concipere ea, quæ re ipſa non referuntur; hoc enim argueret imperfectionem; ſecundò, quia licet poſſet intellectus diuinus apprehendere attributa relatè ad creaturas, non tamen poſſet ea diſtinguere ex illo reſpectu, reſpectus enim ad diuerſa ſolum poteſt eſſe cauſa diſtinctionis, quoties res non cognoſcitur ſicuti eſt; ſed per analogiam ad alias;

d.2. Archang. Rub. reſp. quod loquendo de diſtinctione attributorum in ſe inchoatiuè, & fundamentaliter fuit ab æterno actualiter, & formaliter reſpectu intellectus noſtri, non niſi in tempore, reſpectu tamen intellectus diuini ab æterno.

Reſolutio.

RESpondeo, quod eſſentia diuina ex ſua infinitate, & ſimplicitate habet, quod ſibi identificetur quælibet perfectio, quæ in ipſa eſt, etiamſi ex natura ſua diſtingueretur ab ea, vt ſapientia, iuſtitia, bonitas, & huiuſmodi; eſt enim eſſentia diuina ſapientia, iuſtitia, bonitas, & vniuerſaliter quicquid nomine attributi ſignificari poteſt, alia tamen, & alia ratione; nam inquantum Deus ipſa eſt, eſſentia eſt; inquantum ſapit, ſapientia eſt; inquantum ea ſe diffundit, bonitas eſt, & ſic de ſingulis, & huiuſmodi rationes, quia in re ipſa fundantur, quilibet intellectus cognoſcit, tam diuinus, quam creatus, & conſequenter diſtinguit, non quidem per comparationem factam ad ea, quæ ſunt intra, neque ad ea, quæ ſunt extra, quia etiam ſecluſa quacunque diſtinctione reali inter diuinas perſonas, & earum emanationes, ad quam Henricus reducit talem diſtinctionem rationis; & ſimiliter ſecluſa quacunque diſtinctione reali inter perfectiones in creaturis, adhuc remanerent huiuſmodi rationes in eſſentia, quas abſolutè, tam intellectus diuinus, quam creatus intelligeret, & diſtinctè cognoſceret. Diſtinctio itaque attributorum in Deo, non neceſſariò accipienda eſt ſecundum rationem penes comparationem, ſiue ad intra, ſiue ad extra, ſed penes diuerſas habitudines abſolutas, & rationes in ipſa eſſentia fundatas.

Obiectio. Sed ſi intellectus non poteſt diſtinguere rem aliquam, quæ ex ſe vna eſt, & abſoluta, niſi per diuerſos reſpectus, & comparationes, quæ in Deo ſunt, vel ad intra, vel ad extra?

Reſpondetur, quod intellectus, non ſolum poteſt diſtinguere rem vnam, & abſolutam per diuerſos reſpectus, & comparationes factas ad aliud, ſed etiam ſub diuerſis rationibus exiſtentibus in ipſa; & ſic eſt in propoſito.

QVÆSITVM XXIV.

An poſſit vnum attributum prædicari de altero?

GRegorius reſpondet, quod vnum attributum prædicatur de altero in recto, & non denominatiuè, nec contingenter, nam bonitas Dei, eſt ſapientia Dei, & ſapientia Dei eſt iuſtitia Dei; non tamen in primo modo dicendi per ſe, ſemper enim vnum attributum cõnotat aliquid, quod non connotat alterum. d.8. q.2. a.3.

Gabriel Vaſq. reſp. quod attributa ad inuicem ſecundum ſuum formalem conceptum prædicari non poſſunt; primò, quia non poſſumus dicere intellectus vult, voluntas intelligit; ſecundò, quia ſicut vnus conceptus, non eſt alius, ſic nec voce ipſa vnus prædicari poteſt de alio, vox enim ſignificat rem, vt eſt in noſtro conceptu; tertiò, quia ſi eſſentia tranſcendit omnia attributa, & quodlibet attributum cætera, prorſus tollitur diſtinctio rationis, frequenter tamen conceduntur propoſitiones, in quibus vnum attributum prædicatur de altero, quia in communi modo loquendi vſurpantur in ſenſu, quem logici vocant identicum, non in formali, & quia ferè ſemper potius enunciare volumus id, quod reipſa in Deo eſt, ſicuti eſt ſuapte natura, quam quod eſt in noſtra cogitatione. diſp. 119 c.2.

Reſolutio.

RESpondeo, quod quamuis omnia attributa identificentur cum diuina eſſentia, & propter huiuſmodi identificationem, etiam inter ſe, quia tamen alia ratione eſſentia eſt ſapientia, & alia bonitas; propter diuerſitatem harum rationum fit, vt non ſit formalis prædicatio, & vera, quando vnum attributum prædicatur de altero, non enim eſt formalis, & vera iſta propoſitio, miſericordia eſt iuſtitia, etiam ſi res illa, quæ eſt miſericordia ſit res illa, quæ eſt iuſtitia vna ſ. & ſimplex eſſentia.

Obiectio. Sed ſi attributa ſunt vnum, & idem realiter, formaliter, quia vna diuina eſſentia?

Reſpondetur, quod ad hoc quod vnum prædicetur de altero prædicatione formali, & vera, non ſufficit, quod ſint vnum, & idem realiter, ſed requiritur, quod ſint

etiam vnum, & idem ſecundum propriam rationem, eſt enim diſtinctio ſecundum rationem ſufficiens ad hoc, vt non ſit propoſitio formalis, & vera, quando vnum de altero prædicatur.

DISTINCTIO NONA.

Nunc ad diſtinctionem perſonarum accedamus, &c.

QVAESITVM I.

An ſit ordo inter diuinas perſonas?

q.46. m.1 ALex. Alenſ. reſp. quod ordo dicit perfectionem, & dignitatem, & ſimiliter dicit rationem boni in his, in quibus reperitur, nulla enim perfectio, nulla dignitas, nulla bonitas, intelligi poteſt ſine ordine; cum itaque diuinæ perſonæ ſint nobiliſſimæ, perfectiſſimæ, & optimæ, ideo in eis etiam eſt ordo.

p.p. q.42. a.3. D. Thomas reſp. quod vbicunque eſt pluralitas ſine ordine, ibi eſt confuſio, quoniam autem in diuinis perſonis non eſt confuſio, ideo eſt ordo. Item Eſtius d. 9. §. 4.

d.20. q.2. D. Bonau. reſp. quod in diuinis eſt perfectiſſimè ratio boni, & eſſe, & quoniam ordo dicit rationem eſſe completi, & boni, ideo in diuinis eſt ordo, & maximè inter diuinas perſonas, quæ ſunt res diuinæ.

d.9. pr.2 q.2. Ægidius reſp. quod vbicunque eſt pluralitas ab vno procedens, ibi eſt ordo, & quia pluralitas perſonarum in diuinis habet eſſe ex patre fontaliter, oportet inter diuinas perſonas eſſe ordinem.

d.20. q.3. Ricardus reſp. quod ſicut non dicitur, quod ſit in diuinis numerus, niſi cum determinatione .ſ. perſonarum, ita non debet dici, quod in diuinis ſit ordo ſimpliciter, ſed cum determinatione .ſ. originis; ordo enim ſimpliciter ſumptus importat prioritatem, & poſterioritatem cum diſparitate, quæ non eſt in diuinis.

a.52. q.1. Henric. reſp. quod ordo formaliter importat relationem diſquiparantiæ, cum comparatione ad aliquod principium determinatum, vnde ea dicuntur habere ordinem, quæ habent diuerſos reſpectus ad aliquod vnum principium, & quoniam perſonæ diuinæ habent inter ſe diuerſos reſpectus, & ratione principij, idcirco eſt aliquis ordo inter eas.

d.20. q.2. Durandus reſp. quod vbicunque ſunt plura realiter diſtincta habentia certam, & determinatam habitudinem ad ſe inuicem, & ad aliquod primum, ibi eſt ordo realis, & quoniam in diuinis ſunt plura ſuppoſita diſtincta, quæ habent certam, & determinatam habitudinem, ad ſe inuicem, & ad aliquod primum, quia Filius ad Patrem, & Spiritus ſanctus ad Patrem, & Filium; ideo eſt ordo inter diuinas perſonas.

d.9. q.2. a.1. Gerardus reſp. quod ordo dupliciter accipitur communiter, & propriè, communiter accipitur, vt inter ea, quæ habent aliquam relationem ad inuicem, & habitudinem; propriè verò inter ea, quorum habitudo terminatur ad aliquid, quod habet rationem primi, vel principij reſpectu eorum; quoniam ergo habitudo filiationis, quæ eſt in Filio terminatur per ipſum Patrem, cum quo habet relationem, & ſimiliter ſpirationis, quæ eſt in Spiritu ſancto per Patrem, & Filium, idcirco eſt ordo non ſolum communiter acceptus inter Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum; ſed etiam propriè.

diſp 167 c.1. Gabr. Vaſq. reſp. quod ordo eſt habitudo plurium ad vnum principium; cum igitur ſecunda, & tertia perſona habeant habitudinem ad primam, tanquam principium, ſequitur, quod ſit ordo inter eas.

Reſolutio.

REſpondeo, quod ordo, ſicut dicit D. Aug. lib. 19. de Ciu. Dei. eſt parium, diſpariumque rerum ſua cuique loca tribuens, diſpoſitio. Cum itaque perſonæ diuinæ ſemper maneant in tali habitudine, & diſpoſitione, quod vna ſit prima, quæ eſt Pater, a qua eſt ſecunda, quæ eſt Filius, & ſit etiam tertia, quæ eſt Spiritus ſanctus a Patre, & Filio, nec vna vnquam ſupergrediatur alteram, tam in eſſe, quam in operatione, ſequitur quod inter eas eſt maximè ordo.

Sed ſi ordo includit prius, & poſterius, in diuinis autem nihil prius, nihil poſterius? Obiectio.

Reſpondetur, quod in diuinis eſt ordo, ſed ſine priori & poſteriori; Ita D. Thomas, & Gerardus. Et Durandus; Non eſt (inquit) de ratione ordinis abſolutè accepti prius, & poſterius, ſed habitudo diſtinctorum ad ſe inuicem, & ad primum, & hæc eſt in diuinis.

QVÆSITVM II.

An inter diuinas perſonas ſit ordo naturæ?

q.46. m.2 ALex. reſp. quod natura eſt virtus productiua, in tali autem virtute intelligitur ratio principij, & originis, & conſequenter ordo; cum itaque vna perſona ha-

habeat naturam ab alia, ideo dicitur, quod inter huiuſmodi perſonas eſt ordo naturæ.

q.42 D. Thomas reſp. quod inter diuinas perſo-
a.3. nas eſt ordo naturæ, ergo eſt ordo originis; vo
cat enim ordinem originis, ordinem naturæ
ſecundum D. Auguſtinum.

d.20. D. Bonau. reſp. quod vbi eſt naturalis ori-
q.2. go, ibi etiam eſt naturalis ordo; & quoniam
in diuinis eſt naturalis origo, ſequitur, quod
ibi etiam ſit naturalis ordo. Sic & Caetanus
vocat ordinem naturæ ordinē naturalem, vt
naturale .ſ. diſtinguitur contra voluntarium.

d.28. Ricardus reſp. quod inter diuinas perſo-
q.4. nas eſſe ordinem naturæ poteſt intelligi du-
pliciter, aut ita quod natura ordinetur, aut
quod natura ſit ratio ordinis, primo modo
non eſt ordo naturæ inter eas, ſed ſecundo.

a.52. Henricus reſp. quod duplex tantum eſt or-
q.2. do in diuinis, naturæ, & rationis; dicitur
eſſe ordo naturæ non quod natura ipſa ordi-
netur, ſed quia prima ratio producendi in diuinis eſt per modum naturæ; dicitur eſſe ordo rationis, non quia ratio ipſa ordinetur, ſed quia quod in iſto ordine habet rationem principij, non habet ipſam completiuè ex natura rei, ſed ex conſideratione intellectus, & hoc modo ea, quæ pertinent ad intellectum, quandam rationem principij habent, quantum ad ea, quæ pertinent ad voluntatem.

d.20 Durandus reſp. quod natura ſumitur du-
q.2. pliciter, vel pro rei eſſentia, ſiue parte eſſen-
tiæ, vel pro generatione viuentium, quæ propriæ dicuntur naſci, primo modo non eſt ordo naturæ in diuinis, quia talis ordo requirit realem diſtinctionem, quæ non eſt in diuinis ſecundum naturam, ſed ſecundo modo.

d.13. Franc. Maro reſp. quod qualis eſt ordo in-
q.1. ter conſtitutiua aliquorum, talis videtur eſſe
inter conſtituta; & quoniam ordine naturæ generatio actiua, & generatio paſſiua præcedunt ſpirationem actiuam, & paſſiuam, generatio autem actiua eſt cōſtitutiua Patris, & paſſiua Filij, ſpiratio autem paſſiua Spiritus ſancti; idcirco, & conſtituta talem ordinem habent, quod Pater, & Filius ordine naturæ præcedunt Spiritum ſanctum.

q.42. Ludou. Mol. reſp. quod ordo originis, qui eſt
a.3. inter diuinas perſonas, videlicet, quod filius
ſit a patre, & non econtra, quatenus non eſt liber, ſed ex natura rei, ac proinde naturalis, vt diſtinguitur contra liberum, appellatur ordo naturæ.

Reſolutio.

RESpondeo, quod quandocunque aliqua conueniunt in vna natura, & in ipſa ordinatè communicant, ita vt vnum communicet per aliud, talis ordo communicandi dicitur ordo naturæ, ſi eſt de ratione naturæ, vt ſic communicetur; & quoniam perſonæ diuinæ communicant in vna, & eadem natura, & eſt de ratione ipſius naturæ, vt a Patre communicetur Filio, & a Patre, & Filio communicetur Spiritui ſancto, idcirco inter diuinas perſonas eſt ordo naturæ.

Sed ſi in diuinis non eſt ordo eſſentiæ? eſ- Obie-
ſentia autem eſt idem, quod natura? ctio.

Reſpondetur, quod natura quodammodo importat rationem principij, non autem eſſentia, & ideo ordo originis melius nominatur ordo naturæ, quam ordo eſſentiæ. Ita D. Th. D. Bon. & Ricardus.

QVÆSITVM III.

An inter diuinas perſonas ſit ordo originis?

D. Thomas reſp. quod ordo ſemper di- q.42.
citur per comparationem ad aliquid a.3.
principium, vnde ſicut dicitur principium multipliciter, & ſecundum ſitum, & ſecundum intellectum, & ſecundum cauſas, ita & ordo; cum itaque in diuinis ſit principium ſecundum originem, ita & ordo ſecundum originem. Item D. Bon. & Durandus.

Franc. Maro reſp. quod ordo originis eſt
habitudo inter ipſas origines, vel inter ea, quæ d.12.
ipſis originibus referuntur, & hunc neceſſa- q.2.
rium eſt ponere in diuinis ſaltem fundamentaliter, vt inter filiationem, & ſpirationem paſſiuam.

Guilelmus Rubion reſp. quod ordo origi- d.9.
nis eſt inter ea, quorum vnum eſt ab alio, pu- q.1.
ta poſterius a priori, cui videlicet priori minus repugnaret (niſi aliud obuiaret) eſſe ſine poſteriori, ſeu ipſum præcedere, quam econuerſò, & quoniam vna perſona eſt ab alia, & ſic ſe habet, ideo inter ipſas eſt ordo originis.

Guilel. Eſtius reſp. quod in diuinis eſt or- d.9.
do originis, ideſt principij ad ſuum principia- §.4.
tum, vel econtrà, nam ordo originis dicitur ſecundum quem alia perſona eſt principium, & alia a principio.

Reſolutio.

REſpondeo, quod inter illa dicitur eſſe ordo originis, quorum vnum originatur ab altero, ſic enim diſponuntur, vt vnum habeat habitudinem ad alterum, tanquam originatum ad originans, & quoniam diuinarum perſonarum vna originatur ab altera, & ſe-

& ſecundũ hãc habitudinẽ, vna refertur ad alterã; ideo inter eas dicitur eſſe ordo originis.

Obiectio. Sed ſi omnimoda ſimultas, qualis eſt in diuinis, non poteſt eſſe, vbi eſt ordo originis, cum talis ordo ſit habitudo diſquiparantiæ, ſimultas vero æquiparantiæ?

Reſpondetur, quod omnimoda ſimultas ſecundum naturam poteſt ſtare cũ ordine originis, quę reſpicit perſonas; quod nõ poſſet ſimultas ſi ibi eſſet ſecundum originem; ita vt ſimul eſſent perſonæ ſine aliquo ordine inter eas.

QVAESITVM IV.

An Pater poſſit dici alius a Filio, Filius alius a Patre, & Spiritus ſanctus alius ab vtroque, an aliud?

d.9. q.1. a.1. D. Thomas reſp. quod Pater realiter diſtinguitur a Filio, & Spiritus ſanctus realiter diſtinguitur ab vtroque, & quoniam eorum, quæ diſtinguuntur realiter, vnum eſt alia res ab alio, ideo Filius eſt alius a Patre, & Spiritus ſanctus alius ab vtroque.

p.p. q.31 a.2. Et iterum reſp. quod hoc nomen alius maſculinè ſumptum nõ importat, niſi diſtinctionem ſuppoſiti, vnde conuenienter dicere poſſumus, quod filius eſt alius a patre, quia .ſ. eſt aliud ſuppoſitum diuinæ naturæ, ſicut eſt alia perſona, & alia hypoſtaſis.

d.9. q.2. Ægidius reſp. quod in locutionibus noſtris debemus nos conformare dictis Sanctorum inquantum poſſumus, & quoniam ſic ſunt locuti, vt per aliud ſubſtantiuè intelligerent diuerſitatem eſſentiæ, & per alium diſtinctionem in perſona, cum perſonæ diuinæ diſtinguantur, poſſumus dicere quod alius ſit Filius a Patre, & alius Spiritus ſanctus ab vtroque.

d.9. q.1. Herueus reſp. quod iſta relatiua alius, vel aliud, poſſunt teneri adictiuè, vel ſubſtantiuè, ſi teneantur adiectiuè tantum, tunc quando adiunguntur terminis perſonalibus in reſpectu ad alias perſonas, eſt vera locutio, ſi verò terminis eſſentialibus, ſemper eſt falſa: ſi autẽ teneãtur ſubſtantiuè nõ eſt incõueniens, quod ſecundũ quandam adaptationẽ, aliud accipiatur pro alietate in eſſentia, alius ſtet pro perſona, & ſic pater nõ eſt aliud a filio, ſed alius.

d.9. q.1. Durand. reſp. quod hoc nomine alius, alia, aliud in diuinis non eſt vtendum, niſi cum additione perſonalium, vt dicendo, Pater eſt alia perſona, eſt aliud ſuppoſitum, & huiuſmodi; nullum enim nomen importans dignitatem, vel pluralitatem, ſi accipiatur ſecundum ſe, poteſt conuenire diuinis, niſi cum determinatione; quod ſi tamen quandoque dicatur Pater alius a Filio ſine additione; exponenda eſt locutio, & magis toleranda, quam ſi diceretur aliud, cum aliud ex vſu loquendi dicat diuerſitatem eſſentiæ, alius verò, vel alia, diſtinctionem in perſona.

q.13. a.1. Marſilius reſp. quod nulla perſona diuina eſt aliud ab alia, quia aliud importat eſſentiã, & diuerſitatẽ entitatis ſimpliciter, quæ eſt eſſentiæ, ſed alius ab alia perſona, quia ly alius vel alia, in maſculino genere, & fæminino, additi termino perſonali ſignificant perſonã. Item Michael de Palatio, Guilelmus Eſtius; & alij communiter.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod tam ly alius, quam ly aliud diſtinctionem importat, ſed quoniam ly alius, non ſolum ex vſu, & modo loquendi, ſed etiam ex natura vocis, quando ei nihil additur ſumitur pro indiuiduo humano, vnde ſolemus dicere, non eſt hic alius, ideſt non eſt hic aliquis homo; ideo cum ſumitur in diuinis importat diſtinctionem ſecundum perſonam, & quoniam filius perſonaliter diſtinguitur a patre, ſicut Spiritus ſanctus ab vtroque, ideo poteſt dici, quod filius eſt alius a patre, Spiritus ſanctus alius ab vtroque, non tamen aliud, quoniam ly aliud, non ſolum ex vſu, & modo loquendi, ſed etiam ex natura vocis, quando ei nihil additur, ſumitur pro re diſtincta ſecundum naturam ab ea, ad quam refertur, vnde ſolemus dicere, eſt hìc aliud ab hoc, & ab illo, quia eſt hìc aliquid alterius conditionis, & naturæ, quam hoc & illud, & quoniam filius non eſt alterius naturæ a patre, nec Spiritus ſanctus ab vtroque, ideo nec filius dicitur aliud a patre, nec Spiritus ſanctus aliud ab vtroque.

Sed ſi alius, & aliud, non differunt niſi ſecundum modum ſignificandi?

Reſpondetur, quod ly aliud, vt eſt relatiuum neutri generis habet modum ſignificandi ſubſtantiuè, alius verò adiectiuè, & ideo propter huiuſmodi diuerſum modum ſignificandi, non ſequitur, quod ſi pater non ſit aliud a filio, non poſſit dici alius, & ſimiliter filius a patre, & Spiritus ſanctus ab vtroque. Ita D. Thomas, Ægidius, & Durandus.

QVÆSITVM V.

An pater ſit prior filio prioritate durationis?

D. Thomas reſp. quod cum in patre ad producendum filium ſit perfectiſſima virtus, & non ipſum producat q.42. a.2.

ex

ex electione, & voluntate, nec ſimiliter actio producendi ſit ſucceſſiua ; quæ ſunt capita per quæ deducitur quod aliquid exiſtens ab aliquo poſſit eſſe ſecundum durationem poſterius eo ; ſequitur quod in huiuſmodi productione non ſit prioritas durationis.

d.9. q.3. D. Bonau. reſp. quod Pater ab æterno fuit fæcundus, & ſimiliter filius eſt perfectè æqualis patri, & eſt verbum eius, & ideo eſt coæternus ei, non igitur aliqua duratione pater ipſum antecedit.

d.9. p.2. q.2. Ægidius reſp. quod prius, & poſterius, quæ propriè ad durationem pertinent ex eſſe ſumuntur, ratione cuius rei competit duratio, & quoniam filius habet idem eſſe quod pater, ideo bene poteſt eſſe ordo inter eos, quia a patre filius, ſed non prius, & poſterius.

d.9. q.2. Durandus reſp. quod ſi pater eſſet prior filio, hoc eſſet vel ratione eſſentiæ, vel ratione relationis, in diuinis enim non ſunt alia concurrentia ad cõſtitutionem ſuppoſitorum præter eſſentiam, & relationem, ſed pater non eſt prior filio ratione eſſentiæ, quia eſt penitùs vna, & eadem in eis, tam ſecundum rem, quam ſecundum rationem, nec ſimiliter ratione relationis, quia relatiua ſunt ſimul natura, & intellectu. Item Michael de Bon.

d.9. q.2. a.2. Gerardus reſp. quod de ratione cuiuſcunq; prioris & poſterioris propriè accepti videtur eſſe tria, diſtinctio .ſ. ordo, & ſucceſſio, primo, & ſecundo modo valde largè poſſumus trãsferre prius, & poſterius ad diuinas perſonas, ſed non tertio, & ideo non debet dici quod pater ſit prior filio prioritate durationis

d.9. q.1. Guilel. Rubion reſp. quod ordo durationis tantum eſt poſſibilis inter illa, quorum vnam ſic alterum poteſt præcedere, quod poteſt eſſe in illo priori, ipſo poſteriore non exiſtente, quod eſt impoſſibile diuinis perſonis, tum propter ipſarum eſſentialem idẽtitatem, quam non habent illa, quorum vnum poteſt eſſe ſine alio, tum propter ipſarum omnium eſſendi neceſſitatem, quia videlicet quælibet eſt neceſſe eſſe, cui repugnat non eſſe.

p.1. p.2. q.3. Nicol. de Nijſe reſpondet quod quandocunque aliqua habent idem eſſe, habent quoque eandem durationem; & quoniam Patris, & filij eſt idem eſſe exiſtentiæ, licet non ſubſiſtentiæ, ideo eorum eſt eadem duratio.

Reſolutio.

RESpondeo, quod quandocunque verè & realiter aliquid exiſtit, alio non ad huc verè & realiter exiſtente, tunc poſtquam extiterit verumque, vel aliud, illud dicitur eſſe prius alio prioritate durationis, cum itaque pater nunquam ſine filio extiterit ; eſt enim eo pater, quo filium generat, & non generat niſi Deus, & Deus nunquam non extitit, & filius eſt vnus Deus cum patre, idcirco duratione ipſum præcedere non poteſt.

Sed ſi Filius habet principium ſuæ durationis, quia & ſui eſſe ? cum idem ſit in diuinis duratio, & eſſe ? Obiectio.

Reſpondetur, quod aliter refertur principium ad eſſe, & aliter ad durationem, ad eſſe enim refertur, vt principium originis, ad durationem verò, vt principiũ a quo, & ideo bene poteſt concedi, quod pater ſit principiũ eſſe filij ſine aliqua determinatione, non autem eſſe principium durationis eius, niſi cum aliqua determinatione, vt ſi dicatur. Pater eſt principium originale durationis filij. Ita Scotus, & Nijſe.

QVAESITVM VI.

An pater ſit prior filio prioritate originis?

D. Thomas reſp. quod in diuinis eſt quidem ordo originis, inquantum .ſ. vna perſona eſt ab altera, ſed abſque vlla prioritate ; in diuinis enim nihil eſt prius, & poſterius, vt dicitur in Symb. D. Athan. Item D. Bonau. p.p. q.42. a.3.

Ioan. Scotus reſp. quod Pater in primo ſigno originis intelligit formaliter, in ſecundo gignit filium ; ſunt enim plura ſigna originis in diuinis, & ſecundum ea ſumitur talis ordo in eis. In patre eſt primò vtraque fæcunditas a ſe, ſecundò eſt in patre actus primæ fæcunditatis, & tunc in filio eſt ſecunda fæcunditas, tertiò eſt actus ſecundæ fæcunditatis ſimul a patre, & filio, habentibus tunc ſimul illam fæcunditatem. d.6. q.vn.

Franc. Maro reſp. quod vbicunque eſt hoc ab hoc, illud a quo eſt hoc, eſt prius origini, & illud, quod eſt ab eo, eſt poſterius, & quoniam in diuinis Pater, & Filius ſic ſe habent, quod Filius eſt a Patre; idcirco Pater eſt prior, quia eſt a quo, & Filius poſterior origine, quia eſt ab alio. d.12. q.2.

Thomas ab Arg. reſp. quod prius origine non ponit in numerum cum priori naturæ, & ſecundum rationem, quandocunq; enim aliquid originatur ab aliquo, & diſtinguitur natura in producente, & producto, tunc prius origine, eſt idem quod prius natura, ſi vero non diſtinguitur natura in producẽte, & producto, tunc prius origine, non eſt aliud, quam prius ratione, ſiue intelligentia ; cum itaque in diuinis non diſtinguatur natura in producen- q.4.

cen-

cente, & producto, & non ſit prioritas, neque ſecundum naturam, neque ſecundum rationē, ſequitur quod nec etiam ſit prioritas originis.

d.9. Gregorius reſp. quod aliquid eſſe prius
q.1. origine alio, non eſt aliud quam eſſe cauſam
a.2. ſiue principium productiuum illius, & quoniā Pater eſt cauſa productiua Filij, & principium eius; ideo Pater eſt prior Filio origine, quæ prioritas dicitur cauſalitatis, ſeu producibilitatis, & etiam originis, magis tamen cauſalitatis, quam originis, quia origo non conuenit Spiritui ſancto ſicut cauſalitas, & producibilitas, eſt enim verum dicere Pater originat Filium, ſed non Spiritum ſanctum, producit autem, & cauſat Filium, & Spiritum ſanctum.

d.9. Alphonſus reſp. quod aliquid eſſe prius al-
q.vn. tero poteſt intelligi dupliciter, vel vt a quo, vel vt in quo, ſi quæratur de priori vt a quo, non eſt aliqua difficultas; quia Filius eſt a Patre, hoc eſt enim eſſe prius a quo, vt ab ipſo ſit aliquid, ſi vero vt in quo, ſicut ponit Scotus, negādū eſt quod Pater ſit prior Filio origine.

d.6. Ioan. Bacconus reſp. quod principium im-
q.1. portat in ſuo ſignificato formali rationem prioris, vt habetur ab Ariſt. 5. Meth. c. de priori. t. 16. ſtante ergo quod Pater ſit principiū Filij, quia originaliter eſt ab eo, & conſequenter ordo originis; eſt etiam prius, & poſterius, ſecundum hunc ordinem, cum talis ordo ſemper exigat prius, & poſterius; Item Michael de Pal. d.9. diſp. 1.

q.7. Petrus Aliac. reſp. quod Pater eſt prior
ar.3 origine Filio, non eſt tamen in aliquo ſigno priori in quo non ſit Filius, nec eſt aliquid tale ſignum, vel inſtans; ſed Filius bene eſt in aliquo priori in quo non eſt Pater, ſcilicet in ipſomet Patre, in quo non eſt Pater.

q.42. Ludou. Molina reſp. quod inter Patrem, &
a.3. Filium eſt ordo originis eius à quo eſt alius, & qui ab alio; non tamen prioritas aliqua ex natura rei; ſi enim Pater ex natura rei eſſet prior Filio, aut id eſſet quo ad eſſe abſolutum, aut reſpectiuum, non abſolutum, quoniam omne abſolutum eſt idem prorſus in Patre, & Filio, non reſpectiuum, quoniam quoad eſſe tale ſic Pater, & Filius mutuò ſe reſpiciunt, ac proinde natura, cognitione, & omnibus modis ſunt ſimul.

diſp Gabr. Vaſq. reſp. quod ſententia Scoti, vt
167 conſona dictis Sanctorum probabilis eſt, dicentis, vnam perſonam priorem eſſe origine ſecundum rem, alia; quam deinde ſic ratione confirmat. In trinitate negari nequit prima, ſecunda, tertia perſona, non ſolum numerāte noſtro intellectu, ſed etiam ex natura rei ſecundum ordinem realem, prima namque eſt, vt altera nō eſſe poſſit; ſi autem ſolo numero intellectus eſſet prima, ſecunda, & tertia, Spiritus ſanctus poſſet dici prima, Pater ſecūda, Filius tertia, qui enim numerat, ita ab hac vnitate, ſicut ab illa, incipere poteſt.

Reſolutio.

RESpondeo, quod quandocunque aliquid eſt ab aliquo tanquam a principio ſui productiuo, non poteſt intelligi, quin hoc illud aliqualiter antecedat, in eo ſaltem, quod ipſum producit, & hæc dici poteſt prioritas originis, ſic enim vnum originatur ab altero; cum itaque Pater producat Filium, ſequitur propter talem originationem, quod poſſit dici prior eo prioritate originis.

Sed ſi vnum relatiuorum non eſt prius al- Obie-
tero; & Pater & Filius ſunt relatiua? ctio.

Reſpondetur, quod inter Patrem, & Filium non eſt prioritas inquantum ſunt relatiua, ſed inquantum vnum eſt producens, & alterum productum, & hæc eſt prioritas originis. Ita Scotus. ſubiungit tamen Bacconus, quod iſta reſponſio dicit verum; ſed non dat vltimā cauſam, per quam vnum relatiuorum poteſt eſſe prius altero; & ideo reſp. quod licet relatiua inquantum relatiua ſint ſimul, ſe habēt tamen vt prius & poſterius, non inquantum talia, .ſ. producens & productum, ſed fundamentaliter, vt fundantur in actione, relatiua enim ſic fundamētaliter accepta nō sūt ſimul.

QVAESITVM VII.

An Pater ſit prior Filio prioritate naturæ?

D. Thomas reſp. quod ordo originis vocatur ordo naturæ, nō quo alter ſit prius altero, ſed quod alter ſit ex altero; ſicut ergo in diuinis eſt ordo originis ſine prioritate, & poſterioritate, ita conſequens eſt, quod licet inter Patrem & Filium ſit ordo naturæ, nō ſit tamē prioritas & poſterioritas naturæ. p.p. q.42. a.3.

Thomas ab Argent. reſp. quod in diuinis a.4.
non diſtinguitur natura in producēte, & pro- d.9.
ducto, & ideo non poteſt eſſe ibi prioritas ſecundum naturam, quæ ſecundum hoc coincidit cū prioritate originis, quæ nō eſt in eis.

Alphonſus reſp. quod aliquid dicitur eſſe d.9.
prius altero ſecundum naturam, quod poteſt a.1.
eſſe ſine illo, & non econuerſò, & quoniam quælibet diuina perſona eſt ſummè neceſſe eſſe, non minus repugnat vni earum eſſe ſine altera, quam econtra, & ideo nulla poteſt eſſe altera prior ſecundum naturam.

Mi-

d.9. Michael de Palatio reſp. quod illud eſt natura prius altero, quod poteſt eſſe ſine illo; illud verò non poteſt eſſe ſine eo, & quoniã Pater non poteſt eſſe ſine Filio, nec ecõuersò, ideo non eſt huiuſmodi prioritas in eis.

Reſolutio.

RESpondeo quod quandocunque aliqua ita ſe habent, quod ab vno ad aliud valet exiſtendi conſequentia, vt ſi vnum eſt, eſt etiam alterum, vnum non dicitur eſſe natura prius altero; cum itaque eodem ſint Pater & Filius ſecundum eſſentiam, ſimulque ſecundum relationem, ac proinde ab vno ad alium valeat exiſtendi conſequentia, Pater eſt, ergo Filius eſt, & econuersò; idcirco neque Pater Filio, neque Filius Patre prior eſt prioritate naturæ.

Obiectio. Sed ſi Pater non indiget alia perſona vt ſit, cum ſit perfectiſſimè a ſe?

Reſpondetur, quod Pater non indiget alia perſona, vt ſit; ſed bene coexigit, eadem enim neceſſitate eſt Deus, qua Pater, & non eſt Pater ſine Filio, & ita ad hoc, vt ſit, coexigit Filium, ſine quo eſſe non poteſt.

QVÆSITVM VIII.

An Pater ſit prior Filio prioritate intelligentia, ſeu rationis?

q.42. a.1. D. Thomas reſp. quod etiam in rebus creatis, cũ id, quod eſt a principio ſit ſuo principio coæuum ſecundũ durationem, tamen principium eſt prius ſecundum naturam, & intellectum, ſi conſideretur id quod eſt principium, ſed ſi conſiderentur ipſę relationes principij, & principiati, manifeſtum eſt quod relatiua ſunt ſimul ſecundũ naturam, & intellectum, inquantum vnum eſt de diffinitione alterius; at quoniam in diuinis ipſæ relationes ſunt ſubſiſtentes perſonæ in vna natura, hinc fit, quod neque ex parte naturæ, neque ex parte relationum vna perſona poteſt eſſe prior alia, neque ſecundum naturam, neque ſecundum intellectum.

a.52 q.4 Henricus reſp. quod circunſtantiæ importatæ vocabulis iſtis primum, ſecundum, tertium, non ſumuntur ſecundum ſubiecta ordini, alioquin ſicut non ponimus in diuinis prius, & poſterius, ſic nec poneremus primum, ſecundum, tertium; ſed ſumuntur ex parte rationum differentiarum ſecundum ordinem ipſum, quæ cum ſumuntur reſpectu alicuius principij, non ſumuntur, niſi ſecundũ rationem mediati, & immediati, quæ fundãtur in aliqua cõſequentia aliorum ex principio, & quoniam Pater eſt a quo alius, & qui non ab alio, dicitur primus; Filius qui ab alio, & a quo alius, dicitur ſecundus; Spiritus ſanctus qui ab alio, & a quo nullus, dicitur tertius, & ſic eodem modo contingit in ordine rationis.

Durandus reſp. quod Filius eſt de ratione Patris ſine quo de ipſo non poſſumus iudicare quid eſt; igitur Pater non poteſt intelligi ſine eo, & conſequenter non eſt prior eo ſecundum intelligentiæ rationem: producens item, non poteſt intelligi eſſe prius producto, quia rationes producentis, & producti ſunt correlatiuæ, quæ ſimul ſunt ſecundũ intelligentiam, & quia Pater eſt producens, Filius productus, ideo vnus non poteſt ſecundum intelligentiam eſſe prior altero. q.2.

Thomas ab Arg. reſp. quod Pater non eſt prior Filio ſecundum rem, ſed ſecundum rationem, eo enim ipſo, quod noſter intellectus in omnibus creaturis videt vniuerſaliter, omne generans eſſe prius generato, ita apprehendit in diuinis. d.9. q.1. a.4.

Ludou. Molina reſp. quod ſi res concipiãtur, vt ſe habent in diuinis, in quibus generatio, nec virtute diſtinguitur a paternitate, per quam Pater conſtituitur in eſſe Patris, ſed ex natura rei eſt idem cum illo omnibus modis, Pater nec quidem noſtro more intelligendi eſt prior Filio, ſed omnibus modis ſimul cum illo. q.42. a.3.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſub diuerſis conceptibus poſſumus concipere Patrem, & Filium in diuinis, poſſumus enim concipere Patrem, vt perſonam ingenitam, & habentem eſſe a ſe, Filium vero, vt perſonam habentem eſſe ab alio, & ſic Pater ſecundum intelligentiam, & rationem, præcedit Filium, quia intellectus noſter non poteſt intelligere aliquid eſſe ab alio, niſi prius intelligat id, quod eſt a ſe, & a quo eſt aliud, quia non poteſt intelligere eſſe habitum, niſi prius intelligat eſſe ſimpliciter, quod eſt eſſe a ſe; poſſumus etiam concipere Patrem, vt perſonam generantem, & Filium vt perſonam genitam, & hoc modo concipimus Patrem, & Filium, vt perſonas relatiuas, & quoniam impoſſibile eſt, quod vnum relatiuorum non ſimul intelligatur cum altero, ideo ſecundum huiuſmodi conceptum Pater, & Filius ſunt ſimul intelligentia, & ratione; & quoniam talis conceptus, eſt conceptus diſtinctus, & completus Patris, & Filij; alter

verò incompletus, & indiſtinctus, idcirco propriè loquendo negandum eſt patrem eſſe priorem Filio prioritate intelligentiæ, ſeu rationis.

Sed ſi in diuinis datur primum, & ſecundum, quod ſaltem dicit prioritatem, & poſterioritatem, ſi non ſecundum rem, ſaltem ſecundum rationem?

Reſpondetur, quod primum abſtrahit a priori, & conſequenter ſecundum a poſteriori; ex quo non ſequitur, quod ſit dare prius, & poſterius ſecundum rationem, quamuis ſit dare primum, & ſecundum in diuinis. Ita Alphonſus.

QVÆSITVM IX.

An Pater ſit prior Filio prioritate dignitatis?

GVilelmus Occham reſp. quod prius dignitate eſt omne perfectius reſpectu imperfectioris, & quoniam nihil eſt in diuinis, quod habet perfectionem, vel dignitatem reſpectu alterius, quia nihil eſt in diuinis imperfectum, & indignum, ideo nihil eſt etiam prius dignitate. Ita etiam Aliacenſis.

Reſolutio.

REſpondeo, quod quandocunque aliquid, aliud ſuperat maieſtate, potentia, virtute, tunc dicitur prius eſſe eo dignitate, & quoniam Pater neque maieſtate, neque potentia, neque virtute ſuperat Filium, quia eſt vnus, & idem Deus cum eo, & hæc omnia ad deitatem pertinent, non ad perſonas, ſeu relationem, in qua perſonæ diſtinguuntur, idcirco Pater non eſt prior Filio dignitate.

Obiectio. Sed ſi propter quod vnumquodque tale, & illud magis? quicquid autem dignitatis habet Filius, habet a Patre?

Reſpondetur, quod iſta propoſitio, propter quod vnumquodque tale, & illud magis, valet in formis diuerſificabilibus in ſubiectis, maieſtas autem, potentia, virtus, non poſſunt diuerſificari in Patre, & Filio, quia ſunt vna, & eadem eſſentia, quæ in diuinis diuerſa eſſe non poteſt.

QVÆSITVM X.

An Pater ſit prior Filio prioritate cauſalitatis?

PEtrus Aliacenſis reſp. quod extendendo prioritatem cauſalitatis ad prioritatem productiuitatis Pater eſt prior Filio, quia producit Filium, & ſimiliter paternitas filiatione, quia paternitas eſt omnibus modis idem quod Pater, & filiatio idem quod Filius.

Reſolutio.

REſpondeo, quod tunc aliquid dicitur eſſe prius alio prioritatè cauſalitatis, quādo eſt cauſa illius, & non econuersò, hoc autem non contingit in relatiuis, vnum enim relatiuorum non dicitur cauſa alterius magis, quam alterum, quia eodem modo ad inuicem ſe habent, inquantum relatiua, vnde ſi Pater diceretur cauſa Filij, Filius quoque diceretur cauſa Patris, quod repugnat prioritati cauſalitatis; ſi ergo Pater dicitur cauſa Filij, & non econuersò, hoc eſt inquantum agens, & ens abſolutum, non relatiuum inquantum Pater, & quoniam in diuinis circa abſoluta nulla eſt cauſalitas, & Pater inquantum relatiuum non poteſt dici cauſa Filij, quia eodem modo Filius diceretur cauſa Patris, ideo Pater non poteſt dici prior Filio prioritate cauſalitatis.

Sed ſi Pater eſt productiuum Filij, & non econuersò; producens autem eſt prius producto prioritate cauſalitatis? Obiectio.

Reſpondetur, quod Pater eſt productiuum Filij ſub conceptu entis abſoluti, ex quo deinde formatur conceptus paternitatis, ſub quo conceptu relatus ad Filium, nullam prioritatem habet reſpectu illius, & ſic dicitur, quod Pater inquantum Pater non eſt prior Filio, nec intelligentia, nec cauſalitate; ſicut inquantum productiuum, & intelligentia prior eſt, & cauſalitate.

QVÆSITVM XI.

An eſſentialia in diuinis ſint priora notionalibus?

HEnricus reſpondet, quod actus notionales fundantur in eſſentialibus intelligendi, & volendi, quaſi præſupponentes illos, nam Pater per hoc quod exiſtit in actu ſecundum actus eſſentiales intelligendi, & volendi, eſt in perfecta fœcunditate ad primos actus alicuius productiuos, vt ſunt actus notionales, & ſic quodam ordine rationis actus notionales præſupponunt eſſentiales. a.34. q.10.

Ioannes Scotus reſp. quod Pater in primo ſigno, ſeu inſtanti originis intelligit, in ſecundo generat Filium, in tertio producit Spiritum ſanctum, & ita eſſentialia præ- d.9.

præcedunt notionalia, ſunt enim in primo ſigno omnia eſſentialia.

d.6 Gerardus reſp. quod actus eſſentiales, & q.1. notionales poſſunt comparari ad inuicem a.1. duobus modis; vno modo abſolutè ſecundū eorum genus, vt ſcilicet quatenus eſſentiales ſunt abſoluti, & notionales reſpectiui; alio modo reſpectu tertij, inquantum .ſ. poſſunt conuenire vni, & eidem perſonæ, quæcunque ſit illa; ſi ergo fiat comparatio primo modo, ſic actus eſſentiales ſunt aliquo modo priores, quam notionales, tum quia inueniuntur ſine notionalibus; tum etiam, quia ſunt abſoluti, tum tertiò, quia ſe habent ſicut eſſentia, notionales verò ſicut notiones, conſtat autem, quod eſſentia præcedit omnes notiones; Et ſi quæratur qualis prioritas ſit iſta? Reſp. quod eſt ex natura rei fundamentaliter, completiuè tamen per actum rationis. Si autem comparatio fiat ſecundo modo, ſic actus eſſentiales, & notionales non habent ad inuicem aliquem ordinem, ratione cuius poſſit dici, quod actus eſſentiales cõpetant perſonæ mediante notionali, nec ecõuerſò; ſed ſimul ambo competunt perſonæ, tum quia nulla perſona prius elicit vnum iſtorum actuum, quam alterum; tum etiam quia huiuſmodi actus in hoc, quod eſt elici a perſona conſtituta ſe habent ſicut eſſentia, & relatio ad conſtituendam perſonam, ad quam conſtituendam ſimul concurrunt, tum tertiò, quia quælibet perſona diuina ſe habet ad ſuum actum eſſentialem, & notionalem, ſicut ſe habet Filius ad naſci, & intelligere, Filius autem ſimul, & ſine omni prioritate naturæ, vel rationis naſcitur, & intelligit.

d.6. Laurentius Opimus reſp. quod licet ex na- q.2. tura rei ſit prius eſſentiale, quam notionale, non tamen eſt ſic in re, nam ex natura rei prius eſt eſſe patris, quam actus generationis, tamen in quocunque ſigno Pater eſt, in eodem verbi generatio eſt.

d.9. Michael de Pal. reſp. quod eſſentialia ſunt priora notionalibus per intellectum noſtrum.

d.9. Ioann. Viger. reſp. quod notionalia ordine naturæ ſunt priora eſſentialibus dicentibus reſpectum ad extra, vt iuſtitia, miſericordia, & huiuſmodi, nam talia eſſentialia non conueniunt Deo, niſi per actionem intellectus comparantis ad extra, notionalia verò conueniunt eſſentiæ ex natura rei abſque omni comparatione ad extra.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut natura ſecundum ordinem intelligendi præcedit perſonas; prius enim intelligimus Deum, quam Patrē, Filium, & Spiritum ſanctum, ita ea, quæ pertinent ad naturam, qualia ſunt eſſentialia præcedunt ea, quæ pertinent ad perſonas, prius enim intelligimus Deum eſſe omnipotentem, ſapientem, intelligere, & velle, quam eſſe generantem, & ſpirantem, cum generare, & ſpirare ſupponant diuinam virtutem, quæ eſt fundata in eſſentia, & radicata in ipſa, vt in quodam communi ipſis perſonis, & prius intellecto, communia enim hac ratione intelligendi, licet non ex natura rei, cætera præcedunt.

Sed ſi per actus notionales conſtituuntur *Obie-* perſonæ, & actus eſſentiales videntur ſe *ctio.* qui ad eſſe conſtitutum, cum non poſſit intelligere, & velle niſi perſona?

Reſpondetur, quod quamuis actus eſſentiales, vt ſunt eliciti ſequantur ad eſſe conſtitutum, inquantum tamen concurrunt ad cõſtitutionem perſonarum ſimul cum notionalibus, quaſi eorum fundamenta, ſic præcedunt conſtitutionem perſonarum.

QVÆSITVM XII.

An paternitas ſit prior generatione actiua?

D. Thomas reſp. quod paternitas, quæ q.40. eſt proprietas perſonalis Patris po- a.4. teſt conſiderari dupliciter, vno modo, vt eſt relatio, & ſic ſecundum intellectum præſupponit actum notionalem, quia relatio inquantum huiuſmodi fundatur ſuper actum; alio modo ſecundum quod eſt conſtitutiua perſonæ, & ſic oportet quod præintelligatur relatio actui notionali, ſicut perſona agens præintelligitur actioni. Vt relatio (inquit Thomas ab Argent.) eſt poſte- d.9. rior generatione, quia relationes dictæ modo potentiæ ex actionibus innaſcuntur, vt dicit Ariſt. 5. Meth. vt vero proprietas eſt prior, quia ſecundum noſtrum modum intelligendi actus ſecundus eſt poſterior actu primo.

Michael de Pal. reſp. quod generatio vt d.9. ſignificatur actiuè prior eſt paternitate, ſicut diſſ vt ſignificatur paſſiuè, eſt prior filiatione, e nam generare eſt via ad paternitatem, ſicut generari ad filiationem.

Reſolutio.

REſpondeo, quod licet paternitas diſtinguatur ſecundum rationem, & intelligentiam a generatione actiua, quia intelligitur per modum formæ, & habitus, generatio verò per modum actus, non eſt tamen

Digitized by Google

prior ea, neque prioritate originis, neque prioritate naturæ, neque aliqua alia prioritate, vt patet inducenti; ſed nec etiam prioritate intelligentiæ, quia non eſt poſſibile intelligere aliquam perſonam eſſe patrem, & non generare, cum generare ſit de per ſe conceptu Patris, & econuersò, ſiue concipiatur vt proprietas, ſiue vt relatio.

Obie-ctio. Sed ſi forma præcedit actum, ſaltem ſecundum rationem, quia forma dat eſſe rei, actus verò conſequitur eſſe?

Reſpondetur, quod forma præcedit actum ſaltem ſecundum rationem, quando actus non includitur in conceptu formæ; at in propoſito generare includitur in cóceptu paternitatis, & ecóuersò, ille enim eſt pater, qui generat, & non generat niſi pater; ſicut illud eſt album, quod diſgregat viſum, & non diſgregat viſum niſi album, & ideo non eſt poſſibile intelligere album prius quam diſgregare viſum, quoniam diſgregatio viſus, eſt de formali conceptu albi.

QVÆSITVM XIII.

An paternitas ſit prior ſpiratione actiua?

d. 9. a. 3. THomas ab Arg. reſp. quod paternitas eſt ſpiratio actiua, cum in perſona Patris dicant eandem rem, & vnam, non poteſt eſſe inter illas, aliqua realis prioritas, ſed tantum ſecundum noſtrum modum cognoſcendi; eſt enim hoc modo paternitas prior ſpiratione; & ratio eſt, quia quandocunque intellectus concipit aliqua in eodem, vnum vt ſuppoſiti conſtitutiuum, & alterum, vt non conſtituens, ſed præſupponens ſuppoſitum conſtitutum, illud quod cóſtituit, concipitur, vt prius, & non conſtituens, vt poſterius, vnde cum paternitas perſonam Patris conſtituat, Spiratio verò ipſam conſtitutam præſupponat, ſequitur, quod paternitas prior ſit ſpiratione actiua.

Reſolutio.

REſpondeo, quod paternitas in eo, quod paternitas in Patre eſt prior ſpiratione actiua, prout eſt in Filio, & prioritate originis, & prioritate intelligentiæ, prioritate originis ratione perſonæ, quia Filius, in quo eſt ſpiratio actiua identificata cum eius filiatione eſt a patre, in quo eſt paternitas non diſtincta ab eo: prioritate ſimiliter intelligentiæ, quoniam prius intelligimus Patrem generare, quam Filium ſpirare Spiritum ſanctum, cum non ſit de intellectu Patris, vt Filius ſpiret Spiritum ſanctum; prout verò ſpiratio actiua ſumitur, vt in Patre, quamuis paternitas ſit ea prior prioritate intelligentiæ; prius enim intelligimus Patrem generare, quam ſpirare Spiritum ſanctum, nec ſpirare Spiritum ſanctum eſt de intellectu Patris in eo, quod Pater; prioritate tamen originis, non eſt prior, quoniam neque ſpiratio actiua in Patre eſt ab eius paternitate, neque a perſona, nihil enim eſt a ſeipſo, eſt autem ſpiratio actiua in Patre, idem quod paternitas, & Pater.

Sed ſi intellectus noſter concipit Patrem eſſe perſonam ſimpliciſſimam, ac proinde ab omni diſtinctione remotam, & a quacunque prioritate, & poſterioritate? Obie-ctio.

Reſpondetur quod intellectus noſter concipit perſonam Patris, vt perſonam ſimpliciſſimam, per excluſionem cuiuſcunque compoſitionis, & pluralitatis realis, non tamen per excluſionem pluralitatis diſtinctorum ſecundum rationem, & ſecundum huiuſmodi ſumitur prioritas, & poſterioritas in ea.

QVÆSITVM XIV.

An generatio Filij ſit æterna?

D. Thomas reſp. quod Pater producit Filium non voluntate, ſed natura, quæ ab æterno in ipſo perfecta fuit, & ideo Filij generatio eſt æterna, ſicut ipſe Pater producens eſt æternus. q. 42. a. 2.

Aegidius reſp. quod ſi aliquod genitum non eſt coæuum ſuo gignenti hoc contingit propter quinque; primò, ratione ſubiecti generationis, de quo fit generatio; ſi enim quod gignitur ex materia extrinſeca gignatur, tunc ſi non ſemper eſt materia, non ſemper eſt generatio; ſecundò, propter generationis durationem, cum enim generatio ſit opus naturæ, ſi natura erit temporalis, & generatio erit temporalis; & conſequenter eſſe prius gignens ipſo generato; tertiò, propter generationis radicale principium, nam ſi eſt voluntas, cum voluntas poſſit agere, & non agere, poteſt tale procedens non eſſe coæuum ſemper ſuo producenti; quartò, propter modum generationis; nam ſi generatio eſt materialis, quia materialia ab incompleto ad completum procedunt, non ſtatim cum ſunt materialia generant; quintò, propter transmutationem, quando non repugnat gignenti, tunc enim poteſt eſſe res, & non generare. Cum itaque Filius ſit eiuſdem naturæ cum Patre; & natura eius ſit æterna, & d. 2. pr. 2. q. 1.

Pa-

Digitized by Google

Pater naturam perfectam habeat, & talis generatio ſit per modum intellectus, & Pater gignens ſit omnino inuariabilis, ideo ſequitur, quod Filius ſit ei coæternus, & eius generatio ſit æterna.

d.9. q.3. D. Bonau. reſp. quod generatio Filij eſt æterna, tum ratione generantis propter ſummam, & perfectam fœcunditatem, tum ratione geniti propter ſummam, & perfectam æqualitatem.

a.54. q.3. Henricus reſp. quod ſi generatio hæc haberet principium ſuæ durationis, aut finem, tunc, aut non eſſet, antequam eſſet, aut poſtquam eſſet, quod non poſſet eſſe ſine mutatione deitatis, & ex parte producti, & producentis, & eius de quo producitur; ſecundò, ſi aliqua productio incipit, aut deſinit, hoc non eſt, niſi quia agens ſecundum alium, & alium modum ſe habet ad ſubiectum, de quo producit, aut ipſum ſubiectum ad ipſum producens; ſed neque diuina perſona producens, poteſt ſecundum alium, & alium modum ſe habere ad eſſentiam, neque econuersò, ergo nulla noua poteſt eſſe productio.

d.9. q.3. Ricardus reſp. quod cum natura in patre nullo modo ſit impedita, pater per illam potuit exire in actum ſuum ab æterno, qui eſt Filium generare, & cum ſimiliter eſſe diuinum ſit æternum, filius accipiens hoc eſſe à Patre per generationem, neceſſariò accepit ab æterno, & ita generatio Filij eſt æterna.

d.9. q.1. Ioan. Scotus reſp. quod agens omnino ſufficiens, & a quocunque alio independens, & producens per modum naturæ, habet productionem ſibi coæuam, & etiam productum perfectum, ſi non agit per motum, & quoniam Pater generans producit per modum naturæ, & eſt agens omnino ſufficiens, & a quocunque alio independens, & non agit per motũ, quia generatio in diuinis non eſt mutatio, ideo habet generationem ſibi coæuam, & genitum perfectum, & cum ſit æternum, & ipſa eſt æterna. Ita Nic. de Nijſe, Paul. Script. Nic. de Orb. Ant. Andr.

d.9. q.1. Franc. Maro reſp. quod quandocunq; aliquod ſuppoſitum agit actione aliqua conſtitutiua in eſſe ſuppoſitali, ſi ſuppoſitum eſt æternum, & productio, vel actio illa eſt æterna, & quoniam in diuinis pater ſuppoſitaliter conſtituitur per generationem, ideo cum ipſe ſit æternus, & talis productio eſt æterna.

d.9. q.1. Guilel. Occham reſp. quod impoſſibile eſt aliquid realiter idem cum diuina eſſentia eſſe non æternum; vnde cum tam Filius, quam generatio Filij ſit realiter diuina eſſentia, impoſſibile eſt, quod Filius, & generatio Filij non ſint æterni, & maximè cum in tali generatione nulla ſit dependentia, & motus, ex quibus vt in creatis videmus, efficitur, quod productum non ſit coæuum ſuo producenti. Item Aliacenſis, & Gabriel.

Michael de Bon. reſp. quod generatio, quæ eſt diuini verbi emanatio eſt æterna, primò quia eius eſſe non præceſſit non eſſe, cum ſit immutabile; ſecundò, quia eſt a patre producente per modum naturæ, quod autem ſic producit habet productum ſibi coæuum, niſi adueniat aliquod impedimentum, quod aduenire non poteſt in diuinis; tertiò, quia verbum eſt ſapientia, & virtus Dei, ſine qua Deus ipſe eſſe non poteſt. d.9. q.vn.

Guilel. Varrill. reſp. quod cum ſuppoſita diuina producens, & productum ſint ſummè immutabilia, nulla prorſus in eſſentia poteſt cadere mutatio; caderet autem ſi prius non eſſet generatio in Patre, & poſtea eſſet, & ſimiliter in Filio; exiſtentibus ergo ab æterno diuinis ſuppoſitis, exiſtit etiam generatio. d.9. a.3.

Reſolutio.

RESpondeo, quod nihil eſt diuinũ, quod nõ ſit æternũ, eſt enim omne diuinũ immutabile, & neceſſarium, quod autẽ æternum non eſt, mutabile eſt, & contingens; eſt ergo Filius æternus, & quoniã eſſe habet per generationẽ, neceſſariò & ipſa generatio eſt æterna.

Sed ſi omne, quod generatur incipit eſſe, ſicut omne, quod corrumpitur deſinit eſſe? Obiectio.

Reſpondetur, quod omne, quod corrumpitur deſinit eſſe, quia corruptio quædam mutatio eſt; ſed non omne quod generatur incipit eſſe, quia non omnis generatio mutatio eſt, vt in propoſito, generatio enim diuina nõ eſt mutatio; neque alicuius de nouo, vt dicit Occham. Ita D. Thomas; D. Bonau. Ricard. Durandus.

QVAESITVM XV.

An generatio Filij poſſit exprimi non tantum per verbum temporis præſentis, ſed etiam præteriti, & futuri?

ALex. Alenſ. reſp. quod generatio in diuinis propriè, nec eſt in fieri, nec in facto eſſe, quia fieri, & factum eſſe ſolũ creaturis cõueniunt; eſſe verò ſemper vno modo, diuinis; poſſumus tñ de ea loqui per modũ fieri, & facti eſſe; ſi inſpiciamus ad præſentialitatem æternitatis, ſic poſſumus dicere, quod generatio eſt in fieri, quia actu eſt: ſi verò inſpiciamus ad perfectionem, & comple- q.42. m.5 a.2.

ple-

pletionem, ſic eſt in facto eſſe, quia ſemper completa eſt.

q.10. m.4 p.2. Albertus reſp. quod cũ generatio diuina ſit æterna nullis differentijs temporum ſubiacet, poteſt tamen explicari per verbum præſentis temporis, vt de aliquo præſente impartibili, quod totum ſimul eſt, & de quo non eſt accipere niſi nunc; poteſt etiam explicari per verbum præteriti tẽporis, vt de aliquo quod perfectum eſt, & ſimiliter per verbum futuri temporis, non quòd ſit de aliquo in potentia, ſed per abnegationem oppoſiti, vt dicit D. Hieron. quod erit, quia nunquam deerit.

9. q.4. D. Bonau. reſp. quod cum Filius Dei habeat eſſe permanens, & coniunctum principio productiuo, & in ſua actualitate exiſtenti, idcirco in eo idem eſt generari, & genitum eſſe, naſci, & natum eſſe.

d.9. q.3. Ægidius reſp. quod generatio creaturarũ importat variationem, ſeu ceſſionem, & motum, ac proinde omnia tempora de ea pronunciari non poſſunt, at diuina, vt quæ ſine motu, & ſucceſſione eſt, habet eſſe ſimul; & ideo de ea omnia tempora pronunciari poſſunt, vnde non ſolum dicitur, quod Filius sẽper gignitur, ſed etiam, quod ſemper genitus eſt, & quod ſemper gignetur.

d.9. q.3. Herueus reſp. quod productio Filij non eſt acquiſitio ſucceſſiua eſſe non habiti, ſicut eſt quælibet productio, quæ fit per motum, nec noua acquiſitio eſſe ſimul accepti, ſed ſine principio, & fine, eſt abſolutè eſſe ab alio, cuius actio, nec incipit, nec deſinit, ſed ſemper perſeuerat; propter quod Filius dicitur ſemper natus eſt, propter eſſe quod habet completum, & ſemper naſcitur, propter permanentiam ipſius productionis.

d.9. q.4. Durandus reſp. quod in his, quæ producuntur non per motum, nec per actionem nouam, ſed per actionem indiuiſibilem, & perpetuam, ſemper ſunt ſimul fieri, & factum eſſe; vnde cum Filius producatur a Patre, & non per motum, nec per actionem nouam, ſed per indiuiſibilem, & perpetuam; igitur in generatione Filij ſemper eſt gigni, & genitum eſſe, & conſequenter per verbũ vtrumque præteriti, & præſentis temporis, exprimi poteſt.

d.5. q.1. Guilel, Rub. reſp. quod cum tria diuina ſuppoſita ſint æterna, quorum ſecundum ſic eſt a primo, & tertium a primo, & a ſecundo, quod impoſſibile eſt ipſa producta ſuppoſita exiſtere ſine ſuis producentibus, cum omnia ſint vna numero eſſentia; ideo tantum valet dicere produci, quam producta fuiſſe.

9. Paulus Scriptor reſp. quod optimè dicitur Filius ſemper natus eſt, vt per ly ſemper notetur æternitas generationis, & per ly natus, perfectio Filij geniti, quaſi non pars poſt partem, nec quod deſinat poſt generationem.

Michael de Pal. reſp. quod ſine formidine dicere poſſumus, quod Filius natus eſt, quod naſcitur, & quod naſcetur, ſicut eſt, fuit, & erit, vt ſignificemus natiuitatem, quæ modo eſt, ab æterno fuiſſe, & in æternum futuram, indiuiſibiliter enim generatur Filius, ac proinde idem eſt ei generari, quod genitum eſſe, ſicut aeri illuminari, & illuminatum eſſe. d.9. diſ. 2

Reſolutio.

Reſpondeo, quod generatio diuina eſt infinita, & eſt etiam ad terminum infinitum, & ideo propter talem infinitatem, nec aliquando ceſſare potuit, nec aliquando ceſſare poterit, & propterea ad hanc infinitatẽ inſinuandam poſſumus vti verbo, cuiuſcunque ſit differentiæ temporis ſiue præteriti, ſiue præſentis, ſiue futuri, vnde verum eſt dicere, quod genuit, generat, & generabit, ſicut etiam, quod Filius generatur, genitus eſt, & ſemper generabitur, eſt enim impoſſibile infinitum pertranſire.

Sed ſi generari eſt, ſicut quod creari, quod autem creatum eſt, nec creatur, nec creabitur? Obiectio.

Reſpondetur, quod non eſt ſimile de creari, & de generari, quia creari eſt nunc primò eſſe de aliquo non eſſe, ac propterea non poteſt dici, quod mundus nunc creatur, quia nunc non primò eſt, quod autem generatur poteſt nunc primò eſſe, de aliquo eſſe. Ita Ricardus.

QVÆSITVM XVI.

An ſemper Pater generet Filium?

D. Bonau. reſp. quod Pater ſemper generat Filium; primò, quia talis generatio eſt æterna, æternum autem non ſe habet aliter nunc, quam prius; ſecũdò, quia eſt ſimplex & infinita, ſimplex autem, & infinitum caret omni termino; tertiò, quia in Patre eſt fecunditas perfecta, talis autem fecunditas, eſt ſemper actui coniuncta. d.9. q.4.

Ricard. reſp. quod ſi Deus nõ ſemper generaret Filium, cũ ipſum ab æterno genuiſſet, & modo non generaret, mutatus eſſet, quod eſt, inconueniens; hoc etiam inconueniens ſequeretur, quod aliqua eſſet potentia in Deo, & non in actu ſuo, ſi ipsũ nõ ſemper generaret. d.9. q.2.

Frãc. Maro reſp. quod generatio diuina nõ tranſit, ſed eſt coæterna genito, quia per ipsã con-

Digitized by Google

conſtituitur in eſſe perſonali; ſicut ergo eius perſonalitas ſemper ſtat, ita eius generatio, & hæc generatio eſt ſimilima generationi actus intelligendi .ſ. verbi noſtri, tandiu enim durat generatio actus intelligendi, quandiu durat ipſe actus.

d. 9. Lau. Opi. reſp. quod eſſe æternitatis eſt ſummè ſimplex totum ſimul, ergo non ſtat generationem eſſe æternam, & productum, vel produci nō ſimul eſſe, ergo Filius tam ſemper eſt productus, quam ſemper producitur; ſecundò; in ſumma æternitate eſt ibi totū perfectum eſſe, ergo eſt ibi productum eſſe, ſed ſicut eſt ibi totum perfectum eſſe, ita eſt ibi totum actualiſſimum eſſe; ergo ſicut conceditur ipſum eſſe productum, ita concedendum eſt ſemper produci; tertiò, verbum diuinum ſicut immutabiliter eſt productum, ita immutabiliter producitur; ergo ſicut conceditur ſemper eſſe productū, ita & ſemper produci.

d. 9. a. 1. Guil. Varr reſp. quod formę, vel quaſi formę eſt denominare ſuppoſitum in quo eſt, cum itaque generatio ſit ſēper in Filio, quia æterna eſt, ſequitur quod filius dicatur ſēper generari.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſi aliquod agens deſiſtit ab actione ſua, & maximè perfectiua, hoc eſt, vel quia ſi eſt agens liberum, non vult amplius agere, vel ſi eſt agens naturale propter aliquod impedimentum adueniens ei, vel agibili, aut medio agendi, continuare ipſam eandem actionem non poteſt; cum itaque Pater in generando Filium, non ſe habeat, vt agens liberum, & propter ſuam infinitam virtutem nihil poſſit aduenire ei, vel alteri, quod ipſum poſſit impedire, ne continuet talem actionem, ideo dicendum eſt, quod ſemper generet Filium.

Obiectio. Sed ſi verbum diuinum eſt perfectè genitū, ex quo eius generatio eſt terminata?

Reſpondetur, quod generationem diuinam eſſe terminatā poteſt intelligi dupliciter, vno modo per excluſionem imperfectionis, & ſic eſt perfectiſſimè terminata, alio modo per excluſionem æternitatis, & ſic non eſt terminata, quia æterna. Ita Opimus.

QVÆSITVM XVII.

An diuina generatio conuenientius exprimatur per verbum præſentis temporis, quam præteriti, & futuri?

d. 9. q. 2. a. 2. D. Thomas reſp. quod verbum præteriti temporis, & pręſentis de diuina generatione verificari poteſt, verius tamen de præterito, quam de pręſenti, quia pręſens in his, quæ ſe habent per modum fieri ex ſuo modo ſignificandi imperfectionē ſignificat, præteritum autem perfectionem; cōuenientiſſimè tamen dicitur, ſemper natus eſt, quia & perfectionem includit, & indeficientiam eſſe.

d. 9. pr. 2. q. 2. Ægidius reſp. quod in diuina generatione ſunt tria conſideranda, indeficientia, præſentialitas, perfectio; quantum ad indeficientiā magis exprimitur per verbum futurum; quātum ad præſentialitatem magis per verbum pręſens; quantum ad perfectionem magis per præteritum, hæc tamen omnia tria includuntur in eo, quod dicitur ſemper genitus eſt, nam per ſemper intelligitur indeficientia, per ly genitus, perfectio, & per ly eſt, pręſētialitas.

d. 9. q. 1. Ricard. reſp. quod cum præſens æternitati conueniat ſecundum ſe, non autem præteritum, habendo reſpectum ad naturam rei conuenientius exprimitur diuina generatio per verbum præſentis temporis, quam præteriti, habendo tamen reſpectum ad excludendum errorem de cordibus ſimplicium, ne poſſent exiſtimare illam generationem eſſe in fieri, conuenientius exprimitur per verbum præteriti temporis, quam pręſentis; conuenientiſſimè tamen declaratur per verbum præſentis temporis, & participium præteriti, dicendo Pater generat genitum ab æterno, vel per verbum præteriti temporis, & aduerbium præſentis dicendo; ego hodie genui te.

d. 9. q. 1. Herueus reſp. quod attendendo ad permanentiam productionis diuinæ, magis propriè dicitur naſcitur; attendendo verò ad perfectionem eius, ſecundum quam nihil expectatur in futurū magis propriè dicitur natus eſt.

d. 9. q. 2. Guilel. Rub. reſp. quod quia nulla perſona diuina producta, poteſt eſſe ſine producēte, & ſimul tota producitur, ideo quælibet perſona producta dicitur, quod eſt producta, quod producitur, & quod æternaliter producetur, conuenientius tamen dicitur ſemper eſſe producta, quā quod producitur, vel producetur.

d. 9. a. 1. Guilel. Varrill. reſp. quod licet vtraque locutio ſit vera Filius ſemper naſcitur, & Filius eſt ſemper natus, tamen iſta, ſemper eſt natus, magis exprimit eſſe perfectum Filij, dū enim dicitur, ſemper naſcitur, ſolum dicitur, quod capit ſemper eſſe, ſed non dicitur, an habeat eſſe perfectum, vel imperfectum, ſed quando dicitur, ſemper eſt natus, in hoc, quod dicitur natus, ſignificatur eſſe perfectum, & in hoc, quod dicitur ſemper, oſtenditur illud eſſe ſemper per generationem a Patre habere. Item Nicol. de Nijſe.

Re-

Digitized by Google

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſi attendamus ad æternitatem diuinarum perſonarum, conuenientius dicitur, Pater genuit Filium, quam generat; quia nullo alio verbo conuenientius inſinuare poſſumus æternitatem, quam verbo præteriti tẽporis, æternitas enim præcedit quamcunque aliam durationem, ſicut præteritum præcedit præſens, & futurum; ſi verò attendamus ad exiſtentiam, conuenientius dicitur, Pater generat Filium, quam genuit, quia nullo alio verbo explicare poſſumus cuiuslibet rei exiſtentiam, quam verbo temporis præſentis, propter ipſum nunc; ſi tandem attendamus ad indefectibilitatem, conuenientius dicitur, Pater generabit, quam generat, & genuit, quia quod futurum eſt neceſſe eſt, vt ſit, antequam deficiat.

Obiectio. Sed ſi præſens maximè æternitati competit, eo quod non habeat ſucceſſionem? Et indefectibilitas non conuenit niſi exiſtenti; eo quod non niſi quod exiſtit, eſt indefectibile?

Reſpondetur, quod præſens vtique maximè competit æternitati, ſi abſolutè conſideratur per excluſionem præteriti, & futuri; ſed ſi conſideratur in comparatione, magis competit ei præteritum, quam præſens. Indefectibilitas item non eſt, niſi præſentialiter exiſtentis, poteſt tamen inſinuari per verbum de futuro de eodem exiſtente, & ſic eſt in propoſito, nam de eodem Patre exiſtente, & generante, dicitur etiam, quod generabit.

QVÆSITVM XVIII.

An Pater, Filius, & Spiritus ſanctus poſſint dici plures æterni?

d. 8. a. 32. ALber. reſp. quod attendendo ad modum adiectiui poteſt concedi quod Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt tres æterni, ſed non plures æterni.

d. 9. q. 1. a. 2. D. Thomas reſp. quod nomina ſubſtantiua, quia ſignificant per modum ſubſtantiæ, non dicuntur in plurali numero, niſi formatio ſua numeretur; adiectiua autem, quia ſignificant per modum accidentis, non dicuntur pluraliter, niſi ex parte ſuppoſitorum, & quoniam Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt plura ſuppoſita, & hoc nomen æternus eſt nomen adiectiuum, ideo dici poſſunt plures æterni.

d. 9. q. 3. Ægidius reſp. quod idem, quantum ad perſonalem ſignificationem importatur per verbum, per nomen concretum, & per nomẽ abſtractum, vnde idem ſignificant ſapere, ſapientia, ſapiẽs; principaliter tamen, quantum ad modum ſignificandi differunt, nam prout tale ſignificatũ importatur per verbum, ſemper dicit rem ſuam circa ſuppoſitum, quia ſuppoſitorum eſt agere, & ideo quantumcunque verbum eſſentialiter ſignificet, quia nihil eſt eſſentiale, quod nõ habeatur a tribus, ſemper pluraliter profertur, vt Pater, & Filius ſapiunt, creãt, & huiuſmodi; ſi autem nomen eſt abſtractum, cum tale nomen ſignificet ipſam rem in ſe, ſi pluraliter proferatur, ſemper circa rẽ, quam ſignificat, principaliter deſignatur diſtinctio, & ideo talia debent ſemper proferri ſingulariter, & non pluraliter; ſi autẽ nomen eſt concretum poteſt proferri, & ſingulariter, & pluraliter, quia ſi tenetur ſubſtantiuè debet proferri ſingulariter, ſi adiectiuè pluraliter.

Henricus reſp. quod ſi ly æterni eſt adiectiuum debent dici tres æterni, pluralitas enim numeri in termino adiectiuo nõ denotat pluralitatem in forma ſignificata per terminum, ſed in habente talem formam, ſi verò eſt ſubſtantiuum, debent dici vnus æternus. d. 9. q. 2.

Durandus reſp. quod nomina ſunt in duplici differentia, quædam ſunt ſubſtantiua, quædam adiectiua, nomina ſubſtantiua cum non ſignificent per modum dependentis ad alterum, & alteri inhærentis, non dicuntur de aliquibus pluraliter, niſi natura importata per talia nomina plurificetur in illis; adiectiua verò, cum ſignificent per modum dependentis ad alterum, & alteri inhærentis, prædicantur de pluribus pluraliter, ſiue natura importata per ipſa plurificetur, ſiue non; & quoniam hoc nomen æternum, eſt nomen adiectiuum, & perſonæ diuinæ ſunt plures, plures poſſunt dici æterni. d. 9. q. 3.

Petrus Aliac. reſp. quod nulla videtur ratio diuerſitatis inter æternum, & coæternum, vnde miratur quare in ſymbolo concedantur tres coæterni, & negentur tres æterni. q. 5. a. 1.

Laur. Opimus reſp. quod ſi ly æterni teneatur adiectiuè, ſicut concedimus, quod ſunt tres perſonæ intelligentes, ita poſſumus dicere, quod ſunt tres perſonæ æternæ; ſi autem teneatur ſubſtãtiuè, tunc concernit eſſentiam, & ſic nullo modo eſt concedendum, quod ſint plures æterni. d. 9. q. 8.

Reſolutio.

REſpondeo, quod in diuinis eſt vnitas, & pluralitas, vnitas ſecundum eſſentiã pluralitas ſecundum perſonas, & quoniam nomina adiectiua debent concordari cũ ſuis ſubſtantiuis, cum quibus ponuntur, vel ſaltem

tem

tem cum his, quæ ſtat pro nominibus ſubſtã-tiuis,& pluralitas non poſſit ſtare niſi pro perſonis, ſunt enim Pater,Filius, & Spiritus ſanctus plures, quia plures perſonæ, ideo cum hoc nomen æterni ſit nomen adiectiuum, Pater,Filius, & Spiritus ſanctus poſſunt dici plures æterni, hoc eſt, plures perſonæ æternæ, quia ly plures ſtat pro perſonis.

Obiectio. Sed ſi dicit D. Aug. 5. de Trinit. c. 8. quod Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus non ſunt tres magni, ſed vnus magnus, non tres boni, ſed vnus bonus? Item D. Ath. in Symb. Non ſunt tres æterni, ſed vnus æternus?

Reſpondetur,quod D. Aug. dicit Patrem, Filium,& Spiritum ſanctum non eſſe tres magnos; ſed vnum, non tres bonos; ſed vnum, attendens ad vnitatem eſſentiæ, non perſonarum pluralitatem, & ſimiliter D. Athanaſ. in hoc ſenſu negauit tres eſſe æternos, vnde ſtatim ſubiunxit, ſed vnus æternus, ideſt vnus Deus æternus.

D. Thomas, Ægidius, & Durandus diſtinguunt de æterno, quatenus ſubſtantiuè vel adiectiuè tenetur; & ſic de magno, & bono.

DISTINCTIO DECIMA.

Nunc poſt Filij æternitatem de Spiritu ſancto, quantum Deo donante videre cõceditur,&c.

QVAESITVM I.

An in diuinis ſit aliqua perſona, quæ propriè dicatur Spiritus ſanctus?

q.63. m. 1. & 2. ALex. reſp. quod hoc nomen Spiritus, vt dicitur a ſpirando actiuè eſt nomẽ commune omnibus diuinis perſonis; ſed per appropriationem, & vt dicitur a ſpirando paſſiuè, ſoli ei conuenit, quæ procedit per modum ſpirationis; quod autem additur ſanctus,hoc fit,ad mitigãdum ſignificationem ſpiritus; ſpiritus enim nomen terroris eſt, & ſimiliter ad inſinuandam proprietatẽ procedẽtis amoris ordinati a pluribus .ſ. a duobus.

p. ſit. d.10. a.13. Albertus reſp. quod Spiritus ſanctus dicitur a ſpirando, ſpirare autem dicitur a ſpiritu emittendo, emiſſio autem ſpiritus coniunctionem ſignificat; cum igitur ſit veriſſima coniunctio inter Patrem, & Filium in Spiritu, coniunctio ipſa Spiritus vocatur; ſanctus autem additur,quia dicit ſinceritatem ad actũ ſpirandi, & immaterialitatem conſpirandi amorem in Patre, & Filio.

p. ſit. d.10. D. Thomas reſp. quod hoc nomen Spiritus dicitur a ſpiritualitate, nominatur autem ita Spiritus ſanctus, quæ tertia perſona eſt Trinitatis duplici ratione, vna eſt, quia per ipſum, & dona eius, trahimur in participationem diuinæ ſpiritualitatis, & ſimus contemptores ſeculi, & ſpirituales; alia eſt, quia eſt amor Patris, & Filij, quo ſe diligunt, amantem autem, & amatum dicimus in Spiritu vniri. q. 1. a. 4.

Et iterum reſp. quod quamuis hoc nomen Spiritus ſanctus ſit commune omnibus diuinis perſonis; ex vſu tamen ſcripturarum eſt accommodatum ad nominandum tantum illam perſonam, quæ proprium nomen non habet, & hæc illa eſt, quæ procedit per modum amoris, & huius accommodationis ratio ſumi poteſt ex duobus; primò,ex communitate eius, quod dicitur Spiritus ſanctus: nã hoc nomen commune eſt Patri, & Filio, vterque enim eorum Spiritus eſt, & ſanctus; & quia perſona procedens per modum amoris communis eſt vtrique, ideo accommodatur ei etiam nomen commune, quod eſt Spiritus ſanctus; ſecũdò, ex propria nominis ſignificatione, nam Spiritus quandam impulſionem ſignificat, & ſanctus, ordinationem in Deum,hæc eſt autem conditio amoris mouere voluntatẽ noſtram, & in Deum ordinare. Item Marſilius, & Franciſcus a Chriſto. p.p. q.36. a.1.

D. Bonau. reſp. quod hoc nomen Spiritus dicitur aliquando a ſpiritualitate, & aliquando a ſpiratione; vt dicitur a ſpiritualitate, ſic conuenit toti trinitati; vt verò dicitur a ſpiratione illi ſoli perſonæ, quæ procedit, vt amor, ſpirare enim in ſpiritualibus ſolius eſt amoris, & quoniam talis amor eſt ordinatus, & rectus, ideo dicitur, & additur ſanctus. d.10. q.3.

Ægidius reſp. quod hoc nomen Spiritus etiam vt dicitur a ſpiritualitate eſt proprium illius perſonæ, quæ procedit per modum amoris, ſic enim dicit ſimplicitatem; ſimplicitatem autem concomitatur vnitas, quia quanto magis aliquid eſt ſimplex, tanto magis eſt vnum,cum ergo perſona illa,quæ procedit per modum amoris habeat rationem vniendi, quia eſt vnio, & nexus eorum, a quibus procedit,idcirco ei proprie nomen Spiritus competit. d.10. q.4.

Henricus reſp. quod Spiritus vno modo dicitur a ſpiritualitate, & hoc modo dicitur eſſentialiter, alio modo dicitur ab actu ſpirandi .ſ. quia ſpiratur, & ſpiratione eſſe habet, & ſic dicitur vna perſona in diuinis. a.61. q.1.

Herueus reſp. quod ſi Spiritus accipitur a ſpiritualitate, ſiue ſubtilitate, ſiue formaliter, vt illud .ſ. quod eſt formaliter immateriale, ſiue affectiuè, non eſt nomen proprium ter- d.10. q.2.

tiæ perſonæ, ſed appropriatum; ſi verò accipitur pro eo, quod eſt inſpiratum, quod eſt eſſe productum per modum amoris, ſic eſt ei proprium; cui etiam additur ſanctus, ad denotandum, quod non quilibet Spiritus, ſed tantum ille, in quo non poteſt eſſe niſi ſanctitas, perſona diuina eſt.

d.10. q.1. Durandus reſp. quod hoc nomen Spiritus, vt dicitur à ſpiratione, ſoli illi perſonæ conuenit, cui conuenit ſpirari, vt autem dicitur a ſpiritualitate, non propriè conuenit vni, ſed ex vſu ſcripturarum ſoli illi appropriatur, quæ procedit per modum voluntatis, & amoris; tum quia talis perſona procedit a Patre, & Filio, quorum quilibet & Spiritus eſt, & ſanctus; tum etiam, quia Spiritus ſonat quandam impulſionem, & motionem, quæ eſt conditio amoris, qui eſt affectio maximè motiua voluntatis, additur autem ſanctus, quia dona, quibus ordinamur in Deum attribuuntur per appropriationẽ tertiæ perſonę in diuinis.

d.10. a.3. Petrus Aur. reſp. quod Spiritus quandoq; dicitur a ſubtilitate, vt aer, quandoque a mobilitate vt anima, quandoque ab omnimoda incorporeitate, vt Angelus, & quandoque dicitur animus vi amoris impulſus, & hoc modo eſt proprium tertiæ perſonę in diuinis; additur autem ſanctus, ad differentiam Spiritus infecti, ſiue maligni, quales ſunt Spiritus in hominibus malis, & odio agitatis.

d.10. diſp 1. Michael de Pal. reſp. quod hoc nomen Spiritus vitam denotat; appropriatur porrò Spiritui ſancto, ideſt tertiæ perſonæ, quia tertia perſona per amorem procedit; vt ergo diuina ſcriptura nos admoneret, noſtram vitam ſpiritualem ab amore diuino eſſe petendam; ideo cui competit ex ſua origine amor, tributum quoque eſt, & nomen Spiritus.

d.10. §.1. Guilel. Eſtius reſp. quod licet ſpectata ſignificatione nominis hoc nomen Spiritus ſã-ctus toti Trinitati competat; vſu tamen fidelium attribuitur propriè tertiæ perſonæ, ſumiturque incomplexè propter duas rationes, quas adducit D. Thomas.

de tr. lib. 12. c.1. Franc. Suarez reſp. quod eſt tertia perſona in diuinis quæ appellatur Spiritus ſanctus, eſtque hoc nomen ei maximè proprium, videturque ei fuiſſe impoſitum a Chriſto dicẽte ad Apoſtolos ſuos. Euntes in mundum vniuerſum prędicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſanct; dicitur autem Spiritus, quia per modum amoris, & impulſus procedit, & quoniam ille amor puriſſimus eſt, ac mundiſſimus, ideo eſt ei addita vox ſanctus, quæ excellentiam illius proceſſionis declarat, ſimulque indicat illam perſonam eſſe per eſſentiam ſanctam.

Reſolutio.

RESpondeo, quod cuilibet perſonæ diuinæ conuenit aliquo proprio nomine appellari, non vt per ipſum earum quiditas ſignificetur, eſt enim hæc omnino inexplicabilis, ſed vt per ipſum notificetur nobis earum diſtinctio, ac in earum cognitione intellectus creatus poſſit diſtinctè, & ordinatè procedere; quo verò nomine ſingulæ ſint appellãdæ, hoc innoteſcit nobis ex ſcripturis ſacris; prima enim dicitur Pater; ſecunda, Filius; tertia, Spiritus ſanctus; quæ nomina diuino afflatu ſunt impoſita, ad inſinuandum aliquam earum principalem proprietatem, vel ſingularem effectum. Propterea ad ea, quæ dicta ſunt a præallegatis doctoribus de ipſo nomine Spiritus ſancti, poſſunt etiam hæc addi, quod .ſ. ſicut perſona prima dicitur Pater, quod eſt nomen primitatis, auctoritatis, & originationis, quia fons eſt totius diuinitatis, & auctrix omnis eſſe; ſecunda dicitur Filius, quod eſt nomen ſubauctoritatis, & complacentiæ, quia per ipſum, & in ipſo facta ſunt omnia; ita tertia perſona dicitur Spiritus ſanctus, quod eſt nomen inuiſibilis ſanctificationis, quia ea eſt, quæ non raró, ſed frequenter mitti ſolet inuiſibiliter ad ſanctificandam creaturam.

Sed ſi hoc nomen Spiritus ſanctus non dicitur ad aliquid? nomina autem diuinarum perſonarum dicuntur ad aliquid, vt dicit Boetius lib. 8. de Trin. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod licet hoc nomen Spiritus ſanctus relatiuè non dicatur, ſiue ad aliquid, pro relatiuo tamen ponitur, inquantum eſt accommodatum ad ſignificandam perſonam ſola relatione ab alijs diſtinctam; præterquam quod poteſt in hoc nomine intelligi aliqua relatio, ſi Spiritus ſanctus intelligatur quaſi ſpiratus. Ita D. Thomas.

QVÆSITVM II.

An Spiritus ſanctus propriè dicatur Amor?

ALex. reſp. quod voluntas aliquando ſumitur pro volito, aliquando pro potentia volendi, & aliquando pro motu ipſius voluntatis; ſi ſumitur pro volitio, cum ſit idem, quod complacentia boni, ſic communiter ſumitur, & conuenit omnibus diuinis perſonis; ſi ſumitur pro potentia, vel ſumitur prout eſt principium mouens, & ſic *q.43. m.3. a.2.*

Digitized by Google

ſic appropriatur Patri, vel vt eſt principium motum, & ſic appropriatur Filio: vt autem ſumitur pro motu exeunte à voluntate, ſic propriè conuenit Spiritui ſancto, eſt enim donum, ſiue emanatio liberalitatis, a condilectis; cum itaque amor ſit idem quod voluntas boni, cui ſiuè propriè, ſiue appropriatè conuenit voluntas, conuenit etiã amor.

d.10. a.2. Albertus reſp. quod Pater, & Filius in eo quod perſonæ diſtinctæ ſunt, conueniunt in hoc amore, qui procedit ab ipſis, quo ſe inuicem amant, & ille eſt Spiritus ſanctus.

q.37. a.1. D. Thomas reſp. quod amor importat habitudinem amantis ad rem amatam, ex hoc enim quod aliquis amat prouenit quædam impreſſio rei amatæ in affectu amantis, ſecundum quam res amata dicitur eſſe in amante, vt igitur importat ſolam habitudinem amãtis ad rem amatam, eſſentialiter dicitur, & ſic eſt quid commune omnibus diuinis perſonis, vt verò importat etiam habitudinem ipſius impreſſionis, vel affectionis rei amatæ, quæ prouenit in amante, ex hoc quod amat, ad ſuum principium, & econuersò, dicitur notionaliter, & ſic tantum vni perſonæ conuenit, quæ eſt Spiritus ſanctus, amor ſcilicet productus.

d.10. q.2. D. Bonau. reſp. quod amor in diuinis accipitur tripliciter, eſſentialiter, quia quælibet perſona diligit, notionaliter, quia Pater, & Filius concordant in ſpirando Spiritum Sanctum, quæ concordia eſt amor; & perſonaliter, quia ille, qui producitur per modum perfectæ liberalitatis nõ poteſt eſſe niſi amor, & ſic amor eſt proprium Spiritus ſancti, dicit enim modum emanandi eius, & ſe habet ad eum, ſicut verbum ad Filium, conſtat autem, quod Filius propriè dicitur verbum. Item Ricardus, & Marſilius.

d.10. q.2. Ægidius reſp. quod in Deo ex parte potentiæ affectiuæ, quæ eſt voluntas, tria oportet conſiderare, ipſam potentiam, actum eius, & id quod ab ea emanat, vel in ea imprimitur; potentia habet proprium nomen, quod eſt voluntas; actus ſimiliter habet nomen ſuum, quod eſt amor; ſed id quod emanat ab ea non habet proprium nomen, ad illud tamen ſignificãdum vtimur nomine actus, quod eſt amor, propter quod in diuinis hoc nomen amoris eſt æquiuocum, eſſentiale .ſ. & perſonale, eſſentiale, vt dicit actum voluntatis; perſonale, vt dicit, quod a voluntate emanat, & quoniam ſolus Spiritus ſanctus eſt perſona a volũtate emanans, ideo hoc nomen eſt ei propriũ, quod eſt amor perſonaliter ſũptus.

Q. 6 Henricus reſp. quod Spiritus ſanctus emanat in diuinis, vt amor incentiuus, qui poteſt q.1 dici zelus, ſicut enim intellectus mouetur a re ad ſimplicem notitiam, qua habita ducit ſe ad notitiam perfectam, & declaratiuam, quæ appellatur verbum, ſic voluntas elicitur ab obiecto, quodam amore ſimplici, qui poteſt dici complacentia, & ex hinc mouet ſe ad amorem intenſum, & complacentiam incentiuam, reſpectu eiuſdem obiecti, quæ quidẽ poteſt Spiritus appellari, ſic ergo Spiritus ſanctus in diuinis emanat, non vt amor ſimplicis complacentiæ, quia talis amor eſſentialis eſt, ſed vt zelatiuus, & etiam incentiuus, qui notionalis eſt.

Ioan. Scotus reſp. & probat, quod Spiritus d.10. ſanctus ſit amor diuinus productus, ſeu q.12. ſpiratus, hac ratione. Quandocunque eſt aliquod principium ex natura ſua productiuum in aliquo, eſt etiam aliquid ſibi adæquatum, quod per ipſum producitur; ſed in diuinis eſt formaliter, & perfectè voluntas ex natura rei, quæ eſt principium productiuum amoris; ergo in diuinis eſt amor voluntati diuinæ adæquatus .ſ. infinitus, qui per ipſam producitur; ſed hiuſmodi non poteſt eſſe niſi Spiritus ſanctus; ergo Spiritus ſanctus eſt amor diuinus productus.

Herueus reſp. quod ſicut Filius procedit d.10. per modum intellectus, ita Spiritus ſanctus q.2. procedit per modum amoris; ſed ſicut Filius, quia procedit per modum intellectus, dicitur verbum, ita Spiritus ſanctus, quia procedit per modum amoris, dicitur amor.

Durandus reſp. quod quia circumſcripta d.27. actione voluntatis, adhuc eſſet proceſſio Spiritus q.3. ſancti per actum competentem naturæ fœcundæ, idcirco cum dicitur Spiritus ſanctus amor, hoc tantum appropriatè, & ſecundum adaptationem ad ea, quæ videntur in trinitate creata intelligendum eſt, & ex conſuetudine loquendi, non propriè, & de virtute ſermonis.

Petrus Aur. reſp. quod Spiritus ſanctus non d.10. eſt propriè amor, ſed eſt Spiritus amoris, & q.1. pertinet ad amorem, quia procedit, vt Spiritus amoris, eſt autem amor latio quædam ſpiritualis animæ in amatum, Spiritus verò eſt animus amore motus motione quadam ſpirituali, & intentionali, ex quo nihil aliud eſt Spiritus ſanctus, quam Deus poſitus in eſſe dato, ſeu impulſo, ac lato per vim infiniti amoris.

Gerardus reſp. quod Spiritus ſanctus pro- d.10 priè dicitur amor datus, ſiue donatus, & hoc a.1. deducit ex eo, quod procedit per modum voluntatis, vnde ex conſequenti amor, qui

eſt actus voluntatis, erit fundamentum productionis Spiritus ſancti, & proprietatis relatiuæ eius; nomen ergo implicans talem proprietatem, & fundamentum, quamuis ſit donum ſine adiuncto, cum adiectiuo tamen eſt etiam amor .ſ. datus, vel donatus; ſic enim per amorem ſignificatur fundamentum productionis Spiritus ſancti, & per datum, ſeu donatum, eius proprietas relatiua.

d.10. q.1. Guilel. Rub. reſp. quod Amor ſumitur dupliciter, vno modo, vt diuiditur contra odiũ, alio modo, pro producto per naturam rationalem, inquantum volitiua eſt; accipiendo itaque amorem primo modo; cum talis amor ſit communis omnibus diuinis perſonis, Spiritus ſanctus non propriè dicitur amor; ſed tantum appropriatè; ſecundo modo verò, cũ ratio amoris talis ſit tantum Spiritui ſancto propria, quia ſolius Spiritus ſancti eſt habere eſſentiam principium productiuum ſui, inquantum volitiua eſt, idcirco non appropriatè, ſed propriè dicitur amor.

d.10. q.vn. Michael. de Bon. reſp. quod Spiritus ſanctus propriè dicitur amor; primò, quia procedit per modum amoris; ſecundò, quia propriè dicitur dilectio; tertiò, quia etiam verbum in diuinis dicit perſonam proprietate verbi diſtinctam a dicente.

q.8. a.1. Petrus Aliac. reſp. quod tam Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus eſt amor, & eſt impoſſibile ponere alium amorem, qui ſit diſtinctus ab amore communi; & ſi quandoque capitur a doctoribus perſonaliter, hoc non eſt ex proprietate ſermonis, ſed ſecundum quandam appropriationem.

d.10. & 11. Laur. Opimus reſp. quod Spiritus ſanctus non eſt formaliter amor, ſed præciſè appropriatè; & hoc probat quadrupliciter; primò, quia amor volũtatis diuinę eſt formaliter perfectus; at Spiritus ſanctus in eſſe ſuppoſitali vt ſic, nullam dicit perfectionem; ſecundò quia amor formaliter habetur per vim communicatiuam; at Spiritus ſanctus accipit eſſe ſuppoſitale per vim ſpiratiuam; tertiò, quia actus formalis potentiæ volitiuæ præciſè eſt formaliter amor; at Spiritus ſanctus ſuppoſitaliter non eſt actus formalis potentiæ volitiuæ; quartò, quia Spiritus ſanctus in ratione eſſentiali præciſè eſt formaliter amor, nam in ſola ratione eſſentiali rationem immenſitatis habet, igitur non in ratione ſuppoſitali.

d.10. q.vn. Franc. Lychetus reſp. quod ſicut Filius propriè dicitur notitia genita, ſiue verbum, quia exprimitur per modum intellectus, & dicitur notitia eſſentialis appropriatè tantum, ſic Spiritus ſanctus dicitur propriè amor Spiratus, & appropriatè amor eſſentialis, quia eſt per modum voluntatis, quæ eſt principium productiuum amoris ſpirati, & quaſi productiuum amoris eſſentialis.

Ioan. Vigerius reſp. quod Spiritus ſanctus propriè, & non appropriatè eſt dilectio, ſeu amor actualis, & hoc ex vi ſuæ productionis, nam vt dicit D. Aug. lib. 3. de Trinit. Deus eſt de Deo dilectio, & poſtea ſubiungit, Deus ergo Spiritus ſanctus, qui procedit ex Deo, ipſe dilectio eſt. d.10.

Franc. a Chriſto reſp. quod amor non eſt nomen proprium in diuinis; ſed appropriatũ tertiæ perſonæ, propter penuriam vocabulorum, quoniam procedit per modum voluntatis, & amoris, vnde non eſt duplex amor in diuinis eſſentialis .ſ. & notionalis, ſed vnus tantum, qui eſt eſſentialis, & hic eſt, qui appropriatur Spiritui ſancto. d.10. q.2.

Ludou. Mol. reſp. quod amor dicitur non ſolum actus voluntatis, quo formaliter diligimus, ſed etiam terminus, ſeu qualitas, quã diligendo producimus; ſic quoque in diuinis amor dicitur non ſolum actus voluntatis, quo perſonæ denominantur formaliter diligere, ſed etiam terminus a Patre, & Filio diligendo productus, qui eſt perſona Spiritus ſancti, æquiuocè tamen; amor ergo in hac ſecunda acceptione dicitur in diuinis perſonaliter, eſtque nomen proprium Spiritus ſancti. q.37. a.1.

Franc. Suarez reſp quod quamuis non colligamus expreſsè ex ſcripturis Spiritum ſanctum dici amorem, tamen ex vſu ſanctorum patrum, & Theologorum ſecundum propriam, & peculiarem notionem ſuam amor appellatur, & non ſolum per appropriationẽ nominis eſſentialis, ſed etiam per peculiarem illius vocis ſignificationem, & impoſitionem, ita vt vox illa vno modo ſit eſſentialis, alio modo perſonalis; & hoc duplex habet fundamentum, in modo .ſ. proceſſionis Spiritus ſancti; nam Spiritus ſanctus recipit omnia ea, quæ pertinent ad voluntatem in ſua productione; & in ipſa voce amor, nam vox amoris non ſolum ſignificat actionem, quæ interuenit in amando, ſed etiam terminum per illam actionem productum. de tr. li.11 c.1.

Franc. Zumel reſp. quod licet non ſit tam certum Spiritum ſanctum eſſe propriè amorem, ſicut eſt certum Filium eſſe verbum propriè; quia non eſt ita expreſſum in Concilijs, & in ſcripturis, ſicut de verbo ipſo, nihilominus certiſſimè dicendum eſt, quod Spiritus ſanctus eſt propriè amor, quoniam certiſſimũ eſt quod propriè producitur per voluntatem ad intra, per quam nihil producitur niſi amor. q.37.

Gabr.

Digitized by Google

137. Gabr. Vaſq. reſp. quod ideo nomen amoris appropriatur tertiæ perſonæ, cum tamen ex ſe ſit commune tribus diuinis perſonis, quia denotat operationem voluntatis, per quam procedit Spiritus ſanctus.

Reſolutio

RESpondeo, quod cum amor propriè, & formaliter ſit quędam inclinatio voluntatis amantis, in rem volitam, & amatam, atque in hac inclinatione ratio tota impleatur amoris, fruſtrà ponitur amor alius productus, & ſpiratus a tali voluntate amantis; & quoniam talis inclinatio non poteſt habere rationem per ſe ſtantis, ſeu ſubſiſtentis, neque etiam poteſt habere rationem perſonæ, quæ per ſe ſtat, & ſubſiſtit, ex quo cōſequens eſt, quod nulla perſona propriè, & formaliter dicatur amor in diuinis. Quod tamen aliquādo apud ſcriptores catholicos, & quandoque etiam in ſcripturis ſacris inuenitur dictum de ſingulis, hoc intelligendum eſt per quandam metonymiam, ſicut etiam dicitur ſpes, gaudiū, ſalus, vita, & huiuſmodi; quod ſi ſępius inuenitur dictum de Spiritu ſancto, & hoc ſimiliter intelligendum eſt, per quandā ſingularem appropriationem ſumptam ex eo, quod eius ſit proprium inuiſibiliter mitti ad ſanctificandū creaturam; quod fieri ſolet mediante quodā ſpeciali Dei amore erga illam, & econuerſo; & ſi additur aliquod notionale, vt dicendo Amor ſpiratus, Amor procedens, tanto magis ipſum præfert; non quod in ſenſu compoſito notificet modum eius ſingularem procedendi, quaſi quod in diuinis ſit amor ſpiratus, aut productus; nihil enim producitur, niſi quod per ſe ſubſiſtit, & relatiuè dicitur ad aliud, ſed in ſenſu diuiſo, vt ſi illa perſona ſit amor ſpiratus, quæ per quandam peculiarem appropriationem dicitur amor, & eſt ſpirata, quēadmodum, & Filius dicitur ſapientia genita, non quod in diuinis ſapientia dicatur generari, ſic enim inter ea, quæ eſſentiæ conueniūt, & perſonis, magna oriretur confuſio, ſed quia illa perſona, quæ ſecundum quandam appropriationem dicitur ſapientia, eſt etiam genita, & ideo dicitur ſapientia genita.

Sed ſi verbum propriè dicitur perſona Filij? ita autem eſt in diuinis voluntas, ſicut intellectus, per quem producitur.

Reſpondetur, quod non eſt eadem ratio de verbo, & de amore, nam verbum ſe habet per modum egredientis a dicente; amor vero per modum manentis in amante, cum amor ſit inclinatio, & motio eius in rem volitam, & amatam; vnde etiam conceſſo, quod verbum egrediens a dicente per intellectum paternū propriè dicatur perſona Filij, non tamen hoc idem ſequitur de amore, quia amor, cum non ſe habeat per modum egredientis, non poteſt habere rationem perfecti producti, nec ex conſequenti perſonæ Spiritus ſancti.

QVÆSITVM III.

An Spiritus ſanctus dicatur propriè nexus Patris, & Filij?

ALex. Alenſ. reſp. quod Spiritus ſanctus eſt nexus Patris, & Filij quadrupliciter, effectiuè, quia ei attribuitur effectus vnionis Dei ad nos; relatiuè, quia ipſe refertur ad Patrem, & Filium, ratione vnius relationis, quæ eſt communis ſpiratio, ſecundum quam eſt ab illis; oſtenſiuè, quia oſtendit vnam, & eādem ſubſtantiam eſſe Patris, & Filij, cum ſecundum eiuſdem vnitatē exeat ab eis; & quaſi formaliter, quia ipſe eſt amor Patris, & Filij. q. 43. m. 3. a. 3.

D. Thomas reſp. quod quia amor eſt nexus amantis, & amati, cum Spiritus ſanctus ſit amor Patris, & Filij, ſequitur etiam, quod ſit amborum nexus. d. 10. q. 1. a. 3.

D. Bonau. reſp. quod Spiritus ſanctus eſt nexus Patris, & Filij, tum quia communicant in Spiritu; tum etiam quia Spiritus ſanctus eſt amor, amor autem eſt propriiſſimè nexus. Item Ricardus. d. 10.

Ægidius reſp. quod quinque requiruntur ad rationem nexus; vnitas, puritas, primitas, reſpectu eorum, quæ connectuntur, cōſubſtātialitas, & diſtinctio; quoniam ergo Spiritus ſanctus eſt amor diuinus, cui competit primò, & maxime vniri, & eſt Patris, & Filij, qui ſunt perſonæ diſtinctæ, & eſt conſubſtantialis eis, idcirco eſt eorum nexus. q. 3.

Henricus reſp. quod propter differentiam rationis in amore mutuo, Pater & Filius, ſunt ſibi inuicē vinculo amoris connexi, & idcirco Spiritus ſanctus procedit ab ipſis, vt a connexis, & inquantum duorum affectus amoris incendio in vnum conflatur, vna .ſ. fœcunditate connexorum producendo ipſum Spiritū ſanctum, ipſe Spiritus ſanctus dicitur eſſe nexus amborum, & procedere vt nexus. ar. 54 q. 6.

Herueus reſp. quod aliqua poſſunt necti in aliquo dupliciter, vno modo, ſicut in eo, quod eis formaliter inhæret, & ſic Pater, & Filius vniuntur in amore eſſentiali, ſiue in eſſentia, licet propriè loquendo non ſit ibi inhærere; alio modo poſſunt aliqua vniri, vel necti in amore procedente ab eis, ita quod vniantur ſibi d. 10. q. 2.

Digitized by Google

ſibi ſicut amans amato, & ambo ſint mutuò amantes, & amati, & quoniam Pater, & Filius ſic ſe diligunt Spiritu ſancto, ita etiam nectuntur Spiritu ſancto.

d. 10. Thomas ab Argentina reſp. quod Spiritus ſanctus propriè dicitur nexus Patris, & Filij, quia eorum eſt perfectus amor, communio, & vnitas.

d. 12. q. 2. Guilel. Rub. reſp. quod Spiritus ſanctus dicitur, & vocatur a ſanctis, Patris, & Filij nexus, pro quanto a Patre, & Filio eſt productus, ſolus enim Spiritus ſanctus eſt, in cuius productione Pater, & Filius, connectuntur, & ideo quia cum ipſo producto idẽ eſſẽtialiter exiſtunt, appellatur eorum nexus.

q. 8. a. 3. Petrus Aliac. reſp. quod Spiritus ſanctus poteſt dici nexus Patris, & Filij ad iſtum ſenſum, quod .ſ. Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum, ſi autem aliter intelligatur, non videtur eſſe verum.

pr. 2 q. 2. Nicol. de Nijſe reſp. quod nexus conueniẽtiam importat, conuenientia autem in diuinis perſonis eſt duplex, eſſentialis, & hæc propriè non dicitur nexus, quia nexus eſt vnio conſequens diſtinctionem, eſſentia autem præcedit perſonarum diſtinctionẽ; & originalis, & hæc poteſt attendi dupliciter, vno modo in diuinis perſonis originatis ab vna, & hæc ſimiliter nõ propriè dicitur nexus, quia origo præcedit diſtinctionẽ perſonarum, alio modo in perſonis originantibus, ſiue producentibus vnam, vt Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum, & hæc conuenientia nominat vnionem, quæ conſequitur diſtinctionem, & ideo propriè dicitur nexus.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod Pater, & Filius dupliciter vniuntur, ſeu ſunt vnum, in eſſentia .ſ. & in ſpiratione actiua; cum itaque nexus propriè dicti ſit vnire, ſeu facere vnum & Spiritum ſanctum non vniat Patrem, & Filium in eſſentia, neque in ſpiratione actiua, quia Spiritus ſanctus eſt terminus per talem ſpirationem productus, ſequitur, quod non conueniat ei eſſe propriè nexus, & ſi quando dicitur eſſe nexus, vel aliquid aliud ſimile vt vnitas, & communio, hoc non eſt intelligendum, niſi ſecundum quandam appropriationem, non proprietatem, inquantum .ſ. eſt perſona, quæ ex vnione, & nexu duorum, ſcilicet Patris, & Filij, producitur.

Sed ſi in Patre, & Filio eſt verè nexus; quia verè nectuntur; & non eſt eſſentia, & non ſit aliud in diuinis præter eſſentiam, & perſonã?

Reſpondetur, quod nexus, qui eſt ratio vniendi Patrem, & Filium, in productione Spiritus ſancti eſt virtus ſpiratiua, quæ ſecundum rem non diſtinguitur a perſona Patris, & Filij, ex quo poteſt dici quod Pater, & Filius ſeipſis nectuntur in producendo Spiritum ſanctum.

DISTINCTIO VNDECIMA.

Hic dicẽdum eſt Spiritum ſanctũ a Patre eſſe, & Filio, & procedere a Patre, & Filio, &c.

QVÆSITVM I.

An Spiritus ſanctus procedat a Filio?

Gvilel. Antiſiod. reſp. & probat, quod Spiritus ſanctus procedit a Filio; primò, quia Pater ſummè diligit eum, & ideo dat ei, quod producat Spiritum ſanctum; ſecundò, quia Spiritus ſanctus procedit per modum liberalitatis; eadem autem eſt liberalitas Patris, & Filij; tertiò quia cum Spiritus ſanctus ſit amor, & Filius amans, amor procedit ab amante. C. 2. p. 4.

Alex. reſp. quod Spiritus ſanctus procedit a Filio, quia amor procedit ab amante, & quia etiã, vt videmus in anima noſtra, quæ eſt imago trinitatis, amor procedit a notitia, quæ Filium repreſentat; & quia ſi non procederet ab eo, nulla eſſet habitudo originis inter eos, nec ex conſequenti ſumma germanitas, vnio, & connexio, quod eſt inconueniens. q. 43. m. 4.

D. Thomas reſp. quod remoto quod Spiritus ſanctus non procedat a Filio, ineuitabiliter remouetur diſtinctio eius, ab eo; diuinæ enim perſonæ non diſtinguuntur niſi per relationes, & non per quaſcunque, ſed per relationes originis, quæ ſunt relationes oppoſitæ. Item Spiritus ſanctus procedit, vt amor; ſed amor procedit a verbo, quia nihil amamus, niſi quod mente concipimus; ergo Spiritus Sanctus procedit a Filio, qui eſt verbum; tertiò. Nunquam ab vno plura procedunt ſine ordine, niſi tantum in illis, quæ materialiter differunt, ſi ergo ab vna perſona Patris producuntur duæ perſonæ, Filius .ſ. & Spiritus ſanctus, oportet eſſe aliquem ordinem eorum ad inuicem, ſed nullus alius ordo poteſt aſſignari, niſi quo vnus eſt ab alio; ergo Spiritus ſanctus eſt a Filio. d. 11. a. 1. p. p. q. 36. a. 2.

D. Bonau. reſp. quod ideo Spiritus ſanctus procedit a Filio, quia procedit, vt donum, quod ab eo nobis donatur; ſecundò, quia procedit vt nexus, nexus aũt ille eſt perfectior, qui ab vtroque extremo procedit, quam qui d. 11. q. 1.

ab altero tantum; tertiò, quia eſt perfecta imago Patris.

d.11. q.1. Ægidius reſp. quod Pater generando Filium ei communicat omnia, præter id, in quo habet aliquam oppoſitionem cum eo; ſed in productione Spiritus ſancti nullam talem oppoſitionem habet cum eo, ergo communicat ei, vt producat Spiritum ſanctum. Hoc item probat per rationem ducentem ad impoſſibile ſic: ſi Filius non produceret Spiritum ſanctum generaretur ab eo, quod eſt impoſſibile; probatur conſequentia, quia tunc nec per intelligere diſtingueretur à Patre, nec intellectus eſſet aliquo modo ratio emanationis eius, quapropter communicaretur ei a Patre, & quoniã per ipſum generat Pater Filiũ, eundem quoque Spiritus ſanctus generaret.

a.14. q.6. Henricus reſp. quod ab eodem principio per omnimodam æqualitatem abſque omni ordine, impoſſibile eſt plura procedere; hoc enim non contingit, niſi in differentibus materialiter, & ſolo numero, quemadmodum vnus faber plures producit cultellos, nec vnum mediante altero; cum itaque Filius, & Spiritus ſanctus procedant a Patre, tanquam ab vno principio, neceſſe eſt, vt aliquo ordine inter ſe, & ſuas emanationes, procedant; ſed cum Filius procedat per modum naturæ, quia talis proceſſio non præſupponit proceſſionem Spiritus ſancti, non procedit a Spiritu ſancto; ergo econuerſò Spiritus ſanctus procedit ab eo.

d.11. q.1. Ioan. Scotus reſp. & probat Spiritum ſanctum procedere a Filio, hac ratione. Habens principium perfectum productiuũ prius quã intelligatur habere productũ, poteſt illo principio producere, quando .ſ. principium eſt ita perfectum, quod non dependet a paſſiuo, nec poteſt per aliquid impediri; ſed Filius habet voluntatem, quæ eſt principium amoris adæquati, & habet eam, vt præintelligitur producto actu voluntatis, quia in illo priori, quo generatio eſt prior ſpiratione, habet omnem perfectionem, quæ ſibi non repugnat; ergo poteſt ea producere, & ex conſequenti producit. Item Nicolaus de Nijſe.

d.11. q.1. Herueus reſp. quod de ratione Spiritus ſãcti eſt, vt a Filio procedat; primò, quia productio eius eſt per modum voluntatis, quæ præſupponit productionem per intellectum, quæ eſt productio Filij, vnde quod producitur per voluntatem neceſſariò producitur etiam ab eo, quod producitur per intellectum; ſecundò, quia Spiritus ſanctus non immediatè producitur a Patre, alioquin eſſet genitus; ergo mediatè, quod eſt produci etiam a genito, ſeu a Filio.

Ioann. de Neap. reſp. quod amor eſt aliquid procedens a notitia, vnde cum Spiritus ſanctus ſit amor, & Filius notitia, ſequitur quod Spiritus ſanctus procedat a Filio. Item Nicolaus de Nijſe, quod etiam confirmat illa ratione communi; quod .ſ. eandem potentiam productiuam Spiritus ſancti, quam habet Pater, communicat Filio, vt nondum habentem terminum adæquatum. q.13.

Petrus Aur. reſp. quod non eſt alia ratio, quæ videatur concludere Spiritum ſanctum procedere a Filio, niſi quia verbum ex natura ſua videtur habere duplicem habitudinẽ, & virtutem ſuper ſpiritum, terminatiuam .ſ. & productiuam; terminatiuam, quia cum formatur verbum de re aliqua, Spiritus emittitur verſus illam, & ita ad illam ſic poſitam in eſſe conſpicuo, & formato procedit, & terminat; productiuam verò, quia cum formatur verbum ab aliquo de ſe ipſo omnia ſunt vnum, præter formare, & formari; verbum ergo cum formatur a Patre de ſeipſo, omne illud habet, quod Pater, præter formare; ergo & impellere ſpiritum, quod eſt producere Spiritum ſanctum. d.11.

Franciſcus Maro. reſp. & ex multis deducit quod Spiritus ſanctus procedit a Filio, ex ſumma .ſ. germanitate; ex ſumma identitate virtutis productiuæ Patris, & Filij; ex ſumma æqualitate; ex ſumma fæcunditate; & ex ſumma diuinarum perſonarum charitate. d.11. q.1.

Guilel. Occham reſp. quod quicquid competit Patri, eſt cuilibet alteri perſonæ attribuendum, niſi contrarium ſit expreſſum in ſacra ſcriptura, vel euidenter ſequatur ex premiſſis in ſcriptura expreſſis, vel per ſe, vel mediantibus propoſitionibus per ſe notis, vel ſit ab Eccleſia determinatum; & hoc propter earum vnitatem, ſimplicitatem, & indiuiſibilitatem; cum itaque Spiritus ſanctus procedat a Patre, nec aliquo prædictorum modorum inueniatur, quod non procedat a Filio; igitur ſufficienter concluditur, quod Spiritus ſanctus procedat a Filio; licet non ſufficienter contra Græcos, ſi vellent proteruire. Item Gabriel Biel. d.11. q.1.

Thomas ab Arg. reſp. quod Spiritus ſanctus a Filio procedit, quia Pater communicat Filio omne illud, quod Filio non repugnat, alioquin ſi Filius non haberet omnia, quæ ſibi non repugnant eſſet imperfectus; ſed ſpirare non repugnat Filio, quia non ratione eſſentiæ, ſic enim repugnaret etiam Patri, nec ratione filiationis, cum nullam habeat oppoſitionem ad eum, ergo Pater communicat d.11. q.1.

Fi-

Digitized by Google

Filio ſpirare Spiritum ſanctum.

d.11. q. 1. Gerardus reſp. quod ſi Spiritus ſanctus nõ procederet a Filio ſequeretur, quod non cognoſceret Filium immediatè, nec cognoſceretur a Filio, quod eſt falſum; probatur conſequentia, quia ſemper inter cognoſcens, & cognitum eſt aliqua habitudo, omnis autem habitudo, quæ eſt inter diuinas perſonas oportet quod ſit in ratione dantis, vel accipientis, cum nulla alia habitudo poſſit ibi eſſe realis, ſed ſi Spiritus ſanctus non procederet a Filio nulla eſſet habitudo talis; igitur neque cognitio.

q. 11. Guilel. Rub. reſp. quod apud catholicos eſt certa concluſio in ſe, quod Spiritus ſanctus non ſolum procedit a Patre, ſed etiam a Filio, nec circa eam oportet inſiſtere, cum ſit euidens, cum ex ſanctorum doctrina, cum etiam ex Eccleſiæ, cuius auctoritate eſt iam determinata, vt articulus fidei; non tamen contra Græcos poteſt probari aliqua ratione naturali, quæ conuincat, & ſi aliquæ adducuntur, poſſunt ſolui.

d.11. Michael de Bon. probat dupliciter Spiritum ſanctũ perſonaliter a Filio procedere; primò, quia Pater communicat Filio quicquid Filio non repugnat inquantum Filius eſt; ſecundò, quia ſi Spiritui ſancto repugnat generare, hoc non eſt, niſi quia producitur a genito; non enim repugnat ſibi, eo quod productus eſt, quia productio non repugnat productioni.

q. 8. a. 1. Petrus Aliacen. reſp. quod aliqui nituntur iſtam concluſionem probare, ſed ſimpliciter hoc per rationem concludi non poteſt, imò omnes rationes, quę ad hoc probandum fiũt, poſſunt faciliter ſolui. Sola ergo auctoritate fidei, & determinatione Eccleſiæ tenendum eſt; Spiritum ſanctum a Patre, & Filio procedere.

d.11. q. vn. Ioannes de Baſſ. reſp. quod Spiritus ſanctus procedit a Filio; & vltra rationem principalem Scoti, has duas alteras adducit; quia ſcilicet, in Patre ſunt principia productiua perfectè ſufficientia ad generãdum, & ad ſpirandum, & ordinata in eſſe; & quia Pater, & Filius, cum habeant ante productionẽ Spiritus ſancti principium ſpirandi, ſpirant, ſicut cum habeant ante creaturam principium creandi, creant.

d.11. Ioan. Maior ex multis auctoritatibus ſacræ ſcripturæ, D. Aug. & ex determinatione Eccleſiæ in de ſum. Trin. & fide cath. lib. 6. deducit eſſe articulum fidei Spiritum ſanctum a Filio procedere.

d.11. Ioan. a Celaia reſp. quod Spiritus ſanctus procedit, vt amor, procedit vt nexus, mittitur a Filio, & aliquid accipit ab eo, quoniam autem quicquid eſt in Spiritu ſancto eſt ſuum eſſe conſequens eſt, vt accipiat eſſe.

Franc. a Chriſto reſp. quod nedum propter auctoritatem ſcripturarum, ſed etiã propter rationes debemus aſſerere Spiritum ſanctum a Filio procedere; prima eſt, quia inter Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum eſt ordo; ſecunda, quia Pater communicat Filio quicquid habet; tertia, quia Spiritus ſanctus procedit a Patre per Filium, quod etiam concedunt Græci. d.11.

Guilel. Eſtius reſp. & triplici rõne probat, quod Spiritus ſanctus procedit a Filio; prima, quia perſonæ diſtinguũtur per relationes oppoſitas reales, quæ non ſunt niſi originis; ſecunda, quia quæ procedunt in diuinis habent ordinem, qui ordo non eſt niſi originis; tertia, quia Spiritus ſanctus procedit vt amor, amor autem non procedit a mente, niſi per verbum. d.11.

Ludou. Mol reſp. quod propterea dicendũ eſt Spiritum ſanctum a Filio procedere; primò, quia mittitur ab eo; ſecundò, quia ab eodem accipit eſſe; tertiò, quia dicitur Spiritus Filij, ſicut & Patris; quartò, quia eſt de ſubſtantia Patris, & Filij; quintò, quia Pater in illo priori quo generat Filium, communicat ei quicquid ei non repugnat, nec ordini diuinarum perſonarum. a. 2. diſp. 1

Reſolutio.

Reſpondeo, quod in omnibus locis ſacræ ſcripturæ, in quibus dicitur Spiritus sãctus procedere a Patre, & ex quibus ſumitur argumentum ſuæ proceſſionis æternæ, ſemper ferè ſubnectitur proceſſio temporalis, quaſi proprius eius effectus, ſecundum quem mittitur ad ſanctificandam creaturam; ſicut ſpecialiter habetur in Euang. D. Ioan. c. 14. 15. & 16. Cum itaque Spiritus ſanctus temporaliter procedat a Filio, quia mittitur ab eo, conſequens etiam eſt dicere, quod ab illo æternaliter procedit; Ratio autem quare procedat, quamuis ſit inexcogitabilis, quia hoc pertinet ad eius eſſe diuinum, poteſt tamen deduci ſic, ex his quæ ſunt propria vtrique Filio .ſ. & Spiritui ſancto; quia enim Filius, omnia communicat ei Pater, quæ nullam repugnantiam dicunt; & quia Spiritus, a quolibet Spiritum habente debet procedere.

Sed ſi in ſcriptura ſacra non exprimitur, quod Spiritus ſanctus procedat a Filio; nihil autem liceat dicere de ſubſtantiali diuinitate (vt dicit D. Dyon.) præter ea, quæ diuinitus nobis ex ſacris eloquijs ſunt expreſſa? Obiectio.

Reſpondetur, quod ſatis ex ſcriptura conſtat

Digitized by Google

ſtat Spiritum ſanctum a Filio procedere, cum illud aſſerat ex quo probatur, & nihil promat vnde negetur. Ita Alex. D. Thomas Ægidius, & alij.

QVÆSITVM II.

An ſit de intrinſeca ratione Filij producere Spiritum ſanctum?

ar. 54 q. 6. HEnricus reſp. quod ſpirare non eſt de ratione Filij, ſed extra ſignificatum eius, & quaſi conſtitutiua perſonæ, non ſpirare enim non negat natiuitatem Filij, niſi per quandam conſequentiam.

d. 10. q. 1. Herueus reſp. quod ſpiratio concurrit ad conſtitutionem perſonæ Filij cum eſſentia; ſicut enim (inquit D. Anſelm.) collectio plurium accidentium, ſiue proprietatum, quæ ita inuenitur in vno, quod non in alio, conſtituit indiuiduum; ita collectio plurium proprietatum, vt paternitatis, & ſpirationis actiuæ in Patre, & filiationis, & ſpirationis actiuæ in Filio conſtituit has perſonas in eſſe indiuiduali, & incommunicabili:

d. 11. q. 3. Petrus Aureolus reſp. quod ſpirare Spiritum ſanctum eſt de intrinſeca ratione Filij; primò, quia concurrit cum eſſentia, & filiatione ad conſtituendam perſonam Filij, cum enim non ponat in numerum cum eſſentia, & filiatione fundat eandem vnitatem cum eis, & conſequenter eandem perſonalitatem; ſecundò, quia actiua ſpiratio non aſſiſtit perſonæ, nulla enim eſt relatio aſſiſtens; tertiò, quia Filius ſine ipſo ſpirare non eſt per ſe vnus ſingularis, & diſcretus, alioquin res importata per ſpirare non prædicaretur de ipſo niſi denominatiuè; quartò, quia communicatur ei a Patre, ſicut eſſentia.

d. 11. q. 4. Franciſcus Maro reſp. quod ex ſe, & intrinſecè repugnat ſpirationi actiuè conſtituere perſonam, & nullam de ſe habere vim conſtitutiuam, & hoc habet de ſua ratione formali, nec alia ratio aſſignari poteſt, niſi quia ſpiratio eſt.

d. 11. q. 2. a. 2. Gerardus reſpondet, quod aliquid eſſe de intrinſeca ratione alicuius dicitur tribus modis, vel quia neceſſariò conſequitur ipſum etiamſi non conſtituat, vel quia habet eandem realitatem cum eo, ita vt non ponat in numerum cum eo, quamu's ratio vnius, ſit extra rationem alterius; vel quia competit ſibi ſicut proprium, & eſſentiale conſtitutiuum includens communia, & eſſentialia prædicata, vt rationale ipſi homini; primò itaque, & ſecundo modo ſpiratio actiua eſt de intrinſeca ratione Filij, non tertio; tum quia aduenit ei poſt ſuum eſſe conſtitutum; tum etiam, quia ſic ſequentur, quod ſpiratio actiua præcederet generationem, & etiam quod, vel ipſe Filius non eſſet ſuppoſitum relatiuum, vel duo eſſet ſuppoſita relatiua; aut enim ſpiratio, & filiatio concurrerent, vt vna res cum eſſentia, & ſic non conſtituerent, aut vt duæ res, & ſic diſtinguerent.

d. 12. q. 1. Ioannes Bacc. reſp. quod ſpiratio actiua non pertinet ad cõſtitutionẽ Filij, & hoc probat quadrupliciter; primò, productio prima quæ eſt per modum naturę excludit ſecundã, quæ eſt per moduum amoris, cum itaque Filius ſit terminus correſpondens productioni primæ, ad eius conſtitutionem non pertinet ſecunda; ſecundò, quia ſpiratio actiua non pertinet ad conſtitutionem Patris, alioquin cum ratio exigat perſonam Filij, non eſſet ipſe perſona prima; ergo nec ad perſonam Filij: tertiò, quia ſpiratio aduenit Patri, & Filio iam perſonaliter conſtitutis, alioquin paternitas, & filiatio eſſent entia imperfecta in eis; quartò, quia poſito quod Filius non ſpiret, quod tamen generetur, adhuc erit Filius, quia generatur, & producitur per ſe; ergo ſpiratio non pertinet ad eius conſtitutionem.

Reſolutio.

REſpondeo, quod Filius eſt ſecunda perſona in diuinis, cui formaliter, & perſonaliter competit eſſe, non per generari tantum, ſed per generari ſimul, & ſpirare, etſi per generari tantum propter defectum nominum dicitur Filius, vnde ſi diffiniri poſſet, ita diffiniendus eſſet. Filius eſt perſona genita ſpirans; ſicut ergo eſt de intrinſeca ratione eius inquantum eſt Filius, generari, quia ſic habet relationem ad Patrem, & non inquantum ſpirans, quia ſic nullam habet relationem ad eum, ita eſt de intrinſeca ratione eius, inquantum ſpirans producere Spiritum ſanctũ, quia ſic habet relationem ad eum, & non inquantum Filius.

Sed ſi quod aduenit alicui, & non conſtituit, aduenit ei, vt aliquid extraneum, faciens compoſitionem cum eo? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod ſpirare Spiritum ſanctum non aduenit Filio tanquam conſtituto in eſſe perſonæ Filij, ſed dicitur conuenire ei, ſicut generari, ex quo perſona huiuſmodi, & genita eſt, & ſpirans, & vna eadem eſt, quæ Filius eſt, & ſpirans.

Digitized by Google

QVAESITVM III.

An congruè quæri poſſit; ſi Spiritus ſanctus non procederet a Filio, diſtingueretur ab eo?

d. 11. q. 2. IOannes Scotus reſp. quod mouetur iſta quæſtio ad inquirendum quid ſit principium diſtinctiuum reale Filij a Spiritu ſancto. Vtrum .ſ. filiatio, an ſola ſpiratio actiua; quod autem id non incongruè fiat, probat; primò, quia iſta quæſtio non includit niſi vnam contradictoriam conſequentia eſſentiali, ſpiratio enim quamuis neceſſariò conueniat filio, non eſt tamen de per ſe intellectu eius, vnde non ſequitur niſi conſequentia accidentali, quod non ſit Filius, ſi non ſpirat; ſecundò, quia ſenſus huius quæſtionis eſt. An .ſ. circumſcripta ſpiratione a filio ſit aliud prędicatum non circumſcriptum, per quod Spiritus ſanctus diſtinguatur ab eo, hoc autem non eſt inconueniens quærere; tertiò, quia eſt quæſtio de quadam conditionali, quæ eſt; ſi Spiritus ſanctus non procedit a Filio, an ſequatur ipſum non diſtingui ab eo, quarum ſimiles reperiuntur etiam apud grauiſſimos doctores; vt apud D. Aug. 4. de Trin. c. 6. Ricard. 4. de Trin. c. 16. & Ariſt. 4. Phyſ. Item Gerardus.

d. 11. a. 2. Petrus Aur. reſp. quod iſta quæſtio eſt dubitabilis, & diſputabilis, quia formatur de propoſitione hypothetica, cuius cathegorica æquipollens eſt dubitabilis, & ſub inquiſitione cadens; eſt autem hæc cathegorica, Vtrum diſtinguatur Filius a Spiritu ſancto per ſolam filiationem, aut per ſolam ſpirationem, ſi enim diſtinguitur per ſolam filiationem, etiam ſi ab eo Spiritus ſanctus non procederet, diſtingueretur; ſi verò per ſolam ſpirationem, nequaquam.

d. 33. q. 6. Adam Godam reſp. quod hæc quæſtio duo intendit; vnum, an propter hoc, quod Filius eſt ſpiratio actiua realiter diſtinguatur a Spiritu ſancto, ſicut producens a producto; ſecundum eſt propter Græcos, an ſuppoſita diſtinctione perſonali, & identitate eſſentiali trium perſonarum poſſit inferri, quod in conſequentia formali & euidenti, Spiritus ſanctus procedat a Filio; ac proinde congrua eſt, & rationalis.

d. 11. q. 2. Thomas ab Argentina reſp. quod ideo eſt hæc quęſtio rationabilis; primo, quia ſuppoſito quod Spiritus ſanctus non procederet a Filio, hoc non eſt tollere rationem Spiritus ſancti, cùm Spiritus ſanctus perfectè procedat a Patre, dato quod Pater habeat vim ſpiratiuam; ſecundò, quia formatur de propoſitione hypothetica, cuius cathegorica eſt dubitabilis, materiæ; eſt enim propoſitio dubitabilis; Vtrum Filius diſtinguatur a Spiritu ſancto generatione paſſiua, an ſola ſpiratione actiua.

Ioan. Bacconus reſp. quod iſta quęſtio non eſt irrationabilis quaſi includens incompoſſibilia, tunc enim includeret incompoſſibilia ſi attenderetur ad eſſe, quod modo perſonæ diuinæ habent, ſed attenditur ad eſſentiam virtutis ſpiratiuæ: & dato quod includeret incompoſſibilia, medium tamen, quod implicatur eſt verum, & eſt quod duo effectus, qui procedunt a duobus principijs elicitiuis poſſint diſtingui inter ſe; præterquam quod ſupponitur eſſe rei, de qua quæritur; ſupponitur enim Spiritum ſanctum emanare a Patre, & per conſequens ſupponitur eius eſſe. d. 13. q. 1.

Ioannes de Baſſ. reſp. quod iſta quæſtio eſt rationabilis, & bona, & in ipſa poſſunt leges diſputantium ſeruari, & eſt poſſibilis; tum quia ex primo intellectu terminorum non includit contradictoria, quia ſpirare non eſt de primo intellectu Filij; tum quia ſpirare non conuenit Filio ab intrinſeco, vnde poteſt ſupponi non ſpirare, tum etiam quia ſi aliquid incluſum eſſentialiter in aliquo, quod non eſt cauſa alicuius prædicati remoueatur ab alio, & quæratur, an illo amoto conueniat ſibi illud prædicatum, eſt rationalis quæſtio, quia remanet illud, ratione cuius ſibi intrat prædicatum in intellectum diſputantium, vnde altera pars determinatè eſt dicenda ad talem quæſtionem. d. 11. a. 3.

Gabriel Vaſq. reſp. quod hæc quæſtio eſt vtilis ad hoc, vt intelligamus, quæ ſit formalis ratio, & cauſa neceſſaria diſtinctionis inter Filium, & Spiritum ſanctum; vtrum ſpiratio actiua, an filiatio? diſp. 147 c. 1.

Reſolutio.

REſpondeo, quod tunc congruè aliquid quærimus, quando cauſam quærimus, quærimus autem, vt ſciamus, & tunc ſcimus, quando cauſam cognoſcimus, propter quam res eſt, & non contingit aliter ſe habere, ad quam inueſtigandam ſaltem per modum illationis, vt plurimum vtimur ſyllogiſmo ducente ad impoſſibile, cuius antecedens eſt propoſitio hypothetica ſimilis huic, ſi Spiritus ſanctus non procederet a Filio, non diſtingueretur ab eo, ſi enim eſt vera propoſitio tunc inferimus Spiritum ſanctum procedere a Filio per diſtinctionem eius ab eo, tanquam per effectum ſuam cauſam, quod eſt id, quod principaliter intenditur in hoc quæſito.

Sed

Digitized by Google

Obiectio. Sed ſi omnis quæſtio congrua eſt de eo, quod eſt? nihil enim quæritur de eo, quod non eſt; & ſi Spiritus ſanctus non procederet a Filio, non eſſet.

Reſpondetur, quod omnis quæſtio congrue eſt de eo, quod eſt, vel ſaltem ſupponitur eſſe ſecundum intellectum, etiam ſi non ſit ſecundum rem, & ſic in propoſito quæritur de diſtinctione Spiritus ſancti a Filio, ſuppoſito, quod vterque ſit.

QVÆSITVM IV.

An Spiritus ſanctus diſtingueretur a Filio, ſi non procederet ab eo?

q.36. a.2. D. Thomas reſp. quod nulla eſt diſtinctio realis inter diuinas perſonas niſi per relationes, eaſque oppoſitas, quales ſunt originis; non enim eſt diſtinctio per abſoluta, quia in abſolutis perſonæ ſunt ſimpliciter vnum, neque per relationes non oppoſitas, quales ſunt diſparatæ, quia in Patre ſunt plures huius generis relationes, & tamen non eſt niſi vna perſona, cum itaque ſpiratio actiua in Filio opponatur ſpirationi paſſiuæ; propter hoc ſequitur, quod ſola ſpiratio actiua in Filio ea eſt, quæ ipſum perſonaliter diſtinguit a Spiritu ſancto, ex quo, ſi non ſpiraret, non diſtinguerentur ab inuicem.

Q.4 q.4. a.7. Et iterum reſp. quod Filius ſua filiatione diſtinguitur quidem a Patre ſecundum oppoſitionem relatiuam filiationis ad paternitatē, ſed a Spiritu ſancto diſtinguitur filiatione per hoc, quod Spiritus ſanctus non habet filiationem, quam Filius habet.

d.11. q.3. Ægidius reſp. quod perſonæ diuinæ diſtinguuntur per ſolas relationes, non enim diſtinguuntur, ſecundum quod ſunt aliquid, ſed ſecundum quod ſunt ad aliquid, vt dicit D. Auguſtinus; ergo diſtinguuntur, vel per relationes ſimiles, vel per diſparatas, vel per oppoſitas; non per ſimiles, quia non plurificantur, nec tales relationes diſtinguunt; non per diſparatas, quia relationes diſparatæ diſtinguunt ſecundum eſſe, quod eſt vnicum in diuinis; ergo diſtinguuntur per relationes oppoſitas, quæ ſunt ſpiratio actiua in Filio, & paſſiua in Spiritu ſancto; ſi ergo Filius diſtinguitur a Spiritu ſancto, ſola ſpiratione actiua diſtinguitur. Item. Relatio in diuinis, aut diſtinguit ſecundum quiditatem, aut ſecundum eſſe, non ſecundum eſſe, quia ſic tranſit in diuinam ſubſtantiam; igitur ſecundum quiditatem; ſed quoniam quiditatem tantum reſpicit oppoſitum; ergo tantum diſtinguit ab oppoſito; ſed Filius non opponitur Spiritui ſancto, niſi per ſpirationem actiuam; ergo per ſolam ſpirationem actiuam diſtinguitur ab eo; & ita ſi non produceret, non diſtingueretur.

Q.1 q.6. Et iterum reſp. quod in diuinis non eſt diſtinctio ſecundum eſſe, ſed tantum ſecundum referri, quia cum eſſe diuinum in quo referatur omne eſſe, communicetur cuilibet perſonæ diuinæ, quantum ad eſſe, non poteſt eſſe diſtinctio inter eas.

d.11. q.2. Ricardus reſp. quod cum de hoc quæſito ſint duæ contrariæ ſententiæ vna affirmans, & altera negans, melior eſt iſta, quam illa, quia illa fundatur ſuper diſtinctionem rationis, quæ eſt inter naturam, & voluntatem, quaſi quod ipſa ſit ſufficiens ratio diſtinctionis inter Filium, & Spiritum ſanctum, etiam ſi Spiritus ſanctus non procederet a Filio, quod eſt falſum.

a.54. q.9. Henricus reſp. quod ad diſtinctionem perſonarum ſufficiūt relationes diſparatæ, ſi enim Filius, & Spiritus ſanctus per tales relationes non diſtinguerentur; ergo ea ratione, qua Spiritus ſanctus procedit alio modo a Patre, quam ab eodem procedat Filius, non diſtingueretur Spiritus ſanctus a Filio, quod eſt falſum, ſic enim nec emanatio, qua Spiritus ſanctus procedit a Patre diſtingueretur ab emanatione, qua procedit Filius, & ſic Filius, & Spiritus ſanctus inquantum procedunt a Patre, non eſſent diſtinctæ perſonæ; ſed vna.

d.11. q.2. Ioan. Scotus reſp. quod dato etiam per impoſſibile, quod Spiritus ſanctus non procederet a Filio, adhuc Filius perſonaliter diſtingueretur ab eo; primò, quia vnumquodque diſtinguitur per illud a quocunque alio, per quod conſtituitur in eſſe, eadem enim ſunt principia conſtituendi, & diſtinguendi; per filiationem autem Filius conſtituitur in eſſe perſonali; ſecundò, quia Filius, & Spiritus ſanctus habent diſtincta principia, & diſtinctas emanationes; vnius enim eſt generatio, & alterius ſpiratio; quæ autem habent diſtincta principia, & diſtinctas emanationes, quocunque alio circumſcripto ad inuicem diſtinguuntur. Item Nicolaus de Nijſe, & Guilelmus Varrill.

d.11. q.1. Herueus reſp. quod in diuinis nulla eſſet perſona ſpirata diſtincta ab alijs, ſi Spiritus ſanctus non procederet a Filio; primò, quia eſt de ratione ſpirati, vt procedat a genito, nam de ratione eius, quod procedit per modum voluntatis eſt, vt procedat a duobus, & præexigat productionem intellectus, ſecundum quam procedit Filius; ſecundò, quia

eſt de ratione Spiritus ſancti, vt non immediatè procedat a Patre, alioquin eſſet genitus, ſed mediatè, quod eſt produci etiam a Filio.

d.11. q.2. Durandus reſp. quod ſicut ſe habet Pater ad Filium, ita ſe habet Filius ad Spiritum ſanctum, ſed vt dicit D. Aug. 6. de Trin. cap. 1. Pater non diſtinguitur a Filio, niſi quia refertur ad eum; ergo nec Filius diſtinguitur a Spiritu ſancto, niſi referatur ad eum, ſed non refertur niſi ſpirando; ergo ſi non ſpiraret, non diſtingueretur.

d.11. q.2. Thomas Anglicus reſp. quod Spiritum ſanctum non procedere a Filio includit oppoſita, & ideo ſequuntur oppoſita, nam de ratione ſpirati eſt procedere a duobus, vel ab vno producto, & ideo ſi Spiritus ſanctus non procederet, ſequitur, quod diſtingueretur a Filio, quia ſi eſt ſpiratus eſt a duobus, Filius autem eſt ab vno, ſimiliter ſequitur quod non diſtingueretur a Filio, quia ſi non procedit a Filio, non procedit a duobus, ſed ab vno tantum.

q.13. Ioan. de Neap. reſp. quod relationes oppoſitæ diſtinguunt ſecundum ſeipſas, diſparatæ verò ſecundum fundamenta tantum, vbi itaque eſt fundamentum idem numero, & æquè perfectum in producto, ſicut in producente, relationes diſparatæ non magis poſſunt diſtinguere realiter productum, quam producens; ſed eſſentia diuina, quæ eſt fundamentum æquè perfecte eſt in Filio, & Spiritu ſancto; ergo ſi relationes diſparatæ .ſ. paternitas, & communis ſpiratio perſonam Patris non diſtinguunt realiter, nec aliæ relationes diſparatæ illis per oppoſitum reſpondentes .ſ. filiatio, & proceſſio diſtinguere poterunt realiter perſonas Filij, & Spiritus ſancti: Solæ itaque relationes oppoſitæ diſtinguunt; & quæ ſunt originis, & propterea ſi Spiritus ſanctus non opponeretur filio ſecundum originem, non diſtingueretur ab eo.

d.11. q.3. Petrus Aur. reſp. & dicit duo; primum, quod ſi Filius non produceret Spiritum ſanctum manente Spiritu ſancto, ipſe deſineret eſſe perſona, & conſequenter non diſtingueretur perſonaliter ab eo; quandocũque enim aufertur ab aliquo illud, quod eſt de intrinſeca ratione ſuæ perſonæ, aufertur etiam perſona, & eius diſtinctio perſonalis a quocumque alio; eſt autem ſpirare (ſicut dictum eſt) de intrinſeca ratione Filij, & non Spiritus ſancti; ſecundum, quod ſi Filius non ſpiraret Spiritum ſanctum, adhuc tamen remaneret aliquid in Filio diſtinctum a Spiritu ſancto; quia .ſ. hoc dato adhuc remaneret generari in diuinis; ſed non in Spiritu ſancto quia generari, & ſpirari ſunt ex ſuis rationibus formalibus incompoſſibilia eidem; ergo in Filio.

d.11. q.2. Franc. Maro reſp. quod remota ſpiratione actiua a Filio, adhuc remaneret diſtinctio eius a Spiritu ſancto; primò, quia ſpiratio actiua eſt poſterior ipſo Filio; ſecundò, quia non eſt de ratione Filij, nec Spiritus ſancti; tertiò, quia tam Filiatio, quam ſpiratio ponũt effectum ſuum formalem etiam circa ſuppoſitum; quartò, quia ſicut Filius conſtituitur per generationem paſſiuam, & Spiritus ſãctus per ſpirationem, ita eiſdem diſtinguuntur.

d.11. q.2. Guilel. Occham reſp. quod præter ſpirationem actiuam in Filio, eſt filiatio, quæ ſufficienter ipſum diſtingueret a Spiritu ſancto, dato quod non ſpiraret, quod probat ſic. Filiatio realiter diſtinguitur a ſpiratione paſſiua; ergo ipſa poſita, & quocumque alio circumſcripto ſequitur, quod conſtitutum ex ea, & conſtitutum ex ſpiratione paſſiua diſtinguuntur realiter.

d.33. q.6. Adam Godam reſp. quod Filius non ſolum realiter diſtinguitur a Spiritu ſancto ex hoc quod ſpirat eum, ſiue ex hoc quod eſt ſpiratio actiua, quæ eſt duæ perſonæ ſimul, ſcilicet Pater, & Filius, & quælibet ſigillatim, ſed etiam diſtinguitur per hoc, quod eſt filiatio, hæc enim eſt proprium diſtinctiuum Filij à Spiritu ſancto.

d.11. q.2. Thomas ab Argentina reſp. & probat multipliciter, quod ſi Spiritus ſanctus non procederet a Filio, non diſtingueretur ab eo; primò, quia omnis diſtinctio in diuinis eſt per relationes oppoſitas; ſecundò, quia ſicut generatio actiua, & ſpiratio actiua in Patre dicunt eandem rem, ita quantum eſt de ſe, & generatio paſſiua, & ſpiratio; tertiò, quia ſicut ſpiratio actiua præſupponit generationem actiuam, ita ſpiratio paſſiua generationem paſſiuam; quartò, quia intellectus & voluntas non ſufficiunt ad diſtinctionem realem, cum differant ſecundum rationem tantum in diuinis; quintò, quia ſi Filius filiatione diſtinguitur a Spiritu ſancto, ergo etiam filiatione refertur, quod eſt falſum.

q.2. a.3. Gerardus reſp. quod ſi Spiritus ſanctus diſtingueretur à Filio, & non procederet ab eo, ſequerentur quatuor inconuenientia: primum, quod haberet ordinem conſimilem ad Patrem ſpirantem, & ad Filium non ſpirantem, per eandem enim relationem diſtingueretur ab vtroque; ſecundum, quod Filius diſtingueretur a Spiritu ſancto per filiationem principalius, quam per ſpirationem actiuam; tertium, quod non eſſet de intrinſeca ratione Spiritus ſancti ſpirari a Filio; quartum, quod proceſ-

ceſſus D. Anſelmi eſſet vanus, qui probat Spiritum ſanctum procedere a Filio, quia vna perſona procedit ab alia, tanquam per regulam generalem.

d. 11. q. 1. Greg. reſp. quod iſta quæſtio poteſt tractari duobus modis, vno modo ad videndum, An præciſè per hoc, quod Filius ſpirat Spiritũ S. & Spiritus S. ſpiratur, diſtinguãtur ab inuicẽ; alio modo ad videndum, An ex hoc quod Spiritus ſanctus diſtinguitur a Filio poſſit concludi, quod procedat ab eo, & hoc propter Græcos, qui concedunt primum, & negant ſecundum: ſi ergo tractatur primò modo, reſpondet, quod Filius diſtinguitur a Spiritu ſancto, non præciſè, quia Spiritus ſanctus procedit ab eo, nam Filius diſtinguitur a Spiritu ſancto etiam per hoc, quod ipſe eſt a Patre naſcendo, & Spiritus ſanctus procedendo; ſi verò tractatur alio modo, reſpondet, quod ſi Spiritus ſanctus non procederet a Filio, non diſtingueretur ab eo, probatur conſequentia, quia non eſſet, ergo nec diſtingueretur; non eſſet autem, quia non eſſet donum Patris, & Filij, quod eſt eius proprium, nec Filius eſſet principium eius, quod ad eius eſſe eſt neceſſarium, nec ſimiliter eſſet a Patre, quia ſicut nulla creatura eſſet, niſi eſſet a Patre, & Filio, ita nec Spiritus ſanctus, niſi eſſet ab vtroque.

d. 11. q. 1. Guilel Rub. reſp. quod iſta conſequentia, Spiritus ſanctus non producitur a Filio, ergo non diſtinguitur ab eo, non eſt bona formaliter, quia non repugnat genito, & ſpirato ex ſuis rationibus formalibus, quod diſtinguantur, ſicut aliqua diſparata, quorum neutrum eſt ab alio, & ambo a tertio; nec eſt bona materialiter, ſi ſupponatur in antecedente tam Filium, quam Spiritum ſanctum eſſe, quia Filius non diſtinguitur a Spiritu ſancto per ſpirationem actiuam ſibi relatiuè oppoſitam, ſed per generationem paſſiuam ſibi diſparatã; eſt tamen bona ſic, ſi in antecedente non ſupponatur Filium, nec Spiritum ſanctum eſſe, nec non eſſe, ſic enim valet, Spiritus ſanctus non procedit a Filio, ergo non eſt, ergo neque diſtingui poteſt; & quamuis hæc ſit bona, & vera conſequentia, non eſt tamen euidens, cum a multis doctoribus negetur.

d. 11. q. 1. Alphonſus reſp. quod ſi Spiritus ſanctus nõ procederet a Filio, ſed tantum a Patre, adhuc diſtingueretur ab eo; primò, quia Filius ſic eſſet genitus, quod non ſpiratus, & Spiritus ſanctus ſic eſſet ſpiratus, quod non eſſet genitus; ſecundò, quia Spiritus ſanctus procederet a Patre nõ quomodo natus, ſed quomodo datus; Filius verò quomodo natus, non quomodo datus; tertiò, quia Filius conſtituitur in eſſe perſonali non ſpiratione actiua, quia ſic eſſet vna perſona cum Patre, ſed filiatione.

Ioan. Baccon. reſp. & probat multipliciter quod ſi Spiritus ſanctus non procederet a Filio, adhuc diſtingueretur ab eo; primò, quia ſicut filiatione Filius in eſſe conſtituitur ita a quocumque alio diſtinguitur; vnumquodque enim per id diſtinguitur a quocumque alio, per quod conſtituitur; ſecundò, quia productio eius, & productio Spiritus ſancti ſunt productiones hypoſtaticæ; tertiò, quia ſi Spiritus ſanctus nõ procederet ab eo, adhuc duæ eſſent productiones in Patre diſtinctæ ſecundum rationem; diſtincta autem ſecundum rationem non diſtinguuntur, niſi reſpectu aliquorum diſtinctorum ſecundum rem; quartò, quia intelligere, & velle in diuinis habent ſuum proprium terminum; ſicut autem terminus intelligere eſt Filius, ita terminus velle eſt Spiritus ſanctus; quintò, quia etiam quod Spiritus ſanctus nõ procederet a Filio, adhuc Pater eſſet omnipotens; ſextò, quia etiam remanerent relationes oppoſitæ generare, ſpirare, generari, ſpirari, & ſic tria ſuppoſita diſtincta; ſeptimò, quia cum prius ſit intelligere filium genitum, quam ſpirare, circumſcripto actu ſpirandi, remanet Filius, & ſic diſtinguitur etiam ſi non ſpiret Spiritum ſanctum; ſubiungit tamẽ, quod dato quod Filius non ſpiraret Spiritum ſanctum, ipſe Spiritus ſanctus non diſtingueretur ab eo, ſicut perſona Spiritus ſancti, ſed ſicut alter Filius; tum quia ab vno tantum procederet; tum etiam, quia non plus contraheret voluntas a Patre, quam intellectus per hoc, quod appropriatur ei; vnde ſicut intellectus per hoc, quod appropriatur ei non plus habet, quam quod verbum ſuum producit in ſimilitudinem naturæ cum Patre, ita & voluntas non plus contraheret, quam quod amor ſuus procederet in ſimilitudinem naturæ cum Patre; & ſic eius productio eſſet generatio, & cõſequenter ipſe Filius. d. 13. q. 1.

Michael de Bononia reſp. quod Filius in diuinis eſt perſona ab alijs diſtincta formaliter per filiationem, & non per ſpirationem; & ideo datò quod non ſpiraret Spiritum ſanctum, adhuc diſtingueretur ab eo; ſecundò, ſi ſpiritus ſanctus non diſtingueretur a Filio, adhuc diſtingueretur a Patre, & ſimiliter Filius; ergo vt vna perſona, vel duæ; ſi duæ, ſequitur propoſitum, ſi vna, ergo duæ productiones, vt generatio, & ſpiratio terminantur ad vnum terminum realem, quod eſt impoſſibile; tertiò, Filius procedit quomodo natus, Spiritus ſanctus quomodo datus, igitur etiam ſi non ſpiraret, diſtingueretur. d. 11.

Ga-

Digitized by Google

d.11. q.2. Gabriel Biel reſp. quod dato, quod Filius non ſpiraret Spiritum ſanctum, adhuc tamen diſtingueretur ab eo, cum ſit conſtitutus ex eſſentia, & filiatione, Spiritus ſanctus verò ex eſſentia, & ſpiratione paſſiua, conſtituta enim diſtinguuntur ad diſtinctionem conſtituentium, & certum eſt, quod filiatio, & ſpiratio paſſiua realiter diſtinguuntur.

q 8. a.1. Petrus Aliac. reſp. quod iſta conſequentia eſt bona, ſi Spiritus ſanctus non procedit a Filio, non diſtinguitur ab eo, & tantum valet, quantum iſta, Spiritus ſanctus non procedit a Filio, ergo diſtinguitur ab eo; quia vtraque eſt de antecedente impoſſibili, ad quod ſequitur quodlibet.

d.11. a.3. Ioan. de Baſſolis reſp. quod ſi per impoſſibile Spiritus ſanctus non procederet a Filio; adhuc diſtingueretur ab eo; primò, quia adhuc maneret proprium conſtitutiuum eius, quod eſt filiatio; ſecundò, quia Filius per filiationem primò diſtinguitur a Spiritu ſancto, per ſpirationem vero ſecundariò, & aſſequenter; tertiò, quia adhuc generatio, & ſpiratio eſſent productiones perfectæ, & realiter diſtinctæ.

d 11. diſp. 2. Michael de Palatio reſp. quod non eſt intelligibilis diſtinctio Spiritus ſancti a Filio ſubducta omni relatiua oppoſitione, ſiue mediata, ſiue immediata, vnde ſi Spiritus ſanctus a Filio non procederet, nihilominus proceſſio Spiritus ſancti haberet ordinem cũ productione Filij, quandoquidem Pater non produceret Spiritum ſanctum niſi media productione Filij, ex quo etiam Græci fatentur Patrem per Filium ſpirare Spiritum ſanctum; non ergo poteſt intelligi emanatio Spiritus ſancti a Patre, abſque oppoſitione relatiua, ſaltem mediata.

q.10. diſp.2 p 3. Gregorius de Val. reſp. quod in diuinis nõ eſt alius modus poſſibilis, quo perſonæ diſtinguantur realiter, niſi ratione originis vnius ab alia; dato ergo quod vna non procederet ab alia, non diſtingueretur. Item, ſi Spiritus ſanctus non procederet a Filio, non eſſet omnino, ergo neque diſtingueretur ab eo, probatur antecedens, quia de ratione ſpiritus ſancti eſt, quod habeat ordinem originis ad Filium.

de tr. l 10. c.2. Franc. Suarez reſp. quod ſi Amor non procederet a verbo, non diſtingueretur ab eo, quia ſic nullam oppoſitionem haberet ad illud, ſunt autem in diuinis omnia vnum, quæ eorum proprietatibus non repugnant, ſeu oppoſitionem non habent. Verbum item prius origine procedit a Patre, quam Spiritus ſanctus; non repugnat autem prioritati originis, quod Spiritus ſanctus procedat ab eo; ergo neceſſariò procedit, quia opera Trinitatis ſunt indiuiſa, vbicumque ordo originis non repugnat; non ergo diſtingueretur, ſi non haberet hunc ordinem originis ad eum.

Reſolutio.

RESpondeo quod in præſenti quæſito ſupponuntur omnia ea de diuinis perſonis, quæ ad veritatem fidei pertinent, & communia ſunt nobis, & Græcis, præter proceſſionem Spiritus ſancti a Filio, qua ſ. quæritur. An diſtingueretur ab eo realiter, & dico ſimpliciter, quod diſtingueretur; primò, quia vnumquodque diſtinguitur a quolibet, ſecundum id quod eſt, & non eſt vnum cum eo; cũ itaque Spiritus ſanctus ſit, & non ſit vnum cum Filio, ſecundum eſſe ſpiratum, neque ſecundum eſſe genitum; ergo dato etiam, quod ab eo non procederet, adhuc ab eo diſtingueretur ſecundum eſſe ſpiratum, & ſecundum non eſſe genitum; ſecundò, quia dato quod Filius non produceret Spiritum ſanctum, adhuc tamen Pater generaret Filium, & ſpiraret Spiritum ſanctum, tanquam perſonas diſtinctas, nihil enim ſubtrahitur a Patre per hoc, quod ſupponitur Spiritum ſanctum non procedere a Filio; ergo ſi non procederet, adhuc tamen diſtingueretur.

Sed ſi in diuinis, ſecundum regulam D. Anſelmi, omnia ſunt vnum, in quibus non obuiat relationis oppoſitio? Obiectio.

Reſpondetur, quod eſt vera regula D. Anſelmi, ſecundum quod perſonæ diuinæ diſtinguuntur de facto; diſtinguuntur enim per relationes oppoſitas; ſed non ex ſuppoſitione; ſuppoſito enim, quod Spiritus ſanctus nõ procederet a Filio, non haberet oppoſitionem ad eum; & tamen diſtingueretur ab eo, per aliquid aliud, quod non eſſet relatio oppoſita.

QVAESITVM V.

An Pater, & Filius producant Spiritum ſanctũ voluntate, tanquam principio productiuo?

D. Thomas reſp. quod eſt altera proceſſio in diuinis a proceſſione verbi, quæ eſt proceſſio amoris, quæ attenditur ſecundum operationem voluntatis; & ſecundum hanc procedit Spiritus ſanctus. q.27. a.3.

Ægidius reſp. quod cum perſonæ diuinæ non poſſint originari in diuinis, niſi per actiones immanentes, alioquin non producerentur in identitate naturæ, hæ autem ſint duæ intelligere, & velle, ſicut Filius producitur per in-

Digitized by Google

intelligere, ita Spiritus ſanctus per velle, quorum principia ſunt intellectus, & voluntas.

n.60. q.1. Henricus reſp. quod voluntas ratione qua eſt ſimpliciter voluntas, non eſt principium elicitiuum actus notionalis, per quam producatur ſimile in forma naturali ipſi produceti, quia tunc in quocumque eſſet, eſſet principium productiuum, vel elicitiuum actus ſimilis, quo produceretur ſimile in forma, quod eſt falſum, vt apparet in creaturis.

d.10. q.vn. Ioan. Scotus reſp. quod in diuinis eſt formaliter, & ſine imperfectione voluntas, quæ ex natura rei eſt principium productiuum amoris, & ideo eſt productiua amoris, quia amor, cum ſit ſibi adæquatus, & non inhærẽs, ſed ſubſiſtens, non poteſt eſſe niſi perſona Spiritus ſancti, igitur Spiritus ſanctus producitur voluntate, tanquam principio productiuo ſui.

d.6. q.2. Duran. reſp. quod in productione diuinarũ perſonarum tria conſiderari poſſunt, .ſ. habitudo virtutis productiuæ ad actum producendi, ſuppoſita producentia, & ordo productorum, vel productionum; ſi conſideratur habitudo virtutis productiuæ ad actum producendi, ſic nulla perſona procedit in diuinis per modum voluntatis, ſed quælibet per modum naturæ, quia quælibet producitur ex neceſſitate immutabilitatis, & virtute determinata ad vnum, vnumquodque autem quod ſic producitur, producitur per modum naturæ; ſi conſiderentur ſuppoſita producentia, ſic Spiritus ſanctus producitur per modum voluntatis, quia procedit a pluribus, ſicut Filius per modum naturæ, quia procedit ab vno, eſt enim modus procedendi naturæ, vt vnum procedat ab vno, voluntatis verò, vt vnum procedere poſſit a pluribus; ſi ſimiliter conſideratur ordo productorum, & productionum ſic etiam Spiritus ſanctus dicitur produci per modum voluntatis, ſicut Filius per modum intellectus, videmus enim quod in imagine creata prima emanatio eſt ſecundum intellectum, altera vero ſequens ſecundum voluntatem. Item Herueus.

d.10. Thomas Anglic. reſp. quod Spiritus ſanctus procedit per modum voluntatis, non tamen a voluntate magis, quam ab intellectu, nec magis per modum voluntatis diuinæ, quã intellectus diuini, ſed modo illo, quo nos videmus in creaturis aliquid procedere a voluntate.

d.10. a.4. Petrus Aureol. reſp. quod ſi voluntas eſſet principium productiuum Spiritus ſancti, ſequeretur quod voluntas eſſet principium ſpirationis, quod eſt falſum, quia tunc ſpirare eſſet quid elicitum; igitur Pater, & Filius aliquid elicerent in ſeipſis, quod eſt impoſſibile, nam tale elicitum, vel eſſet in eis ſubiectiuè, aut identicè, aut idem realiter; ſed non ſubiectiuè, quia tunc in Patre, & Filio eſſet aliqua realitas accidentalis, & compoſitio, quod eſt abſurdum; nec ſimiliter identicè, aut idem realiter, quia tunc eadem res eliceret ſe, quia Pater, & Filius ſunt idem realiter, quod ſpirare.

Gerardus reſp. quod duæ ſunt perſonæ productæ; ergo duo modi producendi; ſed alij eſſe non poſſunt, niſi amoris, & verbi; ergo ſicut verbum procedit per modum intellectus, quod eſt Filius, ita Spiritus ſanctus per modum voluntatis, qui eſt amor. d.10. q.1. a.1.

Greg. reſp. quod voluntas non poteſt eſſe principium productiuum Spiritus ſancti; tum quia ipſum non producit, produceret autem ſi eſſet principium productiuum, cum non diſtinguatur principium productiuum a principio, quod producit; tum etiam quia relatiuè non dicitur ad eum, quod autem eſt principium productiuum alicuius in diuinis relatiuè dicitur ad illud; tum tertiò, quia voluntas in diuinis eſt idem, quod Spiritus ſanctus; Eſt ergo Pater, & Filius principium productiuum Spiritus ſancti, non voluntas. Et ſi dicatur quod eſt principium quo, non quod. Reſpondet, quod talis diſtinctio principiorum quod, & quo, locum non habet in Deo, vbi principium quod, eſt ſimplex omnino. d.10. q.1.

Michael de Bonon. reſp. quod voluntas in Deo dicit perfectionem ſimpliciter, & eſt infiniti vigoris, & impediri non poteſt, & ideo eſt productiua amoris tanquam termini ſibi adæquati, qui eſt Spiritus ſanctus, qui non minus tali principio producitur, quam verbum producatur intellectu. d.11.

Ioann. Maior reſp. quod ſicut voluntas noſtra producit actum volendi, ita Pater cum Filio ſua voluntate producit actum amoris, & quoniam talis potentia Dei eſt infinita, & etiam obiectum infinitum, idcirco producit amorem infinitum, & perfectiſſimum, & quoniam ſicut videmus in nobis, licet intellectus ſit idem, quod voluntas, amor tamen diſtinguitur a notitia, ita in Deo, licet intellectus non diſtinguatur a volũtate, amor tamen productus diſtinguitur a notitia genita, quæ eſt Filius, non quidem eſſentialiter, ſed perſonaliter, & eſt Spiritus ſanctus. d.10. q.vn.

Ioannes Vig. reſp. quod voluntas in ratione potentiæ eſt principium formale productiuum Spiritus ſancti, ſicut intellectus eſt principium formale productiuum verbi; eſſentia au- d.10.

Digitized by Google

autem diuina eſt principium eius formale in ratione obiecti, alioquin iſta productio nõ eſſet vniuoca, cum terminus formalis tunc non eſſet idem cum principio formali; Ex quo voluntas in ratione potentiæ, & eſſentia in ratione obiecti volibilis, ſiue ſummè diligibilis concurrunt, vt vnum principium totale productiuum Spiritus ſancti, & vocatur voluntas fæcunda.

q. 27. a. 1. Ludou. Mol. reſp. quod duæ productiones concedendæ ſunt in diuinis, vna per intellectum, qua producitur Filius, & altera per voluntatem, qua producitur Spiritus ſanctus, & eo magis, quia non ſunt aliæ productiones vitales, ſecundum quas neceſſarium eſt dicere Filium, & Spiritum ſanctum produci, quam iſtæ duæ per intellectum, & voluntatem, omne enim quod producitur aliqua productione producitur.

Reſolutio.

RESpondeo, quod Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum natura, tanquam principio quo remoto; eſt enim de ratione naturæ diuinæ, vt ſit fæcunda in Patre, & Filio, ad producendum perſonam Spiritus ſancti: tanquam verò principio quo immediato, & proximo, producunt virtute ſpiratiua; eſt enim principium quo immediatum, & proximum in alicuius productione, quo ipſo poſito, & producente, immediatè ſequitur productio, & habet eſſe productum vniuocum producenti, ſi productio eſt vniuoca, æquiuocum verò, ſi æquiuoca; certum eſt autem, quod voluntas, vt voluntas, non eſt natura, ſicut neque intellectus, vt intellectus, alioquin idem eſſet intellectus, quod voluntas, neque ſimiliter eſt virtus ſpiratiua, vt talis; tum quia virtus ſpiratiua relatio eſt, non autem voluntas, quæ eſt de numero eſſentialium; tum etiam quia voluntas, vt voluntas, in Spiritu ſancto eſt, non autem ſpiratiua virtus, alioquin ſi eſſet huiuſmodi virtus in eo, atque hæc eſſet voluntas, conſequens etiam eſſet, vt ſpiraret: producunt ergo Spiritum ſanctum voluntate, non tanquam principio productiuo proprio formali, ſeu vniuoco in tali productione; ſed inquantum conditione virtuali, quæ ad omnem actionem diuinam, & productionem concurrit, ſicut & intellectus, quicquid enim in diuinis producitur, intellectu, & voluntate producitur.

Obiectio. Sed ſi nihil producitur in diuinis niſi per actiones immanentes? quæ duæ ſunt intelligere, & velle, intelligere autem eſt actus intellectus, & velle voluntatis.

Reſpondetur, quod ſicut dicit Ariſt. per actiones immanentes nihil producitur, vnde neque in diuinis aliquid producitur per actus intelligendi, & amandi; omnes ergo productiones diuinæ fiunt per actiones tranſeuntes, non quidem in exteriorem materiam, ſeu naturam; ſed in aliam, & aliam perſonã, & huiuſmodi actiones ſunt generare, & ſpirare; nihil enim, aut generat, aut ſpirat ſeipſum; principia verò, quibus iſtæ actiones fiunt, in Patre, virtus generatiua eſt; in Patre & Filio, virtus ſpiratiua.

QVÆSITVM VI.

An Pater, & Filius neceſſariò producant Spiritum ſanctum, an liberè?

D. Thomas reſp. quod voluntas poteſt conſiderari dupliciter, vel vt natura quædam eſt, vel vt potentia libera; ſi primo modo ſic habet operationem naturalem, & neceſſariam, vnde agens per ipſam neceſſariò, & naturaliter agit, ſicut homo volens ſuam beatitudinem; ſi verò vt potentia libera, ſic liberè ſe habet ad vtrumlibet; Pater ergo, & Filius producunt Spiritum ſanctum voluntate, non ſecundo modo conſiderata, ſed primo, & ideo ipſum naturaliter, & neceſſariò producunt: q. 41. a. 2.

D. Bonau. reſp. quod in Deo eſt ponere naturam, & voluntatem, & ſicut naturam perficit fæcunditas, ita voluntatem ſumma libertas: vnde cum perſona producens perſonam natura ipſam producat perfecta fæcunditate; ſequitur etiam quod Pater, & Filius producentes Spiritum ſanctũ volũtate ipſum producant voluntate perfecta libertate. Item Ricardus d. 10. q. 1. d. 10. q. 1.

Ioann. Scotus reſp. quod cum voluntas Patris, & Filij, quæ eſt principium productiuum Spiritus ſancti, ſit infinita, & ex conſequenti non poſſit eſſe non recta, & habeat obiectum ſimiliter infinitum, quod propter ſuam infinitam bonitatem non poteſt non velle, Pater, & Filius neceſſariò producunt Spiritum ſanctum. d. 10. q. 1.

Petrus Aur. reſp. quod Pater, & Filius cum vi amoris, & complacentiæ producant Spiritum ſanctum; ſequitur quod liberè producunt; & cum hæc complacentia ſumma ſit, & intenſa, ſequitur quod neceſſariò etiam producunt. d. 10. a. 1.

Guilel. Occham reſp. quod accipiendo liberè produci pro eo, quod ſiue neceſſariò ſiue contingenter producitur mediante volunta- d. 10. q. 2.

ta-

Digitized by Google

tate, vel quod aliquo modo pertineat ad voluntatem, ſic Spiritus ſanctus producitur liberè; & ſimiliter, ſi accipiatur neceſſariò, vt diſtinguitur contra liberè, prout ſumitur pro contingenti, & indifferenti, ſic Pater, & Filius producunt neceſſariò Spiritum ſanctũ.

d.10. q.1. a.3. Gerardus reſp. quod iſta productio, non obſtante quod ſit libera, eſt etiam neceſſaria propter puram actualitatem, tam principij productiui, quod eſt voluntas, quam ipſius productionis, nam ratio contingentiæ ſumitur ex potentialitate, neceſſarij verò ex actualitate, & quia voluntas diuina vt principium Spiritus ſancti eſt ſimpliciter in actu, & excludit omnem potentialitatem; idcirco immutabiliter, & neceſſariò elicitur.

d.10. q.1. a.2. Gregorius reſp. quod liberè produci ſumitur dupliciter, vel vt illud dicatur liberè, quod eſt voluntariè, & complacenter produci; & ſic tam Spiritus ſanctus, quam Filius liberè producitur, vel vt diſtinguitur contra naturaliter, & ſic non liberè, ſed naturaliter Spiritus ſanctus producitur; tum quia impoſſibile eſt ipſum non eſſe; tum etiam quia æquè non contingenter procedit a Patre, ſicut Filius, qui naturaliter producitur.

d.10. q.2. Guilel. Rub. reſp. quod produci liberè, vt hic ſumitur, non eſt aliud, quam produci productione per ſe requirente pro principio naturam volitiuam, cui ex hoc quod eſt volitiua agere contingenter competere poſſet, niſi aliud obuiaret, & quoniã Spiritus ſanctus ſic producitur, ideo liberè dicitur produci.

d.11. & 12 Alphonſus reſp. quod Spiritus ſanctus procedit a Patre, & Filio liberè, non naturaliter, & probat dupliciter; primò quia producitur a Voluntate, tanquam a principio productiuo, cum procedat, vt amor; ſecundò, quia nõ procedit quomodo natus, ſed quomodo datus.

d.11. a.3. Ioan. Bacc. reſp. quod in proceſſione Filij per modum naturæ eſt neceſſitas ex parte potentiæ, & ex parte obiecti, & ideo eius proceſſio eſt merè naturalis; ſed in proceſſione Spiritus ſancti tota neceſſitas eſt in obiecto, & non in voluntate, & vt ſaluetur ſua libertas, ſolum eſt neceſſitas conditionata; quia .ſ. in obiecto apprehenſo non inuenitur ratio, quare voluntas nata ſit deſiſtere ab actu, & volendi, & ſpirandi, & propterea ſpirat; quod ſi per impoſſibile inueniretur, vtique non oporteret propter ſuam libertatem eam principiare ſpirationem.

d.10. q.2. Gabriel Biel reſp. quod Spiritus ſanctus producitur liberè, neceſſariò, & naturaliter, liberè, quia voluntariè, complacenter, & non coactè, neceſſariò, quia non poteſt non produci, naturaliter, quia vt dicit D. Hylarius ex virtute naturæ in eandem naturã ſubſiſtit.

Ioan. de Baſſolis reſp. quod Spiritus ſanctus producitur a Patre, & Filio, & liberè, & neceſſariò; neceſſariò quidem, quia eſt neceſſe eſſe, quia producitur conſubſtantialis ſuo producenti, quia eius productio non habet aliquam imperfectionem, nec ex parte principij, nec ex parte termini, & quia voluntas diuina eſt perfectiſſima; liberè etiam producitur, ſtante quod voluntate producatur, quia procedit, vt amor, & donum, & non per modum naturæ. d.10. q.1.

Laur. Opimus reſp. quod ſicut verbum gignitur per modum ſummæ naturæ, ita Spiritus ſanctus ſpiratur per modum ſummi amoris; cum autem modus amoris pertineat ad voluntatem, & voluntas diuina in ſuo actu formali ſit ſummè libera, ſequitur quod Spiritus ſanctus liberè producitur. d.10. & 11

Nicolaus de Nijſe reſp. quod libertate ſimpliciter, quæ eſt indifferens ad neceſſitatem, & contingentiam Pater, & Filius liberè producunt Spiritum ſanctum, & neceſſariò; nam omne quod eſt ex ſe formaliter neceſſarium, ſi producitur, neceſſariò producitur, vnde cũ Spiritus ſanctus ſit huiuſmodi, omnia enim diuina ſunt neceſſaria, ſequitur quod etiam a tali voluntate neceſſariò producatur. p.2. q.2.

Guilel. Varrill. reſp. quod licet productio Spiritus ſancti a libero principio proueniat, ſumma tamen neceſſitate completur, quia cũ ſummè neceſſario eſt idem eſſentialiter. d.10. a.3.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut Spiritus ſanctus neceſſariò eſt, quia cum ſit perſona diuina, non poteſt aliter ſe habere, ita eius productio eſt neceſſaria, & ſimiliter perſonæ ipſũ producentes, quæ ſunt Pater, & Filius, non poſſunt nõ producere, neque aliter ſe habere, & ex conſequenti ipſum neceſſariò producunt, & hanc neceſſitatem contrahunt; tum ab ipſa natura diuina, quæ cum ſit vna in tribus eſt neceſſariò communicabilis, & quoniã talis communicatio fit mediãte productione, perſonæ, quæ producunt neceſſariò producũt; tum etiam a ſeipſis, quia cum ſit de ratione Patris eſſe principium totius diuinitatis, & agens in omni productione, & de ratione Filij eſſe ſimilis Patri, ſequitur quod Pater, & Filius neceſſariò producunt Spiritum ſanctũ; per hoc tamen non tollitur, quin etiam eundem liberè producant, nam vnumquodque producens, ſi non eſt agens violentum, producit ſecundum conditionem ſuę naturæ cum au-

Digitized by Google

autem natura diuina ſit intellectualis, & libera, nequit eſſe in ea aliquid, quod aliquo modo eius inuitã, & neſciam faciat operationẽ.

Obiectio. Sed ſi neceſſitas libertati repugnat, & econuersò?

Reſpondetur, quod non omnis neceſſitas repugnat libertati communiter dictæ, licet repugnet libertati contradictionis, & contingentiæ; libertas autem, qua producitur Spiritus ſanctus eſt libertas communiter dicta, non contradictionis, & contingentiæ. Ita Alphonſus.

QVÆSITVM VII.

An Pater neceſſariò coexigat Filium ad producendum Spiritum ſanctum?

q. 3. m. 1. ALex. Alenſ. reſp. quod ſicut ratio generationis Filij a Patre eſt ſumma dilectio, ita ratio proceſſionis Spiritus ſancti eſt condilectio; ex quo ſequitur quod ideo Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum, quia ſe mutuò diligunt, & ex conſequẽti Pater coexigit Filium ad producendum Spiritum ſanctum.

d. 10. q. 1. a. 2. D. Thomas reſp. quod habet Spiritus ſanctus ex modo ſuæ proceſſionis, quod procedat a Patre, per hoc, quod diligit Filium, & econtrà a Filio, per hoc, quod diligit Patrẽ, quia ſcilicet procedit vt amor, amor autem eſt vnius perſonæ in aliam, vt amantis in amatã; ex quo ſequitur quod Spiritus ſancti productio neceſſariò coexigat plures perſonas producentes.

d. 10. q. 3. D. Bonau. reſp. quod cum amor perfectionem delectationis, & vnionis, & rectitudinis habeat ex mutualitate; aut non eſt perſonam ponere in diuinis procedentem per modum amoris, aut ſi procedit, procedit per modum amoris mutui, non eſſet autem amor mutuus, ſi ſolus Pater poſſet producere Spiritum ſanctum. Item Ricardus.

Q. 5. q. 9. Henricus reſp. quod hæc eſt differentia inter intellectum, prout eſt productiuum verbi, & voluntatem, prout eſt principium productiuum Spiritus ſancti, quod intellectus habet perfectam fœcunditatem ad productionẽ verbi, prout exiſtit in vna tantum perſona .ſ. in Patre, voluntas autem non habet perfectam fœcunditatem ad productionem Spiritus ſancti, niſi prout exiſtit in duabus perſonis, & vt concors, procedit enim Spiritus ſanctus vt amor Patris, & Filij, nexus, & vinculum vtriuſque.

d. 12. Ioan. Scotus reſp. quod productio Spiritus ſancti eſt a voluntate infinita, vt a principio productiuo ipſius, non vt eſt actus ſecundus, quo Pater, & Filius concorditer, ſiuè mutuo amant ſe, vel diuinam eſſentiam, ſed vt eſt actus primus, in quo tamen nati ſunt concordare in actu ſecundo concorditer producendo amorem; ex quo ſequitur quod productio Spiritus ſancti non coexigit plures perſonas producentes, cum hæc voluntas ita ſufficienter ſit in vna, ſicut in pluribus. Item Guilelmus Varrill. q. vn.

Petrus Aur. reſp. quod loquendo de principio ſpiratiuo, & per ipſum intelligendo ſpirationem actiuam, concordia non eſt de ratione iſtius principij, cum ſpiratio ſecundum ſe totam ſit in Patre, & ſecundum ſe totam in Filio, nec aliquid pertinens ad eam capit in Filio, quod non habuerit in Patre, eſt enim ſpirare actus ſimpliciſſimus habens pro formali termino perſonam ſimplicem Spiritus ſancti, vnde cum ſit in Patre, & Filio, in quolibet eorum eſt totaliter, atq; perfectè. d. 12. a. 1.

Franciſcus Maro reſp. quod quatuor modis poteſt intelligi Patrem, & Filium concorditer ſpirare Spiritum ſanctum; primo, actu concordiæ, quo ſe mutuo diligunt elicitiuè; ſecundo, actu concordiæ, quo Pater, & Filius diligunt Spiritum ſanctum; tertio, actu concordiæ, quo ſe diligunt inuicem præcedente; quarto, actu concordiæ, quo diligunt ſe, & Spiritum ſanctum antecedente; primo, modo non ſpirant concorditer Spiritum ſanctum, quia talis actus eſt immanens, & conſequenter nec productiuus, nec productus; nec ſecundo, quia actus volendi, quo diligunt diuinam eſſentiam, vt ſic, eſt perfectiſſimus; ſed bene tertio, quia cum talis actus ſit eſſentialis, præcedit actum ſpirandi, qui eſt notionalis; & ſimiliter quarto, quia eodem actu diligunt eſſentiam ſuam, & ſeipſos. d. 12. q. 1.

Guilel. Occham reſp. quod concordia ſiue mutuitas voluntatis, non eſt aliquid, neque ſecundum rem, neque ſecundum rationem diſtinctum a voluntate diuina, ita vt poſſit dici, quod voluntas eſt fœcunda ad productionem Spiritus ſancti, vt concors, ſiue vt mutua, & non præcisè, vt voluntas diuina; ſed eſt quidam conceptus, ſiue nomen importans amorem communem, & diuinas perſonas amore communi mutuo ſe diligentes, & ideo hæc propoſitio Pater, & Filius, quia ſe mutuo diligunt producunt Spiritum ſanctum, vel Spiritus ſanctus producitur amore mutuo Patris, & Filij, non eſt concedenda niſi ſub hoc ſenſu, quod .ſ. ex hoc ipſo, quod Pater diligit Filium, producit Spiritum ſanctum d. 12. q. 2.

ctum

ctum. Item Gabriel, & Aliacenſis.

d.12. q.1. a.1. Gerardus reſp. quod Patrem, & Filium ſpirare Spiritum ſanctum mutuo, & concordi amore, poteſt intelligi tribus modis; vel quod talis mutuitas ſiue concordia ſit ratio, per quam voluntas, quæ eſt principium ſpiratiuum redditur fæcunda ad producendum Spiritum ſanctum; vel quod ſit relatio ſecundum rationem conſurgens inter perſonam, quæ amorem impendit, & aliam, quæ eundem rependit, per quam ſimiliter voluntas redditur, fæcunda ad producendum Spiritum ſanctum; vel quod ſit de intrinſeca ratione actus ſpirandi: non igitur primo, neque ſecundo modo Pater,& Filius ſpirant Spiritum ſanctum ſed tertiò, quia concordia eſt de ratione amoris, prout exiſtit in Patre, & Filio, & ex conſequenti etiam actus ſpirandi; ſicut enim in eis eſt vnus amor, ita & vna ratio amandi.

d.12. q.1. a.1. Ioan. Bacc. reſp. quod de eſſentia principij ſpiratiui, quod eſt voluntas, & de per ſe intellectu eius eſt, quod ſicut exiſtit in Patre, ita etiam exiſtat in Filio,& ſic in duabus perſonis, cum enim de facto ſit in Filio, ſi non eſſet de eſſentia principij ſpiratiui, quod eſt in eo eſſet accidens ei, & ſic Spiritus ſanctus eſſet effectus accidentalis, quod eſt falſum; & ſequeretur etiam quod Pater poſſet ſpirare ſine Filio; imò ſpiraret, quia quod ab intra in diuinis eſt poſſibile, eſt quoque neceſſarium. Voluntas item non poteſt eſſe principium iſtius actus, qui eſt ſpirare, niſi per aliquid contrahatur, quod ſit de eſſentia eius alioquin quælibet perſona ſpiraret, cum quælibet perſona habeat voluntatem, ſed non contrahitur, niſi per exiſtentiam in duobus; ergo eſt de eſſentia eius, vt ſpiratiua eſt,quod exiſtat in duobus.

d.11. a.3. Ioan. de Baſſ. reſp. quod ſi Pater non generaret Filium adhuc produceret Spiritum ſanctum,ex quo non neceſſariò coexigit eum, haberet enim principium ſpiratiuum perfectū totale in ſuppoſito conuenienti actioni,& per conſequens non communicatum ſibi per productionem illi principio, adæquatam .ſ. voluntatem, quæ æquè perfecta eſt in Patre, ſicut in Patre, & Filio.

d.11. q.3. Franciſcus a Chriſto reſp. quod proceſſio Spiritus ſancti neceſſariò eſt a Patre, & Filio; ergo pluralitas ſuppoſitorum eſt conditio neceſſaria ſpiratoris; antecedens probatur;tum ex eo,quia ſi Spiritus ſanctus non procederet a Filio, non diſtingueretur ab eo; tum ex eo quia genitum, & ſpiratum procedunt ordine quodam,qui nō eſt in diuinis, niſi originis.

Ludou. Mol. reſp. quod ad productionem Spiritus ſancti per ſe requiritur in principio productiuo eius pluralitas ſuppoſitorum Patris .ſ. & Filij, vt conditio tamen ſine qua non produceretur; quod patet, quia ſi non procederet a Filio, ſicut a Patre non diſtingueretur ab eo; & ſi per impoſſibile Filius non concurreret ad productionem Spiritus ſancti adhuc ſolus Pater ſufficeret ad producendum eum, tametſi tunc non eſſet diſtinctus a Filio.

Franc. Suar. reſp. quod ſi loquamur formaliter, ac præcisè de productione Spiritus ſancti vt ſic,vtique non eſt neceſſarium, quod Spiritus ſanctus procedat a pluribus,ſed ſi loquamur de productione eius in proprietate perſonali, ſecundum quam in eſſe conſtituitur, vtique eſt neceſſarium, quod non ſolum a Patre, ſed etiam a Filio procedat, cum ex vi ſuæ proprietatis dicat habitudinem relatiuam ad Patrem, & Filium. de tr. li. 10 c.6.

Gabr. Vaſquez reſp. quod plura ſuppoſita non modo ſunt neceſſaria ad producendum Spiritum ſanctum ex parte obiecti, ſed etiam ex parte principij productiui; ex parte quidem obiecti, quia per amorem vtriuſque perſonæ, Patris .ſ. & Filij, tanquam obiecti primarij procedit, vnde altero deficiente non procederet; ex parte principij, quia Spiritus ſanctus procedit ſpiratus, vt amor reciprocus, quare vt talis neceſſariò poſtulat a duobus mutuo ſe diligentibus ſpirari, quæ neceſſitas eſt ex parte principij.

Reſolutio.

RESpondeo, quod de per ſe, & perfecto intellectu perſonæ Patris eſt generare Filium ſibi ſimilem in omnibus,in quibus non eſt aliqua repugnantia, & quoniam nulla eſt repugnantia inter eos in productione Spiritus ſancti,idcirco eſt de per ſe, & perfecto intellectu Patris generare Filium ſimul ſecum producentem Spiritum ſanctum, & ſecundum hunc ſenſum Pater dicitur neceſſariò coexigere Filium ad producēdum Spiritum ſanctū, ſicut & ad quodcunque aliud agendum, dummodo nullam repugnãtiam dicat; & ad hunc ſenſum reducitur dictum illud, quod apud pleroſque eſt, Patrem .ſ. coexigere Filium ex eo, quod actus producendi, ſiue ſpirandi Spiritum ſanctum ab vno tantum eſſe nequit, quod ideo eſt, quia Pater generando Filium neceſſariò dat ei, vt ſpiret ſicut ipſe Spiritum ſanctum,non autem quod actus ſpirandi de ſuo per ſe intellectu habeat, vt ſit in pluribus, ſicut dicunt, circumſcripto enim Filio per intel-

Digitized by Google

tellectum, remanet adhuc perſona ſpirans; quæ quoniam non habet ab alio, vt ſpiret, ideo per ſe eſſet ſufficiens ad ſpirandum, ex quo patet, quod tota ratio coexigentiæ Filij ad productionem Spiritus ſancti, non eſt ex parte actionis, aut termini, ſed tantum ex parte producentis.

Obiectio. Sed ſi Pater habet eſſe a ſe, nonne & poſſe? & conſequenter poſſe a ſe producere Spiritum ſanctum?

Reſpondetur, quod Pater a ſe poteſt quidem producere Spiritum ſanctum inquantum hanc productiuam virtutē non habet ab alio, ſed non a ſe, hoc eſt, ſe ſolo, quia ſe ſolo non eſt; ſicut enim ad hoc, vt ſit, coexigit Filium ſibi per omnia ſimilem, ita ad hoc, vt producat Spiritum ſanctum coexigit cum comproducentem.

QVÆSITVM VIII.

An Pater, & Filius producant Spiritum ſanctum inquantum vnum, an inquantum plura?

c. 6. q. 6. GVilelmus Antiſiod. reſp. quod Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum inquantum vnum, ſecundum quod hæc dictio vnum reſpicit ſolam formam, quia Pater, & Filius vna ſpiratione ſpirant Spiritum ſanctum; quamuis ſecundum rectiſſimam determinationem oporteret, quod hæc dictio vnum ſignificaret vnitatem non ſolum formæ, ſed etiam ſuppoſiti, & tunc proprijſſima locutio eſſet, Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum inquantum vnum.

q. 43. m. 3 Alex. reſp. quod Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum, nec ſolum inquantum vnum, ſecundum quod Deus, nec inquantum plura, ſecundum quod Pater, & Filius; ſed inquantum vnum, & plura .ſ. ſecundum quod Pater, Filius, Deus.

d. 11. a. 4. Albertus reſp. quod Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum inquantum ſunt vnum, in virtute ſpiratiua, quæ eſt media inter eſſentiam, & perſonam purè ſumptam, ſicut potentia generatiua.

d. 11. q. 1. a. 2. D. Thomas reſp. quod ly inquantum conſideratur dupliciter, vel vt dicit conditionem agentis, & ſic quoniam agens eſt ſuppoſitum, Pater autem, & Filius ſunt diſtincta ſuppoſita, ſic producunt Spiritum ſanctum inquantum plura; ſi verò conſideratur, vt dicit conditionem principij agendi, quod eſt forma, quia hæc eſt vna in Patre, & Filio, cum ſit operatio vna, ſic Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum inquantum vnum: Item Herueus, & Ioan. de Baſſ.

D. Bonau. reſp. quod Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum, non inquantum plura, ſed inquantum vnum; primò, quia cum ſit Spiritus ſanctus perſona vna, non poſſunt ipſum producere niſi actu vno, & potentia vna; vnitas enim effectus eſt ab vnitate actus, & vnitas actus ab vnitate potentiæ, vel ſubiecti; ſecundò, quia Spiritus ſanctus a nulla perſona eſt inſufficienter, & ſuperflue, quod autem eſt a pluribus inquantum plura, aut eſt inſufficienter a quolibet, aut ab altero ſuperfluè; tertiò, quia neque Pater, neque Filius ſe habent, aut vt principium actiuum, aut vt paſſiuum in productione Spiritus ſancti, quando autem aliqua producunt aliquid vt plura, vnum eorum ſe habet, vt principium actiuum, alterum verò paſſiuum; quartò, quia Spiritus ſanctus eſt perſona ſimplex, non ergo poteſt a duobus procedere, niſi vt ſunt vnum. d. 11. q. 2.

d. 11. q. 1. Ægidius reſp. quod licet Pater, & Filius in ſpirando Spiritum S. ſint quadrupliciter vniti, in amore ſpirato, in actu ſpirandi, in notione communi, & in virtute ſpiratiua; non dicuntur tamen ſpirare Spiritum ſanctum inquantum vnum, niſi in virtute ſpiratiua; non in amore ſpirato, quia cum reduplicatio dicat cauſam, ſiue rationem, amor ſpiratus non poteſt eſſe cauſa, ſeu ratio talis ſpirationis, cum ex tali ſpiratione accipiat eſſe; nec in actu ſpirandi, quia tunc idem ſui eſſet cauſa; nec in notione, quia cum notio ſit relatio magis ex eo quod ſpirant vniuntur in notione, quam econuerſò; ſi igitur Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum inquantum vnum ſpirant ipſum, inquantum ſunt vnum in virtute ſpiratiua, quia hæc ſola habet rationem cauſæ (ſaltem ſecundum illationem) & eſt ratio ſpirandi, cum ex virtute ſola ſumatur ratio actionis.

d. 11. q. 3. Ricardus reſp. quod Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum, & inquantum vnū, quia potentia ſpiratiua in Patre, & Filio eſt vna, cum vna ſit operatio, quæ eſt ſpiratio, & inquantum plura, quia potentia hæc ſpirandi præſupponit conceptionem verbi a Patre, ac proinde actus producendi requirit diſtinctionem perſonarum; formalius tamen producunt inquantum vnum, quam inquantum plura.

a. 54. q. 6. Henricus reſp. quod Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum, & vt ſunt vnum, & vt ſunt plura, vt ſunt vnum in eſſentia ſub ratione communis proprietatis relatiuæ conſide-

Digitized by Google

ſiderata, vt ſunt plura, non quidem in eliciendo actum licet concurrant in vna ratione, qua eliciunt eum; ſed vt ſunt plura in vna voluntate, quæ eſt ratio eliciendi actum concordando, & amorem ſuum in illa mutuando.

d.12. Ioan. Scotus reſp. quod cum Pater, & Filius ſint vnum principium productiuum Spiritus ſancti, & non plura, propter vnam rationem in eis ad producendum ipſum, quæ eſt voluntas fæcunda, ideo non producunt eadē inquantum plura; ſed inquantum vnum. Item Guilel. Varill.

d.11. q.3. Durandus reſp. quod in actu ſpirandi, ſeu producendi Spiritum ſanctum duo poſſunt conſiderari, actus .ſ. & modus eius; ſi conſideretur tantum actus, Pater, & Filius non producunt, ſeu ſpirant Spiritum ſanctum, nec inquantum vnum, nec inquantum plura, ſed inquantum habent vim ſpiratiuam; ſi verò conſideretur modus actus; vel huiuſmodi modus eſt intrinſecus, & realis, vtpote quod eſt actus vnus, & ſimplex a Patre, & Filio procedens, & ſic Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum inquantum ſunt vnum in vi ſpiratiua; vel eſt extrinſecus, vtpotè quod eſt a duobus, & ſic licet aliqui dicant, quod Pater, & Flius ſpirent Spiritum ſanctum inquantum plura, non eſt tamen verum, quia pluralitas ſuppoſitorum non eſt cauſa huius.

d.12. q.2. Thomas Anglicus reſp. quod reduplicatio addita actui, vel reduplicat actum ex parte termini producti, & ſic Pater, & Filius ſpirant inquantum vnum; vel ex parte ipſius actus in ſe, & ſic etiam ſpirant, inquantum vnum, quia ſpiratio actio eſt vna; vel ex parte principij; principium autem eſt duplex .ſ. principium quo, & ſic adhuc ſpirant, inquantum vnum, quia vis ſpiratiua, quæ eſt principium quo eſt tantum vna; vel principium quod, videlicet ſuppoſitum, & ſic ſpirant inquantum plura, quia pluralitas ſuppoſitorum per ſe exigitur ad ſpirationem.

d.12. a.3. Petrus Aur. reſp. quod ſi ly inquantum reduplicat formale principium producendi, ſiue vim ſpiratiuam, nec inquantum vnum, nec inquantum plura Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum, & ratio eſt, quia reſpectu actuum notionalium non ſunt aliquę potentiæ elicitiuæ in diuinis; ſi verò reduplicat actum, ſic concedi poteſt, quod inquantum vnum ſpirant Spiritum ſanctum, vt tamen per ly inquantum importatur vnitas ſpirationis actiuæ, ratione cuius ſunt vnum.

d.12. q.2. Guilel. Occham reſp. quod iſta propoſitio Pater, & Filius inquantum ſunt vnum ſpirant Spiritum ſanctum, de virtute ſermonis eſt ſimpliciter falſa, quia ex iſta ſequeretur, quod omne vnum ſpiraret Spiritum ſanctum, ideſt, quod omnia, quæ ſunt vnum ſpirarent Spiritum ſanctum, quod eſt falſum, ſic enim tres perſonæ, quæ ſunt vnum, ſpirarent Spiritum ſanctum; & ſimiliter iſta eſt falſa, Pater, & Filius inquantum ſunt diſtincti, ſiue inquantum plura ſpirant Spiritum ſanctum, quia ſequeretur, quod omnia plura ſpirarent Spiritum ſanctum, quod etiam eſt falſum, & ideo de virtute ſermonis, & proprie loquendo Pater, & Filius, nec inquantum vnum, nec inquantum plura ſpirant Spiritum ſanctum. Item Aliacenſis. Et Ioannes maior.

Thomas ab Arg. reſp. quod quamuis poſſit dici, quod Pater, & Filius in productione Spiritus ſancti ſint plures producentes, eo quod perſonaliter ſint diſtincti, tamen non debet dici, quod producant Spiritum ſanctum inquantum plura, quia reduplicatio habet reſpectum ad cauſam, ſeu principium productiuum, quod cum ſit vnum in Patre, & Filio .ſ. diuina eſſentia, vt voluntas fæcunda ſumpta ſub reſpectu propoſito ad ſpirandum, puta, ſub actiua ſpiratione, ideo Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum inquantum vnum. Item Marſilius q. 15. ar. 3. d.12.

Gerardus reſp. quod Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum inquantum vnum, non inquantum plura, & ratio eſt, quia reduplicatio iſta non reſpicit ſuppoſita ſpirantia, ſed ſolum principium ſpiratiuum, quod eſt vnum in eis. d.12. q.1. d.12.

Gregorius reſp. quod licet Pater, & Filius ſint duo, qui ſpirant Spiritum ſanctum, quia tamen vno, eodemque modo ipſum ſpirant, ideo dicuntur ipſum producere, vt vnū. d.22.

Ioan. Bacc. reſp. quod ſi attenditur ordo, ſeu habitudo potentiæ ſpiratiuæ ad ſuppoſita ſpirantia, quoniam ad eſſentiam potentiæ ſpiratiuæ, etiamſi ipſa vnica exiſtat, pertinet exiſtentia in duabus, ſicut ad eſſentiam potentiæ creatiuæ exiſtentia in tribus, ita eſt verum, quod Pater, & Filius ſpirant vt plura, ideſt, ſpirant ſecundum quod potentia ſpiratiua ſecundum eſſentiam ſuam exiſtit in pluribus, ſi verò attenditur ordo reciprocus ipſorum ſuppoſitorum in habitudine ad vim ſpiratiuam, quoniam ad eſſentiam potentiæ ſpiratiuæ nō pertinet pluralitas perſonarum, ſed tantum connotatur, ideo negandum eſt, quod ſpirent vt plura, ſicut etiam negatur, quod vt plura creant. d.12.

Guilel. Rub. reſp. quod ly inquantum poteſt ſumi quadrupliciter, vt eſt nota præciſionis, d.12.

vt

Digitized by Google

vt nota reduplicationis, vt nota ſpecificationis, & vt nota conditionis, ſine qua non, & hoc modo præſertim poteſt dici, quod Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum, inquantum ſunt vnum eſſentialiter; poteſt etiã dici, quod eundem ſpirant, inquantum ſunt vnum principium ſpirans accipiendo ly inquantum, vt eſt nota reduplicationis, ſpecificationis, & etiam præciſionis.

d.12. Michael de Bonon. reſp. quod Spiritus ſanctus eſt vna perſona perfecta ſimpliciſſima producta, igitur ab vno ſolo, & ſufficienti principio, nullum enim perfectum productũ poteſt habere plura æquè perfecta, & ſufficientia principia productiua; nam a quolibet produceretur, & a nullo; principium enim perfectum ſufficienter producit ſuum principiatum, & ſufficiens eſt ſibi fruſtrà.

d.12. q.2. Gabriel reſp. quod ſpirare; primò, conuenit vni, quod eſt conſtitutum ex eſſentia, & ſpiratione actiua, & in hoc ſenſu dicunt ſancti quod ſpirant, vt vnum.

d.11. q.3. Fran. a Chriſto reſp. quod Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum vt multi, & vt elicientes actum ſpirationis, & vt concordes, & conſentientes ad huiuſmodi actionem; primò, quia actiones ſunt ſuppoſitorum; ſecundò, quia principium formale proximum ſpirandi non eſt voluntas ſimpliciter, ſed voluntas concors, quæ concordia non eſt niſi in pluribus; & ſic Pater, & Filius ſpirant, vt multi, & diſtincti, & nullo modo, vt vnum ſiue attendatur ad principium quod, ſiue quo.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſuppoſito quod Pater, & Filius ſint duæ perſonæ producentes Spiritum ſanctum, vnamque, & eãdem habeãt virtutem producendi eum, cum quæritur; an producant eum inquantum vnum, an inquantum plura, iſta nota reduplicationis inquantum, non cadit ſuper virtutem, neque ſuper perſonas, ſed ſuper vnitatem tantum, & pluralitatem; ex quo ſenſus eſt talis, An cum ſint duæ perſonæ Pater, & Filius producant Spiritum ſanctum, inquantum plura; an verò cũ vnam, eandemque habeant virtutem producendi producant, vt vnum? Et dicendum eſt quod non inquantum plura; ſed inquantum vnum ipſum producunt, & ratio eſt, quia hæc nota reduplicationis inquantum ſemper importat cauſam, ſeu rationem formalem inhærentiæ prædicati ad ſubiectum; certum eſt autem quod Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum, non quia ſunt perſonæ, ſed quia habent virtutem ſpiratiuam, & quoniã in tali virtute conueniunt, & nõ diſtinguũtur, ideo inquantum vnum ipſum producunt, non inquantum plura:

Sed ſi actiones ſunt ſuppoſitorum? inquantum autem ſuppoſita Pater, & Filius ſunt diſtincti, ac plures? Obiectio.

Reſpondetur, quod actio vna, vt eſt accidens non poteſt eſſe plurium ſuppoſitorum, ſed vnius tantum, actio verò vt origo, qualis eſt productio Spiritus ſancti, quia ſic cõparatur ad ſuum ſuppoſitum ſecundum quod principium, eſt vna etiam plurium ſuppoſitorum; & quoniam Pater, & Filius ſe habent tanquã vnum principium Spiritus ſancti, etiam ſi plura ſunt ſuppoſita, vna tamen eſt actio, & ratio producendi Spiritum ſanctum. Ita D. Bonau. Et Ægidius. Licet actio, quæ eſt productio Spiritus ſancti ſit ſuppoſitorum, reduplicatio tamen ſumitur ſecundum comparationem ad virtutem.

QVAESITVM IX.

An Pater & Filius poſſint dici duo, ſiue plura principia producentia Spiritum ſanctum?

D. Thomas reſp. quod Pater, & Filius dicuntur vnum principium Spiritus ſancti, non propter vnitatem productionis, vel vnum modum ſpirandi, quia ſic etiam poſſent dici vnum ſuppoſitum, nec propter vnitatem naturæ, quia ſic etiam eſſet principium ſui Spiritus ſanctus; ſed propter vnitatem notionis, quam importat hoc nomen principium. d.29. a.4. q.1.

Et iterum reſp. quod cum Pater, & Filius in omnibus ſint vnum, in quibus non diſtinguit inter eos relationis oppoſitio, & in hoc, quod eſt eſſe principium Spiritus ſancti non opponantur relatiuè, ſequitur quod Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti. Et ſimiliter, cum nomen ſubſtantiuum vel ſaltem ſignificans aliquid per modũ ſubſtãtiui accipiat numerum a forma ſignificata, hoc autem nomen principium ſignificet proprietatem per modum ſubſtantiui, quæ eſt vna, qua Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum, ſequitur quod Pater, & Filius ſunt vnum principium eius. Item Molina. p.p. q.36. a.4.

D. Bonau. reſp. quod vna fæcunditas dicit vnitatem principij, & quoniam Pater, & Filius, inquantum ſpirant Spiritum ſanctum habent vnam voluntatis fæcunditatem, quia ſpirant, inquantum vnus Deus improceſſibilis improceſſibilitas autem dicit voluntatis fæcunditatem, idcirco propter hanc vnam volũta- d.29. q.2.

Digitized by Google

tatis fæcunditatem ſunt vnum principium Spiritus ſancti.

d.29. q.3. Ægidius reſp. quod quando ad vnam actionem concurrunt plura principia tunc, vel vnũ reducitur ad aliud, vt inſtrumentum illius, vel vtrumque ad aliquid tertium, tanquam agens ſuperius, cum itaque in productione Spiritus ſancti, nec Filius ſit inſtrumentum Patris, nec Pater Filij, neque ſimiliter vterque reducatur ad aliquid agens ſuperius, idcirco non ſunt plura; ſed vnum tantum principium Spiritus ſancti.

a.54. q.6. Henricus reſp. quod hoc nomen principiũ ſignificat ſubſtantiam ſub ratione reſpectus per modum ſuppoſiti, vnde ſupponit pro ſuppoſito ſub indifferentia, & indeterminatione quadam, ſicut hoc nomen Deus, & ideo de ſuo ſignificato dicit prius rationem elicitiuã, quam ſuppoſitum, in quo eſt, quod per ipſam actum elicit, quamuis etiam pro ipſo ſupponat, & quoniam vna eſt eſſentia, quæ eſt prima ratio elicitiua omnium diuinorum actuum, & ratio principij maximè prima attribuitur Deo; ideo in diuinis non eſt, niſi vna ratio principij proprijſſimè accepti, & non dicitur, niſi ſingulariter, quoquo modo ſumatur, & ſic Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti propter eſſentiam vnam ſub ratione reſpectus, & relationis ſimpliciter, quam habent ad Spiritum ſanctum in producendo ipſum.

a.60. q.7. Et infra dicit quod Pater, & Filius ſunt vnũ principium Spiritus ſancti propter vnam rationem agendi, quæ eſt uis elicitiua.

d.9. Ioan. Scotus reſp. quod in illo ſigno originis, quo Filius producitur per fæcunditatem intellectus, communicatur ei fæcunditas voluntatis, per quam producitur Spiritus ſanctus, & quoniam talis fæcunditas eſt vna, idcirco Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti.

d.29. q.2. Duran. reſp. quod principium aliquando ſumitur pro agente, & aliquando pro forma; ſi ſumitur primo modo licet Pater, & Filius ſint duo agentia, non eſt tamen in vſu, quod dicantur duo principia, ſed magis duo principiantia, quia agens magis propriè dicitur principians, quam principium; ſi ſecundo modo, licet propria locutio ſit, quod in Patre, & Filio ſit vnum principium, quo ſpirant Spiritum ſanctum, quod eſt vis ſpiratiua, eſt tamẽ vera locutio etiam iſta, licet non æque propria, ſicut illa, Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti, quia omnis productio directius attenditur ex principio, quo agens agit, quam ex ſuppoſito, quod agit; propter hanc itaque vnitatem virtutis, concedendum eſt, quod Pater, & Filius licet ſint plura producentia, ſint tamen vnum principium Spiritus ſancti.

Petrus Aureol. reſp. quod Pater, & Filius d.12. debent dici vnum principium Spiritus ſancti a.4. propter vnicam principiationem, eſt enim principium nomen ſubſtantiuum, propter quod ſignificat habitudinẽ principij per modum ſuppoſiti; ſicut ergo non plurificatur talis habitudo, quæ eſt principiatio, ita nec plurificari debent principia.

Franc. Maro reſp. quod principiũ Spiritus d.12. ſancti eſt duplex quod, & quo; Pater, & q.1. Filius non ſunt vnum principium Spiritus ſancti quod; quia tale principium eſt ſuppoſitum, Pater autem, & Filius non ſunt vnum ſuppoſitum, ſed plura, nec ſimiliter ſunt vnũ principium quo formaliter, quia tale principium eſt vis ſpiratiua, quæ non dicitur formaliter de Patre, & Filio; ſed bene ſunt vnũ principium quo identicè Spiritus ſancti, quia voluntas, quæ eſt tale principium quo principiant identicè dicitur de Patre, & Filio. Item Nicolaus de Nijſe tr. 1. p. 2. p. 2. q.44.

Guilel. Occham reſp. quod de virtute ſer- d.12. monis vtraque harum propoſitionum poteſt q.1. concedi, & quod Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti; conſtitutum enim ex eſſentia, & ſpiratione actiua, quale eſt Pater, & Filius, propter vnitatem eſſentiæ, & ſpirationis, eſt vnum; & quod ſimiliter ſint plura, quia tale principium poteſt ſupponere pro perſona, & perſona Patris, & Filij non eſt vna, ſed plures; quoniam tamen communiter negatur de aliquo pluralitas, de quo affirmatur vnitas, ideo ſimpliciter loquendo, & ſtando cum determinatione Eccleſiæ dicendum eſt Patrem, & Filium vnum eſſe principium Spiritus ſancti, non plura.

Adam Godam reſp. quod hæc propoſitio d.33. Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiri- q.7. tus ſancti poteſt habere tres intellectus, primum, quod ſit vnũ principium perſonæ Spiritus ſancti, denominando illud principium vnum perſonale a perſona vna producta, & in hoc ſenſu non eſt difficultas; ſecundum, quod ſit aliquid principium quo elicitiuum ſpirationis actiuæ & quod Pater, & Filius eſt huiuſmodi principium quo, puta voluntas, & ſic quoniam ſpiratio actiua, nec principiatur, nec elicitur, Pater, & Filius non ſunt huiuſmodi vnum principium; tertium, quod ſit aliquid principium commune aliquibus perſonis, non omnibus; & ſic eſt verum, & iſtud commune principium eſt ſpiratio actiua, &

eſt

eſt vnum principium ſpirans Spiritum ſanctum, & eſt illud, quod intrinſecè, & per ſe; primò modo eſt, tam eſſentia diuina, quam ſpiratio actiua, ſeu ſpirator.

d.11. Thomas ab Argen. reſp. quod ſicut dicimus totam Trinitatem vnũ Deum, & vnum principium creaturæ, eo quod eſſentia diuina cum reſpectu ad creaturam ſit vna toti Trinitati communis; ſic debemus dicere, quod Pater, & Filius, ſunt vnum principium Spiritus ſancti propter vnam virtutem ſpiratiuam, quæ eſt ambobus communis; ſicut enim ſe habet tota Trinitas in actu creationis ad creaturam, ſic ſe habet Pater, & Filius in actu ſpirationis ad Spiritum ſanctum. Item Marſilius; Alfonſus, & Guilelmus Rubion.

d.12. q.1. Greg. reſp. quod ſi attendamus ad proprietatem ſermonis, ſecundum quam termini pluraliter, addito termino numerali, verè prædicantur, cum actualiter ſupponunt pro pluribus, ſic Pater, & Filius non poſſunt dici vnũ principium Spiritus ſancti; ſed duo, ſicut duo ſunt, qui principiant Spiritum ſanctum, non vnum; ſi verò attendamus ad ſenſum, ſecundum quem communiter locuti ſunt ſancti, ſic Pater, & Filius debent dici vnum principium, non plura Spiritus ſancti; vel quia vno eodem modo, & ſimul, tanquã vnum principium ſpirant Spiritum ſanctum; vel quia non ſecundũ quod ſunt in perſonis diſcreti, & alij ab inuicem, ſed ſecundum quod ſunt vnum penitus in natura, ſpirant Spiritum ſanctum.

d.12 q.1. Gabr. Biel reſp. quod vnum tantum eſt conſtitutum ex eſſentia, & ſpiratione actiua, cum ſit tantum vna ſpiratio, & hoc eſt, quod verè ſpirat Spiritum ſanctum; igitur & Pater, & filius ſunt tantum vnum principium ſpirans Spiritum ſanctum.

q.8. a.2. Petrus Aliac. reſp. quod in propoſito quæſito hoc nomen principiũ eſt nomen collectiuũ, quod pro nulla perſona immediatè ſupponit; ſed mediatè pro Patre, & Filio; ſicut ergo conceditur de virtute ſermonis, quod Deus generat Deum, & tamen non ſunt plures dij, ſed vnus Deus, ita æque faciliter eſt concedendum Patrem, & Filium ſpirare Spiritum ſanctum, non tamen eſſe plura principia ſpirantia ipſum, ſed vnum tantum.

d.10. & 11 Laur. Opimus reſp. quod voluntas diuina ſimpliciter exiſtens in ipſis duobus ſuppoſitis eſt productiuum principium Spiritus ſancti, & quoniam eſt præcisè vnica, ſuppoſitaliter exiſtens in Patre, & Filio; ideo Spiritus ſanctus procedit ab eis, vt vno principio ſpiratiuo.

d.11. Michael de Pal. reſp. quod ſicut duæ qualitates motiuæ, quæ inter ſe ſunt diſcretæ .ſ. diſp.2 grauitas, ac leuitas, in elementis medijs repertæ, ita contemperantur, vt ſint vnum principium, & non plura motiua principia, quia eſt vnus motus ſimplex cuiuſuis elementi; ita quoque, & Pater, & Filius, etiam ſi ſint diſcretæ perſonæ, & multæ, in ratione tamen ſpiratiui principij ſunt vnum, & indiſcretè, & indiuiſibiliter ſpirant.

Guilel. Varill. reſp. quod in iſta productione, d.12. Pater, & Filius poſſunt tripliciter conſiderari; a.1. primò, quantum ad voluntatem fæcundam, & ſpirationem actiuam, & ſic vt vnum producunt, quia eandem voluntatem, & ſpirationem habent; ſecundò, quantum ad productum, & ſic idem producunt, quia Spiritum ſanctum; tertiò, in modo habendi, & ſic diſtinguuntur, quia Pater a ſe, & Filius ab alio, hoc tamen nõ facit varietatem in vnitate principij, ſed tantum in modo habendi.

Gregor. de Val. reſp. quod in diuinis eſt d.10. vnum quodam ſimpliciſſimum, quod conſtat diſp.2 ex perſona Patris, & Filij, & eſſentia diuina, & relatione ſpirationis, quod ſibi identificat Patrem, & Filium; nam ſicut omnes perſonas, quia conueniunt in ratione abſoluti, & conſtituunt vnum quid ſimpliciſſimum, quod eſt Deus, & eſſentia diuina, fatemur eſſe vnum principium quod creaturarum, ita etiam cum Pater, & Filius conueniant peculiariter, non ſolum in eſſentia, ſed in relatione ſpirationis, & conſtituant vnum quid ſimpliciſſimum, oportet intelligere vnum conſtitutum ex his duabus perſonis, & eſſentia, ac relatione ſpirationis, & quamuis hoc vnũ non ſit ſuppoſitum, identificat tamen ſibi duo ſuppoſita; & ſic Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod Pater, & Filius cum ſint duæ perſonæ per ſe ſubſiſtentes, & diſtinctæ, quarum vtraque eſt principium Spiritus ſancti, quia vtraque producit Spiritum ſanctum non poſſumus effugere, quin dicamus eſſe duo principia productiua Spiritus ſãcti, quia tamen vno, eodemque modo, vna & eadem virtute, ipſum producunt, oportet etiam addere, quod ipſum producunt tanquam vnum principium eius, quia nulla eſt diſtinctio, aut pluralitas in ratione principij; ſunt ergo plura principia, ſed ſe habent tanquam vnum, & hæc eſt determinatio Concilij Lugd. Spiritus ſanctus a Patre, & Filio, non tanquam a duobus principijs, ſed tanquam ab vno principio.

Sed

Digitized by Google

Obiectio. Sed ſi Pater, & Filius tanquam vnum principium producunt Spiritum ſanctũ numquid vnum quod eſt Pater? aut vnum quod non eſt Pater? ſi enim vnum quod eſt Pater, ergo Filius eſt Pater, & ſi vnum quod non eſt Patre, Pater non eſt Pater.

Reſpondetur, quod ſeparatim loquendo, Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum, tanquam vnum principium, neque quod eſt Pater, neque quod non eſt Pater, ſed coniunctim; nam relatio, quæ includitur nomine principij, non ſupponit determinatè pro aliquo ſuppoſitorum, producunt igitur Pater, & Filius Spiritum ſanctum tanquam vnum principium, quod eſt Pater pro vno, & quod non eſt Pater pro alio. Ita Henricus.

QVAESITVM X.

An Pater, & Filius poſſint dici idem principium Spiritus ſancti?

d.6. q.6. GVilel. Antiſiod. reſp. quod licet hæc dictio idem reſpiciat formam, tamen quia non ſolam formam refert, ſed etiam idem ſuppoſitum, eſt enim relatiuum identitatis; ideo eſt falſa propoſitio, Pater, & Filius ſunt idem principium Spiritus ſancti.

q.36. a.4. D. Thomas reſp. quod conuenienter poteſt dici, quod Pater, & Filius ſunt idem principium Spiritus ſancti, ſecundum quod ly principium ſupponit confusè, & indiſtinctè pro duabus perſonis ſimul.

d.29. q.4. D. Bonau. reſp. quod cum dicitur idem principium deſignatur ſuppoſitum actiuum, quoniam ly idem præfert ſuppoſitum, quia tale pronomen certam ſignificat perſonam, ly verò principium præfert actiuum, & quoniã ſuppoſitum actiuum, quod .ſ. ſpirat Spiritum ſanctum non eſt idem, nec vnum, ideo nec Pater, & Filius poſſunt dici idem principium Spiritus ſancti.

d.29 q.2. Ricardus reſp. quod ſub eodem ſenſu, quo conceditur Patrem, & Filium eſſe vnum principium Spiritus ſancti, concedendũ eſt, quod Pater, & Filius ſunt idem principium Spiritus ſancti, relatiuum enim facit de re ſecunda notitiam reſpectu eius, quod ſignificat antecedens, hæc autem, Pater, & Filius ſunt vnũ principium Spiritus ſancti antecedit ad hanc, Pater, & Filius ſunt idem principiũ Spiritus ſancti; ſicut ergo ſunt vnum vnitate principij, ita idem ſunt identitate principij.

d.29. a.1. Guilel. Varrill. reſp. quod quia Pater, & Filius ſunt duo ſuppoſita, ideo non ita conceditur Pater, & Filius ſunt idem principium Spiritus ſancti, ſicut iſta, ſunt vnum principiũ.

Guilel. Eſt. reſp. quod Pater, & Filius quo ad id, quod ad ſpirationem attinet ſunt ambo vnum, idemque principium, vno, & eodem ſpirationis actu Spiritum ſanctum producentes; ſicut Pater, Filius, & Spiritus ſanctus vno, & eodem creationis actu, ſunt vnum, idemque principium creaturarum. d. 11. tr. 2

Reſolutio.

REſpondeo, quod ſicut non poſſumus effugere, quin Pater, & Filius ſint plura principia Spiritus ſancti cum ſint plures perſonæ per ſe ſubſiſtentes, & diſtinctæ, quarum quælibet, eſt principium, & vna non eſt alia etiam in ſpirando Spiritum ſanctum, ita nec effugere poſſumus, quod nõ ſint diuerſa principia Spiritus ſancti, quia tamen in ſpirando Spiritum ſanctum non diuerſificantur, cum vno, & eodem actu, ac virtute ipſum ſpirent; idcirco ad inſinuandam huiuſmodi vnitatem, & indiſtinctionem actus, & virtutis, concedimus, quod ſunt idem principium Spiritus ſancti, hoc eſt; ita ſe habent ad Spiritum ſanctum, ac ſi vnum eſſet ſimpliciter, & idem ſpirans Spiritum ſanctum, & propterea eſſet magis propria locutio ſi diceretur, Pater & Filius tanquam vnum, & idem principium, producunt Spiritum ſanctum.

Sed ſi Pater eſt principium a ſe producendi Spiritum ſanctum, & Filius hoc habet a Patre, vt .ſ. producat Spiritum ſanctum? Obiectio.

Reſpondetur, quod ad hoc, vt poſſint dici Pater, & Filius ſe habent tanquam idem principiũ in productione Spiritus ſancti, ſufficit, quod non diuerſificentur in modo agẽdi per illud, ſiue in modo producendi Spiritum ſanctum, quod pertinet ad rationem principij, non in modo habendi illud, ſiue à ſe, ſiue ab alio.

QVÆSITVM XI.

An Pater, & Filius ex eo quod ſpirant Spiritum ſanctum poſſint dici duo ſpirantes?

DIuus Thomas reſp. quod hoc participium ſpirans importat actum, & quoniam actus accipit numerum a ſuppoſitis, idcirco cum ſint duo ſuppoſita, quæ concurrunt ad actum ſpirandi, Pater .ſ. & Filius; quamuis ipſe actus ſit vnus, ipſi poſſunt dici duo ſpirantes. d. 11. a.4.

Et iterum reſp. quod ideo poſſumus dicere Patrem, & Filium, eſſe duos ſpirantes, quia ſpirans eſt nomen adiectiuum, nomina q.36. a.4.

autem adiectiua habent numerum ſecundum ſuppoſita. Item Marſilius. q. 16. ar. 3.

d.11. q.4. Ægidius reſpondet eodem modo ferè ſicut D. Thomas, quod cum Pater, & Filius ſint duo ſuppoſita, quæ deſignantur a participio, & verbo in plurali numero prolato, idcirco dici poſſunt, & duo ſpirantes, & duo qui ſpirant.

d.12. q.vn. Petrus Aur. reſp. quod verbum, & adiectiuum, quantuncumque enuncientur pluraliter non denotant ſuum ſignificatum plurificari, quia ſuppoſita, quæ denotantur plurificari ſunt extra ſignificata eorum, & ideo poteſt concedi, quod Pater, & Filius ſunt duo ſpirantes, & duo, qui ſpirant.

d.12. q.1. Franciſcus Maro reſp. quod quia ly duo non ponit ſignificatum ſuum circa ſpirantes, & ex conſequenti non plurificat ſpirationem, poteſt concedi, Patrem, & Filium eſſe duos ſpirantes.

d.12. q.1. Guile. Occham reſp. quod ſecundum cõmunem vſum loquendi, Pater, & Filius poſſunt dici duo ſpirantes, quatenus ly ſpirans ſupponit pro perſona, Pater autem, & Filius ſunt duæ perſonæ, & ita duo ſpirantes; ſed ſecundum virtutem ſermonis vnum eſt tantum ſpirans, conſtitutum .ſ. ex eſſentia, & ſpiratione actiua, & ex conſequenti Pater, & Filius, cum ſint hoc conſtitutum, quatenus ſpirant Spiritum ſanctum, non poſſunt dici duo ſpirantes, ſed vnus ſpirans. Item Gabriel.

d.12. q.vn. Ioan. Maior reſp. quod hoc nomen numerale duo cum adiectiuo ponit pluralitatem circa ipſas perſonas, quæ cum ſint duæ, duo etiam ſunt dicendi ſpirantes.

q.36. a.4. Ludou Mol. reſp. quod non eſt neceſſaria pluralitas ſignificati formalis ad hoc, quod concreta adiectiua pluraliter dicantur, ſed ſufficit pluralitas ſuppoſitorum Patris, & Filij, & ideo cum Pater, & Filius ſint duo ſuppoſita, duo etiam poſſunt dici ſpirantes, cum quibus ſimiliter conſtruitur hoc nomen numerale duo, & non cum adiectiuo a parte prædicati, neque illud determinat.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod idem ſignificatum habet participium, quod ſuum verbum cũ pronomine relatiuo, vnum enim reſoluitur per aliud, vt amans, ideſt, qui amat, & ſcribens, ideſt, qui ſcribit, & econuerſò; & quoniam Pater, & Filius ſunt duo, qui ſpirant Spiritum ſanctum, idcirco poſſunt dici duo ſpirantes Spiritum ſanctum.

Obie- Sed ſi eſt vnus tantum ſpiratus? ſpirans autem eſt correllatiuum ſpirati, & quandocunque vnum relatiuorum dicitur multipliciter; ita & reliquum, & econuerſò? Dic.

Reſpondetur, quod quandocumque vnũ relatiuorum dicitur multipliciter multiplicitate rationum ſpecificarum, oportet etiam alterum multipliciter dici; ſed ſi vnum plurificatur ſecundum numerum ſolum, non oportet alterum plurificari ſimiliter, vnus enim Pater refertur ad multos Filios; ſic itaque in propoſito vnus ſpiratus poteſt referri ad plures ſpirantes, quia illa pluralitas eſt ſolum ſecundum numerum ſuppoſitorum, & non ſecundum diuerſitatem ſpecificam relationum, aut numeralem. Ita Durandus.

QVÆSITVM XII.

An Pater, & Filius poſſint dici duo ſpiratores in eo, quod ſpirant Spiritum ſanctum?

Albertus reſp. quod Pater, & Filius poſſunt dici duo ſpiratores, quia actus ſpirandi geminatur, ſecundum quod eſt in ſpirantibus. q.31. m.2.

D. Thomas reſp. quod ſicut Pater, & Filius, dicuntur duo ſpirantes, quia participium importat actum, qui accipit numerum a ſuppoſitis, ita etiam poſſunt dici duo ſpiratores, nam ſpirator eſt nomen verbale, quod etiam importat actum ſicut participiũ. d.11. a.4.

Et iterum reſp. quod Pater, & Filius licet poſſint dici duo ſpirantes, non tamen poſſunt dici duo ſpiratores, quia cum ſpirans ſit nomen adiectiuum, ſpirator verò ſubſtantiuum, & nomina adiectiua habeant numerum ſecundum ſuppoſita, ſubſtantiua verò a ſeipſis ſecundum formam ſignificatam, quæ in propoſito eſt vna .ſ. ſpiratio, propterea ſecundum ipſam Pater, & Filius, non poſſunt dici duo ſpiratores, ſed vnus, quamuis ſecundũ ſuppoſita poſſint dici duo ſpirantes. p.p. q.36. a.4.

Ægidius reſp. quod nulla eſt difficultas ad aſſerendum, quod Pater, & Filius ſunt duo ſpiratores in productione Spiritus ſancti ſicut duo ſpirantes, niſi hæc; quia etiam Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt plures creantes, quia ſunt plura ſuppoſita, & tamen propter vnitatem deitatis dicuntur vnus tantum creator, vnde a ſimili videtur eſſe dicendum de Patre, & Filio in productione Spiritus ſancti, quod propter vnam vim ſpiratiuam debeant dici vnus ſpirator; & ideo inquit, quod non eſt ratio ſimilis de deitate in denominando Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum creatorem, & de vi ſpiratiua in denomi- d.11. q.4.

Digitized by Google

minando Patrem, & Filium ſpiratorem, quia deitas, ita eſt ratio creandi, quod etiam creat, vis verò ſpiratiua, ita eſt ratio ſpirandi, quod non ſpirat; & ideo ſublata hac difficultate, reſpondet, quod Pater, & Filius ſunt duo ſpiratores in productione Spiritus ſancti, ſicut duo ſpirantes. Item Argentina.

d.11. q.5. Ricardus reſp. quod vtraque pars eſt probabilis, & quod Pater, & Filius ſunt vnus ſpirator propter vnam vim ſpiratiuam, ſicut per vnam, & eandem vim creatiuam Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnus creator, & quod ſimiliter ſunt duo ſpiratores, quia nomen verbale, vt eſt ſpirator, trahit numerum a ſuppoſitis.

a.54. q.6. Henricus reſp. quod nomen verbale ſignificat actum in habitu, qui ſemper reſpicit vim elicitiuam actus, quæ ſi eſt diuerſa in diuerſis ſuppoſitis tunc pluraliter prædicatur de ipſis, vt cum dicitur Sortes, & Plato ſunt duo ædificatores; ſi verò eſt eadem, vel eodem modo eſt elicitiua actus, abſque omni connotatione diſtinctionis ſuppoſitorum, vel non eodem modo eſt elicitiua actus, vt eſt in vno, & in altero, ſed connotat diſtinctionem ſuppoſitorum in modo agendi; ſi primo modo nomen verbale non dicitur niſi in ſingulari, vt hoc nomen creator; ſi verò ſecundo modo pluraliter, & tale eſt hoc nomen ſpirator; perſonæ enim Pater, & Filius, eliciunt actum non niſi vt connotantur diſtinctæ, & ipſa virtus non eodem modo, quia non eliciunt, vt penitus ſunt idem in vi ſpiratiua, ſed etiam vt ſunt plures ſecundum ſe; dicuntur ergo bene duo ſpiratores, eo quod in illa vi ſpiratiua propter connotatum ſunt plures, & propter principale ſignificatum, ſunt vnum.

d.12. q.1. Ioan. Scotus reſp. quod nomen verbale ſignificat principium agendi, vt denominat ſuppoſitum actiuum; ſpirator autem eſt nomen verbale, & ideo ſignificat vim ſpiratiuam, vt concernit ſuppoſitum, & quoniam vna eſt vis ſpiratiua in Patre, & Filio, & terminus numeralis, vt vnum, & duo, appoſitus alicui determinabili ponit ſuum ſignificatum circa illud; ideo de virtute ſermonis non eſt concedendum, quod ſint duo ſpiratores, alioquin dicendo duos ſpiratores, diceremus etiam duas virtutes ſpiratiuas. Item Franciſcus Maro, & Nicol. de Nijſe.

d.11. q.3. Herueus reſp. quod Pater, & Filius ſunt vnus ſpirator, quia ſunt vnum in ſpirando, ſiue in actu ſpirandi, quem actum nomen verbale importat per modum nominis ſubſtantiui.

d.29. q.3. Durandus reſp. quod iſta quæſtio non eſt de re, ſed de modo loquendi, qui in diuerſa tendit, eſt tamen ex vtraque parte probabilis, & eorum, qui dicunt, quod non ſunt plures ſpiratores, quia res importata per hoc nomen verbale non plurificatur, & eorum etiam, qui dicunt eſſe plures, quia ſpirator eſt nomen concretum ſignificans actum, & ideo plurificatur ad plurificationem ſuppoſitorum intelligitur enim talis actus, vt egrediens a ſuppoſito.

d.11. q.2. Thomas Anglicus reſp. quod qnia creato quaſi accidit, quod ſit a pluribus ſuppoſitis, ſpirato verò, ſiue ſpirationi per ſe conuenit eſſe a pluribus, ideo magis propriè dicitur pluralitas ſpiratorum, quam pluralitas creatorum.

d.12. a.4. Petrus Aur. reſp. quod ſola nomina ſignificantia ſuppoſitum trahunt numerum a ſeipſis, vt ſunt pronomina, & nomina ſubſtantiua, alia verò, ſiue ſint verba, ſiue participia, ſiue nomina adiectiua trahunt numerum ab his, quæ in ſuo ſignificato claudunt ſuppoſita, & ideo cum plurificatur ſubſtantiuum datur intelligi, quod forma ſignificata per modum ſuppoſiti, plurificatur; & hæc eſt ratio, quare Pater, & Filius non dicuntur duo ſpiratores, eſſet enim ſenſus, quod eſſent duo ſuppoſita duas ſpirationes habentia.

d.12. q.1. Guilel. Occham reſp quod de virtute ſermonis dicendum eſt, quod Pater, & Filius ſunt vnus ſpirator, ſicut & vnum ſpirans, quod eſt conſtitutum ex eſſentia, & ſpiratione actiua, ſicut vnum eſt, quod ſpiratur, conſtitutum ſcilicet, ex eſſentia, & ſpiratione paſſiua.

d.11. a.3. Gerardus reſp. quod actus ſpirandi attribuitur ſuppoſitis habentibus virtutem ſpirandi, & ideo terminus numeralis additus nomini adiectiuo, vel ſubſtantiuo ſignificanti virtutem in ordine ad actum non numerat ipſam virtutem, ſed ſuppoſitum, & ideo cum plura ſint ſuppoſita, plures etiam ſunt ſpiratores.

d.12. q.vn. Ioan. de Baſſ. reſp. quod Pater & Filius in ſpirando Spiritum ſanctum non ſunt duo ſpiratores, ſed vnus; primò, quia ſpirator eſt nomen ſubſtantiuum, nomen autem ſubſtantiuũ non plurificatur, niſi plurificetur ſignificatum, trahit enim ſubſtantiuũ vnitatem a propria forma, & hæc vna eſt .ſ. virtus ſpiratiua; ſecundò, quia Pater, & Filius ſunt vnum principium ſpirandi quo, quod eſt voluntas; hoc autem principium conuenienter exprimitur per hoc nomen ſpirator; tertiò, quia non ſolus Pater, vel ſolus Filius correſpon-

det adæquatè voluntati fæcundæ, vel ſpirationi actiuæ; ſed vterque ſimul, vt vnum hoc exprimitur per hoc nomen ſpirator.

d. 12. Michael de Bon. reſp. quod Pater, & Filius ſunt vnus ſpirator; primò, quia ſunt vnum principium Spiritus ſancti; ſecundò, quia eſt vna, & ſimplex ſpiratio actiua in eis; tertiò, quia ſi eſſent plures ſpiratores, vel vnus eſſet alteri ſubordinatus, ita quod vnus per prius ſpiraret, alter verò per poſterius, quod eſt inconueniens; vel eſſent ambo æqualiter ſpirantes, quod ſimiliter eſſe non poteſt, aut vnus ſufficienter ſpiraret ſine alio, & ſic alius ſuperflueret, aut non ſufficienter, & ſic in diuinis aliquid produceret aliquid, quod per ſe eſſet impotens, quod ſimiliter eſt inconueniens.

d. 12. q. vn. Ioan. Maior reſp. quod Pater, & Filius nō ſunt duo ſpiratores, quia adiectiuum duo additum ſubſtantiuo denotat dualitatẽ virtutis ſpiratiuæ; ſicut nec dicuntur duo creatores, Item Guil. Rubion & Guil. Varrill.

d. 11. diſp. 3 Michael de Pal. reſp. quod licet hæc locutio, plures ſunt ſpiratores, poſſit habere ſenſum catholicum; non eſt tamen deducenda in vſum, ſed potius temperanda ſecundum proprietatem, & diuini honoris regulam, nihil autem offendit aures pias, ſi dicatur, ſũt vnus ſpirator, ſicut duo ſpiratores; & ideo Pater & Filius dicendi ſunt vnus ſpirator, non duo, ſiue plures ſpiratores.

q. 35. a. 4. diſp. 2 Ludou Molina reſp. quod cum hoc nomen ſpirator ſit ſubſtantiuum, formaleque ſignificatum illius ſit vnum, & idem in Patre, & Filio, ideo non dicitur in plurali, ſed in ſingulari tantum, Pater, & Filius ſunt vnus ſpirator Spiritus ſancti.

de tr. l. 10. c. 7. Franc. Suar. reſp. quod Pater, & Filius ſunt vnus ſpirator Spiritus ſācti, vt ly ſpirator immediatè ſupponit pro ſubſiſtente in hac virtute ſpirandi, ita quod ex parte virtutis dicat ſingularitatem, ex parte verò ſubſiſtentiæ communiter, & confuſe dicat ſubſiſtens in illa virtute, cum conditione ſufficienti ad ſpirandum.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſicut idem ſignificatum habent verbum cũ pronomine relatiuo, & participium, vt qui legit, & legens; ita idem ſignificatum habent participium, & nomen verbale; quod enim ſignificat participiũ per modum actus, ſignificat nomen verbale per modum habitus, vt lector; & quoniam ſicut dictum eſt Pater, & Filius ſunt duo ſpirantes Spiritum ſanctum, quia duo qui ſpirant Spiritum ſanctũ ita etiam ſunt duo ſpiratores.

Sed ſi Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus quia conueniunt in creando, dicuntur vnus creator? Obiectio.

Reſpondetur, quod creare eſt actus eſſentialis, & ideo plurificari non poteſt, ſpirare verò actus notionalis, & ideo ſuum verbale quod eſt ſpirator plurificari poteſt, plures enim ſunt qui ſpirant, quia plures perſonæ, non qui creant, quia non plures Dij.

QVÆSITVM XIII.

An Virtus, qua Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum dicat quid, an ad aliquid?

Ægidius reſp. quod potentia ſpirandi, ſiue virtus, qua Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum, eſt eſſentia, ſub ratione qua voluntas, & ideo dicit ſimpliciter quid, non ad aliquid, ſicut & potentia generandi; eſt enim de vtraque iudiciũ idem. d. 11. q. 3.

Ricardus reſp. quod ſicut potentia generandi dicit diuinam naturam cum modo habendi eam nō ab alio, & ita cum proprietate innaſcibilitatis; ita potentia ſpirandi dicit voluntatem diuinam cum modo habendi eam non ab alio per ſpirationem, & ita cũ ratione inſpirabilitatis; & ideo dicit quid, & ad aliquid ſimul, formalius tamen ad aliquid, eo quod formalius videtur nominare modũ habendi diuinam voluntatem non ab alio, quam ipſam voluntatem. d. 1. q. 4.

Thomas ab Argentina reſp. ſicut de potẽtia generandi, quod quantum ad ſuum principale ſignificatum dicit ſimpliciter rem abſolutam, quantum verò ad ſuum connotatum etiam reſpectum. d. 11. q. 5.

Guilel. Rub. reſp. quod ſi eſſentiale ſumitur pro eo, quod eſt omnibus perſonis commune, & notionale non, ſic virtus ſpiratiuà, ſeu principium ſpirandi Spiritum ſanctum dicit ad aliquid, & eſt notionale, non quid, ſeu eſſentiale, quia non conuenit omnibus perſonis; ſi verò notionale ſumitur pro eo, quod conuenit vni tantum perſonæ, eſſentiale pluribus, ſic etiam tale principium eſſentiale dici poteſt, non notionale. d. 10. q. 5.

Dionyſius Carth. reſp. quod ſicut potentia generatiua eſt ſimpliciter quid relatiuum, eo quod complexum hoc potentia generatiua accipitur pro nomine vno, & incomplexo, ita & de potentia ſpiratiua eſt dicendum. d. 11. q. 4.

Franciſcus Suarez reſpondet, quod virtus ſpirandi de ſuo formali dicit, quid abſolutum, quia voluntatem, & amorem, connotat l. 10 de tr. c. 6.

ta-

Digitized by Google

tamen relationem perſonalem tanquam conditionem neceſſariam in principio quod productiuo Spiritus ſancti.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut dictum eſt virtus, qua Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum, eſt idem quod Pater, & Filius ſpirantes Spiritum ſanctum, Pater autem, & Filius, & ſpirans omnia hæc ad aliquid dicuntur, & propterea virtus, ſeu potentia ſpirandi Spiritum ſanctum dicit ad aliquid, non quid.

Obiectio. Sed ſi dicit D. Anſelmus in lib de proc. Spiritus ſancti quod Spiritus ſanctus procedit de diuinitate, non de paternitate? & addit quod opinio aſſerens, quod non procedit de diuinitate, ſed de paternitate potenti fatuitate ſe ſuffocat?

Reſpondetur, quod verba iſta, & alia conſimilia quæ iſte ſanctus doctor proponit, sũt piè interpretanda, & non ſunt vera de virtute ſermonis; & ideo non eſt inſiſtendum eis; Imo dicit Petrus Aliacenſis, quod ſe ſua improprietate ſuffocant.

DISTINCTIO DVODECIMA.

Item quæritur, cum Spiritus ſanctus a Patre procedat, &c.

QVAESITVM I.

An Pater producat Spiritum ſanctum prius, quam eundem producat Filius?

d.12. a.2. ALbertus reſp. quod ſi Pater prius produceret Spiritum ſanctum, quam Filius, conſequens eſſet, quod eundem Filius produceret poſterius, quod eſt inconueniens, prius enim dicit ordinem, & ordo prius, & poſterius.

d.12. q.1. D. Bonau. reſp. quod Pater producit Spiritum ſanctum prius quam Filius, non quidem prioritate durationis, quia talis prioritas repugnat æternitati, nec prioritate cauſalitatis, quia talis prioritas repugnat vnitati eſſentiæ, nec ſimiliter prioritate originis, quia Pater, & Filius ſunt vnum originale principium Spiritus ſancti; ſed prioritate auctoritatis, inquãtum .ſ. habet a ſe quod ipſum producat, Filius verò a Patre. Item Ricar. & Marſ. q. 15. a.2.

d.12. q.2. Ægidius reſp. quod neque ſecundum rem, neque ſecundum rationem Pater prius producit Spiritum ſanctum, quam Filius; primò, quia vterque vna, & ſimplici ſpiratione producit, in actione autem vna, & ſimplici non poteſt eſſe prius & poſterius; ſecundò, quia Pater, & Filius ſolum ſecundum relationes oppoſitas diſtinguuntur; relatio autem oppoſita, nec ſecundum rem, nec ſecundum rationem ſecum compatitur aliquam prioritatem.

Ioan. Scotus reſp quod licet inter Patrem, & Filium ſit aliquis ordo in ſpirando Spiritũ ſanctum, quia Pater ſpirat a ſe, Filius verò a Patre; inter ſpirationem tamen Patris, & Filij non eſt aliquis ordo, ſeu prioritas originis, non enim Pater in aliquo ſigno originis ſpirat Spiritum ſanctum, in quo etiam non ſpiret Filius, alioquin ſequeretur, quod Filius ſpiraret Spiritum ſanctum iam præexiſtentem, & ſpiratum a Patre, quod eſt inconueniens. *d.12. q.2.*

Petrus Aur. reſp. quod Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt ſimul naturali coexiſtentia, & intelligentia, impoſſibile enim eſt concipere Patrem ſine Filio, & Patrem, & Filiũ ſine Spiritu ſancto, quia cum ſpirare ſit de intraneitate perſonæ Patris, & Filij, impoſſibile eſt concipi perſonalitatẽ eorum, quin concipiatur perſona Spiritus ſancti; igitur cum Spiritus ſanctus emanet a Patre, in eodem ſigno emanat a Filio. *d.12. a.2.*

Franc. Maro reſp. quod quia Pater habet ſpirare a ſe Spiritum ſanctum, Filius verò a Patre, ideo in aliquo ſigno originis ipſum prius ſpirat, quam Filius, hoc eſt enim ſpirare prius & poſterius ſecundum originem, quod ſpirare a ſe, & ab alio. Item Ioan. de Baſſol. *d.12. q.2.*

Guilel. Occham reſp. quod Pater, & Filius in ſpirando Spiritum ſanctum ſunt vnum cõſtitutum omnino ex eſſentia, & ſpiratione actiua, cui primo competit ſpirare, & idcirco neuter illorum ſpirat Spiritum ſanctum altero prius; ſubiungit tamen, quod ſi per ſpirare prius origine nihil aliud intelligatur, niſi quod Pater habet ſpirare a ſe, Filius verò nõ a ſe, ſic concedendum eſt, quod Pater prius origine ſpirat, quam Filius. Item Aliacenſis. *d.12. q.3.*

Guilel. Rub. reſp. quod neque prioritate durationis, neque prioritate cauſalitatis, neque prioritate naturæ, ſed tantum prioritate originis, Pater prius producit Spiritum ſanctum, quam Filius, quia quod ſpiret habet a ſe, Filius verò a Patre. Item Nicol. de Niiſe. *d.13. q.2.*

Alphonſus reſp. quod ita ſimul Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum, quod in nullo ſigno Pater producit Spiritum ſanctum, quin in eodem producat eum ſimiliter Filius, quod probat quadrup. primò, ſi Pater in aliquo ſigno ſpiraret Spiritum ſanctum prius quam Filius, ergo Spiritus ſanctus in ali- *d.10. a.2.*

Digitized by Google

aliquo ſigno ſimul eſſet, & non eſſet; in quocumque enim ſigno Pater ſpirat Spiritum ſanctum, Spiritus ſanctus eſt, & in quocumque Filius non ſpirat, non eſt; ſecundò, ſi in eo ſigno in quo Pater ſpirat Spiritum ſanctum prius quam Filius, Filius non ſpirat; ergo in alio ſpirat, & ſic mutatur acceſſione ſpirationis, quod eſt inconueniens; tertiò, Pater, & Filius in ſpirando Spiritum ſanctum ſunt vnum principium, non plura, ergo neuter ſpirat prius quam alter; probatur conſequentia, quia inter illa, quæ ſunt vnum, ſecundum quod ſunt vnum, non eſt ordo prioris, & poſterioris; nihil enim, vt dicit D. Auguſtinus eſt prius ſeipſo; quartò, Spiritus ſanctus dum ſpiratur a Patre ſufficienter ſpiratur, & recipit eſſe ab eo, ergo non in alio ſigno poteſt ſpirari a Filio.

d.12. q.2. Laur. Opimus reſp. quod Pater ordine originis prius ſpirat Spiritum ſanctum, quàm Filius, quod probat tripliciter; primò, quia hoc habet a ſe, Filius verò a Patre; ſecundò, quia Pater per prius habet quamlibet rationem eſſentialem, quia a ſe, quam Filius, ergo & notionalem; tertiò, quia Pater prius origine eſt Deus, quam Filius; ergo a fortiori prius producit Spiritumſãctum, quã Filius.

d.12. q.2. Ioan. Vigerius reſp. quod cum dicitur Patrẽ prius ſpirare Filio, Filium verò poſterius non eſt alius ſenſus, niſi quod Pater a ſeipſo ſpirat, Filius à Patre, & quamuis eadem ſit voluntas in ipſis, tamen Pater habet eam a ſe, & Filius a Patre, quæ prioritas nihil eſt aliud, quam a ſe.

q.36. a.3. Gabr. Vaſquez reſp. quod in actu ſpirandi non eſt ordo originis inter Patrem & Filium, ſed tantum in habendo virtutem; quia Pater habet a ſe, Filius a Patre, vbi autem eſt ordo originis, debet eſſe prioritas.

d.12. Archang. Rub. reſp. quod nulla prioritate Pater prius producit Spiritum ſanctum quã Filius; non enim prioritate durationis, quia hæc repugnat æternitati; non cauſalitatis, quia hæc repugnat vnitati eſſentiæ; non perfectionis, quia vna perſona non eſt perfectior altera; non naturæ, quia ſunt correlatiuæ; non originis, nam talis non eſt in ſpiratione; non rationis, quia Pater, & Filius ſunt vnum omnino in ſpirando; ſed nec auctoritatis, quia nulla eſt auctoritas, vel ſubauctoritas in diuinis.

Reſolutio.

RESpondeo, quod nullũ producens producit aliquid prius altero comproducente ſiue ſecundum rem, ſiue ſecundum rationem, niſi in producendo illud aliquo modo huiuſmodi producentia diſtinguantur; prioritas enim importat ordinem, ordo verò diſtinctionem; cum itaque Pater, & Filius in producendo Spiritum ſanctum (ſicut dictum eſt) nullo modo diſtinguantur, ita enim producunt, ac ſi eſſent vnum producens, ideo non prius Pater producit Spiritum ſanctum, quam eundem etiam producat Filius.

Sed ſi Filius habet a Patre, vt producat Spiritum ſanctum, Pater verò a ſe; cur non prius origine dicendus erit Pater producere, quam Filius? Obiectio.

Reſpondetur, quod prioritas originis non debet attendi, niſi inter ea, quorum vnum originatur ab altero, hæc eſt enim vera ratio prioritatis originis, licet ergo Pater habeat a ſe, vt producat Spiritum ſanctum, Filius verò a Patre, non eſt tamen aliqua origo inter producere Patris, & producere Filij, ita vt, ſicut Filius originatur a Patre, ita etiam & producere Filij a producere Patris, alioquin nedum diſtinguerentur, ſed etiam relatiuè opponerentur in producendo Spiritum ſanctum; propterea quamuis alter eorum habeat ab altero, vt producat, neuter tamen dicitur prius origine altero producere.

QVÆSITVM II.

An Pater producat Spiritum ſanctum principalius, quam Filius?

ALbertus reſp. quod Filius habet a Patre, vt ſpiret Spiritum ſanctum, & ideo propter huiuſmodi auctoritatem, quæ eſt in Patre dicitur Pater principaliter producere Spiritum ſanctum. Item D. Thom. D. Bonau. Ægid. Ricard. Scotus, Occham, Marſilius. d.12. a.4.

Henricus reſp. quod principaliter dicitur quadrupliciter, virtute, ſicut in creatis pater principaliter generat, non mater; actione, vt forma ignis principaliter generat ignem, non calor; dignitate, vt cauſa prima principaliter agit, non ſecunda; & auctoritate, vt princeps principaliter præcipit non baliuus, & hoc modo principaliter ſpirare conuenit Patri, non Filio. a.54 q.6.

Et iterum reſp. quod ſicut generatio dicitur principalior productio, quia ab ipſa trahit originem ſpiratio, ſic Pater dicitur principalius ſpirare quam Filius, quia hoc quod Filius ſpiret habet a Patre per generationem. a.60. q.9.

Durandus reſp. quod ſpirare, & non ſpirare principaliter, non attenditur ſecundum ali-

Digitized by Google

aliquid abſolutum, & eſſentiale, ſed ſolum ſecundum modum habendi vim ſpiratiuam, qui modus eſt ſecundum relationes dantis, & accipientis. Item Aureolus.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ea ratione qua dictum eſt, quod pater non prius producit Spiritum ſanctum, quam Filius, eadem quoque dicendum eſt, quod non principalius; principalitas enim dicit diſtinctionem, & efficaciorem virtutem, ſiue conatum in vno agentium, quam in altero, eodem autem conatu, & virtute Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctũ, & ideo non alter principalius altero.

Obiectio. Sed ſi dicit D. Aug. 15. de Trin. c. 17. quod Spiritus ſãctus principaliter procedit a patre?

Reſpondetur, quod D. Aug. ex inopia vocabulorum vſus eſt hoc aduerbio principaliter in proceſſione Spiritus ſancti à patre, & ideo quoniam hoc dictum non erat ſecundum proprietatem ſermonis, ſtatim aperit ſenſum ſuum dicens Ideo autem addidi principaliter, quia & de Filio Spiritus ſanctus procedere reperitur, ſed hoc quoque illi pater dedit, non iam exiſtenti, & nondum habenti, ſed quicquid vnigenito verbo dedit, gignendo dedit; ſic ergo cum genuit, vt etiã de illo donum commune procederet, & Spiritus ſanctus ſpiritus eſſet amborum.

QVAESITVM III.

An Pater producat Spiritum ſanctum plenius, ſeu magis, ac perfectius, quam Filius?

d. 12. a. 2. D. Thomas reſp. quod Pater, & Filius ſummam habent ęqualitatem, & ſunt vnum principium Spiritus ſancti, & ideo non magis vnus, quam alter producit eum. Item Marſilius 1. q. 15. ar. 2.

d. 12. q. 2. D. Bonau. reſp. quod plenius producere dicit gradum maioris perfectionis in producente, & ſimiliter compoſitionem ſubſtantiæ in producto; & quoniam nulla eſt maior perfectio in patre, quam in filio, & ſimiliter nulla compoſitio in Spiritu ſancto; ideo pater non plenius producit Spiritum ſanctum, quam Filius.

d. 12. pr. 2 q. 1. Ægidius reſp. quod quia eandem penitus virtutem immutabiliter ſe habentem habet Filius in producẽdo Spiritum ſanctum, quam habet Pater, & eſt ei per omnia ſimilis, & æqualis, idcirco non minus producit Spiritum ſanctum, quam Pater.

d. 12. q. 1. Ricardus reſp. quod virtus ſpiratiua ita perfectè, & plenè eſt in filio, ſicut in Patre; & propterea ita plene producit Spiritum ſanctum Filius, ſicut Pater. Item Laur. Opim.

d. 12. q. 2. Durandus reſp. quod principium producendi Spiritum ſanctum quod eſt vis ſpiratiua, non eſt perfectius, aut plenius in Patre, quam in Filio, cum ſit in eis vna numero, nõ recipiens intenſionẽ, & remiſſionẽ, tũ ratione eſſentiæ, tũ ratione reſpectus, ſi reſpectũ includit; & ideo Spiritus ſanctus non plenius, aut perfectius producitur a Patre, quam a Filio. Item Herueus.

d. 12. Petrus Aur. reſp. quod ſpiratio actiua eſt res ſimpliciſſima in Patre exiſtens a ſe, in Filio a Patre, ſicut & deitas, nec in Patre elicita, nec in Filio; ſed vtrobique res non capiens eſſe aliunde; & ideo non plenius, nec melius ſpirat vnus, quam alter.

d. 12. q. 1. Franc. Maro reſp. quod Pater, & Filius habent æqualem virtutem, & eandem, per quam neceſſariò producunt Spiritum ſanctũ, & propterea æqualiter etiam producũt eum. Et Ioannes de Baſſolis. Eodem conatu, & actu ſpirant Spiritum ſanctum.

d. 12. q. 4. Franc. a Chriſto reſp. quod vt ly perfectius idem ſignificat, quod magis, cum vis ſpiratiuã ſit æquè perfecta in Patre, ſicut in Filio, non perfectius producit Pater Spiritum ſanctum, quam Filius; ſed ſi ly perfectius ſumitur pro eo, quod eſt principalius, ſic Pater perfectius producit Spiritum ſanctum, quia a ſe, quam Filius, quia ab alio.

d. 12. q. 6. Guilel. Eſtius reſp. quod eſt vna virtus in Patre, & Filio ſpirandi Spiritum ſanctum, quæ ſeipſa nec maior eſſe poteſt, nec minor, vnus item in vtroque ſpirandi actus, qui ſeipſo neque perfectior eſt, neque imperfectior; & ideo nec plenius, nec perfectius Spiritus ſanctus procedit a Patre, quam a Filio.

l. 10. de tr. c. 3. Franc. Suarez reſp. quod ideo æquè per ſe, ac principaliter producit Filius Spiritum ſanctum ſicut Pater, quia producit per eandem, & æqualem virtutem, quam habet Pater in producendo eum.

Reſolutio.

REſpondeo quod æquè plenè, & perfectè producit Filius Spiritum ſanctum, ſicut Pater, quoniam vt dictum eſt, Pater, & Filius in productione Spiritus ſancti nullo modo diſtinguuntur, diſtinguerentur autem, ſi alter eorum magis, plenius, perfectiuſuè altero, ipſum produceret.

Obiectio. Sed ſi Pater in ſpirando Spiritum ſanctum ſe habet velut cauſa prima, Filius verò ſecunda; cauſa autem prima plus eſt influens in ſuũ can-

cauſatum, quam ſecunda?

Reſpondetur quod Pater in ſpirando Spiritum ſanctum bene quidem poteſt dici principium eius; ſed non cauſa, tum quia nulla perſona dicitur cauſa alterius, tum quia Pater non eſt prior Filio in producendo Spiritũ ſanctum, quod importatur per ly prima. Ita D. Thomas. D. Bonau. Ægidius, Ricardus, Scotus, Aureolus.

QVAESITVM IV.

An Pater, & Filius ſint omnino conformes in producendo Spiritum ſanctum?

d.12. q.2. IOannes Scotus reſp. quod actus ſpirandi poteſt conſiderari triplicitèr, in ſe, inquãtum eſt termini, & inquantum cõparatur ad ſuppoſita agentia, ſi conſideretur primo, & ſecundo modo, Pater, & Filius omnino vniformiter ſpirant Spiritum ſanctum, quia eſt vna actio, & vnus tantum terminus actionis, tertio modo non, quoniam Pater ſpirat a ſe, Filius autem habet a Patre, quod ſpiret Spiritum ſanctum.

d.12. q.3. Thomas Anglicus reſp. quod ſicut ſimilitudo nunquam poteſt eſſe ſine diſtinctione, quamuis poſſit eſſe ſine diſſimilitudine propriè loquendo, ita perſonæ diuinæ, & ſi ſunt diſtinctæ, non tamen ſunt diſſimiles, & ita in propoſito requiritur diſtinctio quædam ſine tamen omni difformitate in actu ſpirãdi.

d.12. q.4. Franc. Maro reſp. quod iſta conformitas attenditur in quatuor; primò, in natura, quia per eandem naturam, ſiue eſſentiam Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum; ſecundò, in potentia; quia eſt eadem potentia volitiua, qua Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum; tertiò, in charitate infinita, quia ſicut in nobis ſapientia cõcurrit ad productionem verbi, ita charitas in diuinis concurrit ad productionem amoris ſpirati; quartò, in ſpiratione actiua, quia ſicut idem principium ſpiratiuum numero eſt in duobus ſuppoſitis, ita eadem ſpiratio.

d.12. q.1. Guilel. Occham reſp. quod iſta vniformitas poteſt conſiderari dupliciter; vel vt excludit omnem ordinem inter diuinas perſonas producentes, & ſic non omnino vniformiter Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum, quia inter perſonas producentes eſt ordo; vel vt excludit ordinem earum in producendo, & ſic omnino vniformiter producunt Spiritũ ſanctum, quia omnino habent illud vnum, videlicet cõſtitutũ ex eſſentia, & ſpiratione actiua, cui primo competit ſpirare. Item Gabriel.

Michael de Bonon. reſp. quod quia Pater, & Filius vnica ſpiratione ſimpliciſſima ſpirant Spiritum ſanctum, & non prius, neque magis vnus, quam alter; idcirco vniformiter illum ſpirare dicuntur. *d.12.*

Petrus Aliac. reſp. quod Pater & Filius non ſpirant omnino vniformiter Spiritum ſanctum, vt ly vniformiter excludit omnem ordinem in perſonis producentibus inter ſe, quia inter perſonas producentes eſt ordo originis, ſed ſpirant vniformiter Spiritum ſanctum, inquantum in nullo ſigno, aut inſtanti ſpirat vna perſona, in quo etiam non ſpiret altera. *q.8.*

Laurentius Opimus reſp. quod cum in ſpirando Spiritum ſanctum inter Patrem, & Filium nulla ſit quoquo modo varietas, vt inductione patet, ſequitur quod ſit omnimode vniformiter vniformitas. *d.12.*

Reſolutio.

REſpondeo, quod difformitas ſemper importat diſtinctionem, econtra verò conformitas, vnitatem; quoniam autem inter patrem, & filium in producendo Spiritum ſanctum nulla eſt diſtinctio, ſed vnitas; propterea neque aliqua difformitas eſt inter eos in producendo Spiritum ſanctum, & ex conſequẽti ſunt omnino conformes in producendo eum.

Sed ſi Pater habet a ſe, quod producat Spiritum ſanctum, Filius verò a Patre? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod habere a ſe, vel ab alio virtutem ſpirandi non facit difformitatem in ſpirando, ſed in habendo virtutem ſpirandi; ſic ergo Pater, & Filius difformiter habent hanc virtutem, ſed non ſunt difformes in actu ſpirandi.

QVÆSITVM V.

An Pater producat Spiritum ſanctum mediante Filio?

ALex. reſpondet quod proceſſio Spiritus Sancti a Patre mediata eſt, & immediata, immediata, inquantum a Patre, mediata verò, inquantum a Filio, qui eſt a Patre. *q.46. m.4.*

Albertus reſp. quod ſecundum hoc quod ſpiritus ſanctus procedit a Patre, & Filio, vt ſunt vnũ, æquè immediatè procedit ab vtroq. *d.12. a.1.*

D. Thomas reſp. quod ſi attendamus ad virtutem, qua Pater, & filius ſpirant Spiritum ſanctum, cum hæc ſit vna, & eadem, nulla eſt mediatio; ſi verò attendamus ad ipſas perſonas ſpirantes, vtique eſt mediatio, *d.12. a.3.*

quia

Digitized by Google

quia cum Spiritus ſanctus communiter procedat a Patre, & Filio, inquantum procedit a Patre, immediatè procedit, inquantum verò procedit a Filio, mediatè, quoniam Filius eſt a Patre. Item Durandus.

d.12. q.1. D. Bonau. reſp. quod Spiritus ſanctus poteſt dici procedere a Patre immediatè, quia ſpiratur ab eo, & mediatè, quia eſt a Filio, & Filius a Patre; ſimilis enim eſt proceſſus in Trinitate increata, quem videmus in imagine creata, in qua amor procedit a mente mediante intelligentia. Item Ricardus.

d.12. q.2. Aegidius reſp. quod plura agentia poſſunt cócurrere ad vnum effectum quadrupliciter; primò, quando vnum efficit, aliud verò diſponit, vt Deus, & homo, animam rationalem; ſecundò, quando vtrumque efficit, ſed non hoc vnum, quod aliud, vt auus, & pater, filium; tertiò, quando vtrumque efficit, ſed non ſimiliter, vt agens, & inſtrumentum; quartò, quãdo vtrumque efficit, & hoc vnum, quod aliud & etiam ſimiliter, ſed tamen ab vno per aliud, & hoc modo non ſolum creaturæ procedunt a Patre, ſed etiam ipſe Spiritus ſanctus a Patre, & Filio, & ideo dicitur procedere a Patre immediatè, & mediatè, immediatè, quia ſpiratur ab eo, mediatè, quia eo quod procedit a Patre procedit a Filio, a quo tantum immediatè procedit.

a.54. q.7. Henricus reſp. quod ſi Spiritus ſanctus referatur ad Patrem, & Filium ratione virtutis, ſic æquè immediatè procedit ab vtroque, quia vnica eſt, & ſimpliciſſima virtus, in qua nulla mediatio cadere poteſt; ſi ratione, qua agentes ſunt, ſic dupliciter contingit loqui de eis, vno modo inquantum vterque illorum virtutem habet ſpirandi in ſeipſo, & ſic vterque æquè immediatè ſpirat, alio modo, inquantum Filius habet a Patre, quod ſpirat, & ſic Pater ſpirat mediante Filio.

d.12. q.1. Thomas Anglicus reſp. quod ſicut dicimus calorem producere in ſubiecto ſiccitatem, mediâte calore producto in ſubiecto ab ipſo; ita dicimus Patrem producere Spiritum ſanctum mediante Filio ſicut mediante aliquo producto, cum Filius non habeat aliud productum quam Spiritum ſanctum, ita vt filius non mediet in productione, ſeu ratione producentis.

d.13. q.2. Guilel. Rubion reſp. quod aut per producens mediatum intelligitur producens, quod non producit niſi per medium, vt per principium productiuum diſtinctum ab ipſo, aut intelligitur aliquid vnum producens ſuppoſitum, a quo habet alterum ſuppoſitum, quod producat vnum, & idem ſecum, & hoc modo Pater producit Spiritum ſanctum mediante filio, non primo.

Laur. Opimus reſp. quod cum quælibet perſona ſpiret in inſtanti æternitatis, in quo nihil poteſt eſſe mediatum, vel immediatum, non eſt dicendum, quod Spiritus ſanctus immediatius procedat a Patre, quam a filio, & econuerſò. d.12. q.2.

Michael de Palatio reſp. quod vbi eſt vnitas principij, ibi eſt immediatio actionis; a Patre ergo, & filio immediate producitur Spiritus ſanctus, quia Pater, & filius ſunt vnicum principium eius. d.12.

Guil. Varrill. reſp. quod Pater, inquantũ attingit æquè, primo productum ſicut Filius, dicitur producere immediatè, ſed inquantum præ intelligitur communicaſſe illam voluntatem filio, dicitur producere mediatè. d.12.

Reſolutio.

RESpondeo, quod licet Pater producat Filium, Filius verò Spiritum ſanctum, non tamen propter hoc dicendum eſt (propriè loquendo) quod Pater producat Spiritum ſanctum mediante Filio; tum quia tam æquè, & immediatè in eodem genere productionis ipſum producit, ſicut filius; tum etiam, quia quælibet mediatio intelligitur cum aliquo ordine, ordo autem ſemper importat diſtinctionem; nulla autem eſt diſtinctio inter Patrem, & Filium, in productione Spiritus ſancti.

Sed ſi Pater dat filio, vt ſimul cum ipſo producat Spiritum ſanctum? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod etiamſi pater det filio, non quidem, vt ſimul cum ipſo producat Spiritum ſanctum, ſed virtutem, qua ſimul cum ipſo producit Spiritum ſanctum; quia tamen in hac virtute omnino conueniunt, & in actu ſpirandi non diſtinguuntur, ſed ſunt vnum, non ſequitur, quod vnus mediante altero ſpiret, etiam loquendo de mediatione ſuppoſiti, cum in ſpirando ſe habeant æquè, vt vnum.

QVÆSITVM VI.

An Pater producat Spiritum ſanctum per Filiũ?

D. Thomas reſp. quod iſta dictio, per, in illis locutionibus, in quibus aliquid dicitur operari ſiue agere per aliud ſemper denotat, quod res ſignificata per illam dictionem, cui præponitur ſit cauſa, vel principium illius actionis; ſed quoniam actio mediat inter faciens, & factum, ideo aliquando ſignificat cauſam in ordine ad agens, ita vt p.p. q.36. a.3.

Digitized by Google

ſit ei ratio agendi, ſiue vt forma, quo modo dicitur artifex operari per artem, ſiue vt finis, quo modo dicitur operari per lucrum, ſiue vt mouens, quomodo dicitur operari per imperium alterius; & aliquando ſignificat cauſam in ordine ad effectum, quatenus agitur ab agente per ipſam, quomodo dicitur artifex operari per martellum, & hoc modo Pater dicitur producere Spiritum ſanctum per Filium, non quod Filius ſit cauſa Patri, quod producat, ſed quod Filius habeat a patre, quod producat Spiritum ſanctum.

a.54. q.7. Henricus reſp. quod hæc præpoſitio, per, ſemper circa ſuum caſuale notat aliquam rationem cauſalitatis ſuper actum, quem determinat; ſed aliquando, vt fluit ab agente, & ſic circa id, per quod agit notat eam, vel vt finalem, vel vt formalem, vel efficientem, vel materialem, & aliquando notat eam, vt tranſit in effectum, ſiue in principiatum; & hoc contingit tripliciter, vel quod illud per quod agens agit, habeat aliquam virtutem agendi a ſeipſo, quæ tamen fortificatur per virtutem alterius, & ſic dicitur rex agere per baliuum; vel quod nihil habeat virtutis a ſe in agendo, ſed ab alio; & hoc dupliciter, vel quia recipit virtutem defluentem ab illo, & aliam, & ſic artifex dicitur operari per malleum, vel eandem, & hoc modo agit Pater per Filium, & producit Spiritum ſanctum.

d.12. q.3. Durandus reſp. quod hæc præpoſitio, per, quando denotat habitudinem principij, aliquando ipſam denotat reſpectu agentis, vt ratio, & cauſa agendi ei, & ſic dicitur ignis calefacere per calorem, & aliquando ipſam denotat tantum reſpectu producti, & hoc modo dicitur rex agere per miniſtrum; primo modo non dicitur Pater producere Spiritum ſanctum per Filium, quia Filius non eſt ei cauſa, ſiue ratio producendi Spiritum ſanctum, ſed ſecundo modo, quia .ſ. Pater dat Filio, quod producat Spiritum ſanctum. Item Franciſcus a Chriſto.

d.12. a.2. Petrus Aur. reſp. quod ly, per, importat mediationem quatuor modis; primò, vt dicit habitudinem principij formalis; ſecundò, vt dicit habitudinem principij motiui; tertiò, vt dicit habitudinem inſtrumenti; quartò, vt importat habitudinem principiati, & hæc habitudo poteſt eſſe dupliciter; primò, quando tam virtus, quam ſuppoſitum ſunt principiata, vt eſt in creaturis, quæ habitudo ſignificatur, cum dicitur cauſa agere per effectum; ſecundò, quando ſuppoſitum ſolum eſt principiatum, non autem virtus, & ita Pater producit Spiritum ſanctum per Filium, quatenus Filius eſt ſuppoſitum principiatum a Patre, habens eandem virtutem cum Patre improductam, qua producit Spiritum ſanctum.

Franc. Maro reſp. quod quatuor modis poteſt intelligi aliquid agere per aliud; primò, vt per principium productiuum, ſicut ignis calefacit per calorem; ſecundò, vt per inſtrumentum, ſicut faber fabricat per martellum; tertiò, vt per cauſam ſecundam, ſicut Deus mouet cælum per intelligentiam; quartò, vt per illud, cui communicat æqualem virtutem productiuam, & hoc modo Pater producit Spiritum ſanctũ per Filiũ. Item Guil. Rubion. d.18. q.1.

Reſolutio.

RESPONDEO, quod ſi attendamus ad proprietatem ſermonis nullum producens dicitur aliquid per aliud producere, niſi aliquo modo diſtinguatur ab eo in producendo, vel ſaltem illud ſit ratio producendi ei, & quoniam (ſicut ſæpè dictum eſt) neque Filius diſtinguitur a Patre in producendo Spiritum ſanctum, neque eſt ratio ei producendi Spiritum ſanctum, idcircò neque dicendum eſt (propriè loquendo) quod Pater per ipſum producat Spiritum ſanctum; ſi verò attendamus ad ſenſum, ſecundum quem loquuntur doctores ſancti, ſic concedendum eſt (licet ſit locutio impropria) quod Pater per Filium producit Spiritum ſanctum, quia verè, & realiter dat Filio, vt producat Spiritum ſanctum.

Sed ſi Filius eſt ars Patris; per artem autem omnia operatur agens? Obiectio.

Reſpondetur, quod Filius eſt ars Patris in productione eorum, quæ per artem procedunt ab eo, qualia ſunt omnia creata, non autem ipſe Spiritus ſanctus, qui ex principio naturali producitur, & non ex arte; quamuis etiam dicatur Filius ars Patris per appropriationem, non per proprietatem.

QVÆSITVM VII.

An ſit prior generatio Filij, proceſſione Spiritus ſanctus?

ALex. reſp. quod ſicut ordine naturæ prior eſt natura, quam voluntas, quia vbicunque eſt voluntas, ibi eſt natura, & non econuerſò; ita ordine naturæ prior eſt productio, quæ eſt per modum naturæ, quam quæ eſt per modum voluntatis; cum itaque productio Filij ſit per modum perfectæ naturæ, productio verò Spiritus ſancti per modum voluntatis, quæ productio eſt etiam a Filio, ideo ordine naturæ ſequitur produ- q.48. m.7.

ctio

ctionem Filij per generationem, licet non re, & tempore.

d.12. a.3. D. Thomas reſp. quod ſicut inter Patrem, & Filium non eſt aliqua prioritas, ita nec eſt inter Filium, & Spiritum ſanctum neque inter generationem Filij, & proceſſionem Spiritus ſancti ſecundum rem, ſed tantum ſecundum noſtrum modum intelligendi, quatenus ſcilicet, intellectus noſter accipit generationem, & proceſſionem in diuinis per ſimilitudines repertas in creaturis.

d.12. q.4. D. Bonau. reſp. quod ſecundum rationem intelligendi prior eſt emanatio verbi, quam proceſſio Spiritus ſancti; tum quia verbum eſt principium Spiritus ſancti, tum quia Filius procedit per modum naturæ, Spiritus ſanctus verò per modum liberalis voluntatis; tum etiam, quia intelligimus emanationes in perſonis per emanationes repertas in imagine creata, in qua cognitio, & intelligentia præcedit amorem, & voluntatem.

d.12. q.1. Ægidius reſp. quod non poteſt eſſe aliqua prioritas inter aliqua ſecundum rei veritatem, niſi eodem modo ſit etiam diſtinctio, ratio enim prioritatis, & poſterioritatis quæritur, vbi ponitur diſtinctio, & quoniam inter relationes diſparatas in diuinis non eſt aliqua realis diſtinctio, quia ſola relatio oppoſita diſtinguit; idcirco neque poteſt eſſe realis prioritas inter generationem Filij, & proceſſionem Spiritus ſancti, cum ſint huiuſmodi relationes non oppoſitæ, ſed diſparatæ; ſed bene poteſt eſſe aliqua prioritas ſecundum noſtrum modum intelligendi, diuina enim intelligimus per creaturas, & quoniam relationes diſparatæ in creaturis habent prioritatem, & poſterioritatem ſecundum rem, ſaltem ſecundum noſtrum modum intelligendi debemus ponere talem prioritatem, & poſterioritatem in diuinis; & ſicut etiam relationes diſparatæ in diuinis, licet non diſtinguantur ſecundum rem, diſtinguuntur tamen ſecundum noſtrum modum intelligendi, ita ſecundum noſtrum modum intelligendi vna poteſt eſſe prior altera, & hoc modo prior eſt generatio Filij proceſſione Spiritus ſancti.

d.12. q.4. Ricardus reſpondet, quod generatio Filij eſt prior ſecundum rationem intelligendi proceſſione Spiritus ſancti; primò, quia actus per modum naturæ eſt prior ſecundum rationem actione per modum voluntatis; ſecundò, quia dicere præcadit ſpirare; tertiò, quia generare eſt prius quam Filius, & Filius quam ſpirare; igitur & generare, quam ſpirare, & conſequenter generatio, quam ſpiratio eſt prior.

Henricus reſp. quod ordo originis dupliciter habet eſſe inter aliqua, vno modo propriè quia ſ. vnum eorum propriè eſt principiatum alterius, alio modo communiter, & minus propriè, quod ſ. vnum eorum eſt quaſi præuium alteri, & ab eo præſupponitur; primo modo non eſt ordo originis, ſeu naturæ, niſi inter tres diuinas perſonas; ſecundo modo inter productiones: nam productio per modum naturæ, præſupponitur a productione per modum voluntatis, quæ eſt a Filio, qui eſt terminus illius, quæ eſt per modum naturæ. a.14. q.1.

Ioan. Scotus reſp. quod propter ordinem principiorum in producendo, Pater prius origine generat Filium, quam ſimul cum Filio ſpiret Spiritum ſanctum; generat enim Filiũ, qui eſt actus primæ fæcunditatis in ſecundo ſigno originis, in tertio verò ſimul cum Filio ſpirat Spiritus ſanctus ſecundum aliquod ſignum originis. d.12. q.2.

Herueus reſp. quod inter generationem Filij, & proceſſionem Spiritus ſancti eſt ordo prioris, & poſterioris, non quidem ſecundum rem, ſed ſecundum rationem intelligendi; tum quia videmus in creaturis, quod productio illius, quod producitur ab aliquo producto eſt poſterior productione illius a quo producitur, tum etiam quia quod eſt voluntatis poſterius eſt eo, quod eſt intellectus. d.12. q.1.

Durandus reſp. & dicit tria, primum, quod generatio Filij non eſt prior proceſſione Spiritus ſancti ſecundum rem in genere; ſecundum, quod neque ſecundum rem, quod eſt eſſe ſecundum originem directè, & per ſe, ſed indirectè, & quaſi per accidens; tertium, quod eſt prior ſecundum rationem intelligẽdi. Primum probat, quia generatio Filij, & proceſſio Spiritus ſancti ſunt relationes diſparatæ, relationum autem diſparatarum, vnæ non eſt prior altera ſecundum rem, quia vel eſſet prior natura, vel duratione, ſed non natura, quia non ſunt diuerſæ naturæ, nec duratione, quia quælibet eſt æterna; ſecundum probat. Si generatio eſſet prior ſecundum originem directè, & per ſe ſpiratione, ſpiratio directè, & per ſe, eſſet a generatione, quod eſt falſum, quia generatio per ſe, & directè terminatur ad illud, quod per generationem eſt productum in generato, & illud eſt ſola relatio filiationis, quoniam tamen eſt a generatione, inquantum eſt in Filio, qui habet quicquid habet per generationem, ideo dicitur eſſe a generatione, & habere hunc ordinem originis cum ea indirectè tãtum, & concomitatiuè, ſiue per accidens, & hoc etiam non abſolutè, ſed tantum ſecun- d.12. q.1.

cundum quid, prout .ſ. eſt in Filio tantum; tertium probat, quia ſicut Pater, & Filius præintelliguntur ſpirationi, ita generatio Filij præintelligitur proceſſioni Spiritus ſancti.

d.12. q.2. Franciſcus Maro reſp quod generatio Filij, & proceſſio Spiritus ſancti in Patre ſunt emanationes inelicitæ, & ideo non eſt inter eas aliquis ordo originis, ſed ſicut Pater in primo ſigno originis generat, quia generat a ſe, ita in eodem ſpirat, quia ſpirat a ſe.

d.9. q.1. Thomas ab Arg reſp. quod generatio non eſt quidem prior proceſſione Spiritus ſancti prioritate naturæ, ſed rationis; non naturæ quia tunc eſſet dignior, & perfectior ea, quod eſt falſum, rationis autem, quia ſecundum noſtrum modum intelligẽdi, productio qua aliquid producitur ſemper videtur eſſe prior illa productione, qua tale productum alterum producit.

d.9. & 10 a.2. Alphonſus reſp. quod inter perſonas diuinas non eſt realis ordo prioritatis, & poſterioritatis, igitur nec inter perſonales proprietates cuiuſmodi ſunt generatio, & ſpiratio; non enim videtur quod poſſit aſſignari aliqua prioritas inter huiuſmodi proprietates niſi ſit ordo prioritatis inter ipſas perſonas, quarum ſunt proprietates.

d.12 q.2. Laur. Opimus reſp. quod quia per prius eſt ordine naturæ intellectum paternum adæquatè ſe cognoſcere, quod eſt gignere verbum, quam ſe velle, quod eſt ſpirare Spiritum ſanctum, ideo generatio verbi ſecundum ordinem naturæ præcedit proceſſionem Spiritus ſancti.

d.12. q.1. Franc. à Chriſto reſp. quod inter generationem, & proceſſionem non eſt ordo prioris, & poſterioris ſecundum rem, quia nec ſecundum naturam, nec ſecundum durationem; ſed ſecundum rationem, & originem: ſecundum rationem, quia filiatio præintelligitur ſpirationi actiuæ, ergo & paſſiuæ, ſecundum originem, quia ſpiratum per ſe eſt a generato, eſt enim de ratione ſpirati, vt procedat a producto, quod non eſt niſi per generationem, & quod procedit per actum voluntatis, procedat ab eo, quod procedit per actum intellectus.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod neque ſecundum naturam, neque ſecundum durationem, neque ſecundum originem, neque ſecundum noſtrum modum intelligendi; aut generatio Filij eſt prior proceſſione Spiritus ſancti, aut quod idem eſt, Pater prius generat Filium, quam ipſe, vel Filius producat Spiritum ſanctum; non ſecundum naturam, quoniam tantum valet iſta conſequentia, Pater generat Filium; ergo Pater, & Filius producunt Spiritũ ſanctum, quantum iſta, Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum; ergo Pater generat Filium, æquè enim vtraque earum neceſſaria eſt, cum æquè neceſſariò Pater generet Filium, ſicut ipſe, & Filius producunt Spiritum ſanctum, & etiam econuersò, cum ſint ſibi inuicem iſtæ diuinæ perſonæ ſummè neceſſariæ; non ſecundum durationem, quoniam æquè ab æterno Pater generat Filium, ſicut Filius, & Pater producant Spiritum ſanctum; non ſecundum originem, quoniam quod Pater, & Filius producant Spiritum ſanctum non habent ab eo præciſè, quod alter eorum generet, alter verò generetur, nam cum æquè Pater generet, & ſpiret, eodem modo dicendum eſſet, quod vt generaret haberet ab eo, quod ſpiraret, ſi vt ſpiraret haberet ab eo, quod generaret, & ſimiliter Filius cum æquè generetur, & ſpiret, eodem modo poſſet dici, quod vt generaretur haberet ab eo, quod ſpiraret, ſicut vt ſpiret habet ab eo, quod generetur; non ſecundum intelligentiam, quoniam ſuppoſita veritate, & intelligentia fidei, qua credimus, & verè intelligimus, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum eſſe vnum Deum, Patrem habere eſſe a ſe Filium generari a Patre, & Spiritum ſanctum ab vtroque ſpirari, non poſſumus ſupponere, ſeu præintelligere Filium eſſe, ſiue generari a Patre priuſquam Spiritus ſanctus ſit, ſiue intelligatur ſpirari ab vtroque, quia ſic intelligendo intelligeremus Patrem, & Filium eſſe Deum, non Spiritum ſanctum, & conſequenter non eſſe vnum Deum Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, quod implicat.

Sed ſi Filius producitur per generationem, & eſt principium proceſſionis Spiritus ſancti? Obiectio.

Reſpondetur, quod cum principium ſit, ex quo aliud, non eſt de ratione principij, quod poſt ipſum ſit aliud, niſi in quibus principium differt eſſentialiter a principiato, quod non eſt in diuinis. Ita Durandus.

DISTINCTIO DECIMATERTIA.

Poſt hoc conſiderandum eſt quantum a talibus, quales nos ſumus, &c.

QVÆSITVM I.

An detur alia proceſſio in diuinis, præter generationem Filij?

Alex. reſp. quod ſicut duo ſunt principia diffuſionis in rebus, natura, ſcilicet, & q.43. m.1.

& voluntas, perfectiſſima autem naturæ eſt illa diffuſio, quæ eſt per generationem, voluntatis verò, quę eſt per amorem; ita in ſummo bono, quod eſt Deus, cui nulla deeſt virtus neceſſe eſt ponere duplicem hanc diffuſionem, vnam per modum naturæ, quam dicimus generationem Filij, & alteram per modum voluntatis, ſeu amoris, quam dicimus proceſſionem Spiritus ſancti.

p. p. q. 27. a. 1. D. Thomas reſp. quod proceſſio in diuinis attenditur ſecundum actionem immanentem, quæ actio in natura intellectuali duplex eſt, intellectus .ſ. & voluntatis, ſicut ergo datur proceſſio verbi, quæ eſt ſecundum actionem intellectus, quæ eſt generatio, ita neceſſariũ eſt dari aliam proceſſionem amoris, quæ eſt per actionem voluntatis.

Cui rationi (inquit Molina) ſi adiungas nullum eſſe accidens, colligitur in Deo præter proceſſionem ſubſtantialẽ verbi, dari aliã proceſſionem ſubſtantialem Spiritus ſancti.

d. 13. a. 1. q. 1. D. Bonau reſp. quod præter emanationem, quæ eſt generatio in diuinis, eſt etiam quædam emanatio quæ dicitur proceſſio, cum enim ibi ſit amor, de ratione amoris eſt, quod ab alio ſit, & in alium tendat, quod pertinet ad completam rationem proceſſionis.

d. 13. q. 1. Durandus reſp. quod præter emanationem verbi eſt emanatio Spiritus ſancti, quæ dicitur proceſſio, quod nomen eſt etiam commune Filio, appropriatur tamen Spiritui ſancto propter tria; primò, propter penuriam nominum in his, quæ pertinent ad Spiritum ſanctum, vnde vtimur nomine communi pro proprio; ſecundò, propter conuenientiam nominis proceſſionis, nam procedit per modum voluntatis, proceſſio autem ſignificat ſuo primo ſignificato voluntariũ; tertiò, propter excellentiam, quia procedit a pluribus, & ab eo, qui procedit, & ab eo, qui non procedit.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſicut de ratione Filij, ſeu verbi eſt, vt generetur, ſeu procedat a Patre; ita de ratione Spiritus ſancti eſt, vt procedat ab vtroque; cum igitur in diuinis præter perſonam Filij, ſit etiam perſona Spiritus ſancti, neceſſarium eſt quoque præter generationem Filij, proceſſionem fateri Spiritus ſancti.

Obiectio. Sed ſi (vt dicit Auer. 8. Phyſ. c. 41.) vnus eſt modus cõmunicandi naturam, in natura?

Reſpondetur, quod non eſt niſi vnus modus communicandi naturam in his, in quibus virtus producendi limitata eſt, & imperfecta; non autem in quibus illimitata eſt, & infinita, vt in diuinis. Ita Ricardus. Et Durandus. Sicut enim (inquit) ex illimitatione diuinæ naturæ eſt, quod vna numero exiſtens poſſit eſſe in pluribus ſuppoſitis, ſic ex eodem conuenit, ei quod communicetur emanationibus diuerſis.

QVÆSITVM II.

An detur alia productio in diuinis præter generationem Filij, & proceſſionem Spiritus ſancti?

Alex. reſp. quod productio dicitur per modum motus, motus autẽ quilibet, vel eſt violentus, vel naturalis, vel voluntarius; violentus diuinis aptari non poteſt, ergo naturalis tantum, & voluntarius, & ita in diuinis non erit ponenda niſi duplex productio, voluntaria ſcilicet, quæ eſt productio Spiritus ſancti, & naturalis, quæ eſt generatio Filij. q. 43. m. 3. a. 4.

D. Thomas reſp. quod proceſſiones in diuinis accipiuntur ſecundum actiones immanentes, & quoniam in natura intellectuali, qualis eſt diuina, præter actionem intellectus, & voluntatis, non eſt alia actio immanens diſtincta ab his, idcirco neque proceſſio. Itẽ Capreol. Caet. Molina, & cæteri Thomiſtæ. q. 27. a. 5.

Ioannes Scotus reſp. quod in diuinis ſunt tantum duo principia productiua habentia formales rationes producendi diſtinctas, natura .ſ. & voluntas, quorum vnum non poteſt reduci ad alterum, quia vtrumque eſt perfectum, nec ambo ad aliquid tertium, quia habent modos oppoſitos principiandi, & propterea non ſunt niſi duæ tantum productiones diſtinctæ ſecundum rationes formales productionum. d. 2. q. 7.

Reſolutio.

Reſpondeo quod præter duas iam dictas proceſſiones Filij, & Spiritus ſancti non eſt alia proceſſio in diuinis, quia non eſt alia perſona procedens in eis, præter Filium & Spiritum ſanctum, idcirco enim fatemur proceſſiones eſſe in diuinis, quia ſecundum fidẽ habemus eſſe perſonas procedentes.

Obiectio. Sed ſi Filius procedit a Patre per dictionem, quia verbum, & Spiritus ſanctus per donationem, quia donum?

Reſpondetur, quod ſecundum diuerſas rationes, & reſpectus aliquando productio Filij dicitur generatio, & aliquando dictio, ſicut etiam productio Spiritus ſancti aliquando dicitur ſpiratio, & aliquando donatio, ſecundum

dum rem, tamen vna eſt, & eadem productio, generatio, & dictio; ſpiratio, & donatio; ſicut vna, & eadem eſt perſona, quæ generatur, & dicitur; vna, & eadem, quæ ſpiratur, & donatur.

QVAESITVM III.

An diſtinguatur generatio Filij a proceſſione Spiritus ſancti?

d.13. a.1. ALbertus reſp. & ſeptem aſſignat differentias inter generationē Filij, & proceſſionē Spiritus ſancti; prima eſt ex parte principij a quo, vna enim .ſ. generatio eſt a potentia generatiua in Patre, altera vero eſt a potentia ſpiratiua; ſecunda, quia Filius cuius eſt generatio eſt ab vno, Spiritus verò cuius eſt proceſſio eſt a duobus; tertia, quia proceſſio Spiritus ſancti eſt ex cōmunicatione conſenſus Patris, & Filij, Filius autem eſt ex communicatione naturæ; quarta, quia Filius procedit, vt diſtinctus in eſſe Spiritus ſanctus autem per modum bene eſſe diſtinctorū; quinta, quia Filius dicit rationem accipientis naturam, Spiritus ſanctus verò dicit rationem nectentis eos, a quibus accipit naturam; ſexta, quia Spiritus ſanctus procedit, vt donabilis, ſecus autem Filius; ſeptima, quia Filius procedit quomodo natus, Spiritus ſanctus verò quomodo datus.

d.13. q.1. a.2. D. Thomas reſp. quod omnis diſtinctio realis in diuinis ſumitur ſecundum relationes originis, & ideo proceſſio Spiritus ſancti diſtinguitur realiter a generatione Filij, quia trahit originem ab ea; nam proceſſio Spiritus ſancti eſt a duobus .ſ. a Patre, & Filio, quorum vnus .ſ. Filius trahit originem ab altero, .ſ. a Patre per generationem, quæ eſt emanatio ab vno.

p.p. q.27. a.4. Et iterum reſp. quod cum quicquid eſt in diuinis ſit vnum cum diuina natura, ex parte huius vnitatis non poteſt accipi propria ratio huius proceſſionis, vel illius, ſecundum quā vna diſtinguitur ab alia, ſed oportet quod prima ratio huius proceſſionis, vel illius accipiatur ſecundum ordinem vnius proceſſionis ad aliam, qui ordo attenditur ſecundum rationem voluntatis, & intellectus.

d.13. a.1. D. Bonau. reſp. & probat quod emanationes diuinæ realiter diſtinguuntur, primò, quia ſolæ perſonę realiter diſtinguuntur, & diſtinguuntur per ſuas emanationes; ſecundò, quia ſunt a diuerſis principijs; tertiò, quia vna eſt per modum naturæ, & altera per modum voluntatis; quartò, quia ſicut in nobis egreſſus verbi, & egreſſus amoris differunt, ita & in diuinis; ſed iſta diſtinctio non eſt a priori; a priori autem diſtinguuntur ſeipſis, ſicut differentiæ ſeipſis diſtinguuntur, quam differentiam duæ alię differentiæ ſequuntur, vna quia generatio eſt ab vno, proceſſio verò a duobus, altera quia Spiritus ſanctus procedit, vt donabilis, Filius verò, vt natus.

d.13. q.2. Ægidius reſp. quod intantum diuinæ proceſſiones, quales ſunt generatio Filij, & proceſſio Spiritus ſancti diſtinguūtur, inquantū important relationes, vel ad relationes ordinantur, tota enim diſtinctio in diuinis per relationes ſumitur, & quoniam important relationes diſparatas, & ad eas ordinantur, quæ diſtinguuntur ad diſtinctionem ſuppoſitorum, in quibus ſunt, & ſuppoſita, in quibus ſunt diuinæ proceſſiones realiter diſtinguuntur, ideo & ipſe realiter diſtinguuntur.

a.60. q.2. Henricus reſp. quod generatio, & ſpiratio poſſunt accipi, & ad inuicem comparari dupliciter, vel vt ſunt in ſuis ſuppoſitis, vel ſimpliciter; & quocumque modo accipiantur, & ad inuicem comparentur realiter diſtinguuntur, non quidem re abſoluta, ſed relatiua, quia penes rationes originis, vna enim trahit originem ab altera, non tanquam principiatum a principio, ſed quia non habet eſſe niſi illa præuia, vel quaſi præuia.

d.13. q.1. Ioannes Scotus reſp. quod emanationes diuinæ ſeipſis formaliter diſtinguuntur; primò, quia ſeipſis formaliter ſunt, nam generatio eſt formaliter ſeipſa generatio, & ſpiratio formaliter ſeipſa ſpiratio, & vtraque habet ſuam rationem formalem, per quam impoſſibile eſt, quod vna ſit altera, & non diſtinguantur; ſecundò, quia ipſæ ſunt, quæ diſtinguunt perſonas; & hanc diſtinctionem formalem originatiuè, ſeu principiatiuè habent a ſuis principijs intellectu .ſ. & voluntate, quæ ſunt principia earum formaliter diſtincta ex natura rei. Item Ioan. de Baſſ.

d.13. q.2. Herueus reſp. quod proceſſiones diuinæ realiter diſtinguuntur, quia generare, & generari diſtinguuntur realiter a ſpirari, & probat, quia ſpirari habet oppoſitionem relatiuam ad generare, & generari, cum ſit de ratione ſpirati produci ab alio producto, quod non poteſt eſſe in diuinis, niſi per generationem, & ideo cum ſpirari ſit a generante, & genito, ſpiratio realiter diſtinguitur a generatione.

d.13. q.2. Durandus. reſp. quod idem eſt iudicium de proceſſionibus, & de relationibus, quia proceſſio dicit ſolum reſpectum, vt quod eſt ab alio, cui reſpondet oppoſitus reſpectus,

vt

Digitized by Google

vt a quo eſt aliud, qui reſpectus conſtituunt perſonas, & diſtinguunt; & quia relationes realiter diſtinguuntur, idcirco & proceſſiones realiter diſtinguuntur: per quid autem diſtinguantur? reſpondet, quod illæ inter quas eſt oppoſitio directè, vt generare, & generari diſtinguuntur per ſuppoſita, illæ verò, inter quas non eſt oppoſitio directè, vt inter generare, & generari ex vna parte, & ſpirari ex altera diſtinguuntur ſeipſis.

d.13. q.1. Thomas Anglicus reſp. quod inter generationem paſſiuam Filij, & ſpirationem Spiritus ſancti licet non ſit oppoſitio directa, eſt tamen opoſitio indirecta, & ideo realiter diſtinguuntur.

q.30. Ioannes de Neap. reſp. quod emanationes diuinæ ſunt realiter diſtinctæ; tum quia ſunt idem quod relationes, quæ realiter diſtinguũtur; tum quia ad terminos diuerſos tendunt, eſt enim emanatio tendentia quædã ad aliud, quod emanat, vt ad terminum; tum tertiò, quia impoſſibile eſt, quod vna emanatio ſit verè generatio, & non generatio, hoc autem eſſet, ſi realiter non diſtinguerentur; per quid autem diſtinguatur? reſp. quod diſtinguuntur ſecundum diſtinctionem realem terminorum .ſ. perſonarum emanantium.

d.13. a.2. Petrus Aur. reſp. quod relatio, actio, paſſio, & cætera prædicamenta, quæ dicunt rerum circumſtantias extrinſecus aduenientes, licet ſint in eiſdem fundamentis, & terminis, ſeipſis tamen, ſeu ſuis formalibus rationibus diſtinguuntur; diuerſorum enim generum, & non ſubalternatim poſitorum diuerſæ ſunt ſpecies, & differentiæ, & quoniam generatio verbi, & ſpiratio amoris ſunt in Deo, imò magis, quam in nobis, quia in nobis habent eſſe diminutum, & intentionale, in Deo autem verum, & reale; igitur tanto magis ſeipſis, & ſuis formalibus rationibus diſtinguũtur.

d.13. q.vn. Guilel. Occham reſp. quod emanationes diuinæ ſeipſis diſtinguuntur formaliter, quia nullam aliam diſtinctionem præſupponunt, quod ſi præſupponerent maximè præſupponerent diſtinctionem principiorum elicitiuorũ, ſed hanc non præſupponunt, neque coexigunt, cum non ſit inconueniens idem principium elicitiuum eſſe principium diſtinctarũ productionum. Item Gabriel.

d.13. a.4. Gerardus reſp. quod emanationes diuinæ intrinſecè ſeipſis diſtinguuntur per ſua principia, & ſuppoſita producta, duo enim (inquit) concurrunt ad diſtinctionem earum, diſtinctio ſuppoſitorum productorum, & diſtinctio principiorum producentium, quibus poſitis tanquam duabus cauſis extrinſecis, ſequitur earũ diſtinctio intrinſeca, & formalis.

Gregorius reſp. quod generatio, & ſpiratio ſunt diſtinctæ productiones, & ſeipſis formaliter ſunt diſtinctæ, ſicut Filius, qui eſt generatio, & Spiritus ſanctus, qui eſt ſpiratio, ſunt ſeipſis diſtincti, quo autem diſtinguantur, & qua ratione, hoc eſt omnino ineffabile. d.13. q.1.

Guilel. Rub. reſp. quod ſpiratio paſſiua, & generatio actiua, & paſſiua ab inuicem, & inter ſe diſtinguuntur formaliter ſeipſis, originaliter verò ipſa eſſentia, quæ eſt principium cuiuſcunque productionis actiuæ, & terminus paſſiuæ. d.15.

Alphonſus reſp. quod non eſt catholicis dubium diuinas emanationes realiter diſtingui, nam conſtat Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum quantum ad eorum propria non vnã rem eſſe, & eandem, ſed plures, & diſtinctas. d.18.

Ioannes Bacc. reſp. quod cum principia diuinarum emanationum .ſ. intellectus & voluntas diſtinguantur realiter ex natura rei, & ipſæ realiter diſtinguuntur; ſed non ſic præciſè, cum formaliter, & intrinſecè diſtinguantur ſuis proprijs formalibus reſpectibus de genere actionis; ſicut enim in diuinis eſt prædicamentum relationis, ita & actionis, & paſſionis ſecundum ſuas rationes formales, igitur ſicut relationes diſtinguuntur infra prædicamentum relationis per ſuas rationes formales, ita & emanationes, generatio .ſ. & ſpiratio per ſuas rationes formales diſtinguuntur. d.11.

Petrus Aliac. reſp. quod quamuis iſtæ emanationes ſint diſtinctæ ex natura rei, & ſeipſis formaliter; earum tamen differentia non poteſt a nobis melius explicari, quã per hoc, quod generatio eſt ab vno, ſpiratio a duobus. q.8. a.3.

Nicol. de Orb. reſp. quod emanationes diuinæ ſeipſis realiter diſtinguuntur, ſunt enim conſtitutiuæ diuinarum perſonarum, ſicut ſunt differentiæ vltimæ in creaturis, itaquod impoſſibile eſt generationem eſſe ſpirationem circumlocuto quocunque alio, tota enim ratio formalis vnius non eſt eadem toti formali rationi alterius. d.13.

Marſilius reſp. quod cum generatio Filij ſit ipſa perſona Filij, & ſpiratio Spiritus ſancti ſit ipſa perſona Spiritus ſancti non minus realiter diſtinguuntur, quam ipſæ perſonæ Filij, & Spiritus ſancti. q.10. a.2.

Laur. Opimus reſp. quod ex diuerſo modo agendi principiorum productiuorum in diuinis ſufficienter a nobis eſt intelligibilis diſtinctio formaliter generationis, & ſpirationis; eſt enim generatio productio intellectualis notitiæ verbi, quæ eſt per intellectum, qui d.10. 11.

Digitized by Google

naturaliter agit, ſpiratio verò productio amoris, quæ eſt per voluntatem, quæ liberè agit; ex hoc ergo quod vnum principium liberè agit, alterum verò naturaliter, ſatis concluditur diſtinctio formaliter in emanationibus diuinis.

d. 13. q. vn. Iacob. Maleſ. reſp. ex ſententia Scoti, quod emanationes diuinæ diſtinguuntur ſeipſis formaliter; principiatiuè per ſua principia formalia; addit quoque, terminatiuè, per ſuos terminos totales.

d. 13. q. vn. Ioannes Maior reſp. quod iſtæ proceſſiones paſſiuæ ſunt perſonæ productæ, quæ inter ſe diſcrepant, ſicut generatio caliditatis eſt caliditas producibilis ſucceſſiuè, & creatio angeli, eſt ipſe angelus; & idcirco realiter diſtinguuntur.

d. 13. Michael de Palatio reſp. quod proceſſiones dupliciter conſiderari poſſunt, aut quatenus proceſſiones ſunt, aut quatenus altera generatio dicitur, altera ſpiratio; primo modo diſtinguũtur, quia altera eſt prior origine alia, & ſic ex ſeipſa habet generatio, quod non ſit ſpiratio, quia prior; ſecundò, generatio ſic dicitur, quia eſt proceſſio intellectiua, ſpiratio verò, quia voluntaria.

d. 13. q. 1. a. 3. Guilel. Varrill. reſp. quod iſtas productiones diſtingui, poteſt capi tripliciter, vno modo formaliter, & ſic ſeipſis diſtinguuntur; ſecundo modo principiatiuè, & ſic diſtinguuntur penes intellectum, & voluntatem, tertiò, ex ſigno, & ſic diſtinguuntur productionibus; manifeſtatiuè (inquit Nicol. de Niſſe) & ſic diſtinguuntur per ſuppoſita producta, per illa enim apparet diſtinctio illarum productionum. Item Ioann. Vigerius, & Ant. Andreas.

q. 27. a. 4. Thomas Caet. reſp. quod proceſſiones diuinæ ex intentione D. Thomæ non diſtinguũtur ſeipſis primò, ſed diſtinguuntur formaliter per illas particulas, ſeu differentias in earum diffinitionibus clauſas intrinſecè, ſ. per modum ſimilis, & per modum impulſus, & ſecundum hunc ſenſum poteſt dici, quod diſtinguuntur ſeipſis.

d. 13. q. 2. Franciſcus a Chriſto reſp. quod inter generationem Filij, & proceſſionem Spiritus ſãcti eſt diſtinctio realis; quæ tamen diſtinctio ſumenda eſt, vel ex ordine originis; ſiquidem omnis diſtinctio realis in diuinis ex oppoſitione ſumitur; hæc autem ortum habet, vel ex habitudine relatiua, vel ex ordine originis, idque directè, vel indirectè; vel ſumenda eſt penes principia, & finis, nam proprietates, quæ ſe habent in diuinis, vt principia, & termini, realiter diſtinguuntur propter oppoſitionem.

diſp. 2. q. 1. Greg. de Valentia reſp. quod ex fide docemur aliquid peculiare diſcrimen eſſe inter proceſſionem Spiritus ſancti, & generationẽ Filij; ſed tamen id diſcrimen nõ eſt nobis fide omnino, & in particulari, declaratum; vnde Damaſc. Quoniam quidem (inquit) eſt differentia generationis, & proceſſionis didicimus, quis verò ſit modus huius differentiæ nequaquam.

p. p. q. 27. a. 4. Ludou. Mol. reſp. quod loquendo de proceſſionibus paſſiuè ſumptis, ſeipſis, & ſecundum ſuas rationes formales realiter diſtinguuntur, radicaliter vero id habent, eo quod vna ſit ſecũdũ operationem intellectus, & alia ſecundum operationem voluntatis, inde enim eſt, quod vna ſuapte natura ſupponat aliam, & quod ſit ordo originis, ac proinde diſtinctio inter eas.

diſp. 148 Gabriel Vaſquez reſp. quod generatio paſſiua habet ſecum coniunctam ſpirationem actiuam, quæ quoniam oppoſitionem habet ad ſpirationem paſſiuam, hinc fit, quod ratione adiuncti, iſtæ duæ emanationes paſſiuæ ſumptæ realiter diſtinguantur.

d. 13. Archang. Rub. reſp. quod proceſſiones diuinæ diſtinguuntur realiter, quia ad filiationem, & ſpirationem terminantur, quæ realiter ratione oppoſitarum relationum diſtinguuntur.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod proceſſiones in diuinis, cum non habeant aliam realitatem, quam habent ipſæ perſonæ, quarum ſunt proceſſiones, quia non niſi ſecundum modum noſtrum intelligendi diſtinguuntur ab eis, inde fit, quod omnis earum diſtinctio realis ab ipſis perſonis ſumenda eſt, qua ergo ratione perſonæ diuinæ realiter diſtinguuntur, ita diſtinguuntur earum proceſſiones, & quoniam perſonæ non alia realitate, quam ipſa, qua ſunt ab inuicem realiter diſtinguuntur, ita & proceſſiones non poſſunt alia realitate, quam realitate perſonarum ab inuicem diſtingui; hæc autem cum ſit realitas ſua; ſua quoque realitate diſtinguuntur, quod eſt diſtingui realiter ſeipſis, & non penes terminos, aut penes principia, aut penes origines, niſi diſtinctione rationis, prout ſ. intellectus multipliciter operando circa ipſas, & formando diſtinctos conceptus, diſtinguit.

Obiectio. Sed ſi perſonæ diuinæ habent eſſe per ſuas proceſſiones, ac proinde diſtingui?

Reſpondeo, quod perſonæ diuinæ habent quidem eſſe per ſuas proceſſiones, vt Filius per

per generationem, Spiritus ſanctus per ſpirationem; ita tamen, quod idem eſt eſſe, & eadem eſt realitas perſonarum, & proceſſionũ; non enim, niſi ſecundum noſtrum modum intelligendi, & diſcurrendi diſtinguuntur, perſonæ enim intelliguntur, vt quæ per ſe, & formaliter ſubſiſtunt, & quibus primò conuenit realiter eſſe; ſecus autem proceſſiones, ex quo ipſæ proceſſiones quicquid realitatis habent, habent ab ipſis perſonis, & non econuersò, ac proinde ſi realiter diſtinguuntur, ea realitate diſtinguũtur qua diſtinguũtur perſonæ; non ergo ſequitur, quod ſi perſonæ habent eſſe per ſuas proceſſiones, ipſæ proceſſiones realiter non diſtinguantur ea realitate qua ſunt, quæ eſt realitas perſonarum, & conſequenter ſeipſis.

QVAESITVM IV.

An diſtinguantur proceſſiones diuinæ, prout ſunt in eadem perſona?

p. p. q. 32. a. 3. D. Thomas reſp. quod cum ſola oppoſitio relatiua faciat pluralitatem in diuinis realem, plures proprietates vnius perſonæ, cum non opponantur ad inuicem relatiuè non differunt realiter; nec tamen de ſe inuicem prædicantur, quia ſignantur, vt diuerſæ rationes perſonarum.

d. 12. q. 2. Ægidius reſp. quod emanationes diuinæ diſtinguuntur ad diſtinctionem ſuppoſitorũ, in quibus ſunt, prout ſunt relationes diſparatæ, quæ ergo ſunt in eodem ſuppoſito realiter non diſtinguuntur.

d. 13. q. 2. Herueus reſp. quod ea, quæ ſunt in diuinis in eodem ſuppoſito, licet extrinſecè poſſint importare aliquam diuerſitatem realem, tamen ipſa realiter non poſſunt diſtingui; tum quia vbi ſunt duo realiter diſtincta, ita quod vnum non ſit alterum, oportet, quod ſint duo diſtincta ſubſiſtentia, cum nihil ſit in diuinis, niſi ſubſiſtens; tum etiam quia, quæ ſunt in diuinis in eodem ſuppoſito prædicantur de ſe inuicem in abſtracto, cum prædicentur de ſe inuicem in concreto, quæ autem prædicantur de ſe inuicem in abſtracto nõ ſunt res diſtinctæ; tum tertiò, quia ſicut eſſentia non ponit in numerum cum perſonis, quibus eſt communis, ita nec ſpiratio cum paternitate, & filiatione, quæ eſt eis communis.

d. 13. q. 2. Durandus reſp. quod generare, & ſpirare, ſeu generatio, & ſpiratio in Patre realiter diſtinguuntur, quæ quidem diſtinctio non eſt ſumenda ex parte ſuppoſitorum, quia in diuerſis ſuppoſitis eſt aliquid vnum, & idem numero; nec a natura oppoſitionis, quia licet omnia oppoſita ſint diſtincta, non tamen omnia diſtincta ſunt oppoſita; ſed ex ſeipſis, & ſuis proprijs rationibus.

Petrus Aur. reſp. quod generatio actiua, & ſpiratio actiua in Patre, & generatio paſſiua, & ſpiratio actiua in Filio, neque re, neque ratione diſtinguuntur; non re, quia perſonalitas vtriuſque Patris ſ. & Filij eſt res ſimpliciſſima, & generatio actiua, & ſpiratio actiua concurrũt ad perſonalitatem Patris, & generatio paſſiua, & ſpiratio actiua ad perſonalitatem Filij, & non poſſunt eſſe plures realitates in eadem perſona; non ratione, quia de generare, & ſpirare poſſunt enunciari contradictoria de prædicamento reali, nam generare non communicatur Filio, ſpirare verò communicatur; impoſſibile eſt autem quod contradictoria de prædicamento reali verificentur de his, quæ dicunt eandem rem ſub alio, & alio conceptui, prædicatum enim reale reſpicit rem, non quatenus concepta eſt, ſed quatenus res eſt, quapropter ſi affirmetur, & negetur ſub diuerſis conceptibus de eadem re ſimpliciter, affirmatur, & negatur de eodem. d. 13. a. 3.

Franc Maro reſp. quod proceſſiones diuinæ in eadem perſona non poſſunt eſſe realiter diſtinctæ, alioquin ſequeretur; primò, quod prima diſtinctio realis eſſet in vna perſona, non in perſonis; ſecundò, quod non minus diſtinguerentur, quæ ſunt in vna perſona, quam quæ in diuerſis; tertiò, quod perſona Spiritus-ſancti eſſet magis vna, quam perſona Patris, & Filij; quartò, quod eſſent quatuor res in diuinis, quæ omnia ſunt falſa. d. 12. q. 3.

Guilel. Rub. reſp. quod ſpiratio actiua, & generatio actiua, & paſſiua, cum coincidant in eiſdem perſonis ſunt totaliter indiſtinctę in re extra, ſicut ſunt ipſæ perſonæ, eſt enim ſpiratio actiua indiſtincta a Patre, & Filio, ſicut generatio actiua a Patre, & generatio paſſiua a Filio, econtrà verò ſpiratio paſſiua, cum ſit idẽ quod Spiritus ſanctus realiter diſtinguitur a generatione actiua, & paſſiua, quæ ſunt indiſtinctæ a Patre, & Filio. d. 13.

Alphonſus reſp quod ſi generatio, & ſpiratio in Patre eſſent duæ res realiter diſtinctæ, vel vna earum eſſet ei eſſentialis, & altera accidentalis, vel vtraque accidentalis, vel vtraque eſſentialis; primo, & ſecundo modo eſſe non poteſt, quia in diuinis non eſt accidens, ſimiliter nec tertio, quia in eſſentialibus nulla eſt diſtinctio in diuinis. Quicquid itẽ eſt paternitas in diuinis eſt generatio realiter, quia ſunt vna res conuertibiliter, & adæquatè, ſed ſpiratio in Patre eſt realiter d. 13 a. 2.

paternitas, quia quicquid eſt realiter Pater eſt realiter paternitas, ergo ſpiratio eſt realiter in Patre generatio.

d.11. Ioan. Bacconus reſp. quod generatio, & ſpiratio in Patre diſtinguuntur realiter, non ſolum vt comparantur ad terminos oppoſitos, ſed etiam ad inuicem, vt ſunt relationes diſparatæ, nam hæc diſtinctio ſequitur ad illam; eſt enim de quiditate talium emanationum, quod reſpiciant terminos oppoſitos, genitum .ſ. & ſpiratum; vt verò comparantur ad Patrem, non diſtinguuntur, ſed ſunt idem cum eo.

d.13. Michael de Bon. reſp. quod generatio, & ſpiratio actiua in perſona Patris, nec differunt realiter, nec ſunt omnibus modis idem; primum probat tripliciter; primò, quia ſi differrent realiter, & eſſent duæ realitates in eo, eſſet quaternitas in diuinis; ſecundò, quia eſſentia, generatio, & ſpiratio concurrunt intrinſecè in vnam ſimpliciſſimam perſonalitatem; tertiò, quia nec ſunt duæ res inhærentes, quia nihil inhærens in diuinis, nec ſubſiſtentes; ſecundum probat etiam tripliciter; primò, quia non ſunt idem accidentaliter, cum nullum accidens ſit in Deo; ſecundò, quia non ſunt idem ſola voce, cum habeant diuerſas voces; tertiò, quia non ſunt idem ſicut partes integrales in toto, vel ſicut materia, & forma in compoſito.

d.13. q.vn. Ioan. de Baſſol. reſp. quod generatio actiua, & ſpiratio actiua diſtinguuntur realiter; primò, quia ſunt relationes, quæ opponuntur per ſe, & directè filiationi, & ſpirationi paſſiuæ, quæ ſunt realiter diſtinctæ; ſecundò, quia vna earum eſt conſtitutiua perſonæ, & communicabilis alteri, & alia non; tertiò, quia vna non poteſt prædicari de altera accepta in vltima abſtractione.

p.2. q.3. Nicol. de Niſſe reſp. quod ſpiratio actiua in Patre cum generatione actiua eſt eadem realiter, ſed non formaliter, & ratio eſt, quia in Patre eſt vna realitas, & generatio actiua eſt productio naturalis, ſpiratio verò libera; ſpiratio item actiua in Filio, cum filiatione eſt eadem realiter, quia in Filio eſt vna tantum realitas, ſed non formaliter, quia filiatio formaliter dicit reſpectum ad Patrem, ſpiratio verò ad Spiritum ſanctum.

d.13. q.1. Franciſcus a Chriſto reſp. quod inter generationem actiuam, & ſpirationem in Patre non eſt oppoſitio relatiua, quæ ortum habet ex ordine originis, vel directè, vel indirectè, & ideo realiter nõ diſtinguuntur; quod ſi diſtinguerentur, & conuenirent vni, vel conuenirent eſſentialiter, & vtraque, vel vt actus, & ſic perſona illa non eſſet per ſe vna, vel vt actus, & potentia, & ſic eſſet compoſita; vel conuenirent accidentaliter, & ſic in illa eſſet accidens, quod eſt inconueniens.

Ludou. Molina reſp. quod generatio actiua in Patre, & ſpiratio non dicuntur propriè proceſſiones, & ſunt idem re, & ratione formaliter inter ſe. q.47. a.4.

Reſolutio.

RESpondeo, quod cum quælibet perſona diuina ſit vna res, & ſimplex, non poteſt habere in ſe aliam realitatem, quam ſui, vnde Pater a ſua paternitate, quæ eſt ſua realitas, non habet aliam realitatem, quæ non ſit paternitas, & ſimiliter Filius a ſua filiatione, non habet aliam realitatem, quæ non ſit filiatio, quamobrem generatio actiua, & actiua ſpiratio in Patre, non ſunt aliud ab ipſa paternitate, niſi ſecundum noſtrum modum intelligendi; & ſimiliter in Filio generatio paſſiua, & ſpiratio actiua, non eſt aliud ab ipſa filiatione, & ideo plures emanationes in vna, & eadem perſona realiter diſtingui non poſſunt.

Sed ſi earum diffinitiones ſunt diuerſæ? Obiectio.

Reſpondetur, quod ad diuerſitatem diffinitionum ſufficit diſtinctio ſecundum rationem inter ea, quæ realiter ſunt idem; vnde etiam diuina attributa cum ſint idem quod diuina eſſentia realiter, quæ eſt vna res, & ſimpliciſſima, nihilominus eorum diffinitiones ſunt plures, & diuerſæ.

QVÆSITVM V.

An Spiritus ſanctus poſſit dici genitus, eiuſque proceſſio generatio?

ALex. reſp. quod generatio in diuinis eſt productio ſimilis in natura de tota ſubſtantia producentis ſecundum modum principalem, qui eſt, vt productum habeat virtutem aliud producendi; per hoc ergo productio Spiritus ſancti non eſt generatio, quia quamuis Spiritus ſanctus de tota diuina ſubſtantia producatur, non producitur tamen cum virtute producendi aliam perſonam, ſiue aliud productum. q.42. m.2.

D. Thomas reſp. quod generatio verbi attenditur ſecundum ſimilitudinem in natura, cum ſit per modum intellectus; intellectus enim ſit in actu per hoc, quod res intellecta eſt in eo ſecundum ſuam ſimilitudinem; proceſſio autem amoris, cum ſit per modum voluntatis non attenditur ſecundum rationem p.p. q.27. a.4.

ſi-

Digitized by Google

ſimilitudinis, ſed magis ſecundum rationem impellentis, & mouentis in aliquid; voluntas enim fit in actu per hoc, quod habet quandam inclinationem in rem volitam; cum itaque Spiritus ſanctus procedat vt amor, & ſpiritus, nullo modo poteſt dici genitus, eſt enim generatio origo viuentis a viuente ſecundum ſimilitudinem in natura.

d.13. q.2. D. Bonau. reſp. quod ſicut dicit D. Auguſtinus generatio præſtat eſſentiam Filio, eadem autem emanatio non poteſt præſtare eſſentiam duabus perſonis, & ideo Spiritus ſanctus non poteſt dici genitus; ſecundò, ſi Spiritus ſanctus poſſet dici genitus, cum ſit a Patre, & Filio, ſic Pater, & Filius poſſent dici duo principia, quorum vnum eſſet actiuum, & alterum paſſiuum, quod eſt inconueniens, nihil enim dicitur procedere a duobus per viam generationis, quod eſt procedere, vt genitum, niſi vnum eorum ſit principium actiuum, & alterum paſſiuum.

d.13. q.3. a.1. Ægidius reſp. quod Spiritus ſancti proceſſio non poteſt dici generatio, ſiue ipſe non poteſt dici genitus; primò, quia non procedit per generationem, cum ſic procedat Filius, per vnum autem modum procedendi nõ procedit niſi vna perſona; ſecundò, quia non poteſt dici generari, quod enim generatur, acquirit eſſe per generationem, procedit per modum naturæ, ſi eſt a duobus eſt ab vno tãquam principio actiuo, & altero paſſiuo, & ex ſe habet reſpectum tantum ad vnum; hæc enim quatuor ſunt, quæ conſiderantur in generatione, vt ad præſens ſpectat, quorum nullum competit Spiritui ſancto; tertiò, quia perſonæ diuinæ non communicant ſuas proprietates, eſſe autem genitum eſt proprietas Filij, & ſic non poteſt dici de Spiritu ſancto.

d.13. Ricardus reſp. quod ideo Spiritus ſanctus non poteſt dici genitus, quia eius proceſſio eſt per modum voluntatis, generatio autem eſt per modum naturæ.

d.13. Ioan. Scotus reſp. adducens auctoritatem D. Auguſtini dicentis, quod Spiritus ſanctus procedit a Patre, & Filio nõ quomodo natus, ſed quomodo datus, ergo ſubdit, ſi nõ procedit vt natus, non poteſt dici genitus.

d.18 q.vn. Guilelmus Occham reſp. quod cum generatio fiat virtute diuinæ intellectionis, cuius eſt producere, vt ſimile obiecto cognito, eſt productio ſimilis, vt ſimilis; proceſſio autem eſt productio doni, quod ex hoc ipſo, quod donum eſt, non eſt ſimile producenti, & quoniam Spiritus ſanctus procedit vt donum, non procedit vt ſimile producenti, nec conſequenter poteſt dici genitus. Item Gabriel.

Guilel. Rubion reſp. quod cum in diuinis productum non ſit aliud a ſua productione paſſiua, Spiritus ſanctus autem ſit aliud a generatione paſſiua, cum ſit idem quod ſpiratio paſſiua, quæ realiter diſtinguitur a generatione paſſiua; idcirco non poteſt dici genitus. d.13. a.2.

Et iterum reſp. quod accipiendo genitum ſtrictè pro ſubſtantia producta modo naturæ, ſic ſolus Filius dicitur genitus; largè tamen pro omni ſubſtantia producta ab alia, ſic etiã Spiritus ſanctus poteſt dici genitus. d.27. q.2.

Petrus Aliacenſis reſpondet quod vnus eſt filius in diuinis, vna ergo perſona genita, non igitur Spiritus ſanctus poteſt dici genitus, quia nec poteſt dici Filius. q.5.

Michael de Pal. reſp. quod productio Spiritus ſancti non exprimit productoris, ſiue producentiũ ſimilitudinem, & ideo non vocatur, nec dicitur eius proceſſio generatio. d.13.

Ludou. Molina reſp. quod cum verbum diuinum vi ſuæ productionis oriatur, vt figura ſubſtantiæ eius, a quo procedit, eique ſit conſubſtantiale, eo quod quicquid ad intra procedit ex Deo, eſt Deus; Spiritus ſanctus verò licet propter eandem rationem procedat conſubſtantialis Patri, & Filio; non tamen ex vi ſuæ productionis procedit, vt ſimilis ſubſtantiæ Patris, & Filij, ſed potius vt inclinatio, & propenſio in eandem ſubſtantiam, hinc fit quod proceſſio verbi ſit generatio, & conſequenter verbum, genitum, non autem Spiritus ſanctus. q.27. a.4.

Gabriel Vaſq. reſp. quod ideo verbum generatur, & dicitur Filius, non ſolum, quia procedit, vt ſimile ex vi productionis ſuæ; ſed etiam quia procedit a Patre, vt imago eius; non ſic autem Spiritus ſanctus, & ideo non dicitur genitus. diſp. 118

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut Spiritus ſanctus non poteſt dici Filius, quia realiter diſtinguitur ab eo, ita neque etiam poteſt dici genitus, quia eſſe genitum in diuinis non realiter diſtinguitur ab eo, quod eſt eſſe Filius, quod enim Filium ſubſtantiuè dicimus, hoc genitum adiectiuè nuncupamus.

Sed ſi Spiritus ſanctus procedit ſimilis in natura ſuo producenti? quod autem ſic producitur poteſt dici genitum, quia generatio eſt productio ſimilis in natura. Obiectio.

Reſpondetur, quod Spiritus ſanctus procedit ſimilis in natura ſuo producenti, non tamen propter talem proceſſionem, ſed quia quicquid eſt in diuinis eſt vnum in natura. Ita D. Thomas.

QVÆSITVM VI.

An Spiritus ſanctus poſſit dici ingenitus?

q.20. m.2 ALex. Al. reſp. quod eſſe ingenitum dicitur dupliciter negatiuè, & quaſi contrariè; primo modo ſoli Patri conuenit; ſecundo modo etiã Spiritui ſancto.

d.13. a.7. Albertus reſp. quod ly ingenitus ſumitur dupliciter priuatiuè, & negatiuè, priuatiuè non dicitur niſi de non nato, apto tamen ad hoc, vt naſcatur, & ſic de nulla perſona diuina dicitur; negatiuè verò, vel dicitur, vt eſt negatio in genere, vel extra genus; ſi extra genus, tunc tantum valet ingenitum, quantum ens non genitum, & ſic dicitur de Patre, & de Spiritu ſancto; ſi in genere naturæ diuinæ, adhuc poteſt facere triplicem negationem, vt ſi idem ſit, quod ens non ab alio, & ſic tantum Patri conuenit, quod ſit idem, quod ens ab alio non per generationem, & ſic tantum Spiritui ſancto conuenit, & quod ſit idem, quod non ens ab alio per generationem, & ſic conuenit Patri, & Spiritui ſancto.

d.13. D. Thomas reſp. quod ly ingenitus dicit in diuinis puram negationem, non priuationem, quia priuatio locum non habet in eis, negatio autem eſt duplex, in genere, & extra genus, vt dicit negationem extra genus, ſic conuenit etiam eſſentiæ, & Spiritui ſancto & ſimiliter, vt dicit negationem in genere diuinæ naturæ, ſed non in genere principij, nam ſic ſolus Pater eſt ingenitus, cum ſimpliciter non ſit ab alio.

d.13. q.4. D. Bonau. reſp. quod hoc nomen ingenitum dupliciter accipitur, vno modo priuatiuè, ſ. pro eo, quod non generatur, & hoc modo dicitur de Spiritu ſancto, & de eſſentia, alio modo prout ingenitum tantũ valet, quantum ens non ab alio, & a quo alij, & hoc modo dicit notionem ſolius Patris, quia dignitatem dicit, & proprietatem in Patre.

d.13. a.1. q.2. Ægidius reſp. quod Spiritus ſanctus quãuis valdè communiter dici poſſit ingenitus, quia non eſt genitus, propriè tamen, & per omnem modum non poteſt dici ingenitus; primò propter antiquam conſuetudinem diſputandi inter ſanctos Patres, qui diſputantes cum hæreticis nomine ingeniti intelligebant Patrem; ſecundò, propter proprietatem relatiuam, nam cum ingenitum, & genitum ſint in eodem genere, quia in eodem genere ſunt affirmatio, & negatio, non poteſt dici ingenita niſi illa perſona, quæ ſecundum modum generationis opponitur genitæ, qualis eſt Pater in diuinis, non Spiritus ſanctus; tertiò, propter efficaciam negationis, plus enim tollit negatio, quam ponat affirmatio, licet ergo Spiritus ſanctus non habeat eſſe per generationẽ, habet tamẽ aliqualiter eſſe ab alio, & ideo non poteſt propriè dici ingenitus.

Ricardus reſp. quod Spiritus ſanctus poteſt dici ingenitus, ſicut poteſt & eſſentia, inquãtum non generatur; ſed quoniam ſecundum noſtrum modum intelligendi Spiritus ſanctus generationem conſequitur, & eſſentia per generationem communicatur, in vſu venit, vt ſoli Patri, qui nec generatur, nec generationem conſequitur, nec per generationem communicatur, approprietur. d.13. q.4.

Durandus reſp. quod ſicut genitum dicitur illud, quod habet eſſe ab alio per generationem, ita ingenitum, quod opponitur ei priuatiuè dicitur, quod non habet eſſe ab alio per generationem; ſicut ergo Pater dicitur ingenitus, quia non eſt ab alio, ita Spiritus ſanctus ſaltem propter hanc cauſam, quia non habet eſſe per generationem, poteſt dici ingenitus. d.13. q.3.

Petrus Aur. reſp. quod ſi ingenitum adiectiuè ſumitur, non tantum Patri conuenit, ſed etiã eſſentiæ, & Spiritui ſancto; quia tam eſſentia, quam Spiritus ſanctus eſt res ingenita, ſicut Pater; ſi verò ſubſtantiuè, prout ſic ſumptum eſt notio in diuinis, ſic tantum Patri conuenit, quia ſic ſignificat ſuppoſitum qualificatum qualitate negatiua per priuationem omnis productionis paſſiuæ. d.13.

Thomas ab Argentina reſp. quod quamuis hæc propoſitio ſit falſa Spiritus ſãctus eſt, genitus, hæc tamen nõ eſt vera Spiritus ſãctus eſt ingenitus, accipiendo ingenitum priuatiuè, quia affirmatiua de prædicato priuatiuo non ſequitur ad negationem de prædicato finito, niſi præſuppoſita circumſtantia ſubiecti cum aptitudine ad formam oppoſitam illi priuationi; ſed Spiritus ſanctus non ſic caret generatione, quod habeat habitudinem ad eam, ideo non poteſt dici ingenitus. d.12. q.1. a.4.

Guilel. Rub. reſp. quod ingenitum dupliciter ſumi poteſt, vel vt eſt idem, quod non genitum, vel vt eſt idem, quod nullo modo productum, primo modo Spiritus ſanctus poteſt verè dici ingenitus; ſecundo, nec genitus, nec ingenitus. Item Ioan. a Celaia. d.13. a.2.

Marſilius reſp. quod ingenitum dupliciter ſumitur, priuatiuè, & negatiuè, & hoc tripliciter; primò, vt negatio eſt pure contradictoria, & ſic tantum valet, quantũ non genitũ; ſecundò, vt negatio negat vniuerſaliter eſſe ab alio nihil ponendo; tertiò, vt negatio negat q.16. a.3.

gat

gat eſſe ab alio, ponendo tamen quod aliquid ſit ab eo; primo modo eſſe ingenitum conuenit Patri, Spiritui ſancto, & eſſentiæ; ſecundo modo Patri, & eſſentiæ; tertio modo tantum Patri.

d. 13. q. vn. Ioannes de Baſſol. reſp. quod Spiritus ſanctus eſt ingenitus, prout non producitur, nec communicatur per generationem, ſed non eſt ingenitus, quod ſcilicet per nullam productionem habeatur.

d. 13. q. vn. Ioannes Maior reſp. quod ſi negatio incluſa in dictione ingenitus ſit priuans tunc ingenitum eſt non genitũ, aptum tamen generari, & ſic nulla perſona eſt ingenita; ſi neganter prout contradictoriè opponitur genito, tũc cõuenit Patri, eſſentiæ, & Spiritui S. vt negat eſſe ab alio vniuerſaliter, & ponit, quod aliqua perſona ſit ab ea, ſic cõuenit tantũ Patri.

d. 13. Guilel. Eſtius reſp. quod ly ingenitum aliquando ſumitur, prout eſt idem quod non factum, & ſic Deo eſſentialiter competit; aliquando vt contradictoriè opponitur genito, & ſic Patri conuenit, & Spiritui ſancto, & aliquando pro eo, quod abſolutè originem non habet, & ſic ſolus Pater eſt ingenitus.

q. 33. a. 4. Ludou. Molina reſp. quod ly ingenitum vno modo ſignificat, quod ens nulla ratione ab alio, neque per generationem, neque per quancumque aliam proceſſionem, ſiue creatã, ſiue increatam, ita vt non ſolum non ſit res producta, ſed nec etiam alicui communicata, & hoc modo conuenit tantum Patri, alio modo idem ſignificat, quod non genitum per generationem propriè dictam, abſque aliquo alio, & ſic conuenit etiam Spiritui ſancto.

Reſolutio.

RESpondeo, quod cum ingenitum ſit illud, quod opponitur genito, dupliciter aliquid dicitur opponi ei, vel oppoſitione negatiua, vt quia non eſt genitum, vel relatiua, vt quia generans; quoniam ergo Pater opponitur genito ſecundum vtramque oppoſitionem, & quia non eſt genitus, & quia eſt generans, idcirco eius perſona deſignari ſolet nomine ingeniti, Spiritus ſanctus autem licet poſſit dici ingenitus propter vnam oppoſitionem .ſ. negatiuam, quam habet ad genitum, quia non eſt genitus, quoniam tamen non opponitur genito oppoſitione relatiua, vt generans; ideo non eſt in vſu, nec conueniens eſt, quod dicatur ingenitus, ſicut Pater, ne confundantur proprietates vtriuſque.

Obiectio. Sed ſi genitum, & ingenitum ſunt oppoſita; & Spiritus ſanctus non eſt genitus?

Reſpondetur, quod genitum, & ingenitum ſunt oppoſita; prout ingenitum idem ſonat, quod non genitum, non prout opponitur genito oppoſitione relatiua, vt ſit idem, quod generans.

DISTINCTIO DECIMAQVARTA.

Præterea diligenter annotandum eſt, quod gemina eſt proceſſio, &c.

QVAESITVM I.

An conueniat Spiritui ſancto temporaliter procedere?

d. 14. q. 1. a. 1. D. Thomas reſp. quod Spiritus ſanctus inquantum procedit, vt amor, ex modo ſuæ proceſſionis habet, quod non ſolum ſit a principio, ſed etiam quod in aliud tendat, ſicut in obiectum, ideſt in amatum; ſecundum ergo quod tendit in obiectum æternum, ſic dicitur eius proceſſio, proceſſio æterna, ſecundum verò quod procedit in obiectum creatum ſeu temporale, dicitur proceſſio temporalis. Item Guil. Eſtius, & Gregorius de Valentia.

D. Bonau. reſp. quod proceſſio eſt emanatio ab alio in alium, vel ergo in alium, vt in obiectum, vel vt in ſuſceptiuum; primo modo proceſſio Spiritus ſancti eſt æterna, quoniam emanat a Patre in Filium, vt in obiectũ æternum; ſecundò modo eſt temporalis, quia temporale eſt illud, in quod procedit .ſ. creatura, & ſic conuenit ei temporaliter procedere. d. 14. q. 1.

Ægidius reſp. quod ſicut aliquod compoſitum dicitur generari de nouo, quia accipit nouum eſſe, quamuis non ſecundum totum accipiat illud, vnde nec materia generatur, nec forma; ita licet Spiritus ſanctus ſit æternus, dicitur tamen temporaliter, & quaſi de nouo procedere, quia accipit nouum modum eſſendi in creatura, quem prius non habebat; qui tamen nouus modus eſſendi non ponit aliquid realiter in eo, ſed tantum ſecundum rationem. d. 14. q. 1.

Ricardus reſp. quod in proceſſione Spiritus ſancti attenditur duplex habitudo, vna ad principium, a quo procedit, & ſecundum hanc habitudinem proceſſio eſt æterna, altera ad terminum in quem procedit, & hoc dupliciter, vel vt in obiectum tantum, vel etiam vt in illud, in quo de nouo incipit eſſe, vel alio modo eſſe, quam ante erat; ſecundum habitudinem primo modo ſumptam eſt ſimili- q. 1.

Digitized by Google

liter proceſſio Spiritus ſancti æterna, ſed ſecundum habitudinem ſecundo modo ſumptam, eſt temporalis.

q.2. Durandus reſp. quod quia contingit aliquem habere Spiritum ſanctum ex tempore, quod non eſſet niſi procederet a Patre, & Filio, ideo oportet ponere aliquam temporalem proceſſionem Spiritus ſancti. Quæ autem ſit iſta temporalis proceſſio dicit, quod eſt illa, qua procedit a Patre, & Filio in creaturam, dicitur autem temporalis, & non æterna, quamuis dicat emanationem perſonæ a perſona, quæ eſt æterna; quia quando eſt aliquod totum, cuius altera pars non eſt ab æterno, ſed de nouo, illud non eſt æternũ, ſed temporale & nouum, totum enim non eſt niſi exiſtentibus partibus, quas totum importat; & ſic eſt in propoſito. Item Herueus.

a.1. Petrus Aur. reſp. quod cum Spiritus ſanctus procedat per modum amoroſi impulſus, & Dei poſiti in eſſe dato erga charitatem, & iuſtitiam, & cæteras perfectiones, & cum hæc omnia poſſint ex tempore participari a creaturis, ſequitur, quod ei competat temporalis proceſſio, non enim eſt aliud temporalis proceſſio, quam participatio termini proceſſionis æternæ.

q.1. Guilel. Occham reſp. quod cum Spiritus ſanctus realiter procedat ex tempore, realis eſt etiam temporalis proceſſio eius, quæ aduenit Deo, non ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco, ſicut creatio.

q.vn. a.1. Thomas ab Arg. reſp. quod eſt quædam proceſſio Spiritus ſancti, quæ eſt progreſſus amoris a Patre, & Filio ad creaturam pro ſanctificatione eius, quæ quoniam eſt ad terminum temporalem, a quo ſumitur denominatio cuiuſlibet proceſſionis mediantis inter duos terminos, a quo .ſ. & ad quem, ideo talis proceſſio dicitur temporalis, & Spiritus ſanctus per talem proceſſionem, temporaliter procedere.

q.vn. a.1. Gerardus reſp. quod cum omnis proceſſio denominetur a termino, Spiritus ſanctus autem ſic procedat a Patre, & Filio, quod eius tendentia eſt in terminum temporalem, ideo quandoque dicitur temporaliter procedere, & talis eius proceſſio temporalis eſt; & quãuis ſit ex parte æterna, & ex parte temporalis, non dicitur tamen æterna, ſed temporalis, quia æterno non repugnat denominari temporale, ſicut temporali repugnat denominari æternum.

q.1. Guilel. Rub. reſp. quod Spiritum ſanctum temporaliter procedere non eſt aliud, quam procedere aliquid donum, quo natum eſt manifeſtari creaturæ ipſum Spiritum ſanctum eſſe per modum voluntatis productum.

q.17. a.1. Marſilius reſp. quod Spiritus ſanctus procedit a principio ſpirante, & terminatur in creaturam, impertiendo illi donum amoris bonitatis Dei, procedit enim per modum amoris, qui de natura ſua tendit in amatum, & quoniam huiuſmodi creatura eſt temporalis, idcirco conuenit ei tẽporaliter procedere.

q.vn. Ioan. de Baſſol. reſp. quod Spiritus ſancti proceſſio, quatenus vt donum tendit in aliũ, duplicem habet reſpectum, vel ad obiectum æternum, & ſic eſt æterna, vel ad obiectum temporale, & ſic dicitur temporalis propter huiuſmodi nouum reſpectum ad creaturam.

q vn. a. 1. Ioan. Vig. reſp. quod temporalis proceſſio Spiritus ſancti nihil aliud eſt, quam quidam illapſus, per quem illabitur menti creaturæ, aut per ſua dona, aut per ſubſtantiam ſuæ perſonæ aſſiſtendo ſibi ſpecialiſſimè ad bonum meritorium, aut per quem illabitur menti creaturæ vtroque modo.

d.16. q.1. Franc. a Chriſto reſp. quod eſt aliqua proceſſio perſonæ a perſona ad ſanctificandam creaturam interuentu alicuius doni creati, venire enim perſona quandoque dicitur, vt in Euang. Ioann. c. 15. & hæc dicitur proceſſio temporalis Spiritus ſancti, qua procedit in creaturam, non quidem vt in rem ſubiectam, quia perſona ſubſiſtens eſt; ſed tanquam in obiectum, vt .ſ. ipſa perſona ſit obiectum cognitum, & amatum, ipſius curam gerens, & ipſam dirigens.

Reſolutio.

RE ſpondeo, quod cum Spiritus ſanctus habeat eſſe ab æterno, quia ab æterno producitur ei conuenit æternaliter, non temporaliter procedere, hoc eſt enim ei procedere propriè, quod produci; quia tamen conuenit ei quandoque dari creaturis, dicitur etiam temporaliter procedere, hoc eſt enim alicui dari, quod ab aliquo dante in aliquid procedere, quod ſuſcipiat; non quidem accipiens eſſe, ſed nouum modum eſſendi in eo, cui datur; & in hoc ſenſu (quamuis non ſit proprius) concedi poteſt, quod Spiritui ſancto conueniat temporaliter procedere, & eius proceſſio, ſub hac ratione ſit temporalis.

Obiectio. Sed ſi proceſſio Spiritus ſancti eſt idem, quod eius ſpiratio? nulla autem ratione ſpiratio dicitur temporalis.

Reſpondetur, quod ſpiratio, & proceſſio, licet ſint idem ſecundum rem, & in ſignificato; differunt tamen in modo ſignificandi, & habent diuerſam habitudinem, nam ſpiratio di-

Digitized by Google

dicit ſolum reſpectum ad principium a quo, proceſſio verò ad terminum ad quem. Ita Ægidius, Ricardus, Argentina.

QVÆSITVM II.

An conueniat ſoli Spiritui ſancto temporaliter procedere?

d. 14. a. 1. ALbertus reſp. quod temporaliter procedere conuenit & Filio, & Spiritui ſancto, ſed ſi accipiamus procedere prout diuiditur contra generationem, propriè conuenit Spiritui ſancto, & tunc bene dicitur, quod eſt manifeſtatio Spiritus ſancti in collatione doni gratum facientis ad ſanctificandam creaturam.

q. vn. Ioannes Vig. reſp. quod proceſſio temporalis appropriatur, Spiritui ſancto, quia procedit, vt actualis dilectio, temporalis autem proceſſio eſt quædam liberalis donatio per modum muneris liberi, & gratioſi, & Spiritus ſanctus eſt primum donum.

Reſolutio.

REſpondeo, quod accipiendo proceſſionem pro quacunque emanatione ab alio in ordine ad aliud tanquam ad terminum, etiam Filio cõuenit temporaliter procedere; exijt enim aliquando a Patre, & venit in mundum, vt ipſemet teſtatur dicens; ego ex Deo proceſſi, & veni. Appropriatur tamen Spiritui ſancto, cum ipſe Spiritus ſanctus ſit perſona illa, cui appropriatur creaturarum ſanctificatio, ratione cuius dicitur diuina perſona temporaliter procedere.

Obiectio. Sed ſi creaturarum ſanctificatio non ſolum prouenit a Spiritu ſancto; ſed etiam a tota Trinitate?

Reſpondetur, quod ſanctificatio creaturarum, prout habet habitudinem effectus, reſpicit communiter totam Trinitatem; & ſecundum hoc non dicitur procedere aliqua perſona, ſed prout habet habitudinem termini, erga quem eſt impulſus amoris ab æterno in Deo, ſic habet reſpectum ad Spiritum ſanctum, cui cum approprietur amor, appropriatur etiam talis proceſſio.

QVÆSITVM III.

An temporalis proceſſio ponat in numerum cum æterna?

d. 14. a. 7. ALbertus reſp. quod proceſſio temporalis claudit in ſe intellectum æternę & addit reſpectum, qui cauſatur ex hoc, quod creatura rationalis ex dono Dei aliter ſe habet ad ipſum in gratia, quam antea ſe habebat, & licet hæc non poſſint addi, vt faciant rem aliquam numero vnam; tamen hæc ſimul poſſunt ſignificari nomine vno, ſicut eſt proceſſio temporalis; vnde proceſſio addit in modo intelligendi, & ſignificandi, licet non in re, & quoad hoc dicitur gemina proceſſio.

Et iterum reſp. quod vna eſt, & eadem proceſſio æterna, & temporalis geminata per modum; æterna enim ſignificatur in temporali, ſed æterna eſt emanatio Spiritus ſancti de Patre, & Filio, vt ſit diuina perſona, & non eſt ad aliquid extrinſecum diuinitati, temporalis verò eſt eiuſdem emanationis ſignificatio, & ad extrinſecum diuinitati .ſ. creaturam rationalem ſignificandam. 17. 7 q. 32.

D. Thomas reſp. quod propter vnitatem reſpectus procedentis ad illum, a quo procedit, quem principaliter importat proceſſio, eſt vna tantum proceſſio Spiritus ſancti temporalis, & æterna; ſed tamen ratione duorũ reſpectuum in duo obiecta, temporale .ſ. & æternum, quorum vnus eſt realiter in ipſo procedente .ſ. æternus, alter autem ſecundũ rationem tantum, ſed ſecundum rem in eo ad quem procedit, & ſe habens per additionem ad primum, eſt duplex. d. 14. a. 2.

Et iterũ reſp. quod Gemina dicitur proceſſio, æterna .ſ. & temporalis, non propter hoc, quod habitudo ad principium geminetur, ſed geminatio eſt ex parte termini temporalis, & æterni. p. p. q. 43. a. 2.

D. Bonau. reſp. quod eſt vna, & eadem proceſſio Spiritus ſancti, æterna, & temporalis, dupliciter tamen dicta, nam æterna dicitur ſecundum quod tendit Spiritus ſanctus in aliquid vt in obiectũ, temporalis eſt vt in habitaculum, vnde geminatio hæc ſumitur non ſecundum modum dicendi vniuocum, nec æquiuocum, ſed analogum. q. 2.

Ægidius reſp. quod proceſſio æterna dicit relationem ſecundum rem, temporalis verò ſecundum rationem, & quoniam quod eſt ſecundum rationem non ponit in numerum cum eo, quod eſt ſecundum rem, ideo non eſt alia proceſſio temporalis, & alia æterna, quaſi duæ proceſſiones diſtinctæ; ſed vna, & eadem dupliciter dicta, cum ſit vna perſona, quæ æternaliter, & temporaliter procedit. q. 2.

Ricardus reſp. quod huiuſmodi proceſſiones Spiritus ſancti non diſtinguuntur ſecundum rem, ſed tantum in connotatis, quæ eſt diſtinctio ſecundum rationem, nam alius eſt terminus, quem reſpicit, vel connotat proceſ- q. 2.

Digitized by Google

ceſſio æterna, quia æternus, & alius, quem reſpicit, vel connotat proceſſio temporalis, quia temporalis.

n. 6 1. q. 10. Henricus reſp. quod proceſſio Spiritus ſancti æterna eſt, vt terminata ad perſonam, & ſecundum ſeipſam; ſed in dono ſuo eſt temporalis, quia ſic procedit in creaturam, vna tamen eſt, & eadem proceſſio temporalis, & æterna.

q. 2. Herueus reſp. quod proceſſio temporalis, & æterna ſunt vna, & eadem proceſſio, important enim vnum, & eundem reſpectum æternum, exitum ſ. perſonæ a perſona; ſed diuerſimodè; nam proceſſio æterna importat ipſum reſpectum tantum, vel ſaltem dicit ipſum cum tendentia in obiectum ab æterno amatum; temporalis verò dicit eundem reſpectum, ſiue eundem exitum, vt tamen coniunctum nouæ relationi, nouo modo ſcilicet eſſendi in creaturis.

q. 2. Durandus reſp. quod proceſſio temporalis Spiritus ſancti eſt quidem diſtincta ab æterna ſecundum rationem, quia addit reſpectum ſuper eam ad creaturam, ſed non ſecũdum rem, quod probat. Per quancumque proceſſionem realem fit aliquid reale in procedente; ſed per proceſſionem temporalem nihil fit reale in Spiritu ſancto, præter id quod eſt in ipſo per proceſſionem æternam, ergo proceſſio temporalis non poteſt eſſe alia realiter ab æterna.

q. 1. Gulıel. Occham reſp. quod licet de virtute ſermonis non debeat concedi, quod proceſſio temporalis Spiritus ſãcti ſit diſtincta proceſſio, & vna a proceſſione æterna; ſi enim eſſet vna, aut eſſet vnum ens rationis, aut vnũ ens reale, aut aliquid vnum compoſitum ex vtroque, quorum quodlibet eſt falſum; tamen ſecundum modum, & vſum loquendi ſanctorum concedi poteſt, quod alia ſit proceſſio temporalis a proceſſione æterna, nam temporalis includit aliam rem ab ea, quæ includitur in æterna, Deus enim includitur in æterna tantum, in temporali verò Deus, & creatura.

q. 1. a. 3. Thomas ab Argentina reſp. quod eadem proceſſio Spiritus ſancti ſecundum quod terminatur ad obiectum æternum, dicitur æterna, & ſecundum quod terminatur ad temporale, dicitur temporalis, vnde propter hanc diuerſitatem rationum poſſunt dici largè loquendo duæ proceſſiones.

q. 1. a. 3. Gerardus reſp. quod ideo temporalis proceſſio non eſt diſtincta a proceſſione æterna, tamquam alia proceſſio, quia includit illam, ita quod ſi illam non includeret, eſſent duæ diſtinctæ proceſſiones, ſicut ſunt duæ natiuitates Filij, æterna ſ. & temporalis.

Petrus Aliacenſis reſp quod de virtute ſermonis proceſſio temporalis non differt realiter ab æterna, quia iſti termini proceſſio temporalis, & proceſſio æterna ſupponunt pro eodem licet connotent diuerſa. Poteſt tamen concedi ad intentionem ſanctorum, quod ſint duæ proceſſiones Spiritus ſancti, & quod proceſſio æterna differat realiter a proceſſione temporali, quia nihil aliud intelligitur, niſi quod æternaliter procedit, & temporaliter, & quod poteſt primo modo procedere, abſque hoc quod procedat ſecundo, & quod proceſſio æterna differt realiter ab aliqua re, quæ importatur per proceſſionem temporalẽ ſ. a creatura, quæ eſt temporalis. q. 9. a. 1.

Marſilius reſp. quod in re non eſt niſi vna proceſſio, quæ eſt æterna reſpectu obiecti, & temporalis reſpectu ſubiecti, vnde non propriè ponit in numerũ cum ſua proceſſione æterna, idem enim propriè non ponit in numerum cum ſeipſo. q. 17. a. 2.

Ioannes de Baſſ. reſp. quod proceſſio temporalis, & proceſſio æterna non ſunt duæ proceſſiones realiter differentes, nec ſunt idem realiter, nec diuerſæ realiter, quia neutra eſt aliquid reale ſecundum ſuum formale completiuum, ſed ſunt duæ proceſſiones diſtinctæ ſecundum rationem. d. 14. q. vn.

Ioannes Maior reſp. quod proceſſio Spiritus ſancti æterna nihil aliud eſt quam ipſe Spiritus ſanctus, & ſimiliter eius proceſſio temporalis, vnde cum Spiritus ſanctus non diſtinguatur a ſeipſo, neque eius proceſſio temporalis diſtinguitur ab æterna; gemina autem dicitur propter geminam habitudinem, vnam ad principium a quo, & ſecundum hanc dicitur ęterna, & alteram ad creaturam, & ſecundum hanc dicitur temporalis: Et eſt illapſus quo perſona æternaliter producta menti rationali illabitur per dona ſua. q. vn.

Ioannes Vig. reſp. quod proceſſio æterna non eſt eadem proceſſio, quæ & temporalis; primò, quia ipſa exiſtente, non ſemper exiſtit proceſſio temporalis; ſecundò, quia per proceſſionem æternam Spiritus ſanctus conſtituitur in eſſe perſonali, per temporalem verò nihil accipit de nouo; tertiò, quia proceſſio æterna eſt ens reale, & neceſſe eſſe; temporalis vero eſt reſpectus rationis tantũ, & contingens. a. 2.

Guilel. Eſtius reſp. quod proceſſio temporalis Spiritus ſancti diſtinguitur ab æterna, nam per iſtam Spiritus ſanctus ab æterno accepit naturam de Patre, & Filio; per illam ve- §. 1.

Digitized by Google

verò temporaliter procedit ad ſanctificandũ creaturam, vel etiam ad aliũ effectum.

q.17. diſp. 2 Greg. de Val. reſp. quod eadem proceſſio perſonæ Spiritus ſancti vocatur æterna, & temporalis, æterna, vt habet terminum æternum .ſ. perſonam; temporalis verò, vt habet terminum temporalem .ſ. illum nouum modum exiſtendi in creatura.

Reſolutio.

RESPONDEO, quod ſicut ab ęterno fuit Spiritus ſanctus ſine omni creatura, ita eius proceſſio æterna fuit ſine omni proceſſione ad creaturas, quæ eſt proceſſio eius tẽporalis, & ideo huiuſmodi proceſſiones idem realiter eſſe non poſſunt; quandocunq; enim aliqua ſunt idem realiter, quamuis etiam diſtinguantur ſecundum rationem, vno exiſtente eorum, & alterum neceſſe eſt exiſtere; hinc fit quod vtriuſque proceſſionis diuerſas etiam diffinitiones, ſiue deſcriptiones aſſignamus; dicimus enim quod proceſſio æterna Spiritus ſancti eſt eius ineffabilis emanatio a Patre, & Filio in identitatem naturæ; proceſſio verò temporalis eiuſdem exitus, ſiue emiſſio a Patre, & Filio in ſanctificationem creaturæ, per nouum modũ ſe habendi in ea.

Obiectio. Sed ſi proceſſio temporalis Spiritus ſanctus, qua procedit a Patre, & Filio nihil reale addit ſupra proceſſionem eius æternam? vel ſaltem ſupra ipſum Spiritum ſanctum?

Reſpondetur, quod proceſſio temporalis Spiritus ſancti nihil reale addit ſupra ipſam perſonam Spiritus ſancti, vel proceſſionem eius æternam, ad intra; ſed bene ad extra, ſicut quæcunque alia operatio diuina .ſ. quid de nouo, & creatum, & hoc ſufficit ad earum diſtinctionem realem.

QVÆSITVM IV.

An ſit idem Spiritui ſancto temporaliter procedere, quod alicui creaturæ dari, & mitti?

d.15. q.1. a.1. D. Thomas reſp. quod proceſſio, inquantum proceſſio dicit realem tantum diſtinctionem ad principium, a quo procedit, & non ad aliquem terminum; datio autem non importat diſtinctionem dati a principio, a quo datur, quia idem poteſt dare ſeipſum, ſed tantum dantis ab eo, cui datur; at miſſio ponit diſtinctionem in ipſo miſſo, & ad principium, & ad terminum.

d.15. q.1. Herueus reſp. quod proceſſio, miſſio, & datio differunt, quia proceſſio non dicit aliud niſi exitum a principio, & indifferens eſt vt terminetur ad terminum æternum, & ad terminum temporalem; miſſio verò importat originem perſonæ miſſæ ab aliquo communicante, vel dante auctoritatem ei, ſemper cũ nouo modo eſſendi in creatura; datio verò non importat originem dati, quia idem poteſt dare ſeipſum, ſed important nouum effectum, ſecundum quem attenditur datio ipſa: Item Durandus.

Petrus Aur. reſp. quod proceſſio, miſſio, & datio differunt circa perſonas diuinas inquantum ad hoc, quod importãt ex parte termini, proceſſio namque, & miſſio includunt emanationem ex parte perſonæ procedentis, & miſſæ; datio verò ex parte dantis originem non includit. d.15. a.1.

Guilel. Occham reſp. quod miſſio eſt manifeſtatio productionis alicuius perſonæ ab alia per nouam ſuam exiſtentiam in creatura rationali, ſecundum determinatum modum exiſtendi in ea; datio vero eiuſdem collatio, vt is cui datur, ea faciat quicquid rationabiliter velit; proceſſio vero eſt emanatio vnius perſonæ ab alia; Item Aliacenſis. d.14. q.2.

Gerardus reſp. quod miſſio eſt idem cum proceſſione temporali, quantum ad rem ſignificatam, nam vtraque duo importat; originem perſonæ a perſona, & nouum effectum ſanctificationis in creatura rationali: differunt autem in modo ſignificandi, nam miſſio ſignificat totum hoc ſub vno nomine, proceſſio autem temporalis ſub pluribus. q.vn. a.1.

Guilel. Rub. reſp. quod iſta nomina Spiritus ſancti, temporalis proceſſio, miſſio, & datio ſunt nomina ſynonima, & idem omnino ſignificantia, videlicet, donum aliquid a Deo eſſe collatum Spiritus ſancti manifeſtatiuum. d.14. q.1.

Ioan. Vig. reſp. quod miſſio nihil aliud eſt quam manifeſtatio perſonæ quæ procedit; proceſſio vltra miſſionem dicit quoddam mitti amoroſum, per modum donationis liberalis; datio vero dicit reſpectum rationis ſine connotatione rationis productionis ad intra. d.15. q.vn.

Franc. a Chriſto reſp. quod proceſſio ſignificat exitum perſonæ, a perſona vel præciſè citra reſpectum ad vlteriorem terminum; miſſio ſimiliter, ſed connotando nouum effectum in creatura; ſed datio nullam declarat rei datæ ab ipſo dante originem. d.16. q.5.

Reſolutio.

RESPONDEO, quod Spiritus ſanctus intantum dicitur temporaliter procedere in aliquam creaturam, inquantum mittitur, vel datur ei, & propterea idem eſt illi temporaliter procedere, quod dari, & mitti; miſ-

naturaliter agit, ſpiratio verò productio amoris, quæ eſt per voluntatem, quæ liberè agit; ex hoc ergo quod vnum principium liberè agit, alterum verò naturaliter, ſatis concluditur diſtinctio formaliter in emanationibus diuinis.

d.13. q.vn. Iacob. Maleſ. reſp. ex ſententia Scoti, quod emanationes diuinæ diſtinguuntur ſeipſis formaliter, principiatiuè per ſua principia formalia; addit quoque, terminatiuè, per ſuos terminos totales.

d.13. q.vn. Ioannes Maior reſp. quod iſtæ proceſſiones paſſiuæ ſunt perſonæ productæ, quæ inter ſe diſcrepant, ſicut generatio caliditatis eſt caliditas producibilis ſucceſſiuè, & creatio angeli, eſt ipſe angelus; & idcirco realiter diſtinguuntur.

d.13. Michael de Palatio reſp. quod proceſſiones dupliciter conſiderari poſſunt, aut quatenus proceſſiones ſunt, aut quatenus altera generatio dicitur, altera ſpiratio; primo modo diſtinguũtur, quia altera eſt prior origine alia, & ſic ex ſeipſa habet generatio, quod non ſit ſpiratio, quia prior; ſecundò, generatio ſic dicitur, quia eſt proceſſio intellectiua, ſpiratio verò, quia voluntaria.

d.13. q.1. a.3. Guilel. Varrill. reſp. quod iſtas productiones diſtingui, poteſt capi tripliciter, vno modo formaliter, & ſic ſeipſis diſtinguuntur; ſecundo modo principiatiuè, & ſic diſtinguuntur penes intellectum, & voluntatem, tertiò, ex ſigno, & ſic diſtinguuntur productionibus; manifeſtatiuè (inquit Nicol. de Niſſe) & ſic diſtinguuntur per ſuppoſita producta, per illa enim apparet diſtinctio illarum productionum. Item Ioann. Vigerius, & Ant. Andreas.

q.27. a.4. Thomas Caet. reſp. quod proceſſiones diuinæ ex intentione D. Thomæ non diſtinguũtur ſeipſis primò, ſed diſtinguuntur formaliter per illas particulas, ſeu differentias in earum diffinitionibus clauſas intrinſecè, ſ. per modum ſimilis, & per modum impulſus, & ſecundum hunc ſenſum poteſt dici, quod diſtinguuntur ſeipſis.

d.18. q.2. Franciſcus a Chriſto reſp. quod inter generationem Filij, & proceſſionem Spiritus ſãcti eſt diſtinctio realis; quæ tamen diſtinctio ſumenda eſt, vel ex ordine originis; ſiquidem omnis diſtinctio realis in diuinis ex oppoſitione ſumitur; hæc autem ortum habet, vel ex habitudine relatiua, vel ex ordine originis, idque directè, vel indirectè; vel ſumenda eſt penes principia, & finis, nam proprietates, quæ ſe habent in diuinis, vt principia, & termini, realiter diſtinguuntur propter oppoſitionem.

Greg. de Valentia reſp. quod ex fide docemur aliquid peculiare diſcrimen eſſe inter proceſſionem Spiritus ſancti, & generationẽ Filij; ſed tamen id diſcrimen nõ eſt nobis fide omnino, & in particulari, declaratum; vnde Damaſc. Quoniam quidem (inquit) eſt differentia generationis, & proceſſionis didicimus, quis verò ſit modus huius differentiæ nequaquam. diſp.2. q.1.

Ludou. Mol. reſp. quod loquendo de proceſſionibus paſſiuè ſumptis, ſeipſis, & ſecundum ſuas rationes formales realiter diſtinguuntur, radicaliter vero id habent, eo quod vna ſit ſecũdũ operationem intellectus, & alia ſecundum operationem voluntatis, inde enim eſt, quod vna ſuapte natura ſupponat aliam, & quod ſit ordo originis, ac proinde diſtinctio inter eas. p.p. q.27. a.4.

Gabriel Vaſquez reſp. quod generatio paſſiua habet ſecum coniunctam ſpirationem actiuam, quæ quoniam oppoſitionem habet ad ſpirationem paſſiuam, hinc fit, quod ratione adiuncti, iſtæ duæ emanationes paſſiuæ ſumptæ realiter diſtinguantur. diſp. 148.

Archang. Rub. reſp. quod proceſſiones diuinæ diſtinguuntur realiter, quia ad filiationem, & ſpirationem terminantur, quæ realiter ratione oppoſitarum relationum diſtinguuntur. d.13.

Reſolutio.

RESpondeo, quod proceſſiones in diuinis, cum non habeant aliam realitatem, quam habent ipſæ perſonæ, quarum ſunt proceſſiones; quia non niſi ſecundum modum noſtrum intelligendi diſtinguuntur ab eis, inde fit, quod omnis earum diſtinctio realis ab ipſis perſonis ſumenda eſt, qua ergo ratione perſonæ diuinæ realiter diſtinguuntur, ita diſtinguuntur earum proceſſiones, & quoniam perſonæ non alia realitate, quam ipſa, qua ſunt ab inuicem realiter diſtinguuntur, ita & proceſſiones non poſſunt alia realitate, quam realitate perſonarum ab inuicem diſtingui; hæc autem cum ſit realitas ſua; ſua quoque realitate diſtinguuntur, quod eſt diſtingui realiter ſeipſis, & non penes terminos, aut penes principia, aut penes origines, niſi diſtinctione rationis, prout ſ. intellectus multipliciter operando circa ipſas, & formando diſtinctos conceptus, diſtinguit.

Sed ſi perſonæ diuinæ habent eſſe per ſuas proceſſiones, ac proinde diſtingui? Obiectio.

Reſpondeo, quod perſonæ diuinæ habent quidem eſſe per ſuas proceſſiones, vt Filius

per

Digitized by Google

per generationem, Spiritus ſanctus per ſpirationem; ita tamen, quod idem eſt eſſe, & eadem eſt realitas perſonarum, & proceſſionũ; non enim, niſi ſecundum noſtrum modum intelligendi, & diſcurrendi diſtinguuntur, perſonæ enim intelliguntur, vt quæ per ſe,& formaliter ſubſiſtunt, & quibus primò conuenit realiter eſſe; ſecus autem proceſſiones, ex quo ipſæ proceſſiones quicquid realitatis habent, habent ab ipſis perſonis, & non econuersò, ac proinde ſi realiter diſtinguuntur, ea realitate diſtinguũtur qua diſtinguũtur perſonæ; non ergo ſequitur, quod ſi perſonæ habent eſſe per ſuas proceſſiones, ipſæ proceſſiones realiter non diſtinguantur ea realitate qua ſunt, quæ eſt realitas perſonarum, & conſequenter ſeipſis.

QVAESITVM IV.

An diſtinguantur proceſſiones diuinæ, prout ſunt in eadem perſona?

p. p. q. 32. a 3. D. Thomas reſp. quod cum ſola oppoſitio relatiua faciat pluralitatem in diuinis realem, plures proprietates vnius perſonæ, cum non opponantur ad inuicem relatiuè non differunt realiter; nec tamen de ſe inuicem prædicantur, quia ſignantur, vt diuerſæ rationes perſonarum.

d. 12. q. 2. Ægidius reſp. quod emanationes diuinæ diſtinguuntur ad diſtinctionem ſuppoſitorũ, in quibus ſunt, prout ſunt relationes diſparatæ, quæ ergo ſunt in eodem ſuppoſito realiter non diſtinguuntur.

d. 13. q. 2. Herueus reſp. quod ea, quæ ſunt in diuinis in eodem ſuppoſito, licet extrinſecè poſſint importare aliquam diuerſitatem realem, tamen ipſa realiter non poſſunt diſtingui; tum quia vbi ſunt duo realiter diſtincta, ita quod vnum non ſit alterum, oportet, quod ſint duo diſtincta ſubſiſtentia, cum nihil ſit in diuinis, niſi ſubſiſtens; tum etiam quia, quæ ſunt in diuinis in eodem ſuppoſito prædicantur de ſe inuicem in abſtracto, cum prædicentur de ſe inuicem in concreto, quæ autem prædicantur de ſe inuicem in abſtracto nõ ſunt res diſtinctæ; tum tertiò, quia ſicut eſſentia non ponit in numerum cum perſonis, quibus eſt communis, ita nec ſpiratio cum paternitate, & filiatione, quæ eſt eis communis.

d. 13. q. 2. Durandus reſp. quod generare, & ſpirare, ſeu generatio, & ſpiratio in Patre realiter diſtinguuntur, quæ quidem diſtinctio non eſt ſumenda ex parte ſuppoſitorum, quia in diuerſis ſuppoſitis eſt aliquid vnum, & idem numero; nec a natura oppoſitionis, quia licet omnia oppoſita ſint diſtincta, non tamen omnia diſtincta ſunt oppoſita; ſed ex ſeipſis, & ſuis proprijs rationibus.

Petrus Aur. reſp. quod generatio actiua,& ſpiratio actiua in Patre, & generatio paſſiua, & ſpiratio actiua in Filio, neque re, neque ratione diſtinguuntur; non re, quia perſonalitas vtriuſque Patris .ſ. & Filij eſt res ſimpliciſſima, & generatio actiua, & ſpiratio actiua concurrũt ad perſonalitatem Patris,& generatio paſſiua, & ſpiratio actiua ad perſonalitatem Filij, & non poſſunt eſſe plures realitates in eadem perſona; non ratione, quia de generare,& ſpirare poſſunt enunciari contradictoria de prædicamento reali, nam generare non communicatur Filio, ſpirare verò communicatur; impoſſibile eſt autem quod contradictoria de prædicamento reali verificentur de his, quæ dicunt eandem rem ſub alio, & alio conceptu, prædicatum enim reale reſpicit rem, non quatenus concepta eſt, ſed quatenus res eſt, quapropter ſi affirmetur, & negetur ſub diuerſis conceptibus de eadem re ſimpliciter, affirmatur, & negatur de eodem. d. 13. a. 3.

Franc. Maro reſp. quod proceſſiones diuinæ in eadem perſona non poſſunt eſſe realiter diſtinctæ, alioquin ſequeretur; primò, quod prima diſtinctio realis eſſet in vna perſona, non in perſonis; ſecundò, quod non minus diſtinguerentur, quæ ſunt in vna perſona, quam quæ in diuerſis; tertiò, quod perſona Spiritus ſancti eſſet magis vna, quam perſona Patris, & Filij; quartò, quod eſſent quatuor res in diuinis, quæ omnia ſunt falſa. d. 12. q 3.

Guilel. Rub. reſp. quod ſpiratio actiua, & generatio actiua, & paſſiua, cum coincidant in eiſdem perſonis ſunt totaliter indiſtinctę in re extra, ſicut ſunt ipſæ perſonæ, eſt enim ſpiratio actiua indiſtincta a Patre, & Filio, ſicut generatio actiua a Patre, & generatio paſſiua a Filio, econtrà verò ſpiratio paſſiua, cum ſit idẽ quod Spiritus ſanctus realiter diſtinguitur a generatione actiua, & paſſiua, quæ ſunt indiſtinctæ a Patre, & Filio. d. 13.

Alphonſus reſp quod ſi generatio, & ſpiratio in Patre eſſent duæ res realiter diſtinctæ, vel vna earum eſſet ei eſſentialis, & altera accidentalis, vel vtraque accidentalis, vel vtraque eſſentialis; primo, & ſecundo modo eſſe non poteſt, quia in diuinis non eſt accidens, ſimiliter nec tertio, quia in eſſentialibus nulla eſt diſtinctio in diuinis. Quicquid itẽ eſt paternitas in diuinis eſt generatio realiter, quia ſunt vna res conuertibiliter, & adæquatè, ſed ſpiratio in Patre eſt realiter d. 13 a. 2.

paternitas, quia quicquid eſt realiter Pater eſt realiter paternitas, ergo ſpiratio eſt realiter in Patre generatio.

d.11. Ioan. Bacconus reſp. quod generatio, & ſpiratio in Patre diſtinguuntur realiter, non ſolum vt comparantur ad terminos oppoſitos, ſed etiam ad inuicem, vt ſunt relationes diſparatæ, nam hæc diſtinctio ſequitur ad illam; eſt enim de quiditate talium emanationum, quod reſpiciant terminos oppoſitos, genitum .ſ. & ſpiratum; vt verò comparantur ad Patrem, non diſtinguuntur, ſed ſunt idem cum eo.

d.13. Michael de Bon. reſp. quod generatio, & ſpiratio actiua in perſona Patris, nec differunt realiter, nec ſunt omnibus modis idem; primum probat tripliciter; primò, quia ſi differrent realiter, & eſſent duæ realitates in eo, eſſet quaternitas in diuinis; ſecundò, quia eſſentia, generatio, & ſpiratio concurrunt intrinſecè in vnam ſimpliciſſimam perſonalitatem; tertiò, quia nec ſunt duæ res inhærentes, quia nihil inhærens in diuinis, nec ſubſiſtentes; ſecundum probat etiam tripliciter; primò, quia non ſunt idem accidentaliter, cum nullum accidens ſit in Deo; ſecundò, quia non ſunt idem ſola voce, cum habeant diuerſas voces; tertiò, quia non ſunt idem ſicut partes integrales in toto, vel ſicut materia, & forma in compoſito.

d.13. q.vn. Ioan. de Baſſol. reſp. quod generatio actiua, & ſpiratio actiua diſtinguuntur realiter; primò, quia ſunt relationes, quæ opponuntur per ſe, & directè filiationi, & ſpirationi paſſiuæ, quæ ſunt realiter diſtinctæ; ſecundò, quia vna earum eſt conſtitutiua perſonæ, & communicabilis alteri, & alia non; tertiò, quia vna non poteſt prædicari de altera accepta in vltima abſtractione.

p.2. q.3. Nicol. de Nijſe reſp. quod ſpiratio actiua in Patre cum generatione actiua eſt eadem realiter, ſed non formaliter, & ratio eſt, quia in Patre eſt vna realitas, & generatio actiua eſt productio naturalis, ſpiratio verò libera; ſpiratio item actiua in Filio, cum filiatione eſt eadem realiter, quia in Filio eſt vna tantum realitas, ſed non formaliter, quia filiatio formaliter dicit reſpectum ad Patrem, ſpiratio verò ad Spiritum ſanctum.

d.13. q.1. Franciſcus a Chriſto reſp. quod inter generationem actiuam, & ſpirationem in Patre non eſt oppoſitio relatiua, quæ ortum habet ex ordine originis, vel directè, vel indirectè, & ideo realiter nō diſtinguuntur; quod ſi diſtinguerentur, & conuenirent vni, vel conuenirent eſſentialiter, & vtraque, vel vt actus, & ſic perſona illa non eſſet per ſe vna, vel vt actus, & potentia, & ſic eſſet compoſita; vel conuenirent accidentaliter, & ſic in illa eſſet accidens, quod eſt inconueniens.

Ludou. Molina reſp. quod generatio actiua in Patre, & ſpiratio non dicuntur propriè proceſſiones, & ſunt idem re, & ratione formaliter inter ſe. q.47. a.4.

Reſolutio.

RЕſpondeo, quod cum quælibet perſona diuina ſit vna res, & ſimplex, non poteſt habere in ſe aliam realitatem, quam ſui, vnde Pater a ſua paternitate, quæ eſt ſua realitas, non habet aliam realitatem, quæ non ſit paternitas, & ſimiliter Filius a ſua filiatione, non habet aliam realitatem, quæ non ſit filiatio, quamobrem generatio actiua, & actiua ſpiratio in Patre, non ſunt aliud ab ipſa paternitate, niſi ſecundum noſtrum modum intelligendi; & ſimiliter in Filio generatio paſſiua, & ſpiratio actiua, non eſt aliud ab ipſa filiatione, & ideo plures emanationes in vna, & eadem perſona realiter diſtingui non poſſunt.

Sed ſi earum diffinitiones ſunt diuerſæ? Obiectio.

Reſpondetur, quod ad diuerſitatem diffinitionum ſufficit diſtinctio ſecundum rationem inter ea, quæ realiter ſunt idem; vnde etiam diuina attributa cum ſint idem quod diuina eſſentia realiter, quæ eſt vna res, & ſimpliciſſima, nihilominus eorum diffinitiones ſunt plures, & diuerſæ.

QVÆSITVM V.

An Spiritus ſanctus poſſit dici genitus, eiuſque proceſſio generatio?

ALex. reſp. quod generatio in diuinis eſt productio ſimilis in natura de tota ſubſtantia producentis ſecundum modum principalem, qui eſt, vt productum habeat virtutem aliud producendi; per hoc ergo productio Spiritus ſancti non eſt generatio, quia quamuis Spiritus ſanctus de tota diuina ſubſtantia producatur, non producitur tamen cum virtute producendi aliam perſonam, ſiue aliud productum. q.42. m.2.

p.1. q.27. a.4. D. Thomas reſp. quod generatio verbi attenditur ſecundum ſimilitudinem in natura, cum ſit per modum intellectus; intellectus enim ſit in actu per hoc, quod res intellecta eſt in eo ſecundum ſuam ſimilitudinem; proceſſio autem amoris, cum ſit per modum voluntatis non attenditur ſecundum rationem

ſi-

Digitized by Google

ſimilitudinis, ſed magis ſecundum rationem impellentis, & mouentis in aliquid; voluntas enim fit in actu per hoc, quod habet quandam inclinationem in rem volitam; cum itaque Spiritus ſanctus procedat vt amor, & ſpiritus, nullo modo poteſt dici genitus, eſt enim generatio origo viuentis a viuente ſecundum ſimilitudinem in natura.

d.13. q.2. D. Bonau. reſp. quod ſicut dicit D. Auguſtinus generatio præſtat eſſentiam Filio, eadem autem emanatio non poteſt præſtare eſſentiam duabus perſonis, & ideo Spiritus ſanctus non poteſt dici genitus; ſecundò, ſi Spiritus ſanctus poſſet dici genitus, cum ſit a Patre, & Filio, ſic Pater, & Filius poſſent dici duo principia, quorum vnum eſſet actiuum, & alterum paſſiuum, quod eſt inconueniens, nihil enim dicitur procedere a duobus per viam generationis, quod eſt procedere, vt genitum, niſi vnum eorum ſit principium actiuum, & alterum paſſiuum.

d.13. q.3. a.1. Ægidius reſp. quod Spiritus ſancti proceſſio non poteſt dici generatio, ſiue ipſe non poteſt dici genitus; primò, quia non procedit per generationem, cum ſic procedat Filius, per vnum autem modum procedendi nō procedit niſi vna perſona; ſecundò, quia non poteſt dici generari, quod enim generatur, acquirit eſſe per generationem, procedit per modum naturæ, ſi eſt a duobus eſt ab vno tāquam principio actiuo, & altero paſſiuo, & ex ſe habet reſpectum tantum ad vnum; hæc enim quatuor ſunt, quæ conſiderantur in generatione, vt ad præſens ſpectat, quorum nullum competit Spiritui ſancto; tertiò, quia perſonæ diuinæ non communicant ſuas proprietates, eſſe autem genitum eſt proprietas Filij, & ſic non poteſt dici de Spiritu ſancto.

d.13. Ricardus reſp. quod ideo Spiritus ſanctus non poteſt dici genitus, quia eius proceſſio eſt per modum voluntatis, generatio autem eſt per modum naturæ.

d.13. Ioan. Scotus reſp. adducens auctoritatem D. Auguſtini dicentis, quod Spiritus ſanctus procedit a Patre, & Filio nō quomodo natus, ſed quomodo datus, ergo ſubdit, ſi nō procedit vt natus, non poteſt dici genitus.

d.18. q.vn. Gulielmus Occham reſp. quod cum generatio fiat virtute diuinæ intellectionis, cuius eſt producere, vt ſimile obiecto cognito, eſt productio ſimilis, vt ſimilis; proceſſio autem eſt productio doni, quod ex hoc ipſo, quod donum eſt, non eſt ſimile producenti, & quoniam Spiritus ſanctus procedit vt donum, non procedit vt ſimile producenti, nec conſequenter poteſt dici genitus. Item Gabriel.

Guilel. Rubion reſp. quod cum in diuinis productum non ſit aliud a ſua productione paſſiua, Spiritus ſanctus autem ſit aliud a generatione paſſiua, cum ſit idem quod ſpiratio paſſiua, quæ realiter diſtinguitur a generatione paſſiua; idcirco non poteſt dici genitus. d.13. a.2.

Et iterum reſp. quod accipiendo genitum ſtrictè pro ſubſtantia producta modo naturæ, ſic ſolus Filius dicitur genitus; largè tamen pro omni ſubſtantia producta ab alia, ſic etiā Spiritus ſanctus poteſt dici genitus. d.27. q.2.

Petrus Aliacenſis reſpondet quod vnus eſt filius in diuinis, vna ergo perſona genita, non igitur Spiritus ſanctus poteſt dici genitus, quia nec poteſt dici Filius. q.5.

Michael de Pal. reſp. quod productio Spiritus ſancti non exprimit productoris, ſiue producentiū ſimilitudinem, & ideo non vocatur, nec dicitur eius proceſſio generatio. d.13.

Ludou. Molina reſp. quod cum verbum diuinum vi ſuæ productionis oriatur, vt figura ſubſtantiæ eius, a quo procedit, eique ſit conſubſtantiale, eo quod quicquid ad intra procedit ex Deo, eſt Deus; Spiritus ſanctus verò licet propter eandem rationem procedat conſubſtantialis Patri, & Filio; non tamen ex vi ſuæ productionis procedit, vt ſimilis ſubſtantiæ Patris, & Filij, ſed potius vt inclinatio, & propenſio in eandem ſubſtantiam, hinc fit quod proceſſio verbi ſit generatio, & conſequenter verbum, genitum, non autem Spiritus ſanctus. q.27. a.4.

Gabriel Vaſq. reſp. quod ideo verbum generatur, & dicitur Filius, non ſolum, quia procedit, vt ſimile ex vi productionis ſuæ; ſed etiam quia procedit a Patre, vt imago eius; non ſic autem Spiritus ſanctus, & ideo non dicitur genitus. diſp. 118

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut Spiritus ſanctus non poteſt dici Filius, quia realiter diſtinguitur ab eo, ita neque etiam poteſt dici genitus, quia eſſe genitum in diuinis non realiter diſtinguitur ab eo, quod eſt eſſe Filius, quod enim Filium ſubſtantiuè dicimus, hoc genitum adiectiuè nuncupamus.

Sed ſi Spiritus ſanctus procedit ſimilis in natura ſuo producenti? quod autem ſic producitur poteſt dici genitum, quia generatio eſt productio ſimilis in natura. Obiectio.

Reſpondetur, quod Spiritus ſanctus procedit ſimilis in natura ſuo producenti, non tamen propter talem proceſſionem, ſed quia quicquid eſt in diuinis eſt vnum in natura. Ita D. Thomas.

QVÆSITVM VI.

An Spiritus ſanctus poſſit dici ingenitus?

q.20. m.2. ALex. Al. reſp. quod eſſe ingenitum dicitur dupliciter negatiuè, & quaſi contrariè; primo modo ſoli Patri conuenit; ſecundo modo etiā Spiritui ſancto.

d.13. a.7. Albertus reſp. quod ly ingenitus ſumitur dupliciter priuatiuè, & negatiuè, priuatiuè non dicitur niſi de non nato, apto tamen ad hoc, vt naſcatur, & ſic de nulla perſona diuina dicitur; negatiuè verò, vel dicitur, vt eſt negatio in genere, vel extra genus; ſi extra genus, tunc tantum valet ingenitum, quantum ens non genitum, & ſic dicitur de Patre, & de Spiritu ſancto; ſi in genere naturæ diuinæ, adhuc poteſt facere triplicem negationem, vt ſ. idem ſit, quod ens non ab alio, & ſic tantum Patri conuenit, quod ſit idem, quod ens ab alio non per generationem, & ſic tantum Spiritui ſancto conuenit, & quod ſit idem, quod non ens ab alio per generationem, & ſic conuenit Patri, & Spiritui ſancto.

d.13. D. Thomas reſp. quod ly ingenitus dicit in diuinis puram negationem, non priuationem, quia priuatio locum non habet in eis, negatio autem eſt duplex, in genere, & extra genus, vt dicit negationem extra genus, ſic conuenit etiam eſſentiæ, & Spiritui ſancto & ſimiliter, vt dicit negationem in genere diuinæ naturæ, ſed non in genere principij, nam ſic ſolus Pater eſt ingenitus, cum ſimpliciter non ſit ab alio.

d.13. q.4. D. Bonau. reſp. quod hoc nomen ingenitum dupliciter accipitur, vno modo priuatiuè, ſ. pro eo, quod non generatur, & hoc modo dicitur de Spiritu ſancto, & de eſſentia, alio modo prout ingenitum tantū valet, quantum ens non ab alio, & a quo alij, & hoc modo dicit notionem ſolius Patris, quia dignitatem dicit, & proprietatem in Patre.

d.13. a.1. q.2. Ægidius reſp. quod Spiritus ſanctus quāuis valdè communiter dici poſſit ingenitus, quia non eſt genitus, propriè tamen, & per omnem modum non poteſt dici ingenitus; primò, propter antiquam conſuetudinem diſputandi inter ſanctos Patres, qui diſputantes cum hæreticis nomine ingeniti intelligebant Patrem; ſecundò, propter proprietatem relatiuam, nam cum ingenitum, & genitum ſint in eodem genere, quia in eodem genere ſunt affirmatio, & negatio, non poteſt dici ingenita niſi illa perſona, quæ ſecundum modum generationis opponitur genitæ, qualis eſt Pater in diuinis, non Spiritus ſanctus; tertiò, propter efficaciam negationis, plus enim tollit negatio, quam ponat affirmatio, licet ergo Spiritus ſanctus non habeat eſſe per generationē, habet tamē aliqualiter eſſe ab alio, & ideo non poteſt propriè dici ingenitus.

Ricardus reſp. quod Spiritus ſanctus poteſt dici ingenitus, ſicut poteſt & eſſentia, inquātum non generatur; ſed quoniam ſecundum noſtrum modum intelligendi Spiritus ſanctus generationem conſequitur, & eſſentia per generationem communicatur, in vſu venit, vt ſoli Patri, qui nec generatur, nec generationem conſequitur, nec per generationem communicatur, approprietur. d.13. q.4.

Durandus reſp. quod ſicut genitum dicitur illud, quod habet eſſe ab alio per generationem, ita ingenitum, quod opponitur ei priuatiuè dicitur, quod non habet eſſe ab alio per generationem; ſicut ergo Pater dicitur ingenitus, quia non eſt ab alio, ita Spiritus ſanctus ſaltem propter hanc cauſam, quia non habet eſſe per generationem, poteſt dici ingenitus. d.13. q.3.

Petrus Aur. reſp. quod ſi ingenitum adiectiuè ſumitur, non tantum Patri conuenit, ſed etiā eſſentiæ, & Spiritui ſancto; quia tam eſſentia, quam Spiritus ſanctus eſt res ingenita, ſicut Pater; ſi verò ſubſtantiuè, prout ſic ſumptum eſt notio in diuinis, ſic tantum Patri conuenit, quia ſic ſignificat ſuppoſitum qualificatum qualitate negatiua per priuationem omnis productionis paſſiuæ. d.13.

Thomas ab Argentina reſp. quod quamuis hæc propoſitio ſit falſa Spiritus ſāctus eſt genitus, hæc tamen nō eſt vera Spiritus ſāctus eſt ingenitus, accipiendo ingenitum priuatiuè, quia affirmatiua de prædicato priuatiuo non ſequitur ad negationem de prædicato finito, niſi præſuppoſita circumſtantia ſubiecti cum aptitudine ad formam oppoſitam illi priuationi; ſed Spiritus ſanctus non ſic caret generatione, quod habeat habitudinem ad eam, ideo non poteſt dici ingenitus. d.12. q.1. a.4.

Guilel. Rub. reſp. quod ingenitum dupliciter ſumi poteſt, vel vt eſt idem, quod non genitum, vel vt eſt idem, quod nullo modo productum, primo modo Spiritus ſanctus poteſt verè dici ingenitus; ſecundo, nec genitus, nec ingenitus. Item Ioan. a Celaia. d.13. a.2.

Marſilius reſp. quod ingenitum dupliciter ſumitur, priuatiuè, & negatiuè, & hoc tripliciter; primò, vt negatio eſt pure contradictoria, & ſic tantum valet, quantū non genitū; ſecundò, vt negatio negat vniuerſaliter eſſe ab alio nihil ponendo; tertiò, vt negatio negat q.16. a.3.

gat

gat eſſe ab alio. ponendo tamen quod aliquid ſit ab eo; primo modo eſſe ingenitum conuenit Patri, Spiritui ſancto, & eſſentiæ; ſecundo modo Patri, & eſſentiæ; tertio modo tantum Patri.

d.13. q.vn. Ioannes de Baſſol. reſp. quod Spiritus ſanctus eſt ingenitus prout non producitur, nec communicatur per generationem, ſed non eſt ingenitus, quod ſcilicet per nullam productionem habeatur.

d.13. q.vn. Ioannes Maior reſp. quod ſi negatio incluſa in dictione ingenitus ſit priuans tunc ingenitum eſt non genitũ, aptum tamen generari, & ſic nulla perſona eſt ingenita; ſi neganter prout contradictoriè opponitur genito, tũc cõuenit Patri, eſſentiæ, & Spiritui S. vt negat eſſe ab alio vniuerſaliter, & ponit, quod aliqua perſona ſit ab ea, ſic cõuenit tantũ Patri.

d.13. Guilel. Eſtius reſp. quod ly ingenitum aliquando ſumitur, prout eſt idem quod non factum, & ſic Deo eſſentialiter competit; aliquando vt contradictoriè opponitur genito, & ſic Patri conuenit, & Spiritui ſancto, & aliquando pro eo, quod abſolutè originem non habet, & ſic ſolus Pater eſt ingenitus.

q.33. a.4. Ludou. Molina reſp. quod ly ingenitum vno modo ſignificat, quod ens nulla ratione ab alio, neque per generationem, neque per quancumque aliam proceſſionem, ſiue creatã, ſiue increatam, ita vt non ſolum non ſit res producta, ſed nec etiam alicui communicata, & hoc modo conuenit tantum Patri, alio modo idem ſignificat, quod non genitum per generationem propriè dictam, abſque aliquo alio, & ſic conuenit etiam Spiritui ſancto.

Reſolutio.

RESpondeo, quod cum ingenitum ſit illud, quod opponitur genito, dupliciter aliquid dicitur opponi ei, vel oppoſitione negatiua, vt quia non eſt genitum, vel relatiua, vt quia generans; quoniam ergo Pater opponitur genito ſecundum vtramque oppoſitionem, & quia non eſt genitus, & quia eſt generans, idcirco eius perſona deſignari ſolet nomine ingeniti, Spiritus ſanctus autem licet poſſit dici ingenitus propter vnam oppoſitionem .ſ. negatiuam, quam habet ad genitum, quia non eſt genitus, quoniam tamen non opponitur genito oppoſitione relatiua, vt generans; ideo non eſt in vſu, nec conueniens eſt, quod dicatur ingenitus, ſicut Pater, ne confundantur proprietates vtriuſque.

Obiectio. Sed ſi genitum, & ingenitum ſunt oppoſita; & Spiritus ſanctus non eſt genitus?

Reſpondetur, quod genitum, & ingenitum ſunt oppoſita; prout ingenitum idem ſonat, quod non genitum, non prout opponitur genito oppoſitione relatiua, vt ſit idem, quod generans.

DISTINCTIO DECIMAQVARTA.

Præterea diligenter annotandum eſt, quod gemina eſt proceſſio, &c.

QVAESITVM I.

An conueniat Spiritui ſancto temporaliter procedere?

D. Thomas reſp. quod Spiritus ſanctus inquantum procedit, vt amor, ex modo ſuæ proceſſionis habet, quod non ſolum ſit a principio, ſed etiam quod in aliud tendat, ſicut in obiectum, ideſt in amatum; ſecundum ergo quod tendit in obiectum æternum, ſic dicitur eius proceſſio, proceſſio æterna, ſecundum verò quod procedit in obiectum creatum ſeu temporale, dicitur proceſſio temporalis. Item Guil. Eſtius, & Gregorius de Valentia. d.14. q.1. a.1.

D. Bonau. reſp. quod proceſſio eſt emanatio ab alio in alium, vel ergo in alium, vt in obiectum, vel vt in ſuſceptiuum; primo modo proceſſio Spiritus ſancti eſt æterna, quoniam emanat a Patre in Filium, vt in obiectũ æternum; ſecundò modo eſt temporalis, quia temporale eſt illud, in quod procedit .ſ. creatura, & ſic conuenit ei temporaliter procedere. d.14. q.1.

Ægidius reſp. quod ſicut aliquod compoſitum dicitur generari de nouo, quia accipit nouum eſſe, quamuis non ſecundum totum accipiat illud, vnde nec materia generatur, nec forma; ita licet Spiritus ſanctus ſit æternus, dicitur tamen temporaliter, & quaſi de nouo procedere, quia accipit nouum modum eſſendi in creatura, quem prius non habebat; qui tamen nouus modus eſſendi non ponit aliquid realiter in eo, ſed tantum ſecundum rationem. d.14. q.1.

Ricardus reſp. quod in proceſſione Spiritus ſancti attenditur duplex habitudo, vna ad principium, a quo procedit, & ſecundum hanc habitudinem proceſſio eſt æterna, altera ad terminum in quem procedit, & hoc dupliciter, vel vt in obiectum tantum, vel etiam vt in illud, in quo de nouo incipit eſſe, vel alio modo eſſe, quam ante erat; ſecundum habitudinem primo modo ſumptam eſt ſimi- q.1.

liter.

Digitized by Google

ſiter proceſſio Spiritus ſancti æterna, ſed ſecundum habitudinem ſecundo modo ſumptam, eſt temporalis.

q.2. Durandus reſp. quod quia contingit aliquem habere Spiritum ſanctum ex tempore, quod non eſſet niſi procederet a Patre, & Filio, ideo oportet ponere aliquam temporalem proceſſionem Spiritus ſancti. Quæ autem ſit iſta temporalis proceſſio dicit, quod eſt illa, qua procedit a Patre,& Filio in creaturam, dicitur autem temporalis, & non æterna, quamuis dicat emanationem perſonæ a perſona, quæ eſt æterna; quia quando eſt aliquod totum, cuius altera pars non eſt ab æterno, ſed de nouo, illud non eſt æternũ, ſed temporale & nouum, totum enim non eſt niſi exiſtentibus partibus, quas totum importat; & ſic eſt in propoſito. Item Herueus.

a.2. Petrus Aur. reſp. quod cum Spiritus ſanctus procedat per modum amoroſi impulſus, & Dei poſiti in eſſe dato erga charitatem, & iuſtitiam, & cæteras perfectiones, & cum hæc omnia poſſint ex tempore participari a creaturis, ſequitur, quod ei competat temporalis proceſſio, non enim eſt aliud temporalis proceſſio, quam participatio termini proceſſionis æternæ.

q.1. Guilel. Occham reſp. quod cum Spiritus ſanctus realiter procedat ex tempore, realis eſt etiam temporalis proceſſio eius, quæ aduenit Deo, non ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco, ſicut creatio.

q.vn. a.1. Thomas ab Arg. reſp. quod eſt quædam proceſſio Spiritus ſancti, quæ eſt progreſſus amoris a Patre, & Filio ad creaturam pro ſanctificatione eius, quæ quoniam eſt ad terminum temporalem, a quo ſumitur denominatio cuiuſlibet proceſſionis mediantis inter duos terminos, a quo .ſ. & ad quem, ideo talis proceſſio dicitur temporalis, & Spiritus ſanctus per talem proceſſionem, temporaliter procedere.

q.vn. a.1. Gerardus reſp. quod cum omnis proceſſio denominetur a termino, Spiritus ſanctus autem ſic procedat a Patre, & Filio, quod eius tendentia eſt in terminum temporalem, ideo quandoque dicitur temporaliter procedere, & talis eius proceſſio temporalis eſt; & quãuis ſit ex parte æterna, & ex parte temporalis, non dicitur tamen æterna, ſed temporalis, quia æterno non repugnat denominari temporale, ſicut temporali repugnat denominari æternum.

q.1. Guilel. Rub. reſp. quod Spiritum ſanctum temporaliter procedere non eſt aliud, quam procedere aliquid donum, quo natum eſt manifeſtari creaturæ ipſum Spiritum ſanctum eſſe per modum voluntatis productum.

q.17. a.1. Marſilius reſp. quod Spiritus ſanctus procedit a principio ſpirante, & terminatur in creaturam, impertiendo illi donum amoris bonitatis Dei, procedit enim per modum amoris, qui de natura ſua tendit in amatum, & quoniam huiuſmodi creatura eſt temporalis, idcirco conuenit ei tẽporaliter procedere.

q.vn. Ioan. de Baſſol. reſp. quod Spiritus ſancti proceſſio, quatenus vt donum tendit in aliũ, duplicem habet reſpectum, vel ad obiectum æternum, & ſic eſt æterna, vel ad obiectum temporale, & ſic dicitur temporalis propter huiuſmodi nouum reſpectum ad creaturam.

q.vn. a.1. Ioan. Vig. reſp. quod temporalis proceſſio Spiritus ſancti nihil aliud eſt, quam quidam illapſus, per quem illabitur menti creaturæ, aut per ſua dona, aut per ſubſtantiam ſuæ perſonæ aſſiſtendo ſibi ſpecialiſſimè ad bonum meritorium, aut per quem illabitur menti creaturæ vtroque modo.

d.16. q.1. Franc. a Chriſto reſp. quod eſt aliqua proceſſio perſonæ a perſona ad ſanctificandam creaturam interuentu alicuius doni creati, venire enim perſona quandoque dicitur, vt in Euang. Ioann. c. 15. & hæc dicitur proceſſio temporalis Spiritus ſancti, qua procedit in creaturam, non quidem vt in rem ſubiectam, quia perſona ſubſiſtens eſt; ſed tanquam in obiectum, vt .ſ. ipſa perſona ſit obiectum cognitum, & amatum, ipſius curam gerens, & ipſam dirigens.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod cum Spiritus ſanctus habeat eſſe ab æterno, quia ab æterno producitur ei conuenit æternaliter, non temporaliter procedere, hoc eſt enim ei procedere propriè, quod produci; quia tamen conuenit ei quandoque dari creaturis, dicitur etiam temporaliter procedere, hoc eſt enim alicui dari, quod ab aliquo dante in aliquid procedere, quod ſuſcipiat; non quidem accipiens eſſe, ſed nouum modum eſſendi in eo, cui datur; & in hoc ſenſu (quamuis non ſit proprius) concedi poteſt, quod Spiritui ſancto conueniat temporaliter procedere, & eius proceſſio, ſub hac ratione ſit temporalis.

Obiectio. Sed ſi proceſſio Spiritus ſancti eſt idem, quod eius ſpiratio? nulla autem ratione ſpiratio dicitur temporalis.

Reſpondetur, quod ſpiratio, & proceſſio, licet ſint idem ſecundum rem, & in ſignificato; differunt tamen in modo ſignificandi, & habent diuerſam habitudinem, nam ſpiratio

di-

dicit ſolum reſpectum ad principium a quo, proceſſio verò ad terminum ad quem. Ita Ægidius, Ricardus, Argentina.

QVÆSITVM II.

An conueniat ſoli Spiritui ſancto temporaliter procedere?

d.14. a.1. ALbertus reſp. quod temporaliter procedere conuenit & Filio, & Spiritui ſancto, ſed ſi accipiamus procedere prout diuiditur contra generationem, propriè conuenit Spiritui ſancto, & tunc bene dicitur, quod eſt manifeſtatio Spiritus ſancti in collatione doni gratum facientis ad ſanctificandam creaturam.

q.vn. Ioannes Vig. reſp. quod proceſſio temporalis appropriatur, Spiritui ſancto, quia procedit, vt actualis dilectio, temporalis autem proceſſio eſt quædam liberalis donatio per modum muneris liberi, & gratioſi, & Spiritus ſanctus eſt primum donum.

Reſolutio.

REſpondeo, quod accipiendo proceſſionem pro quacunque emanatione ab alio in ordine ad aliud tanquam ad terminum, et iam Filio cōuenit temporaliter procedere; exijt enim aliquando a Patre, & venit in mundum, vt ipſemet teſtatur dicens; ego ex Deo proceſſi, & veni. Appropriatur tamen Spiritui ſancto, cum ipſe Spiritus ſanctus ſit perſona illa, cui appropriatur creaturarum ſanctificatio, ratione cuius dicitur diuina perſona temporaliter procedere.

Obiectio. Sed ſi creaturarum ſanctificatio non ſolum prouenit a Spiritu ſancto; ſed etiam a tota Trinitate?

Reſpondetur, quod ſanctificatio creaturarum, prout habet habitudinem effectus, reſpicit communiter totam Trinitatem; & ſecundum hoc non dicitur procedere aliqua perſona, ſed prout habet habitudinem termini, erga quem eſt impulſus amoris ab æterno in Deo, ſic habet reſpectum ad Spiritum ſanctum, cui cum approprietur amor, appropriatur etiam talis proceſſio.

QVÆSITVM III.

An temporalis proceſſio ponat in numerum cum æterna?

d.14. a.7. ALbertus reſp. quod proceſſio temporalis claudit in ſe intellectum æternę & addit reſpectum, qui cauſatur ex hoc, quod creatura rationalis ex dono Dei aliter ſe habet ad ipſum in gratia, quam antea ſe habebat, & licet hæc non poſſint addi, vt faciant rem aliquam numero vnam; tamen hæc ſimul poſſunt ſignificari nomine vno, ſicut eſt proceſſio temporalis, vnde proceſſio addit in modo intelligendi, & ſignificandi, licet non in re, & quoad hoc dicitur gemina proceſſio.

Et iterum reſp. quod vna eſt, & eadem proceſſio æterna, & temporalis geminata per modum; æterna enim ſignificatur in temporali, ſed æterna eſt emanatio Spiritus ſancti de Patre, & Filio, vt ſit diuina perſona, & non eſt ad aliquid extrinſecum diuinitati, temporalis verò eſt eiuſdem emanationis ſignificatio, & ad extrinſecum diuinitati .ſ. creaturam rationalem ſignificandam. tr. 7 q. 32.

D. Thomas reſp. quod propter vnitatem reſpectus procedentis ad illum, a quo procedit, quem principaliter importat proceſſio, eſt vna tantum proceſſio Spiritus ſancti temporalis, & æterna; ſed tamen ratione duorū reſpectuum in duo obiecta, temporale .ſ. & æternum, quorum vnus eſt realiter in ipſo procedente .ſ. æternus, alter autem ſecundū rationem tantum, ſed ſecundum rem in eo ad quem procedit, & ſe habens per additionem ad primum, eſt duplex. d.14. a.2.

Et iterū reſp. quod Gemina dicitur proceſſio, æterna .ſ. & temporalis, non propter hoc, quod habitudo ad principium geminetur, ſed geminatio eſt ex parte termini temporalis, & æterni. p.p. q.43. a.2.

D. Bonau. reſp. quod eſt vna, & eadem proceſſio Spiritus ſancti, æterna, & temporalis, dupliciter tamen dicta, nam æterna dicitur ſecundum quod tendit Spiritus ſanctus in aliquid, vt in obiectū, temporalis eſt vt in habitaculum, vnde geminatio hæc ſumitur non ſecundum modum dicendi vniuocum, nec æquiuocum, ſed analogum. q.2.

Ægidius reſp. quod proceſſio æterna dicit relationem ſecundum rem, temporalis verò ſecundum rationem, & quoniam quod eſt ſecundum rationem non ponit in numerum cum eo, quod eſt ſecundum rem: ideo nōn eſt alia proceſſio temporalis, & alia æterna, quaſi duæ proceſſiones diſtinctæ; ſed vna, & eadem dupliciter dicta, cum ſit vna perſona, quæ æternaliter, & temporaliter procedit. q.2.

Ricardus reſp. quod huiuſmodi proceſſiones Spiritus ſancti non diſtinguuntur ſecundum rem, ſed tantum in connotatis, quæ eſt diſtinctio ſecundum rationem, nam alius eſt terminus, quem reſpicit, vel connotat proceſ- q.2.

Digitized by Google

ceſſio æterna, quia æternus, & alius, quem reſpicit, vel connotat proceſſio temporalis, quia temporalis.

n.6 r. q.10. Henricus reſp. quod proceſſio Spiritus ſancti æterna eſt, vt terminata ad perſonam, & ſecundum ſeipſam; ſed in dono ſuo eſt temporalis, quia ſic procedit in creaturam, vna tamen eſt, & eadem proceſſio temporalis, & æterna.

q.2. Herueus reſp. quod proceſſio temporalis, & æterna ſunt vna, & eadem proceſſio, important enim vnum, & eundem reſpectum æternum, exitum ſ. perſonæ a perſona; ſed diuerſimodè; nam proceſſio æterna importat ipſum reſpectum tantum, vel ſaltem dicit ipſum cum tendentia in obiectum ab æterno amatum; temporalis verò dicit eundem reſpectum, ſiue eundem exitum, vt tamen coniunctum nouæ relationi, nouo modo ſcilicet eſſendi in creaturis.

q.2. Durandus reſp. quod proceſſio temporalis Spiritus ſancti eſt quidem diſtincta ab æterna ſecundum rationem, quia addit reſpectum ſuper eam ad creaturam, ſed non ſecũdum rem, quod probat. Per quancumque proceſſionem realem fit aliquid reale in procedente; ſed per proceſſionem temporalem nihil fit reale in Spiritu ſancto, præter id quod eſt in ipſo per proceſſionem æternam, ergo proceſſio temporalis non poteſt eſſe alia realiter ab æterna.

q.1. Guilel. Occham reſp. quod licet de virtute ſermonis non debeat concedi, quod proceſſio temporalis Spiritus ſãcti ſit diſtincta proceſſio, & vna a proceſſione æterna; ſi enim eſſet vna, aut eſſet vnum ens rationis, aut vnũ ens reale, aut aliquid vnum compoſitum ex vtroque, quorum quodlibet eſt falſum; tamen ſecundum modum, & vſum loquendi ſanctorum concedi poteſt, quod alia ſit proceſſio temporalis a proceſſione æterna, nam temporalis includit aliam rem ab ea, quæ includitur in æterna, Deus enim includitur in æterna tantum, in temporali verò Deus, & creatura.

q.1. a.3. Thomas ab Argentina reſp. quod eadem proceſſio Spiritus ſancti ſecundum quod terminatur ad obiectum æternum, dicitur æterna, & ſecundum quod terminatur ad temporale, dicitur temporalis, vnde propter hanc diuerſitatem rationum poſſunt dici largè loquendo duæ proceſſiones.

q.2. a.3. Gerardus reſp. quod ideo temporalis proceſſio non eſt diſtincta a proceſſione æterna, tamquam alia proceſſio, quia includit illam, ita quod ſi illam non includeret, eſſent duæ diſtinctæ proceſſiones, ſicut ſunt duæ natiuitates Filij, æterna ſ. & temporalis.

Petrus Aliacenſis reſp quod de virtute ſermonis proceſſio temporalis non differt realiter ab æterna, quia iſti termini proceſſio temporalis, & proceſſio æterna ſupponunt pro eodem licet connotent diuerſa. Poteſt tamen concedi ad intentionem ſanctorum, quod ſint duæ proceſſiones Spiritus ſancti, & quod proceſſio æterna differat realiter à proceſſione temporali, quia nihil aliud intelligitur, niſi quod æternaliter procedit, & temporaliter, & quod poteſt primo modo procedere, abſque hoc quod procedat ſecundo, & quod proceſſio æterna differt realiter ab aliqua re, quæ importatur per proceſſionem temporalẽ ſ. a creatura, quæ eſt temporalis. q.9. a.1.

Marſilius reſp. quod in re non eſt niſi vna proceſſio, quæ eſt æterna reſpectu obiecti, & temporalis reſpectu ſubiecti, vnde non propriè ponit in numerũ cum ſua proceſſione æterna, idem enim propriè non ponit in numerum cum ſeipſo. q.17. a.2.

Ioannes de Baſſ. reſp. quod proceſſio temporalis, & proceſſio æterna non ſunt duæ proceſſiones realiter differentes, nec ſunt idem realiter, nec diuerſæ realiter, quia neutra eſt aliquid reale ſecundum ſuum formale completiuum, ſed ſunt duæ proceſſiones diſtinctæ ſecundum rationem. d 14. q.vn.

Ioannes Maior reſp. quod proceſſio Spiritus ſancti æterna nihil aliud eſt quam ipſe Spiritus ſanctus, & ſimiliter eius proceſſio temporalis, vnde cum Spiritus ſanctus non diſtinguatur a ſeipſo, neque eius proceſſio temporalis diſtinguitur ab æterna; gemina autem dicitur propter geminam habitudinem, vnam ad principium a quo, & ſecundum hanc dicitur ęterna, & alteram ad creaturam, & ſecundum hanc dicitur temporalis. Et eſt illapſus quo perſona æternaliter producta menti rationali illabitur per dona ſua. q.vn.

Ioannes Vig. reſp. quod proceſſio æterna non eſt eadem proceſſio, quæ & temporalis; primò, quia ipſa exiſtente, non ſemper exiſtit proceſſio temporalis; ſecundò, quia per proceſſionem æternam Spiritus ſanctus conſtituitur in eſſe perſonali, per temporalem verò nihil accipit de nouo; tertiò, quia proceſſio æterna eſt ens reale, & neceſſe eſſe; temporalis vero eſt reſpectus rationis tantũ, & contingens. a.2.

Guilel. Eſtius reſp. quod proceſſio temporalis Spiritus ſancti diſtinguitur ab æterna, nam per iſtam Spiritus ſanctus ab æterno accepit naturam de Patre, & Filio; per illam ve- §.1.

Digitized by Google

verò temporaliter procedit ad ſanctificandũ creaturam, vel etiam ad aliũm effectum.

q. 17. diſp. 2 Greg. de Val. reſp. quod eadem proceſſio perſonæ Spiritus ſancti vocatur æterna, & temporalis, æterna, vt habet terminum æternum .ſ. perſonam; temporalis verò, vt habet terminum temporalem .ſ. illum nouum modum exiſtendi in creatura.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut ab ęterno fuit Spiritus ſanctus ſine omni creatura, ita eius proceſſio æterna fuit ſine omni proceſſione ad creaturas, quæ eſt proceſſio eius tẽporalis, & ideo huiuſmodi proceſſiones idem realiter eſſe non poſſunt; quandocunq; enim aliqua ſunt idem realiter, quamuis etiam diſtinguantur ſecundum rationem, vno exiſtente eorum, & alterum neceſſe eſt exiſtere; hinc fit quod vtriuſque proceſſionis diuerſas etiam diffinitiones, ſiue deſcriptiones aſſignamus; dicimus enim quod proceſſio æterna Spiritus ſancti eſt eius ineffabilis emanatio a Patre, & Filio in identitatem naturæ; proceſſio verò temporalis eiuſdem exitus, ſiue emiſſio a Patre, & Filio in ſanctificationem creaturæ, per nouum modũ ſe habendi in ea.

Obiectio. Sed ſi proceſſio temporalis Spiritus ſancti, qua procedit a Patre, & Filio nihil reale addit ſupra proceſſionem eius æternam? vel ſaltem ſupra ipſum Spiritum ſanctum?

Reſpondetur, quod proceſſio temporalis Spiritus ſancti nihil reale addit ſupra ipſam perſonam Spiritus ſancti, vel proceſſionem eius æternam, ad intra, ſed bene ad extra, ſicut quæcunque alia operatio diuina .ſ. quid de nouo, & creatum, & hoc ſufficit ad earum diſtinctionem realem.

QVÆSITVM IV.

An ſit idem Spiritui ſancto temporaliter procedere, quod alicui creaturæ dari, & mitti?

d. 15. q. 1. a. 1. D. Thomas reſp. quod proceſſio, inquantum proceſſio dicit realem tantum diſtinctionem ad principium, a quo procedit, & non ad aliquem terminum; datio autem non importat diſtinctionem dati a principio, a quo datur, quia idem poteſt dare ſeipſum, ſed tantum dantis ab eo, cui datur; at miſſio ponit diſtinctionem in ipſo miſſo, & ad principium, & ad terminum.

d. 15. q. 1. Herueus reſp. quod proceſſio, miſſio, & datio differunt, quia proceſſio non dicit aliud niſi exitum a principio, & indifferens eſt vt terminetur ad terminum æternum, & ad terminum temporalem; miſſio verò importat originem perſonæ miſſæ ab aliquo communicante, vel dante auctoritatem ei, ſemper cũ nouo modo eſſendi in creatura; datio verò non importat originem dati, quia idem poteſt dare ſeipſum, ſed important nouum effectum, ſecundum quem attenditur datio ipſa. Item Durandus.

Petrus Aur. reſp. quod proceſſio, miſſio, & datio differunt circa perſonas diuinas inquantum ad hoc, quod importãt ex parte termini, proceſſio namque, & miſſio includunt emanationem ex parte perſonæ procedentis, & miſſæ; datio verò ex parte dantis originem non includit. d. 15. a. 1.

Guilel. Occham reſp. quod miſſio eſt manifeſtatio productionis alicuius perſonæ ab alia per nouam ſuam exiſtentiam in creatura rationali, ſecundum determinatum modum exiſtendi in ea; datio vero eiuſdem collatio, vt is cui datur, ea faciat quicquid rationabiliter velit; proceſſio vero eſt emanatio vnius perſonæ ab alia; Item Aliacenſis. d. 14. q. 2.

Gerardus reſp. quod miſſio eſt idem cum proceſſione temporali, quantum ad rem ſignificatam, nam vtraque duo importat; originem perſonæ a perſona, & nouum effectum ſanctificationis in creatura rationali: differunt autem in modo ſignificandi, nam miſſio ſignificat totum hoc ſub vno nomine, proceſſio autem temporalis ſub pluribus. q. vn. a. 1.

Guilel. Rub. reſp. quod iſta nomina Spiritus ſancti, temporalis proceſſio, miſſio, & datio ſunt nomina ſynonima, & idem omnino ſignificantia, videlicet, donum aliquid a Deo eſſe collatum Spiritus ſancti manifeſtatiuum. d. 14. q. 1.

Ioan. Vig. reſp. quod miſſio nihil aliud eſt quam manifeſtatio perſonæ quæ procedit; proceſſio vltra miſſionem dicit quoddam mitti amoroſum, per modum donationis liberalis; datio vero dicit, reſpectum rationis ſine connotatione rationis productionis ad intra. d. 15. q. vn.

Franc. a Chriſto reſp. quod proceſſio ſignificat exitum perſonæ, a perſona vel præcisè citra reſpectum ad vlteriorem terminum; miſſio ſimiliter, ſed connotando nouum effectum in creatura; ſed datio nullam declarat rei datæ ab ipſo dante originem. d. 16. q. 5.

Reſolutio.

RESpondeo, quod Spiritus ſanctus intantum dicitur temporaliter procedere in aliquam creaturam, inquantum mittitur, vel datur ei, & propterea idem eſt illi temporaliter procedere, quod dari, & mitti; miſ-

quod mitti tunc dicitur, quando nouo modo incipit eſſe, vel operari in aliqua creatura rationali, illuminando, ſeu illuſtrando intellectum eius, poſt huiuſmodi tamen illuſtrationem, ac illuminationem receſſurus, non quidem ſuæ gratiæ, vel præſentiæ ſubtractione, ſed defitione, ſiue ceſſatione a nouo illo modo eſſendi, & operandi ſuo iam ſortito fine; dari vero dicitur, quando nouo modo incipit eſſe, & operari in aliqua creatura rationali eius voluntatem afficiendo, non receſſurus tamen poſt huiuſmodi affectionem ab ea, ſed reſpectiuè permanſurus ſemper cū illa.

Obiectio. Sed ſi Spiritus ſanctus dat ſe, & mittit ſe, non tamen neque temporaliter, neque æternaliter procedit a ſe?

Reſpondetur, quod inter mittentem, & miſſum, & inter dantem, & datum, non eſt ſemper realis relatio, quæ dicat realem diſtinctionem, ſicut inter procedentem, & eum a quo procedit; & hinc fit quod Spiritus ſanctus poteſt dici mittere ſe, & dare ſe, non autem procedere; quia realiter non diſtinguitur a ſe; atque ita proceſſio temporalis, miſſio, & datio quoad id, quod principaliter important, non diſtinguuntur, ſed quoad id tantum, quod modum important, & rationem ſic conſiderandi eas.

QVÆSITVM V.

An cum Spiritus ſanctus alicui creaturæ datur, detur perſonaliter, an tantum ſecundum dona ſua?

a.5. q.3. GVilelmus Antiſiod. reſp. quod non ſolum Spiritus ſancti gratia propriè datur, vt inſit, & faciat animā frui Deo, ſed etiam ipſe Spiritus ſanctus, vt cibus ſpiritualis; & ita vtrunq; datur ſuo modo.

q.73. m. 4. Alex. reſp. quod Spiritus ſanctus datur in ſe, & in donis ſuis, & ratio eſt, quia Spiritus ſanctus eſt in iuſtis ratione fructus, quia eo fruuntur iuſti, dona aūt ſunt in iuſtis, nō ſicut fructus, ſed ſicut diſpoſitiones ad fruendum, anima enim de ſe non habet virtutem fruendi bono increato; ſed per gratiam, & virtutem.

d.14. a.13. Albertus reſp. quod dari in donis præcipuè conuenit illi, qui ab æterno procedit, vt donum, in quo alia dona donantur, & eſt Spiritus ſanctus.

D. Thomas reſp. quod quia in acceptione donorum Spiritus ſancti, non ſolum relatio noſtra terminatur ad dona, vt ipſa habeamus; ſed etiam ad Spiritum ſanctum, quia ipſum [...]iter habemus, quam prius, idcirco non tantum dicuntur] ipſius dona procedere, ſiue dari, ſed etiam ipſemet Spiritus ſanctus.

D. Bonau. reſp. quod non ſolum dona Spiritus ſancti dantur, ſed etiam & ipſe perſonaliter; primò, quia eſt primum donum; non datur autem poſterius ſine priori; ſecundò, quia Spiritus ſanctus datur, vt fideles vniantur, perfecta autem vnio non eſt niſi in aliquo vno ſimplici, quod eſt Spiritus ſanctus; tertiò, quia Spiritus ſanctus eſt perfectum donum, perfectum autem donum datur, vt accipiens habeat facultatem fruendi, & vtendi eo; non poteſt autem frui niſi perſona; igitur cum datur Spiritus ſanctus, non tantum dantur dona eius ad vtendum, ſed & perſona ad fruendum. q.4.

Ægidius reſp. quod in quocunque dono primum, quod datur eſt amor, & quoniam Spiritus ſanctus eſt perſonaliter amor, ideo nobis perſonaliter datur. Item Gerardus. pr.2. q.1.

Ricardus reſp. quod dare Spiritum ſanctum alicui creaturæ eſt facere, quod illa creatura habeat facultatem ad fruendum eo, & quoniam hanc facultatem habet per charitatem, ideo cum datur charitas, datur etiam perſonaliter Spiritus ſanctus. Item Nicol. de Orb.

Durandus reſp. quod Spiritus ſanctus datur non ſicut forma inhærens, cum ſit per ſe ſubſiſtens, ſed ſicut obiectum, vel ſicut amicus, rector, & motor; & ita perſonaliter datur. Item Herueus. q.3.

Guilel. Occham reſp. quod Spiritus ſanctus omni alio dono circumſcripto poteſt facere, quod creatura per illum faciat, quicquid rationabiliter velit; ac proinde in propria perſona dari. q.2.

Thomas ab Arg. reſp. quod ideo Spiritus ſanctus dicitur perſonaliter dari; primò, quia propriiſſimè conuenit ei nomen doni, quod eſt eſſe liberaliter tribuibile ſine tempore ex ſe habens aptitudinem ad hoc, vt tribuatur; ſecundò, quia eſt donum, in quo (ſicut dicit D. Auguſtinus) cætera dona dantur. q.2. a.4.

Guilel. Rub. reſp. quod Spiritus ſanctus dicitur in propria perſona dari, pro quanto ad collationem doni creati, animæ rationali ipſe Spiritus ſanctus datur ad diligendum eam, & ad bonum, ſibique proficuum excitandum. q.2.

Gabriel Biel reſp. quod Spiritus ſanctus datur in ſe, & in donis ſuis; in ſe, quia poteſt eſſe paratus facere quicquid creatura aliqua rationalis rationabiliter velit fieri, & hoc faciendo dat ſe creaturæ rationali; in donis ſuis, quia non ſanctificat creaturam niſi donis ſuis. qu.

Ioan-

q. vn. Ioannes de Baſſ. reſp. quod Spiritus ſanctus non ſolum datur in donis ſuis, ſed etiam in perſona ſua, quia procedit vt donum, ad donum autem pertinet, quod detur non ſolum in alio, ſed etiam in ſeipſo.

d. 14. & 15 Laur. Op. reſp. quod vnio Spiritus ſancti ad mentem creatam eſt verè vnio perſonalis in eſſe doni, & non præciſe eſſentialis; ſic enim ſequeretur, quod eſſentia diuina eſſet terminus illius vnionis, quod eſt falſum; cum enim nullo modo poſſit eſſe terminus ad intra, nec conſequenter poteſt eſſe ad extra.

d. 16. q. 3. Franc. a Chriſto reſp. quod non ſolum dona Spiritus ſancti nobis dantur, ſed etiam ipſa perſona Spiritus ſancti, dicit enim Apoſtolus, quod Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Rom. c. 5.

a. 3. Guilel. Eſtius reſp. quod ſic Spiritus ſanctus datur, vt ipſemet per cognitionem, & amorem incipiat homini præſens eſſe, quamuis enim cognitio, & amor Dei non ſint ipſe Deus, ſed dona Dei, reddunt tamen ipſum Deum homini præſentem, modo quodam, quo prius præſens non erat, & ſic Spiritus ſanctus non tantum ſecundum dona ſua; ſed etiam ſecundum ſe datur.

q. 43. a. 3. Ludou. Molina reſp. quod parum eſt conſentaneum fidei aſſerere, quod perſona diuina non perſonaliter, ſed tantum ſecundum ſua dona detur, cum de hoc certum habeamus teſtimonium Apoſtoli; in Ep. ad Rom. c. 5. In Euang. Luc cap. 1. In Euang. Ioann. c. 14. & in Act. Apoſt. c. 1.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod tunc aliquid per ſe ſubſiſtens & liberum, dicitur ſecundum ſe, ſeu perſonaliter alicui dari, quando exhibetur a ſe, vel ab alio habente auctoritatem, vel actionem ſuper illud, ad intimius aſſiſtendum ei, & ad operandum iuxta inclinationem ſuæ naturæ; cum itaque Spiritus ſancti perſona ſæpe exhibita ſit ad intimius aſſiſtendum aliquibus creaturis, & ad efficacius operandum ſecundum rectam diſpoſitionem ſuæ naturæ, ſicut legimus de Beata Virgine, de Apoſtolis, & alijs ſanctis, idcirco non tantum ſecundum dona ſua, ſed etiam ſecundum ſe, ſeu perſonaliter dicitur dari.

Obiectio. Sed ſi Spiritus ſanctus non eſt in aliqua creatura de nouo, in qua prius non fuerit?

Reſpondetur, quod licet Spiritus ſanctus non ſit in aliqua creatura, in qua prius non fuerit de nouo, tamen poteſt eſſe aliter, quam fuerit, & propter iſtam innouationem dicitur dari, quæ innouatio ex parte Spiritus ſancti eſt ſecundum modum intelligendi, in creatura autem ſecundum rem. Ita Ægidius. Et Gregorius. Spiritus ſanctus non eſt in aliqua creatura, in qua prius non fuerit modo generali eſſendi in rebus per eſſentiam, præſentiã, & potentiam; ſed ſpeciali, & ſecundum hunc modum eſſendi, dicitur dari.

QVÆSITVM VI.

An cum Spiritus ſanctus perſonaliter datur, detur prius, quam dentur dona eius?

Alex. reſp. quod ſecundum comparationem doni ad illud, a quo datur, prius intelligitur dari Spiritus ſanctus, quam dona eius, prius enim procedit a Patre Spiritus ſanctus ad animam, & deinde effuſus informat eam; ſecundum comparationem verò doni ad illud, cui datur; primò intelligitur gratia, ſicut diſponens animam, & deinde diuina perſona inhabitans, vnde illud, quod erat prius ordine intelligentiæ ex parte Dei in conferendo, poſterius eſt ex parte animæ in recipiendo. q. 73. m. 4. a. 1.

Ægidius reſp. quod ſi dona Spiritus ſancti comparantur ad dantem, procedit Spiritus ſanctus ſua dona prioritate intelligẽtiæ, cauſa .n. vniuerſaliter præcedit ſuũ effectũ; ſi verò ad recipientem, prius dona dantur, quam Spiritus ſanctus; tum quia ipſa ſunt ratio, quare datur Spiritus ſanctus; tum etiam, quia per ipſa diſponitur creatura ad recipiendum Spiritum ſanctum; tum tertiò, quia habent rationẽ imperfecti, imperfectum autem ſemper præcedit perfectum; tũ quartò, quia ſunt media, per quæ coniungimur Deo per Spiritum ſanctum. Item Argentina. pr. 2. q. 3.

Herueus reſp. quod quia prius intelligitur Deus dare amorem, quam dona, quæ dat per amorem, per comparationem ad dantem, prius datur Spiritus ſanctus, quam dona eius; ſed quoniã recipiẽs intelligitur prius diſponi ad habendum Spiritum ſanctum, quam recipiat, ideo per comparationem ad recipiẽtem, prius dantur dona Spiritus ſancti, quam ipſe Spiritus ſanctus. q. 1.

Durandus reſp. quod quædam ſunt dona gloriæ, quædam gratiæ, & quædam naturæ; dona gloriæ, quia ſemper perficiunt ipſam animam in actu ſecundo, nõ prius conferuntur prioritate temporis, quam Spiritus ſanctus, ſed ſimul cum eo; dona verò gratiæ, & naturæ, quia non ſemper perficiunt hominem in actu ſecundo, prius eadem prioritate q. 3.

Digitized by Google

conferuntur, quam ipſe; prioritate autem naturæ ſic omnia dona ipſum præcedunt; tum quia ſunt quædam diſpoſitiones ad habendum Spiritum ſanctum, tum etiam quia Spiritus ſanctus non ſe habet nouo modo ad creaturam obiectiuè, niſi quia creatura nouo modo ſe habet ad illum per aliquid, quod ei datur de nouo, & eſt in ea ſubiectiuè, & huiuſmodi eſt donum.

q.vn. a.2. Gerardus reſp. quod ordo, qui eſt inter Spiritum ſanctum, & ſua dona, non eſt ordo durationis, quia ſimul ſunt duratione, ſed eſt ordo naturæ, qui diuerſificatur ex parte dantis, & accipientis.

d.16. q.3. Franc. a Chriſto reſp. quod dona Spiritus S. & ipſe Spiritus S. ſimul tẽpore dantur, dari. n. Spiritũ ſanctũ creaturæ eſt ipſum Spiritũ ſanctum procedere ad ſanctificandam creaturã, quæ ſanctificatio efficitur interuentu donorũ; ordine tamen naturæ, hoc eſt, ordine naturalis diſpoſitionis, dona naturæ, & gratiæ antecedunt ipſum Spiritum ſanctum.

Reſolutio.

RESpondeo, quod cum Spiritus ſanctus ſecundum ſe ſiue perſonaliter datur, neceſſarium eſt, quod in ipſa creatura, cum datur, præcedant eum aliqua dona eius; non quidem tempore, ſed natura; & non propter ipſum Spiritum ſanctum, ſed quia nulla creatura, vt improportionata tantæ maieſtati poteſt ipſum recipere ad ſibi intimè aſſiſtendũ, niſi aliquo dono ſupernaturali ſit eleuata.

Obiectio. Sed ſi Spiritus ſanctus poteſt immediatè eleuare creaturam; ipſique intimè aſſiſtere?

Reſpondetur, quod hoc bene fieri poteſt de potentia diuina abſoluta, non de lege ordinaria, qua requiritur, vt ad ſuſcipiendam diuinam perſonam, aliqualiter ipſa creatura diſponatur.

QVAESITVM VII.

An Spiritus ſanctus perſonaliter detur cum quolibet dono ſuo.

q.3. m.1. ad 4. ALex. reſp. quod non ratione cuiuſcũque effectus, ſiue doni, dicitur dari, vel mitti Spiritus ſanctus, ſed exigitur quod ille effectus, ſiue illud donum pertineat ad gratiam gratum facientem, quia ſolum ſecundum illam gratiam animam inhabitat, & eſt in ea modo ſpeciali, quo Deus dicitur eſſe in iuſtis.

tr.7 q.32. Albertus reſp. quod proceſſio temporalis Spiritus ſancti dupliciter conſideratur; vel vt eſt ſimplex manifeſtatio proceſſionis æternæ per ſignum, & ſic procedit Spiritus ſanctus in donis gratuitis gratis datis; vel vt eſt manifeſtatio proceſſionis æternæ ſimul, & procedentis Spiritus ſancti per proprium eius actum, quem non operatur, niſi in illis, in quibus habitat per inhabitantem gratiam, & hoc modo non procedit, niſi in donis gratum facientibus.

D. Thomas reſp. quod proceſſio diuinarum perſonarũ in creaturas poteſt dupliciter conſiderari, aut inquantum eſt ratio exeundi a principio, & ſic attenditur ſecundũm dona naturalia, in quibus ſubſiſtimus, aut inquantum eſt ratio reducendi in finem, & ſic eſt ſecundum illa dona tantum, quæ coniungunt nos fini vltimo, quæ ſunt gratia gratum faciens, & gloria. d.14. q.2. a.2.

Et iterum reſp. quod ad hoc dicitur dari nobis perſonaliter Spiritus ſanctus, cum liberam habemus poteſtatem fruendi eo, & quoniam hoc non contingit, niſi per donum gratiæ gratum facientis, nam per hoc ſolum donum ſpeciali modo eſſendi habitat in nobis, & habetur a nobis; idcirco cum ſolo dono gratiæ gratum facientis Spiritus ſanctus nobis perſonaliter datur. Item Vaſquez. p.p. q.43. a.3.

D. Bonauent. reſp. quod Spiritum ſanctum dari conſideratur dupliciter, vel ſimpliciter ad vtendum .ſ. & fruendum; vel quantum ad hoc, ad auxilium .ſ. & vſum; quantum ad hoc cum quolibet ſuo dono datur; ſimpliciter vero cum gratia gratum faciente, ſic enim datur ad inhabitandum, & ad faciẽdum eum, cui datur, Dei, & proximi dilectorem. d.15. q.5.

Aegidius reſp. quod dona Dei ſunt in triplici differentia, quædam ſunt, in quibus nunquam datur Spiritus ſanctus ſicut fides informis, & timor ſeruilis, quædam in quibus aliquando datur, & aliquando non, vt operatio miraculorum, & profetia, & quædam, in quibus ſemper datur, vt charitas, quæ eſt gratia gratum faciens; per charitatem enim perfectè coniungimur Deo, & ſumus in eo, & ipſe in nobis. Item Guil. Varrill. d. 18 ar. 5. d.14. q.4.

Ricardus reſp. quod Spiritus ſanctus impropriè, & ſecundum quid cum quolibet dono datur .ſ. ad actum gratiæ gratis datæ; propriè tamen ſimpliciter cum charitate datur, per hanc enim facultatem habemus fruendi eo, & per ipſam ſanctificamur, datur autem ſimpliciter, & propriè Spiritus ſanctus, vt fruamur eo, & ſanctificemur. q.5.

Herueus reſp. quod in donis gratiæ gratum facientis Spiritus ſanctus dicitur dari ſimpliciter, in alijs verò ſecundum quid, & q.3.

ra-

Digitized by Google

ratio eſt, quia per ſolam gratiam gratum fa-
cientem creatura rationalis poteſt Deum at-
tingere amando, & cognoſcendo, & conſe-
quenter poſſidere, & poſſidendo frui, tunc
autem aliquid dicitur dari ſimpliciter cum
venit in poſſeſſionem accipientis. Item Ni-
colaus di Niſſe.

q.3. Durandus reſp. quod Spiritus ſanctus cum
donis naturæ datur imperfectè, cum donis
gratiæ perfectius, cum donis gloriæ perfe-
ctiſſimè, & ratio eſt quia datur creaturæ, vt
poſſit tendere in Deum, tanquam in obiectum
cognitum, & amatum; tendit autem creatu-
ra in Deum ſecundum dona naturæ imperfe-
ctè, ſecundum dona gratiæ perfectè, & ſe-
cundum dona gloriæ perfectiſſimè.

q.2. Guilel. Occham reſp. quod Spiritus ſan-
ctus ſecundum modum loquendi ſanctorum
non dicitur dari, niſi ſecundum gratiam gra-
tum facientem, dicitur enim dari, ſecundum
quod per ſpecialem actionem, qua inhabitat
in creatura, & acceptat eam ad vitam æter-
nam, quod non facit, niſi per gratiam gratũ
facientem. Item Gabriel.

a.4. Thom. ab Arg. reſp. quod Spiritus ſanctus
non datur in quolibet dono ſuo, quia quan-
docunque Spiritus ſanctus datur, tunc reci-
piens ſanctificatur, vel ſi ſanctus eſt in ſancti-
ficatione creſcit, at quædam ſunt dona, in
quibus nunquam confertur ſanctitas, vt timor
ſeruilis, & fides informis, & quædam in
quibus nõ ſemper, vt miraculorum operatio,
& profetia; igitur non in omni dono ſuo Spi-
ritus ſanctus perſonaliter datur.

q.1. Gerardus reſp. quod Spiritus ſanctus non
a.2. datur niſi in illis donis, a quibus nunquam
ſeparatur, vt ſunt gratia, & charitas; illa
enim dona, quæ proueniunt ex amore, non
poſſunt dari ſine amore, vnde cum talia dona
proueniant ex amore, & Spiritus ſanctus ſit
amor, non ſine Spiritu ſancto dantur.

a.1. Greg. reſp. quod quandocunque datur Spi-
ritus ſanctus, datur etiam aliquid donum
eius .ſ. gratia gratum faciens; & econuerſò,
quando illa datur, datur etiam Spiritus ſan-
ctus, quicunque enim habent Spiritum ſan-
ctum habent gratiam, ſunt enim de numero,
& ſtatu eorum, qui ſunt Filij Dei; & econ-
uerſò, qui habent gratiam, habent quoque
Spiritum ſanctum.

a.1. Guilel. Rubion reſp. quod Deus poteſt in-
fundere actum amoris, vel actum cognitio-
nis alicui creaturæ ſine gratia gratum fa-
ciente, & ita de ſua potentia poteſt dare Spi-
ritum ſanctum ſine gratia gratum faciente,
hoc tamen de facto non facit, quia nunquam
infundit actum cognitiuum, vel appetitiuum,
ſed habitum; & ſi infundit, non infundit ſi-
ne gratia gratum faciente.

Petrus Aliac. reſp. quod amicis Dei nun- q.9.
quam datur Spiritus ſanctus quin detur, & a.1.
gratia, & ſimiliter nunquam datur gratia,
quin detur & Spiritus ſanctus; & ratio eſt,
quia Spiritus ſanctus datur amicis Dei, &
non eſt amicus Dei, qui non habet gratiam.

Marſilius reſp. quod ſæpe datur donum q.21.
gratis datum, & non ipſe Spiritus ſanctus, a.2.
quia ipſe non dicitur dari, niſi per inhabita-
tionem gratuitam, quam non oportet con-
currere in quolibet dono gratis dato; ſemper
tamen datur de lege communi, cum datur
donum gratum faciens.

Thomas Caiet. reſp. quod miſſio inuiſibi- q.43.
lis Spiritus ſancti non ſolum fit per donum a.3.
gratiæ gratum facientis, ſed etiam per do-
num fidei informis, imo per cogitationem,
& dilectionem Dei quamcũque, eo quod per
hos effectus aliquo modo accipit Deus eſſe
in creatura rationali.

Guilel. Eſtius reſp. quod non ſecundum d.14.
omnia dona datur Spiritus ſanctus, ſed ſecun- §.4.
dum gratiam gratum facientem, quamuis
dicatur dari tantum ſecundum aliquid, ideſt
ad hunc, vel illum effectum.

Ludou. Molina reſp. quod ſimpliciter, & d.43.
perfectiſſimo modo perſona diuina datur ſo- a.3.
lum ſecundum donum gratiæ gratum fa-
cientis; tum quia facultas fruendi diuina per-
ſona eſt ſolum per gratiam gratum facientẽ;
tum etiam quia non poteſt haberi Deus per
cogitationem, & amorem vitæ æternæ pro-
portionatum, niſi per gratiam gratum facien-
tem, eſt enim hic modus prefectiſſimus, quo
iuſtis in hac vita ſolet dari; ſicut minus per-
fectus eſt ille, ſecundũ quem per gratias gra-
tis datas, & per naturalia dona datur.

Reſolutio.

RESPONDEO, quod collatio perſonæ Spi-
ritus ſancti creaturæ ad hoc .ſ. vt ipſe
immediatè operetur in ea, & intimiori præ-
ſentialitate aſſiſtat ei, ſingulare priuilegium
eſt, & non niſi dignioribus creaturis, & ex-
cellentioribus conceditur; & quoniam multa
ſunt dona, quæ etiam vilioribus, & indignio-
ribus conferuntur, vt ſcientia, profetia, &
huiuſmodi, quibus nõ datur Spiritus ſanctus;
ideo ſequitur, quod non in quolibet dono
ſuo perſonaliter datur Spiritus ſanctus.

Sed ſi in nobis nullum eſt donum niſi ex Obie-
eo, quod Deus nos diligit, ex hoc autem da- ctio.
tur Spiritus ſanctus; quia Deus nos diligit?

Reſ-

Reſpondetur, quod nullum donum eſt in nobis niſi ex eo, quod Deus nos diligit, quia tamen non ſemper eſt per fecta dilectio, ideo non ſemper dicitur dari Spiritus ſanctus. Ita Aegidius. Et Argentina. Nullũ (inquit) in nobis eſt donum, niſi ex eo quod Deus nos diligit dilectione eſſentiali, & ideo huiuſmodi datur in omni dono, non autem procedens, quæ eſt Spiritus ſanctus.

QVÆSITVM VIII.

An Spiritus ſanctus poſſit aliquando perſonaliter dari ſine quolibet dono ſuo?

q.43. a.3. D. Thomas reſp. quod Spiritus ſanctus non poteſt dari ſine gratia gratum faciente, quia non eſt aliud dari Spiritum ſanctum, quam nouo modo haberi ab aliquo, quod eſſe non poteſt niſi ſecundum gratiam gratum facientem.

d.14. q.2. Guilel. Occham reſp. quod illud dicitur dari alicui quando poteſt illo vti ad aliquid faciendum, ſicut placet, quemadmodum dicimus, quod aliquis dat ſeipſum alteri propter hoc, quia offert ſe illi ad faciendum quod dixerit, & quoniam ſuppoſito quod Spiritus ſanctus nullum donum daret creaturæ rationali, adhuc eſſet paratus ad faciendum illud, quod vellet creatura rationalis, ideo circumſcripto quocũq; dono Spiritus ſanctus adhuc poſſet perſonaliter dari. Item Aliacenſis.

d.14. a.1. Gregorius reſp. quod ſicut omne factibile a Deo poteſt fieri ab ipſo nõ facto alio, quod non eſt ipſum, aut de eſſentia ipſius, ita & omne dabile a Deo homini abſolutè poteſt ei dari, non dato alio, quod non eſt idem eſſentialiter cum eo, nec aliquid de eſſentia eius; cum igitur nullum donum Spiritus ſancti ſit idem eſſentialiter cũ eo, aut de eſſentia eius, hinc ſequitur, quod licet nõ ordinariè detur, poteſt tamen abſq; aliqua contradictione ſine quocũque dono perſonaliter dari. Itẽ Opim.

d.14. q.vn. Ioannes Capreol. reſp. quod eſt contradictio Spiritum ſanctum dari creaturæ, & nihil aliud dari creaturæ, quia Spiritum ſanctũ dari creaturæ eſt ipſum nouo modo haberi a creatura, vt cognitum, vel dilectum, & quia Spiritus ſanctus non poteſt eſſe formalis dilectio creaturæ actualis, vel habitualis, ſimiliter nec cognitio, oportet quod dato Spiritu ſancto detur noua cognitio, vel dilectio, quæ diſtinguatur a Spiritu ſancto, vnde dicere quod Spiritus ſanctus tantum datur eſt dicere, quod datur, & non datur.

q.18. Marſilius reſp. quod ſecundum legem currentem, vel ordinatam non datur Spiritus ſanctus abſque donis ſuis; inhabitat enim ad quem mittitur, & non inhabitat niſi charitate creata actuali, vt in vtentibus ratione, & habituali, vt in paruulis baptizatis; ſed ſecundum potentiam Dei abſolutam dari poteſt, quia poteſt approbare animam ad æternam vitam, & eam inhabitare de nouo, abſque hoc quod aliquod donum infundat ei, cum hoc donum liberè infundat, ſicut de eadem potẽtia poſſunt dari dona abſque quod detur Spiritus ſanctus, quia poteſt ſtare, quod Deus det charitatem alicui creaturæ, & tamen Spiritus ſanctus non inhabitet eam approbando ad vitam æternã, quia hoc totum liberè facit. a.4.

Ioannes a Celaia reſp. quod quãdocunque datur Spiritus ſanctus dantur etiam dona eius, & econuerſò, quia ſic dominus Deus ordinauit; ſed de potentia Dei abſoluta, poteſt dari Spiritus ſanctus, & non dari dona eius, cũ dona Spiritus ſancti non ſint idẽ eſſentialiter cum eo, nec aliquid de eſſentia eius. d.14. q.vn.

Greg. de Val. reſp. quod perſona non poteſt de nouo eſſe alicubi, niſi mediante aliquo ad extra, cum nouitas non poſſit eſſe niſi ex parte creaturæ, & non perſonæ, & ideo cum aliquo effectu in ipſa, qui non eſt niſi gratia, vel donum, vnde neque de potentia ordinata, neque abſoluta poteſt dari Spiritus ſanctus ſine quolibet dono ſuo. q.17. diſp.1

Franc. Suar. reſp. quod non poteſt dari Spiritus ſanctus alicui creaturæ, niſi reali mutatione facta in ea, non enim per denominationem intrinſecam, ſed extrinſecam dicitur dari, & propterea ſemper requiritur gratia, per quam fiat huiuſmodi mutatio in ea. d.12. c.5.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſecundum ordinem, quem videmus non datur perſonaliter Spiritus ſanctus, niſi dignioribus creaturis, quibus quanto plura conferuntur dona, tanto capaciores, & magis idoneæ fiunt ad accipiendum Spiritum ſanctum; quoniam tamen diuina virtus non eſt limitata ad hoc, vel ad illud, quodcunque, & quomodocunque non implicat facere poteſt, ideo & perſonaliter adeſſe, & dari vnicuique creaturæ, nedum in puris naturalibus, ſed etiam in demeritis conſtitutæ; quamuis hoc tamen de facto non contingat.

Sed ſi datur Spiritus ſanctus vt ſimus Deo grati, nullus autem poteſt eſſe Deo gratus ſine gratia, & dono? Obiectio.

Reſpondetur, quod nullus poteſt eſſe Deo gratus ſine gratia, & dono, denominatione in-

Digitized by Google

intrinſeca, extrinſeca tamen, & ſola aſſiſtentia perſonali Spiritus ſancti poteſt de potentia Dei abſoluta. Ita Gregorius.

QVAESITVM IX.

An qualibet perſona diuina poſſit perſonaliter dari?

q. 37. m. 2. a. 1. ALex. reſp. quod vno modo ſumitur dari pro illabi, vel infundi, & ſic competit cuilibet diuinæ perſonæ Patri ſ. Filio, & Spiritui ſancto, alio modo prout dicit ſubauctoritatẽ cum relatione ad dantem, & ad illum, cui datur, & ſic cum importet in ſuo intellectu eſſe ab aliquo competit tantum Filio, & Spiritui ſancto, non Patri.

d. 15. q. vn. Ioan. Vigerius reſp. quod datio dicit reſpectum rationis ſine connotatione rationis productionis ad intra, & ideo quælibet perſona datur.

Reſolutio.

REſpondeo, quod ſicut dictum eſt perſonaliter dari eſt exhiberi a ſe, vel ab alio habẽte auctoritatem, vel actionem ſuper perſonam ſuam ad intimius aſſiſtendum alicui, & operandum iuxta inclinationem ſuæ naturæ, & licet non quælibet perſona poſſit exhiberi ab alia habente auctoritatem ſuper ſe, vel actionem, Pater enim ſic exhiberi non poteſt; non repugnat tamen a ſemetipſo exhiberi modo dicto, & ſic creaturæ perſonaliter dari.

Obiectio. Sed ſi miſſio eſt idem quod datio; & non quælibet perſona mittitur?

Reſpondetur, quod in miſſione ſemper importatur reſpectus, ſiue actio per modum auctoritatis, ſiue principalitatis mittentis ſuper miſſum, & ideo non quælibet perſona mittitur, quia non quælibet habet hunc reſpectum ad quamlibet; hoc autem non contingit in datione, & ideo propter hanc diuerſam rationem (quamuis quoad principale ſignificatum ſint idem) diſtinguuntur; ex quo non ſequitur, quod ſi non quælibet perſona dicatur mitti, non quælibet etiam dicatur dari.

QVÆSITVM X.

An qualibet diuina perſona poſſit dare quamlibet?

d. 15. q. 3. DVrandus reſpondet, quod quælibet perſona poteſt d re quamlibet etiam a ſe non procedentem, vnde D. Ambroſ. in lib. de Spiritu ſancto Filius (inquit) datus eſt nobis, audeo dicere a Spiritu ſancto.

Reſolutio.

REſpondeo, quod illa perſona poteſt dare aliam quandocunque habet aliquam actionem ſuper eam, licet ergo non quælibet perſona habeat actionem ſuper aliam per modum auctoritatis, vt producens, habet tamen actionem per modum amicitiæ, & conformitatis in voluntate, ſiue complacentiæ, & ſic amicabiliter quælibet perſona poteſt aliam dare.

Sed ſi actio ad intra, eſt productio, & perſona producta nullam ſic poteſt habere actionem ſuper producentem? eſt enim datio perſonæ actio ad intra; quia perſonæ. Obiectio.

Reſpondetur, quod actio hæc, eſt quidem ad intra initiatiuè, & ſecundum quid, ſed non terminatiuè, & ſimpliciter; & ideo bene poteſt eſſe ab vna perſona reſpectiuè alterius, etiam non productæ, ſed producentis, ratione termini ad extra; alio modo ſe habentis quam perſona, quæ datur.

QVÆSITVM XI.

An aliqua perſona diuina poſſit ſeipſam dare?

GVileſmus Antiſiodi. reſp. quod propriè loquẽdo dare Spiritum ſanctum non eſt dare quid, ſed conuertibile, quia cum datur Spiritus ſanctus datur eius gratia, quæ eſt quid, vnde propter hanc conuertibilitatem conceditur, quod Spiritus ſanctus dat ſe. c. 1. pr. 1. q. 2.

Albertus reſp. quod Trinitas dat ſe, ſecundum quod dare dicit poteſtatem dandi ex amore ſolo, hanc enim poteſtatem quilibet habet reſpectu ſui, in collatione ſui ei, quem amat. Et infra. Pater dat ſe, & datur a ſe, eo quod dare non dicit mittere ſecundum rationem, neque procedere; quod ſi a ſanctis non ita ponitur, ſed tantum de Filio, & Spiritu ſancto, quod dent ſe, hoc eſt, quia poſſe animarum eſt in donis intellectus, & affectus, & ita non tantum manifeſtatur pater dando ſe, ſicut Filius, & Spiritus ſanctus. d. 15. a. 11. ar. 22

D. Bonau. reſp. quod ſi dare ſumitur auctoritatiuè, nulla perſona dat ſe, quia illa perſona tantum dat, quæ producit, nulla autem producit ſeipſam; ſi verò ſumitur, pro eo, quod eſt liberaliter, ſiue ex amore communicare; ſic nulli perſonæ repugnat dare ſe, quinimo & tota Trinitas dicitur dare ſeipſam. d. 15. q. 4.

Durandus reſp. quod datio non importat d. 10. q. 11.

q.6. Ricardus reſp. quod nullus homo per modum auctoritatis poteſt dare Spiritum ſanctũ, quia nullus homo habet auctoritatẽ ſuper Spiritum ſanctum, impetrando tamen, & ſacramenta miniſtrando, poteſt.

q.4. Duran. reſp. quod vno modo poteſt dari Spiritus ſanctus, directè per modum auctoritatis, & ſic non poteſt dari ab aliqua creatura, nec in ſe, nec in donis ſuis, niſi a Deo, alio modo indirectè, & per modũ miniſterij, & hoc modo poteſt dari ab hominibus, non ſolum bonis, ſed etiam malis.

q.2. Guilel. Rubion reſp. quod nulla creatura poteſt dare Spiritum ſanctum cauſaliter, ſeu effectiuè, ſed occaſionaliter, & meritoriè; meritoriè iuſti tantum, occaſionaliter etiam iniuſti.

q.vn. Ioannes de Baſſ. reſp. quod homines quantuncunque ſancti non poſſunt dare Spiritum ſanctum auctoritatiuè, vel poteſtatiuè, ſed miniſterialiter, & impetratiuè.

d.14. q.vn. Ioannes Maior reſpondet, quod Spiritus ſanctus auctoritatiuè a tota Trinitate datur, ſed impetratoriè per preces datur a ſanctis.

§.5. Guilel. Eſtius reſp. quod homines ſancti dant Spiritum ſanctum non quaſi dominium habentes, nec ſua virtute, & auctoritate, ſed ſuo ſuffragio, & meritis; mali vero ſuo miniſterio.

q.43. a.8. Ludou. Mol. reſp. quod homines non poſſunt dare Spiritum ſanctum, vt dare importat auctoritatem ſaltem quo ad originem, comparatione eius, quod datur, cooperantur tamen ſacramenta conficiendo, & applicando, vt conferatur Spiritus ſanctus.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod dare aliquid alicui ſemper importat aliquam actionem dantis ſuper illud, quod datur, quomodocunque detur, & quoniam nulla creatura habet actionẽ ſuper Spiritum ſanctum, neque ſuper dona eius, quoniam virtus creaturæ finita eſt, habere autem actionẽ ſuper huiuſmodi eſt virtutis infinitæ, ideo nulla creatura propriè loquendo poteſt dare Spiritum ſanctũ, aut dona eius, quod eſt ipſum dare in donis ſuis.

Obiectio. Sed ſi introducitur gratia, & datur Spiritus ſanctus in remiſſione peccatorum, poſſunt autem miniſtri Eccleſiæ remittere peccata?

Reſpondetur, quod in remiſſione peccatorum introducitur gratia, & datur Spiritus ſanctus non quidem a miniſtris eccleſiæ, a quibus remittuntur peccata, ſed ab eo cuius ordinatione, & auctoritate remittuntur peccata, dedit enim Deus auctoritatem, & poteſtatem hominibus dimittendi peccata, ad quam remiſſionem infallibiliter datur Spiritus ſanctus.

DISTINCTIO DECIMAQVINTA.

Hic conſiderandum eſt, cum Spiritus ſanctus detur hominibus a Patre, & Filio, &c.

QVÆSITVM I.

An ſit aliqua perſona in diuinis quæ mittat, aliqua verò, quæ mittatur?

D. Thomas reſp. quod mitti duas habitudines importat in miſſo, vnam ad mittentem, & alteram ad terminum, per nouum modum eſſendi in eo; cum itaque ſint aliquæ perſonæ diuinæ, quæ vtrãque habitudinem habent, ad mittentem 1, quia procedunt ab alio, & ad terminum, quia nouo modo eſſe incipiunt in creatura, quæ ſunt Filius, & Spiritus ſanctus, propterea & his conuenit mitti, ſicut & illi, a qua procedunt conuenit mittere. Item Molina. p.p. q.43. a.1.

D. Bonau. reſp. quod aliquid dicitur mitti per comparationem ad id, a quo mittitur tripliciter, vel vt a dante eſſe, ſicut radius a Sole, vel vt a dante virtutem, ſicut iaculum a proiectore, vel vt a dante auctoritatem, ſicut nuntius a rege; per comparationem etiam ad terminum dicitur mitti tripliciter, vel ad inhabitandum, vel ad poſſidendum, vel ad operandum; & quoniam in diuinis eſt aliqua perſona, quæ habet eſſe ab alia, virtutem, & operationem, & datur creaturæ ad inhabitandum, ad poſſidendum, & ad operandũ; idcirco eſt aliqua perſona in diuinis, quæ mittitur, & aliqua, quæ mittit. d.15. q.1.

Aegidius reſp. quod miſſio dicitur per comparationem ad locum, & quoniam corporalia ſunt in loco per quantitatem dimenſiuam, ideo tunc mitti dicuntur, quando localiter mouentur, & loco continentur; ſpiritualia verò, quia non ſunt in loco, niſi per quantitatem virtualem, tunc mitti dicuntur, quando in aliquo operantur, vel vbi prius non operabantur, vel qualiter non operabantur, & quoniam eſt aliqua perſona diuina, quæ aliquando operatur alicubi, qualiter prius non operabatur, ideo eſt aliqua perſona, quæ mittitur in diuinis, & aliqua, quæ mittit. d.15. q.1.

Ricardus reſp. quod mitti non eſt aliud in diuinis, quam emanare perſonam a perſona, & manifeſtari per aliquod donum ſibi appro- q.3.

 pria-

priatum actu, vel habitu, & quoniam eſt in diuinis aliqua perſona, quæ emanat ab alia, & manifeſtatur ſic per aliquem ſuum effectum, vt Filius, & Spiritus ſanctus, ideo eſt aliqua perſona, quæ mittitur in diuinis, & aliqua, quæ mittit.

d.14. et 15. Ioannes Scotus reſp. quod mitti eſt manifeſtari perſonam procedere, vt dicit D. Aug. & quoniam aliqua perſona diuina procedit, & manifeſtatur procedere, ideo aliqua perſona mittitur.

d.15. q.1. Herueus reſp. quod illud poteſt dici mitti, quod eſt ab aliquo mittente diſtinctum, & accipit a mittente, quod poteſt eſſe ibi, vbi non erat, vel nouo modo, vbi prius erat, & facere ibi effectum nouum, & quoniam hoc totum poteſt conuenire vni perſonæ reſpectu alterius, vna enim perſona eſt diſtincta ab alia, & virtutem accipit a mittente, per quam poſſit eſſe nouo modo, vbi prius non erat, & facere nouum effectum, ideo aliqua perſona poteſt mitti, & aliqua mittere.

q.1. Durandus reſp. quod ideo aliqua perſona mittitur in diuinis, quia eſt aliqua perſona exiens a perſona ſecundum originem, accipiens eandem virtutem, ad ſanctificandam creaturam, & hoc eſt, quod importat mitti.

a.1. Petrus Aur. reſp. quod Filius mittitur a Patre, quia verbum eſt, vt hominem erudiat, nam eruditio veritatis fit per verbum, & hãc auctoritatem habet a Patre; Spiritus ſanctus verò mittitur a Patre, & Filio, quando Pater, & Filius determinant Spiritum ſanctũ ſuper animam, vt amoroſè moueatur in Deum, qui communicando naturam ei, communicant etiam hanc proprietatem, quia producunt per impulſũ amoris: Eſt ergo aliqua perſona quæ mittitur in diuinis, & aliqua, quæ mittit.

q.vn. Guilel. Occham reſp. quod mitti eſt perſonam aliquam ab alia productam per nouã exiſtentiam in aliqua creatura rationali ſecũdum determinatum modum exiſtendi in ea manifeſtari produci; & quoniam aliqua perſona producitur, & ſic manifeſtatur, ideo & mittitur. Item Petrus Aliacenſis.

q.1. a.1. Thomas ab Argentina reſp. quod vbicunque ſunt plures perſonæ, quarum vna habet virtutem, & auctoritatem ab alia, ibi eſt miſſio, quæ enim dat alteri auctoritatem poteſt eam mittere; & quoniam Filius habet auctoritatem, & virtutem a Patre, & Spiritus ſanctus ab vtroque, ideo verè dicuntur mitti; & Pater mittere. Item Marſilius.

q.vn. a.1. Gerardus reſp. quod ad hoc quod aliqua perſona mittatur ab aliqua, ex parte mittentis requiritur auctoritatis collatio, ex parte termini operis executio, hæc enim competunt miſſioni ſecundum ſe, & quoniam in diuinis eſt aliqua perſona, quæ ſicut habet eſſe per originem ab alia, ita & auctoritatem, & operis executionem in termino, ad quem mittitur .ſ. creaturæ ſanctificationem, ideo eſt in diuinis aliqua perſona, quæ mittit, & aliqua, quæ mittitur.

Franc. a Chriſto reſp. quod miſſio diuina eſt proceſſio perſonæ a perſona ad ſanctificãdam creaturam accepta pari virtute, & poteſtate, citra omnem ſeparationem, & localẽ mutationem; ex quo miſſio declarat tum originem, tum acceptionem quandam poteſtatis, & virtutis, & quoniam eſt aliqua perſona, quæ ducit originem ab altera, a qua accipit parem poteſtatem, & virtutem, igitur illa poteſt mitti, & altera mittere. d.16. q.4.

Gregorius de Val. reſp. quod hoc ipſo, quod perſona procedens, habet entitatem eſſentiæ diuinæ a perſona producente, habet etiam ab eadem perſona; vt efficiat in creatura quicquid efficit; nam illud etiam efficit per illam ipſam entitatem, quam accepit a perſona producente, vt ſit illo modo peculiari in creatura .ſ. per operationem, & ita nihil deeſt, quo minus dicatur perſona a producente mitti, quod ex vi ſuæ proceſſionis ſecundum originem habet hoc modo. q.17. diſp.2

Reſolutio.

RESpondeo, quod mittere eſt dare modũ, & rationem alicui, vt ad aliquem locũ ſe conferat, ſiue ad aliquas perſonas, ibique ſit, ac operetur, ſiue ſi aliquid diuinum eſt, nouo modo ſit, ac nouo modo operetur; accipere autem hunc modum, ſiue hanc rationem, & venire, intuitu tamen receſſus, ſortito fine, dicitur mitti, ac poſtquam venerit, quæcunque perſona illa ſit, dicitur miſſa; & quoniam frequenter legimus in ſcripturis ſacris, hanc rationem, hunc modum, hunc ordinem datum, & acceptum inter diuinas perſonas, ideo eſt aliqua perſona diuina, quæ mittit, & aliqua, quæ mittitur.

Sed ſi quod mittitur ſeparatur a mittente, ſubijcitur ei, ac mutatur? hæ enim ſunt conditiones eius, quod mittitur. Obiectio.

Reſpondetur, quod in iſtis inferioribus, quod mittitur ſeparatur a mittente propter diſtantiam termini ad illud, quod mittit, ſubijcitur ei propter differentiam mittentis ad id, quod mittitur, & mutatur propter diſtantiam eius, quod mittitur ad terminum, non autem ſic in diuinis, loco quarum conditionum ſunt iſtæ, emanatio, ſubauctoritas,

&

Digitized by Google

& productio noui effectus. Ita D. Bonau. Aegidius, Ricardus, & Durandus.

QVÆSITVM II.

An qualibet perſona poſſit mittere?

p.p. q.43. a.8. D. Thomas reſp. quod ſi verbum mittere, aut participium mittens dicit principium perſonæ, quæ mittitur, ſola illa perſona mittit, quæ eſt principium alterius; ſi verò mittere, ſeu mittens non dicit principium perſonæ, ſed effectum, ſecundum quem attenditur miſſio, quælibet perſona poteſt mittere.

p.1. q.4. D. Bonau. reſp. quod in miſſione importantur duo, emanatio perſonæ miſſæ, & manifeſtatio perſonæ mittentis, ad hoc enim quod aliqua perſona dicatur aliam mittere ſufficit, quod manifeſtet emanantem, ſed inter diuinas perſonas duæ ſolum ſunt emanantes, Filius .ſ. & Spiritus ſanctus; ideo illa perſona dicitur mittere, quæ poteſt manifeſtare Filium, & Spiritum ſanctum, & quoniã quælibet perſona hoc poteſt, ideo quælibet perſona poteſt mittere.

pr.2 q.2. Aegidius reſp. quod vna perſona poteſt mittere aliam dupliciter, vel quia habet auctoritatem ſuper illam, vel quia efficit opus, per quod conſurgit reſpectus mittentis ad miſſam; licet ergo non quælibet perſona habeat auctoritatem ſuper aliam, nam Spiritus ſanctus non habet auctoritatem ſuper Filium, quia tamen efficit opus talis miſſionis, cum ſint indiuiſa opera Trinitatis ad extra, ideo dicitur mittere ipſum, & ſic quælibet perſona poteſt aliam mittere.

q.6. Ricardus reſp. quod quælibet diuina perſona dicitur mittere, Pater, & Filius Spiritum ſanctum, quia ab ipſis emanat, Spiritus ſanctus verò Filium, quia ille effectus, per quem Filius manifeſtatur, eſt a Spiritu ſãcto.

d.14. Ioannes Scotus reſp. quod ideo quælibet perſona poteſt aliam mittere, quia poteſt manifeſtare procedentem procedere, hoc eſt enim mittere, quod manifeſtare perſonã procedere. Item Guilelmus Varrillong, & Nicol. de Niſſe.

q.2. Herueus reſp. quod ad hoc quod vna perſona dicatur verè mittere, ſufficit quod faciat ipſam perſonam miſſam eſſe nouo modo in aliquo, faciendo nouum effectum, ex quo conſurgit noua relatio in perſona miſſa, & hoc modo quælibet perſona dicitur mittere.

q.3. Durandus reſp. quod illa ſola perſona mittit, quæ dat originem, auctoritatem, & virtutem alteri; quoniam ergo eſt Spiritus ſanctus, qui nulli dat originem, nec conſequenter auctoritatem, & virtutem, ideo nec dicitur mittere, & ſic non quælibet perſona mittit.

Petrus Aur. reſp. quod ſi mittere ſumitur pro communicare auctoritatem, & delegare, Pater mittit Filium, & ambo Spiritum ſanctum; ſed ſi accipiatur pro deſtinatione miſſi ad vſum auctoritatis, ſic etiam competit Spiritui ſancto mittere Filium, & ita quælibet perſona mittit. a.1.

Guilel. Occham reſp. quod difficultas eſt de ſignificatis vocabulorum, quibus vtendum eſt, ſicut vtuntur doctores, & quoniam D. Auguſ. & Magiſter vtuntur hoc vocabulo mittere, prout eſt commune tribus perſonis, ideo tenendum eſt, quod mittere conueniat omnibus perſonis. q.vii.

Thomas ab Argentina reſp. quod quælibet perſona dicitur mittere, aliter tamen, & aliter, nam Pater quia producit Filium, & Spiritũ S. & Filius Spiritũ S. perſonaliter, & auctoritatiuè mittunt ſingulæ illam perſonam, quã producunt, Spiritus ſanctus verò cum nullam perſonam producat, non niſi conſequenter, & determinatiuè dicitur mittere illam perſonam, quæ ab alio perſonaliter mittitur .ſ. Filium, non ipſi dando aliquam virtutem, & poteſtatem, ſed tantum concurrendo ad executionem talis miſſionis, quæ eſt ſanctificatio creaturæ, eſt enim miſſio opus diuinitatis ad extra, talia autem opera ſunt indiuiſa. Item Alphonſus Toletanus. q.vii. a.3.

Ioannes Capreol. reſp. quod mittere propriè conuenit Patri, & Filio, ſed minus propriè etiam Spiritui ſancto. q.1 a.4.

Marſilius reſp. quod mittere principaliter dicit effectum in creatura, quicquid autem principaliter dicit effectum in creatura, hoc conuenit cuilibet diuinæ perſonæ, ſaltem determinatiuè, ſicut Spiritus ſanctus dicitur mittere Filium. q.18. a.2.

Laur. Opim. reſp. quod omnem actuationem, & mutationem cuiuſcunque entis creati Trinitas inſeparabiliter operatur; ſed Spiritus ſancti miſſio temporalis ad mentem eſt ipſam creaturam actuari gratificè per donum creatum; igitur illam tota Trinitas inſeparabiliter operatur. d.14.

Nicolaus de Orb reſp. quod cum opera Trinitatis ad extra ſint indiuiſa mittere conuenit omnibus diuinis perſonis. q.1.

Ioan. a Cel reſp. quod Pater poteſt quamlibet perſonam mittere, quia quamlibet producit, & dat creaturæ rationali, Filius Spiritum ſanctum, quia ſimiliter ipſum producit, q.vii.

& dat creaturæ; Spiritus ſanctus autem nullam mittit, quia nullam producit; quamuis dicatur Filium mittere inquantum hominem. Item Antonius Andreas, & Guil. Eſtius.

d. 16. q. 5. Franc. a Chriſto reſp. quod ſi mittere ſumitur pro datione, ſiue communicatione, aut manifeſtatione perſonæ, ſiue pro effectus cauſatione, ſic competit cuilibet perſonæ, & ſic Spiritus ſanctus mittit Filium; ſi verò ſumitur propriè, vt idem ſignificet mittere, quod auctoritatem dare, ſiue effectum cauſare interuentu perſonæ a mittente procedẽtis, ſic nulla perſona mittit aliam, quæ ab ipſa non procedit, & hoc modo Spiritus ſanctus non mittit Filium.

l. 12. de tr. c. 3. Franc. Suar. reſp. quod Pater tantum, & Filius poſſunt mittere, non Spiritus ſanctus, & ratio eſt, quia Pater tantum, & Filius producunt, eſt autem mittere dare virtutem, & inclinationem alteri perſonæ eundi aliquo, eo modo, quo ire poteſt, per operationem, vel aliam vnionem ad aliquam creaturam; quod facere non poteſt niſi perſona producens in ordine ad eam, quam producit, quia reſpectu alterius non habet eam auctoritatem, vel habitudinem, quam verbum mittendi importat.

Reſolutio.

RESpondeo, quod licet ſit difficile intellectu, quod quælibet perſona mittat, quia ſic oportet concedere, quod Spiritus ſanctus mittat Filium, a quo tamen mittitur, & ſuper quem nullam actionem habet, & auctoritatem, nihilominus hoc, neque incongruum eſt, neque impoſſibile, quandoquidem ſicut in creaturis videmus, vna perſona ob conuenientiam voluntatis cum altera ad aliquid efficiendum amicabiliter ipſam poteſt mittere, & deſignare ad illud, etiamſi nullam ei conferat auctoritatem, & virtutẽ, & hoc modo frater fratrem, & amicus amicum mittit, & quoniam eandem voluntatem habet Spiritus ſanctus, quam habet Pater in mittendo Filium, idcirco non eſt incongruũ dicere, ipſum etiam amicabiliter mittere.

Obiectio. Sed ſi eandem conuenientiam voluntatis, & amicabilitatem habet Spiritus ſanctus cũ Patre, quam habet cum Filio?

Reſpondetur, quod Filio conuenit mitti, non Patri, a quo omnes diuinæ perſonæ accipiunt; & ideo bene Spiritus ſanctus poteſt amicabiliter, & ipſe cum Patre mittere Filium, quia mittitur a Patre; ſed non Patrem, qui a nullo mittitur; vnde propter huiuſmodi conuenientiam voluntatis, & amicabilitatem, non ſequitur, quod habeat actionem aliquam in Patrem, quæ repugnet Patri.

QVÆSITVM III.

An quælibet perſona poſſit mitti?

ALex. reſp. quod mitti in intellectu ſuo importat eſſe ab alio, & ideo Filius tantum, & Spiritus ſanctus dicuntur mitti, non Pater, quia non eſt ab alio, cum enim Filius, & Spiritus ſanctus dicuntur mitti, ſignificatur ipſos aliquid efficere, per quod cognoſcantur eſſe ab alio. Item Albertus diſ. 14. ar. 13. & diſ. 16. ar. 1. Pater (inquit) apparere poteſt, ſed non mitti. q. 73. m. 2. a. 1.

D. Thomas reſp. quod miſſio in diuinis importat proceſſionem ab alio ſecundum originem, quia ergo Pater non eſt ab alio ſecundum originem, propterea ei non conuenit mitti. d. 15. q. 2.

D. Bonau. reſp. quod non quælibet perſona mittitur; primò, quia miſſio ſemper habet duo ex ſuo intellectu, emanationem .ſ. & manifeſtationem per effectum, in diuinis autem non quælibet perſona emanat; ſecundò, quia ſicut omne mobile reducitur ad immobile, ita miſſibile ad immiſſibile, vnde cum in diuinis ſit aliqua perſona miſſibilis, igitur & eſt aliqua immiſſibilis; tertiò, quia mitti (ſicut dicit D. Auguſtinus) eſt cognoſci eſſe ab alio, cum igitur ſit aliqua perſona quæ cognoſcitur eſſe non ab alio, igitur & aliqua, quæ non mittitur. Item Ricardus. q. 3.

Aegidius reſp. quod eſt aliqua perſona diuina, quæ cum ab alia non accipiat virtutem operandi, quia ab alia non procedit per ipſam nulla alia operatur; non enim perſona operatur per aliam perſonam, quam per illam, cui dat virtutem operandi, & quoniam tunc perſona dicitur mitti, quando per ipſam alia operatur, ideo eſt aliqua perſona, quæ nunquam mittitur. pr. 2 q. 1.

Ioannes Scotus reſp. quod (ſicut dictum eſt) mitti eſt manifeſtari perſonam procedere, & quoniam non quælibet perſona procedit, ideo nec quælibet mittitur. Item Nicolaus de Orbellis. d. 14. & 15

Guilel. Occham reſp. quod verbum hoc mitti eſt impoſitum, vt importet reſpectum realem productionis ad aliquam perſonam mittentem, hunc autem reſpectum non habet quælibet perſona diuina, vt Pater; & ideo non quælibet mittitur. q. vn.

Tho. ab Arg. reſp. quod eſt in diuinis perſona Patris, quæ cum habeat in ſe auctori- q. vn. a. 4.

ta-

Digitized by Google

tatem vniuerſalis principij, non mittitur; quod ſi mitteretur, vel mitteretur principaliter, vel conſequenter, non principaliter, quia non habet poteſtatem ab alio, non conſequenter, ſeu determinatiuè, quia hæc miſſio præſupponit primam, eadem enim perſona, quæ mittitur determinatiuè, etiam mittitur ab aliqua auctoritatiuè.

d.14. q.2. Guilel. Rubion reſp. quod miſſio perſonæ diuinæ, vt a ſanctis accipitur præter manifeſtationem includit, & exigit, quod perſona miſſa, ſeu manifeſtata ſit producta, & propterea ſoli Filio, & Spiritui ſancto conuenit mitti, non Patri.

q.vn. Ioann. de Baſſ. reſp. quod mitti dicit reſpectum rationis, qui eſt reſpectus manifeſtati per effectum, reſpectu manifeſtantis actiuè, cauſando effectum, vel etiam ad ipſum effectum, qui manifeſtat obiectiuè aliquo modo, quaſi ſpeculum, & connotat in perſona miſſa, quod producatur ab aliqua alia, & ideo eſt quid notionale conueniens tantum Filio, & Spiritui ſancto.

d.14. Laur. Opimus reſp. quod licet Pater, & Filius veniant ad mentem per auctoritatem, & poteſtatem, quia nobis mittunt Spiritum ſanctum, ſoli tamen Spiritui ſancto conuenit mitti appropriatè per modum charitatis, & doni, quia nulla alia perſona procedit, vt amor, & donum.

p.2. q.1. Nicolaus de Nijſe reſp. quod mitti de ſuo principali ſignificato dicit habitudinem ab hoc in illud, & ita duplicem reſpectum, rationis, videlicet ad perſonam mittentem, & ad creaturam, cui mittitur diuina perſona, connotat verò reſpectum realem proceſſionis æternæ ad perſonam, a qua procedit, non inquantum ipſa eſt mittens, ſed producens, & quoniam huiuſmodi reſpectum non habent niſi Filius, & Spiritus ſanctus; ideo his ſolis duabus perſonis conuenit mitti.

d.14. q.vn. Ioan. Maior reſp. quod mitti eſt perſonam ab alia productam deſtinari per ſpecialem exiſtentiam in creaturam rationalem ad ipſam ſanctificandam, & ideo duæ tantum perſonæ mittuntur Filius .ſ. & Spiritus ſanctus, quia hæ duæ tantum producuntur.

d.14. Ant. Andr. reſp. quod nec perſona non producta mittitur, vt Pater; nec non producens mittit, vt Spiritus ſanctus. Item Ioannes a Celaia.

d.13. q.2. a.3. Guilel. Varill. reſp. quod mitti tria importat, vnum, quod eſt principale ſignificatum .ſ. manifeſtationem, proceſſionem, & reſpectum ad mittentem, quæ ſunt duo connotata, & propterea Filio tantum, & Spiritui ſancto conuenit mitti, quia hæ ſolæ duæ perſonæ procedunt, & habent reſpectum, Filius ad Patrem, & Spiritus ſanctus ad Patrem, & Filium.

Franc. Suar. reſp. quod mitti non eſt aliud quam procedere cum relatione ad terminũ, ad quem mitti dicitur; cum igitur non quælibet perſona procedat, non quælibet poteſt mitti. *li.12. de tr. c.2.*

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut illa perſona in diuinis dicitur mittere, quæ dat alteri modum, & rationem, qua nouo modo incipiat eſſe in aliqua creatura, & nouo modo operari; ita illa mitti dicitur, quæ accipit hunc modum, hanc rationem, vt.ſ. nouo modo incipiat eſſe, nouoque modo operetur; & quoniam in diuinis non quælibet perſona accipit a perſona, nam Pater cum ſit principium in tota diuinitate, a nulla perſona accipit, ideo mitti non poteſt.

Sed ſi Filius nihil accipit a Spiritu ſancto, & tamen mittitur ab eo? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod ad hoc, vt vna perſona mitti poſſit ab alia per modum amicabilitatis, non eſt neceſſarium, quod accipiat ab ea, ſed ſufficit, quod accipiat ab altera, vt inde hæc, a qua non accipit amicabiliter cõcurrat in hac miſſione cum illa, a qua accipit.

QVÆSITVM IV.

An poſſit aliqua perſona mittere ſeipſam?

GVilelmus Antiſiod. reſp. quod hæc eſt propoſitio falſa, Spiritus ſanctus mittit ſe, quia hoc verbum mittitur importat ſubauctoritatem, & reſpectum miſſi ad mittentem, Spiritus ſanctus autem non habet ſubauctoritatem ad ſeipſum, neque auctoritatem ad ſe, inde non mittit ſe; hæc autem eſt vera, Filius mittit ſe, quia ſecundum quod Deus habet auctoritatem ad ſe hominem. *c.7. q.2. pr.3*

Alex. Alenſ. reſp. quod cum dicitur aliqua perſona mittit ſe, tria intelliguntur ibi, perſona mittens, actio, & effectus in creatura, & ratione huius dicitur perſona aliquando mittere ſeipſam. *q.72. m.2.*

Albertus reſp. quod hæc propoſitio non eſt concedenda, Trinitas mittit ſe, quia Trinitas non eſt ab alia; hæc autem concedi poteſt, Spiritus ſanctus mittit ſe, quia ſenſus eſt, quod a Spiritus collatione, in qua Spiritus *d.15. a.1. & 12*

Digitized by Google

tus ſanctus dat ſe, eſt effectus, in quo cognoſcitur, quod ab alio ſit.

d.15. q.3. a.1. D. Thomas reſp. quod licet aliqua perſona non ſit a ſeipſa, quia tamen eſt ab alia, & vt ab alia exiſtentem poteſt ſe facere eſſe in aliquo ſecundum nouam habitudinem eſſendi in eo, ideo ſecundum hunc ſenſum poteſt dici mittere ſeipſam.

p.1. q.4. D. Bonau. reſp. quod miſſio dicit manifeſtationem emanantis perſonæ, & ideo quælibet perſona emanans, inquantum manifeſtat ſe propriè dicitur mittere, ſed non ita propriè, vt dicitur mittere aliam.

pr.1 q.3. Aegidius reſp. quod aliqua perſona ſeipſã mittit,quia Filius mittit ſe, nam cum ſit cauſa operis eſt etiam cauſa relationis, ex qua terminatur reſpectus ad ipſum, & ad Patrem, per quem ipſe dicitur mitti, Pater verò mittere, & ideo facit ad hoc, quod Pater eum mittat, ipſe verò mittatur, & quoniam facere quod aliquis aliquem mittat, & quod aliquis mittatur ab aliquo eſt mittere illum, qui mittitur, propterea ipſe ſeipſum mittit; quod verò Pater non ſeipſum mittat, ratio eſt, quia cum ſit cauſa eiuſdem operis, & relationis facit ad hoc, quod mittatur Filius, & quod etiam ipſe mittat eundem. & quoniam facere quod aliquis aliquem mittat non eſt mittere mittentem, idcirco non ſeipſum mittit.

q.5. Ricardus reſp. quod mittere eſt perſonam emanantem per aliquem effectum ſibi appropriatum manifeſtare, & ſecundum quid, vel ſimpliciter dare, aut haberi oſtendere;& quoniam Spiritus ſanctus per aliquem effectum ſibi appropriatum actu,vel habitu manifeſtat ſe, & dat, & haberi oſtendit, igitur mittit ſe.

q.2. Herueus reſp. quod accipiẽdo mittere pro eo, quod eſt facere perſonam eſſe ab alia in aliqua creatura, perſona poteſt mittere ſeipſam, & hoc eſt mittere largè, .ſ. facere ad hoc, quod ſit ab alia perſona in creatura; ſed accipiendo mittere pro eo, quod eſt facere perſonam a ſe exiſtentem eſſe nouo modo in aliqua creatura, quod eſt mittere ſtrictè, ſic nulla perſona mittit ſe.

q.5. Durandus reſp. quod cum ſit neceſſe perſonam, quæ mittitur originari ab illa, quæ mittit; nulla autem perſona trahat originem a ſeipſa, ideo nulla perſona ſeipſam mittit. Item Franciſcus Suarez.

q.vn. a.5. Thomas ab Argentina reſp. quod ſicut quando totum capitulum mittit vniformiter vnum, qui eſt de corpore capituli miſſus dicitur mittere ſeipſum, ſic perſona diuina miſſa ab alia principaliter, & auctoritatiuè mittit ſeipſam conſequenter, & determinatiuè. Item Marſilius Inguen.

q.vn. a.3. Gerardus reſp. quod tria ſunt conſideranda in perſona mittente, auctoritatis plenitudo, auctoritatis collatio, & collatæ auctoritatis manifeſtatio, quantum ergo ad plenitudinem auctoritatis, cum hæc eadem ſit in mittente, & miſſa, poteſt dici, quod perſona mittit ſeipſam, quantum autem ad collationem auctoritatis, non poteſt hoc dici, quia nulla perſona confert ſibi auctoritatem, quantum verò ad manifeſtationem collatæ auctoritatis, ſic etiam aliqua perſona poteſt dici mittere ſeipſam, nam talis manifeſtatio fit per nouum effectum ſanctificationis, qui quamuis ſit appropriatus perſonæ miſſæ, eſt tamen a tota Trinitate.

q.vn. Gabriel Biel reſp. quod perſona producta poteſt de nouo exiſtere in creatura rationali ſecundum nouum modum exiſtendi in ea, & in ea aliquid operari, vnde manifeſtetur, & ſic mittere ſeipſam.

d.14. Laur. Opimus reſp. quod Spiritus ſanctus æternaliter procedendo accepit, vt ſe mitteret, & poſſet mitti, Pater autem non mittit ſe, quia habet rationem principij, & non ab alio.

d.14. Michael de Palatio reſp. quod nulla perſona mittit ſe,quia nulla perſona a ſe originẽ habet; excepta Filij perſona, quæ cum conſtet gemina natura, ſe, vt Deus, hominem miſit; vnde dicere Spiritum ſanctum mittere ſe, eſt abuſus, & non proprietas ſermonis; niſi tamen ſub hoc ſenſu, quia .ſ. ſua ſponte, non aliunde motus, ſanctificat humana corda;qui fortè (inquit) fuit ſenſus Magiſtri.

d.16. q.5. Franc. a Chriſto reſp. quod ſi mittere accipitur pro datione, ſiue communicatione, ſiue manifeſtatione perſonæ, ſiue effectus cauſatione, ſic perſona mittit ſe; ſi verò accipitur propriè, vt idem ſignificet mittere, quod auctoritatem dare, ſiue effectum cauſare interuentu perſonæ a mittente procedentis, ſic nulla perſona mittit ſeipſam.

q.43. a.8. Ludouicus Molina reſp. quod ratione effectus ad extra perſona, quæ mittitur poteſt mitti a ſe, licet minus propriè, vt Filius a ſe & a Spiritu ſancto, opera enim Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa.

Reſolutio.

RESpondeo quod cũ diuina perſona propter ſuam illimitationem poſſit per ſe, & immediatè operari in pluribus creaturis, & locis,& eſſe ſimiliter in ſua immenſitate,& infinitate,non eſt difficile intelligere quomodo,& qualiter poſſit mittere ſeipſam ad operan-

Digitized by Google

randũ .ſ. & eſſe in hoc loco, in quo prius non ſic operabatur, & erat. Quod autem hoc fieri poſſit ex conformitate voluntatis, & idẽtitate poteſtatis perſonæ mittentis, & miſſæ faciliter deducitur; nam Filius habet eandem poteſtatem, & voluntatem cum patre, qui mittit. Quod verò id fiat probat Magiſter, quia communis eſt, & indiuiſa operatio triũ perſonarum, quæ ergo perſona diuina mittitur ab alia, ipſa quoque cum mittitur mittit ſeipſam.

Obiectio. Sed ſi nulla perſona refertur ad ſeipſam, nec ſimiliter diſtinguitur a ſe? mittens autem, nedum refertur ad miſſum, ſed etiam diſtinguitur ab eo.

Reſpondetur, quod nulla perſona refertur ad ſeipſam relatione reali, ſed bene ſecundum rationem, & hoc ſufficit, vt poſſit ſeipſam mittere. Ita Ricardus; Et ſimiliter. Mittens diſtinguitur a miſſo non ſemper diſtinctione reali, ſed quandoque diſtinctione tantum rationis. Ita D. Bonauentura.

QVÆSITVM V.

An vna perſona mitti poſſit ſine alia?

q. 73. m. 2. a. 3. ALex. reſp. quod licet aliquando contingat vnam perſonã ſimul cum alia mitti, non tamen ſemper eſt neceſſe, nam miſſio Filij, & miſſio Spiritus ſancti ſunt differentes miſſiones, quarum vna non depẽdet ab altera, dicuntur enim perſonæ mitti ratione effectuum ſibi appropriatorum; cum itaque vnus effectus poſſit eſſe ſine alio, ita & miſſio.

d. 15. q. 1. a. 2. D. Thomas reſp. quod amor notitiam ſequitur, & notitia perfecta, ſecundum quam eſt miſſio Filij ſemper inducit amorem, & ideo miſſio Filij ſine miſſione Spiritus ſancti eſſe non poteſt.

p. p. q. 43. a. 5. Et iterum reſp. quod miſſio Filij non poteſt eſſe ſine miſſione Spiritus ſancti, quia neutra eſt ſine gratia gratum faciente, nec vna perſona ſeparatur ab alia.

p. 2. q. 2. D. Bonau. reſp. quod cum Filius, & Spiritus ſanctus mittantur ſecundum quod conferuntur dona ſua, talia dona poſſunt conſiderari tripliciter, quantum ad radicem, quantum ad habitum, & quantum ad actum conſequentem; primo modo, quoniam eſt vnum donum .ſ. gratia gratum faciens, quæ eſt radix omnium donorum gratuitorum, per quã inhabitant Filius, & Spiritus ſanctus, ſic non mittitur vnus ſine altero; ſecundo modo, ſic eſt diſtinguendum, quia quidam habitus ſunt pure affectiui, quidam cognitiui, quidam medij; in purè affectiuis ſolus Spiritus ſanctus mittitur, in purè cognitiuis nec Filius, nec Spiritus ſanctus propriè mittitur, in medijs verò vterque; tertio modo, quantum ad actus conſequentes, qui ſunt illuminatio intellectus, & inflammatio affectus, quoniam iſta ſunt coniuncta, ideo & perſonæ inſeparabiliter mittuntur.

Aegidius reſp. quod Filius ſine Spiritu sãcto mitti non poteſt, tunc enim mittitur Filius, cum cognoſcimus Deum, vt vltimum noſtrum finem, propter quem omnia operamur; non poſſumus autem ſic cognoſcere ſine dilectione; in dilectione autem mittitur Spiritus ſanctus, & ſic non mittitur Filius ſine Spiritu ſancto, nec ſimiliter Spiritus ſanctus ſine Filio, nam non mittitur Spiritus ſanctus ſine donis perficientibus intellectum, dicitur enim quod Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum; ſed in huiuſmodi donis mittitur Filius; igitur non poteſt mitti Spiritus ſanctus ſine Filio; ac proinde inſeparabiliter ſe habent Filius, & Spiritus ſanctus in mittẽdo. pr. 2. q. 2.

Ricardus reſp. quod in miſſione impropriè dicta, quæ eſt ſecundum dona gratiæ gratis datæ aliquando vna perſona mittitur ſine alia; nunquam autem in miſſione propriè dicta, quæ eſt ſecundum dona gratiæ gratum facientis; talis enim miſſio ſemper eſt cum charitate, quæ appropriatur Spiritui ſancto, & cum charitate ſemper etiam infunditur aliquis habitus illuminatiuus, vel ſaltẽ eius augmentum, qui appropriatur Filio, & ideo non poteſt mitti Spiritus ſanctus ſine Filio, & ſimiliter quia ſapientia, in qua datur Filius non eſt ſine gratia, in qua datur Spiritus ſanctus, non poteſt dari Filius ſine Spiritu ſancto. d. 15. q. 2.

Gerandus reſp. quod cum mittitur vna perſona mittitur ad ſanctificandam creaturã rationalem, ſanctificari autem non poteſt ſine dono intellectus, & dono voluntatis, in dono autem intellectus mittitur Filius, & in dono volũtatis Spũs ſanctus; igitur vnus eorũ ſine altero mitti non poteſt; & ſimiliter non poteſt creatura rationalis amari a Filio, & non amari a Spiritu ſancto, nec ipſa creatura amare vnum ſine altero, igitur nec ſanctificari ab vno, quin ſanctificetur ab altero, amat enim creaturam diuina perſona, & amatur ab ea, cum ipſam ſanctificat; at talis ſanctificatio fit per miſſionem perſonæ, igitur vna non poteſt mitti ſine altera. q. vn. a. 4.

Guilelmus Rubion. reſp. quod ſecundum miſſionem viſibilem vna perſona poteſt mitti q. 1.

ti · ſine alia, ſecundum vero inuiſibilem, licet hoc ſit de poſſibili, non tamen communiter fit de facto, cuius enim intellectũ Deus illuminat per ſapientiam, in qua mittit Filiũ, etiam affectum inflammat per gratiam, in qua mittit Spiritum ſanctum, & econuerſò.

q.18. a.2. Marſilius reſp. quod nulla perſona inuiſibiliter mittitur quin omnes dentur, ſiue quin omnes veniant ad eum, ad quem illa mittitur, nũquam enim aliqua earum mittitur, ſine gratia gratum faciente, & in quo eſt gratia, in eodem quoque ſunt omnes perſonæ.

q.17. diſp.2 Greg. de Val. reſp. quod ſecundum nouũ modum exiſtendi per actionem ad extra, impoſſibile eſt vnam perſonam mitti ad creaturam ſine alia, ſicut impoſſibile eſt vnum effectum prodire ab vna perſona ſine alia, cum actio, per quam effectus producitur ſit communis cuilibet perſonæ.

li.12 de tr. c.5. Franc. Suar. reſp. quod vna perſona ex procedentibus non poteſt mitti ſine alia; primò, quia non mittuntur per illa dona niſi vt connexa ſunt cum gratia ſanctificante, & ſic non ſeparantur; ſecundò, quia quodlibet donum eſt ab vtraque perſona, & ratione illius vtraque eſt nouo modo in creatura.

diſp. 169. Gabriel Vaſq. reſp. quod cum vna perſona ſola incipit manifeſtari ſine alia, illa ſola dicitur mitti, vt Filius in incarnatione, Spiritus ſanctus in columba, quia peculiari modo tunc incipit eſſe vna perſona in creatura, quo non eſt alia, per effectus autem gratiæ, quibus Trinitas incipit eſſe nouo modo in creatura, vna perſona non mittitur ſine alia, quia vna ſine alia non incipit eſſe nouo modo in illa.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut dictum eſt, perſonam mitti eſt ipſam perſonam accipere ab alia, vt nouo modo incipiat eſſe, & operari in aliqua creatura, dum ergo vna perſona accipit ab alia, non eſt neceſſe, quod illa, a qua accipit, accipiat & ipſa, alioquin quælibet acciperet, & cõſequenter mitteretur, quod eſt inconueniens, poteſt ergo eſſe, qnod vna mittatur ſine alia. Hinc legimus raro quidem fuiſſe miſſum Filium, frequenter autem Spiritum ſanctum.

Obiectio. Sed ſi perſonæ diuinæ inſeparabiliter ad inuicem ſe habent?

Reſpondetur, quod perſonæ diuinæ, quãtum ad earum exiſtentiam, in creaturis, & quantum ad ſubſtantialitatem operis in operando circa eas, inſeparabiliter ſe habent; non ſic autem quantum ad nouum modum operandi, & eſſendi in eis, alio enim modo poteſt eſſe, & operari vna perſona in creaturis, & alio altera, ex qua alietate fit, quod non repugnat vnam mitti ſine altera.

QVÆSITVM VI.

An ſit alia miſſio Filij, alia miſſio Spiritus ſancti?

ALex. Alenſ. reſp. quod miſſio paſſiuè dicta dicitur ſecundum eandem rationem de Filio, & de Spiritu ſancto; eſt enim eadem ratio manifeſtationis Filij, & Spiritus ſãcti in effectibus ſibi appropriatis. q.73. m.2

D. Thomas reſp. quod miſſio Filij, & miſſio Spiritus ſancti quantum ad earum rationem communem realiter non diſtinguuntur, eſſe enim ab alio, & eſſe nouo modo in creatura eſt commune vtrique; ſed bene quantum ad propriam diſtinguuntur, quia ratio propria proceſſionis Filij eſt, vt procedat vt verbum, & per notitiam mittatur; ratio verò proceſſionis Spiritus ſancti eſt, vt procedat vt amor, & per amorem mittatur. d.15. q.1. a.2.

Et iterum reſp. quod miſſio importat originem perſonæ miſſæ, & habitationem per gratiam; ſi ergo loquamur de miſſione, quantum ad originem, ſic diſtinguuntur, ſicut generatio, & proceſſio, ſi autem quantum ad effectum gratiæ, ſic quidem conueniunt in radice gratiæ, ſed in eius effectibus diſtinguuntur, qui ſunt intellectus illuminatio, & affectus inflammatio. p.p. q.43. a.5.

Aegidius reſp. quod ideo aliqua diuina perſona mittitur, quia per illam alia operatur, operatur autem vna per aliam, ex eo quod illam producit, quia ergo perſona producitur, ideo mittitur, & quoniam producitur Filius, vt natus, & Spiritus ſanctus, vt datus, idcirco alia eſt miſſio Filij, & alia eſt miſſio Spiritus ſancti. pr.2 q.2.

Gerardus reſp. quod miſſio Filij ſecundum rationem diſtinguitur a miſſione Spiritus ſancti; primò, quia miſſio includit proceſſionem perſonæ miſſæ, eſt autem alia proceſſio Filij, & alia Spiritus ſancti; ſecundò, quia miſſio dicit nouum effectum ſanctificationis, & quantum ad intellectum, & quantum ad voluntatem, aliud autem eſt donum intellectus, & hoc attribuitur Filio, & aliud voluntatis, & hoc attribuitur Spiritui ſancto. q.un. a.4.

Guilel. Rubion reſp. quod perſonæ diuinæ ſecundum diuerſa dona mittuntur, nam Filius ſecundum dona pertinẽtia ad intellectũ, Spiritus ſanctus verò ad voluntatem, quæ ſunt q.1.

Digitized by Google

ſunt eis appropriata, & hoc vniuocè; æquiuocè verò, ſicut per eadem dona poſſunt manifeſtari, ita & mitti.

d.14. Laur. Opim. reſp. quod miſſio Filij in mētem eſt ſimilis miſſioni Spiritus ſancti ſi ipſa miſſio capiatur pro ipſa mentis gratificatione, & acceptatione, nam ſicut mens redditur Deo grata per Filij miſſionem ad mētem, ita, & Spiritus ſancti; ſi autem accipiatur talis miſſio pro vnione, & illapſu, quo anima ſanctificatur per donum amoris in eſſe appropriati doni, non eſt ſimilis, quia ſolus Spiritus ſanctus appropriatè dicitur donum.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſicut nō eſt eadem perſona Filij, quod perſona Spiritus ſancti, ita non eſt idem modus de nouo eſſendi, & operandi in creaturis Filij, & nouus modus eſſendi, & operandi Spiritus ſancti, & propterea plerique dicunt, quod Filius venit in intellectum illuſtrando eum, Spiritus ſanctus in voluntatem ipſam afficiendo; quoniam ergo miſſio hunc nouum modum eſſendi, & operandi importat, ſicut dictum eſt, idcirco & alia eſt miſſio Filij, & alia miſſio Spiritus ſancti.

Obiectio. Sed ſi vtraque miſſio eſt ad ſanctificandam creaturam?

Reſpondetur, quod vtique vtraque miſſio eſt ad ſanctificandam creaturam, ſed non eodem modo, & vt dicitur a plerique, non ſecundum eaſdem potentias, intellectum, ſ. & voluntatem.

QVAESITVM VII.

An mittantur diuinæ perſonæ in quolibet augmento gratiæ?

q.37. m.4 a.2. ALex. reſp. quod augmentum gratiæ poteſt fieri dupliciter, aut per profectum gratiæ præexiſtentis, vt in proficientibus de virtute in virtutem, aut per profectū, & collationem noui doni, vel effectus, ſicut eſt in ſacramento confirmationis; atq; ita propter primū modū augmēti nō dr̄ mitti diuinæ perſonæ, ſed propter ſecūdum.

q.43. a.6. D. Thomas reſp. quod quando aliquis proficit in aliquem nouum actum, vel nouum ſtatum gratiæ, vt cum proficit in gratia miraculorum, aut profetiæ, vel in hoc quod ex feruore charitatis exponit ſe martirio, aut abrenunciat his, quæ poſſidet, aut cum opus aliud arduum aggreditur, tunc mittitur Filius, aut Spiritus ſanctus.

d.16. p.2. q.3. D. Bonau. reſp. quod tunc dicuntur mitti perſonæ diuinæ creaturæ, quando nouo modo incipiunt eſſe in ea; per intenſionem autem gratiæ non debeat dici mitti, quia tunc non incipiunt eſſe nouo modo in ea. Item Durandus, & Gabriel Vaſquez.

p.2. ar.2. q.2. Aegidius reſp. quod ſecundum quod eſt alia, & alia capacitas eſt alia & alia miſſio, & quoniam in omni augmento gratiæ eſt aliquo modo augmentum capacitatis, ideo concedere poſſumus, quod in omne tali augmento diuinæ perſonæ mittantur. Hoc item probat. Ab eodem agente, a quo fit calidum, fit etiam magis calidum; ergo per ſimiliſ, ab eiſdem perſonis eſt operatio gratiæ, & augmentum eius; ſed operatio fit cūm perſonæ mittuntur; igitur etiam mittuntur, cum gratia augetur.

d.14. diſſ. Michael de Pal. reſp. quod ſicut perſonæ ſublimes ad magna mittuntur, non modica; nihil autem ſit ſublimius perſonis diuinis, idcirco cum in dono gratiæ mittantur, mittuntur etiam in augmento eius, ſed non exiguo, & modico, at præexcellenti, & inſigni.

li.12 de tr. c.5. Franc. Suar. reſp. quod in omni augmento gratiæ ſanctificantis diuinæ perſonæ fit miſſio, propriiſſimè autem, quando gratia ita augetur extenſiuè ad peculiares effectus, & actus, vt in ordine ad eos ſpecialiter ſanctificetur creatura.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod non mittitur perſona diuina ſm̄ ſe, niſi vel propter excellentiam operis, vel propter excellentiam perſonæ, ſi ergo in quolibet augmento gratiæ mitteretur diuinā perſona, cum augmentum fieri poſſit in quolibet, & continuò, continuò quoque mitteretur Spiritus ſāctus, aut Filius, & cuilibet, quod non congruit.

Obiectio. Sed ſi in quolibet augmento gratiæ eſt noua operatio?

Reſpondetur, quod non eſt noua operatio in huiuſmodi augmento diſtincta a prima, cum ſ. perſona diuina mittitur, ſed eadem, intenſior tamen, quæ intenſio nullam nouitatem dicit in diuina perſona, ſed tantum in ſuſcipiente nouum gradum gratiæ eius, vel intimiorem præſentiam Spiritus ſancti; non autem nouam aſſiſtentiam illius.

QVÆSITVM VIII.

An miſſio importet eſſentiam, an notionem?

q.71. m.3. ALex. reſp. quod hæc verba mittere, & mitti de intellectu ſuo dicunt, & eſſen-

tiam, & rationem, dicunt enim reſpectum perſonæ ad perſonam, & etiam reſpectum perſonæ ad creaturam, ratione cuius dicuntur eſſentialiter, ex quo ſignificant perſonam eſſentialiter, vt hoc idem nomen perſona.

q. 32. Albertus reſp. quod mitti, & mittere, principaliter dicunt notionem, & conſequenter
m. 3. eſſentiam, propter effectum connotatum.

d. 15. D. Thomas reſp. quod miſſio ſecundum
q. 1 reſpectum, quem importat ad ſuum princi-
a. 2. pium dicit notionem; ſecundum reſpectum verò, quem importat ad creaturam, dicit eſſentiam, & hanc principalius, quam notionẽ; quia nomine miſſionis principaliter importatur ordo ad effectum eius, ſecundum quem eſt quid eſſentiale.

p. 2. Aegidius reſp. quod miſſio duo importat
pr. 2 emanationem, & nouitatem effectus, & quia
q. 1. effectus nouiter inductus competit eſſentiæ, emanatio verò perſonæ, ideo miſſio dicit eſſentiam, & notionem, ſed eſſentiam principaliter, vt actio; ex conſequenti autem notionem, vt actio cui ſuperadditur reſpectus perſonæ ad perſonam.

q. 1. Herueus reſp. quod miſſio formaliter dicitur importare eſſentiale, quia determinatè, & expreſsè importat nouum effectum, qui ad eſſentiam pertinet, ſicut ad cauſam; notionale autem non ita expreſsè, ſed gratia materiæ, quia quod miſſus ſit a mittente per originem non eſt neceſſariũ, niſi in diuinis, vbi perſona non accipit ab alia, niſi per originem.

q. 2. Durandus reſp. & probat, quod miſſio principalius dicit eſſentiale, quam notionale, cum dicat vtrumque. Quando duo includuntur in aliquo, & vnum eſt ratio completiua, & formalis reſpectu alterius, & aliud quaſi materiale præſuppoſitum, illud quod eſt formale eſt principalius; ſed in miſſione, illud quod eſt eſſentiale eſt quaſi completiuum, & formale reſpectu eius, quod eſt notionale, dicit enim D. Aug. quod Filius non eo, quo Filius dicitur a Patre miſſus; ſed vel ex eo quod viſibilis apparuit, vel ex eo quod mentem cuiuſcunque ſanctificat, quod eſt eſſentiale; igitur miſſio principalius dicit eſſentiale, quam notionale.

q. 1. Thomas ab Argentina reſp. quod miſſio
a. 2. eſt de numero eorum nominum, quæ quamuis ſecundum ſe ſint eſſentialia, connotant tamen reſpectum ad perſonam, ratione cuius aliquo modo notionalia dici poſſunt, important enim reſpectum perſonæ miſſæ ad ſuum principium productiuum, talis autem reſpectus eſt notionalis, & ſimiliter reſpectum cauſæ ad effectum temporalem, qui reſpectus eſt eſſentialis, eſt enim communis tribus perſonis; & quoniam nomen miſſionis ab effectu temporali potius eſt impoſitum, quam ab emanatione æterna perſonæ, idcirco miſſio in diuinis potius dicitur quid eſſentiale, quam notionale. Item Marſilius.

Gerardus reſp. quod miſſio inquantum im- q. 18.
portat collationem auctoritatis ex parte mit- a. 1.
tentis, ſic dicit quid notionale, inquantum verò importat executionem operis in termino ad quem, ſic dicit quid eſſentiale, talis enim operis executio non eſt a ſola perſona miſſa, ſed a tota Trinitate; principalius tamen dicit quid eſſentiale, quam notionale; tum quia miſſio in ſuo modo ſignificandi videtur importare tendentiam in aliquem terminum, omnis autem tendentia denominatur, & ſpecificatur a termino; tum etiam quia illud, quod eſt eſſentiale in miſſione ſe habet ad modum differentiæ propriè, ſecundum quod differt a proceſſione, & origine, & conſequenter ſibi principalius competit.

Gabriel Biel reſp. quod proceſſio dicit d. 14.
aliquid notionale, & aliquid eſſentiale, notio- q. 1.
nale quantum ad conditionem perſonæ procedentis, eſſentiale quantum ad illabi menti rationali; & conſequenter miſſio, quæ eſt temporalis proceſſio.

Ioannes de Baſſol. reſp. quod miſſio eſt q. vn.
eſſentialis, quia eſt maximè manifeſtatiua, quod vna perſona eſt, & originatur ab alia cauſando effectum aliquem in creatura repreſentatiuum perſonæ miſſæ quantum ad ipſum modum originandi, qui conuenit tribus.

Gabriel Vaſq. reſp. quod miſſio eſt quid diſp.
notionale ſicut donum, quamuis enim inclu- 170.
dat effectum temporalem, qui eſt communis toti trinitati, tamen qua ratione coniunctus eſt æternæ origini, & cum ea conſtituit rationem miſſionis, ita determinatur a notionali, vt ſolum conueniat vni, aut alteri perſonæ, non toti trinitati, eſt enim miſſio ipſa æterna proceſſio connotato effectu temporali.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ea, quæ Deo adueniunt ex tempore poſſunt conſiderari dupliciter, vel quantum ad ſubſtantiam actus, vel quantum ad modum agendi; ſi conſiderentur quantum ad ſubſtantiam actus, quia indiuiſa ſunt opera Trinitatis ad extra, ſic indifferenter conueniunt omnibus diuinis perſonis, & dicunt eſſentiam; ſi verò conſiderentur, quãtum ad modum agendi, ſic referuntur ad perſonas, & dicunt notionem; cum itaque miſſio, ſecundum quod vna perſona dicitur mittere

Digitized by Google

tere, & alia mitti, adueniat Deo ex tempore, quantum ad ſubſtantiam actus refertur indifferenter ad ſingulas perſonas, & ſic pertinet ad eſſentiam; quantum verò ad modum agendi, quia Pater alio modo mittit Filium, quã eundem mittat Spiritus ſanctus, & alio modo mittitur Filius, quam mittatur Spiritus ſanctus, idcirco miſſio pertinet etiã ad notionẽ; habet enim quælibet perſona ex ſua proprietate, vt ſic & ſic mittat, ſic & ſic, mittatur.

Obiectio. Sed ſi modi agendi non diuerſificant actionem?

Reſpondetur, quod modi agendi non quidem diuerſificant actionem, quòd enim quis aut tardius, aut velocius ſcribat non diuerſificat ſcriptionem; ſed diuerſificat denominationem, ex motu enim lento dicitur ſcriptio tarda, & ex veloci velox; & ſic in propoſito; ad hoc quod miſſio, quæ quantum ad ſubſtantiam actus dicitur quid eſſentiale, dicatur etiã quid notionale, ſufficit, quod alio, & alio modo conueniat diuinis perſonis.

QVAESITVM IX.

An miſſio in diuinis dicenda ſit temporalis, an æterna?

q. 71. m. 2. ALex. reſp. quod miſſio eſt proceſſio alicuius perſonæ manifeſtatæ in creatura; ratione ergo ſui principalis ſignificati, quod eſt quid increatum, eſt quid æternum, ratione verò connotati .ſ. effectus in rationali creatura, quod eſt quid temporale, dicitur temporalis; quia tamen, quando æternum coniungitur temporali in eodem termino totum iudicari debet temporale, ita in propoſito, quia miſſio connotat effectum in creatura, dicitur temporalis, non æterna.

q. 43. a. 2. D. Thomas reſp. quod in his, quæ important originem diuinarum perſonarum, quædam habent in ſui ſignificatione ſolam habitudinem ad principium, vt proceſſio, quædam cum habitudine ad principium determinant proceſſionis terminũ, aliquando æternum, vt generatio, & ſpiratio, & aliquando temporale, vt miſſio, & propterea quia diuina perſona non incipit niſi ex tempore eſſe nouo modo in creatura, ideo eius miſſio non eſt niſi ex tempore. Item Molina.

p. 1. q. 2. D. Bonau. reſp. quod miſſio in diuinis dicitur per comparationem ad terminum, circa quem fit noua operatio, & nouus effectus, & ideo nõ niſi ex tempore eſſe poteſt. Item Ricardus, & Nicolaus de Niſſe.

p. 2. Aegidius reſp. quod æternum aliquid dupliciter dici poteſt, vel ex eo quod ſemper eſt, & ſic miſſio non poteſt dici æterna, quia nec vlla perſona ſemper mittitur, nec vlla mittitur ab æterno; vel ex eo quod a varietatibus temporum eſt ſemotum, & ſic miſſio perſonæ poteſt dici æterna, quia per ipſam ab iſtis temporalibus abſtrahimur, & ad contemplationem trahimur æternorum.

q. vn. Gabriel Biel reſp. quod miſſio dicit proceſſionem temporalem connotando æternam, & ſic dicit quid temporale, ſed connotat æternum.

li. 12. de tr. c. 5. Franc. Suar. reſp. quod in miſſione duæ importantur relationes, vna realis miſſi ad mittentem, quæ non eſt alia a proprietate perſonæ miſſæ, altera rationis, quæ eſt relatio ad creaturam, & propter huiuſmodi relationẽ, quæ temporalis eſt, & miſſio temporalis dici debet; ſi enim ex re æterna & temporali aliquid in tempore coaleſcit, compoſitum illud temporale eſt.

Reſolutio.

REſpondeo, quod ſicut dictum eſt miſſio non fit niſi ad creaturam, vt .ſ. quando perſona nouo modo incipit eſſe in ea, ac nouo modo operari; & quoniam omnis nouitas excludit æternitatem, idcirco miſſio æterna eſſe non poteſt, ſed temporalis.

Obiectio. Sed ſi perſonis diuinis nulla conuenit innouatio?

Reſpondetur, quod innouatio, quam dicit miſſio non eſt in diuinis perſonis ſecundum rem; ſed in creaturis, ad quas fit miſſio.

QVÆSITVM X.

An perſona diuina modo mittatur plenius, quam ante incarnationem Filij Dei?

q. 79. m. 2. a. 4. ALex. reſp. quod ſi conſideretur miſſio per comparationem ad perſonã, a qua eſt, & cuius eſt; vtique eodem modo mittitur nunc, ſicut prius ante incarnationem; ſi verò conſideretur per comparationem ad illos, ad quos fit, vel in quos fit, ſic plenius nunc perſona dicitur mitti, quam ante incarnationem, quia melius ſunt homines modo diſpoſiti ad recipiendũ, quam ante. Item D. Thomas diſ. 15. q. 5. ar. 2.

d. 15. D. Bonau. reſp. quod plenius mitti, poteſt intelligi dupliciter extenſiuè, & intenſiuè, ſi extenſiuè, ſic pluribus mittitur perſona diuina modo tempore gratiæ, quam antea legis, quia non ad vnam gentem mittitur, ſicut antea mittebatur; ſi intenſiuè, hoc eſt dupli-

Digitized by Google

ſiter, vel quantum ad generalem ſtatum, & ſic plenius mittitur modo, quam antea, vel quantum ad ſpeciales perſonas, & ſic plenius antea mittebatur, quam modo.

p. 2. pr. 2 q. 3. Aegidius reſp. quod maior, & minor plenitudo dupliciter poteſt conſiderari, vel ratione perſonæ, vel ratione ſtatus; ſi ratione perſonę fuit plenior, & minus plena, ſecundum quod perſonæ noui, & veteris teſtamẽti ſe magis, & minus in gratia excedebant; ſi verò ratione ſtatus, non eſt dubium, quod ſtatus poſt incarnationẽ Chriſti dicitur plenior, & homines modo ſunt aptiores ad gratiam, quam antea.

Reſolutio.

RESpondeo, quod perſonam diuinam mitti modo plenius, quam ante incarnationem Filij Dei non intelligitur, niſi ſecundum dona ſua; & quoniam multo maiora dona ſunt collata generi humano poſt incarnationem Filij Dei, quam ante, quia cum Filio omnia nobis Deus donauit, idcirco multo plenius mittitur perſona diuina modo poſt incarnationem, quam ante.

Obiectio. Sed ſi ante incarnationem fuerunt multi homines pleniores gratia, quam modo? ad recipiendam autem diuinam perſonam diſponimur per gratiam.

Reſpondetur, quod ante incarnationem fuerunt multi homines pleniores gratia, quam modo ratione perſonæ, non ratione ſtatus. Ita Aegidius.

QVÆSITVM XI.

An perſona diuina mittatur tantum ad homines? an verò etiam ad Angelos?

q. 73. m. 1. a. 1. ALex. reſp. quod perſona diuina non mittitur niſi ad illam creaturam, quam dicitur inhabitare; & quoniã ſolam creaturam rationalem inhabitat, cum ſola creatura rationalis ſit eius capax per cogitationem, & amorem, ideo ad ſolam creaturam rationalem mitti dicitur; Et paulo

ar. 2. poſt. Miſſio (inquit) aliquo modo fit ad Angelos, quantum ad aliquos effectus, licet non quantum ad illos omnes, qui ſunt in hominibus; ſine ratione quorum dicitur mitti ad homines.

d. 11. q. 5. m. 2. D. Thom. reſp. quod miſſio non ſolum facta eſt ad Angelos in collatione gratiæ, & gloriæ, ſed etiam poſtquam beati ſunt effecti ſit ſecundum nouas reuelationes, & nouos modos amandi.

D. Bonau. reſp. quod Filius mittitur ad creaturam illuſtrandam, ſicut Spiritus ſanctus ad creaturam ſanctificandam, & quoniam Angeli nec ex ſe fuerunt ſapientes, nec ex ſe ſancti, ideo oportuit quod a principio mitteretur eis ſapientia, quæ eſt filius, & bonitas, quæ eſt Spiritus ſanctus, modo autem non niſi largè dicitur diuinæ perſonæ mitti eis ad manifeſtationem alicuius occulti. d. 15.

Aegidius reſp. quod perſona diuina non ſolum mittitur ad homines; ſed etiam ad Angelos, quia ſunt capaces cognitionis, & dilectionis, poſſunt enim continuo nouas reuelationes habere, & pluribus modis cognoſcere diuinam bonitatem eſſe diligendam, & eam extenſiuè, non tamen intenſiuè magis diligere, & quoniam iſti ſunt effectus miſſionis diuinæ; ideo perſona diuina mitti dicitur ad eos. p. 2. pr. 2 q. 2.

Franc. Suar. reſp. quod perſona diuina mittitur tantum ad creaturam rationalem, ad homines ſ. & Angelos; ſola enim creatura rationalis eſt capax gratiæ, & fruitionis Dei. l. 12. de tr. c. 5.

Reſolutio.

RESpondeo, quod non repugnat aliquam diuinam perſonam perſonaliter mitti ad aliquos Angelos deſtinatos in aliquo loco huius mundi; ſed quod hoc aliquando fiat, vel quandoque ſit factum, nec vllum habetur in ſcripturis teſtimonium, nec vlla ratio mouet, tam ex parte operis, quam ex parte finis ad credendum, ſunt enim Angeli miniſtratorij ſpiritus, & ideo ipſi ſunt qui mittuntur, non ad quos mittitur.

Sed ſi Angeli non proficiunt, cum ſint in termino? repugnat autem mitti diuinas perſonas ſine profectu eorũ, ad quos mittuntur. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod Angeli proficiunt in cognitione, merito, & præmio, ſed non quo ad eſſentialia, ſed accidentalia tantum.

DISTINCTIO DECIMASEXTA.

Nunc de Spiritu ſancto videndum eſt, præter illam ineffabilem, &c.

QVAESITVM I.

An aliqua diuina perſona viſibiliter mittatur?

ALbertus reſp. quod cum miſſio oſtendat diſtinctionem perſonæ a perſona, non poteſt oſtendi niſi, vel per ali- d. 16. a. 5.

Digitized by Google

aliquid perceptibile in intellectu ſecundum ſe, vel per aliquid acceptum a ſenſu, & ideo, vt ſufficientur determinetur diſtinctio ex parte perſonarum procedentium, duos neceſſe eſt aſſignari modos miſſionis, ſigno .ſ. ſenſibili, & ſpecie intelligibili.

q.43. a.7. D. Thomas reſp. quod quia modus conueniens naturæ hominis eſt, vt per viſibilia ad cognitionẽ inuiſibilium perducatur; ideo conueniens eſt, vt aliqua perſona viſibiliter mittatur.

pr.1 q.1. Aegidius reſp. quod ad miſſionem viſibilem diuinæ perſonæ tria concurrunt, emanatio perſonæ a perſona, donum in creatura gratuitum illi perſonæ appropriatum, & creatura exterius exhibita ipſam repreſentans, & quoniam eſt aliqua perſona diuina, quæ emanat ab altera, & poteſt repreſentari in aliqua creatura viſibili in collatione doni ſibi appropriati, ideo eſt aliqua perſona, quæ poteſt viſibiliter mitti.

q.vn. Ioannes Scotus reſp. quod hoc eſt viſibiliter mitti, quod per ſignum viſibile manifeſtari procedere; & quoniam aliqua perſona diuina per ſignum viſibile poteſt manifeſtari procedere, ideo & viſibiliter mitti.

q.1. Guilel. Rub. reſp. quod miſſio viſibilis eſt apparitio rerum corporalium ſenſibilium facta homini, ipſi perſonam diuinam miſſam, & eius miſſionem inuiſibilem repreſentans; & ſic vna vice miſſus fuit Filius, pluribus verò Spiritus ſanctus.

q.vn. Nicolaus de Orbellis reſp. quod miſſio viſibilis diuinæ perſonæ eſt eius manifeſtatio in aliquo ſenſibili ſigno ſibi appropriato, quo inhabitare, vel dari oſtenditur in perſona, vel illi perſonæ, ad quam mittitur; & ſic aliquando diuina perſona viſibiliter mittitur.

q.19. a.1. Marſilius reſp. quod miſſio viſibilis eſt deſtinatio diuinæ perſonæ ſub ſigno viſibili apto manifeſtare aliquo modo emanationem perſonæ, quæ mittitur & ſanctificationẽ eius, ad quam mittitur, & quoniam hoc aliquando fieri poteſt, ideo & perſona diuina mitti.

q.4. Franc. a Chriſto reſp. quod miſſio viſibilis adiungit miſſioni abſolutè ſignum viſibile duntaxat; ſicque diffinitur exitus a perſona ſub ſpecie viſibili, & externa miſſionis, perſonæ inuiſibilis, & perſonæ declaratiua.

q.17. diſp.2 Gregorius de Val. reſp. quod ad rationem miſſionis viſibilis duo requiruntur; primum vt perſona miſſa procedat ab altera; ſecundũ vt per aliquem effectum viſibilem, qui peculiariter ſignificet illam perſonam innoteſcat effectus alicuius miſſionis inuiſibilis; quod cũ aliquando fiat, ipſa perſona mittitur.

Reſolutio.

RESpondeo, quod diuinam perſonam viſibiliter mitti, eſt perſonam, quæ habet eſſe ab alio, vnde per hoc poſſit denotari aliqua actio ſuper eam, ſub ſpeciebus viſibilibus in aliquo loco, & ad aliquas perſonas apparere, ibique eſſe, & operari; & quoniam frequenter legimus in ſcripturis diuinas perſonas ſic apparuiſſe; ideo & miſſas fuiſſe fatendum eſt.

Sed ſi qualibet perſona diuina eſt inuiſibilis? quod autem viſibile eſt, viſibiliter mitti non poteſt. Obiectio.

Reſpondetur, quod licet quælibet diuina perſona in ſe ſit inuiſibilis, poteſt tamen videri in ſuis effectibus, & potiſſimè in his, qui cum rebus alijs diuerſimodè repreſentant. Ita Aegidius, & Occham, vt .ſ. in aliquo inſtituto ad ipſam ſignificandam.

QVÆSITVM II.

An qualibet diuina perſona viſibiliter mittatur?

D. Thomas reſp. quod iſtæ duæ perſonæ tantum viſibiliter mittuntur Filius, & Spiritus ſanctus, Filius tanquam ſanctificationis auctor, Spiritus ſanctus verò tanquam ſanctificationis indicium. p.p. q.43. a.7.

D. Bonau. reſp. quod miſſio viſibilis non importat ſolam apparitionem diuinæ perſonæ, ſed etiam manifeſtationem, operationem, inhabitationem, & emanationem ab alio, & quoniam non omnia hæc conueniunt cuilibet diuinæ perſonæ, ſed tantum Filio, & Spiritui ſancto; ideo nec cuilibet conuenit viſibiliter mitti, ſed tantum Filio, & Spiritui ſancto. d.16. q.2.

Ioan. Scotus reſp. quod viſibiliter mitti eſt per ſignum viſibile perſonam diuinam manifeſtari procedere, & quoniam manifeſtari procedere non poteſt conuenire niſi Filio, & Spiritui ſancto, ideo nec viſibiliter mitti, poteſt alteri conuenire, quam Filio, & Spiritui ſancto. q.vn.

Durandus reſp. quod hæc eſt differentia inter apparitionem, & viſibilem miſſionem; apparitio enim dicit ſolam manifeſtationem perſonæ diuinæ per ſignum viſibile, vnde conuenire poteſt cuilibet perſonæ diuinæ, miſſio autem viſibilis dicit idipſum, & cum hoc exitum perſonæ a perſona ad ſanctificandum creaturam, & ideo non competit niſi perſonis ab alio exiſtentibus, vt ſunt Filius q.2.

lius

Digitized by Google

lius, & Spiritus ſanctus, quorum vterque viſibiliter miſſus eſt, Filius in natura aſſumpta, Spiritus ſanctus in columba, & igne.

a 1. Petrus Aur. reſp. quod miſſio viſibilis ſupponit ſubauthenticam, & delegatam poteſtatem, & ideo Patri conuenire non poteſt, quia a nullo habet conſimilem poteſtatem, Filio autem, & Spiritui ſancto conuenire poteſt, quia huiuſmodi perſonæ poſſunt delegari ad ſanctificandam creaturam, ſed Filio conuenit, vt formaliter viſibili, & hoc ratione naturæ aſſumptæ, quæ cum verè ſit viſibilis, dat ei etiam verè viſibilem eſſe; Spiritui ſancto verò denominatiuè, & quaſi ab effectu, quia .ſ. ſignum ſenſibile eſt effectus illius, & ſanctificatio per aliquid ſenſibile deſignatur.

d 16. q. vn. Guilel. Occham reſp. quod miſſio viſibilis eſt apparitio aliquarum rerum corporalium facta circa creaturam rationalem humanam, eidem creaturæ rationali miſſionem inuiſibilem diuinæ perſonæ repreſentans, & quoniam hæ duæ perſonæ diuinæ tantum, Filius ſcilicet, & Spiritus ſanctus poſſunt inuiſibiliter mitti, igitur & viſibiliter.

q. 1. a. 1. Thomas ab Argentina reſp. quod miſſio viſibilis eſt diuinæ perſonæ ad aliquem hominem deſtinatio ſub tali viſibili ſigno, quo manifeſtatur, vel manifeſtari poteſt aliquo modo emanatio perſonæ, quæ mittitur, & ſanctitas hominis, ad quem mittitur; ex quo tria includit, diuinæ perſonæ æternam emanationem, animæ internam ſanctificationem, & vtriuſque .ſ. emanationis, & ſanctificationis, externam apparitionem, & ſi non ſemper de facto, ſaltem ſecundum aptitudinem; & propterea non Patri, ſed tantum Filio, & Spiritui ſancto conuenit viſibilis hæc miſſio.

q. vn. a. 1. Gerardus reſp. quod miſſio viſibilis differt ab inuiſibili in duobus, primò quantum ad modum ſanctificationis, nam per miſſionem inuiſibilem obtinetur gratia ſanctificans in gradu ſufficienti ſolum, quantum ad illã perſonam, cui fit talis miſſio; per viſibilem verò obtinetur gratia ſanctificans in gradu ſuper effluenti, ita vt non ſolum ſufficiat, quantũ ad illam perſonã, cui fit talis miſſio, ſed etiã ſuperabundet, ex eaque in alias redundet; ſecũdò differt, quia miſſio viſibilis addit aliquam ſpeciem exterius demonſtratam, quæ ſignificat miſſionem inuiſibilem diuinæ perſonæ interius aſſiſtentis, & cauſantis gratiam ſanctificantem; quoniam ergo iſtæ duæ perſonæ tantum, Filius, & Spiritus ſanctus, inuiſibiliter mittuntur, ſic præter ipſas alia viſibiliter mitti non poteſt.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod miſſio viſibilis diuinarum perſonarum addit ſupra miſſionem ſimpliciter ſumptã apparitionem ſub ſenſibilibus ſpeciebus; illa ergo perſona, quæ ſimpliciter mitti non poteſt, nec viſibiliter mitti poteſt, & quoniam iſtæ duæ perſonæ tantum, Filius, & Spiritus ſanctus mitti poſſunt ſimpliciter, ideo & viſibiliter; propterea in ſcripturis ſacris legimus, aliquando miſſum fuiſſe Filium, aliquando Spiritum ſanctum, nunquam tamen Patrem.

Sed ſi pater plerumque apparuit hominibus ſub diuerſis ſenſibilibus ſpeciebus, ſicut Filius, & Spiritus ſanctus? Obiectio.

Reſpondetur, quod alia eſt ratio apparitionis, & alia miſſionis, miſſio enim ſupra apparitionem addit, quod hoc habeat perſona, quæ mittitur ab alia, quæ mittit; pater autem ſicut dictũ eſt, nihil habet ab alijs perſonis, vnde mitti aliquo modo dici poſſit.

QVÆSITVM III.

An diuinarum perſonarum viſibilis miſſio ſit vtilis?

Alex. reſp. quod perſonis manuducendis per ſenſum eſt vtilis miſſio viſibilis ad manifeſtationem plenitudinis gratiæ redundantis, qualis fuit in Chriſto, & aliquo modo in Apoſtolis. q. 74. m. 2.

Albertus reſp. quod exterior miſſio eſt teſtimoniũ interioris, quia ſignificabatur quod in illis, quibus fiebat talis miſſio, vel ad quorum prędicationem fiebat, & interceſſionem, eſſet gratia redundans. d. 16. ar. 10.

D. Bonau. reſp. quod ſicut miracula conferunt ad oſtendendam diuinam potentiam, ita miſſio viſibilis ad manifeſtandam diuinã præſentiam, & inhabitationem, & emanationem diuinæ perſonæ, & præſertim hominibus ſenſualibus, qui facilius in Dei cognitionẽ ducuntur mediantibus ſignis, quæ ſubiecta ſunt ſenſui, quam his, quæ ſolo intellectu apprehenduntur. d. 16. q. 2.

Ricardus reſp. quod ſicut cognitioni intellectuali prodeſt cognitio ſenſibilis, ita ad diuinorum innoteſcentiam multum cõducit miſſio viſibilis; & ſicut miſſio inuiſibilis confert ad oſtendendam plenitudinem ſufficientiæ in illo, ad quem fit ſecundum ſe, ita & viſibilis confert ad oſtendendam plenitudinem redundantiæ in alios. d. 16. q. 2.

Durandus reſp. quod vtraque miſſio viſibi- q. 1.

bi-

bilis .ſ. & inuiſibilis eſt propter gratiam; eſt autem duplex gratia perſonalis, & cauſalis; perſonalis reſpicit perſonam ſecundum ſeipſam, cauſalis verò in ordine ad aliam, ad primam ordinatur miſſio inuiſibilis, ad ſecundam viſibilis, quaſi argumentum quodam eorum, quæ rationem naturalem tranſcendũt, & vt aliquid plus requiſitum ad gratiã redundantem in alios, quam ad ſufficientiam vni.

a.2. Petrus Aur. reſp. quod ſi conſideretur miſſio viſibilis in ordine ad totam Trinitatem expediens erat olim, vt Filius, & Spiritus ſanctus viſibiliter mitterentur, vt inde innoteſceret nobis duas eſſe diuinas perſonas procedentes, ſicut vna eſt a qua procedunt; ſi in ordine ad aliquam authenticam perſonam ſic Spiritus ſanctus debuit viſibiliter mitti ſuper Chriſtum in ſignum, quod in eo erat redundantia gratiæ, & virtus capitis, & vnio perſonalis; ſi in ordine ad Eccleſiam, ſic etiã erat neceſſarium, vt mitteretur Spiritus ſanctus viſibiliter in teſtimonium ſanctitatis, & veritatis.

Reſolutio.

RESpondeo, quod illud dicitur vtile, cuius ratio faciendi bona eſt, ſeu cuius vſus eſt bonus, & quoniam miſſio viſibilis Filij Dei in carne fuit ad redimendum genus humanum, & diuina opera manifeſtanda, & ſimiliter miſſio viſibilis Spiritus ſancti in columba ſuper Chriſtum, & in igne ſuper Apoſtolos fuit facta in ſignum dilectionis, & acceptationis diuinæ, & in ſignum ſuperabundantis gratiæ, & virtutis, & hæc omnia habent rationem boni, & bonum vſum, idcirco miſſio diuinarum perſonarum viſibilis fuit valde vtilis.

Obiectio. Sed ſi ſigna ſenſibilia impediunt affectũ, & diſtrahunt ab interiori conſideratione?

Reſpondetur, quod ſigna ſenſibilia, impediunt affectum, ſi vt res abſolutæ amentur, & conſiderentur; vt ſigna verò ducentia in Deum, maxime iuuant. Ita D. Bonau. Et Aegidius ſi conſiderentur (inquit) vt quædam res, diſtrahunt vt repreſentatiua, ducũt in Deum. Ita etiam Ricardus.

QVAESITVM IV.

An Conuenienter Spiritus ſanctus miſſus fuerit ſub illis ſpeciebus, ſub quibus apparuit; an vero conuenientius fuiſſet, ſi ſub humana ſpecie apparuiſſet, ſicut Filius?

d.16. a.9. ALber. reſp. quod Spiritus ſanctus fuit viſibiliter miſſus in igne, in columba, in flatu; ſi in eo attendamus rationem perſonæ, conuenienter fuit miſſus in ſpecie ignis, nam Spiritus ſanctus eſt charitas, & charitas ignis diuinus eſt; ſi attendamus rationem doni, ſic miſſus fuit conuenienter in ſpecie columbæ, quæ eſt, ſimplex, fœcunda, & ſine felle malitiæ, & tales faciunt dona Spiritus ſancti; ſi verò attendamus rationem, ſiue modum processionis eius, ſic conuenienter miſſus fuit in flatu; procedit enim Spiritus ſanctus a Filio, vt Spiritus ſanctitatis, & vitæ conferens toti eccleſiæ ſenſum, & motum.

D. Thom. reſp. quod facta fuit miſſio viſibilis Spiritus ſancti ad Chriſtum ſub ſpecie columbæ, quod eſt animal fœcundum, ad oſtẽdendum in Chriſto auctoritatem donãdi gratiam; ſub ſpecie nubis lucidæ ad oſtendendam exuberantiam doctrinæ; ſub ſpecie flatus, ad oſtendendum poteſtatem miniſterij in diſpenſatione ſacrorum; & ſub linguis igneis, ad oſtendendum officium doctrinæ. *3. p. q. 44. a. 7.*

Aegidius reſp. quod Filius miſſus fuit viſibiliter, vt eſſet Dei, & hominum mediator, & quoniam medium debet conuenire in natura cum extremis, debuit apparere in rationali creatura, vt in natura cum hominibus conueniret; Spiritus ſanctus autem miſſus eſt viſibiliter, vt creatura viſibili exhibita, plenitudinem gratiæ, in eo, ad quem mittebatur deſignaret, & quoniam creatura ratione carens ſufficienter poteſt deſignare gratiam, ideo non debuit apparere in ſpecie rationalis creaturæ, ſicut Filius. *pr.2 q.1.*

Gabriel Biel reſp. quod miſſio viſibilis Spiritus ſancti in columba, in nube, in igne, in linguis, in flatu fuit vtilis; ad oſtendendam Chriſti ſimplicitatem, & humilitatem ad elucidationem fiendam veritatis, ad ſignificandam feruidam charitatem, & docentium prædicatorum integritatem, ac affectus viuacitatem. *d.16.*

Ioan. de Baſſol. reſp. quod gratia Dei, quæ appropriatur Spiritui sãcto multipliciter diffunditur in nobis, & ad multa; vno modo per regenerationem ſacramentalem, & hoc ad fœcunditatem bonorum operum, & ideo fuit miſſus Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ; alio modo diffunditur ad extinctionem carnalis libidinis, & propter hoc fuit miſſus in ſpecie nubis; tertiò, ad expulſionem peccatorum, & propter hoc fuit miſſus in ſpecie flatus; quartò, ad effectum feruidæ, & viuidæ prædicationis, & propter hoc fuit miſſus in linguis igneis. *q.46. q.vn.*

Ioannes Maior reſp. quod Spiritus ſanctus fuit miſſus in columbina ſpecie ad deſignandam *q.vn.*

dam

dam operum fœcunditatem; in nubis figura ad denotandam veritatem ex tenebris diſcutiendam; in igne ad ſignificandam feruidam charitatem, & viuidam Apoſtolorum Chriſti prædicationem; in lingua ad oſtendendam integritatem concionandi, & linguæ volubilitatem ad omniũ idiomatũ accomodationẽ.

d.16. q vn. Ioan. Vig. reſp. quod Spiritus ſanctus fuit miſſus in ſpecie columbę ad repreſentandum columbinam Chriſti humilitatem, & ſimplicitatem; in nube lucida, ad illuſtrandam ueritatem; in flatu ad complendam profundam charitatem; in linguis ignis, ad oſtendendam charitatem, & ad prædicandum perfectam ſanctitatem. li.12. de tr. c.6. Addit Suarez miſſionem quintam viſibilem Spiritus ſancti, videlicet donationem eius per viſibilem manuũ impoſitionem ſicut legitur in Act. Ap. c. 8. Sed poſtea ad eam reducit, quæ in die Pentecoſtes facta eſt.

Reſolutio.

RESpondeo, quod Filius Dei fuit viſibiliter miſſus in ſpecie hominis, vt hominẽ per hominem redimeret, & ideo ſub ſpecie hominis apparere debuit; Spiritus ſanctus autem fuit viſibiliter miſſus, vt hominem, quem aſſumpſerat Filius Dei ſua viſibili aſſiſtentia indicaret, & alios homines, qui ab eo in miniſterium ſuæ fidei electi erant manifeſtaret; & ideo non in ſpecie hominis, ſed aliarum rerum debuit apparere; quare autẽ magis apparuerit in ſpecie columbæ, ignis, & flatus, quam aliarum rerum, licet ſit ad hoc valde difficile reſpondere, quia data quacunque reſponſione, adhuc remanet inquirendi locus, tamen poteſt congruè dici, quod ideo Spiritus ſanctus ſuper Chriſtum in columbæ ſpecie voluit apparere, quia nulla ſpecies erat aptior ad indicandam eius iuſtitiam, ſanctitatem, humiliationem, quam iſta; voluit autem apparere ſuper Apoſtolos in ſpecie ignis, & linguarum, quia nulla ſpecies erat aptior ad indicandum ſuperabundantem gratiam Apoſtolorum, feruorem fidei, & victoriam verbi Dei, quam ignis, qui eſt ſummæ actiuitatis elementum, & lingua, quæ eſt principale inſtrumentum ſermonis; voluit tandem apparere in ſpecie flatus, quia nulla ſpecies erat aptior ad indicandam efficaciam apoſtolicæ auctoritatis, & intimam diuinæ potentiæ prȩſentiam, quam iſta.

Obiectio. Sed ſi Spiritus ſanctus eſt intellectualis naturæ? quod autem eſt intellectualis naturæ per naturam intellectualem magis repreſentatur, quam per irrationalem.

Reſpondetur, quod illud quod eſt intellectualis naturæ per naturam intellectualem magis repreſentatur ſimpliciter, ſed non quãtum ad aliquos effectus, quos intendit ipſa miſſio. Ita Aegidius.

QVÆSITVM V.

An fuerint vera res ſpecies illæ in quibus apparuit Spiritus ſanctus?

ALex. reſp. quod apparitio in ipſis rebus, in quibus eſt veritas rei, & non ſimilitudo tantum congruebat illi tempori, in quo iam reuelata erat veritas, & ideo conueniebat, vt apparitiones fierent in creaturis, quæ veræ eſſent creaturæ, & non creaturarum ſimilitudines, vnde columba vera res fuit, & linguæ verus ignis. q 74. m. 5.

Albertus reſp. quod illa columba peracto officio reuerſa eſt in priſtinam materiam, & non fuit vera colũba, ſed ſpecies columbæ. d.61. a.6.

D. Thomas reſp. quod Spiritus ſanctus dicitur viſibiliter miſſus inquantum fuit monſtratus in quibuſdam creaturis ſicut in ſignis ad hoc ſpecialiter factis. p p. q.43. a.7.

Et iterum reſp. quod cum non deceat Spiritum ſanctum aliquem fallere, dicendum eſt columbam illam, quæ deſcendit ſuper Chriſtum verum animal fuiſſe; & conſequenter ignem, qui deſcendit ſuper Apoſtolos, verum ignem fuiſſe. q.39. a.7.

D. Bonau. reſp. quod & ſi ſpecies illæ, in quibus apparuit Spiritus ſanctus, vt columba, & ignis fuerunt vera corpora, tamen nec columba fuit vera columba, quia ſtatim deſijt, ſed ſimilitudo columbæ, quæ tamdiu durauit, quamdiu ſignificare potuit, vel officium ſigni compleuit; nec ſimiliter fuit verus ignis, quia non comburebat; nec per hoc tamen ſequitur, quod eſſet ibi aliqua illuſio, quia non erat aliqua fallacia in ſignificando. d.16. q.3.

Aegidius reſp. quod ſpecies ſenſibiles, in quibus apparuit Spiritus ſanctus ſecundum quod res ſunt, licet non ſecundum, quod ſignum aſſimilantur rebus, quæ videntur in miſſionibus, & apparitionibus Angelorum, & ſicut huiuſmodi non ſunt verè tales, quales apparent, ſed ſimiles illis, & quandoque etiam ſolum habent eſſe in imaginatione, quia vnum, & idem, quod vni apparet, non apparet alteri, ideo nec ſpecies illæ, in quibus apparuit Spiritus ſanctus fuerunt veræ res, tales .ſ. quales videbantur, ſed bene ſimiles illis: An verò fuerint tantum in imaginatione an ad extra; de linguis reſpondet, quod pr.2 q 1.

eſt

eſt conſonum textui, quod fuerint in imaginatione, dicitur enim quod apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, vel viſæ ſũt illis diuiſæ linguæ; ſed de reliquis dicit non eſſe difficultatem, quod fuerint aliquid extra imaginationem; dicitur enim quod Spiritus ſanctus in corporali ſpecie deſcendit.

¶ 3. Ricardus reſp. quod quælibet ſpecies, in qua Spiritus ſanctus viſibiliter dicitur miſſus fuit vera res corporalis, vt flatus, columba, & ignis; ſed quamuis ille flatus fuerit vera res corporalis, & verus flatus, tamen illa columba non fuit vera columba, & ille ignis non fuit verus ignis; nam dicitur in Euangelio Math. c. 3. quod vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam; & in Act. Ap. c. 2. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis.

d. 16. q. 3. Durandus reſp. quod dupliciter aliquid dici poteſt non vera res; vno modo, quia non eſt aliquid in re extra, ſed tantum in imaginatione; alio modo, quia licet ſit aliquid in re extra, non tamen eſt tale, quale apparet; ſi intelligatur quæſtio primo modo, ſic dicẽdum eſt, quod illæ ſpecies fuerunt veræ res extra exiſtentes, & non ſolum in imaginatione; ſi verò ſecundo modo, probabiliter dici poteſt, quod illa columba non fuit vera columba, nec ignis verus ignis, ſed tantum ſimilitudo oſtenſa in aliqua materia, quæ ſtatim expleto miniſterio in priſtinum eſt reuerſa, ſi enim fuiſſet vera columba fortè fuiſſet creditum ibi caſu auolaſſe, & ſi verus ignis combuſſiſſet; quamuis tamen oppoſitum probabiliter dici poſſit propter auctoritatem D. Aug. in lib. de Agone Chriſtiano c. 22.

d. 16. a. 3. Petrus Aur. reſp. quod columba, flatus, nubes, & linguæ igneæ habuerunt verè eſſe reale, & extra animam, alioquin miſſio viſibilis non fuiſſet; an tamen illa columba habuerit animam ſenſitiuam, & fuerit vera auis in ſpecie columbarum; & ſi (inquit) aliqui aſſerunt, tamen ad decentiam facti, & excellentiam diuinæ perſonæ conuenientius eſt negare.

d. 16. q. vn. Guilel. Occham reſp. quod ſpecies illæ, in quibus apparuit Spiritus ſanctus, fuerunt quidem veræ res, ſed non tales, quales apparuerunt; an vero fuerint aliquæ aliæ conuenientes cum veris rebus in accidentibus exterioribus dominus ſcit, ſatis eſt (inquit) vtrumque fieri potuiſſe. Item Gabriel.

q. 1. a. 3. Thomas ab Argentina reſp. ſe de linguis igneis non audere aliquid determinatè aſſerere, cum etiam D. Aug. hanc quæſtionem propter ſui difficultatẽ inſolutam dimiſerit. De colũba tamen reſpondet nõ eſſe dubium, quin fuerit verum corpus reale, cum ſcriptura corporali ſpecie Spiritum ſanctum aſſerat deſcendiſſe.

Gerardus reſp. quod de linguis igneis eſt dubium, vtrum fuerint res corporales, an ſolum ſpecies imaginariæ; & quamuis D. Aug. poſtquam mouerit hanc quæſtionem dimittat inſolutam, videtur tamen magis ſentire, quod fuerint ſolum ſpecies imaginariæ; vtrumque tamen poteſt dici. De columba verò; quamuis aliqui aſſerant, quod fuerit vera columba, aliqui tamen negant; tum quia ſequeretur hoc indecens, quod vel ſemper vixiſſet, vel mortua fuiſſet; tum etiam, quia congruentiori modo ſaluatur eius ſignificatio, cùm magis aſſeritur eius miraculoſa apparitio; melius tandem (inquit) eſt dicere, quod fuerit materia alicuius corporis affecta figura, & accidentibus veræ colũbæ. q. vn. a. 5.

Guilel. Rubion reſp. quod columba, & ignis fuerunt veræ res, quales apparuerunt, vel potuerunt eſſe aliæ res ab iſtis habentes tamen exteriora accidentia, ſimilia accidentibus ignis, & columbæ, vtrumque enim horum fuit poſſibile. q. 1.

Nicol. de Orb. reſp. quod columba erat res corporalis, licet non eſſet vera columba; ſic ignis vera res erat, ſed non verus ignis, quia non comburebat. q. vn.

Marſilius reſp. quod flatus nubes, & columba fuerunt verè corporalia, & talia qualia apparuerunt, quod autem factum fuerit de columba impleto myſterio dicit, quod reducta fuit in priſtinam materiam, de qua formata fuerat. q. 19. a. 5.

Ioannes Maior reſp. quod huiuſmodi ſpecies apparentes fuerunt veræ res, ſed an tales reipſa, quales apparuerunt, non ſic cõſtat, ſuis enim effectibus celebratis euanuerunt. q. vn.

Ioannes a Celaia reſp. quod columba fuit verum animal eiuſdem ſpeciei, cum qualibet alia columba, & ignis verus ignis; & ſi non comburebat, hoc erat, quia Deus non concurrebat ad combuſtionem cum ipſo; & ſine Deo nihil poteſt facere ignis. q. vn.

Michael de Pal. reſp. quod nubes, ſonus, flatus in quibus miſſus fuit Spiritus ſanctus fuerunt veræ res, nam nubes lucem micabat, ſonus fuit procul auditus, & flatus fuit vehemens; linguæ autem non fuerunt veræ linguæ, ſed formæ, & fortaſſe linguarum hominum; columba verò, & ignis, quamuis vtraque pars defendi poſſit, probabilior tamen ſententia eſt, quod columba non fuerit vera columba, ignis tamen fuerit verus ignis. diſp. 1

Gg Dio-

q. 3. Dionyſ. Carth. reſp. quod linguæ illæ verè corporaliter forinſecus videbantur, vt ſcriptura teſtatur, & ſimiliter erant verè, ac vniuocè columba, & ignis, flatus, ac nubes, & illa columba erat viua, & vera ſupernaturaliter facta; ſic enim multo conuenientius deſignantur proprietates Spiritus ſancti, quã per ſimilitudines earundem.

q. 6. Franc. a Chriſto reſp. quod huiuſmodi ſpecies, non fuerunt res tales, quales apparuerunt, ſed earum ſimilitudines extra animam exiſtentes.

q. 43. a. 7. diſp. 2 Ludou. Molina reſp. quod flatus verus flatus fuit, ſimiliter & nubes angelorum miniſterio ex aere compreſſo formata; ſed ignis in forma linguarum non fuit verus ignis, tum quia combuſſiſſet, tum quia dicitur in act. Apoſt. quaſi ignis; neque columba fuit verũ animal, cum ad ſignificandum tunc, quod intendebatur ſufficiens erat ſpecies, ſiue ſimilitudo columbæ, vnde & in Euang. dicitur, quod deſcendit Spiritus ſanctus quaſi columba.

diſp. 27. ſect. 2 Franc. Suar. reſp. quod non fuit vera columba, in qua Spiritus ſanctus fuit miſſus ſuper Chriſtum; tum quia ad finem illius apparitionis ſatis, ſuperque erat imago columbæ, cum ſolum eſſet ad repreſentandum; tum quia poſt illam apparitionem non fuiſſet decens, aut ipſam conſeruari, aut corrũpi; tum tertiò, quia in alijs apparitionibus, non niſi res adeo ſimplices, & imperfectæ, vt flatus, & nubes, res veræ fuerunt; reliquæ vt viuentes, & perfectæ, non res veræ fuerunt, vt cum tres viri apparuerunt Abrahæ, & ſimiles. Et l. 12. de Tr. c. 6. dicit, quod flatus verus fuit, nam Chriſti inſufflatio, vera, corporalis, & vitalis fuit, & ſimiliter Spiritus ſanctus vehemens in die Pentecoſtes fuit verùs aer, verè, & realiter commotus; linguæ autem fuerunt quædam exhalationes ignitæ & lucidæ, velut cometæ non carneæ, aut verus ignis.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ex circunſtantijs facti, & ex ratione faciendi facile colligimus ſpecies illas, in quibus apparuit Spiritus ſanctus veras res fuiſſe, non quidem in genere proximo, ita vt fuerit illa columba verum animal, aut ille ignis verum elementum, hoc enim neque neceſſarium erat, neque congruum; ſed in genere remoto, ita quod illa columba, & ignis fuerint veræ ſubſtantiæ apparentes ſub accidentibus columbæ, & ignis corporeis oculis, & non in ſenſu interiori tantum; & quidem non erat conueniens, vt ſigna illa occultarentur in homine, quorum ſignificata manifeſtari oportebat ad omnes homines; de flatu autem, nihil repugnat quin fuerit verus flatus, & nubes, vera nubes, ex compreſſione aeris tunc diuina potentia formata.

Obiectio. Sed ſi miſſio Spiritus ſancti non fiebat indifferenter ad omnes? corporales autem rerum ſpecies omnibus indifferenter apparent.

Reſpondetur, quod miſſio Spiritus ſancti principaliter non fiebat indifferenter ad omnes, ſed ad vnam tantum perſonam, vt in colũba, vel ad plures, vt in igne; ex redundantia tamen gratiæ, quæ per illas ſpecies ſignificabatur, cuius omnes participes eſſe poterant, fiebat ad omnes, & ſic erat conueniens, vt per ſpecies corporales fierent, quæ ab omnibus videri poſſent.

QVÆSITVM VI.

An ſpecies illæ, in quibus miſſus eſt Spiritus ſanctus fuerint formatæ miniſterio Angelorum?

ALex. reſp. quod hæ omnes apparitiones factæ a quacumque diuina perſona, tam in veteri, quam in nouo teſtamento, excepta illa apparitione, qua Filius apparuit in carne, fuerunt factæ miniſterio Angelorum. q. 74. m. 4.

D. Thomas reſp. quod illæ ſpecies viſibiles, in quibus apparuit Spiritus ſanctus formatæ fuerunt miniſterio Angelorum, nõ quidem ad ſignificandam perſonam Angelorum, ſed ad ſignificandã perſonam Spiritus ſãcti. p. p. q. 43. a. 7.

Aegidius reſp. quod quia Deus adminiſtrat corporalem creaturam mediante ſpirituali, lex enim deitatis eſt (inquit D. Dyon.) infima per media reducere in ſuprema, ideo congruè dici poteſt oẽs illas ſpecies, in quibus apparuit Spiritus ſanctus eſſe formatas miniſterio Angelorũ. Item Thomas ab Argentina. Et Ricardus. Ad oſtendendam (inquit) affluentiam bonitatis ſuæ voluit Deus illas ſpecies formare mediantibus cauſis ſecundis. pt. 2. q. 2.

Petrus Aur. reſp. quod harum ſpecierum productio, motus, & tranſlatio, erat immediatè a Spiritu ſancto abſque aliquo miniſterio Angelorum, & hoc probat dupliciter; primò; miſſio Spiritus ſancti inuiſibilis dicitur pro eo, quod ex miſſione deriuatur gratia inuiſibilis in anima, ad quam dicitur mitti, igitur a ſimili debet dici viſibilis, quia ſignum viſibile deriuatur ab ea; ſecundò; appari- a. 2. a. 3.

Digitized by Google

ſiones veteris teſtamenti non appellantur miſſiones alicuius diuinæ perſonæ proprio; quod fiebant miniſterio Angelorum; igitur ex oppoſito illæ dicuntur miſſiones Spiritus ſancti, quia immediatè, & completè fiunt a Spiritu ſancto.

q. 19. a. 3. Marſilius reſp. quod illæ ſpecies fiebant miniſterio Angelorum, quia nõ aſſumebantur in vnitatem ſuppoſiti.

d. 16. q. 3. Dyoniſ. Carth. reſp. quod Angelus exhibuit miniſterium ad formandum corpus columbæ, ſed animam eius non videtur potuiſſe in inſtanti educere, neque creare; diuina tamen virtute fieri potuit, quod per cauſas naturales fit ſucceſſiuè.

d. 16. q. vn. Nicolaus de Orb reſp. quod licet Deus ſpecies illas immediatè per ſe facere potuiſſet, ſi voluiſſet, nihilominus ad oſtendendum affluentiam ſuæ bonitatis voluit ipſas facere miniſterio Angelorum.

Reſolutio.

RESpondeo, quod licet nulla certa ratione moti, aut ſcripturæ auctoritate cogamur dicere, quod huiuſmodi ſpecies fuerint formatæ magis miniſterio Angelorum, quam immediatè a Deo, vtrumque enim abſque repugnantia fieri potuit, congruum tamẽ magis videtur dicendũ eſſe, ipſas Deum immediatè formaſſe, quã miniſterio alicuius creaturæ; ſicut enim ratio talis miſſionis erat ad indicandam iuſtitiam, ſanctitatem, humilitatẽ Chriſti, ſuperabundantem gratiam apoſtolorum, & victoriam verbi Dei, ita congruum erat, vt ille tales ſpecies formaret, qui hæc præſentialiter indicaret; & quemadmodum conceditur de Angelis, quod illi formant ſpecies, in quibus apparent, & operantur, ita non eſt negandum de Spiritu ſancto, quod illas immediatè formauerit, in quibus aliquãdo & ipſe apparuit, & operatus eſt.

Obiectio. Sed ſi Angeli ſunt ſpiritus adminiſtratorij in miniſterium miſſi?

Reſpondetur, quod non ſemper, & in omnibus vtitur Deus miniſterio Angelorum; quandoque enim per ſe, & immediatè operatur, ſecundum quod magis ſapientiæ ſuæ congruere videtur.

QVÆSITVM VII.

An miſſio viſibilis Spiritus ſancti debeat fieri quocũque tẽpore, & ad quaſcunque perſonas?

d. 16. a. 1. ALbertus reſp. quod miſſio viſibilis in veteri teſtamento eſſe non debuit, quia illa eſt ad copiam gratiæ demonſtrandam, & gratiæ propagationẽ, quæ non fuit in priori ſtatu, quia Ieſus nodum erat homo, nec nondum glorificatus.

p. 1. q. 43. a. 7. D. Thomas reſp. quod ad Patres veteris teſtamẽti miſſio viſibilis Spiritus S. fieri non debuit, quia prius debuit perfici miſſio viſibilis Filij, quã Spiritus ſancti, cũ Spiritus ſanctus manifeſtet Filium, ſicut Filius Patrem.

d. 16. q. 2. D. Bonau. reſp. quod miſſio viſibilis Spiritus ſancti eſt ad oſtendendum inhabitationem eius, ſecundum plenitudinis redundantiam, & ideo nec fuit facta tempore legis ſcriptæ, quia non erat adhuc plenitudo temporis, nec fit modo, quia manuducti ſumus ad fidem, & ideo ſicut ceſſauerunt miracula, ita & exteriora ſigna.

p. 1. q. 2. Aegidius reſp. quod ad miſſionem viſibilẽ requiruntur tria, primum temporis plenitudo, ſecundum redundantia gratiarum ratione eorum, ad quos fit miſſio per eos in alios per miſterium ſacramentorum, & doctrinam, tertium fidei inclinatio ratione populi, in quem debet gratia redundare; propter primum non fuit facta miſſio Patribus veteris teſtamenti; propter ſecundum non fuit facta B. Virgini; propter tertium non fit modo; & quoniam tempus Chriſti, & Apoſtolorum erat tempus plenitudinis, & per ipſos redundare debebat gratia in alios, & fides tunc inchoabatur, ideo ad eos tantum, & eo tempore miſſio viſibilis fieri debuit.

d. 16. q. 3. Ricardus reſp. quod miſſio viſibilis non ſolum oſtendit plenitudinem redundantiæ in perſona, ad quam fit, ſed cum hoc oſtendit tempus plenitudinis gratiæ, ad redundantiam, & ideo non debuit fieri niſi ad aliquos homines eius temporis, vt ad Chriſtum, ad apoſtolos, & ex ſingulari priuilegio etiam ad beatam Virginem.

q. 2. Durandus reſp. quod miſſio viſibilis non debuit fieri ante aduentum Chriſti, quia ſignum plenitudinis gratię non debuit dari ante tempus plenitudinis; nec etiam modo debet fieri, quia illius, cuius probatio ſemel facta eſt, non oportet iterari probationem, miſſio autem viſibilis fit ad confirmationem doctrinæ fidei; nec ſimiliter debuit fieri ad aliquam mulierem, quia cum fiat ad ſignificandam redundantiã gratiæ in alios per miniſterium Sacramentorum, ſiue per prædicationem, mulieribus prædicare, & docere non licet, niſi tamen ex ſingulari priuilegio, ſicut facta eſt ad ad B. Virg. in die Pentecoſtes exiſtentem cum cæteris Apoſtolis.

a. 5. Quare autem non ſoli exiſtenti fuerit fa-

Digitized by Google

a.4. cta, reſpondet Petrus Aureolus, quia miſsio viſibilis ad ſingularem perſonam fuit priuilegium Chriſti.

q.vni. a. 2. Gerardus reſp. quod miſsio viſibilis non debuit fieri ante Chriſti aduentum, quia non adhuc erat tempus plenitudinis, nec modo fieri debet, quia iam Eccleſia fundata eſt, & ſatis ſunt probata, quæ credimus; nec quibuſcunque hominibus, ſed tantum Chriſto, tanquam capiti Eccleſiæ, & Apoſtolis tanquam principalibus membris eius, per quos veritas fidei acciperet firmitatem.

d.16. Ioan. de Baſſ. reſp. quod Spiritus ſanctus non fuit miſſus viſibiliter antiquis patribus, quia non erat tempus gratiæ; ſignificat enim hæc viſibilis miſſio redundantiam gratiæ ad illos, ad quos fit; fuit autem miſſus ad Chriſtum ad ſignificandam plenitudinem gratiæ eius, & ad Apoſtolos ad conferendum copiā gratiæ, & confirmandam in ea. Item Nicol. de Nijſe, & Nicol. de Orbellis.

q.4. Franc. a Chriſto reſp. quod miſſio viſibilis non debet fieri modo, quia quæ ad fidem pertinent ſatis ſunt probata, neque ad fœminas, quia non licet eis diuina eloquia explicare, neque ante aduentum Chriſti, quia non erat tempus plenitudinis gratiæ diffundendæ.

q.vn. Ioan. Viger. reſp. quod duplici de cauſa tempore legis ſcriptæ non debuit mitti Spiritus ſanctus viſibiliter; primò, quia illud non erat tempus plenitudinis; ſecundò, quia Spiritus ſanctus non debuit mitti viſibiliter ante miſſionem Filij; modo autem non fit miſſio, quia fides eſt confirmata, & ordinata ſatis, & quantum eſt ex parte ſui.

q.vn. Gabriel Biel reſp. quod non decebat ſignū plenitudinis gratiæ exhiberi ante tempus plenitudinis gratiæ Chriſti, quæ in cæteros redundabat tripliciter; effectiuè principaliter quia erat Deus; meritoriè in ſacramentorum collatione; & miniſterialiter in ſua prædicatione.

Reſolutio.

RESpondeo, quod de miſſione viſibili Spiritusſancti nō poſſumus aliquid certò determinare, præter ea, quæ olim facta legimus, vnde ſyllogizantes ab effectu, dicimus fuiſſe factam ad indicandum iuſtitiam, ſanctitatem, humiliationem Chriſti, gratiam ſuperabundantem Apoſtolorum, & victoriā verbi Dei, & ſecundum hæc non debet fieri quocunque tempore, & ad quaſcunque perſonas; poteſt tamen eſſe aliqua ratio in mente diuina, quæ nobis ignota eſt, per quam aliquo alio tempore, & ad alias perſonas cōgruat ipſum viſibiliter mitti ad aliquid aliud indicandum, & efficiendum; non enim credendum eſt miſſionem viſibilem Spiritus ſancti coarctatam eſſe, & determinatam ad vnū.

Sed ſi ad miſſionem viſibilem Spiritus ſancti eſt neceſſaria inchoatio fidei? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod ſecundum ea, quæ iam per experientiam nouimus, eſt quidem ad miſſionem viſibilem Spiritus ſancti neceſſaria inchoatio fidei; non repugnat tamen, quod in mente diuina ſit alia ratio, per quam etiam ipſa fide inchoata, mittat denuò viſibiliter ad certas perſonas ipſum Spiritū ſanctū.

DISTINCTIO DECIMA SEPTIMA.

Iam nunc accedamus ad aſſignādam miſſionem Spiritus ſancti, &c.

QVÆSITVM I.

An poſſit ſuſtentari ſententia Magiſtri, qua dicit, quod Spiritus ſanctus eſt charitas, qua Deum diligimus, & proximum?

ALbertus reſp. quod ſicut vnum eſt lumen extenſum ſuper omnes animas, quo ſicut primo & exēplari, de omni vero iudicamus, & ſicut eſt vnum bonum primum, ad quod omne bonum referimus, & quantum bonum ſit, illo iudicamus; ita eſt vna charitas, ad quam ſicut exemplar omnis amor, & omnis dilectio, & omnis charitas noſtra refertur, vt comparatione illius, & aſſimilatione charitas dici mereatur, & illa eſt Spiritus ſanctus, quo ſicut primo, & cauſatiuo, & exemplari, & primo quaſi formali Deum diligimus, & proximum; habitus tamen, & affectus, & paſſio, & actus charitatis, quibus diligimus Deum, & proximum, eſſentialiter non ſunt Spiritus ſanctus. Et 1. ſent. diſ. 17. reſp. quod Spiritus ſanctus appropriatè, non propriè eſt charitas, qua effectiuè diligimus Deum, & proximum. q.36. m.2 ar.1. a. 1.

q.23. a.2. D. Thomas reſp. quod non fuit intentio Magiſtri, quod motus dilectionis, quo Deum diligimus eſſet ipſa perſona Spiritus ſancti, ſed quod iſte motus dilectionis eſſet a Spiritu ſancto immediatè, non mediante aliquo habitu, ſicut a Spiritu ſancto ſunt alij actus virtuoſi mediantibus habitibus aliarum virtutum.

D. Bonau. reſp. quod Magiſter non dicit quod creatum ſit increatum, ſed quod ſufficiat donum increatum ſine creato, & in hoc d.17. p.1. q.1.

non

Digitized by Google

non fuit error, ſed defectus tantum.

a.1. Ricardus reſp. quod charitas, qua Deum
q.1. diligimus, & proximum, eſt forma inhærens non autem Spiritus ſanctus; primò, quia per charitatem fit animæ reformatio, hæc autem non fit niſi forma inhærente; ſecundò, quia per charitatem anima aſſimilatur Deo, aſſimilatio autem non fit niſi forma inhærente; tertiò, quia anima per charitatem ſpecialiter viuit, quod autem viuit, viuit per formam inhærentem, & informantem.

d.17. Guilelmus Occham reſp. quod Magiſter
q.1. loquitur de charitate, ſine qua nullus poteſt eſſe charus, & acceptus Deo, & ſine qua nullus poteſt facere opus aliquod meritoriũ; & ſic loquendo de charitate, ipſa charitas eſt gratuita Dei voluntas acceptans aliquem tanquam dignum vita æterna, ita quod tunc hoc nomen charitas importat principaliter diuinam voluntatem connotando aliquem dignũ vita æterna, & ita principale ſignificatum eſt Spiritus ſanctus, & ſic intelligit Magiſter quando dicit charitatem eſſe Spiritum ſanctum. Item Gabriel.

d.17. Adam Godam reſp. quod quando Magiſter
q.1. dicit, quod charitas eſt Spiritus ſãctus accipit charitatem pro gratuita Dei voluntate, ſiue diuina acceptatione, quæ ideo dicitur Spiritus ſanctus, quia eſt appropriata Spiritui ſancto. Item Guilelmus Rubion.

d.14. Laurentius Opimus reſp. quod Spiritus ſanctus dum inuiſibiliter mittitur ad mentem noſtram, actuat quidem eam ſecundum actũ mentaliter perfectiuum, ſed non realiter informatiuum, alioquin ſequeretur quod creatura eſſet formaliter immenſa, vel creator eſſet a creatura dependens, & terminatus.

d.17. Andr. de Nouo Caſtro reſp. quod eſt impoſſibile, quod Spiritus ſanctus ſit voluntati forma, qua formaliter homo eſt diligens Deũ; quia eſt impoſſibile, quod Deus informet animam, & quod ſit homo bonus, ſapiens, potens, bonitate, ſapientia, & potentia diuina, & a pari, diligens dilectione diuina; imò ſi huiuſmodi dilectione diligeret, ſequeretur quod & Deus mutari poſſet, & diligens tali dilectione ſummè diligeret, & eſſet perfectus.

d.17. Ioannes Maior reſp. quod per emphaſin
q.1. dicendus eſt Spiritus ſanctus charitas, & cauſaliter, quia ab ipſo cauſatur.

d.17. Guilelmus Varill. reſp. quod dictum Ma-
a.3. giſtri, quod Spiritus ſanctus eſt charitas, qua Deum diligimus, debet cauſaliter intelligi, quia in nobis Deus efficit charitatem; & exemplariter, quia ſicut Spiritus ſanctus dicitur nexus Patris, & Filij, ita nos per charitatem vnimur Deo, & proximo.

Guilelmus Eſtius reſp. quod ſicut Spiritus d.17. ſanctus non eſt propriè vita, qua viuimus, §.1. nec ſapientia, qua ſapimus, ita nec dilectio, qua diligimus; impropriè tamen hoc concedi poteſt; cum ipſe ſit fons, & auctor dilectionis; ſicut etiam dicitur Deus vita noſtra, conſolatio noſtra, & huiuſmodi.

Reſolutio.

RESpondeo quod Spiritus ſanctus eſt quid per ſe ſubſiſtens, nullum autem tale poteſt eſſe ratio agendi, ſeu virtus in aliquo agente per ſe, & propriè, ſicut enim quodcunque propriè, & per ſe exiſtens exiſtit exiſtentia ſua, & quodcunque propriè, & per ſe viuens viuit vita ſua, ita vnumquodque propriè, & per ſe agens agit virtute ſua, & actione ſua, idcirco cum per ſe, & propriè diligamus Deum, ipſum diligimus per virtutem, & dilectionem exiſtentem in nobis, quæ eſt charitas creata, non ſubſiſtens, & extranea, qualis eſt Spiritus ſanctus; & ſecundum hunc ſenſum ſententia Magiſtri ſuſtineri nó poteſt.

Sed ſi toties legitur in ſcripturis, & dicitur Obiectio. a ſanctis Patribus, quod Deus charitas eſt, & dilectio?

Reſpondetur, quod charitas, qua diligimus Deum dicitur Deus, quia eſt participatio diuinæ charitatis, non autem quod formaliter ſit Deus; & ſecundum hunc ſenſum loquuntur ſancti Patres, & ſcripturæ Deum appellant charitatem. Ita D. Thomas. Et Aegidius. Deus, ſeu Spiritus ſanctus dicitur charitas, & dilectio exemplariter. Gregorius, cauſaliter. Argentina, cauſaliter, & exemplariter.

QVÆSITVM II.

An ad diligendum Deum, & proximum meritoriè, requiratur aliquis habitus ſupernaturaliter infuſus, qui eſt charitas?

D. Thomas reſp. quod ſicut omne eſſe d.17. eſt a forma aliqua inhærente, vt eſſe q.1. album ab albedine, ita anima non a.1. poteſt eſſe bona, niſi per habitum inhærentẽ, & informantem, qui eſt charitas, & conſequenter nec Deum diligere, & proximum, quod eſt actus huiuſmodi habitus. Actus itẽ proportionatur potentiæ; vnde cum actus diligendi Deum ſit actus perfectus, quia meritorius, debet etiam eſſe a potentia perfecta, & non niſi per habitum creatum, qui eſt charitas; requiritur ergo huiuſmodi habitus.

Et

Digitized by Google

p.2. q.109 a.5. Et iterum. Actus perducentes ad finem debent eſſe proportionati illi fini; cum itaque vita æterna ſit finis excedens potentiam humanæ naturæ, non poteſt homo per ſua naturalia producere opera meritoria vitæ æternæ, & Deum diligere, niſi per aliquam altiorem virtuté proportionetur ei. Et 2.2 q. 23. ar. 2. De ratione (inquit) voluntarij eſt, quod principium eius in ipſo ſit; ſed Deum diligere, & proximum eſt voluntarium; ergo de ratione eius eſt, vt ſit à principio, quod in ipſo eſt. Nullus item actus producitur ab aliqua potentia actiua, niſi ſit ei connaturalis per aliquam formam, quæ ſit principium actionis; ſed actus diligendi Deum eſt à noſtra voluntate, vt à potentia actiua; ergo requiritur aliqua forma connaturalis ei, quæ non poteſt eſſe niſi habitus ſupernaturalis, quia actus eſt ſupernaturalis, & non niſi charitas. Itẽ Actus perfectus eſt à forma inclinãte potentiam ad ipſum, & ad promptè, & delectabiliter operari; ſed hæc forma non poteſt eſſe niſi virtus charitatis, quia nulla virtus habet tantam inclinationem ad huc actũ, nec alia ita facit promptè, & delectabiliter operari, ſicut facit charitas; ergo ad actũ perfectum dilectionis requiritur charitas.

d.17. p.1. q.1 D. Bonau. reſp. quod ex tribus conſtat charitatem, qua Deum diligimus, & proximum eſſe habitum, quæ animam informat, vt bonitas, & perfectio eius; ex ratione ſuæ eſſentiæ, quia charitas eſt bonitas creaturæ rationalis ipſam perficiens, & diſtinguens, & ordinans, & diſponens ad vitam æternam; ſecundò, ex ratione ſuæ virtutis, quia charitas eſt virtus, non tantum, qua Deus cooperatur nobis, ſed etiam, qua noſtra voluntas cooperatur Deo, & conformatur ei; tertiò, ratione ſuæ operationis, quia reformatio, vel recreatio, vnio, & directio, non tantum ſunt ab aliquo, vt ab efficiente, ſed etiam vt ab informante.

pr.1 q.2. Aegidius reſp. quod ſicut non poſſumus intelligere veritatem primam, niſi mediante aliquo lumine, ſiue habitu medio eleuante intellectum, quod dicitur lumen gloriæ, ita nec poſſumus bonitatem primam diligere, niſi mediante aliquo habitu ſupernaturaliter infuſo. Et ſicut quanto agens eſt perfectius, tanto magis imprimit formam in paſſo, per quam agat, ita & Deus cum ſit agens perfectiſſimum in eleuãdo animam ſuper ſeipſam, quod eſt per actum dilectionis meritorium, conueniens eſt, vt conferat ei aliquam formam, & aliquem habitum, per quem eleuetur; quis ſit autem huiuſmodi habitus? reſp. quod ſecundum opinionem Magiſtri eſt tantum habitus gratiæ; ſed ſecundum communem ſententiam, ad quam ſe declinare affirmat (quamuis rationes ad vtramque partem ſoluat) eſt habitus charitatis.

a.1. q.1. Ricardus reſp. quod ad tria neceſſariò requiritur habitus charitatis in voluntate; primum, vt per ipſum voluntas etiam non actu agens habeat Spiritum ſanctum, ſicque ei habitualiter remaneat vnita; ſecundum, vt ſit prompta, & digna ſuſcipere eius motionem; tertium, vt in mouendo ſe ad bonum actum efficaciter cooperetur motioni principalis motoris.

d.17. q.2. Ioan. Scotus reſp. quod ſecundum ordinem, quem videmus non poteſt homo Deum diligere, & proximum meritoriè ſine aliquo habitu ſupernaturaliter informante; nec ſine eo poteſt eſſe acceptus Deo; & probat, quia ad hoc quod aliqua natura ſit accepta Deo, & actus eius ſimiliter ſit meritorius, neceſſe eſt, vt ſit ab aliquo habitu tali, cum Deus non habeat aliam volitionem ſecundum rationem de obiecto nullo modo diuerſificato, diuerſificatur autem per informantem habitum; nec etiam actus eius, vt Deo acceptabilis, eſſet in poteſtate agentis; niſi illud, quo formaliter ageret, ſic eſſet forma eius.

q.1. Herueus reſp. quod ſecundum ſtatum præſentis vitæ anima noſtra non poteſt elicere actum diligendi Deum meritoriũ vitæ æternæ ſine aliquo habitu exiſtente in eo, quia impoſſibile eſt, quod aliquis benè & virtuosè operetur, niſi per potentiam perfectam; at potentia nuda ſine habitu formaliter ſibi inhærente perfecta eſſe non poteſt; ſi enim per ſolum actum diceretur virtuosè operari, tunc nullus eſſet bonus, & virtuoſus, niſi dum eſſet in actu operandi, quod eſt falſum.

q.1. Ioan. de Neap. reſp. quod ad actum dilectionis meritoriæ ponendus eſt huiuſmodi habitus charitatis; primò, quia homo etiam in alijs eſt perfectior cum habitu, quam ſine; ſecundò, quia carens charitate caret omni virtute; tertiò, quia cauſalitas Spiritus ſancti non excludit cauſas medias; quartò, quia habitus facit promptè, & delectabiliter operari.

q.2. Durandus reſp. quod ſicut duplex eſt debitum, de congruo ſ. & de condigno, ita duplex eſt meritum, de congruo, & de condigno; ad merendum ergo de congruo non eſt neceſſarium ponere in nobis charitatem habitualem, quia peccator carens ea penitendo meretur de congruo gratiam iuſtificantem, ad merendum autem de condigno, ſi me-

Digitized by Google

meritum de condigno propriè, & ſtrictè ſumatur, quod eſt actio voluntaria, propter quam alicui merces debetur ex iuſtitia ſic, quod ſi non reddatur, ille, ad quem pertinet reddere, iniuſtè facit; cum tale meritum non poſſit eſſe hominis ad Deum, non eſt neceſſarium ponere charitatem habitualem; ad merendum tamen de condigno, vt meritum de condigno ſumitur largè, quod eſt meritum de condigno ſecundum quid, & eſt quædam dignitas, quam Deus ex ſua ordinatione requirit in nobis ad hoc, vt opera noſtra acceptentur, vt remunerabilia vita æterna, ſic eſt neceſſarium ponere habitum charitatis.

a.2. Petus Aur. reſp. quod ad actum dilectionis meritoriæ requiritur de neceſſitate influxus Spiritus Sancti, qui eſt charitas, qua (ſicut ſol agit radio in aerem) ita ipſe habitualiter operatur, & dirigit voluntatem ad integritatem debitarum circunſtantiarum, cum ex puris naturalibus homo non ſufficiat ad actum, quo tenetur diligere Deum propter circunſtantiarum multitudinem, & integritatem, quam oportet cōcurrere ad hoc, quod actus ſit acceptus, & debito modo elicitus.

q.1. Franc. Maro reſp. quod ad hoc, quod diligatur Deus meritoriè requiruntur hæc quatuor; voluntas; diuina acceptatio, vt formale meriti ſupernaturalis; generalis influētia; & charitas, quia hæc requiruntur ad quemcunque actum meritorium; & ſi dicatur, quod eſt error Pelagij non ponere ſpecialem influentiam, reſpondet, quod non, quia nihil aliud ipſe ponebat præter naturalia, & influentiam generalem.

q.3. Guilelmus Occham reſp. quod nullus de facto elicit actum meritorium ſine habitu charitatis formaliter inhærentis: vt teſtantur doctores ſancti. Item Gregorius.

q.2. Adam Godam reſp. quod propter hæc tria ponitur charitas creata in anima de lege cōmuni; primò, propter ſubſtantiam actus, quia in actum intenſiorem poteſt voluntas cum ea, quam ſine ea; & ſicut facit ad ſubſtantiam actus, ita ſecundò proportionabiliter ad conditiones naturales actus, & tertiò ad conditionem meriti, quia acceptum eſt Deo, quod voluntas libere vtatur principio ſibi dato ad amorem Dei, & proximi.

q.1. a.3. Thomas ab Argent. reſp. quod ad diligendum Deum meritoriè neceſſariò requiritur habitus charitatis, & ad hoc probandum vtitur rationibus iam propoſitis; prima, quia talis actus non eſſet meritorius, vt non voluntarius, nec a principio intrinſeco; ſecunda, quia nihil poteſt eſſe tale formaliter vt album niſi per aliquid ſibi formaliter inhærens, vt per albedinē; tertia, quia nō eſt poſſibile fieri tranſitum de oppoſito in oppoſitū niſi mediante aliqua mutatione, quæ fiat per aliquod inhærens formaliter; quarta, quia in actu dilectionis Dei eſt maxima delectatio, hæc autem eſt ſignum acquiſiti habitus.

Gerardus reſp. quod actus dilectionis ad hoc, quod ſit meritorius exigit habere tantā rectitudinem, vt ſecundum eam attingat omnes circunſtantias, quæ ſub diuino beneplacito cadunt, quod cum ex principijs tantum naturalibus ſit impoſſibile, neceſſariò requiritur aliquod principiū ſupernaturale ipſum rectificans, quod cum non poſſit eſſe Spiritus Sanctus, quia nec eſt actus noſter, nec eſt in noſtra poteſtate, aut quid nobis intrinſecum; igitur aliquis habitus; ſecundò; meritum debet eſſe commenſuratum ſecundum exiſtentiam præmij; cum itaque præmium actus dilectionis meritoriæ ſit ſupra naturam totam; ergo debet dari aliquod principium ſupernaturale menſurans, & inclinans in illud ſecundum exigentiam ipſius. q.1. a.2.

Alphonſus reſp. quod loquendo ſecundum leges inſtitutas a Deo nullus actus voluntatis poteſt eſſe meritorius vitæ æternæ ſine dono, vel habitu charitatis infuſæ formaliter inhærente, quoniam qui non eſt Deo charus; non poteſt habere actum meritorium vitæ æternæ, nullus autem poteſt eſſe Deo charus, niſi per habitum charitatis infuſæ. Item Petrus Aliacenſis. d.18. q.vn. a.2.

Ioannes Bacc. reſp. quod ſecundum ordinem, quem videmus ad hoc quod diligamus Deum & proximum requiritur, vt in voluntate præcedat aliquid creatum .ſ. quædam paſſio de genere paſſionis, vel de tertia ſpecie qualitatis, quæ diſpoſitio eſt, & motio cauſata a Spiritu ſancto; licet enim voluntas ſe habeat actiuè reſpectu exercitij ſui actus, tamen paſſiuè ſe habet reſpectu determinationis ad actum; cum itaque Spiritus Sanctus voluntatem determinet reſpectu actus meritorij, voluntas non poteſt exire in exercitium actus meritorij, niſi prius patiatur quandam motionem eius, quæ talem actum præcedat. q.1. a.1.

Ioannes de Baſſolis reſp. quod in omni potentia habituali, congruum eſt ponere aliquē habitum in ordine ad obiectum ſuum primum, per quem perficiatur in ordine ad illud; & ſimiliter in potentia, quæ nata eſt cōplacere ſpecialiter alicui amanti, congruum eſt ponere aliquem decorem; cum itaque volun- d.17. q.1.

Digitized by Google

luntas noſtra ſit potentia habitualis, & nata complacere ſpecialiter Deo amanti, idcirco congruum eſt ponere in ea aliquem habitum reſpectu ſummi boni, quod eſt ſuum primumobiectum, qui eſt charitas, & ſimiliter aliquem decorem ſpiritualem, qui ſimiliter eſt charitas; quod autem ita ſit de facto, demonſtrari non poteſt, nec eſt facile id idem ex ſcripturis probare.

q.3. Laur. Opim. reſp. quod ſicut requiritur fides, vt eliciatur actus fidei; ita & charitas, vt eliciatur actus dilectionis meritoriæ, eſt enim vtraque virtus creata ſupernaturaliter infuſa.

q.1. Antonius Andreas reſp. quod cum dilectio, qua voluntas Deum diligit ex puris naturalibus non ſit meritoria, neceſſe habemus dicere, quod aliquis habitus infunditur animæ, quo mediante redditur Deo grata, & actus eius.

q.1. a.2. Michael de Pal. reſp. quod ſicut depulſa vna forma in rebus introducitur altera, ita ad depulſionem peccati introducitur charitas; ideo autem introducitur, vt operationes meritoriæ formatiores ſint, ſeu perfectiores.

q.vn. Guilel. Varrill. reſp. quod de potentia Dei ordinata nemo ſine charitate creata mereri poteſt, cum enim, quod operatur homo, intantum habeat rationem meriti, inquantum Deus acceptat, & non plus; & Deus vult, vt prius ſit voluntas ordinata charitate, quam eliciat actum; igitur ipſa mereri non poteſt ſine charitate.

q.vn. Franc. a Chriſto reſp. quod actio perfecta proficiſcitur a facultate perfecta; & quoniã actio dilectionis meritoriæ eſt perfecta, igitur proficiſcitur a facultate perfecta; ſed facultas perficitur adiũctione habitus; igitur ad diligendum Deum meritoriè eſt neceſſarius habitus, qui formaliter ipſam perficiat, & non ſolum ipſam operationem bonam faciat, ſed & ipſum operantem formaliter bonum reddat, & huiuſmodi eſt charitas ipſa.

§.4. Guilel. Eſtius reſp. quod oportet ineſſe homini habitum charitatis ad hoc, vt opera charitatis promptè, & delectabiliter exerceat quod probat multipliciter; primò, quia actus diligendi eccedit facultatem noſtræ naturæ; ſecundò, quia etiam ad actum credendi informatur intellectus aliquo habitu; tertiò, quia habitus cupiditatis non expellitur, niſi habitu charitatis, vt ſuo contrario; quartò, quia dormiens non eſt actu dilector, & tamen eſt dilector; quintò, quia charitas in beatis formaliter inhæret; ſextò, quia aliquando maior eſt, aliquando minor.

Reſolutio.

RESpondeo, quod charitas, quæ eſt principium omnis meriti requiritur ad diligendum Deum meritoriè, non ſolum, vt ſupponitur ad meritum, ſicut fides, ſed etiam, vt habitus elicitiuus dilectionis meritoriæ; nam in dilectione meritoria ſunt plures actus; ſicut enim alius eſt actus fidei credere Deum redemptorẽ, & alius credere Deum creatorem, ſic etiam alius eſt actus dilectionis, quo Deum diligimus, vt redemptorem, & alius vt creatorem; vt autem actus non diſtinguantur ſpecie, quia ſic non eſſent eiuſdem rationis debent fundari ſuper vnum, & eundem habitum, & ab eodem elici, & ſi quando interrumpuntur ab eodem faciliter iterari; requiritur ergo habitus elicitiuus ad diligendum Deum meritoriè, qui non poteſt eſſe niſi charitas, quia charitas eſt dilectio.

Sed ſi non eſt in poteſtate voluntatis quandocunque voluerit elicere actum diligendi Deum, & delectabiliter operari? eſt autem in poteſtate habentis vti habitu, quandocunque voluerit. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod eſt in poteſtate voluntatis vti iſto habitu, quandocunque voluerit, dummodo non ſit impedita; quod autem non ſemper delectabiliter operetur, hoc contingit, quia delectatio eſt ab obiecto, & non tantum a potentia agente circa obiectum. Ita Scotus.

QVÆSITVM III.

An ſit adeo neceſſarius habitus charitatis ad diligendum Deum, & proximum meritoriè, vt etiam de potentia Dei abſoluta, nequeamus ipſum meritoriè diligere ſine eo?

IOannes Scotus reſp. quod homo poteſt Deum diligere, & proximum naturaliter, & Deus de potentia ſua acceptare hunc actum, tanquam meritorium vitæ æternæ abſque aliquo habitu ſupernaturaliter informante. *d.17. q.2.*

Ioannes de Neap. reſp. quod Spiritus ſanctus poteſt de potentia abſoluta mouere voluntatem ad actum dilectionis ſupernaturalis ſine omni habitu ſupernaturali inhærente ei; non enim minus poteſt voluntas, vt eſt inſtrumentum Dei, quam poſſit vna res naturalis, vt eſt inſtrumentum alterius; vnde cum hoc aliqua res poſſit naturalis ſine omni ſibi inhærente, vt calor in generatione carnis; multo magis poteſt voluntas, vt inſtrumentum *diſp.9 q.1.*

Digitized by Google

tum Spiritus ſancti, & eo magis; quia hoc etiam videmus, quod ſine omni habitu ſibi inhærente poteſt in actum moralem, quamuis tamen non ſic promptè, & faciliter; imò etiam intellectus poteſt aſſentire ſupernaturalibus ſine omni habitu fidei exiſtẽte in eo.

d.17. q.1. Franc. Maro reſp. quod quicquid Deus poteſt facere mediante cauſa ſecunda, poteſt ſine ea in genere cauſæ efficientis, & ideo poteſt Deus de ſua potentia abſoluta mouere voluntatẽ noſtram ad ipſum diligendum ſine aliquo medio creato. Item Varrill.

d.17. q.2. Guilel. Occham reſp. quod actus cum tali forma ſupernaturali, & actus diligendi Deũ ſuper omnia ex natura ſua non ſunt meritorij vitæ æternæ, Deus enim cõtingenter acceptat; igitur ſicut vnus poteſt eſſe meritorius vitæ æternæ, ita de potentia Dei abſoluta põt eſſe & alter. Et ſimiliter eadẽ potẽtia fieri poteſt, quod cum actus elicitus poſt charitatẽ infuſam, & actus elicitus ante, ſint eiuſdẽ rationis, poſſit ita vnus acceptari, tanquã meritorius vitæ æternæ, ſicut & alter. Itẽ Gabr.

q.2. Adam Godam reſp. quod actum dilectionis Dei, & proximi circunſtantionatum circunſtantijs merè naturalibus ex parte voluntatis liberè eam cauſantis, ſecundum rectum dictamen conſcientiæ naturalis poteſt Deus de potentia abſoluta acceptare tanquam meritorium vitæ æternæ.

q.1. a.3. Gerardus reſp. quod diuina voluntas non poteſt acceptare, & non acceptare ad vitam æternam vnum, & eundem actum, nulla mutatione facta in eo, alioquin idem actus eſſet meritorius, & non meritorius, quod implicat; & ſic etiam de potentia Dei abſoluta nequimus Deum meritoriè diligere ſine habitu.

q.1. a.4. Gregorius reſp. quod ſicut Deus poteſt immediatè in omnem effectum cuiuſcunque agentis ſecundi, ita poteſt concurrere cum voluntate ad producendum dilectionem omnino ſimilem ei, quæ elicitur mediante charitate, & eſt meritoria; eſt etiam poſſibile quod aliquis abſque habitu charitatis mediãte diuino adiutorio diligat Deum dilectione recta, quam dilectionem poteſt Deus ex ſua gratuita benignitate præmiare vita æterna; igitur & mediante Dei benignitate poteſt eſſe talis dilectio meritoria; poteſt item Deus acceptare ad vitam æternam animam non habentem aliquem habitũ infuſum, neque etiã aliquẽ actum elicitũ; igitur & animam non habentẽ habitum charitatis mouere ad dilectionem ſui meritoriè.

q.1. Guilel. Rub. reſp. quod ſicut ad hoc, quod homo ſit Deo acceptus non requiritur ſimpliciter neceſſariò abſolutè, ſed tantum ex ordinatione diuina, quod ſit informatus gratia, ita & ad actum meritoriũ eliciendũ.

Alphonſus reſp. quod de potentia Dei abſoluta poteſt eſſe aliquis actus meritorius vitæ æternæ etiam ſine dono charitatis infuſæ formaliter inhærente, quia hunc actum ſine tali dono poteſt Deus præmiare præmio vitæ æternæ, & hoc de congruo, & ex gratuita Dei ordinatione, non autem de condigno. q.1.

Ioannes Bacc. reſp. quod Deus de potentia ſua abſoluta poteſt facere, quod diligamus ipſum, & proximum abſque aliquo habitu medio ſupernaturali creato; & hoc probat quadrupliciter; primò, intellectus poteſt in diuinam eſſentiam ſine habitu medio; igitur & voluntas; ſecundò, calor ex ſola aſſiſtẽtia virtutis corporis cæleſtis ſine aliqua inhærentia poteſt (vt dicit Auer. in 7. Meth. t. c. 31.) calefacere; igitur & voluntas, ſi Deus velit ex ſola aſſiſtentia Spiritus ſancti ſine alicuius inhærẽtia, poteſt diligere meritoriè; tertiò, ratio naturalis ſufficienter inclinat voluntatẽ ad volitionem naturalem; igitur & ratio ſupernaturalis ſi Deus velit, poteſt eandem voluntatem inclinare ad volitionem ſupernaturalem, ſine alio medio; quartò, in intellectione, & volitione naturali ſufficit obiectũ aſſiſtens in ſpecie expreſſa, præter hoc, quod voluntas, & intellectus habeat formam impreſſam, igitur de potentia Dei abſoluta hoc idem fieri poteſt in dilectione ſupernaturali. d.17. q.1. a.4.

Nicol. de Orb. reſp. quod loquendo de neceſſitate reſpiciente potentiam Dei abſolutam, nõ eſt neceſſariũ ponere habitum ſupernaturalẽ gratificantem; non enim (inquit Ant. Andr. diſ. 17. q. 1.) alligauit Deus ſuam potentiam vni habitui creato. q.1.

Ioannes de Baſſ. reſp. quod ad hoc quod aliquod opus ſit meritorium ſufficit, quod ſit actus bonus ex genere debitè circunſtantionatus, & præſertim circunſtantia debiti finis, & liberi, & a Deo acceptatus in ordine ad præmium æternum, & ſimiliter ſufficit, quod mẽs Deo grata, & accepta diligat eum ſuper omnia, quod ex puris naturalibus facere poteſt, quia ſecundum naturalem rationem hoc iudicat intellectus, & Deus acceptat talem actum in ordine ad vitam æternam, quæ omnia fieri poſſunt ſine habitu charitatis; vnde non eſt adeo neceſſarius ad diligẽdum Deum meritoriè, quod de potentia Dei abſoluta nequeamus ipſum diligere ſine eo. q.1.

Michael de Pal. reſp. quod Deus de ſua potentia abſoluta poteſt facere hominem ſibi gratum ſine habitu infuſo per ſolum actum d.17. diſſ.1.

Digitized by Google

diligendi donatum, quia ſaltem prius natura Deum poſſumus nos diligere, quam habitibus perfundamur, ſicut etiam ipſe prius diligit nos, quam habitibus perfundat.

Reſolutio.

RESpondeo, quod non repugnat Deum aliquem mouere ad actum dilectionis meritoriæ, cui .ſ. debeatur vita æterna ſine habitu charitatis, ſicut enim non implicat, quod moueat intellectum noſtrum immediatè ad aliquem actum excedentem naturã noſtram, vt ad intelligendum Deum eſſe ſine aliquo habitu, quia vnitas actus non neceſſariò ſupponit habitum; ita non implicat, quod moueat voluntatem noſtram ad vnum actum diligendi; & præordinauerit ipſi actui dare vitam æternam, ſeu conditionauerit illum actum, vt in eo, quod huiuſmodi, & ex natura ſua eſſet dignus vita æterna; & hoc actualiter non habitualiter, nam habitualiter diligere ſine habitu implicat, quod autem implicat, nulli ſubijcitur potentiæ.

Obiectio. Sed ſi in puris naturalibus nullus mereri poteſt? mereretur autem, ſi poſſet Deum, & proximum diligere meritoriè ſine ſupernaturali gratia, ſiue habitu charitatis.

Reſpondetur, quod ſi de potentia Dei abſoluta aliquis Deum diligeret ſine charitate, non mereretur ex puris naturalibus, ſed ex acceptatione diuina. Ita Gregorius.

QVAESITVM IV.

An charitas augmentum recipere poſſit?

lib. 3. d. 5. GVil. Antiſiod. reſp. quod charitas manens vna, & eadem numero poteſt intendi, quæ intenſio attenditur ſecundum motum ſuum, non tanquam ſecundum cauſam, ſed tanquam ſecundum effectum, & ſignum.

d. 17. q. 2. a. 1. D. Thomas reſp. quod augeri, ſiue augmentum recipere, nihil aliud eſt, quam ſumere maiorem quantitatem, & quoniam quãtitas eſt duplex virtualis, & dimenſiua, non augetur charitas ſecundum quantitatem dimenſiuam; ſed ſecundum quantitatem virtualem; cum enim contingat actum charitatis intenſiorem fieri, conſequens eſt, vt intendatur etiam habitus, per actum enim deuenimus in cognitionem habitus.

p. 2. q. 1. D. Bonau. reſp. quod charitas licet non habeat quantitatem molis, habet tamen quãtitatem virtutis per quam augeri poteſt, & fieri melior, poſſe in maiorem actum, & exiſtens in via tendere ad charitatem patriæ.

Aegidius reſp. quod tota bonitas animæ eſt ex bonitate charitatis; cum itaque vna anima ſit melior altera, eſt etiam conſequens quod ſit maior, & minor charitas. p. 2. pr. 1. q. 1.

Durandus reſp. quod meritum correſpondet præmio, præmium autem habet gradus; ergo, & meritum; cum ergo meritum potiſſimè pendeat a charitate, ergo & charitas habet gradus, & conſequenter augeri poteſt. q. 9.

Ioannes de Neap. reſp. quod charitas habet gradum perfecti, & imperfecti, vnde poteſt de imperfecto perduci ad perfectum, & conſequenter augeri; quandoque etiam eius actus eſt intenſior, & quandoque non, vt experientia docet; & hoc arguit eſſe de natura eius, vt augeri poſſit. q. 4.

Guilel. Occham reſp. quod tunc forma dicitur augeri, quando in aliquo ſubiecto eſt minor, & poſtea in eodem eſt maior ſine interruptione, vel etiam ſi hoc ſit poſſibile extra ſubiectum, & quoniam hoc charitati cõtingit, ideo & augeri. Item Gabriel. q. 4.

Thomas ab Argentina reſp. quod charitas eſt forma, cuius principium productiuum eſt liberum, .ſ. Deus, & principium ſuſceptiuum, quod eſt anima, ſeu voluntas eſt variabile. & ideo nihil repugnat, quin maior effici poſſit, quam ſit, & conſequenter augeri; habet etiam modum quantitatiuum, vt comparatur ad obiectum, in quod tendit, vnde augeri etiam poteſt. q. 2. a. 1.

Gregorius reſp. quod homo exiſtens in charitate percipiendo ſacramenta fit Deo charior, & non niſi per maiorem charitatem; ergo datur maior charitas, & ex conſequenti augmentum in ea. q. 1.

Guilel. Rub. reſp. quod ex fide conſtat, quod omnis in gratia exiſtens acquirit ſucceſſiuè per diuerſos meritorios actus diuerſos charitatis gradus, quorum prior non deſtruitur propter ſequentem; tum quia actus meritorius non meretur aliquam charitatem deſtrui, ſed infundi; tum quia nec in intenſione alterius formæ gradus præcedens deſtruitur propter aduentum ſequentis. q. 2.

Nicol. de Orb. reſp. quod augmentũ ſequitur quantitatem, quantitas autẽ eſt duplex propriè dicta, quæ eſt quantitas molis, & hæc eſt in corporalibus, & methaphiſica, quæ eſt in ſpiritualibus, ſic itaque & augmentum ſumitur dupliciter, ſecundum quantitatem molis, & ſecundũ quantitatẽ virtutis; cum ergo ſit quantitas in charitate virtutis, & nõ in ſummo, ſequitur augeri poſſe, & intendi. q. 3.

Ioannes de Baſſ. reſp. quod charitas eſt for- q. 2.

a.1. forma diuiſibilis habens gradus, quæ non eſt in termino perfectionis, & ideo poteſt augeri, quia hæc eſt ratio præciſè quare forma aliqua augeri poſſit; vnde etiam maiora, & minora dantur præmia propter maiora, & minora merita, quæ fundantur in maiori, & minori charitate.

Reſolutio.

RESpondeo, quod tum extenſione actuum, ſiue circa vnum, & idem obiectum, ſiue circa plura; tum etiam eorundem intenſione, ſiue maiori conatu, dicitur habitus quicũque ille ſit, ſiue ſit naturaliter acquiſitus, ſiue ſupernaturaliter infuſus, augmentum recipere; eſt enim augmentum recipere idem, quod fieri per extenſionem maius, & per intenſionem magis; & quoniam charitas eſt habitus ſupernaturaliter infuſus, & poteſt extendi ſecundum actus ſuos, non ſolum circa vnum, & idem obiectum multiplicando, & frequẽtando eos; ſed etiam circa diuerſa, quia plura poteſt diligere, quam diligit, & ſimiliter maiori conatu, & intenſione, vt per experiẽtiam nouimus, idcirco dicitur etiam poſſe augmentum recipere.

Obiectio. Sed ſi charitas eſt forma ſimplex, nullum autem ſimplex poteſt aliquid in ſe recipere, quod cauſet variationem in eo?

Reſpondetur, quod charitas ſiue maior ſit, ſiue minor ſemper eſt forma ſimplex, & ideo augmentum non repugnat eius ſimplicitati, nec conſequenter cauſat aliquam variationẽ in eſſentia eius poteſt igitur augeri, etiam ſi ſit forma ſimplex.

QVÆSITVM V.

An augmentum è charitatis proprio dicatur augmentum?

d.17. q.2. D. Thomas reſp. quod charitas augetur, ſicut aliæ qualitates ſenſibiles; & quoniam aliæ qualitates non propriè dicuntur augeri, ſed alterari, ideo & charitas non propriè dicitur augeri, ſed alterari, & eius motus non propriè dicitur augmentum, ſed alteratio. Item Durandus.

p.2. pr.1 q.2. a.4. Aegidius reſp. quod aliqua ſunt, quæ habent gradus in eſſentia, & huiuſmodi differũt ſpecie; aliqua ſunt, quæ habent gradus in magnitudine, & huiuſmodi nec numero, nec ſpecie differunt, & de his dicitur augmentatio tantum; aliqua vero ſunt, quæ ſimiliter nec numero, nec ſpecie differunt, & habent grdus in eſſe, & de his dicitur alteratio tantum; aliqua verò ſunt, quæ habent gradus in vtroque .ſ. in eſſe, & in magnitudine, & de his dicitur vtrumque; alteratio .ſ. & augmentatio, & de numero horum eſt charitas; nam quia habet modum quantitatis habet gradus in magnitudine, & quia magis & minus participatur a ſubiecto, habet gradus in eſſe.

Herueus reſp. quod propriè augeri dicitur ſecundum quantitatem molis, ſed tamen ſecundum quandam ſimilitudinem tranſumitur ad modum, qui eſt ſecundum magnitudinem virtutis, vnde propriè loquendo motus, qui eſt ab imperfecta qualitate ad perfectam dicitur intenſio, a perfecta ad imperfectam remiſſio, iſta autem intenſio, & remiſſio ſecundum tranſumptionem quandam dicitur augmentum & diminutio. *q.4. a.3.*

Ioannes de Neap. reſp. quod augmentum charitatis non eſt propriè augmentum, quia non eſt motus ad quantitatem, ſed ad qualitatem, & ideo huiuſmodi motus de imperfecta ad perfectam charitatem debet magis dici intenſio charitatis, quam augmentum. *q.4.*

Gregorius reſp. quod loquendo ſecundum proprietatem ſermonis nulla forma augmentatur, ſed dicitur augmentari inquantum formæ exiſtenti in ſubiecto, additur aliqua forma ſimilis cum ea faciens per ſe vnum, & conſtituens vnam formam eiuſdem rationis maiorem, & perfectiorem, quam eius pars præciſè, quæ præfuit, & per quam ſubiectum eſt magis tale, quam erat per eam, quam præhabebat. *q.4.*

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut formæ illæ, quæ intenduntur, ſecundum quod intenduntur non propriè dicuntur augeri, ſed intendi, ita illæ, quæ extenduntur, ſecundum quod extenduntur non propriè dicuntur intendi, ſed augeri, extendi enim, & intendi ex oppoſito diſtinguuntur; cum itaque charitas non tantum intenſione, ſed etiam extenſione maior fiat, augmentum eius non tantum intenſio dici debet, ſiue alteratio; ſed etiam propiè augmẽtatio, ſiue augmẽtũ, quod enim extenſione fit maius propriè augeri dicitur.

Sed ſi charitas eſt qualitas? motus autem in qualitate non eſt propriè augmentum, ſed alteratio, ſiue intenſio, & remiſſio. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod motus in qualitate, ſi attenditur quoad vnitatem actus, ſic proprie in habitibus eſt ſola intenſio, ſeu alteratio; ſi verò attenditur quoad multiplicitatem actuũ, & eorum frequentationem, cum talis multiplicatio fiat ſecundum extenſionem, proprie

Digitized by Google

dicitur augmentum, quoniam propriè augmentum dicit extenſionem in quantitate, ſiue ſit molis, ſiue virtutis.

QVÆSITVM VI.

An augmentum charitatis fiat per aliquid, quod addatur ei?

d.17. q.2. a.3. ALbertus reſp. quod charitas augetur per additionem eſſentiæ ad eſſentiã. D. Thomas reſp. quod per hoc ſolum augetur charitas, quod intenditur in ſubiecto, & per hoc quod ſubiectum magis, ac magis participat charitatem, ideſt ſecundum quod magis reducitur in actum illius, ac magis ſubditur illi; eſt enim talis modus augmenti proprius cuilibet formæ, quæ intenditur.

p 2. q.2 D. Bonau. reſp. quod charitas augetur per hoc, quod aliquid additur ei, & primò probat exemplo luminis, nam ſicut lumen augetur per hoc quod lumen additur lumini, ita & charitas; ſecundò ſic; augmentum eſt præexiſtentis quantitatis additamentum, ſi itaque charitas propriè habet augmentum; ergo augetur per hoc, quod aliquid additur ei.

p 2. pr.1 q.1. a.1. Aegidius reſp. ſicut D. Thomas, quod charitas non augetur per additionem charitatis; primò, quia ſic eſſet magis compoſita, & ex conſequenti minus vnita, & potens, dicit enim Proclus, quod omnis potentia vnitior exiſtens eſt potentior, quam plurificata; ſecundò, quia tanto aliquid poteſt in maiorem actum, quanto eſt formalius, tanto autem eſt formalius, quanto ſimplicius, ſed ſi charitas augeretur per additionem non eſſet ſimplicior, nec per conſequens formalior, & ideo nec aucta poſſet in maiorem actum, quod eſt falſum.

a.2. q.2. Ric. reſp. quod charitas augetur per additionẽ nouæ charitatis, ſeu noui gradus eſſentiæ charitatis, ex quo & ex gradu præexiſtenti illius conſtituitur vna perfectior charitatis eſſentia, quia primus gradus eſt in potentia ad receptionem gradus alterius, ſicut res incompleta ad completiorem.

Q. 4. q.16. Henricus reſp. quod charitas habet partes virtuales, ſecundum quas procedit de imperfectiori ad perfectius, vt de potentia ad actũ, & augeri dicitur talis partis perfectioris acquiſitione nulla facta additione alicuius realis, cum iſtæ partes realiter non ſint diſtinctæ, ſed vna virtualiter contineat alteram.

q 3. Ioan. Scotus reſp. quod ſicut tendens arcum ipſum tendit per additionem curuitatis, & ſicut plumbum additum plumbo totum efficitur ponderoſius, ex hoc quod grauitas additur grauitati, & lumen efficitur luminoſius, ex hoc quod lumen additur lumini, & ſicut augmentatio in quantitate fit per additionem nouæ quantitatis; ita a ſimilibus dicendum eſt de augmento charitatis, quod augetur per additionem nouæ partis indiuidualis charitatis, non quiditatiuæ.

Herueus reſp. quod charitas non augetur per additionem alicuius entis realis; ſed augetur per hoc, quod ſit perfectior, quam prius erat, ita quod ſic aucta habet plus, quam prius, non ſecundum partes diuerſas ſignabiles, ſed virtuales, vnde primus gradus continetur in ſecundo virtute; ſicut ſi aliqua aqua bicubita rarefiat, & fiat tricubita, quantitas aquæ rarefactæ continet pluſquam prius, quia continet quantitatem priorem, & adhuc amplius, non quidem ſecundum partem ſignabilem, quæ poſſit diuiſim ſignari ab alijs duobus cubitis præcedentibus, ſed ſecundum partes virtuales. Item Quodl. 7. q. 17. q.5.

Ioan. de Neapoli reſp. quod charitas non propriè augetur per additionem, ſicut formæ extenſibiles; tum quia caret omni extenſione; tum quia quod additur, non diſtinguitur ab eo, cui additur; ſed largè, ſeu impropriè; primò, quia in omni forma, quæ ſuſcipit magis & minus eſt latitudo, ſecundum quam poteſt habere gradus remiſſos, & Intenſos; ſecundò, quia motus charitatis eſt realis poſitiuus, in quo ſemper aliquid reale acquiritur diuerſum a præexiſtente, & conſequenter additur; tertiò, quia charitas intenſa excedit remiſſam, quod autem excedit habet tantum, & amplius, & conſequenter diuiſibile intellectu. q.4.

Petrus Aur. reſp. quod ſicut curuitas, lenitas, aſperitas, & ſimiles formæ intenduntur per aduentum alicuius realitatis, quæ tamen realitas non præciſè diſtinguitur a ratione ſpecifica præcedentis; ita & charitas augetur per aliquam realitatem ipſam perficientẽ, & participantẽ rationẽ ſpecificam charitatis, nõ tamen ita præciſam, & diſtinctã re, aut ratione ab ea, vt ſit integra charitas, & quaſi vnum indiuiduum charitatis, ſed per quandam reductionem, ita vt quaſi dici poſſit concharitas. a.2.

Franc. Maro reſp. quod ſicut impoſſibile eſt fieri augmentum extenſiuum, niſi per partes extenſiuas, ita nec intenſiuum, cuiuſmodi eſt augmentum charitatis, niſi per partes intenſiuas, quales ſunt gradus; augetur itaque d.18. q.2.

Digitized by Google

que charitas per additionem graduum, in quos tanquam in partes homogeneas reſoluitur, quæ reſolutio etiam arguit eius augmentum ex additione graduũ, quod ſimiliter arguit proceſſus eius a minus perfecto ad magis, qui eſt ſecundum gradus; item eius eminentia poſt augmentum, quæ non poteſt intelligi, niſi per aliquem gradum additum gradui.

q.6. Guilel. Occham reſp. quod omnis trãſmutatio realis, aut fit per realem acquiſitionem alicuius noui, aut per deſtructionem alicuius antiqui, aut per nouam acquiſitionem alicuius præexiſtentis; & quoniam in augmentatione charitatis eſt vera, & realis tranſmutatio alicuius ſubiecti, ideo oportet quod fiat, vel per deſtructionem primæ charitatis, vel per nouam acquiſitionem iam præexiſtentis, vel per acquiſitionem alicuius de nouo realiter diſtincti; vnde cum primum, & ſecundum ſint impoſſibilia, tertium eſt neceſſarium. Item Adam in 2. ſent. diſ. 1. q. 1.

q.5. Gregorius reſp. quod charitas ſicut quælibet alia forma corporalis, & ſpiritualis augetur per acquiſitionem nouæ formæ, ſeu partis formæ; & probat. Intenſio formæ, vel eſt continua, vel ſubita, ſi continua, eſt motus; ſi ſubita mutatio; ſed motus nihil aliud eſt, quam acquirere partem poſt partem ex illo, ad quod res mouetur, donec acquiratur illud aliud, ad quod mouetur perfectè, vt dicit Auer. in lib. 3. Phyſ. t. 5. ſimiliter mutatio eſt ſubita acquiſitio perfectionis, ad quam ſubiectum fuit immediatè in potentia; igitur intenſio cuiuslibet formæ, ſeu augmentatio fit per acquiſitionem nouæ formæ, vel partis formæ.

q.3. ar.2. Alphonſus reſp. & probat multipliciter, quod augmentum charitatis fit per additionem partis, & partis, ſiue nouæ realitatis eiuſdem formæ; primò, quia terminus motus augmentationis charitatis eſt realis, quæ realitas cum non ſe teneat ex parte ſubiecti, nec ſit realitas formæ præcedentis, ſequitur quod ſit pars formæ nouiter acquiſitæ; ſecundò, quia charitas denominat ſubiectum, in quo eſt; ergo per aliquam mutationem, quæ cum non fiat in ſubiecto, fit in forma; tertiò, quia dum augetur realiter perficitur, nihil autem de nouo perficitur, niſi per aliquam nouam realitatem; quartò, quia augens charitatem aliquid agit, nihil autem ageret ſi non eſſet acquiſitio nouæ partis; quintò, quia charitas aucta ſe habet aliter, quam prius; ſextò, quia cum eſt aucta excedit, nihil autem excedit, niſi per aliquid de nouo.

Guilel. Rub. reſp. quod charitas intendi- q.3. tur, ſiue augetur per appoſitionem, ſiue additionem nouorum graduum indiuidualium eiuſdem ſpeciei, qui vniti in eodem ſubiecto faciunt vnam numero charitatem.

Ioannes Bacc. reſp. quod charitas recipit d.16. augmentum per additionem graduum, qui quidem gradus ſe habent reſpectu eius, ſicut partes materiales ad indiuiduum, cuius ſunt partes, ſicut enim hæc caro, & hoc os ſe habent ad Sortem; quod eodem manente fluunt, & refluunt; ita manente eadem charitate, poteſt variatio accipi circa eam ſecundum partes, ſeu gradus fluentes, & refluentes, qui dicuntur partes ſecundum materiam; & ſicut hæc caro, & hoc os nõ ſunt extranea à natura Sortis, ſed ſunt de natura intrinſeca eius, licet non includantur in eius ratione eſſentiali; ita iſti gradus charitatis non ſunt accidentia ſuperaddita charitati, licet ſint extra rationem quiditatiuam eius.

Michael de Bon. reſp. quod charitas, ſicut d.17. & quælibet alia forma augmẽtabilis propriè, & eſſentialiter augetur per alicuius noui gradus acquiſitionem, per quem perficitur, & excedit cum fuerit aucta in ſubiecto.

Petrus Aliac. reſp. quod nulla forma po- q.9. teſt ſuum formabile intenſius, & remiſſius a.3. denominare ſine noua alicuius partis acquiſitione, non enim videtur aliter poſſe ſaluari qualiter eſſet ipſa de nouo intenſior, vel remiſſior in ſe.

Ioannes de Baſſolis reſpõdet quod charitas q.2. augetur per additionem noui gradus realis a.4. charitatis, cum quo conſtituitur vna charitas vnitate indiuiduali, & homogenea; tum quia actio intenſiua charitatis eſt actio creatiua, & terminatur conſequenter ad eſſe, & ad terminum realẽ; tum quia etiam in motu augmenti ad quantitatem molis fit illud augmentum per additionem partis ad partẽ.

Lauren. Opimus reſp. quod charitas crea- q.3. ta, & quælibet forma intenſibilis formaliter intenditur, vel augetur per additionem noui gradus eiuſdem formæ ſpecificæ cum priori; primam partem probat ſic; impoſſibile eſt eſſe motum realem ſine termino reali, ſed in qualibet intẽſione, formæ eſt motus realis; ergo in qualibet intenſione formæ fit additio noui gradus realis; ſecundam ſic; ſi nouus gradus non eſſet eiuſdem rationis ſpecificæ, ſequeretur quod charitas intenſa non eſſet eiuſdem ſpeciei cum remiſſa, quia nec per ſe vnum, quod eſt inconueniens.

Ni-

q. 3. Nicol. de Orb. reſp. quod charitas augetur per appoſitionem nouæ charitatis, ſeu noui gradus, ita quod realitas poſitiua, quæ præexiſtit in charitate minori, non eſt tota realitas poſitiua, quæ eſt in maiori, imò ſi eſſent ſeparatæ a ſubiecto maior haberet in ſe realitatem poſitiuam minoris, & aliam additam; habent tamẽ omnes huiuſmodi gradus in eadem numero charitate vnitatem indiuiſionis actualis, & homogeneitatis, & compoſitionis.

q. 3. Ant. Andr. reſp. quod augmentatio charitatis fit per nouam creationẽ noui gradus, & nouæ realitatis, quæ quidem noua realitas nõ eſt realiter quiditatiua, & ſpecifica, ſed indiuidualis. Item Ioannes Vigerius. q. 18.

Ioannes Maior reſp. quod charitas ſicut quælibet alia forma intẽditur per additionem gradus ad gradum; atque ita intenſior forma plures habet gradus non communicantes penetratiuè, & vnitiuè in eodem ſubiecto adæquato, quam remiſſior; eſt autem gradus determinata portio formæ.

Reſolutio.

RESpondeo, quod charitas, ſicut quilibet alius habitus animæ, ſiue naturaliter acquiſitus, ſiue ſupernaturaliter infuſus; ſi attenditur ſecundum vnum tantum, & eundem actum, quo actu, maiori conatu fertur habens illum habitum in idem, vel in diuerſa obiecta, ſic intendi dicitur, ratione .ſ. illius actus; & in huiuſmodi intenſione nihil (propriè loquendo) additur ei, niſi quod actus ille ex imperfecto, vel perfecto, fit perfectior; vt actus cognoſcendi Ecclypſim per coniecturam, perficitur per demonſtrationem, & hanc intenſionem alij vocant per gradus; ſed gradus non eſt niſi comparatio facta ab intellectu, ſecundum quod iudicat hoc eſſe magis illo, vel minus, & etiam ſeipſo; ſi verò attenditur ſecundum plures actus ſibi inuicẽ ſuccedentes, quibus habens illum habitum ſe extendit in hoc, vel illud obiectum; ſic propriè augeri dicitur per aliquid, quod additur ei, additur enim actus actui, ex quibus amplificatur habitus, & maior efficitur.

Obiectio. Sed ſi actus eliciũtur ab habitu, ac proinde actus charitatis ab habitu charitatis?

Reſpondetur, quod non eſt inconueniens, quod actus eliciantur ab habitu, & augeant eum, & maximè quando eliciuntur per concurſum diuinæ virtutis, vt eſt in propoſito in actibus charitatis, quæ ipſam augent, & maiorem efficiunt.

QVAESITVM VII.

An quolibet actu charitatis augeatur charitas?

D. Thomas reſp. quod actus ex habitu charitatis procedens, ſi procedit ex tota virtute habentis, & quantum ad virtutem naturæ, & quantum ad virtutem habitus infuſi, tunc ſolus vnus eſt per ſe ſufficiens, & vt diſpoſitio vltima ad augmentũ charitatis; ſi verò non ſecundum totam virtutem procedit, eſt ſicut diſpoſitio remota, & requirens alios actus, vt tale augmentum fiat; non ergo quolibet actu augetur charitas. d. 17. q. 2. a. 3.

Et iterum reſp. quod quilibet actus charitatis diſponit ad charitatis augmentum, inquantum ex vno actu charitatis homo redditur promptior iterum ad agendum ſecundum charitatem, & habilitate creſcente homo prorumpit in actum feruentiorem dilectionis, quo conatur ad charitatis profectum, & tunc charitas augetur. 2. 2. q. 24. a. 6.

Ægidius reſp. quod ſicut nõ quilibet ſenſus generat memoriam, ita nec quilibet actus augmentat charitatem; ſicut tamen contingit aliquando, quod vnus ſenſus ex nimia ſenſatione hoc faciat, quia ſic induit rationem plurium, ita etiam contingit, quod vnus actus elicitus, vel imperatus a charitate, fiat tali conatu, quod induat rationem pluriũ remiſſorum, & ſic augmentet charitatem. d. 17. p. 2. pr. 8 q. 3.

Ricardus reſp. quod eo actu charitatis quem elicit voluntas ex toto ſuo conatu augetur charitas; ſed eo, quem elicit non ſecundum totum ſuum conatum, non augetur; diſponit tamen talis actus aliquo modo nos ad hoc, quod Deus augeat charitatẽ, cũ enim voluntas tot actus multiplicauerit & tales, quod omnes ſimul æquiualeant vni, quem voluntas eliceret ex toto conatu, probabile eſt (inquit) quod Deus tunc augeat charitatem. Item Nicolaus de Orbellis. a. 2. q. 3.

Durandus reſp. quod non omnis actus ex charitate procedens meretur augmentum charitatis, ſed tantum ille, qui fit ex toto conatu voluntatis, & probat. Ille ſolus dignus eſt accipiendis, qui bene vtitur iam acceptis; ſed habens habitum iam intenſum, & remiſsè operans non vtitur debito modo ſuo habitu, quia actus non proportionatur intenſioni habitus; ergo per talem actum non meretur augmentum charitatis; ſed tantum per illum qui excellit, vel adæquat ipſum habitum. q. 8.

Lau-

Digitized by Google

q.3. Laurent. Opimus reſp. quod aliquis actus in charitate factus, ita poteſt eſſe remiſſus, quod per ipſum non augeatur charitas; ſi verò ſit intenſus in virtute continens plures remiſſos, vtique augetur charitas.

d.17. q.3. Ioan. Maior reſp. quod quilibet actus bonus, quantumcumque remiſſus ex charitate, vel cū charitate elicitus, eſt charitatis augmentatiuus; primò, quia minimus actus charitatis acquiſitæ ſuum habitum auget; ad hoc autem non eſt minus potens charitas infuſa charitate acquiſita; ſecundò, quia per quemlibet actum elicitum a charitate homo eſt Deo charior.

q.8. Ioan. a Celaia reſp. quod quilibet actus charitatis meretur augmentum charitatis; ſed ſi paruus eſt, modicum etiam meretur augmentum; ſi magnus, magnum quoque augmentum meretur.

q.14. Michael de Palatio reſp. quod charitas eſt diuinitus infuſa, & non ſit ex noſtris actibus, vnde ſi augetur ex meritis noſtris, non ſanè effectiuè augetur, ſed meritoriè, vnde cuilibet actui, ſiue tepido, ſiue feruenti, debetur augmentum.

diſp.4 q.4. p.3. Greg. de Valentia reſp. quod ſicut actus, qui per ſe ſunt productiui habitus abſolutè non ſemper producunt ſtatim habitum, ſed aliquando tantummodo ad id diſponunt, donec potentia ſit ſatis exercita; ita & actus augmentatiui, vt actus charitatis non ſemper, etiam ſi ſint intenſi, ſtatim ipſam charitatem, ſiue habitum augent.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut dictum eſt habitus charitatis recipit augmētum per actus, actus autem tantò amplificāt habitum, quantò plures ſunt, pluralitatem verò faciunt non ſolum intenſi, ſed etiam remiſſi; augent ergo charitatem & actus intenſi, & actus remiſſi, ſed quoniam omnis actus charitatis, aut intenſus eſt, aut remiſſus, igitur omni actu charitatis augetur charitas.

Obiectio. Sed ſi ſunt plures actus charitatis incompoſſibiles, vt velle mortem Chriſti, & non velle mortem Chriſti? contraria enim non ſe compatiuntur in eodem.

Reſpondetur, quod plures ſunt actus charitatis, qui ſi conſiderentur reſpectu eiuſdem obiecti, cauſæ, finis, vtique ſunt incompoſſibiles; ſed reſpectu diuerſorum obiectorum, cauſarum, finium, ſunt valde compoſſibiles; & ſic velle mortem Chriſti, & non velle mortem Chriſti ſunt actus maximè compoſſibiles; poteſt enim voluntas velle mortem Chriſti in ordine ad redemptionem generis humani, & nolle mortem Chriſti ex pietate, & fuga iniuſtitiæ ſibi irrogatæ ab hominibus, & ex his actibus non repugnat, quin augeatur charitas.

QVÆSITVM VIII.

An realiter diſtinguatur charitas aucta a charitate remiſſa?

IOannes Scotus reſp. quod alia eſt realitas maioris charitatis, & alia minoris, vnde non eſt eadem charitas aucta, & charitas remiſſa, & probat; primò ſic, Quælibet forma intenſibilis eſt incompoſſibilis in eodem, ſeu formæ oppoſitæ in ſummo, non in remiſſo; ergo forma intenſibilis, qualis eſt charitas habet aliquam realitatem in ſummo, quam non habet in remiſſo; ſecundò, Realitas formæ præexiſtentis non producitur ad productionem formæ nouiter aduenientis, quia idem bis produci non poteſt; ergo eadem non poteſt eſſe realitas formæ, quæ præfuit, & illius, quæ de nouo acquiritur; tertiò, Subiectū nō eſt tale ſecūdū formā, niſi quia forma eſt talis; ergo ſi forma eſt talis, quod in ipſa ſecundum ſe non eſt aliqua maioritas perfectionis, nec ſubiectū ſecundū eam poteſt dici magis tale; quartò, Charitas maior plus habet realitatis, quam minor, vnde charitas Chriſti maior eſt charitate cuiuſlibet beati, quia plus de natura habet charitatis; ergo charitas maior, & minor, realiter diſtinguuntur. d.17. q.3.

Herueus reſp. quod augmentum in charitate non ſit per additionem gradus ad gradum, ita quod ſint iſti duo gradus diſtincti, quorum vnus addatur alteri, & vnus poſſit diſtinctè ſignari ab altero, ſed ſicut dictum eſt, per hoc ſit tale augmentum, quod forma eadem, quæ prius erat imperfecta, ſit perfectior; & ſic realiter non diſtinguitur remiſſa charitas ab intenſa. q.5.

Duran. reſp. quod ſi ſupponatur quod Deus augmentet charitatem per verum motum continuum (ſicut poteſt ſi vult) tunc charitas intenſa, & remiſſa, ſunt diuerſæ partes vnius, & eiuſdem charitatis totalis, quæ non indiuiſibilitate vna numero eſt, ſed continuatione, & ſucceſſione earundem partiū, & ſic ſunt vna charitas continuationis vnitate; ſi verò ſupponatur, quod Deus augmentet charitatem per ſubitam influentiam, quod eſt probabilius dicere, tunc charitas intenſa, & remiſſa ſunt diuerſæ charitates omnino q.7.

no

Digitized by Google

no ſecundum numerum diſtinctæ, nec poſſunt eſſe vna quocũque modo veræ vnitatis.

d.17. q.1. Petrus Aur. reſp. quod realitas illa charitatis, quæ aduenit charitati præexiſtenti in augmento eius non eſt ita præciſè diſtincta ab ea, quod ſit vna charitas, ſeu vnum indiuiduum, ſeu pars charitatis, ita præciſè diſtincta, vt vnam totalem conſtituat charitatem cum præexiſtente; ſed impræciſa manens ipſam perficit participando de eius ratione ſpecifica; ſi enim eſſet diſtincta, ita quod iſtæ duæ partes facerent vnam charitatem, vel facerent vnam vnitate compoſitionis, vel homogeneitatis, quorum quodlibet eſt falſum.

d.18. q.2. Fran. Maro reſp. quod gradus per quos augetur charitas ſunt diſtincti realiter; primò, quia vnus poteſt produci de nouo, altero non producto, & ſimiliter vnus poteſt deſtrui reliquo remanente; ſecundò, quia hecceitates, quæ ſunt principia diſtinctiua in actu omnium graduum, manent; tertiò, quia iſtis gradibus multa extrema contradictionis realiter competunt, dicitur enim aliquid de vno realiter, quod non dicitur de altero; quartò, quia charitas eſt quodam totum, & in actu, cauſatum ab iſtis gradibus; quintò, quia talium graduum eſt vnio, & reſpectus realis, qui non poteſt eſſe niſi eorum, quæ ſunt realiter diſtincta.

d.17. q.1. Guilel. Occham reſp. quod ſicut quælibet pars aquæ eſt aqua, & quælibet realiter differt a qualibet, licet non ſecundum ſpeciem; ita quælibet pars charitatis adueniens charitati eſt charitas; & licet huiuſmodi charitates ſecundum ſpeciem non diſtinguantur, diſtinguuntur tamen realiter, & ſecundum numerum.

q.2. a.2. Thomas ab Arg. reſp. quod non eſt alia forma intenſa, & alia remiſſa, & conſequenter non eſt alia charitas ſequens, quæ intenſa eſt, & præcedens, quæ eſt remiſſa, & probat exemplo frigidi; frigidum enim præſens remittit calorem, ſi ergo calor remiſſus eſſet alia forma a calido præexiſtente, frigidum per ſe generaret calidum, quod eſt falſum.

q.5. Gregorius reſp. quod charitas, ſicut quælibet alia forma corporalis, & ſpiritualis augetur per acquiſitionem nouæ formæ, ſeu partis formæ eiuſdem rationis cum prima, & ratio eſt, quia forma non augetur niſi per ſimile, nec ſubiectum fit magis tale formaliter, niſi per aliquid ſimile ei, quod eſt tale, & ſimul conſtituũt formam totalem per ſe vnam, vtraque diuiſim perfectiorem. Item Petrus Aliacenſis.

Guilel. Rub. reſp. quod in augmento charitatis adduntur gradus, qui ſunt indiuidua charitatis, & realiter diſtinguuntur, qui tamen vnam numero faciunt charitatem, quando in eodem ſubiecto vniuntur. q.1.

Alphonſus reſp. quod pars, ſiue realitas adueniens in augmento charitatis, ſicut & alterius formæ intenſibilis realiter diſtinguitur a priori; quod probat; primò, quia realitas formæ præcedentis eſt realiter prior realitate adueniente, non ſolum natura, ſed etiam duratione; ſecundò, quia realitas charitatis præcedentis poteſt realiter eſſe, nõ exiſtentẽ realitate ſequentis, quæ ratio eſt etiam communis Opimo; tertiò, quia vel quælibet iſtarum realitatum eſt idem realiter cũ tota forma, vel non; ſi ſic, ergo ſequitur, quod totum reale ſit idem realiter cum ſua parte, quod eſt impoſſibile; ſi non, ergo vna earum realitatum non eſt idem realiter cum alia, quia non diuiditur a toto niſi ratione alterius. q.3. a.2.

Ioannes Bacc. reſp. quod gradus in charitate, ſecundum quos præexiſtens augetur non variant ipſam, neque ſecundum ſpeciem, neque ſecundum indiuiduum, quia non ſunt verè charitates directè, & per ſe, ſed indirectè, & per reductionem; & ideo non poſſunt efficere aliquam diſtinctionẽ realem in ipſa. d.16.

Reſolutio.

RESPONDEO, quod ſicut dictum eſt charitatem augeri poteſt conſiderari dupliciter, vel ſecundum quod aliquis actus eius intenditur, & ſic propriè dicitur intendi per intẽſionem illius actus, vel ſecundum quod actus eius multiplicantur, & ſic propriè dicitur augeri per extenſionem in eos; ſi itaque conſideratur primò modo eſt impoſſibile, quod ipſa charitas intenſa ſit diſtincta realiter, ſeu alia, a charitate remiſſa, niſi etiam actus intenſus ſit realiter diſtinctus, ſeu alius, ab actu remiſſo, ex quo ſi intenſiuè augetur charitas, augetur per additionem actus intenſi ad actũ remiſſum, & hoc eſt augeri extenſiuè, extenſione .ſ. in actus plures, non intenſiuè, implicat autem dicere, quod charitas intendatur, dum in plures actus extenditur; ſi verò ſecundo modo conſideretur, tunc etiam eſt impoſſibile, quod charitas aucta realiter diſtinguatur a charitate remiſſa, ſicut enim vnus actus ſufficienter ipſam auget, ita vnus actus ſufficienter ipſam diſtingueret, & ex conſequenti conſtitueret vnam charitatem, & vnũ habitum; imò tot eſſent charitates, & habitus, quot actus, quod eſt inconueniens, & contra rationem habitus.

Sed

Digitized by Google

Obiectio. Sed ſi charitas aucta poteſt in maiorem actum, quam præexiſtens, ſiue remiſſa?

Reſpondetur, quod charitas aucta poteſt in maiorem actũ, non quod diſtinguatur a præexiſtente; ſed quia præexiſtens ex eo quod erat minus perfecta, fit perfectior. Ita Aegidius.

QVÆSITVM IX.

An charitas augeatur ſecundum eſſentiam, an ſecundum eſſe?

d.17. q.2. D. Thomas reſp. quod ex hoc, quod charitas magis firmatur, & radicatur in ſubiecto, ſequitur ipſam augeri eſſentialiter, nulla enim forma poteſt intelligi magis firmari in ſubiecto, niſi per hoc, quod habet maiorem victoriam ſuper ſubiectum ſuum, augmentum autem victoriæ redundat in augmentum virtutis, & per conſequens in augmentum eſſentiæ, quia virtus, ſi non eſt ipſa eſſentia, oportet quod ſit ab eſſentia, & commenſuretur ſibi, ſicut effectus cauſæ proximæ.

2.2. q.24 a.4. Et iterum reſp. quod nihil eſt aliud charitatem ſecundum eſſentiam augeri, quam eam magis ineſſe ſubiecto, quod eſt eam magis radicari in ſubiecto, eſt enim accidens, & accidentis eſſe eſt ineſſe, augetur ergo (inquit) charitas eſſentialiter, non quidem ita quod eſſe incipiat, vel eſſe deſinat in ſubiecto, ſed ita quod magis in ſubiecto eſſe incipiat.

Et Quodl. 9. q. 6. ar. 3. reſp. quod charitas ſecundum eſſentiam augetur, ſed per ly ſecundum, denotatur ſubiectum augmenti, & non forma ſignificans motum; vnde quia variatur terminatio eius dicitur augeri ſecundum eſſentiam, & non quod augmentum ſit in eſſe, vel eſſentia.

d.17. p.2. q.2. D. Bonau. reſp. quod charitas augetur ſecundum virtutem; & quoniam virtus eſt idẽ ei quod ſubſtantia ſiue eſſentia, ideo augetur ſecundum ſubſtantiam, ſiue ſecundum eſſentiam. Item Ricardus.

p.2. pr.1 q.1. Aegidius reſp. quod ſicut aliæ formæ accidentales augentur, non ſecundum gradus in eſſentia, ſed ſecundum gradus in eſſe, prout magis, & minus inſunt, quæ maior, & minor inhærentia contingit ex maiori, & minori diſpoſitione ſubiecti, vnde vna albedo non eſt maior, alia, ſed corpus vnum eſt albius alio; ita & charitas non augetur ſecundum gradus in eſſentia, ſed ſecundum gradus in eſſe; vnde tunc maior fieri dicitur, quãdo magis ineſt; accidentis enim eſſe eſt ineſſe; tunc autem magis contingit ineſſe, quando maior eſt diſpoſitio, & capacitas animæ ad ipſam ſuſcipiendam.

Durandus reſp. quod augmentum charitatis, ſicut cuiuſlibet aliæ formæ attenditur ſecundum eſſentiam, & hoc probat quadrupliciter; primò, ſicut ſe habet magis & minus extenſiuè ad quantitatem, ita intenſiuè ad qualitatem; ſed magis & minus extenſiuè ad quantitatem attenditur ſecundum eſſentiam, igitur intenſiuè, & ad qualitatem; ſecundò, ſicut indiuiſibilitas formæ eſt ratio non ſuſcipiendi magis, & minus; ita diuiſibilitas eſt ratio ſuſcipiendi magis, & minus, ſed indiuiſibilitas attenditur ſecundum eſſentiam, igitur & diuiſibilitas; tertiò, alteratio eſt ad formam; ergo & ea, quæ eſt ſecundum magis, & minus, & conſequenter ſecundum eſſentiam; quartò, in differentibus ſpecie perfectius, & minus perfectum attenduntur ſecundum eſſentiam formarum; ergo ſimiliter perfectius, & minus perfectum in eadem ſpecie attenduntur ſecundum ipſam eſſentiam formæ. q.1.

Franc. Maro reſp. quod charitas nõ augetur ſecundum eſſentiam; primò, quia charitas ſecundum eſſentiam conſiſtit in indiuiſibili; ſecundò, quia tota eſſentia charitatis ſaluatur in qualibet parte charitatis; tertiò, quia intenſio conuenit formæ per accidens, igitur non per eſſentiam; quartò, quia eſſentia abſtrahit a quantitate virtutis, omnis autẽ augmentatio fit ſecundum quantitatem virtutis; augetur tamen ſecundum naturam, quia augetur ſecundum modos intrinſecos formæ, qui ſunt hæcceitas, & quantitas virtutis, qui continentur a natura, non ab eſſentia, cum ſit magis abſtracta, quam natura; & probat dupliciter; primò, ſicut terminus formalis generationis eſt ſubſtantia, ita terminus formalis augmentationis eſt quantitas, ſi non molis, ſaltem virtutis; igitur augetur charitas per quantitatẽ, quæ eſt modus intrinſecus formæ; ſecundò, intenſio charitatis, ſecundum quod dicitur ipſa augeri, non fit per ſuperiora, & extrinſeca, quia talia non pertinent ad rationem diffinitiuam; ergo per intrinſeca, & inferiora; huiuſmodi autem ſunt modi intrinſeci formæ, hæcceitas ſcilicet, & quantitas virtutis; ergo per huiuſmodi modos augetur charitas. d.18. q.1.

Gerardus reſp. quod eſſe formæ, ſecundum quod dicitur augeri charitas, vel quæcunque alia forma accidentalis non eſt aliud, quam participatio illius formæ in ſubiecto, iſta autem participatio eſt quidam effectus for- d.17. q.2. a.9.

formalis ipſius formæ, qui nihil aliud eſt, quam quidam modus ſubiecti ſtantis ſub forma, & participantis eam, quodcunque enim ſubiectum exiſtens ſub forma aliqua ſortitur quendam modum realem derelictum ab ipſa, & iſte eſt participatio illius, ſecundum quem augeri dicitur, non ſecundum eſſentiam.

d. 14. a. 5. Ioannes Bacc. reſp. quod præciſa cauſa ſuſcipiendi magis, & minus eſt latitudo, quã forma habet in ipſa eſſentia ſua, ad gradus affluentes, & refluentes; poſita enim forma infra eſſentiam ſuam habente gradus affluentes, & refluentes, & poſito ſubiecto receptiuo diſpoſito, & agente ſufficiente approximato, cum alijs requiſitis conditionibus, ſequitur intenſio, & remiſſio.

d. 17. diſp. 1 Michael de Pal. reſp. quod charitas, ſicut quælibet alia forma intenſibilis ab intrinſeca ſua ratione, & natura ſibi vendicat intenſibilitatem, ſimile enim, & diſſimile ſunt competentia qualitatibus ex earum intrinſeca ratione; ſunt autem ſimile, & diſſimile ſecundum intenſum, & remiſſum; igitur intendi, & remitti competit qualitatibus ex earum intrinſeca ratione, & conſequenter ſecundum earum eſſentiam, inquantum .ſ. earum eſſentia, vt ſumitur pro natura eſt variabilis intenſione, & remiſſione.

Reſolutio.

RESpondeo, quod charitas, neque ſecundum quod eſt extenſibilis in plures actus, neque ſecundum quod in vno eſt intenſibilis poteſt dici augeri, ſecundum quod magis, & minus ineſt, vel participatur a ſubiecto, quod eſt augeri ſecundum eſſe; nam ſecundum quod eſt extenſibilis in plures actus non dicitur ſecundum magis & minus; ſecundum verò quod eſt intenſibilis in vno realiter, & formaliter intenditur, & ſecundum ſe; igitur non ſecundum quod eſt in ſubiecto, ſic enim intenderetur magis ſubiectum, quam ipſa; ſed ſecundum quod eſt per eſſentiam ſuam.

Obiectio Sed ſi charitas ſecundum eſſentiam eſt inuariabilis? eſſentiæ enim rerum ſunt inuariabiles.

Reſpondetur, quod augmentum in charitate non variat eſſentiam eius, ſicut nec etiã in alijs formis, aut habitibus ſuſcipientibus magis, & minus, vnde cum hoc, quod eſt inuariabilis ſecundum eſſentiam, ſtat etiam abſque repugnantia, quod ſecundum eſſentiam ſit augmentabilis.

QVÆSITVM X.

An charitas augeri poſſit in infinitum?

D. Thomas reſp. quod licet charitas perueniat in quolibet homine ad aliquem terminum, vltra quem de facto non augetur; non tamen peruenit ad talem terminum, vltra quem augeri non poſſit; tum quia ad quod mouetur ipſa anima in augmento charitatis eſt ſimilitudo diuinæ charitatis, ad quam, cum ſit infinita, in infinitum poteſt accedi; tum quia ipſa anima, quanto plus recipit de bonitate diuina, tanto capacior efficitur ad recipiendum, cum non ſit limitata ſecundum proportionem materiæ, ſicut cæteræ potentiæ materiales; tum etiam quia ſicut actus charitatis imperfectæ meretur augmentum charitatis; multò magis hoc meretur actus charitatis perfectæ, & ita in infinitum. d. 17. a. 2. a. 4.

Et iterum reſp. quod ſi aliqua forma habet ſtatum in ſuo augmento, hoc contingit; vel ex parte ipſius formæ, quia determinatam menſuram habet, ad quam cum peruentum fuerit non poteſt vltra procedi; vel ex parte agentis, quia non habet tantam virtutem, per quam ſe extendat ad vlterius agendum; vel ex parte ſubiecti, quia .ſ. non eſt capax maioris perfectionis; charitas autem, nec ex parte ſuæ ſpeciei habet ſtatum in augmento, quia eſt participatio charitatis infinitæ, quæ eſt Spiritus ſanctus, nec ex parte agentis, quia agens eſt Deus, qui eſt infinitæ virtutis; nec ſimiliter ex parte ſubiecti, quia quanto magis creſcit ipſa charitas, tanto magis ſit capax anima noſtra ad ſuſcipiendam charitatem, vnde ſequitur, quod poſſit augeri in infinitum. 2. 2. q. 24. a. 7.

D. Bonau. reſp. quod ſicut augmentum habet ſtatum a tribus, a virtute agente, a potentia ſuſcipiente, & a forma perficiente, ita charitas in ſuo augmento habet ſtatum ab his, a virtute agente non naturaliter, ſed a propoſito, & tunc ſtat quando venit ad illam menſuram, quam menſus eſt Deus homini ſecundum diſpoſitionem ſapientiæ ſuæ; habet etiam ſtatum a potentia ſuſcipiente, vel ſecundum actum, & ſic ſtat in viris perfectis, vel ſecundum aptitudinem, & ſic ſtat in beatis, vel ſecundum poſſibilitatem ſuſcipientis, & ſic ſtat in Chriſto, & beata Virgine: habet etiam ſtatum a forma perficiente, cum peruenerit ad quantitatem perfectam virtutis, non ſimpliciter, quia ſic eſt in Deo, ſed in genere ſuo; p. 2. q. 4.

Aegi-

Digitized by Google

q. 2. ar. 1 q. 4. Aegidius reſp. quod aliquid in infinitum augeri dicitur dupliciter, vel quia omnem terminum præfixum excedit, vel quia ad ipſum non attingit; hoc ſecundo modo charitas viæ poteſt quidem in infinitum augeri, quia nunquam poteſt attingere ad charitatem patriæ; ſed primò modo (de quo præſertim eſt quæſtio, quia ſic propriè ſumitur augeri in infinitum) non poteſt; omnis enim creatura eſt certis circumſcripta limitibus, quos pertranſire non poteſt, nam omnium natura conſtantium, vt dicit Ariſt. ratio eſt, & terminus eorum magnitudinis, & augmenti, vnde ad vitandam infinitatem in creatura oportet negare talem proceſſum charitatis in infinitum.

Et Quodlib. 1. q. 19. reſp. quod charitas non poteſt creſcere in infinitum; primò, quia eſt quædam forma; ſecundò, quia habet quiditatem diſtantem ab eſſe; tertiò, quia habet eſſe receptum in natura, quod eſt limitatum, & finitum.

a. 2. q. 5 Ricardus reſp. quod charitas poteſt quidē augeri ſine fine ex parte ſua; tum ratione obiecti, quia obiectum ſuum eſt infinitum; tum ratione ſuæ ſpeciei, quia ſi voluntas ſemper fieret alia voluntate nobilior, ſemper poſſet recipere habitum charitatis ſibi proportionatum, & ſic in infinitum; non tamen ratione capacitatis ſubiecti, quia talis capacitas finita eſt, vnde & anima Chriſti habuit tantam capacitatem charitatis, quantam amplius habere non poterat.

Q. 5 q. 22. Henricus reſp. quod charitas ſic ſimpliciter conſiderata, vt creatura in infinitum procedere non poteſt, vt tamen conſiderata ſecundum ſtatum viæ, & patriæ, cum actus charitatis viæ in infinitum procederet, quam dilectionem patriæ adæquaret, dici poteſt in infinitum augeri ſecundum quid.

3. ſen. d. 13. Ioannes Scotus reſp. & probat dari ſtatum in gratia, ſeu charitate tripliciter; primò, ſi non daretur ſtatus in gratia, ſequeretur quod intantum gratia poſſet procedere, quod in infinitum excederet datam gratiam, & per conſequens in infinitum eſſet perfectior ea, & quoniam ſic, vt vnum creabile videretur ab intellectu diuino, ideo eſſet gratia creabilis intenſiuè infinita, quod eſt impoſſibile; ſecundò, Quantum (inquit Ariſt.) contingit eſſe in potentia, tantum contingit eſſe in actu; ergo non eſt procedere in infinitum in potentia eundo ad formam, ſed dare ſtatum, & terminum, quia forma actu infinita eſſe non poteſt; tertiò, quantācunque charitatem Deus poteſt creare, tantam poteſt creare, ponatur ergo in eſſe quod tantam creet, quātam poteſt creare; igitur maiorem non poteſt creare, & ſic eſt dare ſtatum.

Herueus reſp. quod charitas poteſt augeri in infinitum, quia hoc non repugnat ei: nec ex parte obiecti, cum obiectum eius ſit in infinitum diligibile .ſ. Deus; nec ex parte ſuæ ſpeciei, cum infinitas graduum poſſit eſſe in eadem ſpecie; nec ex parte ſuæ capacitatis, quia cum duplex ſit capacitas, vna .ſ. dignitas, & congruitas habendi, quæ eſt conatus, & tendentia in Deum, altera ipſa potentia receptiua, nec ex parte primæ repugnat ei augeri in infinitum, quia quantò plus augetur charitas, tantò plus creſcit talis capacitas, nec etiam ex parte ſecundæ, quia potentiæ paſſiuæ finitæ, quantum ad id, quod eſt per eſſentiam non repugnat eſſe in potentia ad hoc, vt perficiatur plus, in infinitum. d. 17. q. 6.

Et Quodlib. 7. q. 6. Quanto (inquit) quæque creatura intellectualis eſt nobilior, & altioris naturæ, tāto poteſt habere maiorē conatum ad tendendum in Deum, & cōſequenter tanto maiorem charitatem, & ita in infinitū.

Durandus reſp quod nec charitas, nec aliqua alia qualitas poteſt augeri in infinitum; primò, quia omnis natura, quæ eſt deducibilis de paruo ad magnum, ſicut habet terminum in minimo, ita habet in maximo; ſecundò, quia nullus motus alterationis, qualis eſt motus intenſionis, & remiſſionis cuiuſlibet formæ, poteſt eſſe infinitus ſicut dicit Ariſt. lib. 8. Phyſ. tertiò, quia inter terminos ſignatos; & finitè diſtantes impoſſibile eſt procedere in infinitum; quartò, quia nec intra naturam generis poteſt procedi in infinitum in pluralitate graduum ſpecificorum, vnde & multo minus intra naturam formæ ſpecificæ in pluralitate graduum intenſionis, & remiſſionis. d. 17. q. 9.

Ioannes de Neap. reſp. quod neque ſecundum ſe, neque ratione virtutis agentis, neque ratione ſubiecti repugnat charitati in infinitum augeri; non ſecundum ſe; tum quia eius ſpecies reſpectiui ſumitur ab obiecto, quod eſt in infinitum amabile, quod eſt Deus; tum quia cum limitatione ad ſpeciem ſtat ſimul infinitas graduum poſſibilium intra eandem ſpeciem, ſicut etiam cum limitatione ad genus in numeris, & figuris ſtat infinitas ſpecierum poſſibilium intra idem genus; non ratione virtutis agentis, quia hæc eſt infinita; non tandem ratione ſubiecti receptiui, nam capacitas immediata ad recipiendam charitatem, augetur aucta charitate, talis enim capacitas eſt ſemper minor charitas, re- q. 5.

Digitized by Google

reſpectu maioris.

d.17. Petrus Aur. reſp. quod proceſſus ad eſſe
a.3. Deum eſt impoſſibilis, at ſi augeretur chari-
tas in infinitum eſſet proceſſus ad eſſe Deum,
quia eſſet dilectio infinita; quæ Deus eſt,
igitur augmentum charitatis in infinitum
eſt impoſſibile; ſecundò, ſi in infinitum au-
geretur charitas, poneretur per huiuſmodi
proceſſum extra limites ſuæ ſpeciei, quod eſt
inconueniens, & probatur conſequentia,
quia ſic eſſet Deus: tertiò, Deum non poſſu-
mus diligere in infinitum, quia ſic a ſè tan-
tum diligibilis eſt; ergo nec charitas augeri
poteſt in infinitum; quartò, quod contine-
tur in voluntate noſtra non poteſt intendi in
infinitum, ſed Deum diligere eſt in volunta-
te noſtra; igitur non poteſt intendi in infini-
tum; quintò, ſi charitas poſſet in infinitum
augeri Chriſtus meruiſſet ſuæ charitatis aug-
mentum, ſed non potuit in gratia creſcere;
ergo nec meruit charitatis augmentum.

d.19. Franc Maro reſp. ad quæſitū per quatuor
q.1. dicta; primum eſt, quod charitas in anima
noſtra non eſt augmentabilis in infinitum ſe-
cundum partes eiuſdem quantitatis, ſed ſe-
cundum partes eiuſdem proportionis; ſe-
cundum eſt, quod charitas ſeparata eſt augu-
mentabilis in infinitum ſecundum partes eiuſ-
dem quantitatis; tertium eſt, quod charitas
hoc modo poteſt cauſari, & eſſe infinita;
quartum eſt ſimile huic, quod charitas de po-
tentia Dei abſoluta poteſt eſſe actu infinita;
Deus enim poteſt cuilibet cauſæ dare ſuum
adęquatum effectum, & anima poteſt recipere
charitatem, quæ eſt augmentabilis in infinitū,
quia ſe habet anima reſpectu ipſius charita-
tis, vt cauſa materialis.

q.8. Guilel. Occham reſp. quod quælibet for-
ma augmentabilis intenſiuè, quæ poteſt eſſe
ſeparata a ſubiecto, poteſt augeri in infinitū,
itaquod quacunque forma tali data poteſt
Deus facere maiorem, nam aliud indiuiduum
eiuſdem rationis poteſt facere, & illud vni-
re priori, & per conſequens totum reſultans
erit intenſius, quam primum, & iterum
aliud creare, & priori vnire, & ſic in infini-
tum, An vero poſſit Deus augere talem for-
mam in eodem ſubiecto? Reſpondet, quod
vtraq; pars quæſiti probabiliter teneri poteſt.

2.ſēt. Adam God. reſp. quod cuilibet charitati
d.1. tam ſecundum partes eiuſdem quantitatis,
q.9. quam eiuſdem proportionis poteſt fieri ad-
ditio in infinitum.

q.2. Thomas ab Argentina reſp. quod ſimpli-
a.3. citer, & abſolutè charitas in infinitum au-
geri non poteſt; ſecundum quid tamen &
reſpectiuè ad charitatem patriæ poteſt; primū
probat dupliciter; primò, quia recipitur in
animā, quæ finita eſt, nullum autem quod in
finito recipitur infinitum eſſe poteſt; ſecundò,
quia ſicut nulla forma eſt diminuibilis in in-
finitum, ita nec in infinitum augmentabilis;
ſecundum probat ſimiliter dupliciter; primò,
quia quando magis intenditur charitas viæ
tanto magis conformatur charitati patriæ,
& cum ipſi æquari nunquam poſſit, ſicut no-
titia abſtractiua viæ nunquam æquari poteſt
notitiæ intuitiuè patriæ, ideo hoc modo po-
teſt dici augmentabilis in infinitum; ſecundò,
quia dum ſumus in via ſemper appropinqua-
mus Deo, ſecundum quod magis intenditur
charitas; ergo dato, quod Deus ſineret nos
in via per infinitum tempus, charitas etiam
in infinitum augeretur.

Gerardus reſp. quod ſi charitas poſſet au- d.17.
geri in infinitum multa inconuenientia ſeque- q.2.
rentur; primum, quod excederet noſtram vo- ar.1.
luntatem, vt ſubiectum ſuum, & ſic tolleretur
proportio inter ſubiectum, & formam ſuam;
ſecundū, quod eius augmentū nunquā poſſet
peruenire ad ſuum vltimum terminum, &
ſic voluntas non eſſet in potentia ad ipſum,
quia nihil eſt in potentia ad impoſſibile;
tertium, quod charitas noſtra, & charitas
increata eſſent eiuſdem rationis, eo ipſo enim
quod poteſt augeri in infinitum ſibi non re-
pugnat æquari ei; quartum, quod ſic dilige-
remus Deum charitate creata, ſicut a ſeipſo
diligitur charitate increata, quia ſic in infi-
nitum diligeremus; quintum quod nulla eſ-
ſet proportio inter ſcientiam, qua Deum
cognoſcimus, & charitatem, qua diligimus;
quia ſcientia non creſcit in infinitum,
ſicut charitas.

Gregorius reſp. quod quantalibet inten- q.6.
ſione formæ data, Deus poteſt gradum tan-
tæ quantitatis de nouo cauſare priori non de-
ſtructa, & illi vnire ſic, vt ex eis conſtitua-
tur vna forma eiuſdem rationis: ergo & in
infinitum intendere; ſecundò, ſi forma inten-
ſibilis non poſſet ſecundum ſe augeri in infi-
nitum eſſet dare gradum maximum poſſibi-
lem formarum, quod eſt falſum, nam nullius
formæ, quæ poteſt intendi eſt dare minimum;
igitur nec maximum, & conſequentia pro-
batur, quia nulla forma ſecundum ſpeciem
ſibi potius determinat vltimum gradum poſ-
ſibilem in ſummo, quam in minimo.

Guilel. Rub. reſp. quod cuicunque formæ q.4.
intenſibili poteſt alia adddi, ex qua cum
priori efficiatur forma perfectior; quam eſſet
antea ſola prior, & quoniam quod additur
in

Google

in charitate eſt ſemper eiuſdem rationis, ideo quacunque charitate data poteſt Deus facere perfectiorem in infinitum, & ita in infinitum intendere, ſiue augere.

q.3. Ioannes de Baſſ. reſp. quod charitati ſecundum ſe, & in abſtracto non repugnat augeri in infinitum; tum quia augetur per appoſitionem indiuiduorum eiuſdem rationis cum ea, quorum vnum poteſt addi alteri in infinitum; tum quia eſt quodam homogeneum, cui non repugnat ex ſe creſcere in infinitum, cum ſibi non determinet certam quantitatem molis, vel perfectionis; repugnat tamen ei augeri in infinitum exiſtenti in ſubiecto; tum quia omnis potentia, vel capacitas ſubiecti actu finita eſt, & limitata, cui reſpondet perfectio finita, & limitata; tum quia capacitas, vel voluntas cum ſint idem eſſentialiter cum creatura intellectuali tota ſimul præexiſtit charitati, ex quo ſi charitas poſſet augeri in infinitum ipſa creatura haberet infinitam capacitatem actu, quod eſt falſum; tum quia Chriſti charitas finita fuit, & limitata, vnde ſi in aliquo ſubiecto augeri poſſet; maxime aucta fuiſſet in eo, qui tantam plenitudinem gratiæ accepit, quod Deus ſibi maiorem dare non potuit.

q.2. Paulus ſcriptor reſp. quod charitas ſecũdum ſe accepta poteſt augeri in infinita indiuidua vnius ſpeciei poſſibilia vniri ad inuicẽ.

d.17. diſp 7 Michael de Pal. reſp. quod charitas ex natura ſua non poteſt augeri in infinitum, ſicut nec quæuis alia forma intenſibilis, at quatenus viatrix eſt, includit in ratione ſua poſſe creſcere ſine termino, & ex diuina potentia ſemper ad vlteriora progredi, & ſic ſincathegorematicè infinita eſſe poteſt, non cathegorematicè.

Reſolutio.

RESpondeo, quod habitus charitatis extenſione plurium actuum ſucceſſiuè augeri poteſt in infinitum; tum quia poſſunt multiplicari in infinitum obiecta diligibilia; tum etiam, quia in eodem obiecto infinitè diligibili, quod eſt Deus, poſſunt multiplicari in infinitum rationes diligibilitatis; intenſione vero alicuius actus non poteſt, hæc enim intenſio eſt intrinſeca, & intima eſſentiæ charitatis, quæ cum infinita eſſe non poſſit, nam nullum creatum infinitum eſſe poteſt, igitur nec intenſio eius, ſicut nec intenſio albedinis, aut alterius formæ infinita eſſe poteſt, cum ipſa albedo, ſeu alia forma per ſe infinita non ſit.

Obie. Sed ſi in intellectu poteſt ſemper augeri ſcientia cur non etiam in affectu charitas? non enim eſt minus potens affectus ad recipiendam charitatem, quam intellectus ad ſuſcipiendam ſcientiam. Sio.

Reſpondetur, quod in intellectu poteſt augeri ſcientia extenſiuè, quia .ſ. intellectus ſemper poteſt addiſcere nouas concluſiones. non tamen intenſiuè; quod etiam verificatur de charitate. Ita Aegidius.

QVAESITVM XI.

An charitas poſſit minui?

GVilel. Antiſiod. reſp. quod quatuor notanda ſunt circa charitatem, eſſentia charitatis, radicatio eius in ſubiecto, feruor ſeu motus, & exterior operatio; quantum ad eſſentiam non poteſt remitti, ſiue minui, ſed bene quantum ad alia. lib. 3. tr. 6. c. 5.

D. Thomas reſp. quod charitas, licet minuatur, quo ad radicationem, & feruorem, non tamen poteſt minui, quo ad eſſentiam, niſi fortè ſecundum ſucceſſionem, quando .ſ. deſtruitur per peccatũ mortale quę ineſt, & poſtea infunditur minor; ſi.n. minueretur charitas (.ſ. quo ad eſſentiã) vel huiuſmodi diminutio cõtingeret ex parte Dei, vel ex defectu noſtro; non ex parte Dei, quia nullus defectus debet reduci in ipſum; non ex defectu noſtro, quia hoc eſſet, vel ex ceſſatione actus, vel ex inordinatione eius; non ex ceſſatione actus, quia adhuc remanet idẽ robur; nõ ex inordinatione eius, quia vel hæc inordinatio eſt circa finem, vel circa ea, quæ ſunt ad finem; ſi circa finem, ſic ipſa amittitur, & hoc fit per peccatum mortale; ſi circa ea, quæ ſunt ad finem, cum talis inordinatio ſit peccatum veniale, peccatũ autem veniale ipſã non attingat, alioquin ita poſſet multiplicari, quod ipſam tolleret, cum omne finitum per ablationem conſumatur ablato quodam ſemper, & ſemper, quod eſt falſum. d.17. q.2. a.5.

Et in 2. 2. ſi charitas poſſet minui, vel minueretur a Deo, vel a peccato; ſed non a Deo, quoniam ab eo nullus in nobis cauſatur defectus, niſi per modum pœnæ, pæna autem non debetur, niſi per peccatum; nec ſimiliter a peccato, quia nec effectiuè, nec meritoriè; non effectiuè, quia ſi mortale eſt, ipſam totaliter corrumpit, cum contrarietur ei; ſi verò veniale, ipſam non attingit; nec etiam meritoriè, quia ſi mortale eſt, meretur eius totalẽ deſtructionem; ſi veniale, cum ille, qui venialiter peccat inordinatè ſe habeat circa ea, quæ ſunt ad finem, non meretur detrimentũ pati in charitate, per quam ordinatur ad vltimum q.24. a.10.

Digitized by Google

nium finem; qui enim delinquit in minori nō meretur detrimentum pati in maiori.

p. 2. q. 1. D Bonau. reſp. quod ſi charitas minueretur, non minueretur, niſi per ſuum oppoſitum, quod eſt peccatum, peccatum autem eſt duplex mortale, & veniale, neutrum autem ipſam minuere poteſt; non mortale, quia ipsā omnino tollit; non veniale; primò, quia non opponitur ei, niſi ſecundum feruorem; ſecundò, quia per ſolum veniale non ſubtrahit Deus ab aliquo ſuam influentiam tanquam offenſus ab eo per auerſionem, aut per contemptum; tertiò, quia veniale non habet poſſe ſuper charitatem; quartò, quia ſi etiam minuere poſſet, poſſet etiam minuere præmium ſubſtantiale debitum ei, quod eſt bonū æternum, & conſequenter aliquid auferret de bono æterno, & quoniam ablatio boni æterni eſt pœna æterna, ſequeretur quod veniale mereretur pœnam æternam, quod eſt falſum; quintò, quia cum charitas ſit forma ſimplex, ſi non corrumpitur tota, ſecundum aliquam partem minui non poteſt.

p. 2. pr. 2. q. vn. Aegidius reſp. quod ſi minuitur charitas, minui non poteſt, niſi per peccatum, quia non niſi peccatum eſt corruptiuum charitatis, non enim minuitur habitus niſi ex his, ex quibus corrumpi habet, peccatum autem nullum ipſam minuere poteſt, quia ſi mortale eſt, ipſam tollit, ſi veniale, ipſam non attingit. Item Gerardus d. 17. q. 2. ar. 11.

ar. 2. q. 5. Ricardus reſp. quod ſicut charitas poteſt augeri, ita etiam quantum eſt ex parte ſua poteſt minui, quia tamen cauſam diminuentem non habet, ideo minui non poteſt, ipſam enim diminuere non poteſt niſi Deus, Deus autem ipſam non diminuit, quia cum ſit pronior ad miſerendum, quam ad iudicandum, ipſam charitatem iam datam non deſinit cōſeruare, donec homo totaliter ſe auertat ab eo per peccatum mortale, & tunc totaliter deſtruitur, quia per tale peccatum homo ſe reddit indignum charitate.

q. 7. Herueus reſp. quod eſt ſatis probabile, quod charitas non minuatur in ſe, licet poſſit eius feruor ſiue effectus minui: nam per peccatum mortale non minuitur, ſed tollitur; per veniale autem non minuitur, nec tollitur; tum quia veniale non eſt reſpectu finis, cuius eſt directè charitas; tum quia nullum veniale eſt tantę offenſæ, quod mereatur homo per ipſum pati aliquod detrimentum in charitate, quæ ſecundum ſe, & ſecundum omnem gradum in infinitum excedit; quodcunque veniale; tum quia ſi veniale minueret, poſſent tantum venialia multiplicari, quod finaliter per ſola venialia totaliter tolleretur, quod eſt inconueniens.

Durandus reſp. quod charitas cum ſit forma non conſiſtens in indiuiſibili, ſed habens latitudinem diuerſorum graduum, in quibus natura eius poteſt ſaluari, quantum eſt de natura ſua poteſt minui; non tamen actu minuitur, quia Deus non diminuit eam effectiuè, niſi demereamur propter aliquam culpam; per nullam autem culpam demeremur eius diminutionem, quia neque per mortalē, cum hæc non ſtet cum gratia, nec per venialem, quia ſaltem multiplicata poſſet ipsā corrumpere; nulla autē culpa venialis, neq; oēs ſimul poſsūt corrūpere charitatem; minuitur tamen quoad feruorē: nam ad feruorem actus duo concurrunt, intenſio ſ. habitus charitatis, & intenſio habitus acquiſiti ex frequentia actuum; cum itaque veniale peccatum poſſit minuere intenſionem habitus acquiſiti ex frequentia actuum, conſequens eſt vt poſſit etiam minuere, quantum ad feruorē. q. 10.

Ioan. de Neapoli reſp. quod charitas ſicut quælibet alia forma, cuius ratio non ſtat in indiuiſibili, poteſt quidem quantum eſt de natura ſua augeri & minui; de facto tamen non minuitur, quia nec per mortale, nec per veniale; non per mortale, quia per ipſum tollitur; non per veniale, quia veniale, licet minuat quo ad feruorem, non tamen minuit quo ad ſubſtantiam actus. diſp. 9 q. 6.

Petrus Aur. reſp. quod nulla forma nata eſt aliam diminuere, cuius intenſio apta eſt illam corrumpere, abſque hoc quod tranſeat in aliquam ſpeciem; ſed intenſio venialium non corrumpit charitatem; ergo nec ipſam minuere poſſunt talia venialia peccata, & ex conſequenti non poteſt ipſa minui; quia ſi poſſet, hoc ſolum fieret a venialibus peccatis. d. 17. a. 4.

Franc. Maro reſp. quod charitas de ſua natura eſt diminuibilis, quia eſt augmentabilis; de facto tamen non minuitur, quia ſicut ſolus Deus ipſam auget, ita ſolus ipſe minuere poteſt, hoc autem non facit, niſi propter demeritum, quod eſt, vel veniale, vel mortale, ſi veniale non attingit charitatem, ſi mortale ipsā tollit. Item Opim. & Nicol. de Orb. d. 19. q. 2.

Adam Godam reſp. quod charitas habitualis acquiſita poteſt minui, per actus contrarios, quos habet, ſicut per tales actus generatur; ſed charitas infuſa, quāuis de diuina potētia minui poſſit, Deus tamē non ipsā minuit, quia nec per mortale quod ipſam tollit, nec per veniale, niſi quo ad feruorem tam poſitiuè, quam priuatiuè, & quo ad firmitatē, quia ipſam quo ad eſſentiam non attingit. 2. ult. d. 1. q. 9.

Tho-

q.2. a.4. Thomas ab Arg. reſp. quod habitus charitatis ſicut ſecundum ſe augeri poteſt, ita etiam minui, & ſimiliter ex parte Dei, quia agens liberum habens plenum dominium ſuper aliquem habitum, ſi ipſum augere poteſt, poteſt etiam minuere, ex parte tamen operationis noſtræ non poteſt minui, quia nec per peccatum mortale, nec veniale, non per mortale, quia ipſam tollit; nõ per veniale, quia duo inconuenientia ſequerẽtur, vnum quod tantum poſſent multiplicari venialia, quod per ipſa amitteretur charitas, alterum quod habens minimam charitatem per ſola venialia damnari poſſet.

q.1. a.2. Gregorius reſp. quod ſicut charitas eſt forma ſucceſſiuè augmentabilis, ita & ſucceſſiuè deſtruibilis, & per conſequens ſecundum ſuam eſſentiam minui poteſt, ſed per potentiam Dei ordinariam non minuitur, niſi quantum ad feruorem, & hoc ideo poteſt contingere, quia ex frequentatione venialium generatur cupiditas habitualis inclinans ad actus, qui ſunt peccata venialia, & per conſequens aliquo modo inhabilitans ad actus charitatis, ex quo fit, vt poſtea non tam feruidos, & intenſos actus eliciat is, in quo eſt talis habitus cupiditatis generatus, nec tam delectabiliter.

l.12. ſ.vn. Michael de Bononia reſp. quod charitas a Deo diminuitur per peccatum veniale, quod probat tripliciter; primò, quia ſi non diminueret, ſequeretur quod Deus æqualiter diligeret peccantem, & non peccantem, quod non eſt rationale, conſequentia probatur, quia Deus æqualiter diligit habentes æqualem charitatem; ſed dato quod alter eorum peccaret venialiter, adhuc ipſum diligeret, ſicut alterum, quia eandem charitatem haberet in nullo diminutam; ſecundò, Peccatum veniale aliquid corrumpit, & in aliquo nocet, aut ergo in naturalibus, aut in gratuitis, ſi in gratuitis; ergo ſequitur quod intenditur, ſi in naturalibus; ergo multo magis in gratuitis; tertiò, Oppoſita habent fieri circa idem; ſi igitur charitas augetur, etiã diminuitur, & non per mortale; igitur per veniale.

q.4. Gabriel Biel reſp. quod charitas quadrup. conſiderari poteſt, in ſe, in ordine ad ſubiectum, in ordine ad cauſam efficientem, & in ordine ad cauſam meritoriam; in ſe conſiderata eſt diminuibilis, quoniam omne diuiſibile eſt huiuſmodi; ſecundum eſſe in ſubiecto eſt etiam diminuibilis, quia diuiſibilis; in ordine ad cauſam efficientem per nullum agens creatum poteſt minui, nam eius diminutio eſt annihilatio; in ordine ſimiliter ad cauſam meritoriã nõ eſt diminuibilis, quia nec per peccatum mortale, nec veniale; ſed tantum quo ad feruorem. Item Paulus Scriptor.

Petrus Aliac. reſp. quod charitas cum ſit forma augmentabilis, & acquiſibilis, per potentiam Dei abſolutam poteſt minui, ſed non per potentiam ordinariam, quia ſi minueretur, vel hoc eſſet per peccatum mortale, vel veniale; non mortale, quia ipſam tollit; nec etiam veniale, quia per veniale non poteſt homo damnari, quod contingeret, ſi charitatem amitteret. Item Ioannes Maior. q.9. a.3.

Ioannes de Baſſolis reſp. quod de potentia Dei abſoluta non implicat, quod charitas poſſit minui; de potentia tamen ordinata, aut de facto minui non poteſt, quia cauſam diminuentem non habet, nec demeritoriam, nec efficientem; non demeritoriam, quia hæc eſſet, aut peccatum veniale, aut mortale, non veniale, quia ita poſſent multiplicari venialia, quod ipſam tollerent, cum finita ſit, quod eſt impoſſibile, nam ſic aliquis poſſet damnari propter venialia tantum, nec mortale, quia mortale totam aufert; non efficientem, quia Deus non ordinauit illam diminuere ſine aliquo mortali demerito, per quod ipſa totaliter tollitur. d.17. q.4.

Dioniſ. Carth reſp quod eiſdem gradibus charitas creſcit, & decreſcit, remittitur, & augetur, eſt autem ſuæ diminutionis cauſa diſpoſitiua, & meritoria, veniale peccatum, & ſimiliter Deus; ſed per accidens, inquantum iſta diminutio eſt malum pœnæ. q.9.

Ioannes a Celaia reſp. quod charitas acquiſita de lege ordinata poteſt minui, nam omnis habitus acquiſitus poteſt diminui, & corrumpi per actus contrarios actibus, ad quos inclinat charitas acquiſita; ſed charitas infuſa non poteſt niſi de potentia Dei abſoluta, Deus enim a qualibet charitate infuſa poteſt auferre vnã partem, reliqua remanente. d.17. q.9.

Michael de Pal. reſp. quod Deus poteſt quidem minuere charitatem, non tamen minuit, quia neque per grauia, neque per leuia peccata, id facit. diſp.3

Reſolutio.

RESpondeo, quod habitus charitatis, ſicut quãdoque augetur extenſione actuum, quandoque verò vnius, & eiuſdem intenſione; ita etiam vtroque modo contingit minui, deſitione .ſ. alicuius actus, vt cum quis modo ex charitate aliquem diligit tanquam iuſtum, quem poſtea propter amiſſionem iuſtitiæ,

non

non diligit; & remiſſione illius, vt cum quis minus, vel non tam promptè, & delectabiliter diligit Deum, aut proximum, ſicut antea diligebat certum eſt enim, quod non omnes æqualiter, nec ſinguli vniformiter omni tempore diligunt; inſtabilis enim eſt humana conditio, ſed aliquando plus, aliquando minus, quod ſatis, & ſufficienter ex eorum operibus dignoſcitur, vnde ſicut cum plus diligunt, eorum augetur charitas, ita cum minus, diminuitur; & hoc expreſsè habetur in Euangelio Matthæi c.24. vbi recenſentur verba Saluatoris noſtri dicentis, quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum; manebit ergo charitas, ſed frigefacta, & lãguida, ac proinde imbecillis, & diminuta.

Obiectio. Sed ſi peccatum mortale ipſam deſtruit, veniale autem non attingit?

Reſpondetur, quod peccatum veniale nõ attingit charitatem, ſicut peccatum mortale ad deſtruendum eam, ſed bene ad diminuendum, in qua tamen diminutione dato quod vnum veniale addatur alteri non eſt deuenire ad totalem eius deſtructionem, quia non per ſe opponuntur ei.

DISTINCTIO DECIMA OCTAVA.

Præterea diligenter conſiderandum eſt cum Spiritus ſanctus dicatur donum &c.

QVAESITVM I.

An eſſe donum in diuinis conueniat eſſentiæ, an perſonæ tantum?

d.18. q.1. a.1. D. Thomas reſp. quod eſſe donum aliquando dicitur de illo, quod habetur per modum dominij, & aliquando de illo, quod habetur, vt ſibi intrinſecum, & per modum liberæ communicationis; primo modo eſſe donum conuenit perſonæ, licet enim vna perſona non habeat dominium ſuper alteram, habet tamen loco dominij auctoritatem ratione principij; ſecundo modo eſſentiæ, ſic enim eſſentia diuina ſeipſam dare poteſt, & liberè communicare, cum non ſit neceſſarium, quod donum ſemper a donãte diſtinguatur, ſicut eſt neceſſarium, quod donans diſtinguatur ab eo, cui donatur.

pr. 1. q. 1. Aegidius reſp. quod relationes in diuinis tripliciter diſtinguuntur, quædam enim ſumuntur ſolum reſpectu diuinorum, quarum aliquæ ſunt puræ perſonales, vt paternitas, aliquæ verò cum notione dicunt eſſentiam, vt potentia generandi, quædam ſumuntur reſpectu creaturarum, quarum aliquæ ſunt puræ eſſentiales, aliquæ verò dicunt eſſentiã cum notione, vt incarnatio, quædam tandem ſumuntur medio modo, & huiuſmodi ſunt, quæ cum hoc, quod dicunt reſpectum vnius perſonæ diuinæ ad aliam, dicunt etiam reſpectum ad creaturam, quarum aliquæ dicunt reſpectum habitualem, aliquæ vero actualẽ, quæ reſpectum actualem dicunt, ſic eſſentialiter dicuntur, vt miſſio, & datio, quæ verò habitualem, ſolum perſonaliter, vt verbum; & quoniam donum eſt relatio, quæ dicit reſpectum habitualem ad creaturam, cum hoc quod dicit reſpectum vnius perſonæ ad aliã, quia donum non dicitur niſi, quod procedit a dante, ideo ſolum perſonaliter dicitur, & non eſſentialiter, & ſic eſſe donum perſonæ tantum conuenit, non eſſentiæ; ſicut eſſe verbum. Item Gerardus.

Durandus reſp. quod reſpectu diuinorum, *q.1.* nihil eſt in diuinis, cui conueniat eſſe donum, nec eſſentia, nec perſona; & ratio eſt, quia illud, quod communicatur liberè alteri, habet rationem doni; in diuinis autem nihil eſt, quod communicetur liberè, cum omne illud, quod communicatur, communicetur ex neceſſitate naturæ; reſpectu tamen creaturarum æquè proprie conuenit eſſentiæ eſſe donum, ſicut perſonæ; & ratio eſt, quia donum eſt aliquid alteri liberaliter exhibitum, iſtud autem æquè conuenit eſſentiæ, ſicut perſonæ reſpectu creaturarum, nam quod diuinum eſt, datur creaturæ, vt habeatur ab ipſa, non ſubiectiuè, ſed tantum obiectiuè, vt cognitũ, & amatum, ſeu per modum rectoris, & directoris, quo modo, æquè datur eſſentia, ſicut perſona. Item Franc. a Chriſto.

Thomas ab Argent. reſp. quod ſicut ver- *q.vn.* bum ſecundum ſuam propriam rationem, dat intelligere proceſſum a proferente, ita donum dat intelligere proceſſum a donante; & quoniam talis proceſſus non conuenit eſſentiæ, ſed perſonæ, ideo nec eſſe donum conuenit eſſentiæ, ſed perſonæ.

Marſilius reſp. quod donum tripliciter di- *q.21. a.1.* citur; primò illud, quod ex liberalitate communicabile eſt alteri; ſecundò, quod eſt communicabile alteri ex liberalitate, & auctoritate; tertiò, quod eſt communicabile alteri ex liberalitate, auctoritate, & quia procedit per modum amoris; primò modo conuenit eſſentiæ, & etiam perſonis; ſecundò modo & tertiò tantum perſonis.

Michael de Pal. reſp. quod donum non ſic *d. 18. diſp. 1* correctè loquendo, dicitur eſſentialiter, de

Deo,

Digitized by Google

Deò, & tota Trinitate;eſt enim Deus ab æterno donabilis; ſed correctè loquendo, cum donum diſtinguatur a donatore, eſt nomen perſonale, & non niſi perſonæ conuenit.

Reſolutio.

RESpondeo, quod cum aliquid eſt in poteſtate alterius, vt detur, & non detur, ſi ex amore datur, & irredibiliter, tunc donari dicitur; eſt igitur de ratione doni, vt liberaliter detur, irredibiliter, & ex amore; cum itaque ſic dari non conueniat eſſentiæ, ſed tantum perſonæ, perſona enim eſt,quæ liberaliter, ex amore, & irredibiliter creaturæ datur; idcirco eſſe donum non conuenit eſſentiæ, ſed tantum perſonæ.

Obiectio. Sed ſi tota Trinitas quæ eſt eſſentia dat ſe liberaliter, ex amore, & etiam ſi velit, irredibiliter creaturæ?

Reſpondetur, quod irredibilitas, quæ eſt de ratione doni includit diſtinctionem dati, a dante; quod enim alicui irredibiliter datur, datur vt quodam ſeparabile a dante, & firmabile in eo cui datur, & hinc fit, quod in diuinis tota Trinitas,ſiue eſſentia quàuis poſſit dare ſe, non tamen poteſt dare ſe irredibiliter, quia non poteſt diſtingui a dante, cum nulla ſit diſtinctio in diuinis ex parte eſſentiæ, atque ita non poteſt conuenire ei completa ratio doni, ſicut perſonæ, quæ diſtinguitur a perſona; qua ratione etiam ſequitur, quod nulla perſona poteſt donare ſeipſam, quamuis ſeipſam poſſit dare, ſicut iam dictum fuit.

QVÆSITVM II.

An cuilibet diuina perſona conueniat eſſe donum?

pr. 8. q 36. m.2 ALbertus reſp. quod donum dupliciter ſumitur materialiter, & formaliter, primò modo, quocunque modo datur dicitur donum, & ſic eſt commune toti Trinitati;ſecundò modo dicitur donum,quod in forma doni datur,& ratione, & ſic tantum conuenit Spiritui ſancto.

Et p.ſen. diſ. 18. ar. 3. reſp. quod eſſe donũ propriè conuenit Spiritui ſancto,ſi ratio ſumitur a primo dono procedente ab eo, qui donat, vel donare habet; nam Spiritus ſanctus inquantum amor procedens, habet rationem primi doni.

p. p. q 38. D. Thomas reſp. quod ſicut proprium eſt Spiritus ſancti,vt ſit amor,ſic eius eſt propriũ quod ſit donum; donum enim importat liberalem collationem in dante,eius, quod datur, cuius liberalis collationis ratio eſt amor; quia ergo Spiritus ſanctus datur, & procedit vt amor, ex ratione ſuæ proceſſionis habet hoc proprium, quod ſit donum.

D. Bonau. reſp quod datum idem eſt,quod communicatum. poteſt autem, quod eſt datũ dici communicatum ex liberalitate, & ſic eſt commune toti Trinitati, vel ex liberalitate, & auctoritate, & ſic conuenit Spiritui ſancto, & Filio, qui habent ſubauctoritatem reſpectu Patris, vel poteſt dici datum ex liberalitate, & auctoritate, non tantum communicatum, ſed etiam productum, & hoc modo ſolum conuenit Spiritui ſancto, quia ipſe ſolus procedit ſecundum rationem liberalitatis; cum ergo ſic eſſe datum conueniat ſoli Spiritui ſancto, conuenit etiam eſſe donum,quia hoc modo donum,& datum æquiualent, cum ſolum in hoc differant, quod datum dicit communicatum in actu, donum verò in habitu. *d. 18. q. 4.*

Aegidius reſp. quod ratio quare alicui competit nomen doni ex amore ſumitur; amor autem aliquando ſumitur pro actu voluntatis, & ſic conuenit cuilibet perſonæ, & aliquando pro eo, quod per modum voluntatis formatur, & procedit, & quoniam ſic ſoli Spiritui ſancto conuenit, cum ſolus Spiritus ſanctus per modum volũtatis procedat, ideo & ei ſoli conuenit eſſe donum. *pr. 2. q. 2.*

Ricardus reſp. quod donum prout accipitur in diuinis eſt res procedens, cui ex ſuo modo procedendi cõuenit prima ratio doni, hæc autem amor eſt, illi ergo rei ex ſuo modo procedendi conuenit prima ratio doni, quæ procedit, vt purus amor, & quoniam ſic procedere conuenit ſoli perſonæ Spiritus ſancti; ideo & eſſe donum. *q. 1.*

Henricus reſp. quod Spiritus ſanctus procedit vt amor de voluntate producente modo operationis voluntariæ,& liberalis, quaſi per excuſſionem ab eo, de quo producitur in aliud tendens, & ideo dicitur eſſe donum, ſiue procedere, vt donum; donum enim dicitur dabile liberaliter in aliud directum, vt ei conferendum. *a. 61. q. 6.*

Herueus reſp. quod donum propriè dictũ tres habet conditiones,quod dans habeat dominium illius quod dat, & hoc in creaturis; in diuinis verò quod habeat auctoritatem in ratione principij; quod ex liberali voluntate detur; & quod habeat aptitudinem ad hoc, quod detur; & quoniam ſoli perſonæ Spiritus ſancti conuenit originali per modum liberalis donationis, quia per modum voluntatis, *d. 18. q vn.*

& hoc modo ſuæ proceſſionis habet aptitudinem, quod ſic detur, ideo ſoli ei conuenit eſſe donum.

q. I. Durandus reſp. quod eſſe donum, vt donum accipitur pro eo, quod eſt alteri liberaliter exhibitum, reſpectu diuinorum, nulli perſonæ conuenit, reſpectu verò creaturarũ, ſingulis; per modum tamen cuiuſdam appropriationis maximè Spiritui ſancto, quia omnis ſpecialis communicatio, quæ ad donum exigitur procedit ex radice amoris, qui eſt actus voluntatis, per cuius modum procedit Spiritus ſanctus.

a. 2. Petrus Aur. reſp quod donum dicitur quandoque totum illud, quod in alterius poſſeſſionem transferri poteſt realiter, & illud a quo procedit tranſlatio, & illud etiam, quod prouenit ex amore eius, cui datur; quando ſumitur pro tranſlatione amantis in poſſeſſionem amici contingit dupliciter, vel vt donum accipitur pro ipſo amante in tali eſſe donato poſito, vel pro ipſo amante realiter exiſtente in ſeipſo, qui dicitur datus denominatiuè ex hoc quod poſitus eſt in tali eſſe dato; ſi ergo primò modo, & ſecundò accipiatur donum, eſt commune omnibus perſonis; ſi verò accipiatur pro ſpiritu, & vita, & quolibet, quod eſt in amante poſito, in quodam eſſe in eo, & communicato ipſi amico, in nobis intentionaliter, in Deo realiter, ſic eſſe donum ſoli perſonę Spiritus ſancti conuenit, vt proprium eius.

q. vn. Guilel Occham reſp. quod eſſe donum conuenit ſoli perſonæ Spiritus ſancti, vt donum ſumitur pro re ab æterno, & neceſſariò data, & poſtea liberè donata creaturæ, quia ſic dari ſoli perſonæ conuenit Spiritus ſancti.

q. I. a. I. Thomas ab Arg. reſp. quod cum Spiritus ſanctus procedat a Patre, & Filio per modum amoris, & liberè ſine tempore, & in aptitudine naturali, vt detur in tempore, iſtæ enim ſunt conditiones quibus diſtinguitur donum a dato, & ſit ſimiliter amor, qui principaliter habet rationem doni, idcirco eſſe donum eſt proprium ei.

q. vn. a. 4. Gerardus reſp. quod ſoli perſonæ Spiritus ſancti conuenit eſſe donum; primò, quia de ratione doni propriè dicti eſt, quod exeat ab aliquo, cuius exitus, principium ſit voluntas; ſecundò, quia ſicut Filius procedit, vt natus, ita Spiritus ſanctus, vt datus, vnde ſicut Filio proprium eſt eſſe natum, quia ſuæ proceſſionis principium eſt natura, ita Spiritui ſancto proprium eſt eſſe datum, ſiue donum, quia ſuæ proceſſionis principium eſt voluntas; tertiò, quia Spiritui ſancto appropriantur ſeptem dona, in quibus Deus donatur, talis autem appropriatio non poteſt fieri, niſi quia Spiritus ſanctus eſt donum Dei intrinſecum, in quo cætera dantur; quartò, quia perſona Spiritus ſancti eſt ratio, quare tota Trinitas nos inhabitat, & nobis donatur.

Guilel. Rub. reſp. quod donum aliquando accipitur pro amore, & aliquando pro producto a voluntate; primò modo eſſe donum conuenit Spiritu ſancto appropriatè; ſecundò modo propriè. q. I.

Gabriel Biel reſp. quod donum dicitur dupliciter, vno modo quod gratis alicui dari poteſt, & ſic cuilibet conuenit perſonæ, quælibet enim gratis donari poteſt creaturæ; alio modo quod procedit ex vi amoris, & ſic Spiritus ſanctus habet rationem doni, non reſpectu creaturarum, ſed Patris & Filij, quia vtriuſque eſt mutuus amor. q. vn.

Marſilius reſp. quod Spiritui ſancto eſt proprium eſſe donum, quatenus donum eſt quid communicabile alteri ex liberalitate procedens per modum amoris, ſolus enim Spiritus ſanctus ſic procedit. q. 21. a. I.

Ioannes de Baſſol. reſp. quod donum, & quantum ad principale ſignificatum, & quantum ad connotatum eſt propriũ Spiritui ſancto, quantum ad connotatum, quia ſibi eſt proprium, quod procedat per modum amoris, quod eſt connotatum doni; quantum ad principale ſignificatum ſimiliter, quia principale ſignificatum eſt donabilitas, donabilitas autem eſt reſpectus habitualis concernẽs tantum illam perſonam cui conuenit, quod procedat per modum amoris. q. vn.

Ioannes à Celaia reſp. quod donum in diuinis importat quod perſona ab vtraque procedat tanquam donabilis, & idcirco Spiritus ſanctus ab æterno eſt donum, non donatus, & ſic propriè ei conuenit eſſe donum. d. 18.

Paulus Scriptor reſp. quod Spiritus ſanctus ex ſua proprietate perſonali poteſt dici donum donabile, quia procedit, vt amor actualis. q. vn.

Guilel. Varrill. reſp. quod donum capitur tripliciter vno modo, vt ſolum dicit communicationem, ſiue actu, ſiue potentia, & ſic cuilibet perſonæ conuenit eſſe donum; ſecundò, vt datur ab aliquo habente auctoritatem, & ſic dicitur de Filio, & de Spiritu ſancto; tertiò, vt dicitur de aliquo, qui procedit ab aliquo habente auctoritatem, cuius proceſſio eſt per modum amoris, & ſic ſoli Spiritui ſancto conuenit eſſe donum, & datum. d. 18.

Michael de Pal. reſp. quod eſſe donum conuenit tam Filio, quam Spiritui ſancto, ſed diſp. vn.

non

non ita vſurpatur de Filio, ſicut de Spiritu ſancto; nam Spiritus ſanctus hoc habet ex ſua proceſſione, cum proceſſio eius ſit per voluntatem, non Filij.

q.vn. Franciſcus a Chriſto reſp. quod donũ appropriate conuenit Spiritui ſancto, etenim omnes liberalis communicatio ex amore, tãquam ex radice procedit, Spiritus ſanctus autem procedit, vt amor.

§ 1. Guilel. Eſtius reſp. quod ſolus Spiritus ſanctus dicitur donum, quia eo modo procedit, in quo doni ratio continetur, nam procedit vt amor.

de tr. Franc. Suarez reſp. quod donum tribus
l. 11. modis de Deo dici poteſt, eſſentialiter, notio-
c. 4. naliter, perſonaliter, ſeu propriè; primò modo dicitur de omnibus perſonis; ſecundò de Filio, & de Spiritu S. tertiò de ſolo Spiritu S.

q 38. Gabriel Vaſqquez reſp. quod donum ſumi-
diſp. tur dupliciter, vno modo pro quacunque re,
113 quæ liberali voluntate ei accedente donari poteſt, & huic ratio doni prouenit extrinſeca tantum denominatione a voluntate donantis, & ſic tam eſſentiæ, quam perſonis conuenit eſſe donum, alio modo quod natura ſua, & proprietate ſubſtantiali donum eſt, & ſic conuenit tantum Spiritui ſancto, vnde per hoc dicitur primum donum.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut dictum eſt de ratione doni eſt; vt liberaliter detur, irredibiliter, & ex amore, & quamuis alia perſona a perſona Spiritus ſancti poſſit liberaliter, & irredibiliter, & etiam ex amore dari, ſicut dicit Apoſtolus in epiſt. ad Roman. c. 8. de perſona Filij, quomodo nõ etiam cum illo omnia nobis donauit? quia tamen ſpecialiter amor appropriatur Spiritui ſancto, vt perſonæ, quæ non rarò, ſed frequenter datur creaturæ, ad ſanctificandam eam, quæ ſanctificatio fieri ſolet mediante quodam ſpeciali Dei amore erga illam, & econuersò, idcirco eſſe donum per hanc ſpecialem appropriationem conuenit ſoli perſonæ Spiritus ſancti.

Obiectio. Sed ſi dicit D. Auguſtinus, quod Spiritus ſanctus intantum eſt donum, inquantum datur? cum itaque Filius detur, igitur eſt donum ſaltem appropriatè, ſicut Spiritusſanctus.

Reſpondetur, quod quando dicit D. Aug. quod Spiritus ſanctus intantum eſt donum, inquantum datur, ly in tantum non ſumitur, vt dicit cauſalitatem in eſſendo, ſed tantum in inferendo, ex eo enim quod datur ex amore, ſeu quia amor eſt, infertur, quod ſit donum. Ita Aegidius.

QVÆSITVM III.

An ſit idem Spiritui ſancto eſſe donum, quod eſſe datum?

ALbertus reſp. quod Spiritus ſanctus d. 18.
alia ratione eſt donum, & alia da- a. 2.
tum; primò, quia eſſe donum competit ei ratione ſuæ qualitatis, quæ eſt donabilitas æternitati, datum autem ex tempore; ſecundò, quia Spiritus ſanctus, vt donum irredibiliter datur, non ſic autem, vt ſimpliciter datur; tertiò, quia ratio doni; cum referatur ad gratuita, magis competit ei, quam ratio dati, quæ refertur ad naturalia; meliora enim ſunt gratuita naturalibus.

Diuus Thomas reſpondet, quod donum, q. 1.
& datum tripliciter differunt, quantum a. 2.
ad conſignificationem, datum enim conſignificat tempus, cum ſit participium, donum autem non, cum ſit nomen; quantum ad ſignificationem, quia donum ſupra datum addit irredibilitatem, quia vt dicit Philoſophus, donum eſt datio irredibilis; & quantum ad modum ſignificandi, quia donum importat aptitudinem ad dandum, quæ duplex eſt, actiua, & paſſiua, paſſiua vt detur, actiua quaſi ratio dandi, datum autem importat dationem in actu. Item Aegidius, Nicol. de Nijſe, & Guil. Varill.

D. Bonau. reſp. quod datum cum ſit parti- q. 3.
cipium, vel nomen verbale concernit tempus, donum autem a tempore ſubtrahit; ſimiliter ratio doni ſupra rationem dati addit conditionem liberalitatis, ſiue irredibilitatis; & ſic alia eſt ratio vnius, & alia alterius.

Henricus reſp. quod datum dicit actum a. 16.
dandi ſimpliciter, ſiue quod datur detur libe- q. 8.
raliter, ſiue non; donum autem dicit eundem, non ſimpliciter, ſed liberaliter, & in ſe notat habilitatem, & aptitudinem, qua quantum eſt ex ſe ordinatur, vt alteri detur.

Marſilius reſp. quod donum ſecundum D. q. 21.
Auguſtinum non videtur diſtingui a dato, niſi a. 1.
quia datum ſignificat communicationem factam creaturæ ex tempore, donum autem dicit eandem communicationem, prout eſt poſſibilis fieri.

Ioannes Maior reſp quod ſempiternum q. vn.
eſt Spiritus ſancti donum, temporaliter verò datum.

Michael de Palatio reſp quod donum di- diſp.
cit aptitudinem, ſeu donabilitatem, datum vn.
verò actualitatem, & in hoc differunt.

Guilelm. Eſtius reſp. quod donum propriè §. 1.
eſt ab æterno, datum verò in tempore.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut alia eſt ratio doni, & alia ratio dati, nam ratio dati in plus ſe habet, quam ratio doni, donum enim ſupra datum addit liberalitatem, irredibilitatem, & amorem; ita Spiritui ſancto aliud eſt eſſe donum, & aliud eſſe datum.

Obiectio. Sed ſi Spiritus ſanctus non datur, niſi ad ſanctificandam creaturam? cum autem ſic datur, tunc donatur?

Reſpondetur, quod in ordine ad creaturam, ſiue ad eius ſanctificationem idem eſt donari, & dari ipſi Spiritui ſancto, ſed non eſt eadem ratio ipſius doni, & dati, nec eadem ratione donatur, & datur, quamuis ſimul donetur, & detur.

QVAESITVM IV.

An Spiritui ſancto conueniat eſſe donum, vt ſingularis proprietas conſtitutiua, ſeu diſtinctiua eius perſonæ?

d. 18. q. 5. D. Bonau. reſp. quod donum eſt proprietas diſtinctiua perſonæ Spiritus ſancti, non tantum ſecundum reſpectum ad donatorem, ſed etiam ſecundum reſpectum ad eum, cui datur, nam iſte reſpectus eſt adeo coniunctus primo, vel ſecundum actum, vel ſecundum habitudinem, vel etiam ſecundum aptitudinem, quod ille ſine iſto eſſe non poteſt, nec intelligi, & probat multiplici auctoritate D. Aug. dicit enim D. Auguſtinus quod relatio, ſecundum quam refertur Spiritus ſanctus ad Patrem, & Filium, magis apparet in hoc nomine doni, quam in hoc nomine Spiritus; & quod Spiritus ſanctus eſt eo donum quo Spiritus, & quod Filius procedit quomodo natus, Spiritus ſãctus autẽ quomodo datus; & similiter ratione, quia ſ. donum ineſt ſoli perſonæ Spiritus ſancti, & ſemper; ergo eſt eius proprietas diſtinctiua a quacunque alia perſona.

q. 2. Ricardus reſp. quod eadem proprietas ſecundum rem importatur nomine Spiritus ſãcti, nomine amoris, & nomine doni, ſolum enim eſt differentia ſecundum rationem, nam nomine Spiritus ſancti ſignificatur per comparationem ad ſpirationem paſſiuam, nomine amoris per comparationem ad modum procedendi, nomine doni, quo ad reſpectum donabilitatis ſuperadditum; cũ ergo nomine Spiritus ſancti, & amoris importetur proprietas conſtitutiua, & diſtinctiua eius perſonæ, importatur etiam nomine doni.

Ioannes Scotus reſp. quod donum in diuinis ex ſua principali ſignificatione non dicit proprietatem perſonalem Spiritus ſãcti; donum enim dicit reſpectum ad creaturam, nullus autem reſpectus talis dicit aliquid, quod ſit intrinſecum alicui diuinæ perſonæ; ſed bene ex conſequenti; & ex connotatione, eſt enim Spiritus ſanctus propriè amor procedẽs a Patre, & Filio per actum amoris; amor autem eſt primum donum, & nihil habet rationem doni, niſi inquãtum cadit ſub actu amoris; & ſic intelligenda ſunt (inquit) dicta D. Aug in lib. de Trin. quibus videtur ſentire quod donum ſit proprietas perſonalis Spiritus ſancti. Item Nicol. de Orbellis; Et Paulus Scriptor. Donũ (inquit) dicit proprietatẽ Spiritus ſancti per connotationem, ſed non ſecundum principalem ſignificationem. *q. vn.*

Petrus Aur. reſp. quod quandocunque aliqua ſunt vnum, & idem realiter, ſi vnum perſonam realem conſtituit, etiam conſtituit & reliquum; & quoniam conſtat quod amãtem erga amatum ſpirare idem eſt, quod totum quicquid eſt, & habet, illi donare, & totum illud amato donari, nil aliud eſt, quam illud ſpirari, & per conſequens donari, & ſpirari idem ſunt, ideo cum Spiritus ſanctus conſtituatur in eſſe tali per ſpirari, manifeſtè apparet, quod in eodem conſtituitur per donari; & ſic donum eſt ſua proprietas. *a. 2.*

Guilel. Occham reſp. quod donum tripliciter accipi poteſt, vel perſonaliter pro re, quæ eſt donum, vel materialiter pro iſto nomine donum, vel ſimpliciter pro conceptu correſpondente nomini, ſiuè ſit ſubiectiuè in anima, ſiue ſolum obiectiuè; ſimiliter perſonalis proprietas dupliciter poteſt accipi, vel pro aliquo ſolum vni perſonæ conueniẽte, ſiue per prædicationem, ſiue per realem exiſtentiam; vel pro aliquo proprio perſonæ intrinſeco; accipiendo itaque primò modo donum, ſic non dicit proprietatem perſonalem, ſed eſt ipſa perſona Spiritus ſancti; accipiendo donum ſecundo, & tertio modo, & proprietatem primo, ſic donum magis eſt proprietas perſonalis Spiritus ſancti (non tamen conſtitutiua) quam quod dicat proprietatem; accipiendo autem donum ſecundò modo, & tertio, & proprietatem perſonalem ſecundo ſic donum non dicit proprietatem perſonalem, nec eſt proprietas perſonalis, quia donum ſic acceptum, non eſt quid intrinſecum, nec idem realiter cum proprietate Spiritus ſancti, quamuis verè prædicetur de Spiritu ſancto. *q. vn.*

Thomas ab Arg. reſp. quod ſicut Filio natum *a. 1.*

tum

tum eſſe eſt ſua perſonalis proprietas, ita & Spiritui ſancto donum eſſe; auctoritate iam adducta D. Aug. quod ſicut natum eſſe, eſt Filium a Patre eſſe, ita Spiritum ſanctum donum eſſe eſt a Patre, & Filio procedere.

q. 1. Guilel. Rub. reſp. quod propriè loquendo eſſe donum non eſt proprietas conſtitutiua perſonæ Spiritus ſancti, quoniam cum perſona ſit ſimpliciſſima non eſt conſtituta magis, quam compoſita, nec etiam eſt aliquid conſtitutiuum eius magis, quam compoſitiuum.

q. 1. Ioan. Bacc. reſp. & auctoritate D. Auguſtini, & Magiſtri dicit eſſe tenendum, quod eſſe donum eſt proprietas Spiritus ſancti, & maximè, quia procedit per modum voluntatis, vt amor.

q. vn. Ioan. de Baſſ. reſp. quod donum quantum ad relationem habitualem, quam importat principaliter non eſt proprietas conſtitutiua Spiritus ſancti; primò, quia talis reſpectus, vel eſt ens rationis, vel ſimpliciter non ens; ſecundo, quia ens in actu non conſtituitur per aliquid habituale, ſeu potentiale; tertiò, quia talis relatio eſt ens diminutum; quartò, quia vna perſona ſimplex non conſtituitur niſi per vnam proprietatem relatiuam; ſed bene eſt conſtitutiua eius, quantum ad relationem æternam, & realem, quam connotat; hæc enim eſt ſpiratio paſſiua, & per ſpirationem paſſiuam conſtituitur Spiritus ſanctus.

ar. 1. Nicolaus de Nijſe reſp. quod etſi donum
p. 2. eſt proprietas diſtinctiua Spiritus ſancti con-
pr. 2. notat enim proceſſionem per modum amo-
q. 3. ris, quæ eſt propria Spiritui ſancto; non tamen eſt conſtitutiua eius perſonæ, donum enim de ſuo per ſe ſignificato importat reſpectum ad creaturas; omnis autem talis reſpectus eſt poſterior eſſe perſonali Spiritus ſancti.

diſp. Michael de Pal. reſp. quod Spiritus ſanctus
vn. eodem eſt Spiritus, & donum, nempe ſpiratione, ſed non formaliter, donabilitas enim non conſtituit perſonam Spiritus ſancti, quia diuinæ perſonæ non aduocant in ſuas rationes conſtitutiuas relationes ad creaturas, & ratio ea eſt, quia Deus creaturis non eget.

q. vn. Guilel. Varrill. reſp. quod Spiritus ſan-
a. 2. ctus ante donum, ſeu donabilitatem intelligitur conſtitutus per ſpirationem paſſiuam; igitur non poteſt intelligi conſtitui per donum, quod dicitur per reſpectum ad creaturas, vt obiectum ſecundarium diuinæ voluntatis.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut dictum eſt eſſe donum conuenit ſoli perſonæ Spiritus ſancti per appropriationem, quia .ſ. ei appropriatur amor, & ex amore datur donum, nihil autem, quod appropriatur alicui perſonæ habet rationem conſtituendi, & diſtinguendi illam, ſupponit enim iam conſtitutam in eſſe, & diſtinctam a quacunque alia per aliquam proprietatem, a qua ſumitur ratio appropriationis.

Sed ſi dicit D. Auguſtinus, quod relatio, Obiect. ſecundum quam refertur Spiritus ſanctus ad Patrem, & Filium magis apparet in hoc nomine donum, quam in hoc nomine ſpiritus?

Reſpondetur, quod relatio, ſecundum quã refertur Spiritus ſanctus ad Patrem, & Filium, magis apparet in hoc nomine donum, quam in hoc nomine Spiritus, quo ad nos, non ſecundum ſe, magis enim eſt notum nobis, quod Spiritus ſanctus refertur ad Patrem, & Filium per hoc, quod ab vtroque ex amore datur nobis ad ſanctificandum nos quam per hoc, quod ſpiratur.

QVÆSITVM V.

An Spiritui S. conueniat eſſe donum ab æterno?

ALex. Alenſ. reſp. quod quædam ſunt p. p. nomina diuina, quæ dicunt reſpe- q. 71. ctum ad creaturam in habitu, ſicut m. 4. hoc nomen Dominus, & hæc quidem poſſunt conuenire ei ab æterno, quædam verò in actu, & hæc conueniunt ei ex tempore; & ita hoc nomen donum conuenit Spiritui ſancto ab æterno, quia donabilis, & ſimiliter ex tempore, quia datus.

D. Bonau. reſp. quod cum donum dicat re- d. 18. ſpectum ad eum, cui datur, hoc poteſt eſſe q. 2. tripliciter, vel ſecundum actum, vel ſecundum habitudinem, vel ſecundum aptitudinem, ſi ſecundum actum, hoc modo dicitur donum, quia datur; ſi ſecundum habitudinem, quia aliquando donatur; ſi ſecundum aptitudinem, quia eſt donabile; ſecundum primam, & ſecundam acceptationem Spiritus ſanctus dicitur donum ex tempore ſecundum, tertiam verò ab æterno, nam ab æterno procedit, vt donabilis, & eſt amor gratuitus, procedens ab his in quibus ab æterno eſt perfecta ratio liberalitatis.

Ricardus reſp. quod donum prout accipi- q. 4. tur in diuinis eſt res procedẽs per talem modũ, vt ſibi ex ſuo modo procedendi cõueniat

pri-

prima ratio doni, quæ eſt amor, & quoniã Spiritus ſanctus ab æterno procedit per talẽ modum, quia per modum voluntatis, vt liberaliter agentis, per quem modum non emanat emanatione intrinſeca niſi amor, ideo eſſe donum ab æterno conuenit Spiritui ſancto.

q. 2. Guilel. Rub. reſp. quod intelligendo Spiritum ſanctum eſſe donum datum ei, in quantum eſt ſecundum ſe ab illo, a quo habet, quod ſit in ipſo, ſic Spiritui ſancto conuenit eſſe donum ab æterno, eſt enim ab æterno in Patre a Filio, & ab ipſo Patre in Filio, & econuerſo; intelligendo autem eſſe donum eo modo, quo dicitur eſſe miſſus, videlicet in aliquo effectu ipſi appropriato, ac ipſum repreſentante, ſic ei non conuenit eſſe donum alicui datum, niſi ex tempore.

tr. 1 p. 2. pr. 2 q. 3. Nicolaus de Nijſe reſp. quod licet donum actualiter dictum dicatur de Spiritu ſancto ex tempore, ſumptum tamen habitualiter, aut aptitudinaliter dicitur de eo ab æterno, ab æterno enim eſt donandus, ſiue donabilis.

q. vi. Ioannes Maior reſp. quod ſicut Spiritus ſanctus ab æterno procedit, ita ab æterno eſt donum, non quia donetur a Patre Filio, aut a Filio Patri; ſed quia ab æterno procedit donabilis, donabile autem, & donum in propoſito conſpirant.

S. 5. Guilel. Eſtius reſp. quod Spiritus ſanctus dicitur donum ab æterno, quia quod principaliter ſignificat eſt æternum, ſecundariò tamen cum reſpectu ad creaturam.

Reſolutio.

RESpondeo, quod Spiritus ſanctus fuit quidem ab æterno donabilis propter aptitudinem ad donandum, ſed non donum, donum enim non dicitur omne id, quod donari poteſt, ſic enim nimis ampla eſſet acceptio doni; ſed dicitur illud, quod actualiter ex amore, & irredibiliter datur, & propterea dicit Ariſt. donum eſt datio irredibilis, datio autem actum ſignificat, ſicut dabilitas aptitudinem, & quoniam Spiritus ſanctus non eſt ab æterno actualiter datus creaturæ, quia nulla creatura eſt æterna; idcirco non conuenit Spiritui ſancto ab æterno eſſe donum, niſi tamen ſumatur largè, & impropriè donum pro donabili.

Obiectio. Sed ſi Spiritui ſancto conuenit eſſe donum ratione ſuæ proprietatis, quæ eſt æterna?

Reſpondetur, quod ratio doni non ſufficienter fundatur ſuper proprietatem æternã; ſed requirit etiam obiectum, cui actualiter conferatur, quod eſt creatura; quæ quia eſt ex tempore, donum non poteſt eſſe æternum.

QVÆSITVM VI.

An Spiritus ſanctus dicatur eſſe donum in ordine ad creaturam tantum?

D. Thomas reſp. quod in nomine doni importatur aptitudo ad hoc, quod donetur, quod autẽ donatur habet habitudinẽ ad id, a quo datur, & ad id cui datur, nõ enim daretur ab aliquo niſi eſſet eius, & ad hoc alicui datur, vt ſit eius; perſona autem diuina dicitur eſſe alicuius, vel ſecundum originem, vt filius eſt patris, vel inquantum ab aliquo habetur, habere autem dicitur id quo libere poſſumus vti, vel frui, & ſic perſona diuina non dicitur eſſe donum, niſi in ordine ad creaturam rationalem tantum Deo coniunctam. p. p. q. 38. a. 1.

Ricardus reſp. quod Spiritus ſanctus non datur Filio a Patre; primò, quia ex tali datione reſultaret noua habitudo in Filio, vt habentis ad habitum, quod eſt inconueniens; ſecundò, quia quicquid habet Filius a Patre, habet per naturalem communicationem, quæ eſt generatio, non liberalem, quæ eſt donatio; tertiò, quia Pater, & Filius ſunt vnum in ratione dantis, vnde ſi Filio daretur Spiritus ſanctus, Filius ſibi ipſi daret Spiritũ ſanctũ; cum ergo conſtet, quod nec Spiritus ſanctus datur a Filio Patri, ſequitur quod Spiritus ſanctus ſit donum Patris, & Filij in ordine ad creaturam tantum. q. 7.

Henricus reſp. quod Spiritus ſanctus in triplici habitudine conſideratur reſpectu creaturæ, cui donabilis eſt; primò enim conſideratur in diuina eſſentia, ſecundum quod naturaliter prior eſt rerum eſſentia in diuina notitia, & ſic ſolum remotiſſima aptitudine donabilis eſt creaturæ; ſecundò, vt ſimul duratione eſt cum creatura in beneplacito diuinæ voluntatis, & ſic procedit, vt donum donabile creaturæ aptitudine remota; tertiò, vt præcedens duratione creaturã exiſtentem in effectu extra, & ſic procedit, vt donũ donabile creaturæ aptitudine propinqua. a. 49. q. 5.

Et iterum reſp. quod Spiritus ſanctus datur vt donum a Patre Filio, & econuerſò, in hoc videlicet quod ab vtroque procedit liberali voluntate, non ſolum, vt perſona diſtincta ab illis, a quibus procedit, & in ſe ſubſiſtens, ſed etiam cum hoc, vt in alio exiſtens; ita quod actus procedendi non ſolum terminatur ad Spiritum ſanctum vt ad perſonam, quæ producitur, ſed etiam ad perſonam, in quam producitur, vt ad Filium, inquantum procedit a Patre in Filium, & ad Patrem in a. 61. q. 10.

in quantum procedit a Filio in Patrem?

d.18. q.1. Durandus reſp. quod nihil eſt in diuinis, quod reſpectu diuinorum habeat rationẽ doni, quia quicquid ibi communicatur, non liberè, ſed neceſſitate naturæ communicatur, reſpectu autem creaturarum, tam eſſentiæ, quam perſonis, conuenit eſſe donum; ex quo ſequitur, quod ſi Spiritus ſanctus dicitur eſſe donum, dicitur tantum in ordine ad creaturas.

a.3. Petrus Aur. reſp. quod nullo modo oportet concedere, quod Spiritus ſanctus detur Patri a Filio, aut Filio a Patre, quoniam ſpiratio, ſeu impulſus amoris reſpicit terminũ, non tanquam cui fit datio, aut cui fit Spiritus emiſſio, ſed tanquam illud, in quod, & erga quod fit, vnde concedi poteſt, quod Spiritus eſt donum Patris in Filium, ſed non quod detur Filio, a Patre.

q.vn. Guilel. Occham reſp. quod donum, vel datũ ſumitur dupliciter, vno modo pro producto virtute amoris alicuius obiecti; alio modo pro aliquo liberè alicui collato, & quaſi in poſſeſſionem, vel dominium ipſius tranſlato; primò modo accipiendo donum, vel datum poteſt dici, quod Spiritus ſanctus datur Patri a Filio, & econuersò Filio a Patre, ſecundò modo non, quia Spiritus ſanctus non liberè, ſed naturaliter impenditur Patri, & Filio, liberè autem creaturæ rationali, quia aliquo modo (licet impropriè loquendo) transfertur in dominium eius, vt ipſa quaſi liberè poſſit vti illius dominio, quando velit.

diſp. vn. Michael de Pal. reſp. quod dicere Spiritum ſanctum dari Filio a Patre, & econuersò, eſt ſermo abuſiuus; nam Pater, & Filius neceſſariò producunt Spiritum ſanctum; non ergo ipſum ſibi inuicem donãt, donum enim liberalem actionem denotat.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod Spiritus ſanctus dicitur eſſe donum ad effectum ſanctificandi; quia enim ſanctificatur creatura ex amore, & amor appropriatur ei, appropriatur etiam & donum; cum itaque huiuſmodi effectus non habeat locum in diuinis, ſed tantùm in creaturis; nulla ratio apparet, quare Spiritus ſanctus dicendus ſit eſſe donum in ordine ad diuina, & non tantum in ordine ad creaturã.

Obiectio. Sed ſi (vt dicit Ricardus) Pater amorem impendit Filio, & Filius impendit amorem Patri?

Reſpondetur, quod per huiuſmodi amorem impenſum, & repenſum debemus intelligere ſummam concordiam Patris, & Filij in productione Spiritus ſancti; & non quod huiuſmodi amor habeat rationem doni ex liberalitate, & amore collati; neque quod ſic ſit donabilis Spiritus ſanctus in ordine ad Patrem, & Filium; ſicut eſt donabilis in ordine ad creaturas.

QVAESITVM VII.

An Spiritui ſancto ita conueniat eſſe donum; quod in ipſo omnia alia dona dentur?

d.18. a.1. Albertus reſp. quod Spiritus ſanctus eſt donum, in quo omnia alia dona dantur, nam quicquid aliquis alicui gratuito & liberaliter dat; primò ante illud dat ei amorem, & in illo poſtea communicat ei de bonis ſuis, & ſe, & quicquid dat, dat ei.

q.1. a.3. D. Thomas reſp. quod Spiritus ſanctus inquantum eſt amor Patris, & Filij habet rationem primi doni, & quoniam illud, quod eſt primum in quolibet genere eſt cauſa omnium, quæ ſunt in genere, illo ſicut dicit Ariſt. 2. Meth. ideo Spiritus ſanctus dicitur eſſe donum, quod eſt ratio omnium donorum, & in quo omnia alia dona dantur.

q.1. D. Bonau. reſp. quod cum dicitur Spiritum ſanctum eſſe donum, in quo alia dona nobis donantur, ablatiuus iſte, in quo, poteſt accipi dupliciter, vel vt dicit concomitantiã, vel vt dicit cauſalitatem; primo modo non eſt vniuerſaliter verum, quod Spiritus S. ſit donum, in quo omnia dantur, quia non datur cum omnibus donis ſuis; ſecundo modo, vel dicit cauſalitatem ſimpliciter, & ſic conuenit etiam Patri, & Filio, eſſe ſic donum, vel dicit cauſalitatem, & ſubauctoritatem, & ſic etiam conuenit Filio, vel dicit cauſalitatem, ſubauctoritatem, & exemplaritatem, & ſic cum Spiritus ſanctus ſit amor, & primum donum tantum conuenit ei.

pr.1 q.5. Ægidius reſp. quod ſicut in Trinitate creata eſt aliquid emanans per modum intellectus, quod eſt verbum, principium, & ratio omnium eorum, quæ intellectualiter, & per modum artis procedunt ab homine; & aliquod emanans per modum voluntatis, quod eſt amor, in quo omnia, quæ per modum voluntatis, & liberaliter emanant, dari dicuntur; ita in Trinitate increata eſt verbum, quod eſt ratio omnium eorum, quæ procedunt a primo intellectu; & per modum artis; & ſimiliter amor, in quo omnia dantur, quæ ex amore dantur; & quoniam Spiritus ſanctus eſt amor, ideo cum ex hoc ſit etiam donum, illud eſt, in quo omnia alia dona dantur.

Ri-

q. 5. Ricardus reſp. quod licet omnia dona, quæ dantur a tota Trinitate dentur; ſub ratione tamen qua dona, Spiritui ſancto approprianſtur, eo quod ſibi ex ſuo modo procedendi conuenit prima ratio doni.

a. 61. q. 9. Henricus reſp. quod ſicut in quolibet primo cuiuſlibet generis entium perfectiſſimè conſiſtit ratio naturæ, & perfectionis illius generis, vt ratio coloris in albedine, & viſibilis in luce; ita ratio doni perfectiſſimè eſt in Spiritu ſancto, qui ex ſuo modo procedendi habet, quod ſit donum; ſi enim alia ſunt dona, non ſunt niſi per participationem, ipſe verò per eſſentiam, & ideo ſi cætera dona ſunt, Spiritus ſanctus eſt ipſum primum donum, non ſolum in ordine ad id, quod donatur, ſed etiam ex parte donantis, quia ratio primi doni inclinat donãtem in cætera dona ad donandum illa.

tr. 1 p. 2. q. 3. Nicol. de Niſſe reſp. quod omnia dona dantur ratione amoris, & quoniam Spiritus ſanctus ex vi ſuæ proceſſionis eſt amor infinitus a Patre, & Filio procedens, idcirco in eo omnia alia dona donantur.

diſp. 154 c. 2. Gabriel Vaſq. reſp. quod Spiritus ſanctus eſt primum donum, quia vi ſuæ originis ſubſtantialiter habet proprietatem doni, alijs verò, ſiue creaturis, ſiue perſonis denominatiuè &, nõ vi ſuæ originis cõuenit eſſe donum.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod Spiritum ſanctum eſſe donum, in quo omnia alia dona dantur, poteſt intelligi tripliciter, vel quod in omni dono detur Spiritus ſanctus, & ſic eſt falſa propoſitio, quia multa ſunt dona, vt dictum fuit, in quibus non datur Spiritus ſanctus, vel quod cum datur Spiritus ſanctus, dentur etiam omnia alia dona cum eo, & ſimiliter eſt propoſitio falſa, nam ſic habens Spiritum ſanctum haberet omne donum, quod eſt falſum; vel quod collatio omnium donorum ſit approprianda Spiritui ſancto, in quantum ei appropriatur amor; & ſecundum hunc ſenſum eſt propoſitio vera, quia ratione amoris, vel ex amore, conferuntur omnia dona, & propter hoc ipſe Spiritus ſanctus dicitur primum donum.

Obiectio. Sed ſi ſunt aliqua dona, quæ approprianſtur filio?

Reſpondetur, quod aliqua dona ſumpta ſecundum ſpecialem rationem approprianſtur filio, ſed ſecundum communem rationem doni, quia dantur ex amore, ſemper appropriantur Spiritui ſancto. Ita D. Bonauent. Aegidius, & Ricardus.

QVÆSITVM VIII.

An Spiritui ſancto eo conueniat eſſe donum, quo conuenit eſſe Deus?

D. Thomas reſpondet, quod Spiritus ſanctus eo eſt donum, quo Deus, quia ſua emanatione habet, quod ſit donum, & quod ſit Deus, formaliter tamen non eſt eo donum, quo Deus, quia eſt Deus deitate, donum verò ſua proprietate. d. 18. q. 1. a. 4.

Aegidius reſp. quod cum quælibet perſona diuina ſit ſimpliciſſima, illud, quo Spiritus ſanctus eſt donum, & illud, quo eſt Deus non poſſunt realiter differre, ſed tantum ſecundum rationem, & ſecundum hanc differentiam poſſumus vtrumque affirmare, & quod non ſit eo donum, quo Deus formaliter, ſicut & nec Pater eo eſt Pater formaliter, quo Deus, aut Filius formaliter Filius, quo Deus; & quod eo ſit donum, quo Deus, quo ad originem, nam per ſuam proceſſionem Spiritus ſanctus habet, & quod ſit donum, & quod ſit Deus. Item Durandus. Et Gerardus Spiritus ſanctus eſt eo donũ quo Deus principiatiuè, non formaliter diſ. 18. q. vn. ar. 2. pr. 2 q. vn.

Ricardus reſp. quod reali identitate Spiritus ſanctus eo donum eſt, quo Deus, quia in diuinis eſſentia, & proprietas idem ſunt ſecundum rem; ſed loquendo de identitate ſecundum rationem; ſi ablatiuus dicit habitudinem in ratione formæ, ſic non eſt eo donum, quo Deus, quia Deus deitate eſt, & donum proprietate, proprietas autem & deitas ratione differunt; ſi autem, ablatiuus importat habitudinem principiationis, ſic, eo donum eſt, quo Deus, quia per proceſſionem habet, & deitatem, & proprietatem. q. 3.

Guilelm. Rub. reſp. quod Spiritum ſanctum dici eo donum, quo Deum, poteſt dupliciter intelligi, vno modo, quod illud, quo Spiritus ſanctus dicitur donum, & Deus ſimul, ſit idem, & vnicum in re extra totaliter indiſtinctum, & ſic tam propriè, quam appropriatè Spiritus ſanctus eo eſt donum, quo Deus; alio modo quod ſic Spiritus ſanctus ſit eo donum, quo Deus, quod iſta duo ſint conuertibilia, videlicet eſſe donum, & eſſe Deum, ita quod eo ipſo, quo aliquid eſt Deus ſequatur, quod ſit donum, & econuerſo, & ſic non eſt dicendum, quod Spiritus ſanctus ſit eo donum, quo Deus. Item Ioannes Maior. q. 8.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod Spiritui ſancto conuenit eſſe donum per appropriationem ra-

ratione .ſ. amoris, qui appropriatur ei; conuenit autem eſſe Deus per naturam, & per proprietatem; non ergo conuenit ei, eo eſſe donum, quo conuenit eſſe Deus.

Obiectio. Sed ſi Spiritui ſancto, cum ſit persona ſimpliciſſima, idem eſt eſſe donum, quod eſſe Deus, & quodcunque aliud, quod prædicatur de eo?

Reſpondetur, quod quia Spiritus ſanctus eſt perſona ſimpliciſſima, idem eſt eſſe ei donum, & eſſe Deus ſecundum rem; ſed non ſecundum rationem, alia eſt enim ratio doni, & alia ratio Deitatis.

QVÆSITVM IX.

An conuenienter dici poſſit Spiritum ſanctum eſſe donum noſtrum?

d. 18. q. 1. a. 5. D. Thomas reſp. quod nominum diuinorum, quædam ſunt, quæ important rationem principij per modum efficientis, vel finis, vt creator, & bonum, & huiuſmodi recipiunt additionem horum pronominum meus, & noſter, ſicut dicimus creator noſter, bonum noſtrum; quædam verò ſunt, quæ dicuntur per modum formæ inhærentis, qualia ſunt nomina abſoluta, & horum quędam important rationem principij efficientis, & exemplaris, vt ſapientia, & bonitas, & ſic quandoque fit additio horum pronominum, vt cum dicimus Deus eſt ſapientia noſtra .ſ. cauſaliter, & quædam non important rationem principij, niſi fortè exemplaris, & his non ſolet fieri talium pronominum additio, non enim ſolemus dicere, Deus eſt ſubſtantia noſtra, eſſentia noſtra; quoniam ergo nomen doni non importat rationem principij, nec per modum efficientis, nec per modum finis, nec per modum exemplaris, ideo non poſſumus dicere Spiritus ſanctus eſt donum noſtrum. Item Marſilius q. 21. ar. 5.

q. 6. Ricardus reſp. quod nomine doni non tantum importatur reſpectus ad principium, a quo procedit Spiritus ſanctus, ſed etiam quidam reſpectus ſecundum rationem, & in habitu ad creaturam, inquãtum donabilis eſt, & ideo poteſt dici donum noſtrum.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ideo Spiritus ſanctus dicitur donum, quia datur creaturæ, ad hoc, quod fruatur eo, & vtatur donis ſuis & quoniam fruitio poſſeſſionem importat, ideo bene poſſunt addi ei pronomina poſſeſſiua, quæ ſunt meus, tuus, noſter, vt ita conuenientiſſimè dicatur donum noſtrum, cuius enim magis eſt donum, quam eius, cui datur? ad hoc enim datur, vt ſit eius.

Sed ſi Spiritus ſanctus non ſemper datur creaturæ ad hoc, vt fruatur eo? ab æterno enim nulla creatura fruebatur eo, & tamen erat donum. Obiectio.

Reſpondetur, quod propriè loquendo Spiritus ſanctus non dicitur donum, niſi inquantum actualiter datur, & venit in poſſeſſionem eius, cui datur; ab æterno autem bene fuit donabilis, ſed non donum; & ſic modo dicitur donum noſtrum, quia quandocunque datur, creatura fruitur eo.

QVÆSITVM X.

An Spiritus ſanctus dici poſſit Spiritus noſter?

Albertus reſp. quod quatuor exiguntur ad hoc, quod terminus ſignificãs eſſentiam, vel perſonam poſſit recipere hoc pronomen noſtrum, vel meum; primum, quod ſignificet effectum in creatura; ſecundum, quod ſignificet habitudinem agentis ad effectum illum; tertium, quod non ſignificet relationem diſtinguentem in diuinis; quartum, quod non ſignificet habitudinem formæ in comparatione ad id, cui ineſt forma illa; & quoniam omnia hæc poſſunt conuenire Spiritui ſancto, ideo Spiritus ſanctus poteſt dici Spiritus noſter. d. 18. a. 10.

D. Thomas reſp. quod Spiritus ſanctus nõ poteſt dici Spiritus noſter, quia hoc nomen Spiritus nullam importat rationem principij ad nos, nominibus autem, quæ non important talem rationem, non poteſt fieri additio horum pronominum meus, tuus, noſter, & ſimilium. q. 1. a. 5.

D. Bonau. reſp. quod Spiritus dicit reſpectum ad id, cui inſpiratur, & quoniam nos ſumus illi, quibus inſpiratur, ideo dicitur Spiritus noſter, & dicitur noſter ratione ſuæ donabilitatis, noſter enim dicit poſſeſſionem, nos autem non habemus aliquid diuinum, niſi per largitionem, & donationem, per quam ſimiliter inhabitat in nobis, qua inhabitatione dicitur noſter. q. 6.

Ægidius reſp. quod aliquid dicitur noſtrũ ex eo, quod habet aliquam relationem ad nos, quæ ex ipſo nomine inſinuatur, & quoniam relatio, quam Deus habet ad nos non poteſt eſſe niſi relatio cauſæ, ideo ſecundum omnia illa nomina, ſecundum quæ intelligitur habere aliquam rationem cauſæ, pr. 2. q. vn.

Digitized by Google

vel principij reſpectu noſtri, dicitur noſter; vt Deus noſter, creator noſter; cum itaque in homine Spiritus quædam ratio principij deſignetur, impulſio ſ. & agitatio in dilectionem Dei, & proximi; ideo Spiritus ſanctus poteſt dici Spiritus noſter.

q. 6. Ricardus reſp. quod nomine Spiritus importatur relatio, non tantum ad principium, à quo ſpiratur; ſed etiam ad illud, cui inſpiratur, vel cui aliquod bonum inſpirat, & ideo Spiritus S. poteſt dici Spiritus noſter.

a. 3. Guilelmus Varill. reſp. quod diuina tripliciter ad nos comparantur, aut ratione cauſæ, & ſic poſſumus addere meum, & noſtrum tripliciter, in ratione cauſæ efficientis, vt creator noſter, exemplaris, vt exemplar noſtrum, finis, vt beatitudo noſtra; aut in ratione formæ, & ſic non poſſumus addere meum, noſtrum, & hoc quando ſignificantur in abſtractione; tertiò in ratione correlationis, & tunc quando ſunt ad extra poſſumus addere, vt refugium noſtrum, ſed ad intra non, & ſic non dicitur Filius noſter, nec Spiritus ſanctus noſter, quando dicitur à ſpiratione paſſiua, quandò tamen ab inſpiratione ſic, quia tunc tenet locum cauſæ.

§ 5. Gulielm. Eſtius reſp. quod Deus noſter dicitur tantum cum additio, dum videlicet de Deo prædicatur vox, quæ quandam ad nos relationẽ importare intelligitur, quales ſunt, quæ cauſam efficientem, finem, formam, exemplarem, aut ſimile aliquid reſpectu noſtri ſignificant, vt Saluator, creator, & huiuſmodi, vnde dicitur Spiritus noſter, quatenus nobis inſpiratus ſpirat, & vitam operatur in nobis.

Reſolutio.

RReſpondeo, quod ſicut in comparatione ad vitam noſtram corporalem Spiritus noſter dicitur, quo operationes vitæ corporalis exercemus, ita in comparatione ad vitam ſpiritualem Spiritus noſter poteſt dici, quo operationes vitæ ſpiritualis operamur; & quoniam huiuſmodi operationes appropriantur Spiritui ſancto, tanquam effectus conſequentes dona eius, idcirco Spiritus ſanctus poteſt dici ſecundum huiuſmodi appropriationem, Spiritus noſter.

Obiectio. Sed ſi huiuſmodi operationes, vel ſimiles appropriantur etiam Filio, vt operationes pertinentes ad intellectum? & tamen non dicitur Filius, Spiritus noſter.

Reſpondetur, quod ad tollendam confuſionem, quæ cauſari poſſet in nominatione perſonarum, non dicitur Filius Spiritus noſter; non quod eadem ratione, & ipſe poſſe Spiritus noſter dici; ſicut & Spiritus ſanctus, qui tamen cum ſit Spiritus ſanctus, aptius dicitur Spiritus noſter, quam Filius.

QVÆSITVM XI.

An Spiritus ſanctus dici poſſit Spiritus ſanctus noſter?

ALbertus reſp. quod non poteſt dici Spiritus ſanctus noſter, quia hæc circumlocutio inuenta eſt, vt non deſignet niſi proprietatem, qua Spiritus ſanctus refertur ad Patrem, & Filium, quæ enim nomina dicunt ſolũ reſpectum ad æternum, vel ſolam eſſentiam diuinam, vt abſtracta eſt, & æterna, non recipiunt huiuſmodi pronomina poſſeſſiua. tr. 8. q. 16.

D. Thomas reſp. quod nomen Spiritus importat rationem principij, inquantum à Spiritu eſt inſpiratio, & propter hoc poteſt dici, quod Spiritus ſanctus eſt Spiritus noſter, ſed cum additur ſanctus, tunc exprimitur ipſa perſona ſubſiſtens, quæ non importat relationem principij, ſed magis eius, quod eſt à principio, & ſic non poteſt dici Spiritus ſanctus noſter. d. 18. q. 1. a. 2.

Ricardus reſp. quod per hoc, quod dicimus, Spiritum ſanctum, per hoc intendimus ſignificare perſonam Spiritus ſancti, cum illa proprietate tantummodo, per quam refertur ad principium, à quo ſpiratur, ſine aliquo reſpectu ad creaturam; cum autem dicitur Spiritus ſanctus noſter, notatur ad nos referri Spiritus ſanctus, tanquam ad principium, à quo Spiratur, quod impoſſibile eſt. q. 6.

Durandus reſp. quod nominibus diuinis, quæ important aliquam habitudinem ad nos poteſt addi huiuſmodi pronomen noſter, illis autem, quæ talem habitudinem non important, non poteſt, vnde non dicitur ſubſtantia noſtra, ſuppoſitum noſtrum; & quoniam nomina perſonarum perſonaliter ſumpta important quidem habitudinem inter ſe, qua referuntur ad inuicem, ſed non ad nos, ideo ſicut non dicitur propriè Pater noſter, Filius noſter, ita nec dicitur Spiritus ſanctus noſter. q. 3.

Reſolutio.

REſpondeo, quod hoc nomen Spiritus ſanctus eſt nomen contractum ad ſignificandum certam, ac determinatam perſonam in diuinis, quæ inquantum perſona, nullam habet relationem ad nos, & ideo nec poſſumus copulare ei aliquod pronomen poſſeſſiuum,

ſuum, quod hanc inſinuet relationem, vt dicendo Spiritus ſanctus noſter.

Obiectio. Sed ſi Spiritus ſanctus datur nobis? quicquid autem datur alicui, dicitur ſuum.

Reſpondetur, quod Spiritus ſanctus non datur nobis in Spiritum ſanctum, ſed in rectorem, & conſolatorem; & ideo non poteſt dici Spiritus ſãctus noſter. Ita D. Thomas.

DISTINCTIO DECIMA NONA.

Nunc poſtquam coæternitatem trium perſonarum pro modulo &c.

QVAESITVM I.

An ſit æqualitas in diuinis?

q. 47. m. 1 ALex. Alenſ. reſp. quod ſicut in his inferioribus ex vnitate in ſubſtantia cauſatur identitas, ex vnitate in quãtitate æqualitas, & ex vnitate in qualitate ſimilitudo; ita quoniam eſt ſignificare diuinam ſubſtantiam, vt eſſentiam, & vt quãtam, & vt qualem, ideo eſt ponere in diuinis identitatem, æqualitatem, & ſimilitudinem.

d. 19. a. 4. Albertus reſp. quod æqualitas nihil aliud eſt, quam rerum diſtinctarum vna quantitas; cum itaque triplex ambitus virtutis .ſ. durationis, loci, & temporis, vnus ſit in tribus perſonis, igitur & æqualitas.

Et p.p. tr. 11 q. 47. m. 1. reſp. quod catholica fides eſt, quod omnimoda æqualitas ſit in Trinitate, ita quod ſingulæ perſonæ ſingulis perſonis ſunt æquales, & quælibet vna duobus, & quælibet vna tribus.

d. 19. q. 1. a. 1. D. Thomas reſp. quod licet in diuinis non ſit qualitas, & quantitas ſecundum rationem communem generis, reſpectu quarum ſumitur ſimilitudo, & æqualitas, dicit enim Ariſt. quod vnum in ſubſtantia facit idem, vnum in qualitate ſimile, & vnum in quantitate æquale; ſunt tamen ibi aliquæ ſpecies qualitatis, & quantitatis, ſecundum ſuas proprias rationes, ratione quarum dicitur ſimilitudo, & æqualitas in eis, vt ſapientia, & magnitudo; & quoniam huiuſmodi non differunt ab eſſentia, niſi ſecundum rationem, ideo neque identitas ſimilitudo, & æqualitas differũt niſi ſecundum rationem, quia ergo perſonæ diuinæ habent eandem eſſentiam, ſapientiam, & magnitudinem; ideo inter ſe ſunt eædem, ſimiles, & æquales.

p. p. q. 42. Et iterũ reſp. quod ſicut dicit Ariſt. æquale dicitur per negationem maioris, & minoris; cum itaque vna perſona non ſit maior, a. 1. aut minor altera, alioquin non haberent eandem eſſentiam, inæqualitas enim ſequitur diuerſitatem eſſentiæ, ideo perſonæ diuinæ, inter ſe sũt æquales; ſiue eſt æqualitas in eis. Item Ludou. Mol. ib. & Greg. de Val.

d. 19. p. 1. q. 1. D. Bonau. reſp. & probat quadrupliciter, quod eſt æqualitas in diuinis; primo, quia ſicut omnis multitudo reducitur ad vnitatẽ, quæ eſt increata, ita omnis inæqualitas neceſſe eſt, vt reducatur ad æqualitatem increatam; ſecundò, quia æqualitas eſt perfectionis in creaturis, quod autem eſt perfectionis in creaturis, eſt transferendum quoque ad diuina; tertiò, quia in diuinis eſt vnitas, non ſolũ in ſubſtantia, ſed etiam in quantitate, quæ vnitas facit æqualitatem; quartò, quia æquale, & inæquale dici eſt propria paſſio conſequens quantitatem, & non ſolum quantitatem molis, ſed etiam quantitatem virtutis, quæ eſt in diuinis.

Aegidius reſp. quod in illis eſt æqualitas, pr. 1. in quibus eſt eadem magnitudo, & quoniam q. 1. eadem eſt magnitudo in diuinis perſonis; In Deo enim (inquit D. Aug. 5. de Trin. c. 8.) non dicimus tres eſſentias, nec tres magnitudines; ſed vnam eſſentiam, & vnam magnitudinem, igitur in diuinis perſonis eſt æqualitas.

Henricus reſp. quod diuinis perſonis eſt a. 62. attribuendum quicquid eſt dignitatis ſimpliciter, q. 2. & quoniam eſt dignitas ſimpliciter, quod quælibet perſona diuina ſit ſimilis, & æqualis alteri, ideo ſimilitudo, & æqualitas eſt attribuenda eis.

Ricardus reſp. quod illa ſunt æqualia, quorum d. 19. eſt quantitas vna, quæ in diuinis eſt non a. 1. molis, ſed virtutis; & quoniam in diuinis q. 1. magnitudo vna eſt, non tantum vnitate proportionis, ſed etiam ſecundum numerum, propter ſummam ſimplicitatem, quæ eſt in eis, idcirco & æqualitas.

Ioannes Scotus reſp. quod ſi identitas, ſi- q. 1. militudo, & qualitas ſtrictè, & propriè ſumantur appropriantur diſtinctis generibus, vt identitas ſubſtantiæ, ſimilitudo qualitati, æqualitas quantitati, quarum fundamentum proximum, ſeu ratio proxima fundandi eſt vnitas rei illius generis, remotum verò, res; ſi verò communiter ſumantur, non appropriantur diſtinctis generibus, ſed ſunt relationes tranſcendentes, ad quodcunque genus entis, quarum fundamentum eſt ens in communi comparatum ad quodcunque ens, identitas, inquantum eſt quid, æqualitas, inquantũ habet magnitudinem perfectionis, quæ dici-

tur quantitas virtutis, ſimilitudo, inquantum eſt quale, & ſic æqualitas ſumitur in diuinis; quia .ſ. eſt magnitudo in eis ſecundum virtutem, & vnitas.

q.1. Durandus reſp. quod in illis eſt æqualitas, in quibus eſt eadem quantitas molis, vel virtutis, cum priuatione maioris, & minoris perfectionis; & quoniã in diuinis perſonis eſt eadem quantitas virtutis, cum priuatione maioris, & minoris pefectionis, nam talis quantitas eſt diuina eſſentia, quæ quia vna numero eſt in eis, non poteſt eſſe maior ſeipſa, nec magis participari, eſt enim magnitudo diuina vnaquęque perſona per eſſentiã, igitur in diuinis eſt æqualitas. Itẽ Herueus.

a.1. Petrus Aur. reſp. quod æqualitas in diuinis non eſt aliud, quam ſuppoſitorum diſtinctorum indiſtinctio in quadam re omnimodè indiſtincta, quæ indiſtinctio eſt idem, quod identitas, ſecundum quam vna perſona dicitur alteri identicè immanere, & ſic veriſſimè eſt in eis.

d.20. q.1. Franc. Maro reſp quod æqualitas fundatur in quantitate; ſicut ergo quatuor modis accipitur quantitas, ſecundum virtutem, ſecundum dimenſionem, ſeu extenſionem, ſecundum durationem, & ſecundum numeralem diſcretionem; ita his quatuor modis in perſonis diuinis eſt ęqualitas; primò ſecũdum virtutem, quia quicquid eſt perfectionis in vna, eſt & in alia, & in eodem gradu; ſecundò, ſecundum dimenſionem, ſeu extenſionem, quia ad omnia, ad quæ ſe extendit vna perſona, ſe extendit & alia, & cui eſt præſens vna, eſt præſens & alia, & quicquid excedit vna, excedit & alia; tertiò, ſecundum durationem, quia in eis eſt omnino vna æternitas, quæ fundat iſtam æqualitatem; quartò, ſecundum numeralem diſcretionem, quia quicquid perfectionis eſt in vna, totum illud, & omnia numeraliter accepta ſunt & in alia, & licet in numero relationum ſe excedant, illę tamen nõ dicunt perfectionẽ ſimpliciter.

d.19. q.1. Guilel. Occham reſp. quod inter perſonas diuinas eſt æqualitas, propter æqualem magnitudinem, quam habent, quæ largiſſimè ſumpta eſt idem, quod perfectio, cum nulla ſit perfectior, aut imperfectior altera. Item Gabr. & Aliacenſis, & Ioannes Maior. Si vna perſona eſſet perfectior altera, quæ eſſet imperfectior non eſſet Deus; nihil enim eſt perfectius Deo.

q.vn. Gregorius reſp. quod oẽs tres diuinæ perſonæ ſunt vna bonitas, & nulla bonitas eſt in aliqua perſona diſtincta ab illa communi bonitate, & quoniã in diuinis ſumitur æqualitas non ſecundum magnitudinem molis, ſed bonitatis, & perfectionis; igitur eſt concedenda in eis.

Guilel. Rub. reſp. quod vna perſona diuina non eſt perfectior, nec imperfectior altera, igitur eſt æquè perfecta, aliqua autem eſſe æquè perfecta idem eſt, quod eſſe æqualia ſecundum magnitudinem intenſiuè ſumptã. d.16.

Michael de Bonon. reſp. quod in diuinis eſt æqualitas, quia quælibet perſona diuina eſt omnipotens, & in qualibet perſona eſt infinita potentia, & quia vna non eſt potentior, vel impotentior altera. d.20. q.vn.

Marſilius reſp. quod diuinarum perſonarum vna eſt ſpiritualis, immutabilis quantitas, quæ eſt magnitudo virtutis, & potentiæ, & æternitas, & ſecundum hanc ſumitur æqualitas in eis. q.22. a.1.

Ioan. de Baſſ. reſp. quod ad veram æqualitatem requiritur, quod ibi ſit vna magnitudo perfectionis, & quod æqualia ſint realiter diſtincta; cum itaque in diuinis ſit vna magnitudo perfectionis, quæ eſt diuina eſſentia, quæ vna eſt, & infinita, & ſimiliter ipſæ diuinæ perſonæ ſint realiter diſtinctæ, ſequitur, quod ſit vera æqualitas in eis. Item Franciſcus a Chriſto, Nicolaus de Orbellis, & Ioannes Vigerius. d.19. q.1.

Guilelmus Varrill. reſp. quod ſicut dicit D. Auguſtinus, æqualitas diuinarum perſonarum conſiſtit in magnitudine, æternitate, & potentia; quia ergo tanta eſt æternitas, tanta magnitudo, & tanta potentia in vna perſona ſicut in duabus, & ita in duabus ſicut in tribus, ideo in ipſis eſt æqualitas. a.3.

Guilelmus Eſtius reſp. quod ideo cogimur æqualitatis nomen ad diuinas perſonas transferre, ſeu potius in diuinis agnoſcere, quia æqualitas excludit omnem perfectionis diuerſitatem ſecundum magis, & minus. d.19. §.1.

Reſolutio.

RESpondeo, quod æqualitas eſt relatio plurium rerum diſtinctarum realiter ad inuicem in eadem quantitate conuenientium, quæ quantitas in rebus materialibus dicitur quantitas molis, in immaterialibus verò quantitas perfectionis, vel virtutis; cum itaque perſonæ diuinæ ſint diſtinctæ, conueniantque in eadem quantitate virtutis, ſiue perfectionis, ſicut enim in eſſentia conueniunt, ita etiam in quacunque alia perfectione eſſentiali; ac proinde ſecundum illam vna poſſit referri ad alteram, vt dicendo tantum habet de bonitate Pater, quantũ Filius, & quantũ Spiritus S. idcirco eſt æqualitas in eis.

Sed

Digitized by Google

Sed ſi æqualitas dicit commenſurationem, perſonæ autem diuinæ ſunt incommenſurabiles, & infinitæ?

Reſpondetur, quod perſonæ diuinæ ſunt commenſurabiles ad inuicem, eo quod vna aliam comprehendit, & vna aliam non excedit, nec ab illa exceditur, & iſta commenſuratio non repugnat earum infinitati, cum ſit commenſuratio inter infinita. Ita D. Bonau. & Aegidius.

QVÆSITVM II.

An Aequalitas, quæ eſt in diuinis, ſit æqualitas propriè dicta?

d. 19. q. 1. IOannes Scotus reſp. quod æqualitas ſtrictè, & propriè ſumpta fundatur ſuper rem de genere quantitatis, vt fundamentum remotum, & ſuper vnitatem talis rei, tanquam ſuper fundamētum proximum; æqualitas verò generaliter ſumpta fundatur ſuper quodcunque ens, inquantum habet aliquam magnitudinem perfectionis, quæ dicitur quantitas virtutis; cum itaque nullum genus, nec aliquid alicuius generis dicatur de Deo formaliter, ſequitur quod æqualitas, quæ eſt inter diuinas perſonas non ſit æqualitas ſtrictè ſumpta, ſeu propriè; ſed generaliter, ſeu communiter dicta.

q. 2. Alphonſus reſp quod inter perſonas diuinas non eſt æqualitas propriè dicta; primò, quia talis æqualitas eſt habitudo quantitatis non ad ſe, ſed ad aliam quantitatem, trium autem perſonarum non eſt alia, & alia quantitas; ſecundò, quia quantitas in ſpiritualibus non eſt molis, ſed perfectionis, quæ autem dicunt perfectionem in diuinis multiplicari non poſſunt; eſt ergo æqualitas largo modo ſumpta; nam æqualitas, quæ eſt inter diuinas perſonas eſt æqualitas relatiua, quæ non eſt niſi identitas, omnis autem æqualitas relatiua, quæ non eſt niſi identitas, vel non condiuiditur identitati, eſt æqualitas largo modo ſumpta.

q. 22. a. 1. Marſilius reſp. quod æqualitas, quæ eſt inter diuinas perſonas non eſt æqualitas propriè dicta, nam talis æqualitas, eſt æqualitas corporalium; ſed eſt æqualitas metaphoricè dicta, quia quantitas, quæ eſt in eis, ſuper quam fundatur ęqualitas, eſt quantitas metaph. dicta, non propriè; vnde loco durationis eſt æternitas; loco quantitatis, quæ eſt extenſio, vel multitudo, eſt magnitudo bonitatis, & virtutis; & loco quantitatis, quæ eſt virtutis, vel quæ datur in corporalibus in ordine ad producibilem effectū, eſt in eis magnitudo potentię.

Ioan. de Baſſ. reſp. quod in diuinis non eſt æqualitas alicuius prædicamenti, cum nihil pertinens ad genus, vel ſpeciem, vel indiuiduum alicuius prædicamēti ſit in diuinis, ſed eſt æqualitas transſcendens. d. 19. q. 1.

Antonius Andreas reſp. quod non eſt in Deo ęqualitas ſtrictè ſumpta, quæ eſt paſſio determinati generis, cuius fundamentum eſt vnitas quantitatis molis; ſed ęqualitas, quę eſt alterum membrum paſſionis entis cuius fundamentum eſt quantitas virtualis. d. 18. q. 1.

Franciſcus Suarez reſp. quod cum in Deo non ſit propriè quantitas; nec etiam eſt ęqualitas, niſi ſecundum metaphoricam, & amplam ſignificationem, quatenus nomen quantitatis extenditur ad ſignificandam rei perfectionem; & ſecundum hanc attribuitur ęqualitas in diuinis, quæ non eſt aliud, quam vnitas eſſentiæ, quæ non recipit magis, & minus. de tr. lib. 4. c. 11.

Reſolutio.

REſpondeo, quod aliquid propriè dici, aliquando ſumitur, vt ly propriè diſtinguitur contra metaphoricè, & ſic non eſt dubium, quod ęqualitas propriè dicta eſt inter diuinas perſonas, quia non ſecundum metaphoram, ſed ſecundum verum, & proprium conceptum ęqualitatis, qui eſt eſſe tantum hoc, quantum illud, ſunt æquales. Aliquando verò ſumitur, vt diſtinguitur contra communiter, & tunc aliquid de aliquo dicitur propriè, quando dicitur de eo ſecundum illam rationem, vel ſecundum illum conceptum, qui primò, & principaliter formatur ab intellectu in acceptione, & vſu ſuę ſignificationis, & quoniam ſignificatio ęqualitatis, & eius vſus, primò, & principaliter in ſe quantitatem dimenſiuam pręfert, & cum talem quantitatem perſonę diuinæ non habeant, ideo æqualitas, quę eſt inter eas non eſt ęqualitas ſtrictè, & propriè dicta; ſed generaliter, & communiter accepta.

Sed ſi in diuinis perſonis eſt perfecta ratio fundamenti æqualitatis, quia eſt ibi perfecta magnitudo, & vna numero in tribus perſonis, & ſimiliter realis diſtinctio earum? Obiectio.

Reſpondetur, quod in diuinis perſonis nō eſt perfecta ratio fundamenti æqualitatis; licet enim ſit magnitudo perfecta, non eſt tamen alia, & alia magnitudo, quæ requiritur ad æqualitatem, vt condiuiditur identitati, quæ eſt propriè dicta. Ita Alphonſus.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSITVM III.

An Aequalitas, quæ eſt in diuinis, attendatur ſecundum hæc tria, eſſe, virtutem, & operationem?

p. p. q 47. m. 3. ALex. Alenſ. reſp. quod æqualitas reſpicit quātitatem, ſiue quod per modum quantitatis ſignatur; omnis autem quantitas, aut eſt menſurans intra, aut extra; ſi intra, aut eſt virtutis, aut molis, & licet in diuinis non ſit quantitas molis, eſt tamen quantitas virtutis, & hæc dicitur potentia; quantitas menſurans extra eſt duplex tempus, & locus, quantitati, quæ eſt tempus in inferioribus reſpondet æternitas in diuinis, & quantitati, quæ eſt locus reſpōdet magnitudo in eis, non qua Deus circumſcribitur loco, ſed qua eſt inter omnia non incluſus, & qua ipſe continet, & locat omnia; ſic ergo in diuinis eſt quantitas virtutis, quæ eſt potentia, durationis, quæ eſt æternitas, & locationis, quæ eſt magnitudo; & quoniam non alijs modis ponitur quantitas in diuinis, ideo penes hæc tria tantum attenditur æqualitas in eis.

d. 19. a. 3. Albertus reſp. quod ea omnia, in quibus attenditur æqualitas dicunt quantitatem virtualem, nam alia quantitas ſimplicitati diuinæ naturæ non competit, hæc autem virtus conſideratur penes triplicem ambitum, durationis .ſ. loci, & temporis; & quoniam per huiuſmodi ambitus perſonæ diuinæ includūt omne, quod eſt, & non includuntur, perfectè his tribus ſumitur quantitas virtualis conueniens naturæ diuinæ, in qua cum conueniant perſonæ, eſt etiam vna in eis, & cauſat ſecundum hæc tria æqualitatem.

tr. 18 q. 47. m 2. Et iterum reſp. quod in tribus attenditur æqualitas in diuinis; penes menſuram eſſe in coæternitate, quia .ſ. nulla perſona, aut anterior eſt, aut poſterior altera; penes menſuram virtutis in potentia, quia .ſ. nulla eſt potentior altera; & penes magnitudinē non molis, ſed virtutis, cui reſpondet incomprehenſibilitas, nam quælibet perſona eſt loco incomprehenſibilis capacitate omnium creaturarum.

p. p. q 42. a. 1. D. Thomas reſp. quod æqualitas fundatur in quantitate; eſt autem duplex quantitas, dimenſiua, quæ eſt in ſolis rebus corporalibus, & virtutis, quæ attenditur ſecundum perfectionem naturæ, vel formæ; & hoc dupliciter; vel in radice, id eſt in ipſa perfectione naturæ, vel formæ, & ſic dicitur magnitudo; vel in effectibus formæ; eſt autem duplex effectus formæ, primus, qui eſt eſſe, ſecundus, qui eſt operatio; ergo ſecundum hæc tria attenditur quantitas in diuinis, ſecundū magnitudinem, ſecundum eſſe, ſecundum operationem, & ex conſequenti æqualitas, quæ quantitatem conſequitur.

Aegidius reſp. quod æqualitas attenditur ſecundum quantitatem, vel aliquod ſimile quantitati; quantitas autem diuiditur in continuam, diſcretam, & menſuram; omnis ergo æqualitas, vel attenditur ſecundum quantitatem continuam, vt eſt linea, vel diſcretā, vt eſt numerus, vel menſuram, vt eſt tempus; & quoniam in diuinis licet non ſit quantitas, nec ratio continui, diſcreti, & menſuræ, ſunt tamen aliqua, quæ ſingulis correſpondent, magnitudo .ſ. poteſtas, & æternitas; nam magnitudo, quia reſpicit ipſum Deum correſpondet quantitati continuæ, cui competit ratio vnitatis; poteſtas, quia reſpicit effectus, correſpondet quantitati diſcretæ; æternitas, quia ſecundum Proclum eſt menſura æternorum, correſpondet menſuræ; & ita ſecundum hæc tria, magnitudinem ſcilicet, poteſtatem, & æternitatem, attenditur æqualitas in diuinis. d. 18. pr. 2 q. 1.

Ioannes Scotus reſp. quod ſecundum D. Auguſtinum æqualitas diuinarum perſonarū conſiſtit in tribus, in æternitate, in magnitudine, in poteſtate; ſed in æternitate notatur æqualitas ſecundum durationem; in magnitudine æqualitas ſecundum perfectionem; in poteſtate æqualitas per comparationem ad obiecta extra. Itē Nicolaus de Orbellis. d. 31. q. vn.

Nicolaus de Niſſe reſp. quod perſonę diuinæ ſunt æquales in ęternitate, magnitudine, & potētia, eſt enim in ipſis eadem ęternitas, eadem magnitudo, & eadem potentia. q. 3.

Reſolutio.

REſpondeo, quod æqualitas in diuinis nō poteſt attendi, niſi ſecundum ea, quæ poſſunt habere extenſionem; hæc autem non ſunt niſi, eſſe, quod ſe extendit ad omnem durationem; virtus, quæ ſe extendit ad omnē perfectionem; & operatio, quæ ſe extendit ad omnem effectum, igitur & æqualitas penes hæc tria tantum attenditur; eſſe ſcilicet, virtutem, & operationem.

Sed ſi æqualitas in diuinis attenditur etiā penes eſſentiam, & ſcientiam, cum ſecundum eſſentiam, & ſcientiam dicantur æquales diuinæ perſonæ? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod ideo nō dicitur æqualitas attendi penes eſſentiam, & ſcientiam, quia eſſentia, & ſcientia non ſignantur, vt

res

res generis quantitatis, æqualitas autem propriè attenditur penes quantitatem, ſiue quaſi quantitatem. Ita Alexander Alenſis.

QVAESITVM IV.

An Aequalitas, quæ eſt inter diuinas perſonas, ſit æqualitas perfecta?

d. 18. pr. 2 q. 1. AEgidius reſp. quod cum perſonæ diuinæ coæquentur in magnitudine, poteſtate, & æternitate, penes quę accipitur æqualitas in diuinis, ſequitur quod per omnẽ modũ, & ſimpliciter ſunt æquales.

d. 19. q. 1. Ioannes Scotus reſp. quod remotum fundamentum æqualitatis eſt magnitudo, ratio verò proxima fundandi, vnitas; quoniam ergo magnitudo cum ſit infinita eſt perfecta, & ſimiliter vnitas, cum non numeratur in ipſis æqualibus, ſicut numeratur omnis alia vnitas; igitur & perfecta eſt ipſa ęqualitas.

q. 1. a. 1. Gerardus reſpondet, quod ęqualitas in diuinis identificatur cum identitate, ſicut magnitudo quæ eſt fundamentum æqualitatis, cum ſubſtantia, quæ eſt fundamentum identitatis; & ideo ſicut eſt magnitudo perfecta, ita & perfecta æqualitas in eis.

d. 20. q. vn. Michael de Bonon. reſp. quod perſonæ diuinæ non ſunt in omnibus æquales, non enim ſunt æquales in originatione, vel productione, cum Pater producat, non Filius, neque in relatione, cum vna relatio ſit in vna, & non in alia; neque tandem in prędicatione, cum aliquid prædicetur de vna, & non de altera.

Reſolutio.

REſpondeo, quod æqualitas perfecta eſt æqualitas per omnem modum poſſibilẽ æqualitatis; æqualitas autem in diuinis non poteſt attendi niſi ſecundum ea, quæ poſſunt habere extenſionem, hæc autem ſunt eſſe, virtus, & operatio, eſſe enim ſe extendit ad omnem durationem, virtus ad omnem perfectionem, operatio ad omnem actionem, & propterea æqualitas, quæ eſt in eis eſt æqualitas perfecta.

Obiectio. Sed ſi in diuinis perſonis non eſt æqualitas ſecundum numerum?

Reſpondetur, quod in diuinis non attenditur æqualitas ſecundum numerum, quæ eſt quantitas diſcreta, ſed ſecundum quantitatẽ virtutis, & ideo non ſequitur, quod ſi in eis non ſit æqualitas ſecundum numerum, non ſit æqualitas perfecta ſecundum quantitatem virtutis.

QVÆSITVM V.

An Aequalitas, quæ eſt inter diuinas perſonas, ſit æqualitas ſumma?

DBonau. reſp. quod ſumma æqualitas dicitur per remotionem omnis inæqualitatis, tribus autem modis aliquid conſideratur eſſe alteri inæquale, vel in comparatione ad ſuam originem, vel in ſe, vel per comparationem ad effectum; cum itaque inter diuinas perſonas ſit æqualitas æternitatis, quæ primam remouet inæqualitatem; magnitudinis, quæ remouet ſecundam; & potentiæ, quæ remouet tertiam; ſequitur quod inter eas ſit æqualitas ſumma. d. 19. p. 1. q. 2.

Ricardus reſp. quod æqualitas, quæ eſt inter diuinas perſonas fundatur ſuper vnam quantitatem virtutis, quæ propter ſimplicitatem diuinæ eſſentiæ eſt vna ſecundum numerum, & qualibet alia fundatur ſuper quãtitatem molis, quæ non eſt vna ſecundum numerum, licet dicatur vna ſecundum proportionem; & propterea æqualitas, quæ eſt inter diuinas perſonas eſt maior omni alia æqualitate, & conſequenter ſumma. a. 1. q. 1.

Alphonſus reſp. quod ſumma identitas vnius rei ad aliam rem eſt identitas trium perſonarum; ergo ſumma æqualitas eſt ęqualitas earum; antecedens probatur, quia omnis alia identitas vnius rei ad aliam rem deficit ab hac identitate; conſequentia eſt nota, quia æqualitas trium perſonarum non eſt niſi identitas earum. q. 2.

Nicolaus de Orbellis reſp. quod in omnibus alijs æqualibus eſt diminuta vnitas magnitudinis, ſecundum quam æqualia dicũtur, cum in ipſis numeratur illa magnitudo; at in diuinis nequaquam, & ideo eſt ſumma æqualitas in eis. q. 1.

Laur. Opim. reſp. quod vbi nulla poteſt imaginari inæqualitas, ibi eſt ſumma æqualitas, & quoniam in diuinis perſonis nulla poteſt eſſe inęqualitas, eſt enim tam impoſſibile vnam perſonam non eſſe æqualem alteri, ſicut eſt impoſſibile non eſſe Deum; igitur eſt in eis æqualitas ſumma. q. 2.

Nicolaus de Niſſe reſp. quod tam ex ratione fundamenti remoti æqualitatis, quia .ſ. in diuinis perſonis eſt perfectiſſima quantitas virtutis, .ſ. infinita; quam ex ratione fundamenti proximi, quia .ſ. in eis eſt perfectiſſima vnitas talis quantitatis, manifeſtum eſt eſſe æqualitatem ſummam in eis. tr. 1 p. 2. p. 3. q. 3.

Re-

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſumma æqualitas dicitur illa, qua nulla alia maior eſt æqualitas, ſicut dicitur ſumma ſimplicitas, qua nulla alia eſt maior ſimplicitas, & ſicut illa dicitur maior ſimplicitas, quæ ſecum minus patitur de compoſitione; ſic dicitur illa maior æqualitas, quæ minus patitur de inæqualitate; & quoniam in omnibus habentibus æqualitatē ſemper reperitur aliqua inæqualitas, vel in eſſe, vel in virtute, vel in operatione, præterquam in diuinis, quia eſt æqualitas in eis, in eſſe, in virtute, & in operatione; ideo æqualitas, quæ eſt in eis, eſt æqualitas ſumma.

Obiectio. Sed ſi vna perſona operatur per aliam? Pater enim operatur per Filium; quando autem quis operatur per alium, non habet æqualem virtutem cum eo.

Reſpondetur, quod operari per alium ſumitur dupliciter, vel vt ly per, dicit mediationem ſuppoſiti, vel virtutis; quando quis operatur per alium ſecundo modo, non habet eandem virtutem cum eo; primo modo verò, habere poteſt, & ſic Pater operatur per Filium. Ita Aegidius.

QVÆSITVM VI.

An Aequalitas, quæ eſt inter diuinas perſonas ſit vna numero?

d.19. a.1. ALbertus reſp. quod non debet concedi tres diuinas perſonas eſſe vnam ęqualitatem, licet enim ibi ſignificetur eſſentia in recto; perſonę tamen & ipſę ſignificantur.

a.1. q.3. Ricardus reſp. quod ęqualitas numerari non poteſt, niſi numeretur proximum & proprium fundamentum illius, & quoniam proximum, & proprium fundamentum ęqualitatis eſt quantitas virtutis, quę vna numero eſt in omnibus diuinis perſonis, igitur & ęqualitas eſt vna numero.

d.38. q.vn. Ioannes Scotus reſp. quod quot ſunt perfectiones in Deo ſimpliciter, tot ſunt etiam magnitudines, & tot ęqualitates, ſicut tamen illę omnes ſunt ſimpliciter vna res, ita & ęqualitates ſecundum eas ſunt ſimpliciter vna res.

Reſolutio.

REſpondeo quod dupliciter poſſumus cōſiderare ęqualitatem in diuinis eſſe vnā numero, vel in ordine ad ea, penes quę ſumitur, vt penes eſſe, virtutem, & operationem, vel in ordine ad ipſas perſonas, inter quas dicitur eſſe, & vtroque modo non poteſt eſſe niſi vna numero in eis; primo modo, quia nihil eſt in diuinis, penes quod ſumatur æqualitas in eis præter eſſe virtutem, & operationem, eſſe autem, virtus, & operatio ſunt vnum, & idem numero in eis, igitur & vna numero ęqualitas; ſecundo modo, quia de ratione ęqualitatis, in pluribus ęqualibus reſpectu eiuſdem eſt vnitas numeralis, alioquin ſi alia eſſet ęqualitas in vno, & alia in altero, non eſſet ęqualitas, ſed inęqualitas.

Sed ſi ęqualitas eſt relatio; relationes autem numerantur ſecundum ſubiecta? & ſubiecta ſunt tres diuinę perſonę. *Obiectio.*

Reſpondetur dupliciter; primò, quod relationes non numerantur ſecundum ſubiecta, niſi proprium, & proximum fundamentum earum numeretur in illis ſubiectis; ſecundò, quod diuinæ perſonę non ſunt plura ſubiecta æqualitatis, ſed vnum; (ſi tamen nomen ſubiecti recipiendum ſit in diuinis) & ratio eſt, quia in illis eſt ęqualitas ratione vnius fundamenti. Ita Ricardus.

QVÆSITVM VII.

An æqualitas, quæ eſt inter diuinas perſonas ſit æqualitas mutua?

ALbertus reſp. quod perſonę diuinę ſingulæ ſingulis, & ſingulę duabus, & ſingulæ tribus ſunt ęquales, & ratio eſt, quia vnitas eſſentię, & identitas in omnibus eſſentialibus, quę non eſt maior in vna quam in alia, nec in vna, quam in duabus, & in tribus, eſt cauſa ęqualitatis. *ar.11 q.47. m.2.*

D. Thomas reſp. quod inter diuinas perſonas eſt mutua ęqualitas, quia magnitudo, & duratio, penes quas accipitur ęqualitas, ita ſunt perfectè, & plenè in vna, ſicut in alia. *d.19. q.1. a.2.*

Et iterum reſp. quod ęqualitas, ſecundum quod per nomen ſignificatur in diuinis, dicitur mutua ęqualitas in eis, quia ſingulę diuinę perſonę eandem magnitudinem habēt. *p.p q.42. a.1.*

D. Bonau. reſp. quod ęqualitas ſumpta, vt dicit reſpectum æquiparantię ſic dicit cōuenientiam in ſubſtantia, & quantitate, & eſt ſemper reciproca, ſeu mutua; ſicut enim Pater eſt ęqualis Filio, quia eſt vnius ſubſtantię, & virtutis cum eo, ſic Filius eſt ęqualis Patri propter eandem identitatem ſubſtantiæ, & virtutis. *p.1. q.3.*

Aegidius reſp. quod in diuinis eſt mutua æqualitas, quia Pater genuit Filium per omnia *pr.1. q.2.*

nia ſibi ſimilem, & æqualem, non autem mutua adæquatio, adequatio enim ſupra æqualitatem addit imitationem, vnde cum Filius vt verbum, & imago, imitetur Patrem, & non econuerſò, Filius quidem adæquatur Patri, ſed non econuerſò.

a.1. Ricardus reſp. quod de virtute ſermonis
q.2. hoc nomen æquale non videtur comportare niſi relationem æquiparantię, & propterea poſſumus dicere ſimpliciter, Pater eſt ęqualis Filio; ſed quia ſunt in contrarium aliquę auctoritates ſanctorum, talem propoſitionem aliquando etiam negare debemus, prout .ſ. ęqualitas, vltra relationem ęquiparantiæ, aliquando importat coęquationem paſſiuo modo ſumptam, ita enim Pater non dicitur ęqualis Filio, quia Filius non dat Patri, vt ſit æqualis ei, ſicut Pater dat Filio.

q.1. Ioannes Scotus reſp. quod æqualitas, vt ſumitur pro relatione communi, ſuper quam fundantur iſtæ duæ relationes diſquiparantiæ coæquari, & coæquare, mutua eſt.

q.1. Durandus reſp. quod omnis relatio æquiparantiæ mutua eſt, & conuerſiua; & quoniam æqualitas eſt relatio æquiparantiæ, ideò vbicunque ponatur mutua eſt, & conuerſiua.

p.2. Petrus Aur. reſp. quod æqualitas in diui-
a.6. nis poteſt conſiderari dupliciter, vel vt reſpicit magnitudinem diuinæ eſſentiæ, quæ eadem eſt in tribus, vel vt reſpicit proprietatem perſonalem Filij, nam Filius emanat per modum verbi, de cuius ratione eſt æquari ſcientiæ, de qua gignitur, vt dicit D. Auguſtinus; 15. de Trin. c. 14. & ſimiliter per modum imaginis de eius ratione eſt coęquari ei, cuius eſt imago; primò modo eſt æqualitas mutua, non ſecundo.

q.1. Franc. a Chriſto reſp. quod in diuinis eſt æqualitas mutua, nam ſicut Patri Filius eſt æqualis, ita vice verſa æqualis eſt Filio Pater.

Reſolutio.

RESpondeo, quod de ratione æqualitatis eſt, vt ſit mutua inter res æquales, hoc eſt, vt vna ſit ita æqualis alteri, ſicut illa ei, alioquin non eſſent æquales, quia ſic aliquid deeſſet vni de eo, penes quod accipitur æqualitas, quod in altera excederet, vel econuerſò, quod repugnat æqualitati, non enim duæ lineæ poſſunt eſſe æquales, quarum vna eſt æqualis alteri, altera verò non eſt æqualis ei, nec hoc propter aliud poteſt contingere, quam propter defectum, vel exceſſum longitudinis, ſuper quam fundatur earum æqualitas; cum itaque inter diuinas perſonas ſit æqualitas, eſt etiam æqualitas mutua,

Sed ſi Pater eſt maior Filio; Filius autem non eſt minor Patre? vt inquit D. Hilarius. Obiectio.

Reſpondetur, quod per hoc, quod Pater dicitur maior Filio non ponitur aliquis gradus magnitudinis, ſed tantum ordo auctoritatis, vnde non remouetur mutua æqualitas, ſed tantum mutua adęquatio. Ita D. Thomas, D. Bonau. & Aegidius.

QVÆSITVM VIII.

An quælibet diuina perſona ſit in altera?

ALbertus reſp. quod cum dicitur vna perſona diuina eſt in altera illa præpoſitio in duplicem dicit habitudinem, originis .ſ. ſeu relationis, & identitatis; eſſentiæ; quantum ad primam habitudinem; vna perſona non eodem modo eſt in altera, non enim eodem modo Pater dicitur eſſe in Filio, quo Filius in Patre; ſed bene quantum ad ſecundam .ſ. ad habitudinem identitatis naturæ. d.19. a.8.

D. Thomas reſp. quod & ratione eſſentiæ, & ratione relationis, quælibet diuina perſona dicitur eſſe in altera; ratione eſſentiæ, quia tota eſſentia vnius perſonæ eſt in altera perſona, vnde & quælibet perſona in altera; ratione relationis, quia cum quælibet perſona dicatur relatiuè ad alteram, in vno autem relatiuorum intelligatur alterum, conſequens eſt, vt quælibet ſit in altera. q.3. a.2.

Et iterum reſp. quod tribus modis vna perſona dicitur eſſe in altera, ſecundum eſſentiam, ſecundum relationem, & ſecundum originem; ſecundum eſſentiam, quia cum quælibet perſona ſit ſua eſſentia, & hæc eſſentia vna ſit in omnibus, ſequitur quod etiam quælibet perſona ſit in qualibet; ſecundum relationem, quia cum perſonæ diuinæ ſint oppoſitæ relatiuè, & vnum oppoſitorum relatiuè ſit in altero ſecundum intellectum, ſequitur etiam quod vna ſit in altera; ſecundum originem, quia cum proceſſiones Filij, & Spiritus ſancti, vt proceſſiones verbi, & amoris maneant in producente, ſequitur etiam quod Filius ſit in Patre, & Spiritus ſanctus in Filio, & Patre, & ſimiliter cum in verbo ſit, quod verbo dicitur, Pater eſt etiam in verbo. p.p. q.42. a.5.

D. Bonau. reſp. quod quælibet perſona eſt in altera per circumineeſſionem, quæ circum inceſſio importat vnitatem in eſſentia, & diſtinctionem in perſonis; hoc autem probat tripliciter; primò ſic. Omne cognitum eſt in cognoſcente, vel per veritatem, vel per ſi- d.19. p.1. q.4.

militudinem, ſed Filius cognoſcitur à Patre, & econuerſò, & non per ſimilitudinem, quia ſic cognoſcitur creatura, ſed per veritatem, ergo eſt in Patre, & econuerſò; ſecundò, Filius comparatur ad Patrem, aut ergo eſt in illo, aut extra, non extra, quia ſic eſſet diuerſæ ſubſtantiæ, ergo in illo, & eadem ratione Pater in Filio; tertiò, Maior eſt conuenientia vnius perſonæ ad alteram, quam generis ad ſpecies, vel totius ad partes; ſed propter conuenientiam generis ad ſpecies, genus eſt in ſpeciebus, & econuerſò; ergo multo magis vna perſona eſt in altera.

p. 1. pr. a q 2. Aegidius reſp. quod tribus modis vna perſona eſt in altera; primò ratione vnitatis eſſentiæ, nam cum vna, & eadem eſſentia ſit in qualibet perſona, & quælibet perſona ſit eadem eſſentia, ſequitur quod quælibet ſit in altera; ſecundò ratione relationis, nam vnum relatiuorum ſemper intelligitur in altero, & ſecundum hunc modum licet quælibet perſona ſit in qualibet, eo quod quælibet refertur ad quamlibet, non tamen eſt eodem modo, quia non eadem relatione quælibet refertur ad quamlibet; tertiò, ratione actuum immanentium, nam actus immanentes ſemper manent in agente, & quoniam Filius procedit per actum immanentem vt verbum, & Spiritus ſanctus vt amor, ſequitur quod ſicut verbum ſemper eſt in dicente, & amor in amante, ſic Filius ſit in Patre, & Spiritus ſanctus in Patre, & Filio, & hoc modo non quælibet perſona eſt in qualibet.

a. 2. q 3. Ricardus reſp. quod quælibet perſona diuina eſt in alia, & eſſentia in qualibet perſona, & quælibet perſona eſt in eſſentia; ſed modo differenti; quia eſſentia eſt in qualibet perſona, ſecundum quod natura eſt in ſuppoſito; quælibet perſona in eſſentia, ſecundum quod ſuppoſitum eſt in natura; quælibet autem perſona in alia per hoc, quod eſſentia cuiuſlibet perſonę eſt in alia, quia eadẽ eſt.

a. 13. q. 10 Henricus reſp. quod in diuinis vna perſona eſt in alia, & ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum relationem; ſecundum ſubſtantiã, quia ſubſtantia eius eſt in illa primò, & per ſe, & per illam ipſa tota perſona, quæ nec ſecundum ſe tota diceretur eſſe in illa ſecundum ſubſtantiam communem, ſed potius diceretur eſſe vnum, & idipſum cum illa, ſi non eſſet in ea; ſecuudum relationem, licet non primò, quia relatio fundatur in ſubſtantia, quæ eſt in illa perſona.

d. 19. q 2. Ioannes Scotus reſp. quod quælibet perſona diuina eſt in alia, non per aliquem illorum modorum formaliter, quos ponit Ariſt. 4. Phyſ. nam eorum non maior eſt diuerſitas, quam vnitas; ſed vt ſubſiſtens in ſubſiſtente per intimam præſentialitatem vnius in altera, ratio autem huius præſentialitatis non eſt ſumenda ab eſſentia ſola, nam talis inexiſtentia requirit diſtinctionem realem, quæ nulla eſt ratione eſſentiæ; neque a ſola relatione, nam perſonæ diuinæ ſunt in ſeipſis vniformiter, relationes autem originis non ſunt eiuſdem rationis in perſonis relatis; ſed ab vtraque ſimul tanquam a cauſa totali, quod probatur exemplo ſimilitudinis, nam ad ſimilitudinem quamuis requiratur, & diſtinctio extremorum, & vnitas fundamenti, neutra tamen per ſe ſufficiens eſt ad eam, ſed vtraque ſimul, vt totalis cauſa eius; verum, ſicut in ſimilitudine vnitas fundamenti eſt principalior, quam diſtinctio extremorum, & immediatior, ita in propoſito ratio huius inexiſtentiæ principalior eſt vnitas eſſentiæ, quam diſtinctio perſonarum. Item Nicolaus de Orbellis. Antonius Andreas. Ioann. Vigerius, & Bargius.

Durandus reſp. quod vna perſona eſt in alia, non ratione totius conſtituti .ſ. ex eſſentia, & relatione; nam ſic vna perſona eſſet, & quæ in alia, & in qua alia, quod eſt inconueniens, quia tales habitudines opponuntur ſecundum ſuas proprias rationes, ſicut eſſe ab alio, & a quo alius; nec ſimiliter vna perſona eſt in alia ratione relationis; tum quia habitudo perſonæ ad perſonam ſecundum relationes eſt habitudo, vt ad quem, iſta autem eſt habitudo, vt in quo; tum etiam, quia illud, per quod vna perſona eſt in alia, eſt quid commune, nulla autem relatio eſt communis tribus perſonis; eſt ergo vna perſona in alia ratione eſſentiæ, cum hæc ſit vna numero in eis; eſt tamen perſona, vt in qua alia, non ratione ſolius eſſentiæ, quia ſic ratione eiuſdem conueniret ei eſſe in alia, & in qua alia, quæ ſunt habitudines oppoſitæ, ſed ratione totius conſtituti, eſt enim rationabile, quod illud, in quo eſt aliud, excedat, vel ſit in plus quam illud, quod eſt in ipſo; illa autem perſona, in qua eſt alia, ſe habet aliquo modo ratione conſtituti in plus, quam illa, quæ eſt in illa ratione ſolius eſſentiæ. q. 1.

Petrus Aureolus reſp. quod quando aliqua ſunt penitus indiſtincta, & ſunt vnum per omnimodam indiſtinctionem .ſ. & ſecundum rem, & ſecundum intellectum, impoſſibile eſt vnum eorum eſſe, vel intelligi, quin aliud inſit, & ineſſe intelligatur; & quoniam perſonæ diuinæ ſunt penitus indiſtinctæ a diuina eſſentia, & ſunt vnum per omnimodam indiſtin- p. 1. a. 2.

ſtin-

ſtinctionem illius, ideo impoſſibile eſt vnam earum eſſe, vel intelligi, quin alia inſit, & ineſſe intelligatur, & ſic quælibet perſona diuina ratione huius identitatis in diuina eſſentia dicitur eſſe in alia, vnde talis inexiſtentia, quæ dicitur circuminceſſio, immanſio, ſeſſio, non eſt aliud, quam quędam ſpiritualis identitas diſtinctorum ſuppoſitorum in vna re ab omnibus indiſtincta, quæ eſt eſſētia.

d.21. q.1. Franc. Maro reſp. quod vna perſona eſt in alia per circuminceſſionem, ſicut ſubſiſtens in ſubſiſtente realiter diſtincto per mutuam præſentialitatis aſſiſtentiam, in inuicem verò intimatè, qui modus eſſendi, in, quamuis totaliter in creaturis non reperiatur, eſt tamen aliquo modo conformis ei, ille, quo tres potentiæ animæ ſunt in inuicem; ſed magis accommodatur ille, quo duo corpora intelliguntur eſſe in eodem loco, ſi tamen non diſtinguerentur eſſentialiter.

d 19. q.2. Guilelmus Occham reſp quod aliquid eſſe in aliquo poteſt intelligi tripliciter; per continentiam, ſicut locatum in loco; per præſentiam, cum carentia cuiuſcunque diſtantiæ, ſicut Angelus exiſtens in ſuperiori parte corporis cæleſtis; & per præſentiam intimam cum conſubſtantialitate, & hoc modo quælibet perſona diuina eſt in alia, quia quælibet perſona eſt alteri intimè præſens, & conſubſtantialis ei, & vocatur eſſe in per circuminceſſionē. Item Aliacenſis. q. 10. ar. 2

q.1. Thomas ab Arg. reſp. quod vna perſona eſt in alia, non ratione eſſentiæ præciſè, neque ratione relationis, ſed ratione vtriuſque, eſſentiæ .ſ. & relationis; nam ratione relationis diſtinguuntur, & ratione eſſentiæ realiter conueniunt; quæcunque enim ſuppoſitaliter differunt, ita tamen quod in vna natura realiter conueniant, vnum eorum neceſſariò eſt in altero; in quocunque enim eſt natura alicuius, in illo eſt illud, cuius eſt natura, præſuppoſito, quod diſtinguantur.

q.1. a.2. Gerardus reſp. quod quælibet perſona diuina eſt in alia, ratio autem, ſeu cauſa talis inexiſtentiæ eſt eſſentia, & relatio, nam iſta inexiſtentia non eſt formalis, ſed perſonalis, quaſi habitudo totaliter conſequens perſonalitatem perſonæ; itaque ex eiſdem principijs, ex quibus conſtituitur perſonalitas perſonæ, oportet quod oriatur huiuſmodi inexiſtentia, cum itaque ad conſtituendam perſonalitatem cuiuſlibet perſonæ concurrat eſſentia, & relatio; ergo etiam ad dictam inexiſtentiam oportet, quod ambo iſta concurrant in ratione principij, & eſſe; non tamen æquè primò, & eodem modo; nam ſi conſideretur dicta inexiſtentia, inquantū comprehendit dictam totalitatem vtriuſque perſonæ .ſ. inexiſtentis, & illius, in qua exiſtit, ſic principalius in ratione cauſæ cōcurrit eſſentia, quam relatio; ſi verò conſideretur, inquantum non eſt formalis per modum formæ dantis eſſe, ſed vt perſonalis, quia eſt perſonæ ſubſiſtentis inexiſtentis alteri perſonæ ſubſiſtenti, ſic principalius concurrit relatio in ratione cauſæ, quam eſſentia.

Guilel. Rub. reſp. quod duplex eſt inexiſtentia vnius in alio, quædam enim eſt per ſolam præſentiam vnius in alio, ſiue ſit contenti in continente, ſiue vnius indiſtantis cum alio indiſtante, ipſum tamen non continente; altera eſt, quæ vltra præſentiam, ſeu indiſtantiam realiter diſtinctorum, quorum vnū dicitur eſſe in alio, importat conſubſtantialitatem, ſiue ipſorum eſſentialem identitatem, & ſecundum hanc inexiſtentiam vna perſona diuina dicitur eſſe in altera. q.2.

Ioannes Bacc. reſp. quod vna perſona eſt in alia per initatem cuiuſdam realis inſiſtentiæ, & ratio eſt, quia quod eſt in alio non ſolum, ſicut cognitum in cognoſcente, æquale in ſuo coæquali, aut ſicut productum in producente; ſed ratione cuiuſlibet realitatis ſuæ, dicitur eſſe in eo per modum cuiuſdam realis inſiſtentiæ; cum itaque Filius ſit in Patre, non ſolum, ſicut cognitum in cognoſcente, aut æquale in ſuo coæquali, aut productum in producente, ſed per modum cuiuſlibet realitatis ſuæ, eſſentiæ .ſ. & relationis, cum relatio ſit prima ratio eſſendi in, & eſſentia vltima, & quaſi completiua; ſequitur quod Filius ſit in Patre per vnitatem per modum cuiuſdam realis inſiſtentiæ. d.19. q.2.

Marſilius reſp. quod quælibet perſona eſt in alia realiter, & entitatiuè per circūinceſſionem; hoc eſt enim vnum eſſe in altero per circuminceſſionem, quando eſſentia vna eſt, & ſuppoſita eius diſtincta, ſic enim cum cuiuſlibet eſſentia ſit in quolibet, & ſuppoſitum non relinquat eſſentiam ſuam, oportet quod quodlibet ſit in quolibet realiter, & entitatiuè. Itē Michael de Bon. & Ioānes Maior. q.22. a. 2.

Ioannes de Baſſ. reſp. quod vna perſona diuina eſt in altera, quia vna eſt producta, & altera producens ad intra, & conſubſtantialis ei, omne autem tale producens eſt in producente, & econuerſò. q. 2.

Laur. Opim. reſp. quod quælibet perſona eſt in alia per plenitudinem eſſentiæ, quia illa perfectiſſima eſſentia, quæ eſt in Patre, eſt etiam in Filio, & econuerſò. q.2.

Nicol. de Niſſe reſp. quod perſonæ diuinæ tr. 13

Digitized by Google

ſunt in ſe inuicem per circuminceſſionem; ſic videlicet, quod vna tota perſona eſt in alia tota, & econuerſò; cum enim perſona diuina conſtet ex eſſentia, & relatione, ac relatio ſit in eſſentia, vt in fundamento, a quo ſeparari non poteſt; ſequitur quod nullibi poteſt eſſe eſſentia ſine relatione, ac proinde cum eadem ſit eſſentia vnius perſonæ, & alterius; conſequens etiam eſt, quod vna perſona tota ſit in altera.

q.un. Michael de Pal. reſp. quod vna perſona eſt in alia ratione naturæ, & relationis; natura enim ſola hanc circuminceſſionem non præſtat; ſiquidem ſi vnus eſſet Deus non diſtinctus perſonis, Deus non eſſet in Deo, quia eſſet prorſus indiſtinctus a ſeipſo; at verò ſi diſtinctio eſſet relationum abſque vnitate naturæ non eſſet Pater in Filio, nec Filius in Patre.

a.2. Guilel. Varrill. reſp. quod vna perſona eſt in altera circuminceſſiuè; non quidem per ſolam eſſentiam, quia cum Pater habeat eſſentiam in ſeipſo, eſſet etiam in ſeipſo, quod non conceditur; nec per vltima conſtitutiua, quia cum ſic creaturæ originentur a Deo, creaturæ eſſent in Deo per circuminceſſionem, quod ſimiliter non conceditur; ſed benè per vtrumque, quia cum non perfectè ſufficiat eſſentia, nec perfectè relationes originis; ſequitur quod ſimul ſufficiant.

q.2. Franc. a Chriſto reſp. quod vna perſona non eſt in altera ratione totius conſtituti, vt .ſ. quælibet ſit continens, & contenta ratione totius; quia fieri non poteſt, vt duæ illæ habitudines originem declarantes vni eidem conueniant reſpectu eiuſdem; nec ratione relationis, quia illud, quo efficitur, vt vna perſona non ſit alia, non poteſt eſſe cauſa quod ſit in alia; & huiuſmodi eſt relatio; ſed vna perſona eſt in alia ratione eſſentiæ, nam illud, per quod vna perſona eſt in altera eſt commune vtrique, & in vtroque reperitur, & huiuſmodi eſt ſola diuina eſſentia.

s.1. Guilel. Eſtius reſp. quod propter vnitatem diuinæ naturæ, & perſonarum diſtinctionē, vna perſona eſt in alia; & quia perſona, quæ producitur, producitur nō quaſi foras prodiēs ſed vt intus manens; & quia vna intelligitur in altera, cum ad inuicem referantur.

q.42. a.5. diſp.4. Ludou. Molina reſp. quod ſicut ſi duo tota communicarent in eadem parte dicerentur mutuò vnum eſſe in alio ratione partis, in qua communicarent, vt ſi Deus ſua omnipotentia efficeret, quod eadem anima rationalis informaret duas materias inter ſe diuiſas, duo tota, quæ tunc reſultarent, ita haberent, vt verè dicerentur eſſe vnum in alio ratione animæ rationalis; ſic etiam maiori ratione, cum perſonæ diuinæ, non ſolum communicent in eadem numero eſſentia, ſed cum illa ſint idem prorſus ex natura rei, verè dicuntur eſſe ſingulæ in ſingulis.

Franc. Suarez reſp. quod vnitas naturæ eſt adęquata ratio, ob quam diuinæ perſonæ sūt in ſe inuicem per ſuam eſſentiam; vnaquęque enim perſona eſt ſua eſſentia, & eſſentia eſt in omnibus, & ſingulis perſonis, igitur & ſingulæ perſonæ in ſingulis. An verò ſit vna in altera ſecundum ſe totam, an ſolum ratione eſſentiæ? Reſpondet, quod per ſe primò & ſecundum ſe totam eſt in alia, ita vt, licet vnitas eſſentiæ ſit vinculum, & quaſi proxima ratio iſtius inexiſtentiæ, nō tamen in illa ſola ſiſtit, ſed ratione eius etiam relationes ipſæ in ſe inuicem exiſtunt; non enim poteſt eſſe aliud hæc inexiſtentia mutua, quam intima, quædam præſentia perſonarum inter ſe, quā non ſolum habent in eſſentia, ſed etiam in proprijs relationibus. *de tr. lib.4. c.15.*

Reſolutio.

RESpondeo, quod ratio communis; per quam aliquid dicitur eſſe in aliquo, quocunque modo ſit in illo, eſt inſeparatio, ſiue indiuiſio, ſic enim dicitur eſſe aliquid in aliquo, quod aliquo modo non eſt diuiſum, aut ſeparatum ab eo, & ſecundum hanc cōmunem rationem poteſt dici aliquid per ſe ſubſiſtens eſſe in alio per ſe ſubſiſtente, quoniam .ſ. non eſt diuiſum, nec ſeparatum ab eo, & quoniam quælibet perſona diuina eſt indiuiſa, & inſeparata a qualibet in eſſe, in virtute, & in operatione, ratione quorum dicitur æqualis alteri, idcirco quælibet perſona diuina, ſecundum hanc communem rationem eſſendi in, dicitur eſſe in alia; & hæc fuit ſentētia Saluatoris noſtri dicentis ad Philippum optantem videre Patrem. Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum; non credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? quia ſ. ſecundum eſſe, ſecundum virtutem, ſecundum operationem, non ſum diuiſus, non ſum ſeparatus ab eo; & propterea ſubiungit, Pater in me manens facit opera.

Sed ſi vna perſona exit ab alia, vt Filius a Patre. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod exitus Filij a Patre eſt proceſſio producti a producente, & hic exitus nihil prohibet, quin exiens maneat in eo, a quo exit, quia recipit eādem naturam cum eo, a quo procedit. Ita Scotus. Et D. Thomas. Exitus Filij a Patre eſt ſecundum modum

dum

Digitized by Google

dum proceſſionis interioris, prout verbum exit a corde, & non ſecundum aliquam diſtantiam, & ita manet in eo, vt cum exeat, eſt etiam in ipſo.

QVÆSITVM IX.

An perſonæ diuinæ ſint partes ſubiectiuæ diuinæ eſſentiæ, ipſa verò totum vniuerſale?

q. 48. m. 4. a. 1. ALexand. reſp. quod nihil eſt in diuinis, quod ſit vniuerſale, aut ſingulare; non aliquid quod ſit vniuerſale, quia vniuerſale eſt illud, quod eſt in multis, & dicitur de multis, licet ergo ſit aliquid in diuinis, vt eſſentia, quæ eſt in multis, non tamen dicitur de multis, nam quod dicitur de multis non dicit totum, quod ſunt, ipſa verò dicit totum in ſingulis, in quibus eſt, quod ſunt; ſimiliter quod dicitur de multis habet dependentiam ab illis, diuina autem eſſentia nullam habet dependentiam; non aliquid quod ſit ſingulare, quia nec ibi eſt materia, nec aliquid accidens, nec forma ſignata plurificabilis in eis, a quibus ſumitur ratio ſingularis; non eſt ſimiliter in diuinis aliqua differentia materiæ, & formæ, ergo nec aliquid quod ſit vniuerſale, & ſingulare, ratio enim ſingularis eſt a materia, vniuerſalis verò a forma.

d. 19. a. 15. Albertus reſp. quod in diuinis nõ eſt vniuerſale, nec particulare, quia in diuinis non differunt quo, & quod; eſt tamen commune, & proprium, ſed non vt in creatis; nam in pluribus creatis commune eſt vnum ratione, non eſſe; & proprium eſt materia indiuiduãtibus conſtitutum; in diuinis autem quod eſt commune eſt re, & eſſe vnum; quod autem eſt proprium, non eſt natura, ſed proprietas conſtituens hypoſtaſim.

q. 4. a. 2. D. Thomas reſp. quod nihil eſt in diuinis, quod habeat rationem vniuerſalis, generis .ſ. & ſpeciei; primò, quia vbicunque eſt genus, & ſpecies, quiditas differt a ſuo eſſe (vt dicit Auic.) in diuinis autem quiditas non differt ab eſſe; ſecundò, quia eſſentia vniuerſalis non eſt eadem numero in omnibus ſuis inferioribus, diuina autem eſt in omnibus perſonis numero eadem; tertiò, quia totum vniuerſale exigit pluralitatem in his, quæ ſub ipſo continentur vel in actu, vel in potentia, quæ pluralitas eſt ſecundum numerum ſimpliciter fundatum in ſubſtantiali diſtinctione, quam non habent perſonæ diuinæ; quartò, quia nihil in diuinis ex additione eſſe poteſt, particulare autem dicitur ex additione formæ ad materiam, & tractione ad partem, per hic, & nunc, vniuerſale verò quod dicitur de eo.

D. Bonau. reſp. quod eſſentia diuina habet quidem rationem communis, vt res pluribus communicabilis, ſed non habet rationem vniuerſalis; primò, quia non eſt forma multiplicabilis, ſicut vniuerſale, nec poteſt dici omnis, quod eſt ſignum vniuerſalitatis; ſecundò, quia non eſt ſimplicior perſona, ſicut vniuerſale eſt ſimplicius ſuo particulari; tertiò, quia non eſt limitata, ſicut quæcunque alia vniuerſalis in determinato genere. p. 2. q. 2.

Aegidius reſp. quod ſi ſumatur vniuerſale eo modo, quo ponebat Plato, vt ſeparatum a rebus, ſic eſſentia diuina eſt quid vniuerſale, cum ſit ens primum maximè abſtractum, & faciens ad ſcientiam, & ad generationem; non autem ſi ſumatur eo modo, quo ponebat Ariſt. vt .ſ. prædicatur de rebus, nam ſic eſſet forma vniuerſalis, quæ plurificaretur ad plurificationem ſuppoſitorum; nec ſimiliter ſi ſumatur, vt ſpecies in intellectu abſtracta a rebus, quia nec intellectui inhæret, nec a rebus dependet. p. 2. pr. 1 q. 1.

Ricardus reſp. quod eſſentia diuina eſt actu quid exiſtens reale extra intellectum, & non per ſolam actionem eius eſt pluribus communis, & in abſtracto prædicatur de ſeipſa in concreto, & de quolibet eius ſuppoſito, & ſecundum ſuum eſſe reale non multiplicatur in perſonis, & ideo non conuenit ei hæc ſecunda intentio, quæ eſt vniuerſalitas, quia huiuſmodi conditiones conueniunt eſſentiæ ſub ratione qua conuenit ſibi hæc ſecunda intentio, quæ eſt vniuerſalitas. a. 1. q. 2.

Henricus reſp. quod illa natura, quæ de ſe vt eſt natura, & quiditas quædam, concernit rationem ſingularitatis, quia ex ſe eſt ſingularitas quædam, & ideo non nata in conſideratione intellectus cadere, vt multiplicata in pluribus ſuppoſitis, nullo modo recipit in ſe rationem vniuerſalis, cum itaque diuina natura ſit huiuſmodi, quia vnica, & ſingularis vnitate rei in diuerſis ſuppoſitis; ideo ſimpliciter dicendum eſt, quod in ea nullo modo cadit ratio vniuerſalis. a. 43. q. 2.

Durandus reſp. quod eſſentia diuina poteſt conſiderari dupliciter, ſecundum eſſe, quod habet in re extra animam, & ſecundũ eſſe, quod habet in anima, & ſecundum neutrum iſtorũ habet rationem vniuerſalis, non ſecundum eſſe, quod habet in re extra animã, quia ſecundum tale eſſe habet rationem ſingularis, ratio autem ſingularis repugnat vniuerſali; & quia vnitas eius in perſonis eſt p. 2. q. 4.

vni-

Digitized by Google

vnitas rei, non rationis, vnitas autem vniuerſalis in ſingularibus eſt tantum rationis, & non rei; non ſecundum eſſe, quod habet in anima, quia tale vniuerſale eſt, quod dicitur de multis, & per ſe, & realiter plurificatur in eis, dicitque in communi totam naturam ſingularium; quæ conditiones non conueniunt diuinæ eſſentiæ.

p. 1. a. 4. Petrus Aur. reſp. quod perſonæ diuinæ non ſunt ſub Deo, ſiue ſub diuina eſſentia quaſi ſpecies ſub genere, aut indiuidua ſub ſpecie, ſed quaſi tres modi exiſtendi, & ſubſiſtendi eiuſdem rei; vnde non debet dici, quod ſint tres perſonæ eiuſdem rationis, vel tria ſuppoſita, ſed potius quod eſt eadem ratio, vt potè idem Deus triplici modo exiſtens, ſeu trinè ſubſiſtens; ſicut videmus, quod eadem numero natura rationalis exiſtens ſubſiſtit in ſe, vt conſpiciens ante ſe, vt conſpicua per actum intellectus extra ſe, & vt impulſa, & per amorem impenſa.

q. 1. a. 3. Gerardus reſp. quod eſſentia diuina non habet rationem vniuerſalis; primò, quia quod habet rationem vniuerſalis, habet rationem potentialitatis, eſſentia autem diuina cum ſit actus purus non habet rationem potentialitatis; ſecundò, quia de ratione vniuerſalis eſt, quod plus habeat de realitate in omnibus partibus, quam in vna ſola, & eſſentia diuina non plus habet de realitate in omnibus perſonis, quam in vna ſola; tertiò, quia ſi eſſentia haberet rationem totius vniuerſalis, perſonæ verò eſſent partes ſubiectiuæ ipſius ſequeretur quod haberent differẽtias, per quas ipſam diuiderent, quod eſt falſum; nam differentiæ diuidentes aliquid genus debent eſſe ſimpliciter diuerſæ, ita vt in nullo communicent; in diuinis autem non ſunt aliqua ita diuerſa quod non communicent in eſſentia.

d. 19. S. 1. Guilel. Eſtius reſp. quod tres perſonæ diuinæ propriiſſimè dicitur, & ſunt vnus Deus, non tres dij, & ideo eſſentia diuina non prædicatur de eis tanquã ſpecies, ſicut homo prędicatur de tribus hominibus ſecundum ſpeciem, quia non niſi impropriè, & ſecundum operationem intellectus tantum dicũtur vnus homo.

Reſolutio.

RESpondeo, quod partes ſubiectiuę totius vniuerſalis ſunt ſpecies, ſi illud vniuerſale eſt genus; & indiuidua, ſi illud vniuerſale eſt ſpecies, & quoniam perſonæ diuinæ non ſunt ſpecies, neque indiuidua diuinæ eſſentiæ, quia indiuidua ſunt inferiora ſuæ ſpeciei, ſpecies verò ſuo generi, perſonæ autem propter ſummam identitatem, quam habent cum diuina eſſentia, non ſunt ei inferiores, & ideo neq; poſſunt eſſe partes ſubiectiuæ eius, neque ipſa, vt quodam ſuperius totum vniuerſale.

Sed ſi eſſentia ſubſtantialiter prædicatur de qualibet diuina perſona, & non conuerſim? nam Pater eſt diuina eſſentia, non tamen quodcunque, quod eſt diuina eſſentia eſt Pater; quicquid autem prædicatur ſubſtantialiter de aliquo, & non conuerſim, habet rationem totius vniuerſalis. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod quicquid prædicatur de aliquo ſubſtantialiter, & non conuerſim in his inferioribus habet rationem totius vniuerſalis, non autem in diuinis, cum modus prædicandi hic & ibi, non ſit idem. Ita Ægidius, & Gerardus. Non ſufficit (inquit) ad hoc, quod aliquid habeat rationem totius vniuerſalis, vt prædicetur ſubſtantialiter, & non conuerſim, ſed vltra requiritur, quod diuidatur per differentias, & plurificetur in illis, de quibus prædicatur, quod nullo modo poteſt dici de diuina eſſentia.

QVAESITVM X.

An perſonæ diuinæ ſint partes integrantes diuinam eſſentiam, ipſa verò totum integrale?

ALbertus reſpondet, quod in diuinis nulla eſt ratio totius, nulla ratio partis, omne enim totum eſt ex ſuis partibus compoſitum, & quælibet pars eſt imperfecta ad ſuum totum; in diuinis autem nulla compoſitio eſt, nulla imperfectio. Item D. Thomas diſ. 29. q. 4. ar. 1. *d. 19. a. 12. tr. 12 q. 47.*

D. Bonau. reſp. quod nihil eſt in diuinis, quod habeat rationem totius integralis, neque quod habeat rationem partis integrantis; primò, quia in diuinis nihil eſt, quod non ſit ſimplex, totum autem integrale eſt compoſitum ex partibus; ſecundò, quia quælibet pars reſpectu totius in ratione partis habet eſſe imperfectum, totum autem eſſe diuinum perfectum eſt; tertiò, quia totum integrale maius eſt ſuis partibus, nihil autem eſt in diuinis, quod ſit maius alio; quartò, quia totum integrale eſt reſolubile in ſuas partes, quod eſt eſſe corruptibile; in diuinis autem nihil eſt corruptibile. *p. 2. q. 1.*

Aegidius reſp. quod eſſentia diuina nullo modo poteſt eſſe totum integrale, vt ad diuinas perſonas comparatur; primò, quia diuinæ perſonæ non habent pluralitatem naturarum *p. 2. pr. 1. q. 2.*

rum in actu; quæ pluralitas reperitur in omni toto integrali; ſecundò, quia eſſentia diuina, & perſonæ ſunt ſummè ſimplices; totum autem integrale, & partes integrantes non compatiuntur ſecum ſummam ſimplicitatem; tertiò, quia eſſentia prædicatur de perſonis; & qualibet perſona de eſſentia, totum autem integrale non prædicatur de ſuis partibus, neque pars aliqua de toto; quartò, quia eſſentia tanta eſt in vna perſona, quanta in omnibus, nec plus, nec minus; totum autem integrale plus eſt in pluribus partibus, quam in vna; quintò, quia eſſentia non poteſt habere plures perſonas, neque pauciores, quodlibet autem totum integrale poteſt conſtare ex pluribus partibus, & paucioribus, quam conſtat; ſextò, quia eſſentia non comparatur ad perſonas tanquam ad ea, ex quibus eſt, ſed ſolum, quia in ipſis exiſtit, eo quod perfectè reſeruatur in qualibet: totum autem integrale comparatur ad ſuas partes, tanquam ad ea, ex quibus eſt, eo quod in nulla parte perfectè reſeruatur.

n.3. q.1. Ricardus reſp. quod totum integrale eſt compoſitum, & dependet ex partibus, pars autem eſt, quid imperfectum, & inter vtrumque eſt inæqualitas; & quoniam in diuinis nulla eſt compoſitio, nulla dependentia, nulla imperfectio, nullaque inæqualitas, idcirco neque aliquid eſt, quod ſit totum integrale, aut pars integrans.

p.2. q.4. Durandus reſp. quod nihil eſt in diuinis, quod ſit totum integrale; primò, quia totum integrale conſiſtit propriè ex partibus quantis quantitate molis, quæ quantitas non eſt in diuinis; ſecundò, quia ſi eſſet totum integrale in diuinis illud eſſet perſona, quia nihil eſt in diuinis ex pluribus conſtitutum, niſi perſona; perſona autem totum integrale eſſe non poteſt, quia cum totum ſit perfectius qualibet parte ſui, ſequeretur quod perſona eſſet perfectior eſſentia, vt parte ſui, quod eſt inconueniens, quia omnis perfectio eſt ab eſſentia.

p.1. a.5. Petrus Aur. addit, quod partes totius integralis poſſunt ſaltem per intellectum præſcindi ab inuicem, modus autem inexiſtendi proprietatis in diuinis non poteſt præſcindi ab eſſentia, nec econuersò, & ideo perſona non poteſt eſſe totum integrale ex his.

Reſolutio.

REſpondeo, quod partes integrantes totius integralis faciunt quidem ad perfectam conſtitutionem totius, ſed non ſunt, ſingulæ ipſum totum, diuinæ autem perſonæ non ſolum non faciunt ad perfectam conſtitutionem eſſentiæ; cum eſſentia non pendeat in eſſe a perſonis; ſed etiam ſingulæ ſunt ipſamet eſſentia, cum ipſa ſit vna, & eadem ſimpliciter; & ideo neque ipſæ perſonæ ſunt partes integrantes diuinæ eſſentiæ, neque ipſa diuina eſſentia eſt totum integrale.

Sed ſi perſona addit proprietatem ſupra eſſentiam? ex quo poteſt dici eſſentia aliquid integratum ex pluribus. Obiectio.

Reſpondetur, quod perſona non addit proprietatem, tanquam aliquid realiter diſtinctum ſupra eſſentiam, ſed tantum ſecundum rationem, quod non facit aliquam compoſitionem cum ea; ac proinde nihil ſequitur integratum ex pluribus. Ita D. Th. & Aegid.

QVÆSITVM XI.

An ſecluſa ratione partium ab ipſis diuinis perſonis, habeat diuina eſſentia per aliquid aliud, vnde dicatur tota?

DBonau reſp. quod eſſentia diuina habet ex ſua perfectione, quod dicatur tota, vt totum ſumitur abſolutè; nam ſic eſt idem, quod perfectum. d.19. p.2. q.1.

Aegidius reſp. quod ſicut dicit Ariſt. omne, totum, & perfectum ſunt idem ſecundum formam, & differunt ſecundum materiam, quod enim in quantitate diſcreta dicitur omne, in continua dicitur totum, & in forma perfectum; totum ergo perfectionem importat, cum ergo eſſentia diuina ſit omniquaque perfecta, ſequitur etiam, quod ſit tota. p.2. pr.1 q.2.

Henricus reſp. quod diuina eſſentia eſt tota totalitate virtuali per omnimodam identitatem eorum, quæ continet, & de quibus prædicatur. a.41. q.4.

Durandus reſp. quod eſſentia diuina ex hoc dicitur tota, quia plura continet ratione differentia, quæ ſunt perfectiones attributales, totum enim importat perfectionem contentiuam plurium. p.2. q.4.

Reſolutio.

REſpondeo, quod ſecluſa ratione partium ab ipſis diuinis perſonis, habet diuina eſſentia infinitas perfectiones, cum quibus identificatur, & ex quibus ſecundum noſtrum modum intelligendi quaſi vnum quodam diuinum conſtituitur, quod cum nihil ei deſit, totum dicitur, & perfectum.

Sed ſi infinitati repugnat ratio totius, & partis? Obiectio.

Reſpondetur, quod infinitati in potentia, vti-

Digitized by Google

vtique repugnat ratio totius propriè ſumpti, & partis; non autem infinitati in actu, qualis eſt infinitas eſſentiæ in ordine ad ſuas perfectiones, quæ quia actu infinitas continet, totius quoque, & perfecti ratione habet.

QVÆSITVM XII.

An veritas ſit aliquid reale, an rationis tantum?

d.19 D. Thomas reſp. quod veritas eſt de nu-
q.1. mero eorum, quæ habent fundamē-
a.1. tum in re extra animam, ſed complementum rationis eorum, quantum ad id, quod eſt formale, eſt per operationem animæ, vt vniuerſale, & tempus.

p.p. Et iterum reſp. quod ſicut bonitas eſt in
q.16. re appetibili, ita veritas eſt in intellectu, ad
a.1. quem res intellecta habet ordinem per ſe, vt a quo dependet ſecundum ſuum eſſe.

p.2. Ægidius reſp. quod veritas eſt adæquatio
pr.2 rerum ad intellectum, ac proinde earundem
q.1. relatio ad eundem intellectum, vt menſuræ ad menſuratum; intellectus enim (loquendo de intellectu ſpeculatiuo, ſecundum quem magis ſumitur veritas) comparatur ad res vt quodam menſuratum ab eis, nam (vt dicit Auerr.) ſcientia noſtra cauſatur à rebus.

Q. 3. Herueus reſp. quod veritas formaliter ac-
q.1. cepta eſt conformitas rei, ſecundum id, quod eſt ad illud, quod de ea intelligitur in intellectu enunciatiuo, & ſic dicit ens rationis. Item p. ſent. diſt. 19. q. 3.

d.19. Durandus reſp. quod veritas eſt conformi-
p.2. tas, ſeu adæquatio intellectus ad rem, quæ
q.5. conformitas non eſt ſecundum illud, quod ſunt eſſentialiter, quia ſecundum hoc nullā conformitatem habent ad inuicem intellectus, & res, nec ſecundum aliquid quod eſt ſubiectiuè in intellectu, quia nec in eſſendo, nec in repreſentando, ſed tantum obiectiuè, quia in hoc conſiſtit talis conformitas, quod cognoſcens cognoſcat rem ſic eſſe, ſicuti eſt, notæ autem ſic, & ſicuti, ſunt conditiones obiecti, nam per ſic, & ſicuti, intelligitur quod quale eſſe res habet, tale eſt apprehenſum, & propterea veritas eſt tantum relatio rationis, non realis.

p 3. Petrus Aureol. reſp. quod veritas purè, &
a.2. ſincerè non eſt niſi in intellectu obiectiuè, quia non deputatur niſi, vt eſt in eo; excepta tamen prima veritate, quæ eſt in ſolo Deo.

q.1. Ioannes Baccon. reſp. quod veritas for-
a.4. maliter ſumpta eſt rectitudo, ſeu conformitas, & adæquatio rei intellectæ ad ſeipſam, vt eſt in reali ſua exiſtentia; & quoniam talis rectitudo, ſeu conformitas, & adæquatio fundatur in actu intellectus modo intentionali, non reali, quia eſt ſolum in repreſentando, & non in eſſendo; ideo eſt relatio tantum rationis, & non realis.

Michael de Bonon. reſp. quod veritas non d.23.
eſt formaliter conformitas, nec de genere q.vn.
relatiuorum; ſed idem eſt, quod rei natura, & entitas; tum quia a natura rei propria res formaliter denominatur vera; tum quia res tanto magis, vel minus, dicitur vera, quanto magis propriam naturam attingit.

Ioannes Capreolus reſp. quod veritas pro- d.19.
ut eſt in re dicit eſſe, vel eſſentiam rei, & a.1.
cum hoc quandam relationem fundatam in re, & terminatam ad cognitionem, & ſimilitudinem, qua eſt in intellectu; prout vero eſt in intellectu non eſt relatio adæquationis, ſed eſt cognitio, vel ſpecies, aut conceptus adæquatus rei, vel adæquans ſibi rem ſic, quod veritas ſupponit pro tali abſoluto, quod eſt in intellectu, ſed vltra illud dicit reſpectum conformitatis, vel adæquationis ad rem intellectam.

Franc. a Chriſto reſp. quod veritas conſi- q.2.
ſtit in conformitate intellectus ad rem ſecundum id, quod ſe habet ad intellectum obiectiuè, in quantum ſcilicet id, quod apprehenditur de re eſt conforme entitati rei; cum itaque ſic formaliter ſumpta conueniat rei, prout ſe habet obiectiuè ad intellectum, ſequitur quod ſit ens rationis; eſt enim ens rationis denominatio quædam conueniens rei, prout eſt intellectu.

Domin. Bannes reſp. quod veritas, ſiue q.16.
ſumatur tranſcendentaliter, ſiue formaliter, a.3.
ſecundum quod eſt principaliter in intellectu eſt entitas realis; cum enim ſit in Deo ſua perfectio, eſt enim Deus ſua veritas, ſicut ſuum eſſe, ſequitur quod etiam in alijs rebus ſit aliquid reale; cum veritas Dei ſit menſura, & cauſa omnis alterius veritatis; cum item ſit perfectio noſtri intellectus, & paſſio entis realis, conſequens etiam eſt, quod ſit aliquid reale; & non diſtinctum realiter ab ente, ſed tantum ratione ratiocinante & ratiocinata, quæ habet fundamentum in re.

Ludou. Molina reſp. quod veritas eſt poſi- diſp.2
ta in conformitate inter intellectum & rem vt menſurati ad menſuram, quæ conformitas non eſt relatio realis, ſed rationis; tum quia relatio illa æquè eſt ad rem exiſtentem, ac non exiſtentem; tum ſecundò, quia æquè verum eſt iudicium, quo quis iudicat hominē non eſſe lapidem, ac illud, quo quis iudicat

Digitized by Google

eum eſſe animal; cum tertiò, quia nec etiam relatio conformitatis quæ cernitur ex parte obiecti tanquam menſuræ non eſt realis, etiã ſi obiectum exiſtat; igitur neque ea, quæ ex parte cóceptus menſurati cernitur, erit realis.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod circumſcripto quocunque intellectu, certiſſimum eſt nullam inde veritatem eſſe, eſt enim veritas, vt formaliter ſumpta, conceptibilitas rei ſicuti eſt; tunc enim quis ſe exiſtimat habere veritatem, quando rem ita concipit, ſicuti eſt, vt cum concipit hominem eſſe animal, quia homo eſt animal, quæ conceptibilitas quandoque eſt expreſſibilis per actiones, ſeu geſtus, quandoque per litteras, & figuras. & quandoque per ſonos, & voces, hæc namque omnia manifeſtant, & indicant veritatem, inquantum talem conceptibilitatem ſignificant; cum itaque huiuſmodi conceptibilitas ſiue conceptio ſit opus intellectus, quod eſt ens rationis, conſequens eſt, vt & ipſa veritas ſit aliquid rationis tantum, non reale.

Obiectio. Sed ſi illud quod non eſt aliquid reale eſt nihil ſimpliciter, & abſolutè? at veritas non eſt nihil, alioquin fruſtra niterentur homines in quærendo veritatem.

Reſpondetur, quod illud, quod non eſt aliquid reale eſt nihil ſimpliciter, & abſolutè realiter, eſt tamen ens rationis, ens enim diuiditur in ens reale, & ens rationis, nec homines per hoc dicuntur niti in quærendo veritatem ſic formaliter acceptam; ſed in quęrendo naturas rerum, & habitudines earum. Ita Durandus.

QVÆSITVM XIII.

An veritas ſit aliquo modo in rebus?

q.11. m.4. ALex. Alen. reſp. quod vnumquodque ſe habet ad eſſe, ſicut ad veritatem, & ideo in omnibus rebus eſt veritas ſenſibilibus, & intelligibilibus, quia tamen apprehenditur abſque omni conditione materiæ, ideo non ſenſu, ſed intellectu tantum percipitur.

d.19. q.5. a.1. D. Thomas reſp. quod veritas habet quidem fundamentum in re, ſed complementum ſuſcipit ab anima, per prius tamen ratio veritatis inuenitur in intellectu, quam in re, licet res ſit cauſa veritatis in intellectu, eſt enim ipſum eſſe cauſa veritatis, ſecundum quod eſt in cognitione intellectus.

p. p. Et iterum reſp. quod veritas principaliter eſt in intellectu, ſecundariò in rebus, ſecundum quod comparantur ad intellectum, vt ad principium a quo dependent. q.16. a.1.

Aegidius reſp. quod veritas propriè ſumpta eſt tantum in intellectu, & non in rebus, relatio enim menſuræ ad menſuratum, qualis eſt veritas quatenus adæquatio rerum ad intellectum, eſt in menſurato tantum, & non in menſura, vt dicit Ariſt. 5. Meth. nam ſecundum rei veritatem menſuratum dependet a menſura. d.16. p.2. pr.2. q.1.

Durandus reſp. quod veritas formaliter ſumpta non eſt ſine actu intelligendi; & ideo non eſt in rebus, quia quicquid eſt in rebus eſt in eis circumſcripto omni actu intelligendi; eſt ergo in intellectu tantum, & non quidem ſubiectiuè, ſed obiectiuè. p.2. q.6.

Herueus reſp. quod veritas formaliter dicitur eſſe in intellectu, non ſubiectiuè ſed obiectiuè, materialiter autem in re, in ordine tamen ad intellectum practicum, inquantum res eſt effecta, vel cauſata ab intellectu practico. d.10. q.vn.

Petrus Aur. reſp. quod veritas eſt in omnibus rebus participatiuè, res enim omnes participant aliquam quiditatem, & conſequenter veritatem, cum veritas ſit quiditas; purè autem, & ſincerè non eſt niſi in intellectu obiectiuè. d.19. p.1. a.1.

Gerardus reſp. quod veritas eſt rectitudo, rectitudo autẽ eſt quadruplex; prima ſimplicis aſſecutionis, & imitationis, & ſic eſt formaliter in rebus; ſecũda perceptæ, & manifeſtæ adæquationis, & ſic eſt formaliter in intellectu; tertia expreſſæ repreſentationis, & manifeſtationis, & ſic eſt formaliter etiam in rebus ſecundum eſſe cognitum, & abſtractum, quod habent apud animam obiectiuè; quarta attributionis, & ſignificationis, & ſic cum ſit ens rationis eſt aliquid conſequens, & derelictum circa res intellectas ex noſtro modo intelligendi eas. q.2. a.1.

Ioan. Bacconus reſp. quod veritas poteſt tripliciter accipi, materialiter, cauſaliter, & formaliter; primò modo poteſt dici, quod eſt in re, & in intellectu, in re vt eſt ſibi fundamentum, & origo veritatis, in intellectu inquantum fundatur materialiter ſuper actũ intelligendi, qui eſt in intellectu; ſecundò modo poteſt etiam dici quod ſit in re, & in intellectu, in re prout res cauſat eam, in intellectu, inquantum intellectus aliquo modo eſt cauſa actus intelligendi; tertiò modo poteſt dici ſimiliter quod ſit in re, & in intellectu, ſecundum quod poteſt ſumi dupliciter, vno modo pro rectitudine, quam res habet, q.1. a.2.

quando ita eſt, ſicut eſſe debet, & ſic formaliter eſt in re, alio modo pro rectitudine, ſeu conformitate, quam habet res, vt eſt manifeſtatiua ſui apud intellectum, & ſic eſt formaliter iu intellectu, obiectiuè tamen, non ſubiectiuè.

q. 2. Franciſcus a Chriſto reſp. quod veritas eſt in re tanquam in cauſa, & in radice; ſicut in oratione tanquam in ſigno; & in intellectu formaliter, non quidem ſubiectiuè, ſed obiectiuè, & non ſicut obiectum cognitum principaliter, ſed vt modus quidam conueniens rei, prout eſt in intellectu.

Reſolutio.

RESpondeo, quod veritas eſt in intellectu, & in rebus, in rebus fundamentaliter, quia enim homo eſt albus, ideo eſt verum dicere, quod homo eſt albus; in intellectu verò formaliter, quia formaliter veritas eſt conceptibilitas rei, ſiuè conceptio, conceptio autem, vt quædam abſtractio, non poteſt eſſe formaliter niſi in intellectu.

Obiectio. Sed ſi dicit D. Auguſtinus, quod verum eſt id, quod eſt? igitur veritas formalius eſt in rebus, cum quibus identificatur, quam in intellectu, in quo concipitur.

Reſpondetur, quod eſſe dicitur dupliciter, & ſecundum quod ſignificat eſſentiam rerum prout diuiditur per decem genera, & ſecundum quod ſignificat compoſitionem, quam anima facit, & hoc modo dicit D. Auguſtinus, quod verum eſt id, quod eſt, quaſi dicens, quod verum eſt quando dicitur, vel concipitur de eo, quod eſt eſſe; vnde non ſequitur, quod veritas identificetur cum rebus.

QVAESITVM XIV.

An ſit vna tantum veritas, an plures?

q. 15. m 5 ALexand. reſp. quod veritas rei dicitur duobus modis. vno modo, ſecundum quod dicitur indiuiſio eſſe, & quod eſt, prout dicitur a D. Auguſtino veritas, & hæc fundatur ſuper debita principia eſſentiæ rerum, & debitam eorum vnionem in creaturis, & hæc multiplicatur ſecundum multiplicationem eſſentiæ verorum; alio modo, ſecundum quod dicitur a D. Auguſtino lux intelligibilis, eo quod in modum lucis manifeſtat omnia vera, & tenet, & conſeruat in eſſe, & hoc modo vna eſt, & ſola veritas, quæ eſt diuina, qua manifeſtantur omnia vera, & conſeruantur in eſſe, & menſurantur.

D. Thomas reſp. quod ſicut eſt vnum eſſe diuinum, quo omnia ſunt ſicut a principio effectiuo exemplari, & tamen ſunt diuerſa eſſe, ſecundum quæ res formaliter ſunt; ita eſt vna veritas .ſ. diuina, qua omnia vera ſunt, ſicut principio effectiuo exemplari, plures tamen ſunt veritates, qui bus res creatæ dicuntur formaliter veræ. d. 19. q. 5. a. 2.

Et iterum reſp. quod ſi loquamur de veritate prout exiſtit in intellectu ſecundum propriam rationem, ſic in multis intellectibus creatis ſunt multæ veritates, & in vno, & eodem intellectu ſecundum plura cognita; ſi verò loquamur de veritate, ſecundum quod eſt in rebus, ſic omnes ſunt veræ vna prima veritate, cui vnumquodque aſſimilatur ſecundum ſuam entitatem, & ſic licet plures ſint eſſentiæ, vel formæ rerum, tamen eſt vna veritas diuini intellectus, ſecundum quam omnes res denominantur veræ. p. p. q. 16. a. 6.

Aegidius reſp. quod res non ſunt veræ per veritatem exiſtentem in ipſis formaliter, ſed in intellectu; cum igitur veritas, quæ eſt in primo intellectu ſit velut menſura, & ars omnium eorum, quæ ſunt vera, eo modo quo omnia temporalia dicuntur temporalia vno tempore, & omnia artificiata vno artifice, ſic omnia dicuntur vera vna veritate, ad quã habent ordinem omnes veritates, quæ ſunt in hoc. & in illo intellectu. d. 19. p. 2. pr. 2 q. 2.

Michael de Bonon. reſp. quod omnia quæ dicuntur vera, vna ratione dicuntur vera, quæ ratio vnica eſt rem habere illud, quod ſecundum ſuam naturam debet habere; ſicut omnia quæ ſunt vnum dicuntur vnum ratione vnica, & quia ratio formalis veritatis, cuius participatione omne verum dicitur verum eſt vnica, & hæc vna ratio eſt rectitudo illius rei, vel eſſe rem ſecundum illud, quod debet. d. 23. q. vn.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſi loquamur de veritate, prout eſt in intellectu diuino, ſic vna tantum eſt, & æterna, quia vna eſt tantum rerum omnium conceptio, quæ eſt diuina eſſentia; ſi verò loquamur de veritate, prout eſt in intellectu noſtro, ſic plures ſunt veritates, quemadmodum & res, quæ diuerſæ, & diuerſimodè concipiuntur.

Sed ſi omnia ſunt bona bonitate vna, cur & non vera veritate vna? ſicut enim ſe habet bonitas ad bona, ita & veritas ad vera. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod omnia ſunt bona bonitate vna, vt principio exemplari, formaliter autem pluribus, & ſic etiam omnia ſunt

Digitized by Google

ſunt vera veritate vna exemplariter, formaliter autem pluribus. Ita D. Thomas.

QVÆSITVM XV.

An veritas ſit immutabilis?

p. p. q. 15. m. 8. ALex. Al. reſp. quod veritas prima omnino eſt immutabilis, veritas autem, quæ eſt in creatura duplex eſt, vna quæ eſt in ea ratione eius, quod habet ſimilitudinem cum Deo, & hæc eſt immutabilis; altera quæ eſt adæquatio rei, & intellectus, & hæc cum fundetur in re eſt variabilis, ſicut res ipſa variabilis eſt.

q. 16. a. 8. D. Thomas reſp. quod veritas primi intellectus immutabilis eſt; tum quia in eo nulla poteſt eſſe alternatio opinionum; tum quia eius acceptionem nulla res poteſt ſubterfugere; veritas autem intellectus noſtri mutabilis eſt; tum quia ipſe de vna opinione poteſt mutari in alteram; tum quia res ipſa intellecta mutari poteſt, cum enim veritas ſit conformitas intellectus ad rem, talis conformitas, vel variari poteſt ex parte intellectus, vt cum de vna opinione mutatur in alteram, vel ex parte rei, vt cum res ipſa mutatur.

Reſolutio.

REſpondeo, quod ſicut dictum eſt, veritas eſt conceptio rei ſicuti eſt, quia ergo poteſt aliquando intellectus rem non concipere ſicuti eſt, talis conceptio poteſt etiam non eſſe, & ſic mutari, mutatione ſcilicet, quæ pura negatio eſt; in intellectu tamen diuino, quia non poteſt aliquando non eſſe, nec aliter ſe habere, immutabilis eſt.

Obiectio. Sed ſi ſemper eſt verum, quod homo eſt animal; & aliter non poteſt concipi, quam quod ſit animal?

Reſpondetur, quod veritas ſequitur conditionem rei, vnde res, quæ eſt immutabilis entitatis, ſi ſecundum quod eſt concipitur, eſt quoque ſempiternæ veritatis, & immutabilis; ſi verò eſt entitatis mutabilis, eius quoque conceptio mutabilis eſt; vt ſi concipiatur, quod Petrus ſedet, ipſo ſedente, veritas eſt, ipſo vero ſurgente, non eſt amplius veritas; quæ tamen mutatio non eſt ex parte veritatis, ſed rei, vel intellectus aliter rem concipientis, quam deberet concipere. Sortes ſedet, eo ſedente, vera eſt propoſitio (inquit D. Thomas) ſed eo ſurgente remanet prima veritas, mutatur autem ſecunda.

QVÆSITVM XVI.

An veritas ſit in Deo?

D. Thomas reſp. quod veritas inuenitur in intellectu, ſecundum quod intellectus apprehendit rem vt eſt, & ſimiliter inuenitur in re, ſecundum quod habet eſſe conforme intellectui; & quoniam eſſe Dei eſt maximè cõforme ſuo intellectui, immò eſt ipſum ſuum intelligere, ideo in eo eſt maximè veritas. p. p. q. 16. a. 4.

Henricus reſp. quod duplex eſt veritas rei, & ſigni, quæ quadruplex eſt, orationis, cogitationis, voluntatis, & actionis; & ſicut veritas ſigni tunc eſt, quãdo ſignum facit hoc quod facere debet, ſiue quod natura ſua requirit vt faciat, videlicet, quod faciat omne id, quod pertinet ad ſuam ſignificationem, ita veritas rei tunc eſt, quando res id exiſtit, quod natura ſua requirit, vt ſit, videlicet quod in ſe contineat omne id, quod ad naturam ſuam pertinet, & quiditatem; & quoniam Deus eſt ſummè id, quod natura ſua requirit, vt ſit; quia hoc eſt per ſuam eſſentiam, & non per participationem, ac proinde quod neceſſe eſt eſſe, ideo ratio veritatis Dei eſt perfectiſſimè in Deo. a. 34. q. 1.

Reſolutio.

REſpondeo, quod Deus eſt naturæ intellectualis, & cognoſcit omnia perfectiſſimè ſicuti ſunt, quia eis dat quod ſint, cum autem ſic res cognoſcere ſit habere veritatem, ſequitur quod in Deo ſit veritas.

Sed ſi veritas in compoſitione, & diuiſione intellectus conſiſtit? nulla autem compoſitio, aut diuiſio eſt in Deo. Obiectio.

Reſpondetur, quod Deus ſecundum ſuam ſimplicem intelligẽtiam iudicat de omnibus, & cognoſcit omnia complexa, etiam ſi nulla ſit compoſitio, aut diuiſio in eo. Ita D. Thomas.

QVÆSITVM XVII.

An veritas prima ſit omnium aliarum veritatum cauſa?

ALex. reſp. quod ſicut a prima eſſentia eſt omne quod eſt, inquantum eſt, & a prima bonitate omne, quod bonum eſt, inquantum bonum eſt; ita & a ſumma veritate, quæ prima eſt, eſt omne verum, inquantum verum eſt. p. p. q. 15. m. 9

Albertus reſp. quod ſicut bonum primum tr. 6.

q. 21. a. 2. eſt cauſa omnis boni, exemplar, efficiens & finis; ita verum primum, ſiue veritas cauſa eſt omnis veri, & efficiens, & formalis, & finalis.

d. 19. q. 51. a. 2. D. Thomas reſp. quod prima veritas, quæ eſt veritas diuina, eſt cauſa omnium veritatũ efficiens, & exemplaris; ratio enim veritatis in duobus conſiſtit, in eſſe rei, & in apprehenſione virtutis cognoſcitiuæ proportionata ad eſſe rei, & vtrumque horum reducitur in veritatem primam, ſicut in cauſam efficientem, & exemplarem.

p. 3. a. 3. Petrus Aur reſp. quod Deus eſt pura veritas, & menſura omnis alterius veritatis, ex quo enim Deus eſt tota entitas ſubſiſtens, a quo omnis entitas exaratur, & tranſcribitur, neceſſe eſt vt omnes quiditates intantum ſint veræ quiditates, inquantum aſſequuntur ſimilitudinem totius quiditatiuæ entitatis eminẽter ſubſiſtentis, quæ Deus eſt.

Reſolutio.

RESpondeo, quod veritas prima ſimpliciter, & abſolutè loquendo eſt conceptio diuini eſſe ſecundum quod eſt, licet ergo eſſe diuinum ſit cauſa omnium rerum, & quod res etiam ſint veræ, quia ſunt eius conceptio, nec eſt cauſa rerum, nec quod res ſint veræ; nõ enim quia eſſe diuinum concipitur vt eſt, homo eſt animal, aut lapis eſt ſubſtantia, aut homo concipitur eſſe ſicuti eſt, aut lapis.

Obiectio. Sed ſi a primo ſunt omnia, quæ ſunt illius generis?

Reſpondetur, quod a primo ſunt omnia, quæ ſunt illius generis ſecundum quendam ordinem, & etiam dependentiam, non autem ſecundum efficientiam, & cauſalitatem; & ſic a prima veritate, quæ eſt conceptio diuini eſſe ordinem habent, & dependentiam reliquæ veritates, ſed non efficientiam, & cauſalitatem.

QVAESITVM XVIII.

An falſitas ſit in rebus, an verò in intellectu.

p. p. q. 18. m. 2. ALex. reſp. quod veritas eſt lux intellectus, falſitas autem tenebræ; ſicut ergo lux eſt principium cognoſcendi lucem, & tenebras, & tamen tenebræ non ſunt in luce, ita veritas eſt principium cognoſcendi falſitatem, non tamen ipſa falſitas eſt in intellectu.

tr. 6 q. 25. Albertus reſp. quod falſitas eſt in re, in ratione, in homine; in homine ſecundum affectum; in re ſecundum exiſtentiam, & apparentiam; in oratione, vt quando diffinitio datur per extranea, non eſſentialia.

q. 17. a. 1. D. Thomas reſp. quod veritas, & falſitas opponuntur ad inuicem; cum autem oppoſita apta nata ſint fieri circa idẽ, oportet quod in eis rebus, in quibus veritas inuenitur reperiri poſſit falſitas, vt in rebus, & in intellectu; non tamen in omnibus, & ſingulis rebus, in quibus inuenitur veritas, neceſſe eſt, vt reperiatur falſitas; quia nec in Deo eſſe poteſt, nec in intellectu primorum principiorum, nec per ſe in intellectu ſimplici, ſed tantum in intellectu componente, & diuidente, & tunc eſt, quando intellectus attribuit ei, cuius quiditatem intelligit aliquid, quod eam non conſequitur, vel aliquid quod ei opponitur.

Ludou. Molina reſp. quod in rebus comparatione illarum legum, & regularum, quas decens eſt Deum ipſum ſeruare in ſuis actionibus, vel permiſſionibus, quibus varios defectus, tam in hominibus quam in alijs cauſis naturalibus permittit, nihil poteſt habere rationem falſi; in operationibus autem, & effectibus ſecundarum cauſarum agentiũ per intellectum, ac voluntatem poteſt eſſe falſitas; tum comparatione regularum in ipſis exiſtentium, ſiue præceptionum artis, & prudentiæ; tum etiam comparatione præceptionum artis, & prudentiæ diuinæ, quibus Deus iudicat, & præſcribit modum, quem ſeruare deberent, vt operationes, & effectus earum tales eſſent, quales oportet; in effectibus item, & actionibus cauſarum merè naturalium poteſt eſſe falſitas, quando modum non ſeruant naturæ inditum, ac præſcriptum, vt quando generantur monſtra, comparatione tamen regularum artis, & cognitionis, quæ verſatur circa modum, quem ſeruare deberent, vt effectus eſſent, & actiones, quales oportet, quæ tamen regulæ non ſunt in ipſis, ſed in diuina mente. q. 1. 9.

Reſolutio.

REſpondeo, quod ſicut veritas non eſt aliud, quam rei conceptio ſicuti eſt, ita falſitas non eſt aliud, quam rei conceptio ſicuti non eſt; & ideo dicitur falli, cum quis hominem concipit eſſe lapidem, & non eſt lapis, & hæc conceptio quandoque exprimitur per actiones, ſeu geſtus, vocem, & huiuſmodi, hæc enim adaptari poſſunt ad oſtendendam talem conceptionem rei non ſicuti eſt. Eſt itaque in rebus fundamẽtaliter ſicuti veritas, quia enim homo non eſt aſinus, falſũ eſt dicere, quod homo eſt aſinus; in intellectu autem eſt formaliter, nam eſſe falſitatis eſt eſſe abſtractũ, in nulla autem potentia põt eſſe ali-

Digitized by Google

aliquid eſſe abſtractu, niſi in intellectu, & non quidem in intellectu ſimplici; nam non eſſe cuicunque termino addatur, habet rationem prædicati, & ex conſequenti pertinet ad ſecundam operationem intellectus, qui dicitur intellectus componens, aut diuidens.

Obiectio. Sed ſi omnis qui fallitur (inquit D. Aug. lib. 83. q.) non intelligit id, in quo fallitur? falſum autem dicitur eſſe in aliqua cognitione ſecundum quod per eam fallimur.

Reſpondetur, quod omnis qui fallitur non intelligit id, in quo fallitur, quia ſ. non reducit illud in quod quid eſt ſecundum operationem ſuam, quæ eſt circa quiditatem rei, poteſt tamen ſecundum aliquam aliam operationem falli.

DISTINCTIO VIGESIMA.

Nunc oſtendere reſtat, quomodo aliqua harũ perſonarum aliam non excellat, &c.

QVAESITVM I.

An perſonæ diuinæ ſint æquales in potentia?

d.20. q.1. D. Thomas reſp. quod potentia radicatur in eſſentia, & quoniam perſonæ diuinæ nullam habent diuerſitatem ſecundum eſſentiam, ita nec inæqualitatem ſecundum potentiam. Item Franc. a Chriſto.

d.20. q.1. D. Bonau. reſp. quod loquendo de potentia eſſentiali, quæ eſt reſpectu actus eſſentialis, ſiue productionis, perſonæ diuinæ ſecundum eam inter ſe ſunt æquales, non ſolum inquantum vna non poteſt in plura, quam altera, ſed etiam quia nec magis; & ratio eſt, quia eandem naturam habent æquè nobilem, ac excellentem, eandem operationem, quælibet poteſt in infinita, & ſuper ea, quæ in infinitum diſtant, vt entia, & non entia, quælibet eſt omnipotens, & nihil eſt, quod cuiuſuis earum poſſit potentiam retardare.

d.20. p.3. Aegidius reſp. quod æqualitas in diuinis ſumitur ſecundum quantitatem virtutis, & hæc virtus, vt habet reſpectum ad operari dicitur potentia, & quoniam eandem virtutem operandi, quam habet vna diuina perſona, habet etiam altera, quia indiuiſa ſunt opera trinitatis; idcirco inter ſe ſecundum potentiam ſunt æquales.

q.1. Ricardus reſp. quod tres perſonæ diuinæ ſunt æquales in potentia, & quantum ad extenſionem poſſibilium, quæ poſſe eſt poſſe reſpectu cuiuſlibet perſonæ, & quantum ad intenſionem vigoris potentiæ, & ratio ea eſt, quia eadem eſt potentia in tribus perſonis, & æquè nobiliter, & perfectè.

Henricus reſp. quod omnipotens componitur ex omni, & potens per apocopen dicendo pro omnium omni, & eſt ly omne omnis generis, & inquantum eſt neutri generis eſt idem omnipotens, quod potens omnia, hoc eſt, habens potentiam agendi, quodcunque eſt aliquid abſolutum in rerum natura, inquantum verò eſt maſculini generis, idem eſt omnipotens, quod potens omnem, hoc eſt, habens potentiam agendi quemcunque qui eſt aliquis in ſuppoſito, ſiue abſoluto, ſiue reſpectiuo; inquantum verò ſumitur communiter, vt eſt omnis generis, idem eſt omnipotens, quod potens omnem, & omne, id eſt, habens potentiam agendi quemcunque, & quodcunque; primò modo eſt æquè omnipotens Pater Filius, & Spiritus ſanctus; ſecundò modo eſt æquè omnipotens Pater, Filius, & Spiritus ſanctus quantum ad ſuppoſita abſoluta in creaturis, non in diuinis; tertiò modo ſolus Pater eſt omnipotens. a.38. q.1.

Ioannes Scotus reſp. quod perſonæ diuinæ ſunt æquales in potentia, & quantum ad omnia poſſibilia, quia habent eandem rationem principij extenſiuè, & intenſiuè, & quantum etiam ad actus notionales, licet iſta æqualitas non ſit ad idem; nam in Patre eſt ad generare, in Filio verò ad generari, ſicut non eſt ad idem æqualitas, quæ ponitur in colore, & ſapore, vnius ad immutandum viſum, & alterius, ad immutandum guſtum. Item Ioan. Vigerius, & Paulus Scriptor. d.20. q.vn.

Guilelmus Occham reſp. quod perſonæ diuinæ ſunt æquales in potentia, quia quicquid poteſt vna perſona, poteſt etiam alia; potentia enim ſumitur penes obiecta factibilia ad extra, ſecundum ſenſum, quo tractant ſancti hoc quæſitum. q.vn.

Gregorius reſp. quod ſenſus huius quæſiti eſt duplex, vnus eſt. An diuinæ perſonæ ſint æquales in entitate illa, quæ eſt potentia; alter eſt; an poſſint æquales effectus producere ſic, quod vna non poſſit maiorem effectum, aut facilius, vel velocius, aut alio modo perfectiori producere, quam alia, & ſecundum vtrumque ſenſum diuinæ perſonæ inter ſe ſunt æquales; ſecundum primum, quia ſunt vna numero ſimplex entitas, & in nulla earum eſt aliqua entitas diſtincta a cõmuni eſſentia; ſecundum alterum, quia quælibet illarum eſt omnipotens, ſicut teſtantur ſcripturæ. d.19. q.2.

Guilelm. Rub. reſp. quod extendendo poten- d.20.

rentiam ad potentiam generatiuam, ſpiratiuam, & creatiuam, perſonæ diuinæ non ſunt æquales in potentia, immo inæquales, ſine tamen imperfectione alicuius earum; vocando autem potentiam, ſicut communiter vocant ſancti ſolam potentiam creatiuam rei poſſibilis productiuam, ſic omnes perſonæ ſunt æquales totaliter in potentia ſic accepta.

d.20. Nicolaus de Orbellis reſp. quod diuinæ perſonæ ſunt æquales in potentia, quia habent eandem rationem principij ad omnia alia ab eſſentia diuina, & quantum ad extenſionem poſſibilium extra; & quantum ad intenſionem, cum illud ſecundum eandem magnitudinem ſit in eis.

q.23. a.1. pr.3 Marſilius reſp. quod omnem potentiam, quam habet Pater, etiam Filius habet, & Spiritus ſanctus, eſt enim vna omnipotentia trium, quia vnus omnipotens.

q.vn. Ioan. de Baſſolis reſp. quod perſonæ diuinæ ſunt æquales in potentia intenſiuè, quia habent vnam, & eandem eſſentiam, & perfectiſſimè, in qua ſunt æquales; & ſimiliter extenſiuè, itaquod in quodcunque obiectum poſſibile poteſt vna perſona, & alia poteſt, potentia enim eſt prior ordine naturę in quolibet diuino ſuppoſito, omni producibili, vel cauſabili ab eo.

d.19. q.2. Laur. Opim. reſp. quod tanta eſt diuinarum perſonarum æqualitas quoad potētiam, quanta eſt identitas illarum quoad eſſentiam; primò, quia æqualitas potentiæ eſt ſumma æqualitas, cum quælibet perſona ſit ſummè potens, nihil autem eſt ſummum in diuinis, niſi eſſentia; ſecundò, quia poſſe eſſentiale eſt omnipotens poſſe, hoc autem eſt idem quod vnica, & ſimplex eſſentia; tertiò, quia gradus intrinſecus diuinæ potentiæ eſt gradus eſſentiæ; quantum igitur cuilibet perſonæ correſpondet gradus eſſentiæ, tantum correſpondet gradus potentiæ.

tr.1 pr.2 q.1. Nicol. de Niſſe reſp. quod ideo perſonæ diuinæ ſunt æquales in potentia, quia quicquid poteſt vna circa poſſibile propriè dictum, videlicet circa creaturas, poteſt, & alia; prius enim communicatur huiuſmodi potentia tribus, quam poſſit habere actum circa creaturas, & ratio eſt, quia talis potentia eſt in perſonis neceſſariò, reſpicit autem creaturas contingenter; eſt autem neceſſarium prius contingente.

d.20. a.2. Guilelmus Varill. reſp. quod omnipotentia Dei dicitur reſpectu creaturarum poſſibilium tantum, & cum prius natura ſint tres perſonæ, quam principium productiuum per omnipotentiam producat creaturas, ſequitur quod omnipotentia æqualiter eſt in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto.

Guilel. Eſtius reſp. quod quæcunque probant Filium, & Spiritum ſanctum eſſe vnum verum Deum Patri conſubſtantialem, eadem certiſſimè oſtendunt eos Patri, tam quoad potentiam, quam quoad cæteras perfectiones, eſſe æquales. *d.20. §.1.*

Ludou. Mol. reſp. quod potentia ſequitur eſſentiam, & naturam, & ideo vbi eſt eadem numero eſſentia, & natura, & potentia ortum non habet ab eſſentia media aliqua diſpoſitione, vt in diuinis perſonis cernitur, eſt etiam eadem numero potentia; & quoniam omnes diuinæ perſonæ habent eandem numero eſſentiam, & naturam; conſequens etiam eſt, vt habeant eandem, æqualemque potentiam. *q.42. a.6. diſp.2*

Greg. de Val. reſp. quod nomine omnipotentiæ in diuinis communiter intelligitur attributum quodā abſolutū, ſecūdū quod perſonæ dicuntur æquales, immò eiuſdē potentiæ. *diſp.2 q.16. p.2.*

Franc. Suarez reſp. quod Filius, & Spiritus ſanctus ſunt æquè omnipotentes, ac Pater, non ſolum quia habent æqualem eſſentiam, quæ eſt ipſa omnipotentia, ſed etiam quia in quolibet eorum eſt conditio neceſſaria ad omnes actiones; cum ad hoc, quod talis potentia ſuum actum exerceat, non indigeat relatione, vel ſaltem non determinata. *de tr. lib.3. c.10.*

Reſolutio.

RESpondeo, quod potentia diuinarum perſonarum non diſtinguitur ab earum virtute, virtus autem non diſtinguitur ab earum eſſentia; cum itaque vna ſit eſſentia, eſt etiam vna virtus, & ex conſequenti vna potentia; vna ergo ſimpliciter exiſtens in ſingulis non magis ſe extendit in vna, quam in altera, quod eſſet argumentum inæqualitatis.

Sed ſi Filius, & Spiritus ſanctus accipiunt potentiam a Patre, Pater verò habet eam a ſe? recipiens autem potentiam ab alio, non eſt æquè potens, ſicut ille, a quo recipit, & habet eam a ſe. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod recipiens potentiam ab alio non eſt æquè potens, ſicut ille, a quo recipit, quando eſt aliquis defectus, vel ex parte dantis, vt cum virtus eius eſt deficiens a communicatione ſuæ ſimilitudinis, vel ex parte recipientis, vt cum non eſt proportionatus ad recipiendum totum, quod agens influere poteſt; vel ex parte rei receptæ (addit Aegidius) in diuinis autem cum vna, & eadem ſit omnium perſonarum virtus, nullus poteſt eſſe defectus. Ita D. Thomas.

QVAE-

Digitized by Google

QVÆSITVM II.

An ex hoc, quod Filius, & Spiritus ſanctus non poſſunt generare, ſicut Pater, poſſint dici non eſſe omnipotentes, ſicut ipſe, ac proinde non eſſe æquales ei in potentia?

q.21. m.1. a.3. ALex. reſp. quod generare non continetur ſub omnipotentia in Patre, vnde non pertinet ad omnipotentiam ſimpliciter, niſi ad omnipotentiam in Patre, & ita licet Filius, & Spiritus ſanctus, non generent, nihilominus ſunt omnipotentes, ſicut ipſe, quia poſſunt res de nihilo facere, quæ eſt ſumma, & propriiſſima ratio omnipotentiæ.

d.20. a.5. Albertus reſp. quod poſſe generare eſt aliquid poſſe, & ad aliquid poſſe, ſi ſumitur per comparationem ad id, in quo radicatur, tunc eſt aliquid poſſe, & eſt vnum in tribus, licet non ad idem in ſingulis; ſi autem ſumitur ſecundum coniunctionem ad actum, tunc nō eſt aliquid poſſe, ſed ad aliquid poſſe, & ſic ineſt tantum Patri, ex quo non tollitur, quin Filius ſit eiuſdem omnipotentiæ cum eo.

Et diſt.7.ar.3. omnipotētia attenditur reſpectu eorum, quæ extra ſunt; quod ponit etiam Marſilius in reſpondendo ad quæſitum.

d.20. q.1. D. Thomas reſp. quod generare eſt relatio, quæ licet quantum ad eſſe ſit diuina eſſentia, nam omne eſſe in diuinis eſt eſſentiæ, ſecundum rationem tamen, per quam habet diſtinguere, nō dicit aliquid, ſed ad aliquid, & ideo nō ſequitur, quod quamuis Pater poſſit generare, & non Filius, & Spiritus ſanctus, dicatur tamen Pater aliquid poſſe, quod non poſſit Filius, aut Spiritus ſanctus.

p.p q.42. a.6. Et iterum reſp. quod eadem eſt potentia, qua Pater generat, & Filius generatur, licet ſit cum alia relatione in vno, & cum alia in altero, nam in Patre eſt, vt in dante eam, in Filio verò, vt in accipiente; licet ergo non generet Filius, non per hoc ſecundum potentiam eſt inferior Patre.

d.20. pr.1. q.2. Ægidius reſp. quod propriè dicitur omnipotens illud agens, quod omnia poteſt; quæ habent rationem entis, & quoniam contradictoria a ratione entis ſunt remota, eo quod ſimul eſſe non poſſunt, idcirco non per hoc ab aliquo tollitur omnipotentia, quod non poſſit, quæ implicant contradictionem, & quoniam generare in Filio contradictionem implicat, & non in Patre, quia Filius non poteſt eſſe Pater, ideo ex hoc quod Filius non poſſit generare, ſicut Pater, non poteſt dici, quod non ſit omnipotens, ſicut ipſe; econtrà tamen, ſi Pater generare non poſſet, non poſſet dici omnipotens, quoniam in Patre poſſe generare non implicat, ſicut in Filio. Poſſe ergo generare pertinet ad omnipotētiam Patris, non Filij, & idcirco non directè, ac ſimpliciter, ſed indirectè, & quaſi ex conſequenti ſub omnipotentia continetur.

a.vn. q.1. Ricardus reſp. quod poſſe generare in Filio non eſt poſſe, ſicut in Patre, alioquin non eſſet perfectè Filius; & ideo non ſequitur quod ſi generare non poſſit, non ſit omnipotens ſicut Pater, ſequeretur autē ſi aliquid poſſet, quod eſſet poſſe in eo.

1.58. q.1. Henricus reſp. quod poſſe quid, quod eſt agere, & operari, quod eſt abſolutum quid, ſic comprehenditur ſub omnipotentia; poſſe autem ad aliquid, vt actionem relatiuam, vel ſuppoſitum relatiuum, non; potentia enim ad actus notionales eſt quaſi medium inter pure notionalia, & eſſentialia, in eo quod eſt eſſentiale tractū ad notionale; ad actus verò eſſentiales computatur inter eſſentialia.

d.20. q.vn. Ioannes Scotus reſp. quod omnipotentia ſumitur reſpectu eorum, quæ ſunt poſſibilia, & non reſpectu eorum, quæ ex ſe ſunt neceſſaria; eſt enim correlatiuum potentiæ actiuæ poſſibile, vt poſſibile opponitur neceſſario ex ſe, & quoniam potentia generandi in diuinis non eſt alicuius poſſibilis, quia omne quod eſt in diuinis eſt ex ſe neceſſarium, ideo potentia generandi non cadit ſub omnipotentia Patris, neque ſub omnipotentia Filij, & ideo quod non poſſit generare Filius, ſicut Pater, non per hoc poteſt dici, quod non ſit omnipotens, ſicut ipſe. Item Ant. Andreas Nicol. de Niiſe, & Guil. Varrill.

d.20. q.vn. Herueus reſp. quod Filius, & Spiritus ſanctus, licet non poſſint generare, ſicut Pater, habent tamen eandem potentiam generandi, quam Pater, nam talis potentia non eſt relatio, nec relationem includit intrinſecè, ſed eſt eſſentia diuina, quæ poteſt in omne id, quod habet rationem poſſibilis, & producibilis, & quoniam hanc habent æqualiter omnes diuinæ perſonæ, ideo & æqualem habent potentiam, licet tamen cum alia, & alia relatione, propter quam Pater generat, non Filius, & Spiritus ſanctus.

q.1. Durandus reſp. quod potentia generandi in diuinis non eſt verè, & propriè potentia actiua, nam potentia verè, & propriè actiua, vt habetur ab Ariſt. 3. Meth. eſt productiua, vel tranſmutatiua eius, quod eſt verè aliud, aut alterum, nihil autem eſt in diuinis, quod ſit verè aliud, aut alterum; ergo non cadit

ſub

Digitized by Google

ſub omnipotentia, quæ eſt verè & propriè actiua, propterea ſi Filius, & Spiritus ſanctus non habent hanc potentiam, nõ tamen ſequitur quod non ſint omnipotentes, ſicut ipſe.

d.22. a.3. Petrus Aur. reſp. quod potentia poteſt accipi tripliciter; pro potentia productiua, ſicut dicimus, quod ignis poteſt calefacere; pro potentia receptiua, ſicut dicimus, quod aer poteſt infrigidari; & pro potentia entitatiua, ſicut dicimus, quod homo poteſt eſſe animal; cum ergo Deus dicitur omnipotens; non ſumitur omnipotentia pro potentia entitatiua, quia ſic poſſet eſſe omnia, nec pro potentia receptiua, quia ſic poſſet eſſe ſubſtantia omnium, ſed pro potentia productiua, quia ſic poteſt producere omnia producibilia, & quoniam potentia generandi in diuinis eſt potentia entitatiua, non enim eſt ad agere, ſed ad eſſe .ſ. ad eſſe Pater; propterea non comprehenditur ſub omnipotentia quæ eſt potentia productiua, vnde ſi Filius non poteſt generare, non per hoc dici poteſt, quod non ſit omnipotens, ſicut Pater.

q.2. Franc. Maro reſp. quod ſi accipiatur potentia communiſſimè reſpectu omnis poſſibilis, vt diſtinguitur poſſibile, contra impoſſibile, ſic potentia generandi cadit ſub omnipotentia; ſi verò accipiatur poſſibile, vt diſtinguitur contra neceſſarium, ſic non cadit; & iſto modo accipiunt eam doctores ſancti, & communiter Theologi, & ideo ſi Filius non poteſt generare, ſicut Pater, non tamen ſequitur, quod nõ ſit omnipotens, ſicut ille. Item Nicolaus de Orbellis.

d.20. q.vn. Guilel. Occham reſp. quod ſancti diſputantes de potentia Dei ipſam accipiunt penes obiecta factibilia ad extra, & quoniam potentia generandi non eſt circa tale obiectum, ideo non eſt potentia, & conſequenter non cadit ſub omnipotentia.

a.1. Thomas ab Arg. reſp. quod licet in Filio non ſit potentia generandi quantum ad ſuum conſignificatum, ſeu connotatum, quia non eſt cum reſpectu ad generare, eſt tamen quantum ad ſuum principale ſignificatum, & ideo cum potentia hæc generandi ſit perfectiſſima potentia, & non minus habeat rationem potentiæ, quam potentia creandi, continetur ſub omnipotentia eius, propterea quamuis generare non poſſit, ſicut Pater, non tamen ſequitur quod non ſit omnipotens, ſicut Pater, eandem enim potentiam habet, quam habet Pater, licet non cum eodem reſpectu, idest non vt prorumpentem in actum generationis, quod eſt poſſe generare, ſicut habet Pater.

Gerardus reſp. quod potentia generandi cadit ſub omnipotentia Patris, alioquin Pater inquantum omnipotens non haberet potentiam infinitam, cum enim generatio Filij ſit poſſibilis, non ſe extenderet ad omne illud, quod eſt poſſibile; non tamen cadit ſub omnipotentia Filij, quia Filium generare aliũ Filiũ in diuinis repugnat ei, & eſt ſimpliciter impoſſibile, quod autem eſt huiuſmodi non cadit ſub aliqua potentia. d.10. q.1. a.1.

Guilelm Rub. reſp. quod hæc quæſtio eſt magis verbalis, & de ſignificato vocis, quam de re; igitur ſi quis vellet vocare omnipotens ſolum illud, quod poteſt in omne producibile abſolutè, & vniuerſaliter ſumptum, dicendum ei eſſet, quod ſolus Pater eſt omnipotens, non Filius, cum non poſſit generare, nec Spiritus ſanctus, cum non poſſit generare, nec ſpirare, & ſic potentia generandi, & ſpirandi, caderet ſub omnipotentia; ſi autem vellet vocare omnipotens præciſè illud, quod poteſt in omne poſſibile diuiſum contra impoſſibile, dicendum ei eſſet, quod omnipotens eſt impoſſibile, nec aliqua perſona diuina eſt omnipotens, cum nulla poſſit producere omne poſſibile ſic acceptũ; ſi autem vellet vocare omnipotens illud, quod poteſt in omne poſſibile diuiſum contra ens neceſſarium modo quo accipitur a ſanctis omnipotens, & omnipotentia, ſic dicendum eſſet ei, quod omnes perſonæ ſunt omnipotentes, nec potentia generandi, aut ſpirandi continetur ſub omnipotentia ſic accepta. d.20. q.2.

Alphonſus reſp. quod ſi Filius generare non poteſt non contingit propter aliquem defectum potentiæ, quaſi non habeat eam ad generandum ſicut Pater, ſed quia non eſt coniuncta eidem reſpectui, ſicut in Patre, vnde per hoc, quod generare non poſſit, non ſequitur, quod non ſit omnipotens ſicut Pater. Item Franc. a Chriſto. d.19. q.2.

Ioan. Bacc. reſp. quod nulla perſona diuina ſub præciſa ratione ſuæ perſonalitatis eſt omnipotens omnipotentia abſolutè dicta, quæ eſt reſpectu omnis poſſibilis, cui in toto ambitu entis non repugnat produci, vel fieri; eſt enim omnipotentia vnum ex attributis, nullum autem attributum conuenit alicui perſonæ ſub ratione præciſa ſuæ perſonalitatis, ſed deitatis, vel eſſentiæ; vnde Pater ſub ratione præciſa ſuæ paternitatis, & per ſe ſolum non poteſt producere, Spiritum ſanctum, aut mundum creare, nec ſimiliter Filius ſub ratione præciſa filiationis; eſt tamen quælibet omnipotens omnipotentia ſibi d.20. q.vn.

Digitized by Google

bi debita, quæ eſt reſpectu eorum, quæ nullã in ea repugnãtiã dicũt; propterea licet Filius generare nõ poſſit, ſicut Pater, cũ hoc ſibi repugnet, non eſt tamen dicẽdum, quod non ſit omnipotens, ſicut ipſe, quia omnipotentia ſibi debita poteſt in omne illud, quod poteſt Pater.

d.20. q.vn. Ioannes de Baſſ. reſp. quod omnipotentia eſt potentia cauſatiua, & per conſequens nõ eſt, niſi reſpectu contingenter poſſibilis eſſe, & obiectum eius differt eſſentialiter ab ipſa, ſicut cauſatum, vel cauſabile a cauſa extrinſeca; cum autem omne intrinſecum reale Deo ſit neceſſe eſſe, non diſtinctũ eſſentialiter ab omnipotẽtia Dei, nihil intrinſecum Deo, vt generare, eſt obiectum omnipotentię, ac proinde ad eam non pertinet potentia generandi.

q.2. Laur. Opim. reſp. quod ſolum poſſe in diuinis eſſentiale eſt omnipotens, quia ſoli huic poſſe correſpondet ratio cauſalis ad extra; & ideo nullum poſſe productiuum notionale poteſt eſſe omnipotens, cum nulla ei correſpondeat ratio cauſalis ad extra.

q.42. a.6. diſp.1 Ludou. Molina reſp. quod licet Filius non poſſit producere Filium, vt poteſt Pater, & in Filio non ſit potentia ad generandum, vt eſt in Patre; attamen in Filio eſt id, quod in Patre eſt potentia ad generandum, ſine conditione tamen, ſine qua non habet, vt ſit vis generans, & quia negatio talis conditionis nihil virtutis tollit in Filio, neque dicit aliquam imperfectionem, ſicut nec conditio oppoſita ponit aliquid virtutis, aut perfectionem in Patre, ideo ex hoc, quod in Filio non ſit potentia generandi non ſequitur, quod ſit inæqualis Patri in potentia; quod idem intelligitur de Spiritu ſancto, ex hoc quod nõ habeat potentiam generandi, nec ſpirandi.

q.16. diſp.2 p.2. Greg. de Val. reſp. quod quamuis Pater habeat potentiã generandi notionalem, non propterea Filius eſt inæqualis potentiæ, communicat enim in eſſentia, atque adeo in potentia abſoluta, quicquid perfectionis eſt in potentia notionali Patris.

li. 4. de tr. c.10. Franc. Suarez reſp. quod illa diſtributio, quam indicat particula omni, non eſt ita ſumenda, vt cadat in ipſam potentiam, ac ſi diceretur omnipotentia; ſed ita vt cadat in obiectum potentiæ, ita vt ſit ad omne poſſibile, & factibile; ſub hac ergo omnipotentia non includitur potentia productiua ad intra; quæ eſt longè diuerſæ rationis ab ipſa potentia productiua ad extra.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod omnipotentia non eſt aliud, quam diuina virtus ſe extendens ad omnia poſſibilia, quæ nullam tamen repugnantiam dicunt ad diuinum eſſe, ad diuinã naturam, ad diuinas perſonas; & propterea quod Deus non poſſit creare alium Deum, aut nõ poſſit ſeipſum anihilare, & huiuſmodi, non ex hoc ſequitur quod nõ ſit omnipotens, ſicut eſt omnipotens, potens omnia alia creare, & anihilare, creare enim alium Deum, & ſemetipſũ anihilare eſt omnino impoſſibile, nec ſimiliter quod non poſſit currere, volare, & alia ſimilia facere, quæ creaturæ faciunt, quia hæc omnia dicunt repugnantiam ad diuinum ſuum eſſe, ad diuinam naturam, quę eſt omnino aliena ab his; eodem modo igitur eſt dicendum, quod etiam ſi Filius, & Spiritus ſanctus generare non poſſint, ſicut Pater; non tamen ex hoc ſequitur, quod non ſint omnipotentes, ſicut ipſe, cum omnia alia poſſibilia poſſint, quia hoc repugnat eorum perſonis: generare enim in diuinis non eſt aliud, quam eſſe Pater, eſſe autem Pater Filio, & Spiritui ſancto repugnat, ſicut & diuino eſſe, quod eſt eſſe in tribus diſtinctis perſonis, Patre, Filio, & Spiritu ſancto, Patre generante, Filio genito, & ſpirante, Spiritu ſancto ſpirato.

Sed ſi (inquit D. Aug.) quod ſi Pater non potuit generare Filium ſibi æqualem non eſſet omnipotens? ergo nec eſt omnipotens Filius, ſi idem non poteſt. Obiectio.

Reſpondetur, quod vtique Pater ſi non potuit generare Filium ſibi æqualem nõ eſſet omnipotens, quia generare Filium ſibi æqualem Patri nullam dicit repugnantiam, neque ad eſſe, neque ad naturam, neque ad perſonã; diceret autem repugnantiam Filio, & ideo quod non poſſit generare nullam arguit potentiam in eo, aut inæqualitatem potentiæ cum Patre.

DISTINCTIO VIGESIMA PRIMA.

Hic oritur quæſtio trahens originem ex prædictis, dictum eſt enim &c.

QVAESITVM I.

An hæc dictio excluſiua ſolus poſſit ſumi cum terminis eſſentialibus, vel notionalibus in propoſitionibus de diuinis?

D. Thomas reſp. quod ſi hæc dictio ſolus cathegorematicè accipiatur, nullo modo poteſt poni cũ aliquo termino in diuinis, ſic enim ſolitudinem importat, quæ nulla eſt in eis; ſi vero ſyncatho- p.p. q.31. a.3.

goreматicè, nihil prohibet ipſam poni cum aliquo termino eſſentiali in diuinis, ſic enim excludit omne aliud ſuppoſitum a conſortio prædicati, vt ſi dicatur ſolus Deus eſt æternus, cum nihil præter Deum ſit æternum.

a.75. q.5. Henricus reſp. quod ly ſolus dicit remotionem aſſociationis alterius ab eo, cuius eſt determinatio, & quoniam tam ab eſſentialibus, quam a notionalibus verè aliqua remouentur ab eorum aſſociatione, idcirco hæc dictio ſolus, & eſſentialibus, & notionalibus addi poteſt.

d.21. Petrus Aur. reſp. quod in diuinis eſt aliquis actus, qui ſic competit vni perſonæ, quod non competit alteri, vt generare; & quoniam tales actus conuenientes vni perſonæ, & non alteri poſſunt notificari per dictionem excluſiuam; ideo ipſa dictio excluſiua poteſt ſumi cum aliquo termino notionali in diuinis.

d.21. ar.2. Guilel. Varrill. reſp. quod dictio excluſiua termino ſubijcibili reſpectu prædicati tam communis, quam proprij in diuinis admittitur; quia reddit locutionem veram, vt dicendo ſolus Deus eſt infinitus, ſolus Filius gignitur.

q.vn. Franc. a Chriſto reſp. quod dictio excluſiua ſincathegorematicè ſumpta poteſt adiungi termino eſſentiali, tam reſpectu prædicati eſſentialis, quam perſonalis, nam omnia alia a Deo poſſunt excludi a cõſortio talis prædicati; adiuncta vero termino perſonali reſpectu termini communis, ſiue eſſentialis, quamuis faciat locutionem de rigore falſam, ſi piè tamen interpretatur, eſt vera.

§.1. Guilel. Eſtius reſp. quod hæc dictio ſolus, vt ſolitarium ſignificat non admittitur in diuinis; quod ſi tamen ex parte attributi aliam partem adiunctam habeat, tunc non ſolitudinem ſignificat, ſed remouet ab attributo omnem rem a ſubiecto diuerſam; & ſic admittitur.

q.31. a.3. Ludou. Mol. reſp. quod hæc dictio ſolus ſumpta cathegorematicè non poteſt addi termino eſſentiali, nec perſonali, ſumpta autem ſyncathegorematicè, ita vt efficiat propoſitionem excluſiuam, addi poteſt.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod hæc dictio excluſiua, ſolus, vel tantum, habet officium excludendi a participatione prædicati, quodcunque ſubiectum incompoſſibile ſubiecto, cum quo ponitur, & quodcunque prædicatum a ſubiecto, de quo dicitur incompoſſibile ei; & quoniam quam plurima ſunt incompoſſibilia diuinæ eſſentiæ, & cuilibet perſonæ diuinæ, & prædicatis earum, ideo ad hæc excludenda poteſt poni cum terminis eſſentialibus, & notionalibus in propoſitionibus de eis, & ſic poteſt dici ſolus Deus creat ad excludendam quamcunque aliam creaturam, Deus eſt tantum ſpiritus ad excludendum corpus, ſolus Pater generat ad excludendum Filium, & Spiritum ſanctum. *Obiectio.*

Sed ſi hęc dictio, ſolus, ſemper ſolitudinem importat? in diuinis autem non eſt ſolitudo.

Reſpondetur, quod in diuinis non eſt ſolitudo quoad eſſe, eſt tamen ſolitudo reſpectu propriæ ſuæ operationis, tam quoad eſſentialia, quam quoad notionalia, & etiam reſpectu propriæ ſuæ naturæ. Ita D. Thomas.

QVÆSITVM II.

An hæc propoſitio ſit concedenda vt vera in diuinis, ſolus Pater eſt?

D. Thomas reſp. quod ſi per hanc dictionem ſolus intelligatur fieri excluſio alius maſculinè, falſa eſt propoſitio, ſolus Pater eſt, quia ſic excluditur Filius, qui eſt alius a Patre, ſi verò intelligatur fieri excluſio alius neutraliter, eſt vera, quia ſic non excluditur Filius, ſed aliud, quod in diuinis non eſt, non enim eſt aliud in diuinis a Patre, quod ſit. d.21. q.2.

Petrus Aureolus reſp. quod ſicut contingit intelligere, ſiue vera, ſiue falſa ſit intellectio, quod vnum relatiuorum excluditur ab alio, contingit etiam hoc idem per dictionem excluſiuam ſignificare, vnde Ariſt. 1. Phyſic. ſi tantum (inquit) principium eſt, non eſt principiatum; & 1. Elencorum ſolus eſt, qui non eſt cum alio; cum ergo Filius ſit alius a Patre, ſequitur, quod ſi eſt vera propoſitio, ſolus Pater eſt, quod Filius non eſt. d.21. n.3.

Gerardus reſp. quod iſta dictio ſolus, ſi tenetur cathegorematicè, ita quod addatur alicui perſonæ diuinæ abſolutè ſumptæ, & non in ordine ad aliquod prædicatum, ſic facit ſenſum falſum, & ſic iſta propoſitio non eſt concedenda, vt vera, ſolus Pater eſt. q.vn. c.2.

Marſilius reſp. quod relatiuum ſumptum cum dictione excluſiua excluſiuè tenta excludente formaliter, habens correlatiuum nõ ſupponens ſecum pro eodem ſuppoſito excludit ratione dictionis excluſiuæ ſuppoſitum correlatiuum; ſi ergo ſolus Pater eſt, nullus alius a Patre eſt, neque Filius, quod eſt falſum. q.24. pr.2

Re-

Reſolutio.

REſpondeo, quod in hac propoſitione ſolus Pater eſt, hæc dictio ſolus, cum ſumatur a parte ſubiecti excludit quodcunque aliud a participatione prædicati, quod eſt eſſe, & ſic excludit Filium ab eſſe; & quoniam implicat vnum relatiuorum eſſe, & non alterum, ideo huiuſmodi propoſitio, ſolus Pater eſt, nedum neganda eſt, quia falſa, ſed etiam negligenda, quia implicat.

Obiectio. Sed ſi vnum relatiuorum eſt de intellectu alterius?

Reſpondetur, quod vnum relatiuorum eſt de intellectu alterius non primario, ſed ſecundario, & ideo poteſt excludi per dictionem excluſiuam additam alteri, dictio enim excluſiua non excludit illud, quod eſt de primario intellectu rei, cui additur, ſed ſecundario. Ita Ægidius, & Argentina. Et Durandus licet (inquit) vnum relatiuorum ſit de intellectu alterius, quia tamen non facit vnum cum eo, nec per eſſentiam, nec per inhærentiam, ideo non ſequitur quod dictio excluſiua addita vni non excludat reliquum.

QVÆSITVM III.

An hæc propoſitio ſit concedenda vt vera, ſolus Pater in diuinis eſt Deus?

d.21. a.2. ALbertus reſp. quod ſi excluſiua feratur ad ſubiectum in comparatione ad prædicatum, tunc locutio eſt falſa, quia ſic excludit alias perſonas a participatione prædicati; ſi verò ſiſtat in ſubiecto abſolutè, vel poteſt notare implicationem ſolitudinis circa Patrem, & ſic etiam eſt falſa, vel poteſt notare excluſionem aliarum perſonarum a participatione formæ ſubiecti, & ſic eſt vera.

d.21. q.1. a.2. D. Thomas reſp. quod dictio excluſiua in hac propoſitione, ſolus Pater eſt Deus, poteſt facere triplicem ſenſum, vel quod implicet ſolitudinem, & ſic non eſt propoſitio concedenda, quia nihil eſt ſolitarium in diuinis, vel quod excludat a forma ſubiecti, & ſic concedi poteſt propoſitio, quia facit hunc ſenſum, quod ille, qui eſt Pater, præter quem nullus alius eſt Pater, eſt Deus, vel quod excludat a forma prædicati; & ſic cum diſtinctione loquendum eſt, vel quod excludat quodcunque aliud neutraliter, vel quemcunque alium maſculinè; primo modo concedi poteſt, quia hunc ſenſum habet, quod non ſit aliud a Patre, quod non ſit Deus; ſecundo modo negari, quia hunc ſenſum habet, quod alia perſona a perſona Patris non ſit Deus; quia tamen reſpicit propriè ſubiectum magis ſe habet ad excludendum alium, quam aliud, & ideo non eſt concedenda talis locutio, ſed piè exponēda. ita etiā p.p.q.31.a.4. Item Herueus, Ioannes a Celaia, & Ludou. Molina.

D. Bonau. reſp. quod hæc dictio excluſiua ſolus poteſt ſumi dupliciter, vel vt facit excluſionem reſpectu compoſitionis intellectæ circa ſubiectum, vel vt facit excluſionem reſpectu compoſitionis principalis; primo modo concedi poteſt iſta propoſitio, ſolus Pater eſt Deus, quia talem habet ſenſum, quod .ſ. ille, qui ſolus eſt Pater, eſt Deus, non ſecundo, niſi addatur determinatio, vt cum dicitur, Tu ſolus altiſſimus Ieſu Chriſte cum Sancto Spiritu. *d.21. a.2. q.2.*

Ægidius reſp. quod hæc dictio excluſiua ſolus excludit omne illud, quod habet alietatem cum eo, cui additur, dicit enim Ariſt. quod ſolus eſt idem, quod non cum alio, dummodo tamen non ſit de primo intellectu illius, vt ſunt omnia ſuperiora reſpectu inferiorum, vel vnum non implicet aliud, vt totum partes, & quodlibet accidens ſumptum denominatiuè ſuum ſubiectum; quoniam itaque in diuinis etiam Filius eſt Deus, & Spiritus Sanctus eſt Deus, & vterque eſt alius a Patre, ideo non eſt concedenda iſta propoſitio de virtute ſermonis, ſolus Pater eſt Deus, quia ſic excluderetur Filius, & Spiritus ſanctus ab eo, quod eſt eſſe Deus. *pr. 1. q.2.*

Ricardus reſp. quod accipiendo hanc dictionem excluſiuam ſolus ſyncathegorematicè, vel accipitur, vt facit excluſionem circa ſubiectum, & ſic concedenda eſt, quia habet hunc ſenſum, quod ille, qui ſolus eſt Pater, eſt Deus, vel vt facit excluſionem circa prædicatum, & ſic eſt neganda, quia habet hunc ſenſum, quod Pater eſt Deus, & nullus alius a Patre eſt Deus. *d.21. q.3.*

Ioan. Scotus reſp. quod propoſitio excluſiua affirmatiua ſecundum regulam communem infert affirmatiuam de terminis tranſpoſitis; vnde iſta propoſitio, tantum homo eſt riſibilis, infert iſtam, omne riſibile eſt homo, cum itaque hæc propoſitio ſolus Pater eſt Deus iſtam inferat, omnis Deus eſt Pater, vel quælibet perſona diuina eſt Pater, quæ falſa eſt, ideo & iſta eſt falſa, ſolus Pater eſt Deus. Item Guilelmus Occham. *d.21. q.vn.*

Durandus reſp. quod hæc eſt regula generalis, quod cum propoſitio, in qua ponitur dictio excluſiua ex parte ſubiecti, habet duas exponentes ipſam, vnam .ſ. affirmatiuam, & al- *d.21. q.2.*

Digitized by Google

alteram negatiuam, ſi exponentes ſunt veræ, & ipſa eſt vera, ſi falſæ, vel altera earum ſaltem, & ipſa eſt falſa; cum itaque exponentes iſtam, ſolus Pater eſt Deus ſint hæ, Pater eſt Deus, & nullus alius a Patre eſt Deus, quarum altera eſt falſa, quod .ſ. nullus alius a Patre ſit Deus, quia tunc Filius non eſſet Deus, ideo & iſta eſt falſa, ſolus Pater eſt Deus, & hoc de virtute ſermonis; ſecundum modum tamen loquendi ſanctorum, poteſt concedi vt vera, quia ad verificandum eorum dicta, non oportet quod ſemper excluſio fiat reſpectu principalis prædicati, ſed reſpectu formæ ſubiecti, ratione ſubintellectæ implicationis.

d.21. Petrus Aureolus reſp. quod hæc dictio ſolus,
a.3. vno modo tenetur præciſiuè, & ſic eſt vera propoſitio, ſolus Pater eſt Deus, habet enim hunc ſenſum, quod per ſe, & præciſè ſumptus, eſt Deus, nec indiget alterius adminiculo, vt ſit Deus; alio modo tenetur excluſiuè, & ſic quamuis ſimiles propoſitiones non ſint veræ de virtute ſermonis in alijs naturis; in diuinis tamen ſunt veræ, quia dictio excluſiua addita vni perſonæ in ordine ad prædicata eſſentialia, aliam non excludit.

d.21. Thomas ab Arg. reſp. quod ſi ly ſolus te-
a.3. netur excluſiuè eſt propoſitio neganda, quia cum dictio excluſiua addita vni relatiuorum excludat reliquum, ſequitur quod Filius non eſſet Deus; ſi verò tenetur præciſiuè, ſic eſt concedenda, eſt enim ſenſus quod illud diuinum ſuppoſitum, quod in eſſe perſonali per ſolam paternitatem conſtituitur, eſt Deus.

q.vn. Gerardus reſp. quod hæc dictio excluſiua
a. 2. ſolus, ſi tenetur ſyncathegorematicè, & addatur alicui perſonæ in ordine ad aliquid prædicatum eſſentiale, facit ſenſum falſum, vt in propoſito. Item Paulus ſcriptor.

d.21. Guilel. Rubion reſp. quod ſi ly ſolus acci-
q.2. pitur præciſiuè, ſic propoſitio iſta poteſt concedi tanquam vera, ſolus Pater eſt Deus, non autem ſi accipiatur excluſiuè, immo ſic accepta eſt falſa, nam infert hanc vniuerſalem terminis tranſpoſitis, omnis Deus eſt Pater, quæ eſt falſa; & quoniam ſic accipi ſolet communiter, ideo abſolutè, & ſimpliciter dicendum eſt, quod non eſt vera.

q.24. Marſilius reſp. quod ſi hæc dictio, ſolus, in hac propoſitione, ſolus Pater eſt Deus, ſincathegorematicè ſumitur, & vt ponit excluſionem, vel ſuper ſubiectum ſolum, vel ſuper totam propoſitionem, ſic propoſitio concedenda eſt, vt vera; ſi autem exponitur per ly alius, ſic neganda eſt, vt falſa, Filius enim eſt alius a Patre, & eſt Deus.

Ioan. de Baſſol. reſp. quod hæc propoſitio d.21.
ſolus Pater eſt Deus de virtute ſermonis eſt ſimpliciter falſa, nam ſequitur; primò, quod tam Filius quam Spiritus ſanctus non eſſet Deus, quia vterque eſt alius a Patre; dictio enim excluſiua addita ſubiecto excludit prædicatum a quocunque alio non eodem ſubiecto; ſecundò, quod tam Filius, quam Spiritus ſanctus eſſet Pater, quia vterque eſt Deus; ad hanc enim ſolus Deus eſt Pater, hæc ſequitur, quod omnis Deus eſt Pater, dictio enim excluſiua ſic ſumpta excludendo prædicatum a quolibet alio a ſubiecto denotat prædicatum non excludere ſubiectum.

Nicolaus de Nijſe reſp. quod ex duabus tr.1
regulis logicorum patet, quod hæc propo- pr.2
ſitio eſt falſa, ſolus Pater eſt Deus; prima p.2.
eſt. Excluſiua affirmatiua infert vniuerſalem q.2.
affirmatiuam de terminis tranſpoſitis; ſequitur ergo, ſolus Pater eſt Deus, ergo omnis perſona, quæ eſt Deus, eſt Pater; ſecunda eſt. Excluſiua affirmatiua de ſubiecto finito infert vniuerſalem negatiuam de ſubiecto infinito; ſequitur ergo, ſolus Pater eſt Deus, ergo nullus non Pater eſt Deus, quod eſt falſum.

Ioan. Viger. reſpondet, quod hæc propoſi- d.21.
tio ſolus Pater eſt Deus poteſt exponi duo- q.vn.
bus modis; primò ratione alietatis, vt quod Pater eſt Deus, & nihil aliud a Patre eſt Deus; ſecundò ratione infinitationis, vt quod Pater eſt Deus, & nullus non Pater eſt Deus; ergo ſolus Pater eſt Deus.

Ioan. Maior reſp. quod hæc propoſitio ſo- d.21.
lus Pater eſt Deus eſt falſa, ex ea enim ſequitur iſta, omnis Deus eſt Pater, quæ cum hac vera, Filius eſt Deus, infert Filium eſſe Patrem, vnde cum illa vniuerſalis ſit falſa, falſa eſt & illa excluſiua, ex qua depromitur.

Franciſcus a Chriſto reſp. quod propoſi- q.21.
tio, in qua dictio excluſiua adiungitur ter- q.vn.
mino perſonali in diuinis, reſpectu termini communis, ſiue eſſentialis, de rigore eſt falſa, de pia tamen interpretatione eſt vera; exponitur autem tripliciter; primò excludendo aliud neutraliter a conſortio prædicati, & ſic eſt vera; ſecundò excludendo alium maſculinè, & ſic eſt falſa; tertiò excludendo a conſortio formæ importatæ per ſubiectum interuentu ſubintellectæ implicationis hoc modo; ſolus Pater eſt Deus idem ille qui eſt Pater, & præter quem in diuinis nullus alius eſt Pater, eſt Deus; quæ tamen exponentes de rigore faciunt propoſitionem impropriam.

Guilelmus Eſtius reſp. quod ſecundum d.12.
proprietatem ſermonis iſta propoſitio eſt fal- §.2.
ſa;

Digitized by Google

ſa, ſolus Pater eſt Deus, nam etiam Filius, qui eſt alius a Patre eſt Deus; eſt enim ius excluſiuæ dictionis, vt remoueat omne id, de quo vox affecta affirmari non poteſt.

Reſolutio.

RESpondeo, quod etiam Filius, & Spiritus ſanctus eſt Deus, & ideo iſta propoſitio eſt ſimpliciter falſa, ſolus Pater eſt Deus, cum enim ly ſolus excludat quodcunque incompoſſibile ſubiecto a participatione prædicati, & Filius, & Spiritus ſanctus ſint incompoſſibiles Patri, cum ſint realiter diſtincti ab eo, excluderentur ab hoc prædicato, quod eſt Deus.

Obiectio. Sed ſi noſce Filium eſt prædicatum eſſentiale, ſicut Deus? ſolus autem Pater nouit Filium, nam (vt dicit Saluator noſter) nemo nouit Filium, niſi Pater.

Reſpondetur, quod cum dicitur nemo nouit Filium niſi Pater, ly nemo ſtat pro intellectuali natura, nulla ergo intellectualis natura nouit Filium, niſi Pater; cum autem eadem intellectualis natura Patris ſit, Filij, & Spiritus ſancti per hoc quod ſolus Pater nouit Filium, non tollitur quin etiam noſcant eum, & ipſe Filius, & Spiritus ſanctus. Ita D. Thomas.

QVÆSITVM IV.

An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, ſolus Deus eſt Deus?

d. 21. q. 1. a. 1. D. Thomas reſp. quod hæc dictio ſolus vt eſt ſyncathegorematica, vel remouet conſortium alterius a forma ſubiecti, ſub intellecta implicatione, quod eſt, vel qui eſt, & ſic facit propoſitionem veram; nam facit hunc ſenſum, quod ſolus Deus, ideſt, ille, qui ita eſt Deus, quod præter ipſum nullus eſt alius Deus, eſt Deus, vel remouet conſortium a forma prædicati, & ſic etiam facit propoſitionem veram, nam facit hunc ſenſum, quod nullus alius præter Deum eſt Deus: vt autem eſt cathegorematica, ſic remouet conſortium ſimpliciter; & facit hanc propoſitionem falſam.

pr. 1 q. 3. Aegidius reſpondet, quod ſi ly ſolus tenetur ſyncathegorematicè, tunc licet poſſit fieri diſtinctio, quia vel excludit a forma ſubiecti, vel a forma prædicati, dato quod talis diſtinctio in ſe bona ſit, non eſt tamen ad propoſitum, quia idem terminus ponitur in prædicato, & in ſubiecto, & ideo abſque diſtinctione, prout ſolus denotat excluſionem, concedenda eſt propoſitio, ſolus Deus eſt Deus, nam ſenſus eſt, quod Deus eſt Deus, & præter ipſum non eſt alius Deus, vel nihil aliud a Deo eſt Deus.

Durandus reſp. quod iſta propoſitio eſt concedenda, vt vera, ſolus Deus eſt Deus, quia ſuæ exponẽtes ſunt veræ, Deus eſt Deus, & nullus alius a Deo eſt Deus, *d. 21. q. 2.*

Thomas ab Argentina reſp. quod iſta propoſitio ſolus Deus eſt Deus eſt abſolutè concedenda vt vera, quia per ipſam intelligitur, quod ſolummodo illud, quod habet naturam diuinam eſt Deus. *a. 3.*

Reſolutio.

REſpondetur, quod iſta propoſitio, ſolus Deus eſt Deus, licet non ſit concedenda, vt propria, quia idem eſt ſubiectum, quod prædicatum, eſt tamen concedenda, vt vera, quia per illam dictionem ſolus, excluditur quodcunque aliud a Deo, quod non ſit Deus.

Sed ſi nihil verificatur de aliquo communi, quod non verificetur de aliquo ſpeciali? vnde ſi hæc eſt vera ſolus Deus eſt Deus, erit etiam vera iſta, ſolus Pater eſt Deus. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod ſicut cum dicitur ſolus homo, non eſt quid commune ad ſolus ſortes, immò econuerſò, nam ſolus ratione excluſionis negationem importat, negatio autem quando additur ſpecialiori, tanto reddit ipſum magis commune; ſic ſolus Deus non eſt quid commune ad ſolus Pater, & ideo non ſequitur, ſolus Deus eſt Deus; ergo ſolus Pater eſt Deus. Ita Aegidius.

QVÆSITVM V.

An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera in diuinis, ſolus Pater eſt Pater?

ALbertus reſp. quod hæc dictio ſolus cum ſit adiectiuũ poteſt facere ſimpliciter implicationem ſuæ formæ circa ſuum ſubiectum, & tunc notabit ſolitudinem circa illud, & ſic eſt falſa propoſitio, ſolus Pater eſt Pater; poteſt etiam ſiſtere in ſubiecto, & priuare aſſociationem reſpectu formæ in ſubiecto, & ſic eſt ſenſus, quod illæ qui eſt Pater, itaquod alius cum eo non eſt Pater, eſt Pater; & poteſt etiam apponi ſubiecto in comparatione ad prædicatum; vt .ſ. alia excludat a participatione prædicati; & quoniam prædicatum, & forma ſubiecti idem ſunt in locutione, in qua de ſe idem prædicatur, idcirco propoſitio hæc, ſolus Pater *d. 21. a. 1.*

ter

ter eſt Pater in vtroque ſenſu eſt vera.

d 21. q.1. D. Thomas reſp. quod idem eſt iudicium de hac propoſitione ſolus Pater eſt Pater, quod de iſta ſolus Deus eſt Deus, quomodo ergo verificatur illa, eo modo verificatur, & iſta.

a.2. q.1. D. Bonau. reſp. quod hæc dictio ſolus ſecundum quod in præſenti tenetur ſyncathegorematicè importat negationem aſſociationis, & hanc importat tripliciter, vel reſpectu formæ termini ſubiecti, vel reſpectu prædicati in participando, vel reſpectu eiuſdem in comparticipando; eſt ergo propoſitio iſta, ſolus Pater eſt Pater in quolibet ſenſu vera; in primo, quia ille, qui eſt ſolus Pater eſt Pater; in ſecundo, quia nulli alij conuenit eſſe Pater; in tertio, quia nulla perſona licet participet in alio cum perſona Patris, vt in eſſentia, non tamen comparticipat in proprietate paternitatis.

q 2. Ricardus reſp. quod ſi hæc dictio excluſiua ſolus accipiatur ſyncathegorematicè, hæc propoſitio, ſolus Pater eſt Pater, eſt ſimpliciter concedenda, vt vera; quia duplicem habet ſenſum, & quod nullus alius a Patre ſit Pater, & quod ille qui ſolus eſt Pater, eſt Pater, quorum vterque eſt admittendus.

a 75. q.5. Henricus reſp. quod hæc propoſitio ſolus Pater eſt Pater remouet aſſociationem plurium ſuppoſitorum reſpectu eiuſdem prædicati; & ideo eſt vera.

d 21. q.2. Durandus reſp. quod iſta propoſitio, ſolus Pater eſt Pater, eſt vera, quia ſuæ exponentes ſunt veræ, & quod Pater eſt Pater, & quod nullus alius a Patre ſit Pater.

d.20. §.2. Guilel. Eſtius reſp. quod hæc propoſitio ſolus Pater eſt Pater, nullam habet dubitationem, ſignificatur enim prædicatum non modo remoueri ab eo, quod natura diſtinctum eſt a ſubiecto, verum etiam ab eo, quod ſola diſtinguitur ſuppoſiti ratione.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſicut iſta propoſitio ſolus Deus eſt Deus, non eſt concedenda, vt propria, ſed vt vera; ita & iſta ſolus Pater eſt Pater, non eſt concedenda, vt propria, quia idem eſt ſubiectum, quod prædicatum; eſt tamen concedenda, vt vera, quia per illam dictionem ſolus, excluditur quodcunque aliud a Patre, quod non eſt Pater.

Obiectio. Sed ſi Pater eſt cum alio, quia cum Filio? ſolus autem (vt dicit Ariſt.) idem eſt, quod non cum alio; igitur implicat dicere ſolus Pater eſt Pater.

Reſpondetur, quod cum dicitur ſolus idẽ eſt, quod non cum alio, ly non, non excludit ſimpliciter alium in eſſendo, ſed reſpectu formæ, vel prædicati; & ſic licet Pater ſit cum Filio, non tamen Filius eſt cum ipſo, Pater. Ita D. Bonau.

QVÆSITVM VI.

An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, ſolus Deus eſt Pater?

d 21. q.1. D. Thomas reſp. quod ſi hæc dictio ſolus implicat ſolitudinem circa Deũ ſic propoſitio hæc ſolus Deus eſt Pater eſt falſa; ſi autem importat excluſionem a forma ſubiecti, ſic eſt vera, & eſt ſenſus, Deus, præter quem non eſt alius Deus, eſt Pater; ſi autem importat excluſionem a forma prædicati, vel nomine Patris intelligitur tantum proprietas paternitatis, & ſic eſt falſa, quia etiam in hominibus eſt paternitas, vel intelligitur ipſa perſona ſubſiſtens diſtincta paternitate, & ſic eſt vera, & eſt ſenſus, quod nullus alius præter Deum eſt Pater, vt perſona ſubſiſtens paternitate. Item Aegidius.

p. p. q. 31. a.3. Et iterum reſp. quod hæc propoſitio ſolus Deus eſt Pater, intelligitur dupliciter, vel quia ly Pater poteſt prædicare perſonam Patris, & ſic eſt vera, nõ enim homo eſt illa perſona, vel poteſt prædicare relationem tantum, & ſic eſt falſa, quia relatio paternitatis etiam in alijs inuenitur, licet non vniuocè.

d.21. a.1. q.1. D. Bonau. reſp. quod hæc propoſitio ſolus Deus eſt Pater, eſt vera; primò, quia ſua exponens eſt vera, quæ eſt, non alius quam Deus eſt Pater; ſecundò, quia ſicut iſtæ duæ conuertuntur, nihil præter Deum currit, ergo ſolus Petrus currit, ita & iſtæ, nihil præter Deum eſt Pater, ergo ſolus Deus eſt Pater; ſicut ergo prima eſt vera, ita & altera; tertiò, quia Pater præciſè prædicatur de Deo, nam a quocunque remouetur Deus, remouetur & Pater, ergo etiam cum excluſione.

q. 4. Ricardus reſp. quod ſi hæc dictio ſolus accipiatur, prout facit excluſionem circa ſubiectum abſolutè, ſic propoſitio non eſt concedenda, quia facit hunc ſenſum, quod Deus ſolitarius eſt Pater, ſi verò accipiatur, prout facit excluſionem circa ſubiectum in comparatione ad prædicatum, ſiue compoſitionis implicitæ, ſiue explicitæ, ſic eſt concedenda, quia facit hunc ſenſum, quod ille, qui ſolus eſt Deus eſt Pater, & etiam, quod Deus eſt Pater, & nullus alius a Deo eſt Pater.

d.20. q.2. Durandus reſp. quod iſta propoſitio eſt cõcedenda, vt vera, ſolus Deus eſt Pater, quia ſuę ex-

exponentes ſunt verę Deus eſt Pater, & nullus alius a Deo eſt Pater, dummodo Pater ſtet pro perſona diuina, quia ſi ſtaret pro forma paternitatis, quę communicabilis eſt etiam creaturis, tunc eſſet falſa.

Reſolutio.

RESpondeo, quod cum hæc dictio ſolus excludat quodcũque incompoſſibile termino, cui adiungitur, creatura autem ſit incompoſſibilis Deo, ſi hæc propoſitio vera eſſet, ſolus Deus eſt Pater, excluderetur creatura ab hoc, quod eſt eſſe Pater, quod eſt inconueniens; eſt enim aliqua creatura Pater; propoſitio ergo iſta non eſt concedenda vt vera, ſolus Deus eſt Pater.

Obiectio. Sed ſi ſolus Deus eſt pater, Filius, & Spiritus ſanctus? nihil enim aliud a Deo eſt Pater Filius, & Spiritus ſanctus.

Reſpondetur, quod accipiendo ly Pater, & pronunciando ſimul cum Filio, & Spiritu ſancto, ſic indicatur quod ly Pater ſumitur, vt ſupponit pro perſona diuina, quæ cum Filio, & Spiritu ſancto eſt vnus, ſolus, & idem Deus; accipiendo autem per ſe, & abſolutè, ſupponit pro quocunque habente paternitatem, & propterea ſic abſolutę ſumpta eſt falſa propoſitio, ſolus Deus eſt Pater, quia etiam aliud a Deo eſt Pater.

QVÆSITVM VII.

An hæc propoſitio ſit concedenda vt vera, Pater in diuinis eſt ſolus Deus?

p. 1. q. 61. a. 2. ALex. reſp. quod cum dicitur Pater eſt ſolus Deus, notatur remotio prædicati ab alijs perſonis, vel ſimilitudo ſiue priuatio communicabilitatis circa Deũ, & idcirco eſt propoſitio falſa.

d. 21. a. 3. Albertus reſp. quod ſi ly ſolus eſt adiectiuum prædicati, tũc abſque dubio impropriè, & ferè incongruè ponitur, eo quod adiungitur termino, qui eſt locutio communis in diuinis; ſi autem eſt adiectiuum ſubiecti, tunc diſtinguendum eſt ſecundum regulas iam allatas.

q. 2. a. 2. D. Thomas reſp. quod ſi ly ſolus ponatur ex parte prædicati pro tantum, ſic eſt propoſitio concedenda vt vera, Pater enim eſt tantum Deus, quia non eſt homo, ſicut Filius; ſi verò ly ſolus ſumatur propriè, vel intelligitur, quod excludat omne aliud a Patre a participatione formæ prædicati, & ſic eſt vera, quia non eſt aliud a patre, quod ſit Deus, vel quod excludat omnem alium, & ſic eſt falſa, quia alius a Patre, vt Filius, eſt Deus.

Et iterum reſp. quod non propriè dici poteſt Pater eſt ſolus Deus, niſi fortè ex parte prædicati intelligatur aliqua implicatio, vt ſi dicatur Pater eſt Deus, qui eſt ſolus Deus, ita quod relatiuum referat prædicatum, & non ſuppoſitum. p. p. q. 31. a. 3.

D. Bonau. reſp. quod hæc dictio ſolus non poteſt addi ad prædicatum ſubſtantiale in diuinis, niſi impropriè, & ideo iſta propoſitio, Pater eſt ſolus Deus, poteſt quidem concedi, vt vera; ſed non vt propria. d. 21. p. 1. q. 2.

Aegidius reſp. quod ly ſolus licet ponatur ex parte prædicati, poteſt tamen referri ad ſubiectum, & prædicatum; ſi refertur ad ſubiectum, tunc eſt idem iudicium de ea, quod de iſta, ſolus Pater eſt Deus; ſi autem refertur ad prædicatum eſt vera, quia ſenſus eſt, quod Pater eſt tantum Deus, cum non ſit homo, ſicut Filius. pr. 2 q. VII.

Herueus reſp. quod ſenſus huius propoſitionis, Pater eſt ſolus Deus, eſt iſte, Pater eſt ille, qui ſolus eſt Deus, & ideo propoſitio in vno ſenſu eſt vera, & in altero falſa, ſi enim ſolus excludat aliud eſt vera, ſi aliũ falſa, nam ly qui ſupponit pro perſona Patris, a quo Filius non eſt aliud, ſed alius. d. 21. q. VII.

Durandus reſpondet, quod iſta propoſitio eſt omnino impropria, Pater eſt ſolus Deus, & indiget expoſitione, immò magna extorſione, quia hæc dictio ſolus ſyncathegorematicè accepta ſemper facit excluſionem aliorum ab eo, cui additur, reſpectu alicuius tertij accepti in ratione prædicati explicitè, vel implicitè. d. 21. q. 2.

Reſolutio.

REſpondeo, quod iſta dictio ſolus ſyncathegorematicè accepta, cum in aliqua propoſitione adiungitur prędicato, excludit quodcunque aliud incompoſſibile illi a participatione ſubiecti, cum itaque dicitur Pater in diuinis eſt ſolus Deus, per ly ſolus excluditur quodcunque aliud, quod non ſit Deus ab hoc ſubiecto Pater, & quoniam nihil eſt, quod non ſit Deus, & dicatur Pater in diuinis, ideo iſta propoſitio eſt concedenda, vt vera, pater in diuinis eſt ſolus Deus.

Sed ſi pater non eſt Filius, nec Spiritus ſãctus, qui ſunt vnus, & ſolus Deus? Obiectio.

Reſpondetur, quod pater non eſt Filius, nec Spiritus ſanctus, quoad perſonalitatem, ſed bene quo ad deitatem; vnde pater eſt idem Deus, qui eſt Filius, & Spiritus ſanctus, qui eſt ſolus Deus.

QVAE-

Digitized by Google

QVAESITVM VIII.

An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, Trinitas eſt ſolus Deus?

q.65. a.2. ALex. reſp. quod cum dicitur Trinitas eſt ſolus Deus, non dicitur de aliqua perſona determinatè, eo quod indeterminatè dicitur terminus eſſentialis, cui adiungitur dictio excluſiua, & ideo eſt vera propoſitio, Trinitas eſt ſolus Deus.

tr.9 q 40. m. 2. a.1. Albertus reſp. quod ſi dictio excluſiua excludat communitatem prædicati a pluribus, qui ſupponuntur in ſubiecto, falſa eſt propoſitio, Deus enim trinitas non eſt ſolitarius Deus, ſi autem excludat oppoſitum prædicati, ſic eſt vera, nam ſenſus eſt, Trinitas eſt ſolus Deus, & non eſt aliud, quam ſolus Deus.

d.21. q.2. a.1. D. Thomas reſp. quod prædicato huius propoſitionis, Trinitas eſt Deus, addi poteſt hæc dictio ſolus ad excludenda omnia extranea formę prędicati, ita vt ſit ſenſus, Trinitas eſt ille Deus, pręter quem nullus alius eſt Deus.

p. p. q.31. a.3. Et iterum reſp, quod non propriè dici poteſt Trinitas eſt ſolus Deus, niſi fortè ex parte prędicati intelligatur aliqua implicatio, vt dicatur, Trinitas eſt Deus, qui eſt ſolus Deus.

d.21. p 1. q.2. D. Bonau. reſp. quod exponens huius propoſitionis Trinitas eſt ſolus Deus, hęc eſt, Trinitas eſt Deus, & non eſt aliud, quam Deus; & quoniam eſt vera, ideo & ſua expoſita eſt vera Trinitas eſt ſolus Deus. Item Ioannes de Baſſ.

d 21. p.2. q.vn. Aegidius reſp. quod iſta dictio ſolus vt nominaliter ſumitur ſi referatur ad ſubiectum, in hac propoſitione, Trinitas eſt ſolus Deus, ſic eſt propoſitio vera, nam habet hunc ſenſum, quod .ſ. nullum aliud ſuppoſitum ab aliquo ſuppoſitorum Trinitatis eſt Deus; ſi referatur ad prædicatum ſimiliter eſt vera, nam hunc ſenſum habet, quod .ſ. Trinitas eſt ille Deus, pręter quem nullus eſt alius Deus.

q.51 Ricardus reſp. quod hęc propoſitio Trinitas eſt ſolus Deus, quamuis non ſit falſa, non eſt tamen euidenter propria, quia non excludit euidenter niſi illud, quod ex natura prędicati etiam ſine dictione excluſiua, excluderetur; cum enim dicitur Trinitas eſt Deus, excluditur omne aliud a Deo; non per hoc tamen contingit nugatio ſi additur, quia cum additur, expreſſius per illam excluditur illud, quod ſine ipſa etiã excluderetur.

d.21. Durandus reſp. quod iſta propoſitio eſt omnino impropria Trinitas eſt ſolus Deus q.2. quia hęc dictio ſolus ſincathegorematicè accepta ſemper facit excluſionem aliorum ab eo, cui additur, reſpectu alicuius tertij accepti in ratione prędicati explicitè, vel implicitè.

Guilelmus Varill. reſp. quod ſicut cum dicitur, video ſolum Petrum, ſenſus eſt, quod video Petrum, & non alium; ita cum dicitur, Trinitas eſt ſolus Deus, ſenſus eſt, quod Trinitas eſt Deus, & non plures. d.21. ar.2.

Reſolutio.

REſpondetur, quod ſicut iſta propoſitio concedi poteſt, vt vera, Pater eſt ſolus Deus, quia ly ſolus excludit quodcunque aliud a Deo, quod non ſit Deus, a participatione huius ſubiecti Pater, in diuinis; ideo hęc etiam poteſt concedi, vt vera, Trinitas eſt ſolus Deus, quia ly ſolus excludit quodcunque aliud a Deo ab hoc ſubiecto Trinitas; nihil enim eſt, quod non ſit Deus, & de Trinitate dicatur.

Sed ſi ly ſolus eſt conditio ſubiecti, ſicut omnis, omnis autem nunquam additur ad prędicatum, non enim dicitur omnis homo, eſt omnis homo, nec aliud ſimile? Obiectio.

Reſpondetur, quod non eodem modo iſta dictio omnis, & iſta ſolus, ſunt conditiones ſubiecti, hęc enim omnis dicit diſtributionem, & diuiſionem, & ideo non poteſt addi prędicato, quod tenet locum naturæ, in qua ſuppoſita vniuntur; ſed hæc, ſolus, dicit tantum excluſionem, & ideo congruè poteſt addi prędicato, a cuius cõſortio ſit aliquid extraneum remouendum. Ita Diuus Thomas, & Aegidius.

QVAESITVM IX.

An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, ſola Trinitas eſt Deus?

GVilel. Rub. reſp, quod iſta propoſitio, ſola Trinitas eſt Deus, eſt vera, ſi ſola teneatur præciſè, quoniam conſtat, quod Trinitas eſt Deus præcisè ſeipſa; ſi autem teneatur excluſiuè, non videtur eſſe vera, nam infert iſtam vniuerſalem de terminis tranſpoſitis, omnis, Deus, vel omne, quod eſt Deus eſt Trinitas, quę eſt falſa, nam Pater eſt Deus, & non Trinitas. d.21. q.2.

Marſilius reſpondet, quod ſi hæc propoſitio exponitur per aliud vera eſt, quia nihil aliud a Trinitate eſt Deus, ſed ſi per alia falſa eſt, hæc enim eſt falſa, nulla alia res a Trinitate eſt Deus, nam Pater eſt Deus, & ipſe q.24. a.2.

Digitized by Google

ipſe Pater eſt alia res a Trinitate, cum Pater ſit, & non ſit Trinitas, nec tres perſonæ.

q. 31. a. 4. Ludou. Molina reſp. quod hęc eſt veriſſima propoſitio, ſola Trinitas eſt Deus, quamuis enim nulla perſona præciſè ſit Trinitas, eſt tamen de concomitantibus eam, nõ minus quam manus ſit de concomitantibus Socratẽ, eo quod eſt quaſi pars quædam Trinitatis, non ponens in numero cum ea.

Reſolutio.

RESpondeo, quod illa ſola res eſt Deus, quę eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, cum nihil aliud a Patre, Filio, & Spiritu ſancto ſit Deus; quoniam itaque Trinitas non eſt alia res a re, quę eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus; ideo hęc eſt vera propoſitio, ſola Trinitas eſt Deus.

Obiectio. Sed ſi Pater eſt Deus, & tamen non eſt Trinitas?

Reſpondetur, quod Pater eſt Deus, non quidem pręciſè a Trinitate, ſed eſt Deus, qui eſt Trinitas Pater .ſ. Filius, & Spiritus ſanctus; vnde licet Pater non ſit Trinitas, eſt tamen Deus, qui eſt Trinitas.

QVAESITVM X.

An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, Trinitas eſt Deus ſolus?

d. 21. pr. 2. q. vn. AEgidius reſp. quod iſta dictio, ſolus, vel denotat ſolitudinem, vel excluſionem, prout denotat excluſionẽ in propoſito ſumi non poteſt, quia in excluſione implicatur negatio, negatio autem nunquam ponitur poſt omnia alia, eo quod ocioſè adderetur, cum ſolum ad ſequentia ſe extendat; denotat ergo in propoſito ſolitudinem, quę quoniam non eſt in diuinis, idcirco nec propoſitio eſt concedenda, vt vera, Trinitas eſt Deus ſolus.

q. 5. Ricardus reſp. quod iſta dictio, ſolus, quando ponitur a parte prędicati poſt ſuum ſubſtantiuum implicat ſolitudinem abſolutè circa ipſum, & ideo in hac propoſitione, Trinitas eſt Deus ſolus facit hunc ſenſum, quod .ſ. Trinitas eſt Deus ſolitarius, & ideo non eſt concedenda.

d. 21. a. 2. Guilelm. Varill. reſp. quod licet concedatur iſta, Trinitas eſt ſolus Deus, non tamen hęc eſt æquè concedenda Trinitas eſt Deus ſolus, quia ly ſolus dum pręcedit negat pluralitatem diuinitatis, quod non facit dum ſequitur.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut tantum valet iſta propoſitio Petrus eſt bonus doctor, ſicut iſta Petrus eſt doctor bonus, ita tantum valet iſta propoſitio, Trinitas eſt ſolus Deus, ſicut iſta, Trinitas eſt Deus ſolus; & quoniam iſta propoſitio eſt concedenda, vt vera, Trinitas eſt ſolus Deus, ita & iſta, Trinitas eſt Deus ſolus.

Sed ſi excluſiua poſtpoſita ad omnes terminos in hac propoſitione, Trinitas eſt Deus ſolus, nihil habet quod excludat? Obiectio.

Reſpondetur, quod licet non habeat, quod excludat poſt ſe ſecundum formam, habet tamen ante ſe, quod excludat ſecundum virtutem; excludit enim omne id a deitate, quod non eſt Trinitas.

QVÆSITVM XI.

An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, Trinitas eſt ſolum, ſeu tantum Deus?

D. Thomas reſp. quod iſta dictio, ſolum, ſeu tantum, cum ſit aduerbium determinat actum verbi, quia aduerbium eſt adiectiuum verbi; vnde cum verbum ratione compoſitionis coniungat prædicatum ſubiecto, & ad vtrumque ſe habeat, congruè poteſt tam ad prædicatum, quam ad ſubiectum coniungi. d. 21. q. 2. a. 1.

Aegidius reſp. quod ſi hæc dictio, ſolum, ſeu tantum referatur ad ſubiectum, eſt propoſitio falſa, quia ſenſus eſt, quod Trinitas .ſ. Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſint tantum Deus, qui eſt falſus; nam Filius, qui eſt vna perſona Trin. eſt etiam homo; ſi verò referatur ad prædicatum aliquo modo poteſt eſſe vera, quia habet hunc ſenſum, Trinitas eſt tantum Deus, vel Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt tantum Deus, ideſt natura diuina eſt in eis, & nulla alia natura eſt in aliquo eorum, quæ realem compoſitionem faciat in ipſa. pr. 2 q. vn.

Ricardus reſp. quod iſta propoſitio Trinitas eſt ſolum, ſeu tantum Deus vera eſt, & propria, & proprietas eius magis eſt euidens, quam proprietas huius, Trinitas eſt ſolus Deus, quia aduerbium cum ſit adiectiuum verbi fertur ad omnem compoſitionem, & quia compoſitio indifferenter reſpicit ſubiectum, & prædicatum; ideo conuenienter additur tam ſubiecto, quam prædicato. q. 6.

Marſilius reſp. quod quia moderni philoſophi, & Logici concedunt omnem termi- q. 24. a. 2.

num pro aliquo ſupponentem verè prædicari de ſeipſo, cum additione dictionis excluſiuæ, vt Socrates eſt tantum Socrates, & Socrates eſt tantum homo, quia exponitur ſic, eſt homo, & nihil aliud, quam homo; ſic etiam eſt iſta concedenda, Trinitas eſt ſolum, ſeu tantum Deus, quia eſt Deus, & nihil aliud, quam Deus.

Reſolutio.

Reſpondetur, quod cum dicitur, Trinitas eſt ſolum, ſeu tantum Deus, ly tantum excludit quodcunque aliud incompoſſibile Deo a participatione huius ſubiecti, quod eſt Trinitas; cum itaque nihil ſit, quod non ſit Deus, & dicatur de Trinitate, ideo hæc propoſitio eſt vera, Trinitas eſt ſolum, ſed tantum Deus.

Obiectio. Sed ſi Trinitas eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, & Filius eſt etiam homo?

Reſpondetur, quod Trinitas eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus inquantum Deus; non eſt autem Filius, inquantum Filius eſt homo; quod enim Filius ſit homo, hoc non habet a deitate, ſed a natura aſſumpta; quæ non eſt aliquid Trinitatis.

QVÆSITVM XII.

An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, Trinitas eſt vnus, ſolus, verus Deus?

d. 21. q. 2. a. 1. D. Thomas reſp. quod iſta propoſitio, Trinitas eſt ſolus verus Deus, vel ſolus vnus Deus magis exprimit veritatem, quam iſta, Trinitas eſt ſolus Deus; & ideo eſt concedenda.

a. 1. q. 2. D. Bonau. reſp. quod hæc dictio, ſolus, addita prædicato ſubſtantiali cum termino partitiuo facit veram, & propriam locutionem; ſic enim excludit pluralitatem; eſt ergo iſta propoſitio concedenda, vt vera, Trinitas eſt vnus, ſolus, verus Deus.

q. 5. Ricardus reſp. quod iſta propoſitio eſt vera, & omnibus alijs magis euidenter propria, eſt enim clarum, quid per eam excluditur, nam excluditur Deorum pluralitas.

q. 2. Durandus reſp. quod iſta propoſitio Trinitas eſt vnus ſolus verus Deus, licet ſit impropria, quia non fertur excluſio ad principalem compoſitionem prædicati cum ſubiecto; eſt tamen vera; quia fit excluſio aliorum a Deo ab vnitate, & veritate diuinitatis, ſub hoc ſenſu. Trinitas eſt Deus, qui eſt vnus, & verus, & nullus alius ab eo eſt verus, & vnus Deus.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod non eſt niſi vnus Deus, idemque ſolus, & verus; cum itaque Trinitas ſit Deus, non poteſt eſſe, niſi vnus ſolus verus Deus.

Obiectio. Sed ſi verus Deus eſt trinus, & hoc præſertim ſignificatur nomine Trinitatis?

Reſpondetur, quod nomine Trinitatis ſignificatur quidem Deus trinus, ſed cum hoc etiam vnus, & ideo bene poteſt dici, quod Trinitas eſt vnus ſolus verus Deus; vnus quidem ſecundum eſſentiam, trinus vero ſecundum perſonas.

QVÆSITVM XIII.

An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, in diuinis, ſolus Pater eſt tantus, quantus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus?

d. 21. q. vn. Gvilelmus Occham reſp. quod accipiendo hanc dictionem ſolus præciſiuè, vt ſic denotetur, quod prædicatum non ſolum attribuitur ſibi, & alijs ſimul ſumptis, ſed etiam ſibi nullo alio termino addito, ſic propoſitio eſt concedenda, vt vera, ſolus Pater eſt tantus, quantus Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.

q. 1. Guilelmus Rubion reſp. quod in præſenti non accipitur tantum, & quantum extenſiuè, nec diſcretiuè, ſed intenſiuè ſ. ſecundum perfectionem; & quoniã quælibet perſona diuina eſt infinita, & Deus, nihil autem infinito, & Deo poteſt eſſe perfectius, ideo tanta eſt vna perſona, quanta eſt Trinitas ſimul tota.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſi ly ſolus ſumitur excluſiuè, falſa eſt propoſitio, ſic enim dicendo ſolus Pater eſt tantus, quantus Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, excluditur Pater a ſeipſo, & Filius, & Spiritus ſanctus, quod non ſit tantus, quantus Pater; ſi verò præciſiuè eſt vera.

Obiectio. Sed ſi vna res non poteſt eſſe tanta, quanta plures?

Reſpondetur, quod vna res non poteſt eſſe tanta quanta plures, quæ ſic eſt vna, quod nec plures, nec aliqua vna a pluribus indiſtincta; non ſic autem eſt vna res vna aliqua perſona, cum quælibet ſit diuina eſſentia ab omnibus totaliter indiſtincta.

DI-

Digitized by Google

DISTINCTIO VIGESIMA SECVNDA.

Poſt prædicta nobis differendum videtur de nominum diuerſitate, &c.

QVAESITVM I.

An Deus ſit nominabilis a nobis?

c. 3. q. 1. GVilelmus Antiſiod. reſp. quod Deus ſibi ſummè nominabilis eſt, quia ſui ipſius amator, contemplator, delectator; nobis verò innominabilis vno modo .ſ. in ſe, & ex ſe; ſed nominabilis alio modo .ſ. in creaturis, & ex creaturis, modo enim non intelligimus niſi in creaturis, ſicut in ſpeculo, & ex creaturis.

q. 48. m. 1. Alex. Alenſ. reſp. quod intantum Deus eſt nominabilis, inquãtum eſt cognoſcibilis, omne enim intellectu cognoſcibile, inquantum huiuſmodi eſt nominabile; eſt autem Deus a nobis cognoſcibilis quoad aliqua ſecundum fidem tantum, & quantum ad hæc, non niſi a ſeipſo cognoſcibilis eſt, & quoad aliqua ſecundum rationem naturalem, & quoad hæc eſt etiam nominabilis a nobis, vt quod bonus, quod potens, quod æternus.

d. 22. q. 1. a. 1. D. Thomas reſpondet, quod voces, ſicut dicit Ariſt. ſunt ſigna intellectuum, & ideo omne quod poteſt cognoſci, poteſt etiam nominari; cum itaque Deus ſit cognoſcibilis a nobis, poteſt etiam nominari.

p. p. q. 13. Et iterum reſp. quod quia Deus in hac vita cognoſcitur a nobis ex creaturis ſecundum habitudinem principij, & per modum excellentiæ, & remotionis, ſic & a nobis nominari poteſt.

d. 22. q. 1. D. Bonau. reſp. quod ſicut Deus eſt cognoſcibilis a nobis, ita & nominabilis, quantum tamen non ſecundum perfectam comprehenſionem eſt cognoſcibilis, ſed ſecundum ſemiplenam cognitionem, ita nec nominabilis ſecundum perfectam expreſſionẽ, ſed tantum ſecundum ſemiplenam narrationem, ſecundum quam ipſum quantum poſſumus exprimimus, & laudamus. Item Ioan. de Baſſ. Marſilius, & Ioan. a Celaia.

pr. vn. q. 1. Aegidius reſp. ſimiliter quod quia Deus aliquali cognitione cognoſcitur, ideo etiam aliqualiter nominatur. Item Ricardus, & Ioannes Scotus.

a. 73. q. 1. Henricus reſp. quod Deus ſignificari poteſt aliquo nomine ei impoſito ad placitum, nullo autem naturaliter.

d. 22. Petrus Aur. reſp. quod ideo Deus a nobis propriè nominari poteſt; primò, quia a nobis poteſt intelligi; ſecundò, quia diſtinctam naturam habet ab alijs, ratio autem diſtinctiua ea eſt, quam nomen ſignificat; cum nomen ſignificet qualitatem, quæ in diffinitione nominis ſumitur pro natura; tertiò, quia poteſt habere ſermonem longum ſibi appropriatum, vt quod ſit actus primus, æternus, omnipotens; quem ſermonem nomen vnum poteſt denotare, ſicut Ilias Bellum Troianum; quartò, quia eſt in poteſtate noſtra varietas ſonorum, & dictionum, & penes nos formare proprium conceptum de Deo, & conſequenter ipſum aliquo nomine nominare. a. 1.

Thomas ab Arg. reſp. quod Deus eſt nominabilis a ſeipſo, & a nobis, a ſeipſo ſicut cum nominauit ſe loquens cum Moiſe dicẽs, ego ſum qui ſum; a nobis; primò, quia ſicut poſſumus ipſum intelligere, ita & nominare; ſecundò, quia ipſum eſſe eſt per ſe notum, quod autem eſt huiuſmodi eſt nominabile; tertiò, quia in veris ſcientijs tractatur de ipſo. a. 1.

Guilelm. Rub. reſp. quod tam comprehenſor, quàm viator poteſt Deum diſtinctè intelligere, & ad ſignificandum ipſum præ intellectum poteſt formare vocale ſignum, & ipſi imponere, quod eſt nominare. Item Ioannes Maior. d. 22. q. 1.

Guilelmus Varrill. reſp. quod ex quibuſcunque conuenit laudem Deo dicere ex his, conuenit & Deum nominare, ſed tam Symbolicis, quam myſticis nominibus conuenit Deo laudem dicere; ergo & eum nominare. a. 2.

Franc. a Chriſto reſp. quod nihil poteſt diligi, niſi cognoſcatur; cum ergo Deus poſſit a nobis diligi, ergo & cognoſci, & conſequenter nominari, quia quod poteſt cognoſci poteſt nominari.

Fran. Suar. reſp. quod Deus in hac vita non eſt omnino nobis ignotus, & ideo aliquo nomine nominari poteſt. lib. 2 c. 31.

Reſolutio.

REſpondeo, quod nomina imponuntur rebus ad ipſas ſignificandas, quæ ergo ſunt ſignificabiles, ſunt etiam nominabiles; illæ autem ſunt ſignificabiles, quæ ſunt intelligibiles, nihil enim ſignificatur, niſi quod intelligitur; cum itaque Deus ſit ſignificabilis a nobis, quia aliquo modo intelligibilis; idcirco eſt etiam nominabilis.

Sed ſi dicit D. Dyon. quod Deus incõprehẽſibilis eſt, & neq; ſenſus eius eſt, neque fantaſma, neque opinio, neque nomen; neq; ſermo, Obiectio.

Digitized by Google

Reſpondetur, quod intentio D. Dyoniſij non eſt omnino negare quamcunque cognitionem Dei in nobis, & nominationem, ſed eam, quæ completè, & perfectè ipſum exprimat, & ſignificet. Ita D. Thomas, Aegidius, Aureolus, Gerardus, Argentina, & Marſilius.

QVÆSITVM II.

An Deus ſit nominabilis a nobis pluribus nominibus?

q.48. m.3 ALex. reſp. quod ex conſideratione intellectus noſtri conferentis effectus ad Deum, tanquam ad cauſam contingit ipſam pluribus nominibus nominari a nobis; aliquando enim talis collatio fit ſecundum differentiam, & ſic dicitur increatus, incorporeus, & huiuſmodi; aliquando ſecundum conuenientiam, & ſic, ſi talis collatio fit ſecundum eſſe creaturæ ad ipſum, dicitur potens, ſapiens, & huiuſmodi, ſi verò fit ſecundum bene eſſe, dicitur ſuper ens, ſuper bonus, ſuper potens, & huiuſmodi.

d.22. q.1. a.3. D. Thomas reſp. quod Deus pluribus nominibus nominatur; tum ex parte intellectus noſtri, quia intellectus noſter aliquando ipſum negatiuè apprehendit, & ideo remouendo ab eo quamcunque conditionem creaturarum ipſum nominat immenſum, increatum, & huiuſmodi; at aliquando ipſum apprehendit ſecundum relationes ad creaturas, licet ipſa relatio ſit in creaturis, & non in eo, & ita ipſum nominat regem, dominum, & huiuſmodi; tum etiam pluribus nominibus ex parte eius, quia cum ſint plures perſonæ, nomina etiam perſonalia plurificantur; & ſimiliter cum habeat plures rationes, quæ verè, & realiter ſunt in eo, vt ſapientiæ, bonitatis, & huiuſmodi, ita etiam, & nomina plura attributalia.

q.2. D. Bonauentura reſp. quod ſecundum quod in nomine tria ſunt, vox, ſignificatio, & ratio innoteſcendi, ſic nomen tripliciter accipitur, pro voce ſignificante, pro re ſignificata, & pro ratione innoteſcendi; ſi accipitur pro voce ſignificante, ſic Deus eſt nominabilis pluribus nominibus; ſi pro re ſignificata, ſi talis res dicitur eſſentialiter, vno tantum nomine eſt nominabilis, ſi perſonaliter, pluribus; ſi verò pro ratione innoteſcendi, ſi talis ratio accipitur ex parte Dei, ſic vno nomine tantum eſt nominabilis, ſi ratione effectuum diuerſis, ſecundum quod diuerſimodè innoteſcit nobis per cauſalitatem, per remotionem, & per excellentiam.

Ægidius reſp. quod cum intellectus ſpecie intelligibili informetur, ex tali informatione gignitur quidam conceptus, qui dicitur verbum, & hoc eſt illud, quod nomen ſignificat, & quoniam paucitas, & pluralitas verborum, ſeu conceptuum aliquo modo conſequitur paucitatem, & pluralitatem ſpecierum, quæ intellectum informant; eſt enim verbum genitum (inquit D. Aug. 15. de Tr. c. 15.) ſimilimum ſcientiæ, de qua gignitur, & intellectus noſter propter infinitatem, & immenſitatem Dei non poſſit ipſum intelligere per vnam ſpeciem, quanto enim intellectus eſt inferior, tanto intelligit per plures ſpecies; idcirco neque poteſt formare vnum tantum conceptum de eo, & conſequenter ad exprimendos plures conceptus de eo, neceſſe eſt, quod pluribus nominibus ipſum nominet. pr.va q.2.

Ricardus reſp. quod plura ſunt nomina, quibus nominatur Deus, quia ſunt plures rationes, quibus concipitur diuina eius eſſentia, plures perſonæ, plures notiones, plures imperfectiones repertæ in creaturis remouibiles ab eo, & plures perfectiones attribuibiles ei, plures item habitudines, quibus creaturæ referuntur ad ipſum, harum enim pluralitatem conſequitur pluralitas cóceptuum, pluralitatem autem conceptuum pluralitas vocum, ſeu nominum. Item Ioan. Maior. q. 2.

Durandus reſp quod vnumquodque nominamus, ſicut intelligimus, & cognoſcimus, intellectus enim eſt, qui imponit nomina rebus, quas intelligit, & quoniam Deum intelligimus, vt dicit D. Dyon. ex creaturis per cauſalitatem, remotionem, & excellentiam, ita etiam pluribus nominibus nominamus ſecundum quod ſunt plures eius actus, & effectus, plures imperfectiones, quæ remouentur ab eo, & plures perfectiones, quæ excellentius ſunt in eo, quam in creaturis. q.1.

Thomas ab Arg. reſp. quod ſecundum quod Deum intelligimus ex cognitione creaturarum per remotionem omnis imperfectionis earum ab eo ipſum nominamus incorruptibilem, & immortalem; & ſecundum quod ipſum intelligimus eminentem ſuper omnes creaturas, ipſum nominamus ęternũ, immenſum, & huiuſmodi; & ſecundum, quod ipſum cognoſcimus eſſe omnium rerũ cauſam, ipſum nominamus creatorem, conſeruatorem, & huiuſmodi. d.22. a.2.

Marſilius reſp. quod Deus eminenter eſt ſummè multiplex, & quoniam intellectus q.23. a.2.

noſter nequit has perfectiones vnico conceptu intelligere, ideo ad ipſas exprimendas pluribus nominibus ipſum nominat.

d.22. a.3. q.1. Ioannes de Baſſ. reſp. quod Deus poteſt pluribus nominibus nominari, quia de ipſo poſſunt plures cõceptus formari ſiue in obiecto ſint aliqua diſtincta ex natura rei, ſiue ex opere tantum rationis.

q.1. Franciſcus a Chriſto reſp. quod ſicut variè cognoſcitur Deus, ita etiam variè nominatur; vnde ſicut cognoſcitur per remotionem, eminentiam, & efficientiam, ita alia ſunt nomina quæ ipſum nominant per remotionem, alia per eminentiam, & alia per efficientiam.

§.1. Guilel. Eſtius reſp. quod ad naturam Dei declarandam multis nominibus vtendum eſt, cum enim in eo ſint omnes omnium rerum perfectiones modo perfectiſſimo, neceſſe eſt vt etiam pluribus nominibus illa diuinæ naturæ excellentia nobis ſignificetur, atque innoteſcat, quam ſingula repreſentare minus queunt.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod Deus ſicut eſt a nobis intelligibilis, ita eſt ſignificabilis, eſt autem intelligibilis a nobis ſecundum multa, ſecundum eſſe, ſecundum virtutem, & ſecundum operationem; igitur & ſecundum multa ſignificabilis, quod autem eſt ſignificabile, eſt nominabile; igitur Deus ſecundum multa eſt nominabilis, nominari autem ſecundum multa non poteſt, niſi pluribus nominibus nominetur; pluribus ergo nominibus eſt Deus nominabilis a nobis.

Obiectio. Sed ſi Deus eſt ſummè vnus?

Reſpondetur, quod Deus eſt ſummè vnus ſecundum eſſentiam, non tamen ſecundum perſonas, & ſecũdum rationes quibus diuerſimodè ſignificatur eſſentia. Ita D. Thomas.

QVÆSITVM III.

An Deus ſit nominabilis a nobis per comparationem tantum ad creaturas?

q.48. m.2. a.1. Alex. reſp. quod ſicut dicit D. Dyon. triplex eſt modus nominandi Deum, per ablationem, per eminentiam, & per cauſam, & horum quilibet eſt per comparationem ad creaturas; primus modus eſt a comparatione diuini eſſe ad creaturam ſecundum differentiam, & ſic dicitur incorporeus; ſecundus modus eſt ſecundum conuenientiam, quæ eſt per proportionem ſecũdum hanc animi communem conceptionem Optimũ in vnoquoque genere eſt Deo attribuendum, & ſic dicitur optimus; tertius modus eſt ſecundum comparationem, quæ eſt effectus ad cauſam, & ſic dicitur potens, ſapiens, & huiuſmodi; omnia ergo nomina dicuntur de Deo per comparationem ad creaturas, ſecũdum illam regulam, Omne ſimplex alio eſt, alio dicitur eſſe, quia ſua propria eſſentia eſt, nominatur autem a ſuo effectu, vnde dicitur iuſtus, quia facit iuſtum, bonus quia facit bonum & huiuſmodi.

D. Thomas reſp. quod Deus eſt quidem nominabilis a nobis ex creaturis ſecundum habitudinem principij remotionis, & cauſæ, ſed non omnia nomina dicuntur per comparationem ad creaturas; ſunt enim aliqua, vt bonus, iuſtus, & ſimilia, quæ ſubſtantiam eius, ſiue naturam ſignificant, licet imperfectè, ſicut creaturæ, ex quibus nominatur ipſum repreſentant imperfectè, vnde cum dicitur iuſtus, aut bonus, non eſt ſenſus, quod ſit cauſa iuſtitiæ, vel bonitatis, vel quod non ſit malus, aut iniuſtus, ſed quod ſit in eo illud, altiori tamen modo, quod nos in creaturis dicimus bonitatem, & iuſtitiam. p.p. q.13. a.2.

Henricus reſp. quod res nominantur ſecũdum quod cognoſcuntur, & quoniam diuina a nobis viatoribus non cognoſcuntur, niſi ex creaturis, idcirco & nomina non imponuntur niſi ex creaturis; nullum tamen eorum ſumitur ad ſignificandum, quod eſt in ſpeciali, quia perfectionem diuinam ſolus ipſe Deus cognoſcit. a.73. q 2.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod multa ſunt nomina, quibus a nobis nominatur Deus, quæ ſignificant ſuum eſſe, multa item, quæ ſignificant eius virtutem, & multa ſimiliter, quæ ſignificant eius operationem; & quoniam eius eſſe non habet reſpectum ad creaturas, nec quælibet eius virtus, nec ſimiliter quælibet operatio, eſt enim operatio ad intra, quæ nullum habet reſpectum ad creaturas, ideo nec eſt nominabilis a nobis per comparationem tantum ad creaturas.

Sed ſi dicit D. Dyon. 2. cap. de diu. nom. quod omnium ſanctorum theologorũ hymnus inuenitur ad beatos thearchiæ proceſſus manifeſtatiuè, & laudatiuè Dei nominationes diuidens? Obiectio.

Reſpondetur, quod intentio D. Dyon. eſt quod ratio impoſitionis diuinorum nominũ ſumitur ſecũdum manifeſtationem proceſſus bonitatis diuinæ in creaturas, non autem quod

Digitized by Google

quod aliqua nomina non imponantur ad ſignificandum Dei eſſentiam nudam, abſque cōparatione .ſ. ad creaturas. Ita Aureolus.

QVÆSITVM IV.

An omnia nomina, quibus a nobis nominatur Deus ſint ſecundum translationem accipienda?

q.48. m.2. a.2. ALex. reſp. quod quædam ſunt nomina, quæ ſignificant de Deo, quia eſt, & hæc ſemper dicuntur propriè, nō ſecundum tranſlationem, vt qui eſt, eſſentia, & huiuſmodi; quædam vero ſignificant de Deo quid eſt, & horum quædam ſunt, quæ ſemper impropriè dicuntur, & ſecundum tranſlationem, vt quæ dicuntur ſecundum corporalem naturam, & vniuerſaliter omnia illa, quæ ſignificant ſpeciem in materia, & imperfectionem, vt ignis, leo, ſplendor, & huiuſmodi; quædam verò ſunt, quæ vno modo propriè, & alio modo impropriè, ideſt ſecundum tranſlationem dicuntur, vt quæ ſignificant ſpeciem non in materia, & perfectionem naturæ, virtutis, & operationis, vt ſapientia, virtus, veritas, & huiuſmodi.

d.22. q.1. a.2. D. Thomas reſp. quod omnia nomina quibus nominatur a nobis Deus, quantum ad modum ſignificandi ſecundum tranſlationem tantum, non propriè ſunt accipienda, quantum vero ad rem ſignificatam, ſi ſignificant perfectionem abſolutè, nō concernendo modum participandi eam, propriè ſunt accipienda, vt quando nominatur iuſtus, ſapiens, bonus, & huiuſmodi; ſi verò ſignificant perfectionem non abſolutè, ſed cum modo participandi eam, ſic ſecundum tranſlationem tantum, & non propriè, vt quando nominatur audiens, videns, ouis, leo, & huiuſmodi; hæc enim concernunt modum participandi diuinam cognitionem, & diuinum eſſe per formas corporales, ſeu in materia. Item Aegidius, & Herueus.

p.p. q.13. a.3. Et iterum reſp. quod in nominibus, quæ Deo attribuimus eſt duo conſiderare .ſ. perfectiones ipſas ſignificatas, vt bonitatem, vitam, & huiuſmodi, & modum ſignificandi; quantū igitur ad id, quod ſignificant propriè dicuntur de Deo, & magis propriè etiam quam de creaturis; quantum vero ad modū ſignificandi, non propriè dicuntur de Deo; habent enim modum ſignificandi, qui competit creaturis

d.22. q.1. D. Bonau. reſp. quod quædam ſunt nomina, quæ ſignificant rem, cuius veritas eſt in Deo, & oppoſitum in creatura, vt immenſus, & æternus, & huiuſmodi non dicuntur de eo ſecundum tranſlationem, nec ſecundum rem, nec ſecundum impoſitionem; quædam ſignificant rem, cuius veritas eſt in Deo, & ſimilitudo eius in creatura, vt potentia, & ſapientia; & huiuſmodi dicuntur ſecundum tranſlationem factam a creaturis ad Deum, non ſecundum rem, ſed ſecundum impoſitionem, quia prius impoſita ſunt creaturis, quam Deo, licet prius ſint in Deo; quædam ſunt, quæ ſignificant rem, cuius veritas eſt in creatura, & conſimilis proprietas in Deo, vt lapis, & leo, res enim ſignificata eſt in creatura, ſed ſimilitudo proprietatis, vt ſtabilitas, & fortitudo eſt in Deo, & huiuſmodi propriè dicuntur ſecundum tranſlationem.

Ricardus reſp. quod illis nominibus, quæ per prius aliquid ſignificant in Deo, quam in creaturis, propriè, & non ſecundum tranſlationem nominatur Deus; ſimiliter illis, quæ cum ſignificent aliquid in eo, oppoſitum ſignificant in creaturis, vt cum dicitur immenſus, & infinitus, illis verò nominatur ſecundum tranſlationem, & non propriè, quæ ſignificant res, quæ ſunt in creaturis, ſimilitudo autem eſt in Deo, vt cum dicitur ouis, agnus, leo, & huiuſmodi. q.4.

Durandus reſp. quod Deus, neque propriè, neque tranſumptiuè nominatur his nominibus, quę in ſuo formali ſignificato imperfectionem important; tranſumptiuè verò tantum his, quæ important aliquam perfectionem, ſed tamen ſecundum modum creaturis conuenientem; propriè autem his, quæ excluſionem imperfectionum creaturarum ſignificant, vel ſaltem perfectionem in tali gradu, qui nullo modo conuenit creaturæ, & ſimiliter his, quæ perfectionem abſolutè important, & non ſecundum aliquem determinatum modum; & hoc conſiderando nomina, quantum ad ſuum ſignificatum, non quantum ad modum ſignificandi. q.1.

Thomas ab Arg. reſp. quod quantum ad modum ſignificandi, qui conſurgit ex noſtro modo intelligendi, qui propter ſui imperfectionem, tranſcendere non valet naturam rerum creatarum, nomina attributalia impropriiſſimè dicuntur de Deo, quia ſecundum noſtrum modum intelligendi nomina attributis imponimus, penes cognitionem, quam de ipſis, vt ſunt in creaturis accipimus; quantum vero ad rem ſignificatam, tanto magis propriè talia nomina dicuntur de Deo, quam de creaturis, quanto ſapientia, & cætera attributa veriori, & realiori modo habent eſ- d.22. a.4.

Digitized by Google

eſſe in Deo, quam in creaturis.

d.22. q.2. Franc. a Chriſto reſp. quod illa nomina, quibus declaratur, aut excluſio imperfectionis, aut perfectio ſimpliciter, aut ſecundum determinatum gradum, qui ſoli Deo conuenit, propriè Deo conueniunt; illa verò quibus ſignificatur perfectio ſecundum determinatum gradum, qui in ſola creatura cernitur, methaphoricè conueniunt ei, ſiquidem formaliter non inueniuntur in Deo, quæ nominibus illis ſignificantur.

q.13. a.5. Ludou. Molina reſp. quod præter nomina, quæ ſignificant relationem rationis, negationem, aut actionem aliquam ad extra, aut aliquid ſimile, quod denominatione extrinſeca propriè denominat Deum, vt quod ſit cognitus, aut dilectus a nobis; ex reliquis illa ſola propriè dicuntur de Deo (ſi non quo ad modum ſignificandi, certè quo ad rem ſignificatam) quæ ſignificant perfectionem ſimpliciter; ex reliquis verò, ſi quæ dicuntur de Deo, non dicuntur propriè, ſed in tranſlatitia ſignificatione, per methaphoram ſcilicet, aut alium tropum, vt quod ſit agricola, ignis conſumens, & huiuſmodi.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod nomina tunc dicuntur de aliquo ſecundum tranſlationem, quã do dicuntur de eo, non prout ſignificant naturam illam determinatam, ad quam primò, & principaliter ſignificandam ſunt impoſita; ſed prout ſignificant aliquam proprietatem conuenientem illi naturæ, quam primò, & principaliter ſignificant, & ſic Deus dicitur aliquando agnus, aliquando leo, aliquando ignis, non prout hæc nomina ſignificant iſtas determinatas naturas; ſed prout ſignificant manſuetudinem, fortitudinem, & actiuitatẽ, quæ ſunt proprietates talium naturarum; cũ itaque non omnia nomina, quæ dicuntur de Deo dicantur, prout ſignificant aliquam proprietatem alicuius naturæ, ad quam ſignificandam primò, & principaliter ſunt impoſita; ſed multa ſunt, quæ ſignificant naturam ipſam, vt eſſentia, ſubſtantia, & huiuſmodi, & ſimiliter multa, quæ dicuntur de eo ſecundum illud, ad quod ſignificandum primò, & principaliter ſunt impoſita, vt iuſtus, pius, bonus; ideo non omnia nomina, quibus a nobis nominabilis eſt Deus ſunt ſecundum tranſlationem accipienda.

Obiectio. Sed ſi Deus ſicut non cognoſcitur, ita non nominatur niſi ex creaturis? ſic autem nominari non eſt niſi ſecundum tranſlationem, non propriè.

Reſpondetur, quod nominari ex creaturis non dicitur propriè, quandocunque ly ex, dicit cauſam talis nominationis; ſed quando dicit cauſam innoteſcendi, tunc multa attribuuntur Deo ex creaturis, quæ propriè dicuntur de eo. Ita Herueus.

QVÆSITVM V.

An omnia nomina quibus a nobis nominatur Deus ſint nomina ſynonima?

D. Thomas reſp. quod nomina, quibus nominatur Deus, etiam ſi idem ſignificent ſecundum rem, quia tamen diſtincta ſignificant ſecundum rationem, quæ ratio non eſt ſolum in ratiocinante, ſed ſaluatur in re ſecundum veritatem, & proprietatem rei, de qua intellectus plures format conceptus, ideo non ſunt ſynonima. Item c. g. l. 1. c. 35. & D. Bonau. Ricardus, Marſilius, Franc. a Chriſto, & Eſtius. d.22. q.1. a.3.

Aegidius reſp. quod ea nomina ſunt ſynonima, quæ ſignificant idem, & eodem modo, nomina autem quibus nominatur Deus, quãuis idem ſignificent, non tamen ſignificant eodem modo, & ideò non ſunt ſynonima; vnde Auer. 12 Meth. 39. viuum (inquit) & vita non ſynonimè dicuntur de Deo. q.2.

Petrus Aur. reſp. quod ideo nomina, quæ de Deo dicuntur nõ ſunt ſynonima, quia eorum conceptus non per ſe, & ex ſua ratione coincidunt in idem, ratione diuerſorum connotatorum; aliud enim eſt, quod connotatur nomine iuſtitiæ, & aliud nomine ſapientiæ, licet ſapientia, & iuſtitia coincidant in eandem deitatem. ar.2.

Franc. Maro reſp. quod quatuor ſũt genera diuinorum nominum; quædam dicuntur multiuoca, vt Theos, & Deus; quædam diuerſiuoca, quæ diuerſificant idem, ſub alia tamen, & alia diffinitione, vt bonitas, & veritas; quædam ſymbolica, vt quæ ex viſibilibus Deo quaſi tranſumptiuè attribuimus, vt lux, & ardor; & quædam analogica, vt ſunt illa, quæ ſibi attribuuntur in exceſſu, ſicut ſuperſubſtantialis, ſuper ens, & huiuſmodi; quia ergo omnia hæc nomina præter multiuoca habent in Deo ſibi correſpondentia aliquo modo diſtincta; ideo præter illa nulla alia ſunt ſynonima. q.2.

Gerardus reſp. quod nomina, quibus nominatur Deus ſignificant perfectiones diuinas, quæ licet non realiter, aut formaliter, conceptibiliter tamen diſtinguuntur, & per actum rationis, quæ prouenit a natura rei nõ re- q un. a.2.

re-

repugnante; non enim repugnat diuinæ eſſentiæ, quod intellectus ponat in ea talem diſtinctionem; idcirco talia nomina non ſunt ſynonima.

q.13. a.4. Ludou. Molina reſp. quod non eſt quæſtio de nominibus, quæ ſignificant relationem rationis, negationem, aut actionem aliquam ad extra, conſtat enim huiuſmodi non eſſe ſynonima; ſed de nominibus, quæ ſubſtantialiter de Deo dicuntur, ſignificantque vnam ſimpliciſſimam rationem formalem, quæ ſimul eſt deitas, bonitas, ſapientia, intellectus, & huiuſmodi; quæ quoniam exprimunt diuerſos conceptus, quos de ipſa formamus; idcirco, non ſunt ſynonima, licet poſſint eſſe ſynonima in intellectu beatorum, qui dum concipiunt Deum, vt eſt in ſe, neque formāt, neque formare poſſunt diſtinctos conceptus intuitiuos diuinorum attributorum, ſed vnū tantum.

Reſolutio.

REſpondeo, quod nomina ſynonima ſunt illa, quæ idem ſignificant, & ſecundum eandem rationem, vt veſtimentum, & veſtis; licet ergo omnia nomina, quibus a nobis nominatur Deus idem ſignificent, quia vnum eſt, & idem ſignificabile, quod eſt Deus, nō tamen ſecūdum eandem rationem, alia enim ratione dicitur iuſtus, alia pius, alia bonus.

Obiectio. Sed ſi Deus eſt maximè vnus? ac proinde re, & ratione vnus?

Reſpondetur, quod Deus eſt vnus ſecundum rem, & pluris ſecundum rationem, & hoc maximè ad eius vnitatem pertinet, cum huiuſmodi rationes in alijs diuiſim, in ipſo ſint ſimpliciter, & vnitæ. Ita D. Thomas.

QVÆSITVM VI.

An omnia nomina, quibus a nobis propriè nominatur Deus ſignificent ſubſtantiam?

q.13. m.3. ALex. reſp. quod nomina, quibus nominatur Deus conſiderantur dupliciter, vel quantum ad ſignificatum, vel quantum ad modum ſignificandi; ſi conſiderantur quantum ad ſignificatum, ſic omnia talia nomina ſignificant ipſam diuinam naturam, ſiue ſubſtantiam; ſi autem conſiderantur quantum ad modum ſignificandi, qui eſt ſicut in creatura, non omnia ſignificant ſubſtantiam, ſed conſequentia ſubſtantiam, vt bonus, iuſtus, ſapiens, dicuntur enim ad ſimilitudinem eorum, quæ ſequuntur naturam in creaturis, & non ſignificant ſubſtātiam, ſed proprietatem.

D. Thomas reſp. quod illa nomina, quæ de Deo dicuntur negatiuè, vel quæ relationē important ad creaturas, non dicuntur de eo ſubſtantialiter; ſed illa, quæ poſitiuè dicuntur, & abſolutè, vtique de illo dicuntur ſubſtantialiter, ita enim illum nominamus, ſicut ex creaturis cognoſcimus, cum autem creaturæ repreſentent eius ſubſtantiam, licet imperfectè, conſequens eſt, vt & huiuſmodi nomina ſignificent eius ſubſtantiam, licet imperfectè. p.p. q.13. a.2.

D. Bonau. reſp. quod ſi attenditur modus eſſendi, vel per ſe, vel per accidens, ſic omnia nomina, quibus nominatur Deus dicuntur ſecundum ſubſtantiam, quia nihil eſt in diuinis per accidens; ſi autem attenditur modus intelligendi, quoniam aliquando intelligitur per modum ſubſtantiæ, vt cum dicitur Deus, aliquando per modum qualitatis, vt cum dicitur bonus, & ſic de alijs, ſic non omnia nomina dicuntur de eo ſecundum ſubſtantiam; ſi verò attenditur modus ſe habendi, qui quidem attenditur ſecundum abſolutum, & reſpectiuum, ſic aliqua dicuntur ſecundum ſubſtantiam, vt quæ dicunt abſolutum, & aliqua non, ſed ſecundum relationem, quæ .ſ. notionalia ſunt, & dicunt reſpectiuum. d.22 q.4.

Ricardus reſp. quod ſubſtantia in diuinis dupliciter accipi poteſt; vno modo pro re per ſe ſtante, & ſic diuiditur cōtra accidens; alio modo pro re abſoluta, & ſic diuiditur contra relationem; primo modo accipiendo ſubſtantiam, omnia nomina, quibus nominatur Deus ſignificant ſubſtantiam, quia quicquid eſt in Deo ſubſtantia eſt; ſecundo modo non, nam quædam ſunt, quæ ſignificant relationem. q.5.

Durandus reſp. quod quædam ſunt nomina, quibus nominatur Deus, quæ dicuntur purè negatiuè, vt increatus, & immutabilis, & hæc non ſignificant ſubſtantiam; quædam verò ſunt, quæ dicuntur poſitiuè, quorum quædam conueniunt Deo in habitudine tantum ad creaturas, vt dominus, & creator, & hæc ſimiliter non ſignificant ſubſtantiam, ſed ſolam habitudinem rationis; quædam verò conueniunt Deo ſine habitudine ad creaturas, & horum, quædam ſunt, quæ abſolutè dicuntur, & quædam relatiuè; eorum quæ abſolutè dicuntur, quædam ſunt, quæ ſignificant eius ſubſtantiam, & per modum ſubſtantiæ vt Deus, quædam verò licet ſignificent ſubſtantiam, ipſam tamen non ſignificāt per modum ſubſtantiæ, ſed vel per modum quantitatis, vt magnus, vel qualitatis, vt bonus; q.2.

nus;

nus; eorum autem, quæ relatiuè dicuntur, quędam ſunt, quæ ſolam relationem dicunt, vt paternitas, quædam verò cum relatione etiam ſubſtantiam, vt Pater; & ſic non omnia nomina, quibus nominatur Deus ſignificant eius ſubſtantiam.

d. 22. c. 3. q. 1. Ioannes de Baſſ. reſp. quod omnia nomina, quæ propriè dicuntur de Deo, vt Adonai nomen tetragrammaton, Qui eſt, Deus, dicuntur ſecundum ſubſtantiam, prout ſubſtantia diſtinguitur contra accidens, non autem prout diſtinguitur contra relationem, vt ſunt nomina perſonarum, vel contra quale, & quantum, vt ſunt nomina attributorum.

q. vn. Anton. Andreas reſp. quod credendum eſt Deũ nominari in ſcriptura multis nominibus ſignificantibus eius ſubſtantiam, vt eſt hæc, & maximè quia talia nomina fortaſſis in principio poſita ſunt ab eo, qui diſtinctè cauſam cognoſcebat, vt ab ipſomet Deo, vel Angelo.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſecundum quod Deus eſt ſignificabilis a nobis, ita & nominabilis, eſt autem ſignificabilis a nobis non tantum quantum ad ſuum eſſe, ſed etiam quantum ad ſuam virtutem, & quantum ad ſuam operationem, & quamuis eſſe eius, virtus, & operatio ſint idem, quod ipſemet Deus, diſtinguuntur tamen ſecundum aliam, & aliam rationem, ſecundum ergo hanc diſtinctionem rationis, ſumitur diuerſitas nominum Dei, quia alia ſunt, quæ ſignificant eius eſſe, & horum quædam ſignificant naturam, & ſubſtantiam, quædam vero perſonam, & relationem; alia item, quæ ſignificant eius virtutem, & alia, quæ ſignificant eius operationem, non ergo omnia nomina, quibus a nobis nominatur Deus ſignificant ſubſtantiã.

Obiectio. Sed ſi omnia in diuinis ſunt idem realiter, quod ſubſtantia, eſſe .ſ. virtus, & operatio?

Reſpondetur, quod eſſe virtus, & operatio ſunt idem realiter, quod diuina ſubſtantia, ſed tamen ſecundum rationem diſtinguuntur, & hoc ſufficit ad hoc, quod aliqua nomina immediatè ſignificent ipſam ſubſtantiam, alia ipſam virtutem, & alia ipſam operationem.

QVAESITVM VII.

An nomina, quibus a nobis nominatur Deus, eiſdem etiam nominentur creaturæ, dicantur vniuocè, an æquiuocè, ſeu analogicè de eo, & de creaturis?

q. 51. m. 1. ALex. reſp. quod nomina, quæ non accipiuntur ſymbolicè, hoc eſt, ſecundum proprietatem formæ corporalis, ſed accipiũtur myſticè, hoc eſt, ſecundum proprietatem formæ ſpiritualis, vt iuſtus, bonus, & huiuſmodi non dicuntur æquiuocè, nec vniuocè, quia non penitus ſecundum aliam rationem, nec tamen ſecundum eandem; ſed dicuntur analogicè ſecundum prius, & poſterius. a. 1.

D. Thomas reſp. quod nomina, quæ dicuntur de Deo, & de creaturis non vniuocè, nec purè æquiuocè dicuntur de eis; non vniuocè, quia non ſecundum eandem rationem, cum enim dicuntur de creaturis ſingula diſtinctas perfectiones ſignificant; cum autem dicuntur de Deo, vnam & eandem; ſapientia enim in Deo eandem perfectionem dicit, quam eſſentia, potentia, & huiuſmodi; non purè æquiuocè, quia ſic nihil poſſet de Deo cognoſci ex creaturis, nec demonſtrari, ſed ſemper incideret fallacia æquiuocationis; nomina ergo, quæ de Deo dicuntur, & de creaturis analogicè dicuntur, ideſt ſecundum proportionem, quia quicquid dicitur de Deo, & de creaturis dicitur ſecundum quod eſt aliquis ordo creaturæ ad Deũ, vt ad principium, & cauſam, in qua præexiſtunt excellenter omnes rerum perfectiones, quæ ſignificantur per nomina. p. p. q. 13. a. 5.

Et iterum reſp. quod nihil de Deo, & alijs rebus poteſt vniuocè prædicari; primò, quia formæ rerum, quarum Deus eſt cauſa ad ſpeciem diuinæ virtutis non perueniunt; ſecundò, quia nihil eſt in Deo, quod non ſit eſſe diuinum, quod alijs rebus non accidit; tertiò, quia nihil de Deo prædicatur, vt vnum de quinque prædicabilibus; quartò, quia Deo nihil eſt ſimplicius; quintò, quia nihil dicitur de Deo ſecundum participationem, neque ſecundum eundem ordinem, vt in creaturis. li. 1. c. 32.

Henricus reſp. quod Deus, & creatura in nullo eſſe vniuocari poſſunt, & ideo nomina quæ dicuntur de eis, nullo modo poſſunt dici vniuocè, ſed tantum æquiuocè, illa ſcilicet æquiuocatione, quæ dicitur analogia, vt quando nomen per prius, & poſterius dicitur de pluribus, & per prius, & poſterius ſignificat illa. a. 73. q. 5.

Dom. Bannes reſp. quod omnis perfectio creata pendet a perfectione increata, & in comparatione ad eam eſt ſicut depicta, & vmbratilis, & per participationem huiuſmodi, & ideo nullum eſt nomen, quod vtramque ſignificet vniuocè. q. 13. a. 5.

Ludou. Molina reſp. quod nomina, quæ dicuntur de Deo, & creaturis ſunt analoga q. 13. a. 5.

de genere tamen eorum analogorum, quibus in mente reſpondet vnus conceptus formalis, de quibus etiam ſcientia, & vna diffinitio eſſe poteſt, quæque ſimpliciter dicta accipiuntur pro omnibus analogicè ſignificatis, eo quod de ſingulis dicantur propriè, de nullo impropriè.

Reſolutio.

RESpondeo, quod nomina illa de pluribus dicta dicuntur vniuocè de eis, quādocunque ſecundum eandem rationem formalem dicuntur, ſicut continuum dicitur vniuocè de linea, & de ſuperficie, quia ſecundum eandem rationem formalem continui; cum itaque nomina, quibus a nobis nominatur Deus dicantur de eo ſecundum eandem rationem formalem, ſecundum quam dicuntur de creaturis, nam iuſtus dicitur Deus, ſecundum quod reddit vnicuique, quod ſibi videtur eſſe reddendum, ſimiliter, & miſericors, ſecundum quod miſeris compatitur, & hæc eſt ratio formalis iuſtitiæ, & miſericordiæ, ſecundum quam etiam creaturæ dicuntur iuſtæ, & miſericordes; ſi enim ſecundum aliam rationem diceretur iuſtus, & miſericors, non eſſet formaliter iuſtus, & miſericos; ſicut medicina non dicitur formaliter ſana, ſicut animal, quia non ſecundum eandem rationem formalem dicitur talis, ſecundum quam dicitur animal. Talia ergo nomina cum dicuntur de Deo, & de creaturis non æquiuocè, nec analogicè, ſed vniuocè dicuntur.

Sed ſi per prius, & perfectius dicuntur de Deo, quam de creaturis? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod dici per prius, & perfectius de vno, quam de altero non tollit vniuocationem a nomine, dummodo ſecundum eandem rationem formalem dicatur de eis; ſicut lucidum de Sole, & Stellis dictum, quamuis per prius, & perfectius dicatur de Sole, quam de Stellis, quia Sol eſt cauſa luciditatis in Stellis; non dicitur tamen æquiuocè, vel analogicè, ſed vniuocè, quia ſecundum eandem rationem luciditatis, quæ in Sole eſt, & Stellis.

QVÆSITVM VIII.

An aliqua nomina dicantur de Deo ex tempore?

d. 22. a. 3. ALbertus reſp. quod nomina quæ in ſe ſignificant diuinam eſſentiam Deo conueniunt ab æterno, quæ autem ipſam ſignificant cum connotatione effectus, dicuntur de eo ex tempore.

Et diſ. 30. reſp. quod multa ex tempore Deo conueniunt, quorum quædam prædicantur per cauſam, vt ſalus, ſpes, potentia; quædam verò prædicant habitudinem ad ea, a quibus diſtinguuntur, vt creator, rector, Pater, & huiuſmodi.

D. Thomas reſp. quod nihil prohibet aliqua nomina importantia relationem ad creaturas dici de Deo ex tempore, non propter aliquam mutationem ipſius, ſed propter creaturæ mutationem, ſicut columna fit dextra animali, nulla facta mutatione in ea, ſed in animali tantum. *d. 30. q. 1.*

D. Bonau. reſp. quod aliquid dici ex tempore contingit dupliciter, aut quia ipſum eſt temporale, aut quia dicit reſpectum ad temporale; primo modo licet nihil dicatur de Deo per eſſentiam, vel per inhærentiam, quia omne tale eſt variabile, Deus autem omnino inuariabilis, dicitur tamen per cauſam, vt cum dicitur Deus eſt creator, vel per vnionē, vt cum dicitur Deus eſt homo; ſecundo modo multa etiam dicuntur de Deo ex tempore, licet non ratione principalis ſignificati, ſed ratione connotati in creatura, vt cum dicitur Deus eſt dominus, Deus eſt creator. Item Aegidius. *q. 1.*

Ricardus reſp. quod aliquid dicitur de aliquo multipliciter, vel quia ſignificat eſſentiam illius, ſeu aliquid de eſſentia, vel aliquid accidens abſolutum inhærens ei, vel cauſam, vel illius effectum, vel relationem ipſum denominantem, vel actionem illius tranſeuntem, vel actionem alterius modo paſſiuo ſignificatam, vel rem vnitam ei, de quo dicitur; primis itaque tribus modis nihil dicitur de Deo ex tempore; non enim primo, quia quicquid ſpectat ad eſſentiam eius conuenit ei ab æterno; non ſecundo, quia in Deo nullum eſt accidens; non tertio, quia nulla eſt Dei cauſa; ſed alijs quinque modis; quarto ſ. vt cum dicitur Deus eſt patientia noſtra; quinto, vt cum dicitur, Dominus noſter, ſexto, vt cum dicitur, creator; ſeptimo, vt cum aliquo nomine laudatur; octauo, vt cum dicitur homo. *a. 1. q. 1.*

Reſolutio.

REſpondeo, quod omnia nomina, quæ de Deo dicuntur, vel ſignificant diuinum eſſe, vel diuinam virtutem, vel diuinam operationem; quæ ergo ſignificant diuinum eſſe, vel diuinam virtutem non poſſunt dici de Deo ex tempore, quia ſignificant id, quod eſt æter-

Digitized by Google

æternum; ſed quæ operationem ſignificant, & non illam, quæ ad intra eſt, quoniam etiam hæc æterna eſt, ſed quæ eſt ad extra, & terminatur in creaturas, ex tempore dicuntur.

Obiectio. Sed ſi Deus a quocunque temporali diſtat in infinitum? eorum autem, quæ diſtant in infinitum vnum de altero dici non poteſt.

Reſpondetur, quod eorum, quæ diſtant in infinitum vnum de altero dici non poteſt prædicatione per eſſentiam, vel per alicuius abſoluti inhærentiam; ſed bene poteſt dici prædicatione per cauſam, vel per habitudinem ad aliud. Ita Ricardus.

QVÆSITVM IX.

An nomina, quæ dicuntur de Deo ex tempore dicantur per accidens?

d. 30. a. 2. Albertus reſp. quod multa ſunt nomina in Deo, quæ nõ prædicant accidẽs propria prędicatione, ſed ex conſequenti, vt dominus creator, & huiuſmodi; hæc enim prædicant eſſentiam in habitudine ad effectum in creatura, vnde illa habitudo addita conſequenter ducit in effectum, & hoc eſt accidens, quod conſequenter ex relatione eorum intelligitur .ſ. dependentia creaturæ a Deo ſecundum exitum in eſſe, vt creator, vel ſecundum ſuppoſitionem, vt dominus.

q. 2. D. Bonauent. reſp. quod tribus modis aliquid dicitur per accidens; primo per oppoſitionem ad ſubſtantiam; ſecundo per oppoſitionem ad per ſe; tertio per oppoſitionem ad neceſſarium; quæ ergo dicuntur de Deo ex tempore non dicuntur per accidens primo modo, quia ſic dici per accidens importat compoſitionem, & varietatem; nec ſimiliter ſecundo, quia importat poſterioritatem, & imperfectionem; ſed bene tertio, quia hæc dicuntur de eo per comparationem ad creaturam, in comparatione autem ad creaturam eſt Deus agens per voluntatem, quæ non ſemper, nec de neceſſitate eſt cõiuncta actui.

a. 1. q. 2. Ricardus reſp. quod aliquid dici de Deo per accidens quadrupliciter poteſt intelligi; vel quod illud, quod de eo dicitur ſit accidẽs ipſi inhærens, & ſic nihil de Deo dicitur per accidens, nec ex tempore, nec ab æterno; vel quod illud ſit accidens in alio exiſtens ſecundum rem, denominans tamen ipſum ſecundum habitudinem rationis, & ſic de Deo dicitur dominus, & creator, per accidens; vel quod illud dicatur de Deo contingenter, & ſic creare, & eſſe dominum dicuntur de Deo contingenter, quantum ad illam habitudinem, quam ſignificant, vel connotant in creatura, vel quod dicatur de ipſo ratione naturæ humanæ ſibi vnitæ, & ſic de Deo poteſt dici aliquid ex tempore per aliud.

de att. lib. 2. c. 32. Franc. Suar. reſp. quod nomina, quæ dicuntur de Deo ex tempore cum relatione ad creaturas, qui ſic denominant Deum denominatione extrinſeca, & dicunt in eo relationem tantum rationis, non niſi contingenter prædicãtur, ac proinde quo ad formam prædicationis accidentaliter, nõ ſubſtantialiter.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod attenta diuinæ naturæ ſimplicitate, & infinitate, nihil poſſumus dicere dici de Deo per accidens, quod enim per accidens dicitur de aliquo, ideo dicitur, quia dicitur de eo non inquantum huiuſmodi, ſicut album dicitur ædificans per accidens, quia ædificans non inquantum album ædificat, nihil autem eſt quod dici poſſit de Deo, & non inquantum huiuſmodi, quia nihil eſt, quod dicatur de eo, quod non ſit Deus, vnde ſi dicitur creator, iuſtificator incarnatus, & ſimilia, non dicitur niſi inquantum Deus, qui ex tempore eſt creator, iuſtificator, & incarnatus, in eo enim ſiue ab æterno, ſiue ex tempore nihil eſt aliud a Deo; nulla ergo in diuinis propriè eſt dicenda accidentalis prædicatio, ſed quælibet per ſe, & inquantum huiuſmodi, quia nulla alietas, ſed ſumma ſimplicitas, infinitas, atque vnitas eſt in eo.

Obiectio. Sed ſi quæ dicuntur de aliquo per ſe, & inquantum huiuſmodi ſemper dicuntur de eo? non autem ſemper dicuntur de Deo, quæ dicuntur de eo ex tempore.

Reſpondetur, quod quæ dicuntur de aliquo per ſe, & inquantum huiuſmodi, ſi denominatione intrinſeca dicuntur, ſemper dicũtur de eo, ſi verò denominatione extrinſeca, vt in propoſito, non ſemper.

QVÆSITVM X.

An nomina, quæ dicuntur de Deo ex tempore ſignificent ſubſtantiam, an relationem?

q. 13. m. 1. Alex. reſp. quod hoc nomen dominus, quãdoque abſolutè ponitur, & tunc notat eſſentiam tantum, & ab æterno conuenit Deo; quandoque reſpectiuè, & tunc principaliter eſſentiam ſignificat, & ſecundariò relationem, & eſt ſenſus; Deus eſt dominus, ideſt Deus eſt Deus, cui creatura ſubiecta eſt; ſimiliter hoc nomen creator, & ſimi-

Digitized by Google

ſiue ab alio cognoſcente ipſum Deum, & ſic ipſum diſtinctè nominare, nomine .ſ. ſignificante eius propriam eſſentiam. Item Antonius Andr. & Paul. Script.

a. 2. Petrus Aur. reſp. quod ſicut intellectus noſter poteſt habere propriam, & diſtinctam rationem eſſentiæ diuinæ conceptu tamen analogico, & confuſo, nam poteſt ipſam concipere ſub ratione entis, cui competit infinitas, actualitas, ſumma, & cauſalitas prima, quæ eſt ratio deitatis; ita poteſt ipſam aliquo proprio nomine ſignificare, quod enim contingit intelligere, contingit etiam (vt dicit Ariſt.) ſignificare, & hoc nomen eſt Deus, vel Adonai, vel ſi aliud eſt tale, vt tetragrammaton, quod ſit impoſitum ad ſignificandam deitatem, quam viator analogicè apprehēdit.

q. vn. Guilelm. Occham reſp. quod aliquod nomen diſtinctè aliquid ſignificare, poteſt intelligi tripliciter; vel quod non ſignificet aliquid aliud, nec connotet, nec det intelligere ex vi ſuæ inſtitutionis; vel quod ſignificet illud, & non aliud, ſiue aliud connotet, ſiue non; vel quod ex vi ſuæ inſtitutionis, & communi vſu vtentium, nihil aliud ad prolationem vocis occurrat realiter; primo, & ſecundo modo poteſt Deus nominari a nobis aliquo nomine diſtinctè ſignificante eius eſſentiam, quoniam licet a nobis non concipiatur diſtinctè, poteſt tamen intelligi, vt quid realiter diſtinctum ab omni alio, tertio modo autem non, quoniam prolata quacunque voce ſignificatiua intelligenti ſignificationem vocis, aliquid aliud occurrit .ſ. conceptus communis Deo, & alijs.

a.3. Thomas ab Arg. reſp. quod nomen aliquid ſignificare aliquam naturam poteſt dupliciter intelligi; vno modo perfectè, & diffinitiuè, & ſic nullum nomen tale poteſt viator imponere diuinæ naturæ, quia ipſam perfectè, & diffinitiuè non poteſt apprehendere; ſecundo modo poteſt dici aliquid nomen propriè ſignificare aliquam naturam, eoquod per noſtrum arbitrium diſtinctè ſit impoſitum ad ſignificandum illam naturam nudè, & in ſe circunſcriptis quibuſcunque, quæ ſecundum noſtrum modum intelligendi videntur annexa illi naturæ, ſiue per modum proprietatum, ſiue per modum accidentium, & ita poſſumus nomen imponere, quod ipſam naturam propriè, & diſtinctè ſignificet.

q. vn. a. 1. Gerardus reſp. quod modus ſignificandi & nominandi ſupponit noſtrum modum intelligendi tanquam ſuam cauſam, & menſuram; ſicut ergo ipſum poſſumus intelligere, ita & aliquo nomine nominare, & quoniam ipſum poſſumus intelligere quantum ad ſuā eſſentiam, non quidem modo eſſentiali, & proprio, quia ſic eum intelligeremus per ipſammet eſſentiam, vel per aliquid medium ſibi adæquatum, & eſſentiale, in ſecundo modo dicendi per ſe, quod non habet; ſed modo accidentali, & extraneo, idcirco eodem modo poſſumus eandem eſſentiam per aliquod nomen ſignificare.

Marſilius reſpondet, quod Deus nullo verbo creato poteſt perfectè nominari ſic, quod huiuſmodi nomen creatum omnem modum perfectionis Dei notum faciat, & ratio eſt, quia nequit perfectè cognoſci, ergo nec nominari, perfectior enim eſt conceptus, qui eſt ſignum rei ad intra, quam vox, vel nomen rei ad extra. q. 21. a. 2.

Michael de Palatio reſp. quod nullum eſt nomen diuinum apud nos, quod Deum diſtinctè, & propriè ſignificet, non miſcendo extraneam ſignificationem, immò fictitiū eſt nomen diſtinctè nobis aliquid ſignificare ſine correſpondentia conceptus diſtincti, nāque ſignificare eſt facere cognoſcere, ergo ſignificare diſtinctè eſt facere cognoſcere diſtinctè. d. 21. diſp. vn.

Guilelm. Eſtius reſp. quod cum Deus capacitatem intellectus humani in infinitum excedat, nullum nomen poteſt ipſum nobis perfectè repreſentare, res enim quælibet, vt intelligitur, nominatur. d 22. §. 1.

Franc. Suar. reſp. quod quia impoſſibile eſt in hac vita cognoſcere Deum quiditatiuè, idcirco nec habere nomen, quod ipſum quiditatiuè repreſentet. de tr. lib. 2. c. 31.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſicut aliquid eſt intelligibile, ita & ſignificabile, & ſicut eſt ſignificabile, ita & nominabile; cum itaque Deus non ſit a nobis propriè, & diſtinctè intelligibilis, quia non quantum ad omnia ea, quæ ſunt ſibi intrinſeca, & propria, ideo nec etiam eſt propriè, & diſtinctè ſignificabilis a nobis, nec ex conſequenti nominabilis aliquo nomine propriè, & diſtinctè ſignificante eius eſſentiam, ſeu naturam.

Sed ſi Deus imponeret ſibi nomen, ſuę naturæ conforme, & cōmunicaret illud nobis? Obiectio.

Reſpondetur, quod apud nos non ſignificaret diſtinctè eſſentiam diuinam, ſed tantum apud Deum; & hoc eſt, quod aliquando dixit. Et nomen meum Adonai non reuelaui eis, & tamen dum dixit Adonai, reuelauit, quia ſcilicet, licet haberent nomen, non habebant tamen diſtinctum ſignificatum no-

nominis, quia apud homines non propriè, & diſtinctè ſignificat eſſentiam, cum eſſentia diſtinctè ab hominibus intelligi non poſſit.

Sed ſi dicit D. Ioann. Dam. quod Deus græcè theos dicitur a thein, quod eſt curare, & ab ethin, quod eſt ardere, vel a theaſte, quod eſt videre, quæ omnia ad operationem pertinent? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod D. Ioann. Dam. loquitur ſecundum quandam accommodationẽ verborum græci idiomatis ad inſtructionem ſimplicium; non ſecundũ propriam rationem impoſitionis huius nominis Deus, vel græcè theos.

QVÆSITVM XII.

An nomen hoc Deus ſit nomen naturæ, an operationis?

c.3. q.3. GVil. Antiſiod. reſp. quod hoc nomen Deus eſt nomen naturę, & nomen operationis, ſed aliter, & aliter; naturæ propriè, & principaliter, operationis verò tanquam adminiculi ad intelligendum Deum.

q.50. m.1. a.a. Alex. reſp. quod nomen operationis dicitur duobus modis, vno modo, vt impoſitum ab operatione, alio modo, vt ſignans operationem; primo modo hoc nomen Deus eſt nomen operationis, quia impoſitum eſt, & ſumptum, vt dicit D. Ioan. Dam. ab operatione fouendi, videndi, vel conſumandi, per quas operationes a creatura mundi cognoſcitur ſempiterna eius virtus, & diuinitas; ſecundo modo non eſt nomen operationis, immo ſignificat ipſam diuinam naturam, inquãtum huiuſmodi, & ad illam ſignificandam impoſitum eſt.

p.p. q.13. a.8. D. Thomas reſp. quod hoc nomen Deus eſt quidem nomen operationis quantum ad id, a quo eſt impoſitum ad ſignificandum, eſt enim impoſitum ab vniuerſali rerum prouidentia, ſic namque omnes loquentes de Deo hoc intendunt nominare Deum, quod habet prouidentiam vniuerſalẽ de rebus; quantum tamen ad id, ad quod ſignificandum eſt impoſitum eſt nomen naturæ, cum ſit impoſitum ex tali operatione ad ſignificandum aliquid ſupra omnia exiſtens, quod eſt principium omnium, & remotum ab omnibus.

Reſolutio.

RESpondeo, quod illud nomen dicitur eſſe nomen naturæ, quod in ſua acceptione rem principaliter repreſentat, vt homo; illud verò dicitur eſſe nomen operationis, quod in ſua acceptione principaliter repreſentat actionem, vt ſecans, & huiuſmodi ſunt nomina illa tantum, quæ deſcendunt a verbis ſignificantibus actionem, cum itaque hoc nomen Deus non deſcendat ab aliquo verbo ſignificante actionem, ſed in ſua acceptione ſtatim, & principaliter repreſentet id, quo nihil maius excogitari poteſt; ideo ſequitur, quod ſit nomen naturæ, non operationis.

QVÆSITVM XIII.

An nomen hoc Deus dici poſſit de creaturis?

ALex. reſp. quod hoc nomen Deus accipitur tripliciter, naturaliter, adoptiuè, nuncupatiuè; naturaliter non dicitur niſi de creatore; adoptiuè etiã de ſanctis, eo quod sũt in participatione deitatis, & hoc vel in participatione potentiæ, quemadmodũ Moiſes dictus eſt Deus Pharaonis; vel in participatione bonitatis, ſicut dicitur in Pſalmo Deus Deorum dominus locutus eſt; vel in participatione ſapiẽtiæ, ſicut cum dicitur, ego dixi Dij eſtis; nuncupatiuè, & ſic dicitur de Idolis, & de Demonijs, vnde dicitur in pſalmo, Omnes Dij gentium demonia. Item Guilelmus Varrill. q.50. m.2.a.

D. Thomas reſp. quod hoc nomen Deus, vt eſt impoſitum ad ſignificandum naturam diuinam, non dicitur ſecundum rei veritatẽ de creaturis, cum ipſa natura ſit incommunicabilis creaturis; ſed vel ſecundum opinionem inquantum aliquæ creaturæ exiſtimantur Dij, & nõ ſunt, de quibus dicit Apoſtolus Scribens ad Gal. His qui natura non ſunt dij ſeruiebatis; vel ſecundum participationem inquantum aliquæ creaturæ participant aliquid diuinum per ſimilitudinem, quibus dicitur a Propheta in pſalmo, ego dixi Dij eſtis, filij excelſi omnes. p.p. q.13 a.9.

Reſolutio.

RESpondeo, quod hoc nomen Deus, ſecũdum quod eſt principaliter impoſitum, & in vſum communiter receptum ad ſignificandam naturam illam, quæ eſt eminẽtiſſima ſuper alias omnes, non niſi falsò, & vſurpatiuè dicitur de creaturis, quia verè, & realiter nulla creatura eſt Deus; ſecundum autem quod aliqua excellentia propria tali naturæ communicatur alicui creaturæ, creatura illa reſpectiuè dicitur Deus, inquantum .ſ. ſecundum talem excellentiam ipſum repreſen-

ſentat, & ſic aliquando Angeli, aliquando homines ſancti dicuntur dij, quia vel in maieſtate, vel in ſapientia, vel in poteſtate ipſum repreſentant.

Obiectio. Sed ſi diuina natura eſt nobis communicabilis? dicit enim D. Petrus Apoſt. quod nobis Deus magna promiſſa donauit, vt per hoc efficiamur conſortes diuinæ naturæ.

Reſpondetur, quod diuina natura non eſt de ſe nobis communicabilis, niſi ſecundum participationem ſimilitudinis; quomodo etiã communicabile eſt & hoc nomen Deus. Ita D. Thomas.

QVÆSITVM XIV.

An hoc nomen Deus cum dicitur de Deo, & de creaturis, dicatur vniuocè, an æquiuocè, ſeu analogicè de eis?

q. 5. m. 1 a. 1. ALex reſp. quod hoc nomen Deus ſecundum ſuam propriam rationem, quę eſt in vno ſimplici, & ſolo, quod eſt omnibus principium, & cauſa, ſic vni ſoli naturæ increatæ conuenit; ſecundum verò communem rationem, quæ accipitur a notione mentis noſtræ impreſſa, vt quod eſt aliqua res ſuper hominem veneranda dicitur per prius, & poſterius; nam hæc res veneranda ſuper hominem, aut eſt veneranda ſecundum veritatem, aut ſecundum falſam opinionem; ſi ſecundum falſam opinionem, ſic accipitur nuncupatiuè, & non ſubeſt veritas in re, vt cum dicitur Idolum Deus; ſi verò ſecundum veritatem, aut eſt veneranda veneratione latriæ, & ſic accipitur naturaliter, vt cum dicitur Trinitas eſt Deus, aut veneratione duliæ, & ſic accipitur adoptiuè, vt cum dicitur de ſanctis, quod ſunt Dij.

p. p. q. 13. a. 10. D. Thomas reſp. quod hoc nomen Deus, vt dicitur de Deo per naturam, de Deo per participationem, & de Deo per opinionem, non vniuocè dicitur, nec æquiuocè, ſed analogicè; ſecundum enim quod ſumitur pro Deo vero in ratione Dei, ſumitur ſecundum quod dicitur Deus ſecundum participationẽ; vel opinionem, cum enim aliquid nominamus Deum ſecundum participationem intelligimus nomine Dei aliquod habens ſimilitudinem veri Dei, ſimiliter cum ſecundum opinionem nominamus, vt cum dicimus Idolũ Deũ, hoc nomine Dei intelligimus ſignificare aliquid, de quo homines opinantur, quod ſit Deus; eſt ergo alia, & alia ſignificatio nominis, ſed vna illarum ſignificationũ clauditur in ſignificationibus alijs, & ita analogicè dicitur.

Reſolutio.

REſpondeo, quod illud nomen dicitur de pluribus vniuocè, quod de eis dicitur ſecundum eandem rationem, ad quam ſignificandam primò, & principaliter eſt impoſitum, & in vſum receptum, ſicut animal dicitur de homine, & leone; illud verò dicitur æquiuocè, quod dicitur de pluribus ſecundum diuerſas rationes, ad quarum vnam ſignificandam non eſt magis impoſitum, quam alteram, neque in vſum receptum, ſicut hoc nomen canis, non enim magis ſignificat canem terreſtrem, quam marinum, & cæleſtem; illud verò dicitur analogicè, quod dicitur de pluribus ſecundum diuerſas rationes, ad quarum vnam tamen ſignificandam eſt principaliter impoſitum, alias verò ſecundum quandam reductionem, & ordinem ad illam, ſicut hoc nomen ſanum principaliter eſt impoſitum ad ſignificandam hanc qualitatem, ſeu hoc eſſe quale in animali, deinde reductũ ad medicinam vt cauſam, & ad colorem vt ſignum; cum itaque hoc nomen Deus dicitur de creaturis, quandoque dicitur cum hac intentione, quod ſecundum eandem rationem dicatur, ad quam primò, & principaliter tale nomen eſt impoſitum, & ſic vniuocè dicitur, licet tamen falsò, & vſurpatiuè creaturis adſcribatur, ſicut ſi diceretur homo de lapide, vel ligno; quandoque verò dicitur cum hac intentione, quod non ſecundum eandem rationem dicatur, ad quam primò, & principaliter eſt impoſitum, ſed tantum ſecundum quandam reductionem, & ordinem ad illam, quatenus ſ. in quadam excellentia ipſum repreſentet, eo modo quo homo fortis dicitur Hercules, quia ſ. ipſum imitatur, & repreſentat, & ſic hoc nomen Deus dicitur analogicè de Deo, & de creaturis, nunquam tamen dicitur æquiuocè, quia licet dicatur de pluribus ſecundum diuerſas rationes, non eſt tamen impoſitũ, nec in vſum redactum ad ſignificandas tales rationes, omnino diuerſas, & nullo modo ad inuicem ordinatas.

Sed ſi hoc nomen Deus dicitur de Deo vero, & de Deo falſo, ſicut animal dicitur de animali vero, & de animali picto? ex quo æquiuocè dicitur. Obiectio.

Reſpondetur, quod hoc nomen animal licet ſit impoſitum ad ſignificandam vnam tantum rem, eſt tamen in vſum receptum ad ſignificandas plures naturas, vnde figuræ animalium dicuntur animalia, & ſic hoc nomen animal eſt æquiuocum, cum dicitur de animali

Digitized by Google

mali verò, & animali picto, non ſic autem eſt nomen Deus, quia non eſt in vſu, vt ſignificet diuerſas res, ſed vnam tantum, propter quod dicimus vnum tãtum eſſe Deum.

QVÆSITVM XV.

An nomen hoc, Qui eſt, ſit nomen proprium Dei?

cap.3 q.2. GVilelmus Antiſiod. reſp. quod hoc nomen, Qui eſt, ſecũdum veritatem, & ſimpliciter, eſt primum nomen Dei; ſed tamen bonum eſt primum quo ad nos, quia ipſum ſecundum fluxum ſuæ bonitatis primum cognoſcimus,

q.49. m.4. a.2. Alex. reſp. quod inter omnia nomina, quibus a nobis nominatur Deus, hoc eſt primum, Qui eſt; ſignificat enim eſſe, quod ſicut eſt primum intelligibile, ita eſt primum nominabile; ſed non communiter, vt ens ſed vt appropriabile enti, quod eſt Deus cum ratione infinitatis ſubſtantiæ deſignatæ hoc nomine, Qui, cum ratione actualitatis, ſeu immutabilitatis deſſignatæ per adiunctum, Eſt, quod ſignificat eſſentiam, vt actum, & præſentem.

d.2. q.1. a.1. D.Thomas reſp. quod hoc nomen Qui eſt, inter alia nomina eſt maximè proprium Dei; primò, quia nullam deficientiam dicit in Deo, ſicut in creaturis; ſecundò, quia ſignificat indeterminatè: hoc autem de Deo tantum cognoſcimus; tertiò, quia, vt dicit D. Dyon. inter omnes alias diuinæ bonitatis participationes primum eſt; quartò, quia in Deo eſt idem, quod ſua quiditas.

p.p. q.13. a.11. Et iterum reſp. quod hoc nomen Qui eſt, eſt maximè proprium Dei; primò, propter eius ſignificationem, ſignificat enim eſſe, eſſe autem Dei eſt ipſa eius eſſentia, quod nulli alij conuenit a Deo; ſecundò propter eius vtilitatem; tertiò propter eius conſignificationẽ, conſignificat enim eſſe in preſenti, quod maximè Deo conuenit, cuius eſſe (vt dicit D. Aug. 5. de Trinit. c. 2.) non nouit preteritum, vel futurum.

d.22. q.6. Ricardus reſp. quod hoc nomen Qui eſt, eſt Deo magis proprium, quam quodcunque aliud; primò, quia ſignificat ipſum eſſe, eſſentia autem Dei eſt ipſum purum eſſe, quod nulla alia eſt eſſentia; ſecundò, quia nihil addit neque ſecundum rem, neque ſecundum rationem, vnde non contrahit intellectum in apprehenſione Dei ſicut contrahunt alia nomina; tertiò, quia ſignificat in præſenti eſſe, quod eſt maximè æternitatis expreſſiuum.

d.8. Durandus reſp. quod ſi quæritur de proprio, vt diuiditur contra tranſlatum, ſic hoc q.1. nomen Qui eſt, eſt magis Deo proprium, quam quodcunque aliud; tum quia cognitio Dei per huiuſmodi nomen eſt magis propria, cum minus intellectus deficiat ab apprehenſione eius eſſe; tum quia plures perfectiones importat vnico modo, quam quodcunque aliud; ſi vero quæritur de proprio, vt diuiditur contra commune ſic non eſt nomen proprium Dei, quia commune eſt etiam alijs creaturis, ſed tamen aliquo modo appropriatum, cum ei maximè competat eſſe, quæ tamen appropriatio non eſt reſpectu aliorum nominum, ſed creaturarum, cum nulli earum, poſſit ſic appropriari eſſe.

Reſolutio.

REſpondeo, quod nihil eſt, quod dici non poſſit eſſe, quod eſt, & ideo hoc nomen Qui eſt, ſic ſimpliciter acceptum non eſt nomen proprium Dei; eſt ergo apropriatum ei, & hoc ſecundum quandam prærogatiuam, quam habet in eſſendo, quia .ſ. ſuper omnia eſt incõprehenſibilis, ineffabilis, & infinitus.

Sed ſi conceptus, quem habemus de Deo Obiectio. Qui eſt, eſt maximè confuſus?

Reſpondetur, quod quia conceptus, quem habemus de Deo, Qui eſt, eſt maximè cõfuſus, idcirco nec propriè conuenit ei, vt ly propriũ diuiditur contra commune. Ita Durandus.

DISTINCTIO VIGESIMA TERTIA.

Prædictis adijciendum eſt, quod cum omnia nomina, ſecundum ſubſtantiam de Deo dicuntur, &c.

QVAESITVM I.

An Deo conueniat nomen, & ratio entis?

ALex. Alenſ. reſp. quod nominatio diuini eſſe eſt duobus modis, per effectus, & per impreſſiones notionum, q.49. m.1. a.1. quæ ſunt inditæ intellectui; per effectus nominatur creator, omnipotens, & huiuſmodi, per impreſſiones vero notionum, quæ ſunt, inditæ intellectui nominatur ens, verum, bonum, quo nomine entis ſignificatur ipſum diuinum eſſe, vt quod eſt.

D. Thomas reſp. quod Deus eſt maximè p.p. q.11. a.4. ens, inquantum eſt non habens aliquod eſſe determinatum per aliquam naturam, cui adueniat, ſed eſt ipſum eſſe ſubſiſtens omnibus modis indeterminatum.

Re-

Digitized by Google

Reſolutio.

RESpondeo, quod hoc nomen ens eſt participium verbi ſubſtantiui ſum, es, eſt, & ratio eius non eſt alia ab eſſe, cui ergo aliquo modo conuenit eſſe, conuenit etiam nomen, & ratio entis; cum itaque maximè Deo conueniat eſſe, quia non ſolum eſt, ſed ſuper omnia eſt, & ab ipſo omnia ſunt, maximè etiam conuenit ei nomen, & ratio entis.

Obiectio. Sed ſi Deo nihil conuenit commune cum alijs? nullum enim ſummè ſimplex habet aliquod cum alijs commune; eſt autem ens omnibus commune.

Reſpondetur, quod Deo nihil conuenit commune cum alijs, quod ſit contractum ad aliquod genus, ſic enim repugnaret ſuæ ſummæ ſimplicitati; ens autem ad nullum genus contractum eſt, & ideo nec ens, nec ratio eius repugnat diuinæ ſimplicitati.

QVAESITVM II.

An Deo conueniat nomen, & ratio eſſentiæ?

q. 49. m. 1 a. 1. ALex. Alenſ. reſp. quod nomine eſſentiæ ſignificamus ipſum diuinum eſſe, vt quo eſt, ſicut enim ab eo quod eſt ſapere (inquit D. Auguſtinus) dicta eſt ſapientia, ita ab eo quod eſt eſſe dicta eſt eſſentia, conuenit ergo Deo nomen, & ratio eſſentiæ, ſicut conuenit eſſe. Item Aegidius.

d. 23. a. 1. q. 3. D. Bonau. reſp. quod Deo conuenit nomen, Qui eſt, tanquam ſibi proprium, & a ſemetipſo impoſitum; de quocunque autem dicitur propriè Qui eſt, poteſt dici etiam eſſentia, & ſic Deo conuenit nomen eſſentiæ; conuenit ſimiliter, & ratio, quia ratio eſſentiæ eſt quo aliquid eſt, cum autem Deum intelligamus vnum eſſe, non poſſumus ipſum intelligere eſſe vnum, niſi intelligamus quo eſt vnum, quod eſt intelligere eſſentiam.

a. 1. q. 1. Ricardus reſp. quod in Deo ſicut in quolibet per ſe exiſtente eſt quo eſt, & quod eſt, quo, eſt eſſentia, quod, ſuppoſitũ; & ideo cõuenit ei nomen, & ratio eſſentiæ, & etiam ſuppoſiti.

q. 2. Durandus reſp. quod hoc nomen eſſentiæ propriſſimè conuenit Deo, & quãtum ad id, quod ſignificat, & quantum ad id, a quo ad ſignificandum eſt impoſitum, quantum ad id, quod ſignificat, quia illud de ſe non contrahitur ad certum genus, ſed omne genus excedit, ſicut ens, & ideo propriè Deo conuenit, qui ad nullum genus limitatur; quantum verò ad id, a quo imponitur, quia imponitur ab eſſe, quod propriſſimè Deo conuenit.

Marſilius reſp. quod ideo Deo conuenit nomen, & ratio eſſentiæ; primò, quia independenter eſt, immutabiliter, & immenſè; ſecundò, quia omnibus alijs eſſe præbet; tertiò, quia liberè omnia in eſſe ſuſtinet. *q. 10. a. 4.*

Reſolutio.

REſpondeo, quod nomine eſſentiæ vtimur ad denotandum totum eſſe rei per modum formæ denominantis eſſe, ſicut dicimus eſſentiam hominis, eſſentiam leonis; cum igitur Deo conueniat eſſe, non inconuenit ei, vt ad ipſum denotandum, quamuis immẽſum, & infinitum, vtamur nomine communi eſſentiæ, quod ipſum denominet per modum formæ.

Sed ſi eſſentia eſt illud, per quod aliquid eſt in genere? Deo autem non conuenit eſſe in genere. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod eſſentia eſt illud per quod aliquid eſt in genere, quando eſt diſtans ab eſſe; in diuinis autem non diſtat ab eſſe, & ſic non ſequitur, quod non conueniat ei nomen, & ratio eſſentiæ per hoc, quod non conuenit ei eſſe in genere. Ita Ægidius.

QVÆSITVM III.

An Deo conueniat nomen, & ratio ſubſtantiæ?

ALex. reſpondet, quod vno modo dicitur ſubſtantia, quod eſt per ſe ens non indigens alio vt ſit, alio modo, quod alteri ſubſtat; Deo ergo conuenit nomen, & ratio ſubſtantiæ primo modo ſumptæ, non ſecundo; nephas enim eſt dicere (inquit D. Auguſtinus) vt ſubſiſtat Deus bonitati ſuæ. *q. 57. m. 1.*

D. Bonau. reſp. quod nomen ſubſtantiæ aliquando dicitur a per ſe ſtando, & aliquando a ſubſtando alteri; vt dicitur a per ſtando, ſic eſt propriè in diuinis; quia ſic eſt ens per ſe, & dicitur ad ſe, nullam habens dependentiam ab alio, Deus autem eſt maximè per ſe ens, & dicitur ad ſe, nullam habens dependentiam ab alio; vt autem dicitur a ſubſtando, vel dicitur a ſubſtando alteri inhærenti, vel diſtinguenti, vel perficienti; primo modo impropriè dicitur de diuinis; ſecundo modo nec omnino impropriè, nec omnino propriè; tertio modo, ex noſtro modo tantum intelligendi. *d. 23. a. 1. q. 2.*

Aegidius reſp. quod ſubſtantia (ſicut dicit Boetius) dicitur a ſubſtando, quia ſ. accidentibus *pr. vn q. 2.*

Digitized by Google

dentibus ſubſtat, ſubſtat autem accidentibus dupliciter; vel ratione ſuſtentationis, quia .ſ. ipſa ſuſtentat, & in eſſe conſeruat, & hoc modo conuenit Deo nomen,& ratio ſubſtantiæ, quia omnia entia creata ſuſtentat, & in eſſe conſeruat; vel ratione inhærentiæ quia .ſ. accidentia ipſi, vt ſubiecto inhærent, & hoc modo non conuenit Deo nomen, & ratio ſubſtantiæ,cum nihil inhæreat ei, vt ſubiecto.

d. 1. q. 2. Ricardus reſp. quod ſubſtantia, vt dicitur a ſubſtando non conuenit Deo, quia Deus nulli ſubſtat realiter, vt verò dicitur a per ſe exiſtendo, ſic eius nomen, & ratio conuenit ei, cum ſit per ſe exiſtens, & a nullo dependens.

q. 2. Durandus reſp. quod nomen ſubſtantiæ quantum ad id, a quo imponitur, Deo non conuenit, quia Deus nulli accidenti ſubiectiuè ſubſtat, licet omnibus ſubiectis præbeat effectiuè, quod ſubſtent accidentibus ſuis; quantum verò ad id quod ſignificat, quia ſignificat naturam per ſe ſtantem, Deo conuenit.

pr. di. q. 6. Iacob. Viterb. reſp. quod Deo conuenit nomen ſubſtantiæ ſecundum ſuam principalem nominis rationem, & completam, quæ eſt, vt ſit perfectè, abſolutè, primò, cauſaliter, & ſimpliciter ens; non ſecundariam, quæ eſt, vt alijs ſubſtet.

q. 26. a. 3. Marſilius reſp. quod nomen ſubſtantiæ ad diuina tripliciter transfertur, vel vt ſuſtentans, vel vt id cui res inſunt, vel vt diſtinguens, nam ſubſtantia dicitur a ſubſtando accidentibus, & vt ſubiectum eorum, comparatur autem ad accidentia tripliciter; primo tanquam ea ſuſtentans; ſecundò tanquam id, cui inſunt; tertiò, quia indiuidua ſubſtantiæ proprietatibus accidẽtalibus ab inuicem diſtinguuntur ſub eadem ſpecie, & ſic tripliciter transfertur ad diuina; primo modo igitur in diuinis eſt ſubſtantia; ſecundo modo non; tertio modo autem non eſt in vſu apud Latinos accipere ſubſtãtiam in diuinis.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod hoc nomen ſubſtantia propriè dicitur a ſubſtando, quomodocunque ergo aliquid ſubſtare poteſt, poteſt dici ſubſtantia; cum itaque Deus ſuis operationibus ſubſtet,ſaltem ſecundum intelligentiam, quia operationes fundantur in ſubſtantia, poteſt etiam dici ſubſtantia,& hoc quantum ad nomen; quantum verò ad rationem, ratio ſubſtantiæ eſt, vt ſit res completa, & non indigens aliquo, vt ſit, ſic enim diſtinguitur contra accidens; cum itaque Deus ſit res perfectiſſima, & completa, conuenit etiã ei ratio ſubſtantiæ.

Sed ſi dicit D. Auguſtinus 7. de Trin. c. 4. quod Deus nõ niſi abuſiuè ſubſtantia dicitur? Obiectio.

Reſpondetur, quod Deus non niſi abuſiuè ſubſtantia dicitur, vt ſubſtantia dicit habitudinem inhærentiæ accidentium ipſi. Ita Aegidius.

QVAESITVM IV.

An Deo conueniat nomen, & ratio ſubſiſtentiæ?

Alex. reſp. quod de diuinis dicitur cõuenienter ſubſiſtentia, vt idem eſt ſubſiſtere, quod ſtare in ſe, non autem, vt ſubſiſtere dicitur a ſtando ſub, niſi ſecundum intelligentiæ rationem, vt dicatur Deus ſubſiſtens eſſentiæ, vel ſubſiſtens proprietati. q. 57. m. 1.

Aegidius reſp. quod ſubſiſtentia (vt dicit Boetius) dicitur a ſubſiſtere, ſubſiſtit autem aliquid, quod vt ſit, accidentibus non indiget,& quoniam Deus,vt ſit,accidentibus non indiget, quia in eo nullum eſt accidens,ideo conuenit ei, & nomen, & ratio ſubſiſtentiæ. Item Durandus. d. 23. pr. vn q. 2.

Marſilius reſp. quod ſubſiſtere eſt propriè per ſe exiſtere;cum itaque Deus propriè exiſtat, quia nulla forma indiget,ſequitur quod ei nomen, & ratio ſubſiſtentiæ conueniat. q. 26. ar. 4.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod hoc nomen, & ratio ſubſiſtentiæ ſecundum communiorem vſum loquendi ſe extendit ad omne ens,quod habet eſſe per ſe, & non dependens formaliter ab altero, ſic enim materia quamuis ſit ſubſtantia, non dicitur ſubſiſtere, nec ſimiliter genera, & ſpecies, partes ſubſtantiarum, accidentia, & huiuſmodi, quia non habent eſſe per ſe, nec independens formaliter ab altero; cum itaque Deus ſit ens, quod eſt maximè per ſe, & non dependens ab altero, ideo conuenit ei etiam nomen, & ratio ſubſiſtentiæ.

Sed ſi hoc nomen ſubſiſtentiæ non reperitur in ſcripturis ſacris? Obiectio.

Reſpondetur, quod quædam nomina reperiuntur in ſcripturis ſacris ſecundum vocem, & quædam ſecundum fidei rationem; quamuis ergo ſimilia nomina non reperiantur ſecundum vocem, & expreſsè, reperiuntur tamen ſecundum fidei rationem, & ſecundum ſenſum. Ita Alexander.

QVAE-

Digitized by Google

QVAESITVM V.

An Deo conueniat Deo nomen, & ratio perſona?

q.17. ar.2. ALex. reſp. quod perſona, ſiue proſopon, dictus eſt homo laruatus, qui repreſentabat certos homines, vt Chremetem, & Symonem, & ex hoc inoleuit conſuetudo dicere certos homines, perſonas, & ex hac ſignificatione tranſlatum eſt hoc nomen per ſimilitudinem ad Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, quia ſicut homines diſtincti ſunt ſuis proprijs qualitatibus, ita Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſuis notionibus.

d.25. a.1. Albertus reſp. quod ſi inſpiciatur proprietas rei, quæ eſt perſona, perſona magis propriè eſt in diuinis, quam in creaturis; ſi autem vſus nominis, quod eſt perſona, tunc ſecundum diffinitionem Boetij non competit diuinis niſi exponatur ſic, vt ſubſtantia ſit exiſtentia.

d.23. q.1. a.2. D. Thomas reſp. quod ratio perſonæ eſt quod habeat eſſe per ſe ſubſiſtens, & completum in natura intellectuali; & quoniam Deus eſt naturæ intellectualis, & conuenit ei maximè habere eſſe per ſe ſubſiſtens, & completum, ideo conuenit etiam ei nomen, & ratio perſonæ.

p.p. q.29. a.1. Et iterum reſp. quod ideo nomen, & ratio perſonæ conuenit Deo, quia perſona ſignificat id, quod eſt perfectiſſimum in tota natura .ſ. ſubſiſtens in natura rationali, ſiue intellectuali, omne enim illud, quod eſt perfectionis attribuendum eſt ei.

a.1. q.1. D. Bonau. reſp. quod perſona de ſui ratione dicit ſuppoſitum diſtinctum proprietate ad dignitatem pertinente, quod patet in ſua ethimologia, nam perſona dicitur quaſi per ſe vna, & in ſuo æquipollenti, quod eſt græcè proſopon, proſopon autem ſignificat hominem laruatum; & ſic deinde tractum eſt hoc nomen perſona ad ſignificandum honorem in Eccleſia; & ſimiliter extenſum ad ſignificandum ſuppoſitum rationalis naturæ; poſtremo eſt tranſlatum ad diuina, cum quodlibet ſuppoſitum diuinum ſit per ſe vnum completiſſimum, & digniſſimum in intellectuali natura.

pr.vn. q.2. Aegidius reſp. quod hoc nomen perſonæ apud Latinos idem ſignificat, quod apud Græcos proſopon, & hoc idem ſonat quod, ita facies, pro enim eſt idem quod ita, & ſopon, quod facies, & hoc nomine vocant Græci illos, qui in tragedijs, & comedijs cum laruis in facie repreſentant homines inſignes, ex hoc ergo deductum eſt, quod omne indiuiduum, cui competit proprietas ad dignitatem pertinens, perſona nuncupatur; & quia omni ſuppoſito quod ſubſiſtit in natura intellectuali competit talis proprietas, ideo omne ſuppoſitum in natura intellectuali perſona nuncupatur; cum itaque natura diuina ſit natura maximè intellectualis, omni etiam diuino ſuppoſito conuenit nomen, & ratio perſonæ.

Ricardus reſp. quod perſona eſt ſuppoſitum rationalis, vel intellectualis naturæ diſtinctum proprietate pertinente ad dignitatem; & quoniam natura diuina licet non ſit rationalis, eſt tamen intellectualis, ideo cuilibet eius ſuppoſito conuenit nomen, & ratio perſonæ. *a.1. q.1.*

Henricus reſp. quod perſona nominat aliquid, quod eſt dignitatis ſimpliciter, nominat enim ex ſuo ſignificato rationem incommunicabilis, quæ prouenit ex perfectione eius, quod habet in ſe id, quod alteri non poteſt communicari, ſecundum quod dicitur perſona; nominat etiam illam circa naturam rationalem, ſeu intellectualem, quod etiam importat nobilitatem, & dignitatem; & quoniam ea, quæ ſimpliciter dignitatem important ponenda ſunt in Deo, ideo & perſona, immò tanto verius, & perfectius, quanto verius, & perfectius ratio intellectualitatis, & incõmunicabilitatis habet eſſe in Deo. *a.53. q.1.*

Herueus reſp. quod hoc nomen perſona eſt impoſitum ad ſignificandum ſuppoſitum naturæ intellectualis, & quoniam in diuinis verè eſt huiuſmodi ſuppoſitum, eſt etiam verè perſona. Item Durandus, & Marſilius. *d.23. a.2.*

Thomas ab Arg. reſp. quod hoc nomen perſonæ conuenit diuinis; primò, quia non ſolum conuenit eis eſſe naturæ intellectualis, quam naturam claudit in ſuo ſignificato perſona, ſed etiam modus eſſendi eius, qui eſt per ſe exiſtere; ſecundò, quia eſt nomen ad dignitatem pertinens, omnia autem talia transferuntur ad diuina. *q.1. a.2.*

Michael de Pal. reſp. quod perſona ſignificat proprietatem indiuidualem naturæ intellectualis, & quoniam in diuinis ſunt plures proprietates indiuiduales, Pater enim habet proprietatem ſibi propriam indiuidualem, Filius ſimiliter, & Spiritus ſanctus; ideo aptiſſimè denotantur hoc nomine perſona. *diſp. vn.*

Reſolutio.

REſpondeo, quod hoc nomen perſona introductum eſt, ſicut & in vſum rece-

ptum apud Latinos ad ſtandum pro quocunque indiuiduo naturæ humanæ, & ratio eius in ſignatione, & ſingularitate conſiſtit, non enim niſi hic homo, & ille, dicitur perſona; cum itaque Deo conueniat eſſe hic, & ille, .ſ. Pater, & Filius, quæ eſt ratio ſignationis, & ſingularitatis, non irrationabiliter a ſacris doctoribus introductum eſt ad ſtandum etiam pro quacumque re ſignata, & ſingulari in diuinis.

Obiectio. Sed ſi perſona dicit compoſitionem? dicit enim completum in natura, & addit ſupra ſuppoſitum proprietatem ad dignitatem pertinentem.

Reſpondetur, quod non eſt de ratione perſonæ dicere compoſitionem per hoc, quod addat ſupra ſuppoſitum proprietatem; nam talis proprietas non facit aliquam compoſitionem realem in diuinis. Ita Aegidius, & Ricardus.

QVAESITVM VI.

An hoc nomen eſſentia pluraliter dici poſſit in diuinis?

d. 23. a. 2. q. 2. D. Bonau. reſp. quod in diuinis eſt vnitas abſolutiſſima, quæ nullo alio nomine magis ſignificari poteſt, quam nomine eſſentiæ, cum nullum aliud nomen ſit adeo abſolutum, ſicut illud, & ideo pluraliter dici non poteſt; eſt etiam nomen eſſentiæ nomen naturæ, quia naturam dicimus eſſentiam; cum itaque natura non dicatur pluraliter de diuinis propter ſummam ſimplicitatem, quæ eſt in eis, ideo nec eſſentia.

q. 19. a. 3. Dom. Ban. reſp. quod hæc propoſitio in Deo ſunt tres eſſentiæ relatiuæ poſſet aliqua ratione concedi; hæc tamen neganda eſt, in Deo ſunt tres eſſentiæ, licet enim eſſentia abſtrahat a relatiua & abſoluta, quando tamen abſolutè profertur, ſecundum communem intelligentiam accipitur pro natura eſſentiali abſoluta, & non pro eſſentia, quam importat formaliter perſonalis proprietas ſuppoſiti.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod tunc aliquod nomen pluraliter dici poteſt de aliquibus, quãdo contingit diuerſitas in eis ſecundum id, quod illud nomen ſignificat; cum itaque hoc nomen eſſentiæ ſignificet in diuinis totum eſſe diuinum per modum formæ denominantis eſſe, & hoc non diuerſificetur in eis, quia eſt vnum, infinitum, & ſimplex, ideo pluraliter dici non poteſt.

Obiectio. Sed ſi hoc nomen eſſentia eſt commune diuinis, ſicut hoc nomen perſona? dicit autem D. Aug. quod ideo dicuntur tres perſonæ, quia commune eſt eis hoc, quod eſt perſona.

Reſpondetur, quod D. Aug. non adducit ibi totã rationem, ſed partem, & ideo oportet intelligere, quod ibi additur, quia eſt commune, quod diſtinguitur. Ita D. Bonau.

QVAESITVM VII.

An hoc nomen ſubſtantia pluraliter dici poſſit in diuinis?

Alex. reſp. quod ſubſtantia dicitur dupliciter, vno modo a proprietate ſubſtandi, alio modo quod eſt ens per ſe non indigens alio, vt ſit; item a proprietate ſubſtãdi dicitur dupliciter, vel quod ſubſtat eſſentiæ, vel eo quod ſubſtat accidentibus; ſubſtantia ergo communis dicitur ſubſtantia, eoquod ſubſtat eſſentiæ, ſubſtantia prima, eo quod ſubſtat accidentibus, dicendum ergo quod ſecundum quod nos modo vtimur nomine ſubſtantiæ, non debent dici tres ſubſtantiæ; quia nunc accipitur pro vſioſi, pro re .ſ. quæ eſt ens per ſe, non indigens alio, vt ſit, & ſic ſolum debet dici vna ſubſtantia, ſed ſecundum alium modum, quo antiquitus accipiebatur, poſſet; at propter hęreticos, qui ſi dicerẽtur tres ſubſtantię, poſſent credere, quod nos diceremus tres eſſentias, non dicitur, cum ipſi vtantur nomine ſubſtantiæ pro eſſentia, & ideo propter eos tranſlatum eſt hoc nomen ſubſtantiæ ad nomen hypoſtaſis. q. 57. m. 2.

d. 23. a. 2. q. 2. D. Bonau. reſp. quod ſubſtantia dicitur a per ſe ſtando, per ſe autem ſtare accipitur dupliciter, vel ſub alio, vel ſub proprietate; primo modo ſumpta ſubſtantia tantũ valet, quantum vſioſis, & pluraliter dici nõ poteſt, quia vnum eſt ibi, quod eſt; ſecundo modo verò tantum valet, quantum hypoſtaſis, & ſic pluraliter dici poteſt, licet tamen non ſit in vſu, quia ſubſtantia communiter ſumitur pro vſioſi, non pro hypoſtaſi.

a. 2. q. 2. Ricardus reſp. quod diuinæ perſonæ poſſunt quidem dici ſubſtantiæ, ſed non tres ſubſtantiæ, ſicut dici non poſſunt tres eſſentiæ, quia licet ſubſtantia ſignificet perſonam, & eſſentiam, cum perſona habeat al[illegible] ſimilitudinem ſubſtantiæ n[illegible] verò ſecundę, ex vſ[illegible] eſt hoc nomen ſub[illegible]

eſſentiam, non perſonam.

q. 26. a. 3. Marſilius reſp. quod hoc nomen ſubſtantię tranſlatum ad diuina, ſecundum quod Gręci res vocant ſubſtantias, pluraliter dici poteſt, ſed iſte modus accipiendi ſubſtantiam non eſt in vſu apud Latinos.

q. 29. a. 2. diſp. 1 Ludou. Molina reſpondet, quod tum propter ęquiuocationem nominis ſubſtantia, quod aliquando ſumitur pro eſſentia communi, & aliquando pro re per ſe exiſtente, & non in alio, tanquam in ſubiecto; tum etiam propter vſum ſanctorum patrum, & conciliorum, qui nomine ſubſtantię intelligere conſueuerunt ſolam eſſentiam; tum tertiò propter controuerſiam, quę fuit cum hęreticis non eſt concedendum abſolutè in diuinis tres ſubſtantias eſſe, ſed cum diſtinctione, nempe id verum eſſe ſi ſubſtantia ſumitur non pro eſſentia, ſed pro re per ſe exiſtente, ideſt, non in alio tanquam in ſubiecto. Verum (inquit Vaſquez diſp. 124 c. 5.) vſu eccleſiaſtico nomen ſubſtantia ita eſt accomodatum, vt ſolam eſſentiam, ſeu formam denotet; atque adeo non poſſint in Deo concedi tres ſubſtantię.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod nullum nomen pluraliter de aliquibus dici poteſt, niſi ſit diuerſitas in eis, ſecundum id, quod ſignificat; ſi ergo hoc nomen ſubſtantiæ pluraliter dici poſſet de diuinis, ſequeretur quod eſſet aliqua diuerſitas ſecundum ſubſtantiam in diuinis, quod eſt falſum, nam omnis diuerſitas ſecundum ſubſtantiam ſaltem in non habentibus materiam ſumitur a limitatione formæ; quare enim duæ intelligentiæ, quarum vtraque eſt ſubſtantia ſunt duæ ſubſtantiæ? niſi quia limitatæ ſunt, & finitæ a forma? cum itaque in diuinis forma, quæ eſt deitas illimitata ſit, & infinita, ad quodlibet habens eam, ſequitur quod in eis nulla ſit diuerſitas ſecundum ſubſtantiam.

Obiectio. Sed ſi ſubſtantia eſt medium inter eſſentiam, & perſonam? vnde cum medium ſapiat naturam extremorum, ſicu[illegible] in diuinis vna ſubſtantia ab vnita[illegible]a plures a pluralitate perſonar[illegible]

Reſpondetu[illegible] ſubſta[illegible]i- pollet hypo[illegible]ten[illegible], & ideo poſſ[illegible] verò æquip[illegible] eſſen- [illegible]æ. [illegible] ci non

QVÆSITVM VIII.

An hoc nomen ſubſiſtentia pluraliter dici poſſit in diuinis?

Alex. reſp. quod ſubſiſtentia dicitur duobus modis, vno modo ſicut dicit Boetius, quia non indiget accidentibus, vt ſit, & hoc modo eſt in diuinis vna; alio modo dicitur ab actu ſubſiſtendi, & ſic dicitur idem, quod hypoſtaſis, & ſecundum hoc dicuntur tres ſubſiſtentiæ in diuinis, ſicut tres hypoſtaſes, nihil enim aliud dicit hypoſtaſis, quam rem ſubſtantem proprietati. q. 57. m. 3.

D. Bonau. reſp. quod ſubſiſtentia aliquando ſumitur pro vſioſi, & ſic pluraliter dici non poteſt, aliquando vero pro hypoſtaſi, ſicut ſubſtantia, & ſic pluraliter dici poteſt in diuinis. d. 22. a. 2. q. 1.

Durandus reſp. quod ſubſiſtere dicit eſſe ſecundum perfectiſſimum modum eſſendi, qui eſt eſſe in ſe, vel ad in ſe, & quoniam hoc non conuenit niſi eſſentiæ, ideo quicquid dicitur ſubſiſtere in diuinis, dicitur ratione eſſentiæ, & quoniam vna eſt eſſentia, igitur & vna ratio ſubſiſtendi, ſiue ſubſiſtentia. 3 ſit. d. 1. q. 2.

Thomas Caet. reſp. quod ſicut ſubſiſtere conuenit formaliter perſonis, non ſolum ratione eſſentiæ, ſed etiam ratione relationum; idcirco neceſſe eſt dari tres ſubſiſtentias relatiuè oppoſitas, & vnam eſſentialem communem tribus perſonis, quæ ab illis tribus realiter non diſtinguitur. p. 3. q. 3. a. 2.

Ludou. Molina reſp. quod ſubſiſtere dicitur tripliciter; primò vt idem ſit, quod per ſe exiſtere ideſt, non in alio tanquam in ſubiecto; ſecundò vt idem ſit, quod per ſe exiſtere in eo ſenſu, vt in ſua exiſtentia non pendeat ab aliquo cui quaſi inexiſtat, & a quo ſuſtentetur; tertiò vt idem ſit, quod ſub alijs omnibus ſiſtere, ſeu eſſe: ſubſiſtentia autem ſumitur dupliciter; vno modo, vt eſt nomen abſtractum a prædicto verbo ſubſiſtere in prædicta triplici acceptione; altero modo, vt eſt res cui ſubſiſtere conuenit, & hoc modo habet vim concreti, vt idem ſignificet, quod ſubſiſtens; ſi itaque hoc ſecundo modo ſumitur ſubſiſtentia pro re ſ. cui conuenit ſubſiſtere tertio modo, ſic tres ſunt [illegible] diuinis, & non plures, [illegible] [illegible]ſonæ: ſi verò ſumitur ſub[illegible] [illegible]bſtractum verbi ſubſiſtere [illegible] [illegible]accepti, nam ſic ſignificat [illegible] [illegible]ndependentia a [illegible] [illegible]id quod eam [illegible] q. 29. a. 2. diſp. 3

Google

vel pro re, cui ſic conueniat ſubſiſtere, vtique in diuinis ſunt tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, & vna eſſentialis.

de tr. lib. 3. c. 3. Franc. Suara reſp. quod ſicut plures ſunt perſonalitates in diuinis, ita plures ſunt ſubſiſtentiæ relatiuæ; & plures etiam exiſtentiæ, quia plures actuales entitates a ſe inuicem realiter diſtinctæ; & ab entitate eſſentiæ ſecundum rationem.

diſp. 125. c. 4. Gabr. Vaſq. reſp. quod cum hoc nomen ſubſiſtentia Latinis ſit idem quod Græcis Hypoſtaſis, ſicut tres dicuntur hypoſtaſes, ita & tres ſubſiſtentiæ, quæ ſunt relatiuæ, nulla verò abſoluta.

Reſolutio.

RESpondeo, quod hoc nomen ſubſiſtentia, cum ſit nomen abſtractum ſignificat per modum formæ id, quod eſt ens per ſe, & non formaliter dependens ab alio; cum itaque in diuinis ſint plura entia per ſe, & non dependentia formaliter ab alio, nec a ſe inuicem, ſunt etiam plura ſubſiſtentia, quorum quodlibet poteſt dici ſubſiſtere ſubſiſtẽtia ſua, ſicut vnumquodque per ſe dicitur eſſe per ſe perſeitate ſua.

Obiectio. Sed ſi ſunt plures entes, non tamen quilibet eſſentia ſua?

Reſpondetur, quod ſi plures entes, vt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, non ſunt quilibet eſſentia ſua; ſunt tamen quilibet entitate ſua; entitas enim eſt abſtractum entis, ſicut ſubſiſtentia ſubſiſtentis; vnde ſunt plures entitates in diuinis, ſicut & plures entes.

QVÆSITVM IX.

An hoc nomen res pluraliter dici poſſit in diuinis?

d. 25. q. 1. a. 4. D. Thomas reſp. quod nomen rei ſumitur a quiditate, & forma, forma autem, ſeu quiditas conſideratur dupliciter in diuinis, vt abſoluta, & vt relatiua, vt abſoluta pluraliter dici non poteſt, quia non eſt niſi vna res abſoluta in diuinis, quæ eſt eſſentia; vt tamen relatiua, ſic pluraliter dici poteſt, quia ſic perſonæ poſſunt dici tres res.

pr. 3. q. vn. Aegidius reſp. quod ſi res abſolutè ſumitur, quoniam abſoluta in diuinis ſubſtantiuè accepta non poſſunt pluraliter dici, nec res poteſt pluraliter dici; ſi verò ſumitur pro re relata; res enim (inquit) ſe extendit ad omnia prædicamenta, ſic poteſt pluraliter dici, & poteſt concedi tres diuinas perſonas eſſe tres res, relatiua enim ſubſtantiuè ſumpta pluraliter dici poſſunt.

q. 2. Durandus reſp. quod ſecundum communem modum loquendi non debet dici, quod in diuinis ſint plures res, ne intelligantur plures ſubſtantiæ, nam ſicut ens per ſe ſumptũ, & ſine determinatione ſumitur tantum pro ente per ſe, ideſt pro ſubſtantia, ſic & res, quæ idem penitus importat, quod ens, ſine determinatione ſumitur pro ſubſtantia; de virtute tamen ſermonis eſſet diſtinguendum, quia ſi res accipitur pro ſubſtãtia eſt falſum, quod ſint plures res in diuinis, ſi pro relatione, vel habente relationem, eſt verum, ſemper tamen cum additione concedendum eſt plures eſſe res relatiuas.

diſp. vn. Michael de Pal. reſp. quod iſta propoſitio eſt concedenda ſicut D. Aug. ipſam concedit quod tres perſonæ ſunt tres res; nam ſenſus eſt, quod ſunt tres res relatiuæ, treſue ſubſiſtentiæ, tres denique proprietates indiuiduales realiter diſtinctæ.

de tr. lib. 3. c. 6. Franc. Suar. reſp. quod quælibet perſona eſt aliqua res ſimpliciter & abſolutè, quia eſt aliqua ſubſtantia vera, & realis, & omnis ſubſtantia eſt vera res ſimpliciter, & abſolutè; cum itaque plurificentur perſonæ, plurificantur, & res.

Reſolutio.

RESpondeo, quod hoc nomen res addit ſupra ens intentionem ſubſtantiæ, & accidentis; & quoniam in diuinis ſunt tres perſonæ, quarum quælibet eſt ens, & ſubſtantia; idcirco poſſunt dici tres res, quamuis non ſint niſi ſubſtantia vna, ideſt tria entia vnius ſubſtantiæ.

Obiectio. Sed ſi in diuinis non plurificantur niſi relationes? res autem non dicit relationem, quia non refertur ad aliud.

Reſpondetur, quod res quantum eſt de ſe, nec dicit quid abſolutum, nec quid relatiuũ, ſed eſt quid commune ad vtrumque; & quoniam ea, quæ verificantur de ſpeciali verificantur etiam de communi, vt quæ verificantur de homine, verificantur de animali, ideo concedendum eſt, quod ſunt in diuinis plures res, quia plures relationes. Ita Aegidius.

QVÆSITVM X.

An hoc nomen ens pluraliter dici poſſit in diuinis?

c. 4. q. 1. GVil. Antiſiod. reſp. quod Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt tres entes, vt hæc dictio entes ſumitur par-

Digitized by Google

participialiter, ideſt tres qui ſunt, ſed vt ſumitur nominaliter; nequaquam. Item Alexãder Alenſis. Addit Albertus, Si ſumitur nominaliter, hoc poteſt eſſe dupliciter, vel ſecundum modum ſignificandi, quia dicitur coniunctiuè, & quia ſic refertur ad perſonas, eſt vera propoſitio ſunt tres entes; vel abſolutè pro eſſentia, & ſubſtantiuè, & ſic eſt falſa.

d.25. q.1. a.4. D. Thomas reſp. quod nomen entis ſumitur ab eſſe rei, & ideo cum vnum, & idem ſit eſſe diuinorum, ſi ens ſumatur ſubſtantiuè non poteſt pluraliter dici de diuinis, quia forma, a qua imponitur eſſe nõ plurificatur in eis; ſi vero ſumatur participialiter & adiectiuè, ſic pluraliter dici poteſt, quia ſic recipit numerum a ſuppoſito, & non a forma ſignificata, & eſt ſenſus (inquit Bannes) quod in Deo ſunt tres actus eſſendi, quod eſt falſum. Item D. Bonau.

diſp. vn. Michael de Pal. reſp. quod hæc propoſitio eſt planè neganda, tres perſonę ſunt tria entia, ſiquidem vbi eſt vnum eſſe, non ſunt tria entia, nam ens non eſt adiectiuum, quod multiplicet ſuppoſitum, & non formam.

d.23. §.3. Guilel. Eſtius reſp. quod ſicut hæc propoſitio, Deus eſt, ita reſoluitur, Deus eſt ens, ſic iſta Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt, reſoluitur hoc modo, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt entes, vel entia.

q.39. a.3. diſp.2 Ludou. Mol. reſp. quod concedendum eſſe in diuinis & vnum ens, & tria entia; non enim ens dicitur ab eſſentia, vt eſſentiam ſolum dicit naturam communem ſuppoſitis; ſed ab entitate; vt entitas commune quid eſt abſolutis, & relatiuis.

de tr. lib. 3. c.6. Franc. Suar. reſp. quod ſicut plures ſunt res, & entitates in diuinis, ita plura ſunt entia, ens enim idem eſt quod res, & quancunque ſignificat entitatem.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod vnum & plura diuidũt ens, quæcunque ergo ſunt, & non ſunt vnum, plura ſunt; cum itaque in diuinis non omnia ſint vnum, alioquin nulla eſſet diſtinctio in eis; igitur ſunt plura, plura autem ſi ſunt, non niſi entia eſſe poſſunt, quia quæ non ſunt entia nihil ſunt; plura ergo ſunt entia in diuinis, & conſequenter hoc nomen ens pluraliter dici poteſt de eis.

Obiectio. Sed ſi Pater, Filius, & Spiritus ſanctus nõ ſunt tria vera? quia veritas eſt quid eſſentiale; ens autem, & verum conuertuntur.

Reſpondetur, quod ſicut eſt ens in diuinis abſolutum, & eſt ens relatiuum, ita & verum; alia enim eſt veritas abſoluti, vt quod Deus eſt bonus, & alia relatiui, vt quod Pater generat; ſicut igitur Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt tria entia relatiua, ita & tria vera relatiua, vnum autem; & verum, & ens abſolutum.

QVÆSITVM XI.

An hoc nomen perſona pluraliter dici poſſit de diuinis?

Albertus reſp. quod ſine dubio concedendum eſt, quod in diuinis ſunt plures communicantes naturam diuinam intellectualem, & quia tales communicantes neceſſariò diſtincti ſunt, ideo neceſſe eſt concedere, quod plurificatur ratiò perſonalitatis in eis. d.25. a.1.

D. Thomas reſp. quod hoc nomen perſona ſignificat aliquid diſtinctum ſubſiſtens in natura intellectuali, & quoniam ſunt plura diuina diſtincta ſubſiſtẽtia habentia naturam intellectualem, ideo pluraliter dici poteſt, vt verificatur de eis. q.1. a.4.

Et iterum reſp. quod hoc nomen perſona ſignificat relationem, vt rem ſubſiſtentem in natura diuina; cum itaque tales res plurificentur in diuinis, etiam ipſum nomen neceſſe eſt pluraliter dici. p. p. q.30. a.1.

Aegidius reſp. quod nomina quæ importãt relationem in ſpeciali pluraliter dici nõ poſſunt de diuinis, quemadmodum nomina Patris, Filij, & Spiritus ſancti; ſed bene quæ important relationem in communi; & quoniam hoc nomen perſona importat relationem, ſignificat enim quid ſubſiſtens in natura intellectuali habens eſſe diſtinctum in illa, cuius diſtinctionis ratio non poteſt eſſe niſi relatio, & non importat eam in ſpeciali, ſed in communi; ideo nomen perſonæ pluraliter dici poteſt de diuinis. d.23. pr. vn. q.4.

Ricardus reſp. quod ideo hoc nomen perſona pluraliter dici poteſt de diuinis, quia ſignificat ſuppoſitũ intellectualis naturæ diſtinctum proprietate ad dignitatem pertinente, talia autem ſunt plura in diuinis. Item Marſilius q. 26. ar. 1. a.2. q.1.

Thomas ab Arg. reſp. quod perſona, vt reſtringitur ad diuina, ſignificat ſuppoſitum relatiuum; cum igitur talia ſuppoſita relatiua plurificentur in diuinis, non enim eſt vnum, & idem ſuppoſitum Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſequitur neceſſariò, quod hoc nomen perſona pluraliter dici poteſt in diuinis. a.4.

Re-

Digitized by Google

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut hoc nomen perſona introductum eſt ad ſtandum in diuinis, pro re ſignata, & ſingulari, cum huiuſmodi res ſint plures, Pater .ſ. Filius, & Spiritus ſanctus, propterea pluraliter dici poteſt de diuinis.

Obiectio. Sed ſi perſona dicitur quaſi per ſe vna; vnum autem pluraliter non dicitur?

Reſpondetur, quod hoc nomen perſona ſecundum ſuam ethimologiam, non ſolum idem ſonat, quod per ſe vna, ſic enim pluraliter dici non poſſet; ſed etiam quod per ſe ens, & hæc magis ſuum ſignificatum præfert, quod eſt eſſe per ſe ſubſiſtens; cum itaque plura ſint in diuinis, quæ per ſe ſubſiſtũt, hoc nomen perſona pluraliter dici poteſt de eis.

QVAESITVM XII.

An hoc nomen perſona importet aliquid poſitiuum, an verò negatiuum?

p. p. q. 30. a. 4. D. Thomas reſp. quod hoc nomen perſona, non eſt nomen negationis, ſed rei, cum ſit impoſitum ad ſignificandum rem ſubſiſtentem in rationali natura.

Et in p. ſent. diſ. 23. aſſerit hoc nomen perſona nõ tantum dicere negationem, ſed etiam poſitionem. Item Aegidius, & Marſilius.

d. 23. q. vn. Ioann. Scotus reſp. quod hoc nomen perſona de ſua ratione præciſè dicit negationem duplicis communicabilitatis; vna eſt, quæ negat communicabilitatem, ſecundum quam aliquid dicitur cõmunicabile pluribus, quod eſt idem cuilibet eorum, & quodlibet eſt ipſum, ſicut vniuerſale ſuis inferioribus, altera, quæ negat communicabilitatem, ſecundum quam aliquid dicitur communicabile alicui, quia eo illud eſt tale, ſed non ipſum, ſicut forma corpori.

d. 25. q. 1. Durandus reſp. quod perſona non dicit formaliter negationem, quamuis rationem eius circunloquamur per eſſe indiuiduum, vel incommunicabile, neutrum tamen ſignificat, ſed formaliter ſignificat hoc aliquid ſubſiſtens in intellectuali natura.

d. 23. a. 3. Petrus Aur. reſp. quod perſona non ſignificat aliquid determinatum poſitiuum, ſed ens in generali negationibus ſubſtractum importatis per eſſe ſolitarium, & per ſe, quæ negationes ſunt non eſſe alterius forma, nec ſubſtantialis, nec accidentalis, non materia, non pars integralis, & huiuſmodi, & has negationes non claudit formaliter, & in recto, ſed connotatiuè tantum, & quaſi in obliquo.

Nicol. de Nijſe reſp. quod hoc nomen perſona de formali ſignificato, ſignificat negationem communicabilitatis, licet cum hoc connotet aliquid poſitiuum; primò, enim cõnotat id, de quo dicitur .ſ. Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum; ſecundò relationem, propter quam perſonæ conuenit talis negatio; tertiò eſſentiam. tr. 23 p. 2. q. 5.

Ludov. Mol. reſp. quod hæc eſt Scoti ſententia, quod hoc nomen perſona de formali ſignificet in concreto incommunicabile naturæ rationalis, ſupponat vero pro rebus realibus, quibus conuenit huiuſmodi incommunicabilitas; quam ſententiam eſſe amplectendam cenſet. q. 29. a. 1. diſp. 2.

Franc. Suar. reſp. quod cum perſona nihil aliud ſit, quam ſuppoſitum intellectualis naturæ, neceſſe eſt perſonam addere naturæ intellectuali nõ tantum negationem, ſed etiam poſitiuum terminum, in quo huiuſmodi negatio fundetur, & per quem perſona a perſona diſtinguatur. de tr. lib. 2. c. 3.

Reſolutio.

RESpondeo, quod hoc nomen perſona de ſuo principali intellectu rem ſignificat ſignatam, & ſingularem in natura tali, res autem huiuſmodi cum ſit hoc aliquid, quodã poſitiuum eſt, importat ergo hoc nomen perſona aliquid poſitiuum.

Obiectio. Sed ſi in diffinitione perſonæ data a Ricardo ponitur incommunicabilitas in recto? dicitur enim quod eſt intellectualis naturæ, incommunicabilis exiſtentia.

Reſpondetur, quod in diffinitione perſonæ non ſolum ponitur incommunicabilitas, ſed etiam ſubſtantia, ſiue exiſtentia, quæ poſitiuum quid ſignificat, circunloquimur autem per negationem communicabilitatis, nõ quod ſit ipſa incommunicabilitas, ſed ipſa ſubſtantia, ſiue exiſtentia, cui non competit communicari.

QVÆSITVM XIII.

An hoc nomen perſona importet aliquid commune in diuinis?

GVil. Antiſiod. reſp. quod eſt communitas ſecundum intelligentiam, ſecũdum prædicationem, & ſecundum rem; perſona itaque eſt quid commune ſecũdum intelligentiam, ſiue ſuppoſitionem, non ſecundum rem. c. 4. q. 3.

Alex.

Digitized by Google

q.16. m.2 a.2. Alex. reſp. quod aliquid dicitur eſſe commune pluribus duobus modis, ſecundum eſſe, & ſecundum habitudinem; eſſentia itaque in diuinis eſt communis ſecundum eſſe, ſed perſona ſecundum habitudinem, & ſic nomen perſonæ eſt commune ſecundum rationem, ideſt, ſecundum conſimilem modum ſe habendi tria ad vnum, licet ex conſequenti etiam ſecundum rem.

d.25. q.1. a.3. D. Thomas reſp. quod aliquid eſt commune ſecundum rem, & aliquid ſecundum rationem; perſona itaque cum dicitur de diuinis non importat aliquid commune ſecundum rem, quia ſic importaret eſſentiam, quæ eſt vna numero in omnibus diuinis perſonis, ſed importat aliquid commune ſecundum rationem fundatam in re, quæ eſt relatio. Item Durandus, & Franciſcus a Chriſto.

p.p. q.30. a.4. Et iterum reſp. quod hoc nomen perſona in diuinis eſt commune ſicut in humanis cómunitate .ſ. rationis, non quidem ſicut genus, & ſpecies; ſed ſicut indiuiduum vagum, quod ſignificat naturam communem cum determinato modo eſſendi, qui competit ſingularibus, vt .ſ. ſit per ſe ſubſiſtens diſtinctũ ab alijs, & hoc eſt commune ſecundum rationem omnibus diuinis perſonis, vt vnaquaque res ſubſiſtat in natura diuina diſtincta ab alijs. Item Ricardus. diſ.25. a.2.q.1.

d.25. a.2. q.1. D. Bonau. reſp. & adducit tres modos dicendi antiquorum, vnum, quod perſona importet aliquid commune tribus ſecundum priuationem; alterum, ſecundum proportionem habitudinis; tertium, qui eſt D. Thomæ, communitate rationis, ſicut hoc nomen indiuiduum, & horum quemlibet approbat.

pr.1. q.1. Aegidius reſp. quod hoc nomen perſona, eſt nomen hypoſtaſis, non naturæ, & ideo non propriè importat aliquid commune, habet tamen quantum ad modum ſignificandi aliquam ſimilitudinem cum hoc nomine homo, nam ſicut homo ſignificat humanitatem in communi non includendo habitudinem ad intentionem, vel ad aliquid tale, ſic perſona ſignificat ſubſtantiam primam in quadam communitate, non includendo habitudinem; quamuis etiam differenter, nam homo ſignificat humanitatem ſimpliciter, perſona autẽ in hoc, vel in illo, & ideo aliqui dicunt, & bene, quod magis habet ſimilitudinem cum hoc nomine, aliquis homo, quam cum hoc tantum, homo.

a.58. q.7. Henricus reſp. quod triplex eſt communitas in diuinis, quædam rei puræ, & hæc eſt communitas eſſentiæ, quædam puræ rationis, & intentionis, & hæc eſt communitas perſonæ, & quædam partim rei, partim rationis, & hæc eſt communitas relationis.

Petrus Aureolus reſp. quod non eſt aliud concipere perſonam, quam concipere ens diſtinctum, diſcretum, ſolitarium habens perſeitatẽ tertij modi in intellectuali natura, & quoniam ſic eſſe eſt commune in diuinis, ideo hoc nomen perſona, quod importat ſic eſſe, importat quid commune in diuinis. d.25. a.3.

Guilelmus Occham reſp. quod perſona importat quid commune, non communitate rei, vt eſſentia eſt communis tribus perſonis; ſed communitate vocis, vel conceptus, ſignificat enim illa multa, quorum quodlibet eſt perſona, ſicut homo non ſignificat aliquid commune omnibus hominibus, ſed ſignificat omnes homines, & prædicatur de eis non in quid, ſed in ſecundo modo dicendi per ſe. q.1.

Gerardus reſp. quod illud, quod ſignificatur nomine perſonæ eſt aliquid ſingulare ſubſiſtens in natura intellectuali, ita tamen confusè, & indeterminatè apprehenditur ab intellectu, ac ſi eſſet quodam commune, & vniuerſale; quandoque enim intellectus, ſicut ſenſus, apprehendit aliquid determinatum, & diſtinctum, cognitione indeterminata, & confuſa. q.vn. a.1.

Marſilius reſp. quod hoc nomen perſona dicitur communiter de omnibus perſonis in diuinis communitate, quæ eſt conuenientia triũ ſuppoſitorum in ſubſtantia intellectuali ſic, vt ſingula eorum illam habeant ſecundum proprietatem incommunicabilem. q.28. a.3.

Franc. Suar. reſp. quod hoc nomen perſona in diuinis importat conceptum obiectiuum realem, & poſitiuum communem tribus perſonis ſecundum rationem. de tr. lib.1. cap.3.

Gabriel Vaſq. reſp. quod hoc nomen perſona in diuinis ſignificat conceptum communem huic, & illi perſonæ, non quidem ſecundum quiditatem, ſed tantum ſecundum denominationem. diſp. 13. c.2.

Reſolutio.

RESpondeo, quod hoc nomen perſona non importat aliquid commune in diuinis ſecundum rem, quia nulla res diuina eſt communis niſi diuina eſſentia, & hanc non importat hoc nomen perſona, importat tamen aliquid commune ſecundum conceptum, inquantum dicitur de pluribus, & non ſecundum diuerſam rationem, nam cũ ratio perſonæ in ſignatione, & ſingularitate conſiſtat tam eſt res ſignata, & ſingularis Pater, quam Filius, & Spiritus ſanctus.

Digitized by Google

Obiectio. Sed ſi hoc nomen perſona de ratione ſua importat aliquid incommunicabile? non igitur poteſt importare aliquid commune.

Reſpondetur, quod hoc nomen perſona importat quidem de ratione ſua quid incommunicabile, ſed tamen ſub eſſe quodam confuſo, & non ſignato, perſona enim non dicit quid incommunicabile, vt ſortes, ſed vt aliquis homo, & ideo poteſt etiam importare aliquid commune.

QVÆSITVM XIV.

An hoc nomen perſona habeat rationem vniuerſalis in diuinis.

d.23. a.1. ALbert. reſp. quod ad hoc, vt aliquid ſit vniuerſale exigitur, quod abſtrahat ab his, de quibus prædicatur, vt natura communis abſtrahit a ſuis inferioribus, quæ contrahunt ipſam per ea, quibus componitur; & quoniam huiuſmodi abſtractio non contingit in hoc nomine perſona, ideo hoc poteſt eſſe quid vniuerſale.

d.25. pr 1 q.2. Aegidius reſp. quod duplex eſt communitas in diuinis rei, & rationis, communitas rei eſt eſſentiæ, rationis verò relationis, & quoniam communitas vniuerſalis non poteſt eſſe niſi communitas rationis, ideo ſi perſona habet rationẽ vniuerſalis in diuinis, non poteſt ipſam habere, niſi ſecundum quod importat relationem; ſed relatio non eſt quid vniuerſale in diuinis, quia vniuerſale non ſolum debet prædicari de pluribus, plurificari in eis, non dici per modum ſubſiſtentis, ſed etiam habere aliud, & aliud eſſe, quæ conditio non conuenit relationi, cum omnium diuinorum ſit vnum eſſe, ideo nec poteſt perſona dici de diuinis, vt quid vniuerſale.

q.1. Guilel. Occham reſp. quod hoc nomen perſona non habet rationem vniuerſalis, quia non intelligitur aliquid eſſe vniuerſale, niſi quod prædicatur de pluribus, quæ ſunt ita diſtincta realiter, quod nullo modo ſunt vna res, ſic autem non eſt de perſonis diuinis, quia quamuis ſint diſtinctæ res, tamen vna ſimpliciſſima res ſunt illæ tres res, & ita perſona eſt quidem nomen vnum commune tribus perſonis, non tamen vniuerſale.

d 24. a.2. Ioannes Bacc. reſp. quod perſona dicit eſſe de re, non eſſentiam, nam dicit incommunicabilem exiſtentiam, & ideo non eſt quid vniuerſale quia quod eſt vniuerſale in diuinis dicit eſſentiam.

q.28. a.4. Marſilius reſp. quod quamuis nomen perſonæ nõ propriè habeat rationem vniuerſalis, nam perſonæ non propriè numero differunt, magnam tamen habet conuenientiam cum vniuerſali in diuinis; tum quia propriè prædicatur in quid, nam cum quærimus, quid eſt Pater? melius dicimus, perſona, quã eſſentia; tum etiam quia prædicatur de diſtinctis.

Michael de Pal. reſp. quod perſona non ſignificat naturam communem, ſed proprietates indiuiduorum diſcretas, & ideo non poteſt habere rationem vniuerſalis, ſed tantum communem ſecundum conſiderationem intellectus. d 23. diſp.1

Reſolutio.

REſpondeo, quod illa nomina habent rationem vniuerſalis, quæ prædicantur de pluribus in quid, vel in quale, vt ſuperiora de ſuis inferioribus in genere ſuo; cum itaque hoc nomen perſona non prædicetur, neque in quid, neque in quale de Patre, Filio, & Spiritu ſancto, vt quid ſuperius de ſuis inferioribus in aliquo certo genere, quia eſt idem Pater, quod perſona Patris, idem Filius, quod perſona Filij, idem Spiritus ſanctus, quod perſona Spiritus ſancti, ideo hoc nomen perſona non habet rationem vniuerſalis in eis.

Sed ſi hoc nomen perſona prædicatur in quid de Patre Filio, & Spiritu ſancto? ad interrogationem enim factam de Patre per quid eſt, reſpondetur, quod eſt perſona, & ſic de Filio, & Spiritu ſancto. Obiectio.

Reſpondetur, quod quando reſpondetur ad interrogationẽ factam de Patre, Filio, & Spiritu ſancto per quid, quod quilibet eſt perſona, eſt huiuſmodi prædicatio intentionalis nòn formalis, & vniuerſalis, quia non prædicatur de eis tanquã inferioribus, niſi ſecundum conceptum.

QVÆSITVM XV.

An hoc nomen perſona ſit nomen primæ, an verò ſecundæ intentionis?

D. Thomas reſp. quod hoc nomen perſona ſignificat indiuiduum. quia ſignificat indiuiduam ſubſtantiam, indiuiduum autem aliquando eſt nomen ſecundæ intentionis, vt cum non ſignificat rem ſingularem, ſed intentionem ſingularitatis, aliquando verò eſt nomen primæ intẽtionis, vt cum ſignificat rem, cui conuenit intentio ſingularitatis, & ita ſignificatur hoc nomine perſona, ſignificat enim rem ipſam, cui conuenit intentio indiuidui. d.25. q.1. a.1.

Ri-

Digitized by Google

d.26, q.2. Ricardus reſp. quod hypoſtaſis, quod idem ſignificat, quod perſona, non eſt nomen ſecundæ intentionis, ſed primæ; eſt enim intentio prima res, vt intellecta, ſeu conceptus eius, intentio autem ſecũda eſt aliquid, quod accidit rei ſecundum ſuum eſſe intellectum tantum; cum igitur hypoſtaſis ſignificet aliquid, quod inuenitur in re extra, & non per operationẽ noſtri intellectus, ſequitur quod non eſt nomẽ ſecundæ intẽtionis, ſed primæ.

a.53. q.5. Henricus reſp. quod hoc nomen perſona ſi conſideretur ſecundum ſuum ſignificatum, ad quod ſignificandum eſt primò impoſitum, & vt ſimiliter ſupponit pro ipſo ſignificato, vt quando dicitur perſona eſt quædam hypoſtaſis, ſic eſt nomen intentionis tantum; ſi verò conſideratur, vt ſupponit pro ſuo appellato, ſeu ſubſtrato, vt cum dicitur perſona generat, ſic rem ſignificat cũ intentione.

d.23. q.vn. Ioannes Scotus reſp. quod accipiendo nomen perſonæ, vt perſonam diffinit Ricardus, quod eſt intellectualis naturæ incommunicabilis exiſtentia, non eſt nomen ſecundæ intentionis, ſed primæ; quoniam in tali diffinitione nihil ponitur, quod ſignificet intentionem ſecundam; nam ex natura rei ſine omni operatione intellectus, tam in Patre, quam in Filio, & Spiritu ſancto eſt natura intellectualis, & entitas incommunicabilis. Item Ant. Andreas.

a.1. Herueus reſp. quod hoc nomen perſona dignitatem importat, & eſt impoſitum ad ſignificandum aliquid dignum laude, & quoniam intentiones ſecundæ, nec aliquam dignitatem important, nec aliquid dignum laude, ideo hoc nomen perſona non ſignificat ſecundam intentionem, ſed rem ſubſtratam ſecundæ intentioni, quæ eſt indiuiduum vagum, ſicut aliquis homo, hæc enim & dignitatem importat, & ſignificat aliquid dignum laude.

[a.3. Petrus Aur. reſp. quod nomen primæ intentionis, eſt nomen exprimens primum cõceptum rei; exprimens autem ſecundum ſuper primum fundatum per actum intellectus reflectentis ſe ſuper eum eſt nomen ſecũdæ, & quoniam hoc nomen perſona, quia perſeitatem importat, non exprimit conceptum ſuper alium fundatum, ſed ſuper rem ipſam, idcirco non eſt nomen ſecundæ intentionis, ſed primæ.

q.1. & 2. Franc. Maro reſpondet, quod perſona eſt nomen ſecundæ intentionis, non primæ, quod probat ex multis regulis, quarum prima eſt. Quandocunque aliquid eſt commune, & ſuperius aſſignatur multis, & non eſt eis eſſentiale, illud eſt ſecunda intentio; ſed perſona eſt ſuperius ad omne indiuiduum verè intellectuale, & eſt ei non eſſentiale, quia ſeparatur indiuiduum a perſonalitate, vt in Chriſto, igitur eſt ſecũda intentio; ſecũda eſt. Quicquid prædicatur de ſuperiori, ſi eſt prima intentio, prædicatur etiã de inferiori, ſed non, ſi ſecunda; at perſona dicitur ad ſe, ergo & Pater, & Filius, non tamen perſona ad perſonam, ergo perſona non eſt prima, ſed ſecunda intentio; tertia eſt. Vbi tenet locus a diffinitione, ibi accipiuntur primæ intentiones, ſed non ſecundæ; at perſona diffinitur per indiuiduum, quod eſt ſecunda intentio, & Pater diffinitur per Filium, qui eſt perſona, & tamen non diffinitur perſona per perſonã; igitur hoc nomen perſona non eſt primæ, ſed ſecundæ intentionis.

q.vn. Guilel. Occham reſp. quod nomina primæ intentionis ſunt illa, quæ ſunt impoſita ad ſignificandas res, vel ad ſupponendum pro rebus; ſecundæ vero illa, quæ ſunt impoſita ad ſignificandum talia prædicabilia de nominibus rerum, quando ſupponunt ſimpliciter, & non pro ſuis ſignificatis; & quoniam hæc nomina, ſuppoſitum, indiuiduum, ſingulare, & perſona, ſunt impoſita ad ſignificandum tantum res, vel ad ſupponendum tantum pro rebus; quia omne ſuppoſitum eſt res, omne ſingulare eſt ſubſtantia, vel accidens, & omnis perſona eſt natura intellectualis; ideo talia nomina non ſecundæ, ſed primæ ſunt intentionis.

q.1. a.1. Thomas ab Arg. reſp. quod hoc nomen perſona eſt nomen primæ intentionis, nam eius immediatum ſignificatum eſt verum ens reale, & independens ab actu rationis; primò, quia ſi nullus eſſet intellectus fabricans intentiones ſecundas, adhuc huic nomini perſona reſponderet verum ſignificatum in ſuppoſitis diuinis; ſecundò, quia tale immediatum ſignificatum, eſt incommunicabilis ſubſiſtentia intellectualis naturæ, quod eſt ens reale, nomen enim, & immediatum ſignificatum ſibi mutuò correſpondent quantũ ad intentionem primam, & ſecundam.

a.3. Gerardus reſp. quod hoc nomen perſona, non eſt præciſè nomen primæ intentionis nec præciſè ſecundæ, ſed ſe habet vtroque modo, tam in creaturis, quam in diuinis, nam dictum nomen acceptum inquantum imponitur ad ſignificandum ſuppoſitum naturæ intellectualis ſecundum propriam, & incommunicabilem ſubſiſtentiam, quam habet realiter extra intellectum, ſic eſt nomen primæ intentionis; acceptum verò inquantum impo-

Digitized by Google

dentibus ſubſtat, ſubſtat autem accidentibus dupliciter; vel ratione ſuſtentationis, quia .ſ. ipſa ſuſtentat, & in eſſe conſeruat, & hoc modo conuenit Deo nomen, & ratio ſubſtantiæ, quia omnia entia creata ſuſtentat, & in eſſe conſeruat; vel ratione inhærentiæ quia .ſ. accidentia ipſi, vt ſubiecto inhærent, & hoc modo non conuenit Deo nomen, & ratio ſubſtantiæ, cum nihil inhæreat ei, vt ſubiecto.

a.1. q.2. Ricardus reſp. quod ſubſtantia, vt dicitur a ſubſtando non conuenit Deo, quia Deus nulli ſubſtat realiter, vt verò dicitur a per ſe exiſtendo, ſic eius nomen, & ratio conuenit ei, cum ſit per ſe exiſtens, & a nullo dependens.

q.2. Durandus reſp. quod nomen ſubſtantiæ quantum ad id, a quo imponitur, Deo non conuenit, quia Deus nulli accidenti ſubiectiuè ſubſtat, licet omnibus ſubiectis præbeat effectiuè, quod ſubſtent accidentibus ſuis; quantum verò ad id quod ſignificat, quia ſignificat naturam per ſe ſtantem, Deo conuenit.

pr.di. q.6. Iacob. Viterb. reſp. quod Deo conuenit nomen ſubſtantiæ ſecundum ſuam principalem nominis rationem, & completam, quæ eſt, vt ſit perfectè, abſolutè, primò, cauſaliter, & ſimpliciter ens; non ſecundariam, quæ eſt, vt alijs ſubſtet.

q.26. a.3. Marſilius reſp. quod nomen ſubſtantiæ ad diuina tripliciter transfertur, vel vt ſuſtentans, vel vt id cui res inſunt, vel vt diſtinguens, nam ſubſtantia dicitur a ſubſtando accidentibus, & vt ſubiectum eorum, comparatur autem ad accidentia tripliciter; primo tanquam ea ſuſtentans; ſecundò tanquam id, cui inſunt; tertiò, quia indiuidua ſubſtantiæ proprietatibus accidētalibus ab inuicem diſtinguuntur ſub eadem ſpecie, & ſic tripliciter transfertur ad diuina; primo modo igitur in diuinis eſt ſubſtantia; ſecundo modo non; tertio modo autem non eſt in vſu apud Latinos accipere ſubſtātiam in diuinis.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod hoc nomen ſubſtantia propriè dicitur a ſubſtando, quomodocunque ergo aliquid ſubſtare poteſt, poteſt dici ſubſtantia; cum itaque Deus ſuis operationibus ſubſtet, ſaltem ſecundum intelligentiam, quia operationes fundantur in ſubſtantia, poteſt etiam dici ſubſtantia, & hoc quantum ad nomen; quantum verò ad rationem, ratio ſubſtantiæ eſt, vt ſit res completa, & non indigens aliquo, vt ſit, ſic enim diſtinguitur contra accidens; cum itaque Deus ſit res perfectiſſima, & completa, conuenit etiā ei ratio ſubſtantiæ.

Sed ſi dicit D. Auguſtinus 7. de Trin. c. 4. quod Deus nō niſi abuſiuè ſubſtantia dicitur? Obiectio.

Reſpondetur, quod Deus non niſi abuſiuè ſubſtantia dicitur, vt ſubſtantia dicit habitudinem inhærentiæ accidentium ipſi. Ita Aegidius.

QVAESITVM IV.

An Deo conueniat nomen, & ratio ſubſiſtentiæ?

Alex. reſp. quod de diuinis dicitur cōuenienter ſubſiſtentia, vt idem eſt ſubſiſtere, quod ſtare in ſe, non autem, vt ſubſiſtere dicitur a ſtando ſub, niſi ſecundum intelligentiæ rationem, vt dicatur Deus ſubſiſtens eſſentiæ, vel ſubſiſtens proprietati. q.57. m.1.

Aegidius reſp. quod ſubſiſtentia (vt dicit Boetius) dicitur a ſubſiſtere, ſubſiſtit autem aliquid, quod vt ſit, accidentibus non indiget, & quoniam Deus, vt ſit, accidentibus non indiget, quia in eo nullum eſt accidens, ideo conuenit ei, & nomen, & ratio ſubſiſtentiæ. Item Durandus. d.23. pr.vn q.2.

Marſilius reſp. quod ſubſiſtere eſt propriè per ſe exiſtere; cum itaque Deus propriè exiſtat, quia nulla forma indiget, ſequitur quod ei nomen, & ratio ſubſiſtentiæ conueniat. q.26. ar.4.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod hoc nomen, & ratio ſubſiſtentiæ ſecundum communiorem vſum loquendi ſe extendit ad omne ens, quod habet eſſe per ſe, & non dependens formaliter ab altero, ſic enim materia quamuis ſit ſubſtantia, non dicitur ſubſiſtere, nec ſimiliter genera, & ſpecies, partes ſubſtantiarum, accidentia, & huiuſmodi, quia non habent eſſe per ſe, nec independens formaliter ab altero; cum itaque Deus ſit ens, quod eſt maximè per ſe, & non dependens ab altero, ideo conuenit ei etiam nomen, & ratio ſubſiſtentiæ.

Sed ſi hoc nomen ſubſiſtentiæ non reperitur in ſcripturis ſacris? Obiectio.

Reſpondetur, quod quædam nomina reperiuntur in ſcripturis ſacris ſecundum vocem, & quædam ſecundum fidei rationem; quamuis ergo ſimilia nomina non reperiantur ſecundum vocem, & expreſsè, reperiuntur tamen ſecundum fidei rationem, & ſecundum ſenſum. Ita Alexander.

QVAE-

Digitized by Google

QVAESITVM V.

An Deo conueniat Deo nomen, & ratio perſonæ?

q.17. ar.2. ALex. reſp. quod perſonà, ſiue proſopon, dictus eſt homo laruatus, qui repreſentabat certos homines, vt Chremetem, & Symonem, & ex hoc inoleuit conſuetudo dicere certos homines, perſonas, & ex hac ſignificatione tranſlatum eſt hoc nomen per ſimilitudinem ad Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, quia ſicut homines diſtincti ſunt ſuis proprijs qualitatibus, ita Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſuis notionibus.

d.25. a.1. Albertus reſp. quod ſi inſpiciatur proprietas rei, quæ eſt perſona, perſona magis propriè eſt in diuinis, quam in creaturis; ſi autem vſus nominis, quod eſt perſona, tunc ſecundum diffinitionem Boetij non competit diuinis niſi exponatur ſic, vt ſubſtantia ſit exiſtentia.

d.23. q.1. a.2. D. Thomas reſp. quod ratio perſonæ eſt quod habeat eſſe per ſe ſubſiſtens, & completum in natura intellectuali; & quoniam Deus eſt naturæ intellectualis, & conuenit ei maximè habere eſſe per ſe ſubſiſtens, & completum, ideo conuenit etiam ei nomen, & ratio perſonæ.

p.p. q.29. a.1. Et iterum reſp. quod ideo nomen, & ratio perſonæ conuenit Deo, quia perſona ſignificat id, quod eſt perfectiſſimum in tota natura .ſ. ſubſiſtens in natura rationali, ſiue intellectuali, omne enim illud, quod eſt perfectionis attribuendum eſt ei.

a.1. q.1. D. Bonau. reſp. quod perſona de ſui ratione dicit ſuppoſitum diſtinctum proprietate ad dignitatem pertinente, quod patet in ſua ethimologia, nam perſona dicitur quaſi per ſe vna, & in ſuo æquipollenti, quod eſt græcè proſopon, proſopon autem ſignificat hominem laruatum; & ſic deinde tractum eſt hoc nomen perſona ad ſignificandum honorem in Eccleſia; & ſimiliter extenſum ad ſignificandum ſuppoſitum rationalis naturæ; poſtremo eſt tranſlatum ad diuina, cum quodlibet ſuppoſitum diuinum ſit per ſe vnum completiſſimum, & digniſſimum in intellectuali natura.

pr.vn q.2. Aegidius reſp. quod hoc nomen perſona apud Latinos idem ſignificat, quod apud Græcos proſopon, & hoc idem ſonat quod, ita facies, pro enim eſt idem quod ita, & ſopon, quod facies, & hoc nomine vocant Græci illos, qui in tragedijs, & comedijs cum laruis in facie repreſentant homines inſignes, ex hoc ergo deductum eſt, quod omne indiuiduum, cui competit proprietas ad dignitatem pertinens, perſona nuncupatur; & quia omni ſuppoſito quod ſubſiſtit in natura intellectuali competit talis proprietas, ideo omne ſuppoſitum in natura intellectuali perſona nuncupatur; cum itaque natura diuina ſit natura maximè intellectualis, omni etiam diuino ſuppoſito conuenit nomen, & ratio perſonæ.

Ricardus reſp. quod perſona eſt ſuppoſitum rationalis, vel intellectualis naturæ diſtinctum proprietate pertinente ad dignitatem; & quoniam natura diuina licet non ſit rationalis, eſt tamen intellectualis, ideo cuilibet eius ſuppoſito conuenit nomen, & ratio perſonæ. a.1. q.1.

Henricus reſp. quod perſona nominat aliquid, quod eſt dignitatis ſimpliciter, nominat enim ex ſuo ſignificato rationem incommunicabilis, quæ prouenit ex perfectione eius, quod habet in ſe id, quod alteri non poteſt communicari, ſecundum quod dicitur perſona; nominat etiam illam circa naturam rationalem, ſeu intellectualem, quod etiam importat nobilitatem, & dignitatem; & quoniam ea, quæ ſimpliciter dignitatem important ponenda ſunt in Deo, ideo & perſona, immò tanto verius, & perfectius, quanto verius, & perfectius ratio intellectualitatis, & incômunicabilitatis habet eſſe in Deo. a.53. q.1.

Herueus reſp. quod hoc nomen perſona eſt impoſitum ad ſignificandum ſuppoſitum naturæ intellectualis, & quoniam in diuinis verè eſt huiuſmodi ſuppoſitum, eſt etiam verè perſona. Item Durandus, & Marſilius. d.23. a.2.

Thomas ab Arg. reſp. quod hoc nomen perſonæ conuenit diuinis; primò, quia non ſolum conuenit eis eſſe naturæ intellectualis, quam naturam claudit in ſuo ſignificato perſona, ſed etiam modus eſſendi eius, qui eſt per ſe exiſtere; ſecundò, quia eſt nomen ad dignitatem pertinens, omnia autem talia transferuntur ad diuina. q.1. a.2.

Michael de Pal. reſp. quod perſona ſignificat proprietatem indiuidualem naturæ intellectualis, & quoniam in diuinis ſunt plures proprietates indiuiduales, Pater enim habet proprietatem ſibi propriam indiuidualem, Filius ſimiliter, & Spiritus ſanctus; ideo aptiſſimè denotantur hoc nomine perſona. diſp. vn.

Reſolutio.

RESpondeo, quod hoc nomen perſona introductum eſt, ſicut & in vſum recе-

ptum apud Latinos ad ſtandum pro quocunque indiuiduo naturæ humanæ, & ratio eius in ſignatione, & ſingularitate conſiſtit, non enim niſi hic homo, & ille, dicitur perſona; cum itaque Deo conueniat eſſe hic, & ille, .ſ. Pater, & Filius, quæ eſt ratio ſignationis, & ſingularitatis, non irrationabiliter a ſacris doctoribus introductum eſt ad ſtandum etiam pro quacumque re ſignata, & ſingulari in diuinis.

Obiectio. Sed ſi perſona dicit compoſitionem? dicit enim completum in natura, & addit ſupra ſuppoſitum proprietatem ad dignitatem pertinentem.

Reſpondetur, quod non eſt de ratione perſonæ dicere compoſitionem per hoc, quod addat ſupra ſuppoſitum proprietatem; nam talis proprietas non facit aliquam compoſitionem realem in diuinis. Ita Aegidius, & Ricardus.

QVAESITVM VI.

An hoc nomen eſſentia pluraliter dici poſſit in diuinis?

d. 23. a. 2. q. 2. D. Bonau. reſp. quod in diuinis eſt vnitas abſolutiſſima, quæ nullo alio nomine magis ſignificari poteſt, quam nomine eſſentiæ, cum nullum aliud nomen ſit adeo abſolutum, ſicut illud, & ideo pluraliter dici non poteſt; eſt etiam nomen eſſentiæ nomen naturæ, quia naturam dicimus eſſentiam; cum itaque natura non dicatur pluraliter de diuinis propter ſummam ſimplicitatem, quæ eſt in eis, ideo nec eſſentia.

q. 29. a. 3. Dom. Ban. reſp. quod hæc propoſitio in Deo ſunt tres eſſentiæ relatiuæ poſſet aliqua ratione concedi; hæc tamen neganda eſt, in Deo ſunt tres eſſentiæ, licet enim eſſentia abſtrahat a relatiua & abſoluta, quando tamen abſolutè profertur, ſecundum communem intelligentiam accipitur pro natura eſſentiali abſoluta, & non pro eſſentia, quam importat formaliter perſonalis proprietas ſuppoſiti.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod tunc aliquod nomen pluraliter dici poteſt de aliquibus, quãdo contingit diuerſitas in eis ſecundum id, quod illud nomen ſignificat; cum itaque hoc nomen eſſentiæ ſignificet in diuinis totum eſſe diuinum per modum formæ denominatiuis eſſe, & hoc non diuerſificetur in eis, quia eſt vnum, infinitum, & ſimplex, ideo pluraliter dici non poteſt.

Sed ſi hoc nomen eſſentia eſt commune diuinis, ſicut hoc nomen perſona? dicit autem D. Aug. quod ideo dicuntur tres perſonæ, quia commune eſt eis hoc, quod eſt perſona. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod D. Aug. non adducit ibi totã rationem, ſed partem, & ideo oportet intelligere, quod ibi additur, quia eſt commune, quod diſtinguitur. Ita D. Bonau.

QVAESITVM VII.

An hoc nomen ſubſtantia pluraliter dici poſſit in diuinis?

Alex. reſp. quod ſubſtantia dicitur dupliciter, vno modo a proprietate ſubſtandi, alio modo quod eſt ens per ſe non indigens alio, vt ſit; item a proprietate ſubſtãdi dicitur dupliciter, vel quod ſubſtat eſſentiæ, vel eo quod ſubſtat accidentibus; ſubſtantia ergo communis dicitur ſubſtantia, eo quod ſubſtat eſſentiæ, ſubſtantia prima, eo quod ſubſtat accidentibus, dicendum ergo quod ſecundum quod nos modo vtimur nomine ſubſtantiæ, non debent dici tres ſubſtantiæ; quia nunc accipitur pro vſioſi, pro re .ſ. quæ eſt ens per ſe, non indigens alio, vt ſit, & ſic ſolum debet dici vna ſubſtantia, ſed ſecundum alium modum, quo antiquitus accipiebatur, poſſet; at propter hęreticos, qui ſi dicerẽtur tres ſubſtantię poſſent credere, quod nos diceremus tres eſſentias, non dicitur, cum ipſi vtantur nomine ſubſtantiæ pro eſſentia, & ideo propter eos tranſlatum eſt hoc nomen ſubſtantiæ ad nomen hypoſtaſis. q. 57. m. 2.

D. Bonau. reſp. quod ſubſtantia dicitur a per ſe ſtando, per ſe autem ſtare accipitur dupliciter, vel ſub alio, vel ſub proprietate; primo modo ſumpta ſubſtantia tantũ valet, quantum vſioſis, & pluraliter dici nõ poteſt, quia vnum eſt ibi, quod eſt; ſecundo modo verò tantum valet, quantum hypoſtaſis, & ſic pluraliter dici poteſt, licet tamen non ſit in vſu, quia ſubſtantia communiter ſumitur pro vſioſi, non pro hypoſtaſi. d. 23. a. 2. q. 1.

Ricardus reſp. quod diuinæ perſonæ poſſunt quidem dici ſubſtantiæ, ſed non tres ſubſtantiæ, ſicut dici non poſſunt tres eſſentiæ, quia licet ſubſtantia ſignificet perſonam, & eſſentiam, cum perſona habeat aliqualem ſimilitudinem ſubſtantiæ primæ, eſſentia verò ſecundę, ex vſu tamen appropriatum eſt hoc nomen ſubſtantię ad ſignificandum a. 2. q. 2.

Digitized by Google

eſſentiam, non perſonam.

q.26. a.3. Marſilius reſp. quod hoc nomen ſubſtantię tranſlatum ad diuina, ſecundum quod Gręci res vocant ſubſtantias, pluraliter dici poteſt, ſed iſte modus accipiendi ſubſtantiam non eſt in vſu apud Latinos.

q.29. a.2. diſp.1 Ludou. Molina reſpondet, quod tum propter ęquiuocationem nominis ſubſtantia, quod aliquando ſumitur pro eſſentia communi, & aliquando pro re per ſe exiſtente, & non in alio, tanquam in ſubiecto; tum etiam propter vſum ſanctorum patrum, & conciliorum, qui nomine ſubſtantię intelligere conſueuerunt ſolam eſſentiam; tum tertiò propter controuerſiam, quę fuit cum hęreticis non eſt concedendum abſolutè in diuinis tres ſubſtantias eſſe, ſed cum diſtinctione, nempe id verum eſſe ſi ſubſtantia ſumitur non pro eſſentia, ſed pro re per ſe exiſtente, ideſt, non in alio tanquam in ſubiecto. Verum (inquit Vaſquez diſp. 124 c. 5.) vſu eccleſiaſtico nomen ſubſtantiæ ita eſt accomodatum, vt ſolam eſſentiam, ſeu formam denotet; atque adeo non poſſint in Deo concedi tres ſubſtantię.

Reſolutio.

RESpondeo, quod nullum nomen pluraliter de aliquibus dici poteſt, niſi ſit diuerſitas in eis, ſecundum id, quod ſignificat; ſi ergo hoc nomen ſubſtantiæ pluraliter dici poſſet de diuinis, ſequeretur quod eſſet aliqua diuerſitas ſecundum ſubſtantiam in diuinis, quod eſt falſum, nam omnis diuerſitas ſecundum ſubſtantiam ſaltem in non habentibus materiam ſumitur a limitatione formæ; quare enim duæ intelligentiæ, quarum vtraque eſt ſubſtantia ſunt duæ ſubſtantiæ? niſi quia limitatæ ſunt, & finitæ a forma? cum itaque in diuinis forma, quæ eſt deitas illimitata ſit, & infinita, ad quodlibet habens eam, ſequitur quod in eis nulla ſit diuerſitas ſecundum ſubſtantiam.

Obiectio. Sed ſi ſubſtantia eſt medium inter eſſentiam, & perſonam? vnde cum medium ſapiat naturam extremorum, ſicut dicitur in diuinis vna ſubſtantia ab vnitate eſſentiæ, ita plures a pluralitate perſonarum.

Reſpondetur, quod ſubſtantia prout æquipollet hypoſtaſi plus ſe tenet cum perſona, & ideo poſſunt dici plures ſubſtantiæ, vt verò æquipollet vſiæ plus ſe tenet ex partæ eſſentiæ, & naturæ, & ideo pluraliter dici non poteſt. Ita D. Bonau.

QVÆSITVM VIII.

An hoc nomen ſubſiſtentia pluraliter dici poſſit in diuinis?

ALex. reſp. quod ſubſiſtentia dicitur duobus modis, vno modo ſicut dicit Boetius, quia non indiget accidentibus, vt ſit, & hoc modo eſt in diuinis vna; alio modo dicitur ab actu ſubſiſtendi, & ſic dicitur idem, quod hypoſtaſis. & ſecundum hoc dicuntur tres ſubſiſtentiæ in diuinis, ſicut tres hypoſtaſes, nihil enim aliud dicit hypoſtaſis, quam rem ſubſtantem proprietati. q.57. m.3.

D. Bonau. reſp. quod ſubſiſtentia aliquando ſumitur pro vſioſi, & ſic pluraliter dici non poteſt, aliquando vero pro hypoſtaſi, ſicut ſubſtantia, & ſic pluraliter dici poteſt in diuinis. d.22. a.2. q.1.

Durandus reſp. quod ſubſiſtere dicit eſſe ſecundum perfectiſſimum modum eſſendi, qui eſt eſſe in ſe, vel ad in ſe, & quoniam hoc non conuenit niſi eſſentiæ, ideo quicquid dicitur ſubſiſtere in diuinis, dicitur ratione eſſentiæ, & quoniam vna eſt eſſentia, igitur & vna ratio ſubſiſtendi, ſiue ſubſiſtentia. 3 ſit. d.1. q.2.

Thomas Caet. reſp. quod ſicut ſubſiſtere conuenit formaliter perſonis, non ſolum ratione eſſentiæ, ſed etiam ratione relationum; idcirco neceſſe eſt dari tres ſubſiſtentias relatiuè oppoſitas, & vnam eſſentialem communem tribus perſonis, quæ ab illis tribus realiter non diſtinguitur. p.3. q.3. a.2.

Ludou. Molina reſp. quod ſubſiſtere dicitur tripliciter; primò vt idem ſit, quod per ſe exiſtere ideſt, non in alio tanquam in ſubiecto; ſecundò vt idem ſit, quod per ſe exiſtere in eo ſenſu, vt in ſua exiſtentia non pendeat ab aliquo cui quaſi inexiſtat, & a quo ſuſtentetur; tertiò vt idem ſit, quod ſub alijs omnibus ſiſtere, ſeu eſſe: ſubſiſtentia autem ſumitur dupliciter; vno modo, vt eſt nomen abſtractum a prædicto verbo ſubſiſtere in prædicta triplici acceptione; altero modo, vt eſt res cui ſubſiſtere conuenit, & hoc modo habet vim concreti, vt idem ſignificet, quod ſubſiſtens; ſi itaque hoc ſecundo modo ſumitur ſubſiſtentia, pro re ſ. cui conueniat ſubſiſtere tertio modo, ſic tres ſunt ſubſiſtentiæ in diuinis, & non plures, quia tres tantum perſonæ; ſi verò ſumitur ſubſiſtentia, vt eſt abſtractum verbi ſubſiſtere ſecundo modo accepti, nam ſic ſignificat exiſtentiam cum independentia a quocunque alio, cui quaſi id quod eam habet, inexiſtat, q.29. a.2. diſp.3

vel

vel pro re, cui ſic conueniat ſubſiſtere, vtique in diuinis ſunt tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, & vna eſſentialis.

de tr. lib. 3. c. 3. Franc. Suara reſp. quod ſicut plures ſunt perſonalitates in diuinis, ita plures ſunt ſubſiſtentiæ relatiuæ; & plures etiam exiſtentiæ, quia plures actuales entitates a ſe inuicem realiter diſtinctæ; & ab entitate eſſentiæ ſecundum rationem.

diſp. 125. c. 4. Gabr. Vaſq. reſp. quod cum hoc nomen ſubſiſtentia Latinis ſit idem quod Græcis Hypoſtaſis, ſicut tres dicuntur hypoſtaſes, ita & tres ſubſiſtentiæ, quæ ſunt relatiuæ, nulla verò abſoluta.

Reſolutio.

RESpondeo, quod hoc nomen ſubſiſtentia, cum ſit nomen abſtractum ſignificat per modum formæ id, quod eſt ens per ſe, & non formaliter dependens ab alio; cum itaque in diuinis ſint plura entia per ſe, & non dependentia formaliter ab alio, nec a ſe inuicem, ſunt etiam plura ſubſiſtentia, quorum quodlibet poteſt dici ſubſiſtere ſubſiſtētia ſua, ſicut vnumquodque per ſe dicitur eſſe per ſe perſeitate ſua.

Obiectio. Sed ſi ſunt plures entes, non tamen quilibet eſſentia ſua?

Reſpondetur, quod ſi plures entes, vt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, non ſunt quilibet eſſentia ſua; ſunt tamen quilibet entitate ſua; entitas enim eſt abſtractum entis, ſicut ſubſiſtentia ſubſiſtentis; vnde ſunt plures entitates in diuinis, ſicut & plures entes.

QVÆSITVM IX.

An hoc nomen res pluraliter dici poſſit in diuinis?

d. 25. q. 1. a. 4. D. Thomas reſp. quod nomen rei ſumitur a quiditate, & forma, forma autem, ſeu quiditas conſideratur dupliciter in diuinis, vt abſoluta, & vt relatiua, vt abſoluta pluraliter dici non poteſt, quia non eſt niſi vna res abſoluta in diuinis, quæ eſt eſſentia; vt tamen relatiua, ſic pluraliter dici poteſt, quia ſic perſonæ poſſunt dici tres res.

pr. 3. q. vn. Aegidius reſp. quod ſi res abſolutè ſumitur, quoniam abſoluta in diuinis ſubſtantiuè accepta non poſſunt pluraliter dici, nec res poteſt pluraliter dici; ſi verò ſumitur pro re relata; res enim (inquit) ſe extendit ad omnia prædicamenta, ſic poteſt pluraliter dici, & poteſt concedi tres diuinas perſonas eſſe tres res, relatiua enim ſubſtantiuè ſumpta pluraliter dici poſſunt.

q. 2. Durandus reſp. quod ſecundum communem modum loquendi non debet dici, quod in diuinis ſint plures res, ne intelligantur plures ſubſtantiæ, nam ſicut ens per ſe ſumptū, & ſine determinatione ſumitur tantum pro ente per ſe, ideſt pro ſubſtantia, ſic & res, quæ idem penitus importat, quod ens, ſine determinatione ſumitur pro ſubſtantia; de virtute tamen ſermonis eſſet diſtinguendum, quia ſi res accipitur pro ſubſtātia eſt falſum, quod ſint plures res in diuinis, ſi pro relatione, vel habente relationem, eſt verum, ſemper tamen cum additione concedendum eſt plures eſſe res relatiuas.

diſp. vn. Michael de Pal. reſp. quod iſta propoſitio eſt concedenda ſicut D. Aug. ipſam concedit quod tres perſonæ ſunt tres res; nam ſenſus eſt, quod ſunt tres res relatiuæ, treſue ſubſiſtentiæ, tres denique proprietates indiuiduales realiter diſtinctæ.

de tr. lib. 3. c. 6. Franc. Suar. reſp. quod quælibet perſona eſt aliqua res ſimpliciter & abſolutè, quia eſt aliqua ſubſtantia vera, & realis, & omnis ſubſtantia eſt vera res ſimpliciter, & abſolutè; cum itaque plurificentur perſonæ, plurificantur, & res.

Reſolutio.

REſpondeo, quod hoc nomen res addit ſupra ens intentionem ſubſtantiæ, & accidentis; & quoniam in diuinis ſunt tres perſonæ, quarum quælibet eſt ens, & ſubſtantia; idcirco poſſunt dici tres res, quamuis non ſint niſi ſubſtantia vna, ideſt tria entia vnius ſubſtantiæ.

Obiectio. Sed ſi in diuinis non plurificantur niſi relationes? res autem non dicit relationem, quia non refertur ad aliud.

Reſpondetur, quod res quantum eſt de ſe, nec dicit quid abſolutum, nec quid relatiuū, ſed eſt quid commune ad vtrumque; & quoniam ea, quæ verificantur de ſpeciali verificantur etiam de communi, vt quæ verificantur de homine, verificantur de animali, ideo concedendum eſt, quod ſunt in diuinis plures res, quia plures relationes. Ita Aegidius.

QVÆSITVM X.

An hoc nomen ens pluraliter dici poſſit in diuinis?

c. 4. q. 1. GVil. Antiſiod. reſp. quod Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt tres entes, vt hæc dictio entes ſumitur par-

Digitized by Google

participialiter, ideſt tres qui ſunt, ſed vt ſumitur nominaliter; nequaquam. Item Alexãder Alenſis. Addit Albertus, Si ſumitur nominaliter, hoc poteſt eſſe dupliciter, vel ſecundum modum ſignificandi, quia dicitur coniunctiuè, & quia ſic refertur ad perſonas, eſt vera propoſitio ſunt tres entes; vel abſolutè pro eſſentia, & ſubſtantiuè, & ſic eſt falſa.

d. 25. q. 1. a. 4. D. Thomas reſp. quod nomen entis ſumitur ab eſſe rei, & ideo cum vnum, & idem ſit eſſe diuinorum, ſi ens ſumatur ſubſtantiuè non poteſt pluraliter dici de diuinis, quia forma, a qua imponitur eſſe nõ plurificatur in eis; ſi vero ſumatur participialiter & adiectiuè, ſic pluraliter dici poteſt, quia ſic recipit numerum a ſuppoſito, & non a forma ſignificata, & eſt ſenſus (inquit Bannes) quod in Deo ſunt tres actus eſſendi, quod eſt falſum. Item D. Bonau.

diſp. vn. Michael de Pal. reſp. quod hæc propoſitio eſt planè neganda, tres perſonę ſunt tria entia, ſiquidem vbi eſt vnum eſſe, non ſunt tria entia, nam ens non eſt adiectiuum, quod multiplicet ſuppoſitum, & non formam.

d. 23. §. 3. Guilel. Eſtius reſp. quod ſicut hæc propoſitio, Deus eſt, ita reſoluitur, Deus eſt ens, ſic iſta Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt, reſoluitur hoc modo, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt entes, vel entia.

q. 39. a. 3. diſp. Ludou. Mol. reſp. quod concedendum eſſe in diuinis & vnum ens, & tria entia; non enim ens dicitur ab eſſentia, vt eſſentiam ſolum dicit naturam communem ſuppoſitis; ſed ab entitate; vt entitas commune quid eſt abſolutis, & relatiuis.

de tr. lib. 3. c. 6. Franc. Suar. reſp. quod ſicut plures ſunt res, & entitates in diuinis, ita plura ſunt entia, ens enim idem eſt quod res, & quancunque ſignificat entitatem.

Reſolutio.

RESpondeo, quod vnum & plura diuidũt ens, quæcunque ergo ſunt, & non ſunt vnum, plura ſunt; cum itaque in diuinis non omnia ſint vnum, alioquin nulla eſſet diſtinctio in eis; igitur ſunt plura, plura autem ſi ſunt, non niſi entia eſſe poſſunt, quia quæ non ſunt entia nihil ſunt; plura ergo ſunt entia in diuinis, & conſequenter hoc nomen ens pluraliter dici poteſt de eis.

Obiectio. Sed ſi Pater, Filius, & Spiritus ſanctus nõ ſunt tria vera? quia veritas eſt quid eſſentiale; ens autem, & verum conuertuntur.

Reſpondetur, quod ſicut eſt ens in diuinis abſolutum, & eſt ens relatiuum, ita & verum; alia enim eſt veritas abſoluti, vt quod Deus eſt bonus, & alia relatiui, vt quod Pater generat; ſicut igitur Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt tria entia relatiua, ita & tria vera relatiua, vnum autem; & verum, & ens abſolutum.

QVÆSITVM XI.

An hoc nomen perſona pluraliter dici poſſit de diuinis?

d. 25. a. 1. ALbertus reſp. quod ſine dubio concedendum eſt, quod in diuinis ſunt plures communicantes naturam diuinam intellectualem, & quia tales communicantes neceſſariò diſtincti ſunt, ideo neceſſe eſt concedere, quod plurificatur ratio perſonalitatis in eis.

q. 1. a. 4. D. Thomas reſp. quod hoc nomen perſona ſignificat aliquid diſtinctum ſubſiſtens in natura intellectuali, & quoniam ſunt plura diuina diſtincta ſubſiſtẽtia habentia naturam intellectualem, ideo pluraliter dici poteſt, vt verificatur de eis.

p. p. q. 30. a. 1. Et iterum reſp. quod hoc nomen perſona ſignificat relationem, vt rem ſubſiſtentem in natura diuina; cum itaque tales res plurificentur in diuinis, etiam ipſum nomen neceſſe eſt pluraliter dici.

d. 23. pr. vn q. 4. Aegidius reſp. quod nomina quæ importãt relationem in ſpeciali pluraliter dici nõ poſſunt de diuinis, quemadmodum nomina Patris, Filij, & Spiritus ſancti; ſed bene quæ importãt relationem in communi; & quoniam hoc nomen perſona importat relationem, ſignificat enim quid ſubſiſtens in natura intellectuali habens eſſe diſtinctum in illa, cuius diſtinctionis ratio non poteſt eſſe niſi relatio, & non importat eam in ſpeciali, ſed in communi; ideo nomen perſonæ pluraliter dici poteſt de diuinis.

a. 2. q. 1. Ricardus reſp. quod ideo hoc nomen perſona pluraliter dici poteſt de diuinis, quia ſignificat ſuppoſitũ intellectualis naturæ diſtinctum proprietate ad dignitatem pertinente, talia autem ſunt plura in diuinis. Item Marſilius q. 26. ar. 1.

a. 4. Thomas ab Arg. reſp. quod perſona, vt reſtringitur ad diuina, ſignificat ſuppoſitum relatiuum; cum igitur talia ſuppoſita relatiua plurificentur in diuinis, non enim eſt vnum, & idem ſuppoſitum Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſequitur neceſſariò, quod hoc nomen perſona pluraliter dici poteſt in diuinis.

Re-

Digitized by Google

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut hoc nomen perſona introductum eſt ad ſtandum in diuinis, pro re ſignata, & ſingulari, cum huiuſmodi res ſint plures, Pater .ſ. Filius, & Spiritus ſanctus, propterea pluraliter dici poteſt de diuinis.

Obiectio. Sed ſi perſona dicitur quaſi per ſe vna; vnum autem pluraliter non dicitur?

Reſpondetur, quod hoc nomen perſona ſecundum ſuam ethimologiam, non ſolum idem ſonat, quod per ſe vna, ſic enim pluraliter dici non poſſet; ſed etiam quod per ſe ens, & hæc magis ſuum ſignificatum præfert, quod eſt eſſe per ſe ſubſiſtens; cum itaque plura ſint in diuinis, quæ per ſe ſubſiſtũt, hoc nomen perſona pluraliter dici poteſt de eis.

QVAESITVM XII.

An hoc nomen perſona importet aliquid poſitiuum, an verò negatiuum?

p. p. q. 30. a. 4. D. Thomas reſp. quod hoc nomen perſona, non eſt nomen negationis, ſed rei, cum ſit impoſitum ad ſignificandum rem ſubſiſtentem in rationali natura.

Et in p. ſent. diſ. 23. aſſerit hoc nomen perſona nõ tantum dicere negationem, ſed etiam poſitionem. Item Aegidius, & Marſilius.

d. 23. q. vn. Ioann. Scotus reſp. quod hoc nomen perſona de ſua ratione præciſè dicit negationem duplicis communicabilitatis; vna eſt, quæ negat communicabilitatem, ſecundum quam aliquid dicitur cõmunicabile pluribus, quod eſt idem cuilibet eorum, & quodlibet eſt ipſum, ſicut vniuerſale ſuis inferioribus, altera, quæ negat communicabilitatem, ſecundum quam aliquid dicitur communicabile alicui, quia eo illud eſt tale, ſed non ipſum, ſicut forma corpori.

d. 25. q. 1. Durandus reſp. quod perſona non dicit formaliter negationem, quamuis rationem eius circunloquamur per eſſe indiuiduum, vel incommunicabile, neutrum tamen ſignificat, ſed formaliter ſignificat hoc aliquid ſubſiſtens in intellectuali natura.

d. 23. a. 3. Petrus Aur. reſp. quod perſona non ſignificat aliquid determinatum poſitiuum, ſed ens in generali negationibus ſubſtractum importatis per eſſe ſolitarium, & per ſe, quæ negationes ſunt non eſſe alterius forma, nec ſubſtantialis, nec accidentalis, non materia, non pars integralis, & huiuſmodi, & has negationes non claudit formaliter, & in recto, ſed connotatiuè tantum, & quaſi in obliquo.

tr. 23 p. 2. q. 5. Nicol. de Nijſe reſp. quod hoc nomen perſona de formali ſignificato, ſignificat negationem communicabilitatis, licet cum hoc connotet aliquid poſitiuum; primò, enim cõnotat id, de quo dicitur .ſ. Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum; ſecundò relationem, propter quam perſonæ conuenit talis negatio; tertiò eſſentiam.

q. 29. a. 1. diſp. Ludov. Mol. reſp. quod hæc eſt Scoti ſententia, quod hoc nomen perſona de formali ſignificet in concreto incommunicabile naturæ rationalis, ſupponat vero pro rebus realibus, quibus conuenit huiuſmodi incommunicabilitas; quam ſententiam eſſe amplectendam cenſet.

de tr. lib. 2. c. 8. Franc. Suar. reſp. quod cum perſona nihil aliud ſit, quam ſuppoſitum intellectualis naturæ, neceſſe eſt perſonam addere naturæ intellectuali nõ tantum negationem, ſed etiam poſitiuum terminum, in quo huiuſmodi negatio fundetur, & per quem perſona a perſona diſtinguatur.

Reſolutio.

RESpondeo, quod hoc nomen perſona de ſuo principali intellectu rem ſignificat ſignatam, & ſingularem in natura tali, res autem huiuſmodi cum ſit hoc aliquid, quodã poſitiuum eſt, importat ergo hoc nomen perſona aliquid poſitiuum.

Obiectio. Sed ſi in diffinitione perſonæ data a Ricardo ponitur incommunicabilitas in recto? dicitur enim quod eſt intellectualis naturæ, incommunicabilis exiſtentia.

Reſpondetur, quod in diffinitione perſonæ non ſolum ponitur incommunicabilitas, ſed etiam ſubſtantia, ſiue exiſtentia, quæ poſitiuum quid ſignificat, circunloquimur autem per negationem communicabilitatis, nõ quod ſit ipſa incommunicabilitas, ſed ipſa ſubſtantia, ſiue exiſtentia, cui non competit communicari.

QVÆSITVM XIII.

An hoc nomen perſona importet aliquid commune in diuinis?

c. 4. q. 3. GVil. Antiſiod. reſp. quod eſt communitas ſecundum intelligentiam, ſecũdum prædicationem, & ſecundum rem; perſona itaque eſt quid commune ſecũdum intelligentiam, ſiue ſuppoſitionem, non ſecundum rem.

Alex.

Digitized by Google

q.16. Alex. reſp. quod aliquid dicitur eſſe commune pluribus duobus modis, ſecundum eſſe, & ſecundum habitudinem; eſſentia itaque in diuinis eſt communis ſecundum eſſe, ſed perſona ſecundum habitudinem, & ſic nomen perſonæ eſt commune ſecundum rationem, ideſt, ſecundum conſimilem modum ſe habendi tria ad vnum, licet ex conſequenti etiam ſecundum rem. (m.2 a.2.)

d.23. q.1. a.3. D. Thomas reſp. quod aliquid eſt commune ſecundum rem, & aliquid ſecundum rationem; perſona itaque cum dicitur de diuinis non importat aliquid commune ſecundum rem, quia ſic importaret eſſentiam, quæ eſt vna numero in omnibus diuinis perſonis, ſed importat aliquid commune ſecundum rationem fundatam in re, quæ eſt relatio. Item Durandus, & Franciſcus a Chriſto.

p.p. q.30. a.4. Et iterum reſp. quod hoc nomen perſona in diuinis eſt commune ſicut in humanis cõmunitate .ſ. rationis, non quidem ſicut genus, & ſpecies; ſed ſicut indiuiduum vagum, quod ſignificat naturam communem cum determinato modo eſſendi, qui competit ſingularibus, vt .ſ. ſit per ſe ſubſiſtens diſtinctũ ab alijs, & hoc eſt commune ſecundum rationem omnibus diuinis perſonis, vt vnaquaque res ſubſiſtat in natura diuina diſtincta ab alijs. Item Ricardus. diſ.25. a.2.q.1.

d.25. a.2. q.1. D. Bonau. reſp. & adducit tres modos dicendi antiquorum, vnum, quod perſona importet aliquid commune tribus ſecundum priuationem; alterum, ſecundum proportionem habitudinis; tertium, qui eſt D. Thomæ, communitate rationis, ſicut hoc nomen indiuiduum, & horum quemlibet approbat.

pr. 1. q.1. Aegidius reſp. quod hoc nomen perſona, eſt nomen hypoſtaſis, non naturæ, & ideo non propriè importat aliquid commune, habet tamen quantum ad modum ſignificandi aliquam ſimilitudinem cum hoc nomine homo, nam ſicut homo ſignificat humanitatem in communi non includendo habitudinem ad intentionem, vel ad aliquid tale, ſic perſona ſignificat ſubſtantiam primam in quadam communitate, non includendo habitudinem; quamuis etiam differenter, nam homo ſignificat humanitatem ſimpliciter, perſona autẽ in hoc, vel in illo, & ideo aliqui dicunt, & bene, quod magis habet ſimilitudinem cum hoc nomine, aliquis homo, quam cum hoc tantum, homo.

a.58. q.7. Henricus reſp. quod triplex eſt communitas in diuinis, quædam rei puræ, & hæc eſt communitas eſſentiæ, quædam puræ rationis, & intentionis, & hæc eſt communitãs perſonæ, & quædam partim rei, partim rationis, & hæc eſt communitas relationis.

Petrus Aureolus reſp. quod non eſt aliud concipere perſonam, quam concipere ens diſtinctum, diſcretum, ſolitarium habens perſeitatẽ tertij modi in intellectuali natura, & quoniam ſic eſſe eſt commune in diuinis, ideo hoc nomen perſona, quod importat ſic eſſe, importat quid commune in diuinis. d.25. a.3.

Gulielmus Occham reſp. quod perſona importat quid commune, non communitate rei, vt eſſentia eſt communis tribus perſonis; ſed communitate vocis, vel conceptus, ſignificat enim illa multa, quorum quodlibet eſt perſona, ſicut homo non ſignificat aliquid commune omnibus hominibus, ſed ſignificat omnes homines, & prædicatur de eis non in quid, ſed in ſecundo modo dicendi per ſe. q.3.

Gerardus reſp. quod illud, quod ſignificatur nomine perſonæ eſt aliquid ſingulare ſubſiſtens in natura intellectuali, ita tamen confusè, & indeterminatè apprehenditur ab intellectu, ac ſi eſſet quodam commune, & vniuerſale; quandoque enim intellectus, ſicut ſenſus, apprehendit aliquid determinatum, & diſtinctum, cognitione indeterminata, & confuſa. q.vn. a.1.

Marſilius reſp. quod hoc nomen perſona dicitur communiter de omnibus perſonis in diuinis communitate, quæ eſt conuenientia triũ ſuppoſitorum in ſubſtantia intellectuali ſic, vt ſingula eorum illam habeant ſecundum proprietatem incommunicabilem. q.28. a.2.

Franc. Suar. reſp. quod hoc nomen perſona in diuinis importat conceptum obiectiuum realem, & poſitiuum communem tribus perſonis ſecundum rationem. de tr. lib.3. cap.3.

Gabriel Vaſq. reſp. quod hoc nomen perſona in diuinis ſignificat conceptum communem huic, & illi perſonæ, non quidem ſecundum quiditatem, ſed tantum ſecundum denominationem. diſp. 13. c.2.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod hoc nomen perſona non importat aliquid commune in diuinis ſecundum rem, quia nulla res diuina eſt communis niſi diuina eſſentia, & hanc non importat hoc nomen perſona, importat tamen aliquid commune ſecundum conceptum, inquantum dicitur de pluribus, & non ſecundum diuerſam rationem, nam cũ ratio perſonæ in ſignatione, & ſingularitate conſiſtat tam eſt res ſignata, & ſingularis Pater, quam Filius, & Spiritus ſanctus.

Digitized by Google

Obie- Sed ſi hoc nomen perſona de ratione ſua
ctio. importat aliquid incommunicabile? non igitur poteſt importare aliquid commune.

Reſpondetur, quod hoc nomen perſona importat quidem de ratione ſua quid incommunicabile, ſed tamen ſub eſſe quodam confuſo, & non ſignato, perſona enim non dicit quid incommunicabile, vt ſortes, ſed vt aliquis homo, & ideo poteſt etiam importare aliquid commune.

QVÆSITVM XIV.

An hoc nomen perſona habeat rationem vniuerſalis in diuinis.

d.23. a.5. ALbert. reſp. quod ad hoc, vt aliquid ſit vniuerſale exigitur, quod abſtrahat ab his, de quibus prædicatur, vt natura communis abſtrahit a ſuis inferioribus, quæ contrahunt ipſam per ea, quibus componitur; & quoniam huiuſmodi abſtractio non contingit in hoc nomine perſona, ideo non poteſt eſſe quid vniuerſale.

d.25. pr.1 q.2. Aegidius reſp. quod duplex eſt communitas in diuinis rei, & rationis, communitas rei eſt eſſentiæ, rationis verò relationis, & quoniam communitas vniuerſalis non poteſt eſſe niſi communitas rationis, ideo ſi perſona habet rationē vniuerſalis in diuinis, non poteſt ipſam habere, niſi ſecundum quod importat relationem; ſed relatio non eſt quid vniuerſale in diuinis, quia vniuerſale non ſolum debet prædicari de pluribus, plurificari in eis, non dici per modum ſubſiſtentis, ſed etiam habere aliud, & aliud eſſe, quæ conditio non conuenit relationi, cum omnium diuinorum ſit vnum eſſe, ideo nec poteſt perſona dici de diuinis, vt quid vniuerſale.

q.1. Guilel. Occham reſp. quod hoc nomen perſona non habet rationem vniuerſalis, quia non intelligitur aliquid eſſe vniuerſale, niſi quod prædicatur de pluribus, quæ ſunt ita diſtincta realiter, quod nullo modo ſunt vna res, ſic autem non eſt de perſonis diuinis, quia quamuis ſint diſtinctæ res, tamen vna ſimpliciſſima res ſunt illæ tres res, & ita perſona eſt quidem nomen vnum commune tribus perſonis, non tamen vniuerſale.

d.24. a.2. Ioannes Bacc. reſp. quod perſona dicit eſſe de re, non eſſentiam, nam dicit incommunicabilem exiſtentiam, & ideo non eſt quid vniuerſale quia quod eſt vniuerſale in diuinis dicit eſſentiam.

q.28. a.4. Marſilius reſp. quod quamuis nomen perſonæ nō propriè habeat rationem vniuerſalis, nam perſonæ non propriè numero differunt, magnam tamen habet conuenientiam cum vniuerſali in diuinis; tum quia propriè prædicatur in quid, nam cum quærimus, quid eſt Pater? melius dicimus, perſona, quā eſſentia; tum etiam quia prædicatur de diſtinctis.

Michael de Pal. reſp. quod perſona non ſignificat naturam communem, ſed proprietates indiuiduorum diſcretas, & ideo non poteſt habere rationem vniuerſalis, ſed tantum communem ſecundum conſiderationem intellectus. d.23. diſp.1

Reſolutio.

REſpondeo, quod illa nomina habent rationem vniuerſalis, quæ prædicantur de pluribus in quid, vel in quale, vt ſuperiora de ſuis inferioribus in genere ſuo; cum itaque hoc nomen perſona non prædicetur, neque in quid, neque in quale de Patre, Filio, & Spiritu ſancto, vt quid ſuperius de ſuis inferioribus in aliquo certo genere, quia eſt idem Pater, quod perſona Patris, idem Filius, quod perſona Filij, idem Spiritus ſanctus, quod perſona Spiritus ſancti, ideo hoc nomen perſona non habet rationem vniuerſalis in eis.

Sed ſi hoc nomen perſona prædicatur in quid de Patre Filio, & Spiritu ſancto? ad interrogationem enim factam de Patre per quid eſt, reſpondetur, quod eſt perſona, & ſic de Filio, & Spiritu ſancto. Obiectio.

Reſpondetur, quod quando reſpondetur ad interrogationē factam de Patre, Filio, & Spiritu ſancto per quid, quod quilibet eſt perſona, eſt huiuſmodi prædicatio intentionalis nōn formalis, & vniuerſalis, quia non prædicatur de eis tanquā inferioribus, niſi ſecundum conceptum.

QVÆSITVM XV.

An hoc nomen perſona ſit nomen primæ, an verò ſecundæ intentionis?

D. Thomas reſp. quod hoc nomen perſona ſignificat indiuiduum. quia ſignificat indiuiduam ſubſtantiam, indiuiduum autem aliquando eſt nomen ſecundæ intentionis, vt cum non ſignificat rem ſingularem, ſed intentionem ſingularitatis, aliquando verò eſt nomen primæ intētionis, vt cum ſignificat rem, cui conuenit intentio ſingularitatis, & ita ſignificatur hoc nomine perſona, ſignificat enim rem ipſam, cui conuenit intentio indiuidui. d.25. q.1. a.1.

Ri-

Digitized by Google

d.26. q.2. Ricardus reſp. quod hypoſtaſis, quod idem ſignificat, quod perſona, non eſt nomen ſecundæ intentionis, ſed primæ; eſt enim intentio prima res, vt intellecta, ſeu conceptus eius, intentio autem ſecũda eſt aliquid, quod accidit rei ſecundum ſuum eſſe intellectum tantum; cum igitur hypoſtaſis ſignificet aliquid, quod inuenitur in re extra, & non per operationẽ noſtri intellectus, ſequitur quod non eſt nomẽ ſecundæ intẽtionis, ſed primæ.

d.13. q.1. Henricus reſp. quod hoc nomen perſona ſi conſideretur ſecundum ſuum ſignificatum, ad quod ſignificandum eſt primò impoſitum, & vt ſimiliter ſupponit pro ipſo ſignificato, vt quando dicitur perſona eſt quædam hypoſtaſis, ſic eſt nomen intentionis tantum; ſi verò conſideratur, vt ſupponit pro ſuo appellato, ſeu ſubſtrato, vt cum dicitur perſona generat, ſic rem ſignificat cũ intentione.

d.23. q.vn. Ioannes Scotus reſp. quod accipiendo nomen perſonæ, vt perſonam diffinit Ricardus, quod eſt intellectualis naturæ incommunicabilis exiſtentia, non eſt nomen ſecundæ intentionis, ſed primæ; quoniam in tali diffinitione nihil ponitur, quod ſignificet intentionem ſecundam; nam ex natura rei ſine omni operatione intellectus, tam in Patre, quam in Filio, & Spiritu ſancto eſt natura intellectualis, & entitas incommunicabilis. Item Ant. Andreas.

a.1. Herueus reſp. quod hoc nomen perſona dignitatem importat, & eſt impoſitum ad ſignificandum aliquid dignum laude, & quoniam intentiones ſecundæ, nec aliquam dignitatem important, nec aliquid dignum laude, ideo hoc nomen perſona non ſignificat ſecundam intentionem, ſed rem ſubſtratam ſecundæ intentioni, quæ eſt indiuiduum vagum, ſicut aliquis homo, hæc enim & dignitatem importat, & ſignificat aliquid dignum laude.

a.3. Petrus Aur. reſp. quod nomen primæ intentionis, eſt nomen exprimens primum cõceptum rei; exprimens autem ſecundum ſuper primum fundatum per actum intellectus reflectentis ſe ſuper eum eſt nomen ſecũdæ, & quoniam hoc nomen perſona, quia perſeitatem importat, non exprimit conceptum ſuper alium fundatum, ſed ſuper rem ipſam, idcirco non eſt nomen ſecundæ intentionis, ſed primæ.

q.1. & 2. Franc. Maro reſpondet, quod perſona eſt nomen ſecundæ intentionis, non primæ, quod probat ex multis regulis, quarum prima eſt. Quandocunque aliquid eſt commune, & ſuperius aſſignatur multis, & non eſt eis eſſentiale, illud eſt ſecunda intentio; ſed perſona eſt ſuperius ad omne indiuiduum verè intellectuale, & eſt ei non eſſentiale, quia ſeparatur indiuiduum a perſonalitate, vt in Chriſto, igitur eſt ſecũda intentio; ſecũda eſt. Quicquid prædicatur de ſuperiori, ſi eſt prima intentio, prædicatur etiã de inferiori, ſed non, ſi ſecunda; at perſona dicitur ad ſe, ergo & Pater, & Filius, non tamen perſona ad perſonam, ergo perſona non eſt prima, ſed ſecunda intentio; tertia eſt. Vbi tenet locus a diffinitione, ibi accipiuntur primæ intentiones, ſed non ſecundæ; at perſona diffinitur per indiuiduum, quod eſt ſecunda intentio, & Pater diffinitur per Filium, qui eſt perſona, & tamen non diffinitur perſona per perſonã; igitur hoc nomen perſona non eſt primæ, ſed ſecundæ intentionis.

Guilel. Occham reſp. quod nomina primæ intentionis ſunt illa, quæ ſunt impoſita ad ſignificandas res, vel ad ſupponendum pro rebus; ſecundæ vero illa, quæ ſunt impoſita ad ſignificandum talia prædicabilia de nominibus rerum, quando ſupponunt ſimpliciter, & non pro ſuis ſignificatis; & quoniam hæc nomina, ſuppoſitum, indiuiduum, ſingulare, & perſona, ſunt impoſita ad ſignificandum tantum res, vel ad ſupponendum tantum pro rebus; quia omne ſuppoſitum eſt res, omne ſingulare eſt ſubſtantia, vel accidens, & omnis perſona eſt natura intellectualis; ideo talia nomina non ſecundæ, ſed primæ ſunt intentionis. q.vn.

Thomas ab Arg. reſp. quod hoc nomen perſona eſt nomen primæ intentionis, nam eius immediatum ſignificatum eſt verum ens reale, & independens ab actu rationis; primò, quia ſi nullus eſſet intellectus fabricans intentiones ſecundas, adhuc huic nomini perſona reſponderet verum ſignificatum in ſuppoſitis diuinis; ſecundò, quia tale immediatum ſignificatum, eſt incommunicabilis ſubſiſtentia intellectualis naturæ, quod eſt ens reale, nomen enim, & immediatum ſignificatum ſibi mutuò correſpondent quantũ ad intentionem primam, & ſecundam. q.1. a.1.

Gerardus reſp. quod hoc nomen perſona, non eſt præcisè nomen primæ intentionis nec præcisè ſecundæ, ſed ſe habet vtroque modo, tam in creaturis, quam in diuinis, nam dictum nomen acceptum inquantum imponitur ad ſignificandum ſuppoſitum naturæ intellectualis ſecundum propriam, & incommunicabilem ſubſiſtentiam, quam habet realiter extra intellectum, ſic eſt nomen primæ intentionis; acceptum verò inquantum impo- a.3.

ponitur ad ſignificandum illud idem ſuppoſitum, prout fundat quandam ſimilitudinem rationis ad quodcunque aliud ſuppoſitum ratione vniformis, & conſimilis modi concipiendi, ſic eſt nomen ſecundæ intentionis, quia ſignificat rem ſub eſſe rationis, ſecundũ quod cadit ſuper eam ſecunda intentio.

q.2. Guilel. Rub. reſp. quod illud eſt nomen primæ intentionis, & non ſecundæ, quod impoſitum eſt ad ſignificandum primas intentiones extra animam, vel in anima exiſtentes; & quoniam huiuſmodi eſt hoc nomen ſuppoſitum, perſona, & indiuiduum, quodlibet enim horum ſignificat rem extra animã exiſtentem; perſona enim. & ſuppoſitũ ſignificant ſubſtantiam, indiuiduum verò tam ſubſtantiam, quam accidens; propterea ſuppoſitum, perſona, & indiuiduum ſunt nomina primæ, non ſecundæ intentionis.

ar.1 p.2. q.1. Nicol. de Nijſe reſp. quod ſecunda intentio dicitur reſpectus rationis conferentis vnũ obiectum cognitum ad aliud; cum itaque perſona ſecluſo actu rationis ſit in diuinis, ſecluſo enim quocunque actu intellectus eſt in diuinis natura intellectualis, & entitas incõmunicabilis, quæ ſunt de ratione perſonæ, idcirco perſona eſt nomen primę intentionis, non ſecundæ. Item Guilelmus Varrill.

d.23. q.vn. Paulus Scriptor reſp. quod perſona eſt ſuperius vniuocum ad perſonam abſolutam, & reſpectiuam, & ideo cum omne inferius ſit extraneum ſuperiori, ſequitur, quod perſona de ſe, nec eſt abſoluta, nec reſpectiua, & per conſequens non eſt ſecunda intentio, quæ eſt tantum relatio.

q.vn. Ioannes Maior non reſp. ad queſitum ſed impudentiæ arguit eos, qui circa illud laborant; dedecoroſum cenſens, ad has quiſquilias deſcendere; *ſed ſatis imprudenter*.

diſp.1 Michael de Pal. reſp. quod nomina ſecundæ intentionis principaliter ſecundam intentionem denotant, vt ſubiectum, prædicatum genus, ſpecies, & huiuſmodi, quippe ad has intentiones denotandas inſtituta fuere; at nomen hoc perſona, eſt nomen rei, & non intentionis; & non poteſt ſecundam intentionẽ ſignificare, niſi ex adiuncto, quia .ſ. per ſecundam intentionem circunſcribitur.

q.1. Franc. a Chriſto reſp. quod nomen perſonæ formaliter ſignificat intentionem, intentionem .ſ. denominantem nomen rei, quod eſt ſuppoſitum, ſiue indiuiduum demonſtratũ, ita enim vindicari poteſt diffinitio perſonæ, nempe cum ſuppoſitum, & indiuiduum demonſtratum ſit incõmunicabile, incommunicabilitas antè ponitur in diffinitione perſonę; diffinitur autem perſona in ordine ad primã intentionem, quam denominat, ſicut prima ſubſtantia, cui ſolum conuenit eſſe indiuiduum, & incommunicabile, ipſa tamen ratio incommunicabilitatis nomini attributa communis eſt cum multis, ſicut & ipſum nomen perſonæ.

Ludou. Molina reſp. quod perſona de ſuo formali nõ ſignificat aliquid reale, ſed in concreto aliquid rationis, ſupponitque pro rebus, quæ dicuntur perſonæ, vnde iſtæ propoſitiones, Pater eſt perſona, Filius eſt perſona, non ſunt eſſentiales, ſed accidentariæ, ſicut & iſtæ, Sortes eſt indiuiduum, Plato eſt indiuiduum; perſona enim diffinitur per indiuiduum, vt a Boetio, & per incommunicabile, vt a Ricardo, quæ de ſuo formali non ſignificant aliquid reale, ſed rationis. q.29. a.1. diſp. 2.

Reſolutio.

RESpondeo, quod hoc nomen perſona de ſuo intellectu immediatè, & principaliter importat rem ſingularem in tali natura, licet indeterminatè, nomina autem ſecundæ intentionis non immediatè, & principaliter important res, ſed conceptus, vel terminos, & ideo hoc nomen perſona non eſt nomen ſecundæ intentionis, ſed primæ;

Sed ſi perſona diffinitur per indiuiduum? indiuiduum autem eſt nomen ſecundæ intentionis. Obiectio.

Reſpondetur, quod frequenter latent nos differentiæ eſſentiales, & ideo vtimur ad circunloquendum eas quibuſdam accidentibus, vel rei, vel intentionis; & ſic eſt in propoſito. Ita Herueus. Et Occham reſpondet, quod aliquando nomina ſecundæ intentionis ponuntur in diffinitione nominum primæ.

QVÆSITVM XVI.

An hoc nomen perſona in diuinis ſignificet ſubſtantiam, an relationem?

GVil. Antiſiod. reſp. quod hoc nomen perſona partim dicitur ſecundum eſſentiam, & partim ſecundum relationem, quia in eius diffinitione expreſsè ſignificatur eſſentia per hanc vocem rationalis naturæ, & ibi etiam deſignatur relatio, ſcilicet diſtinctio. c.4. q.2.

Alex. reſp. ad mentem Ricardi, quod licet multum interſit inter ſignificationem ſubſtantiæ, & ſignificationem perſonæ, hoc tamen nomen perſona, & ſecundum ſubſtantiam dicitur, & ſubſtantiam ſignificat, quia non dicitur niſi de rationali ſubſtantia, & per ip- q.56 m.2.

Digitized by Google

ipſum non intelligimus, niſi vnâ ſubſtantiam, & ſingularē, ſub proprietate incōmunicabili.

p.p. q.29. a.4. D. Thomas reſp. quod perſona in quacũque natura ſignificat illud quod eſt diſtinctiuum in natura illa, ſicut in natura humana ſignificat has carnes, & hæc oſſa, & hanc animam, quæ ſunt principia indiuiduantia hominis; & quoniam diſtinctio in diuinis non fit niſi per relationes originis, & relatio in diuinis eſt ipſa diuina eſſentia, ex quo eſt ſubſiſtens ſicut diuina eſſentia, ideo perſona ſignificat relationem, vt ſubſiſtentem, & hoc eſt ſignificare relationem per modum ſubſtantiæ, & ita hoc nomen perſona in diuinis ſignificat relationem in recto, & eſſentiam in obliquo, non relationem inquantum relatio eſt, ſed inquantum ſignificat per modum hypoſtaſis; ſimiliter ſignificat relationē in obliquo, & eſſentiam in recto, inquantum eſſentia eſt hypoſtaſis, & relatio, ſic enim cadit in ratione perſonæ in obliquo, cum hypoſtaſis ſignificetur in diuinis, vt relatione diſtincta. Item Herueus.

d.10. q.9. a.4. Et iterum reſp. quod diuina perſona ſignificat de formali ſignificato ſubſiſtens in natura diuina incommunicabiliter; ſed quia hoc ſubſiſtens in diuinis non poteſt eſſe niſi relatiuum, ideo ſignificat de materiali ſignificato relationem.

d.25. a.1. q.1. D. Bonau. reſp. quod hoc nomen perſona cum dicat ſuppoſitum rationalis naturę proprietate diſtinctum ſimul ſignificat ſubſtantiam, & relationem; ex ſuo tamen principali intellectu ſignificat ſubſtantiam, quia ſignificat ſuppoſitum certum ſubſtantiæ, tam in diuinis, quam in humanis, ex ſpeciali autem, relationem, quia talis proprietas in diuinis eſt relatio.

d.23. pr.vn. q.3. Aegidius reſp. quod hoc nomen perſona ſi accipiatur in ſua generalitate, nec relationē ſignificat, nec aliquid abſolutum determinatè; ſi verò accipiatur in ſpeciali, vt in diuinis, ſic ſignificat relationem, non quia perſona referatur ad aliquid ſecundum ſe, ſed quia aliquid poteſt accipi ſub hoc nomine perſona, cui per ſe competat referri ad aliud; ſi ſimiliter accipiatur ſubſtantia pro natura nō ſignificat ſubſtantiam, ſed aliquid ſubſiſtens in tali ſubſtantia, ſeu natura; ſi verò accipiatur pro ſuppoſito, tunc poſſumus dicere quod ſignificat ſubſtantiam; ſed tunc quæſtio nulla eſt, quia eſt idem ſuppoſitum, quod relatio, vnde nihil eſt quærere, an perſona ſignificet relationem, an ſubſtantiam. Item Gerardus.

d.25. a.1. q.2. Ricardus reſp. quod nomen perſonæ ſignificat & eſſentiam, & hypoſtaſin, ſed antiquitus parum erat in vſu in illo ſenſu, in quo ſignificat hypoſtaſin, ſed modo non eſt in vſu in eo ſēſu, in quo ſignificat eſſentiam, ſed tantum in eo, in quo ſignificat hypoſtaſin diſtinctam proprietate ad dignitatem pertinente.

a.53. q.4. Henricus reſp. quod ratio formalis perſonæ, ad quam imponitur ad ſignificandum, aut eſt ipſa relatio, aut tracta eſt a relatione; & ideo non dicitur ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum relationem, & non quidem in ſeipſa, vt hæc nomina Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, quæ relationem determinatè ſignificant, ſed in contentis ſub ipſa, vt hoc nomen Trinitas, quod indeterminatè relationem importat.

d.25. q.vn. Ioan. Scotus reſp. quod hoc nomen perſona, neque relationem dicit, neque ſubſtantiam, non relationem, quia nec propriam, neque communem; non propriam, quia eſt commune tribus, ſi enim (inquit D. Aug.) tres perſonæ ſunt, commune eſt eis hoc, quod eſt perſona; non communem, quia, vt dicit D. Auguſtinus, Pater non eſt perſona Filij, nec econuerſò; nec ſimiliter dicit ſubſtantiam, vt ſumitur pro quiditate, quia ſubſtantia non numeratur in diuinis, ſicut perſona; ſed connotat ſubſtantiam ſimul, & relationem.

d.23. q.1. Durandus reſp. quod ſi vera eſt opinio illa, quam ſequitur, quod .ſ. perſona non ſignificet rem, ſed intentionem, tunc etiam manifeſtum eſt, quod tam in creaturis, quam in diuinis, nec ſubſtantiam ſignificat, nec relationem.

d.25. a.3. Petrus Aur. reſp. quod perſona in diuinis nec ſubſtantiam ſignificat, nec relationem formaliter, & in recto, ſed ens ſolitarium per ſe, quod abſtrahit ab vtroque, ab eſſentia .ſ. & relatione, coincidens tamen in conſtitutum ex proprietate, & eſſentia formaliter in recto, & in eſſentiam, & relationem coincluſiuè, & quaſi in obliquo.

d.23. q.4. Franc. Maro reſp. quod ratio perſonę non eſt præciſè relatiua, quia ſic vbique eſſet relatiua; nec præciſè abſoluta, quia tunc omnis perſona eſſet abſoluta; nec ſimul abſoluta, & reſpectiua, quia ſic omnis perſona eſſet & abſoluta, & relatiua, ſed abſtrahit ab abſoluto, & relatiuo, quia diuiditur per abſolutum, & reſpectiuum; quodlibet autem diuiſum per aliqua duo oppoſita neceſſariò abſtrahit ab vtroque.

d.25. q.1. Guilelmus Occham reſp. quod nomine perſonæ in diuinis primò, & formaliter ſigni-

Digitized by Google

gnificatur ſuppoſitum intellectuale, hoc enim nomen perſona ſignificat tam in creatis, quã in increatis ſuppoſitum intellectuale; cum itaque ſuppoſitum intellectuale primò, & formaliter non ſit relatio, neque eſſentia, ſed conſtitutum ex his, ideo neque primò ſignificat eſſentiam, aut relationem, ſed conſtitutum ex his.

d.23. a.3. Thomas ab Arg. reſp. quod hoc nomen perſona, nec ſecundum ſe, nec ſecundum quod ſumitur in diuinis ſignificat relationẽ, nam ſecundum ſe ſignificat quid per ſe ſubſiſtens diſtinctum in intellectuali natura, ſecundum autem quod ſumitur in diuinis, ſignificat tale diſtinctum relatione; in recto tamen nunquam ipſam relationem ſignificat.

d 25. q.2. Guilelmus Rubion reſp. quod perſona diuina non eſt nomen relatiuum magis, quam hoc nomen Deus, quod eſt nomen abſolutũ, dato enim per impoſſibile, quod non eſſet niſi vnicum ſuppoſitum in diuinis, adhuc illud diceretur perſona diuina; hoc autem non eſſet ſi relatiuè diceretur; ipſa res tamen ſignificata per hoc nomen eſt res relatiua, exigit enim aliam a ſe realiter diſtinctam, ſine qua exiſtere non poteſt.

q.26. a.2. Marſilius reſp. quod hoc nomen perſona ex ſuo modo ſignificandi non importat relationem, contractum tamen ad diuina importat relationem indirectè, & ſecundariò ratione diuinæ naturæ intellectualis, cuius ſuppoſita ſignificat, quæ relationibus diſtinguuntur.

d.25. q.vn. Ioan. Maior reſp. quod perſona non eſt terminus relatiuus, ſed abſolutus; primò quia nullam dicit habitudinem in ordine ad aliud, vnde ſi per impoſſibile eſſet vna perſona in diuinis, ſicut eſſentia, illa eſſet perſona; ſecundò, quia ſi eſſet dictio relatiua, hoc eſſet, quia ſignificat plura, quod eſt falſum; tertiò, quia adhuc Angelus eſſet perſona, ſi ſolus eſſet; eſt igitur perſona quodam ſuperius quiditatiuum, & eſſentiale, ad terminos Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum.

d.23. q.vn. Michael de Pal. reſp. quod Perſona relationem denotat, & quia non modo relatiuo, ſed per modum ſubſiſtentis, ideo vtrumque amplectitur, & relationem, & ſubſtantiam, ſiue ſubſiſtentiam, & hanc principalius, nam ſubſiſtentia, ſiue exiſtentia eſt eius ratio formalis.

q.3. Franciſcus a Chriſto reſp. quod Perſona formaliter, neque ſubſtantiam ſignificat, neque relationem, formaliter enim ſignificat intentionem, intentio autem neque ſubſtantia eſt neque relatio; in ordine autem ad rem ſubiectam intentioni, idque in communi, & abſolutè, abſtrahit ab abſoluto, & relatiuo; in diuinis tamen includit, & ſubſtantiam, & relationem; eſt enim in diuinis perſona ſubſiſtens in diuina natura diſtinctum proprietate relatiua, igitur & eſſentia, quæ præſtat ſubſiſtentiam, & relatio, quæ diſtinguit, includuntur in perſona.

Thomas Caet. reſp. quod hoc nomen perſona in diuinis ſignificat formaliter, & directè relationem; materialiter verò, & conſequenter, ſubſtantiam. q.29. ar.4.

Guilelm. Eſtius reſp. quod perſona ſignificat relationem per modum ſubſtantiæ, ideſt abſolutè, & per relationem ad aliud; vel quod ferè in idem recidit, eſſentiam non abſolutè; ſed vt coniunctam habet proprietatem indiuidualem, & incommunicabilem, quam tamen proprietatem ſignificat indiſtinctè, quo fit, vt in numero plurali de pluribus affirmari poſſit; nudam autem relationem non ſignificat, quia non dicitur ad aliud, ſed aliquid dicit per ſe ſubſiſtens. d.23. §.2.

Domin. Bannes reſp. quod diuina perſona relationem ſignificat formaliter, non quidem per modum relationis in actu exercito, neque in actu ſignato; ſed implicitè, quia quiditas huius nominis explicari non poteſt, niſi per conceptum relationis. p.1. q.59. c.8.

Franc. Suar. reſp. quod ſumendo perſonã per comparationem ad naturam, ſeu eſſentiam Dei, ſignificat relationem formaliter; ſumendo verò per comparationem ad diuerſos conceptus, proprium, ſ. & confuſum, materialiter. de tr. lib. 7.

Gabr. Vaſq. reſp. quod hoc nomen perſona in diuinis ſignificat directè, & formaliter ſubſtantiam, directè etiam, ſed materialiter relationem, conſequenter autem connotat eſſentiam, & in obliquo; & aſſerit hanc eſſe ſententiam D. Thomæ. diſp. 127. c.2.

Reſolutio.

Reſpondetur, quod hoc nomen perſona ſignificat rem determinatam, indeterminatè tamen, & quaſi in confuſo, & quoniam res determinata in diuinis eſt res relatiua, ideo quamuis relationem formaliter, & directè non importet, importat tamen materialiter, & quaſi indirectè; quia rem relatiuam ſignificat in diuinis.

Sed ſi perſona (vt inquit Boetius) eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia? Obiectio.

Reſpondetur, quod in intellectu ſubſtantiæ indiuiduæ, ideſt diſtinctæ, & incommuni-

nicabilis intelligitur in diuinis relatio, ſeu res relatiua per ſe ſubſiſtens. Ita Diuus Thomas.

QVAESITVM XVII.

An poſſit abſtrahi a diuinis perſonis conceptus communis prædicabilis in quid de eis?

q.56. m.4. ar.2. ALex. reſp. quod cum perſona importet quid commune, non tamen contingit abſtrahere huiuſmodi commune ab illis, quibus eſt commune, ſicut enim cum dicitur eſſentia diuina eſt communis, non aliud dicitur communis, quam eſſentia; ita cum dicitur Pater eſt perſona, non aliud ſecundum rem eſt Pater, & perſona.

d.23. q.vn. Ioan. Scotus reſp. quod a tribus diuinis perſonis non ſolum poteſt abſtrahi conceptus communis negatiuus negationis in genere, ſed etiam poſitiuus, ſicut exiſtimant (inquit) D. Auguſtinus, & Magiſter.

d.25. q.1. Gulielmus Occham reſp. quod ſicut poteſt abſtrahi conceptus communis a paternitate, & filiatione, de his enim relatio prædicatur in quid, ita etiam poteſt abſtrahi à perſonis diuinis, quæ conſtituuntur per relationes; magis enim conceptus communis abſtrahi poteſt a conſtitutis, quam a conſtituentibus, ſeu conſtitutiuis; qui tamen conceptus communis haberi non poteſt, niſi ab his, qui in particulari, & in ſe intelligunt diuinas perſonas.

Reſolutio.

REſpondeo, quod poteſt quidem abſtrahi, a diuinis perſonis conceptus communis, & conceptus perſonalitatis, quia hoc nomen perſona, vt dictum eſt, dicit quid commune eis ſecundum conceptum, ſed iſte conceptus non eſt prædicabilis in quid, quia non eſt conceptus communis communitate generis, aut ſpeciei, ſed tantum communitate rationis, & intelligentiæ.

Obiectio. Sed ſi ad interrogationem factam de diuinis quid tres ſunt, reſpondendum eſt, vt dicit D. Aug. quod perſonæ?

Reſpondetur, quod ad quæſtionem per quid, quandoque reſpondetur per genus, & differentiam, vt quid eſt homo? reſpondetur animal rationale, & quandoque per ſuppoſitum, vt quid natat in mari? reſpondetur piſcis; & ſic intelligit D. Auguſtinus in propoſito. Ita D. Thomas.

DISTINCTIO VIGESIMA QVARTA.

Hic diligenter inquiri oportet, cum in Trinitate non ſit diuerſitas, vel ſingularitas, &c.

QVAESITVM I.

An in diuinis ſit aliqua diuerſitas?

ALex. Al. reſp. quod differentia in eſſentia dicitur diuerſitas; cum itaque in diuinis nulla ſit differentia in eſſentia, igitur nec vlla diuerſitas. q.61. m.1.

Albertus reſp. quod diuerſitas propriè loquendo habet oppoſitionem ad identitatem, identitas autem non eſt niſi a forma ſubſtantiali, & ideo diuerſitas non eſt, niſi vbi eſt diuiſio per formas ſubſtantiales ſecundum eſſe diuerſas; & quoniam non eſt huiuſmodi diuiſio in diuinis, igitur nec diuerſitas. d.23. ar.8.

Et iterum reſp. quod diuerſum dicitur quaſi in duo verſum, vel non idem cum eo, a quo diuerſum dicitur, & ideo diuerſum indicat naturam, & compoſitionem, quæ quoniam non eſt in diuinis, igitur nec diuerſitas. tr.9. q.40. m.1.

D. Thomas reſp. quod diuerſitatem in rebus facit multitudo in eſſentia, & quoniam in diuinis non poteſt eſſe talis multitudo, quia eſſentia eſt vna, igitur nec diuerſitas. d.24. q.2. a.1.

Aegidius reſp. quod ſicut vnum in ſubſtātia facit idem, ita ſeparatum facit diuerſum, vnde non poteſt eſſe diuerſitas in illis rebus, in quibus non eſt ſeparatio ſecundum ſubſtantiam, & quoniam in diuinis nulla eſt ſeparatio ſecundum ſubſtantiam, igitur nec diuerſitas. pr.2. q.1.

Iacob. Viterb. reſp. quod in diuinis non propriè dicitur diuerſum, & differens, ſed diſtinctum. pr.di. q.12.

Reſolutio.

REſpondeo, quod diuerſitas importat differentiam ſecundum formam, ſiue ſubſtantialem, ſiue accidentalem, ſiue ſecundum rem, ſiue ſecundum rationem; vnde iuxta vſum huius nominis, omnia ea diuerſa dicimus, quæ aliquo modo differunt in forma; & licet in diuinis ſit eadem eſſentia, quæ ſe habet ad modum formæ ſubſtantialis, multa tamen alia ſunt, quæ ſe habent ad modum formarum accidentalium, & ſi non differentiam ſecundum rem, differentia tamen ſecundum rationem, vt attributa, perfectiones, & hu-

Digitized by Google

huiuſmodi, & propterea ſecundum talia, eſt concedenda diuerſitas in diuinis.

Obie-ctio. Sed ſi attributa diuina ſunt idẽ formaliter?

Reſpondetur, quod attributa diuina ſunt profectò idem formaliter realiter, ſed non formaliter ſecundum rationem, & ſecundum modum, quo ea intelligimus, vt formas.

QVAESITVM II.

An in diuinis ſit aliqua diſtinctio?

q.65. m.1. ALex. reſp. quod diſtinctio eſt ipſarum perſonarum inter ſe differentia, differentia enim communiter ſe habet ad diſtinctionem, & diuerſitatem, quæ ſi eſt ſecundum eſſentiam, dicitur diuerſitas, ſi ſecundum perſonas, dicitur diſtinctio.

q.66. m.1. ar 3. Et iterum reſp. quod eſſe diſtinctum dicit hypoſtaſin in rectitudine, & in obliquitate proprietatem, diſtinctus enim eſt Pater per proprietatem.

d.24. pr.2. q.1. Aegidius reſp. quod in diuinis eſt diſtinctio, non quæ eſt differentia quantitatis, ſed quæ habet eſſe ex origine, nam perſonæ per originem diſtinguuntur.

Reſolutio.

REſpondeo, quod diſtinctio importat differentiam ſecundum numerum in his, quæ in aliquo vno ordinem habent, ſiue ſecundum rem, ſiue ſecundum rationem, & quoniam in diuinis multa ſunt, & ſecundum rem, & ſecundum rationem, quæ numero differunt, & habent ordinem in aliquo vno, quia perſonæ, in eſſentia, relationes in perſonis, idcirco eſt concedenda diſtinctio in eis.

Obie-ctio. Sed ſi in diuinis eſt ſumma identitas, & vnitas, quæ omnem diſtinctionem excludit?

Reſpondetur, quod in diuinis eſt ſumma identitas, & vnitas ſecundum eſſentiam, non ſecundum perſonas; & ſecundum has ſumitur realis diſtinctio in eis.

QVÆSITVM III.

An in diuinis ſit aliqua diuiſio?

q.65. m.1. ALex. reſp. quod diuiſio eſt multiplicatio eſſentiæ generalis per ſubſtantias particulares, & quoniam huiuſmodi multiplicatio remouetur a diuinis, idcirco & diuiſio.

d.24. q.2. D. Thomas reſp. quod diuiſio ponit rationem totius, & partis, & quoniam nihil eſt in diuinis quod habeat rationem talem; cum in eis ſit ſumma ſimplicitas, ideo nec diuiſio. a.1.

Reſolutio.

REſpondeo, quod diuiſio importat ſeparationem rerum, vel rationum ad inuicem ab aliquo communi, in quo conueniunt, ſiue ſecundum rem, ſiue ſecundum rationem, & quoniã in diuinis nulla eſt ſeparatio ſecũdum rem, ſed tantum ſecundum rationem, propterea in his, quæ res ſunt, nulla diuiſio concedenda eſt, ſed tantum in his, quæ ſunt rationis.

Sed ſi in diuinis eſt numerus? numerus autẽ dicit diuiſionem, ſicut vnitas indiuiſionẽ. Obie-ctio.

Reſpondetur, quod numerus dicit diuiſionem, qui eſt ex diuiſione continui; non autem tranſcendens, qualis eſt in diuinis.

QVAESITVM IV.

An in diuinis ſit alienitas?

ALbertus reſp. quod alienum eſt idẽ, quod alterius generis, accipiendo genus, pro natura; & quoniam in diuinis eadem eſt natura; idcirco in eis alienitas eſſe non poteſt. tr.9. q.40. m.1.

D. Thomas reſp. quod alienum dicitur illud quod eſt extraneum, a natura alicuius; & quoniam in diuinis nihil eſt, quod ſit extraneum a natura alterius, cum omnia conueniant in eandem naturam deitatis, ideo neque alienum. Item Aegidius. d.24. q.2. a.1.

Reſolutio.

REſpondeo, quod alienitas importat differentiam rerum, vel rationum per modum poſſeſſiui pronominis genitiui caſus, alius, vnde illud dicitur eſſe alienum, quod eſt alius, vt V. G. alienum prædium, aliena poteſtas, & huiuſmodi; & quoniam in diuinis eſt alius, & alius, & etiam alius, & alius, genitiui caſus, & maximè in relatiuis, vt generare, generari, ſpirare, ſpirari, idcirco in his quoque cõcedenda eſt alienitas, vnde poteſt dici, generare eſt alienum a Filio, nã generare eſt Patris, & generari eſt alienũ a patre, quia generari eſt alius a Patre .ſ. Filij, qui eſt alius a Patre.

Sed ſi alienum, idem ſonat quod extraneũ; nihil autem eſt extraneum in diuinis? Obie-ctio.

Reſpondetur quod in diuinis nihil eſt extraneum ſecundum naturam; ſed bene ſecũdum proprietatem, & hoc ſufficit ad hoc, vt ſit alienitas in eis.

QVAE-

Digitized by Google

QVAESITVM V.

An in diuinis ſit diſcretio?

q.65. ALex. reſp. quod diſcretio pertinet ad
a.1. viſum, ad diuina autem aſſumitur ſecundum viſum ſpiritualem fidei, eſt ergo in diuinis diſcretio, quia non eſt neceſſe, quod qui fide mouetur in vnam perſonam, moueatur etiam in alteram.

tr. 9. Albertus reſp. quod diſcretum ex modo ſi-
q.40. gnificandi per compoſitionem dicit per viſũ
m. 1. ſingulariter acceptum ab alio ſeparatum, & quoniam ſecundum viſum interiorem in ſuis proprijs accipimus Patrem, non Filium, idcirco concedimus eſſe diſcretum.

d.24. D. Thomas reſp. quod diſcretio importat
q.2. pluralitatem ſecundum rem, non rationis
a.1. tantum, & quia in diuinis eſt pluralitas ſecundum rem, & non ſecundum rationem tantum, propterea eſt etiam diſcretio.

a.53. Henricus reſp. quod diſcretio non eſt pro-
q.1. priè in diuinis, ſed diſtinctio.

Reſolutio.

REſpondeo, quod diſcretio importat differentiam rerum, vel rationum in ordine ad intellectum diſcernentem, vnde illa dicuntur diſcreta, quæ iam nouit intellectus aliquo modo differre, atque ita eſt diſcretio in diuinis, quia multa ſunt, quæ tam intellectus diuinus, quam creatus diſcreuit.

Obie- Sed ſi diſcretio eſt differentia quantitatis?
ctio. nulla autem eſt quantitas in diuinis.

Reſpondetur, quod in diuinis non eſt diſcretio ſecundum quod quantitatem importat, quæ diuiditur in continuam, & diſcretam; ſed ſecundum quod importat diſtinctionem in ordine ad intellectum diſtinguentem, & diſcernentem,

QVAESITVM VI.

An in diuinis ſit ſingularitas?

tr. 9. ALbertus reſp. quod ſingularitas dicit
q.40. indiuiduationem per accidentia, quę
m. 1. vni ſoli conueniunt, & ex conſequenti dicit excluſionem plurium, ſingulare enim eſt non plures, & quoniam in diuinis, nec indiuiduatio eſt, nec aliquid prædicatur vt accidens, idcirco nec ſingularitas.

d.24. D. Thomas reſp. quod naturæ communi-
q.2. catio pluribus ſuppoſitis excludit ſingulari-
a.1. tatem, & quoniam eadem natura diuina cõmunicatur omnibus ſuppoſitis diuinis, ideo non poteſt eſſe ſingularitas in eis.

Aegidius reſp. quod ſingularitas ſicut etiã pr. 2
ſolitudo, permixtio, confuſio, & huiuſmo- q. 1.
di diſtinctioni diuinarum perſonarum repugnant, & ideo non eſt concedenda in diuinis.

Henricus reſp. quod ſingulare ſignificat a.53.
ſolitarium, & conuenit ſuppoſito, & natu- q.1.
ræ, & ſumitur in diuinis non abſolutè, ſed cum determinatione, vt ſingularis eſſentia, Pater perſona ſingularis, & huiuſmodi.

Durandus reſp. quod non admittitur in d.9.
diuinis hoc nomen ſingularitas cum tamen q.1.
eſſentia ſit veriſſimè ſingularis, quia aliquando fuit cauſa erroris circa communicabilitatem naturæ.

Reſolutio.

REſpondeo, quod ſingularitas excludit pluralitatem in ordine ad aliquam formam communem, vel ſaltem communicabilem pluribus vel ſecundum rem, vel ſecundum rationem; & quoniam nulla poteſt eſſe huiuſmodi excluſio in diuinis, igitur nec ſingularitas.

Sed ſi quælibet perſona diuina eſt aliquid Obie-
demonſtratum ſubſiſtens in natura commu- ctio.
ni? tale autem omne eſt ſingulare;

Reſpondetur, quod ſingulare vltra hoc, quod dicit, quid ſubſiſtens in natura communi addit naturam illam exiſtentem in tali ſubſiſtente ſecundum realem exiſtentiam alteri incommunicabilem eſſe; natura autem diuina ſecundum realem exiſtentiam, eſt vna in omnibus diuinis perſonis. Ita Aegidius.

QVAESITVM VII.

An in diuinis ſit multiplicitas?

ALex. reſp. quod nihil eſt in diuinis, q.66.
quod poſſit dici multiplex, ſecun- m. 1.
dum quod eſt commune ad triplex, ar. 4.
& quadruplex, ſed ſecundum quod impropriè dicitur de Trinitate, & non propter aliud, niſi quia vnitas perſonæ multiplicatur.

D. Thomas reſp. quod ſimplicitas negat multiplicitatem, cum itaque in diuinis ſit ſumma ſimplicitas, ſequitur quod nulla ſit multiplicitas.

Aegidius reſp. quod non eſt multiplex niſi d.24.
quod eſt compoſitum; cum itaque nihil ſit in q.2.
diuinis, quod ſit compoſitum, neque etiam a.1.
aliquid eſt, quod ſit multiplex.

Gabriel Vaſq. reſp. quod ſi multiplicitas diſp.
referatur ad eſſentiam, vtique Deo conueni- 118
re non poteſt, ſi verò ad perſonas, relatio- c.8.
nes, & huiuſmodi, non repugnat.

Digitized by Google

Reſolutio.

RESpondeo, quod multiplicitas importat cum vnitate quamcunque differentiam in multitudine, ſiue rerum, ſiue rationum; cum itaque multa ſint in diuinis, tam ſecundum rem, quam ſecundum rationem differentia, quæ in aliqua vnitate conueniunt, igitur, & multiplicitas, vnde eſt multiplicitas in perſonis, in relationibus, in attributis.

Obiectio. Sed ſi multiplicitas opponitur ſimplicitati? eſt autem ſumma ſimplicitas in diuinis.

Reſpondetur, quod multiplicitas opponitur ſimplicitati ſecundum numerum, cum .ſ. res caret omni numero; ſicut ſimplicitati ſecundum eſſe opponitur compoſitio; quamuis ergo in diuinis ſit ſumma ſimplicitas ſecundum rem, quæ excludit omnem compoſitionem, non eſt tamen ſumma ſimplicitas, quæ excludit omnem numerum, & multitudinem, quoniam in diuinis multa ſunt, quæ numerari poſſunt; & ideo poteſt dici, multiplex perſona, quia triplex; & relatio multiplex, quia quadruplex.

QVÆSITVM VIII.

An ſit aliquid in diuinis, quod poſſit dici vnicum?

d. 24. q. 2. a. 1. D. Thomas reſp. quod pluralitas rerum excludit vnicum; cum itaque in diuinis ſit rerum pluralitas; igitur nihil eſt in eis, quod ſit vnicum.

pr. 2. q. 1. Aegidius reſp. quod vnicum vltra vnitatem importat ſingularitatem, & ſolitudinem; & quoniam non eſt aliquid in diuinis, quod ſit ſingulare, & ſolitarium, idcirco nec aliquid quod ſit vnicum.

d. 9. q. 1. Durandus reſp. quod hoc nomen vnicum non recipitur in diuinis, quia aliquando fuit cauſa erroris circa numerum perſonarum, quamuis non habeat repugnantiam ex ſua ſignificatione.

Reſolutio.

REſpondeo, quod hoc nomen vnicum eſt nomen adiectiuum deriuatum ab vno, & ponitur pro ſolo in participatione illius formæ cui adijcitur, a qua, quodcunque aliud excludit; & ideo poteſt eſſe in vſu in diuinis, tam in his, quæ ad eſſentiam ſpectant, quam quæ ad relationem, cum ſit vnica eſſentia, ideſt, vna ſola eſſentia, vnica relatio paternitatis, vnicũ verbũ, & huiuſmodi.

Obiectio. Sed ſi vnicum dicit ſolitudinem, quæ excludit conſortium? nulla autem talis excluſio fieri debet in diuinis.

Reſpondetur, quod hoc, nomen vnicum non dicit ſolitudinem ſimpliciter, quæ excludat cuiuſcunque generis conſortium; ſed tantum circa illam formam, cui adijcitur, ſicut cum dicitur vnica phænix, non excluduntur cætera animalia ab eius conſortio, ſed tantum a participatione ſuæ formæ; atque ita dicitur in diuinis vnicum verbum, quia ſcilicet, nulla alia perſona eſt verbum, vnica eſſentia, quia non ſunt plures eſſentiæ.

QVAESITVM IX.

An ſit aliquid in diuinis, quod poſſit dici vnum?

D. Thomas reſp. quod ſicut aliquid ſe habet ad indiuiſionem, ita ad eſſe vnum, nam ens (vt dicit Ariſt.) dicitur vnum in eo, quod non diuiditur; cum itaque diuina per ſe, & ſimpliciter ſint indiuiſa, ideo dicitur etiam de eis ſimpliciter vnũ. d. 24. q. 1. a. 1.

Aegidius reſp. quod vnum conſequitur eſſe, & ratio vnius in indiuiſione conſiſtit; cum itaque diuina ſint, & ſint indiuiſa, quia nec partes habent, nec numerum, ideo de eis dicitur vnum. pr. 1. q. 1.

Henricus reſp. quod vnum idem ſignificat cum ente, ſolum addens ſupra ens modum ſignificandi, non aliquid aliud; cum itaque Deus ſit ens, eſt etiam vnus. a. 25. q. 1.

Durandus reſp. quod ſicut vnumquodque ſe habet ad eſſe, ita ad vnum eſſe; cum itaque diuinis competat eſſe, competit etiam vnum eſſe. d. 24. q. 1.

Iacob Viterb. reſp. quod vnum quod dicit entitatem rei cum indiuiſione, ad diuina transfertur; quia non importat imperfectionem. q. 1.

Franciſcus Maro reſp. quod quadruplex vnitas inuenitur; quædam eſt vnitas, quæ eſt paſſio entis ſecundum totam eius latitudinẽ, & denominationem, & hæc dicitur de omnibus, quæ ſunt in Deo tam differentibus, vt ſunt perſonæ, quam diuerſis, vt ſunt relationes vltimatè conſtitutiuæ; quædam quæ conuertitur cum ratione entis præcisè, & hæc non habet præcisè denominare niſi rationem entis; alia eſt vnitas, quæ eſt diuiſiua ipſius entis, vt .ſ. diuiditur contra multitudinem, & hoc modo probatur Deum eſſe vnum, & non plures; & quædam eſt, quæ eſt principium numeri tranſcendentis, & hoc modo dicimus, quod perſona eſt vna. d. 24. q. 2.

Ge-

Digitized by Google

d.23. Gerardus reſp. quod Deus habet maximè
q.1. eſſe, cum in eo ſit idem eſſentia, & eſſe; igi-
a.1. tur, & maximè eſſe vnum, ens enim, & vnum conuertuntur.

d.24. Gregorius reſp. quod per hoc nomen vnũ
q.1. importatur quod in ſe indiuiſum eſt, in ſe
a.1. autem indiuiſum eſt, cuius nihil eſt intrinſecè, quod non ſit ipſum, vni enim eſſe (inquit) Ariſt. 10. Meth. t. c. 2.) eſt indiuiſibile eſſe, & quoniam quælibet res ſimplex in ſe indiuiſa eſt, dicitur enim illa res ſimplex, cuius non eſt aliquid, quod ipſa non ſit, ideo cum Deus ſit maximè ſimplex, eſt etiam ſimpliciter vnus.

d.24. Laur. Opim. reſp. quod in diuinis eſt vnitas ſimpliciſſima eſſentiæ, ratione cuius omnia ſunt vnum in eis, & eſt vnitas perſonalis, ratione cuius Pater eſt vnus, Filius vnus, Spiritus ſanctus vnus: eſt tamen eadem res penitus, & vnitas perſonalis, & eſſentialis, ſicut & vna, & eadem entitas.

q.3. Franc. a Chriſto reſp. quod cũ ratio vnius in indiuiſione conſiſtat, ens autem maximè indiuiſum ſit Deus; quippe qui a ſe eſt indiſtinctiſſimus, ab alijs verò longè ſeiunctiſſimus, non ſolum competit ei eſſe vnus, ſed etiam maximè vnus.

§.1. Guilel. Eſtius reſp. quod ſicut Deus eſt propriè vnus, ita ei propriè competit vnitas, non tamen, quæ eſt de prædicamento quantitatis, quia nihil Deo competit de his, quæ in prædicamentis continentur; ſed tranſcendens, vel ad inſtar tranſcendentis.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſicut diuiſio, ſeu diſtinctio entis facit ad eſſe plura, ita indiuiſio eius ſiue indiſtinctio facit ad eſſe vnum, quod ergo indiuiſum eſt, ſeu indiſtinctum hoc eſt vnum, vt mundus vnus, ſubſtantia vna, corpus vnum; cum itaque in diuinis ſit indiuiſio, ſeu indiſtinctio non ſolum in eſſentia, ſed etiam in qualibet perſona, & indifferenter in quolibet attributo diuino, non enim diuiſa eſt eſſentia, non perſona, non intellectus, non voluntas, ideo de omnibus his, & ſimilibus poteſt dici vnum.

Obiectio. Sed ſi nihil quod eſt diuinum eſt terminatum? nihil autem poteſt dici vnum, niſi quod eſt in ſe terminatum.

Reſpondetur, quod quodlibet ens diuinum dicitur terminatum, non quod aliquod termino claudatur, ſed quia a quocũque alio ente diſtinguitur. Ita D. Thomas. Et Aegidius. Non eſt terminatio hæc potẽtialis, ſed actualis, & formalis.

QVÆSITVM X.

An vnum quod dicitur de diuinis ſit vnum, quod conuertitur cum ente, an vnum, quod eſt principium numeri?

D. Thomas reſp. quod vnum quod di- d.24.
citur de diuinis non eſt vnum, quod q.1.
eſt principium numeri, quia tale a.3.
vnum eſt accidens de genere quantitatis; & prædicatur de his tantum, quæ habent eſſe in materia, ſed eſt vnum, quod conuertitur cum ente, quod non dependet a materia. Item Aegidius, Henricus, Iacob. Viterb. & Ioannes a Celaia.

Petrus Aur. reſp. quod in diuinis eſt qui- a.4.
dem vnum, quod conuertitur cum ente, ſed non vnum, quod eſt principium numeri, quia tale vnum eſt vnum vnitate, quæ formaliter eſt clauſio indiſtincti facta a mente in ſua indiſtinctione; & quoniam nullum eſt indiſtinctum in diuinis, quod poſſit a mente claudi præciſè in ſua indiſtinctione, cum nihil ſit ita indiſtinctũ, quod excludat quodlibet diſtinctum, nam cum hoc, quod Deus eſt vnus, eſt etiam actu trinus, & perſona vna non excludit alteram, cum ſit in ea, ideo non eſt tale vnum in diuinis.

Gregorius reſp. quod tam vnum, quod q.1.
conuertitur cum ente, quam vnum, quod eſt a.2.
principium numeri dicitur de diuinis, quia vtrunque importat, quod in ſe indiuiſum eſt; Deus autem eſt quid in ſe indiuiſum, quia maximè ſimplex.

Marſilius reſp. quod non ſolum vnum, q.27.
quod conuertitur cum ente dicitur de diui- a.1.
nis, cum ens diuinum ſit ſummè ſimplex, & indiuiſum a ſe, & diuiſum ab alijs, ſed etiam vnum, quod eſt principium numeri, nam quodcunque ens diuinum cum alio, & cum Angelo conſtituit duo, omne autem quod cum alio conſtituit duo eſt vnum in genere quantitatis.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod in enumeratione plurium procedimus ab vno, hoc autem vnum non poteſt eſſe niſi ens, quoniam non ens non poteſt eſſe primum in enumerando entia, vnum ergo, quod cõuertitur cum ente, non poteſt non eſſe vnum, quod eſt principiũ numeri, vnde quando dico vnum hominem, non ſolum dico vnum quod eſt ens, ſed etiam vnum, quod eſt primum in enumeratione plurium; cum itaque vnum dicitur de diuinis, non ſolum dicitur vnum, quod conuer-

Digitized by Google

titur cum ente, ſed etiam, quod eſt principiũ numeri, quia ab aliquo ente diuino poſſumus procedere in enumeratione plurium, vt ab vno attributo poſſumus procedere ad multa, & ab vna perſona poſſumus procedere ad tres.

Obiectio. Sed ſi vnum quod eſt principium numeri non dicitur niſi de continuo? dicit enim Auer. 5. Meth. t.c. 11. quod illud quod eſt huiuſmodi eſt indiuiſibile in quantitate tantum; ſi non habet ſitum eſt principium numerorum, & ſi habet, eſt punctus; & illud quod eſt tale in vnoquoque generum eſt ſimplex in illo genere.

Reſpondetur, quod dictum Auerr. non eſt intelligendum determinatè de quantitate continua, quæ dicitur magnitudo, ſed generaliter de quolibet, quod eſt quantitas, vel pars, ſeu principium quantitatis continuæ, vel directè, omne enim tale quod eſt indiuiſibile, & caret ſitu eſt vnum numerale, & tale eſt Deus, qui licet non ſit quantitas eſt tamen principium quantitatis diſcretæ. Ita Gregorius.

QVÆSITVM XI.

An vnum, cum dicitur in diuinis, ſignificet aliquid in eis ſupra id, quod ſignificat ille terminus, cui adiungitur?

d.24. q.1. a.3. D. Thomas reſp. quod vnum, quod cõuertitur cum ente, nihil addit ſupra id, cum quo ponitur, niſi rationem negationis, ſi enim aliquid adderet daretur proceſſus in infinitum, quod illud ens additum eſſet vnum per aliquid aliud, & illud per aliud; cum itaque vnum quod dicitur de diuinis ſit vnum, quod conuertitur cum ente, & non quod eſt de genere quantitatis, quod verè aliquid addit ſupra ens, quia addit rationem menſuræ, ideo nihil ponit præter id, quod ponit ille terminus, cui adiungitur. Item Opimus.

Et Quodl. 10. q. 1. a. 1. Vnitas in diuinis non dicitur niſi remotiuè quantũ ad id, quod ſuper addit enti, quamuis ponat aliquid ſecundum quod includit ens, eſt enim vnum ens indiuiſum. Itẽ p p.q. 11.a.1.& q.30.a 3.

a.1. q.1. D. Bonau. reſp. quod vnum in creaturis & quantum ad rationem intelligendi, & quantum ad rem intellectam priuatiuè dicitur, & poſitiuè; in diuinis autem, non niſi poſitiuè.

pr. 1. q 2. Aegidius reſp. quod vnum, quod dicitur de diuinis eſt vnum, quod conuertitur cum ente, quod nihil addit ſupra ens, niſi quid rationis, eo quod indiuiſionem importat; vnũ autem quod eſt principium numeri addit ſupra ens, non ſolam rationem menſuræ, vt dicit D.Thomas, ſed quendam modum ſpecialẽ eſſendi, & eſt de genere quantitatis, ſed hoc non dicitur de diuinis.

Ricardus reſp. quod cum vnum dicitur de eſſentia nihil addit ſupra eſſentiam, ſed ponit eam, ipſam nominans, ſub ratione qua indiuiſa, & hoc idem facit cum dicitur de perſona, eſt enim eſſentia idem, quod vnitas eſſentialis, & perſona idem, quod vnitas perſonalis. a.1. q.2.

Henricus reſp. quod vnum addit ſupra ens modum ſignificandi, qui non eſt poſitiuus, ſed priuatiuus, non priuando aliquid poſitiuè dictum, ſed negatiuè .ſ. diuiſionem. a.25. q.1.

Herueus reſp. quod vnum, quod dicitur de diuinis, quia eſt vnum, quod conuertitur cum ente materialiter quidem importat aliquid poſitiuum, vt cum dicitur Deus vnus, ly vnus importat materialiter diuinitatem, formaliter tamen non importat niſi priuationem .ſ. indiuiſionem. d.24. a.4.

Durandus reſp. quod vnum quod conuertitur cum ente non dicit aliquid præter ens, quod ſit aliud ab ente, quia ens omnia includit, nec aliquam ſpecialem naturã ſub ente, quia nec ſubſtantiam, nec quantitatem, nec qualitatem, & huiuſmodi, nec illud idem ens ſub eadem ratione entis, quoniam ſic eſſet nugatio, ſed rationem tantum negatiuam circa illud, quæ eſt ratio indiuiſionis; cum itaque tale ſit vnum, quod dicitur de diuinis, nihil ponit, præter id quod ponit ille terminus, cui adiungitur. q.1.

Petrus Aur. reſp. quod vnum, quod conuertitur cum ente non addit ad ens, niſi negationem, & hanc duplicem, vnam, quæ tollit ab ea omnem diuerſitatem, alteram, quæ tollit ab ea omnem identitatem ad extra, ad quam quidem duplicem negationem, ita ſe habet, quod non ſignificat eam in recto, ſed in obliquo, & modo connotati; vnum autem, quod eſt principium numeri addit ſupra hoc vnum aliquam poſitiuam rationem per animam fabricatam, & in anima obiectiuè tantum, non in re extra ſubiectiuè, ſed quia hoc vnum non habet locum in diuinis; ſequitur quod vnum cum dicitur de diuinis, nihil addit niſi negationem. a.3.

Guilel. Occham reſp. quod cum vnum dicitur de diuinis, vt V. G. vnus Deus, ly vnus nihil addit, quia cum Deus ſit ſummè ſimplex non poteſt eſſe vnus per aliquid additum; & pro-

pro-

Digitized by Google

probat, quia hoc additum, vel eſſet quid abſolutum, vel reſpectiuum; non abſolutum, quia hoc eſſet ſubſtantia, vel qualitas, quod eſſe non poteſt; non reſpectiuum, nam non poſſet eſſe ſine termino, quod repugnat ſubſtantiæ; cum itaque Deus ſit res ſimpliciſſima eſt vnus per hoc, quod eſt ens, & non per aliquid ſibi additum.

a.1. Thomas ab Arg. reſp. quod vnum, quod eſt principium numeri dicit quid poſitiuum, quia conſtituit ſpeciem diſcretæ quantitatis, quæ eſt quid poſitiuum, vnum autem quod conuertitur cum ente ſecundum ſuum formale ſignificatum eſt quid priuatiuum; eadem enim res, vt eſt aliquid in ſe ipſa dicitur ens, ſed vt eſt a ſeipſa indiuiſa, dicitur vna; cum itaque de diuinis dicatur vnum, quod conuertitur cum ente, & non quod eſt principiũ numeri, ſequitur quod cum vnum dicitur de diuinis, nihil dicit, præter id, quod dicit ille
d.23. terminus, cui adiungitur.

q.1. a.2. Gerardus reſp. quod vnum, quod dicitur de diuinis eſt vnum, quod conuertitur cum ente, & hoc quidem ſignificat fundamentaliter illud idem poſitiuum, quod ens, ſed formaliter priuationem, vnitas enim formaliter, & in recto non eſt aliud, quam indiuiſio, ſeu in diuiſis formaliter eſt quædam negatio diuiſionis; dicit enim Ariſt. 5. Meth. quod quæcunque non habent diuiſionem, hoc modo dicuntur vnum.

d.24. q.1. a.2. Gregorius reſp. quod tam vnum quod cõuertitur cum ente, quam vnum, quod eſt principium numeri nihil dicit ſupra id, de quo dicitur, nec ſignificat aliquam entitatem ſuper additam.

Reſolutio.

RESpondeo, quod (ſicut dictum eſt) indiuiſio, ſeu indiſtinctio facit ad vnum, & ſi eſt indiuiſio, ſeu indiſtinctio ſecundum rem, facit eſſe vnum ſecundum rem, & ſi eſt indiuiſio, ſeu indiſtinctio ſecundum rationẽ, facit eſſe vnum ſecundum rationem, & quoniam indiuiſio eſt priuatio, & negatio diuiſionis, priuatio autem, & negatio inquantum priuatio, & negatio nihil addit ſupra ſubiectum, de quo dicitur, vel connotat, niſi rationem illam, per quam intelligitur ſubiectũ priuari tali natura, & conditione, ideo nec vnum aliquid addit ſupra id, quod ſignificat ille terminus, cui adiungitur, ſed tãtum rationẽ indiuiſionis; vnde cũ dicitur, Deus eſt vna ſubſtantia, vna natura, & huiuſmodi ly vna nihil addit ſupra ſubſtantiam, & naturam, ſed tantum indiſtinctionem, ſeu indiuiſionem

Sed ſi vnum eſſe in Deo dicit perfectionem ſimpliciter? nulla autẽ perfectio ſimpliciter videtur dicere negationem, ſeu priuationẽ. Obiectio.

Reſpondetur, quod non eſt inconueniens, quod aliquæ priuationes, quæ priuant imperfectione ſint meliores in quolibet ipſæ; quam non ipſæ, & ſic poſſunt dici perfectiones ſimpliciter. Ita Franciſcus Maro.

QVÆSITVM XII.

An nomen hoc vnum dicatur eſſentialiter, an notionaliter in diuinis?

GVil. Antiſiod. reſp. quod hæc dictio vnus in eadem ſignificatione ſignificat vnitatem eſſentiæ, & vnitatem perſonæ, vnde non eſt purè eſſentiale nomen, nec perſonale. c.4. q.6.

Alex. reſp. quod hoc nomen vnum in genere neutro ſumptum abſolutè dicit eſſentiam, in genere maſculino perſonam, licet nõ perſonaliter, quia non dicit hanc, vel illam perſonam in genere fæminino notionem, licet non notionaliter; iunctum tamen cum alijs, ſi iungitur terminis eſſentialibus, trahitur ad ſignificandum eſſentialiter, vt cum dicitur vnus Deus, vna eſſentia, ſi perſonalibus, perſonaliter, vt cum dicitur vnus Pater, vna perſona. Item Albertus diſ. 24. ar. 4. & tr. 9. q. 40 m. 2. ar. 2. q.65. m.2. a.1.

D. Thomas reſp. quod vnum nihil addit ſupra ens niſi ſecundum rationem, & ideo ſi ponitur cum eſſentia, eſſentialiter dicitur, ſi verò cum perſona, notionaliter. d.24. q.1. a.4.

Et in p.p. q. 30. ar. 3. reſp. quod vnum cum ſit de transcendentibus eſt communius quam ſubſtantia; & relatio, & ideo poteſt ſtare in diuinis pro ſubſtantia, & pro relatione, ſecundum quod competit his, quibus adiungitur.

D. Bonau. reſp. quod hoc nomen vnum in diuinis ſi adiectiuè tenetur dicitur eſſentialiter, & notionaliter, eſſentialiter ſi adiungitur termino eſſentiali, notionaliter ſi termino notionali; ſi verò ſubſtantiuè, in genere neutro tantum eſſentialiter, in maſculino tantum perſonaliter. d.24. d.1. q.2.

Ricardus reſp. quod in diuinis non eſt tantum vnitas eſſentialis, ſed etiam perſonalis, ſicut enim diuina eſſentia, ratione qua indiuiſa eſt dicitur vna, ita & perſona, & ſic vnum eſſentialiter, & notionaliter dicitur in diuinis. Item Durandus. Vnitas enim (inquit) in indiuiſione conſiſtit, & tam eſſentiæ, quam relationi conuenit eſſe indiuiſum. a.1. q.3.

Re-

Reſolutio.

RESpondeo, quod ratio formalis vnius in priuatione,& negatione conſiſtit,& ideo ex ſe,& propriè,neque eſſentialiter dicitur, neque perſonaliter, ſed indifferenter ſe habet ad vtrunque, dicitur enim tam de eſſentia, quam de perſona, & ſi per impoſſibile aliquid eſſet in diuinis, quod non eſſet eſſentia, vel perſona, adhuc tamen diceretur de eo.

Obiectio. Sed ſi innaſcibilitas, eſt negatio, & tamen dicitur perſonaliter?

Reſpondetur, quod inaſcibilitas, inquantũ negatio, nec eſſentialiter dicitur, nec perſonaliter; ſed quia cum hoc quod eſt negatio; importat etiam relationem in Patre, ſeu notionem, idcirco perſonaliter dicitur.

QVAESITVM XIII.

An in diuinis ſit numerus?

q.45. m.1. ALex. reſp. quod in diuinis non eſt numerus ſimpliciter, & propriè, quia nõ eſt ibi differentia ſecundum ſubſtantiam, ſed eſt ibi vt numerus, & cum additione ſcilicet perſonarum, relationum, & huiuſmodi.

d.24. a.1. Albertus reſp. quod in diuinis eſt numerus ex parte rei numeratæ ſecundum quid, non ſimpliciter.ſ. cauſata pluralitas a diſtinguẽte quocunque modo, & ſic dicimus, perſonam vnam diſtinctam ſua proprietate originis, & duas perſonas eadem proprietate diſtinctas; & hoc ſolo modo numerus poſitiuè cadit in diuinis, & non eſt ſimpliciter numerus, ſed quem effectiuè facit proprietas diſtinguens, & determinans, numeratum autem illo numero eſt perſona.

q.1. a.2. D. Thomas reſp. quod numerus in diuiſione conſiſtit, ſeu diſtinctione, & ſicut diuiſio eſt duplex, ſimpliciter, quæ eſt ſecundum eſſentiam, vel formam, quantitatem, ſeu materiam, & ſecundum quid, quæ eſt ſecundum proprietates, & relationes rationis, ita & numerus eſt duplex ſimpliciter, & ſecundum quid; cum itaque in diuinis non ſit diuiſio ſecundum eſſentiam, nec ſecundum proprietates, & relationes rationis tantum, ſed ſecundum relationes reales, ideo nec numerus ſimpliciter eſt in eis, nec ſecundum quid, ſed quidam numerus medius inter vtrunque, ſcilicet perſonarum.

p.p. q.30. a.1. Et iterum reſp. quod numerus eſt duplex, ſimplex,vel abſolutus, vt duo tria, quatuor, & numerus, qui eſt in rebus numeratis, vt duo homines, duo equi; primo modo eſt numerus in diuinis, quia ſic non eſt niſi in acceptione intellectus noſtri, non autem ſecundo.

D. Bonau. reſp. quod in diuinis eſt aliquo modo numerus, & aliquo modo non, nam cum numerus importet diſtinctionem,& aggregationem, ac diuiſionem ſubſtantialem; ſecundum quod dicit diſtinctionem, quia in diuinis eſt diſtinctio perſonalis ſecundum originem, ſic in eis eſt numerus; ſecundum autem quod dicit aggregationem, & diuiſionem ſubſtantialem, non eſt in eis; eſt ergo in diuinis numerus perſonarum, non ſimpliciter. *d.24. ar.2. q.1.*

Aegidius reſp.quod numerus quatuor importat, quantitatem, exceſſum, differentiam eſſentialem vnitatis, & diſtinctionem; licet ergo non ſit in diuinis numerus tribus primis modis, eſt tamen numerus ſecundum quod importat diſtinctionem, nam diuinæ perſonæ a ſe inuicem diſtinguuntur, & ideo aliquo modo etiam dicitur eſt numerus in eis. Item Gerardus. *pr.1. q.1.*

Henricus reſp. quod in Deo non eſt numerus ſimpliciter, & abſolutè, ſed cum determinatione dicendo, quod in Deo eſt numerus attributorum, & perſonarum, & ratio eſt, quia ad hoc, quod in aliquo ponatur numerus ſimpliciter duæ conditiones requiruntur; prima, quod illa, quæ numerantur ſint plura diuiſa ad inuicem; ſecunda, quod ſint ſub eadem ſpecie contenta; & quoniam quæ numerantur in Deo, neque ab inuicem ſunt diuiſa, quia omnia ſunt vnum, neque quæ numerantur ſunt contenta ſub eadem ſpecie, quia neque plures Patres, aut plures Filij; & huiuſmodi, idcirco non eſt ſimpliciter, & verus numerus in diuinis, ſed ſub determinatione. *a.41. q.3.*

Ioannes Scotus reſp. quod numerus ſimpliciter, & abſolutè, non eſt in diuinis, nam ſi ponatur quod habeat vnitatem formalem, reſpectu cuius formalitatis vnitates ſint materiales, ſic includit potentialitatem, ſi vero ponatur, quod ſit tantum vnus aggregatione vnitatum, ſic includit diuerſitatem, nulla autem potentialitas, aut diuerſitas eſt in diuinis; eſt ergo numerus in diuinis tantum ſecundum quid, ideſt, cum iſta determinatione perſonarum, ſic enim abſtrahit a potentialitate, & diuerſitate, quæ non ſunt in diuinis. *d.24. q.vn.*

Petrus Aureol. reſp. quod numerus formaliter eſt quædam clauſio, ſeu ſumma diſtinctorum facta a mente ipſa numerante in- *a.2.*

quan-

quantum ſunt diſtincta, ita quod vnum non includatur ab alio, ſed excludatur; & quoniam ea, quæ ſunt in diuinis, aut non ſunt diſtincta, vt eſſentialia, aut ſi ſunt diſtincta, vt perſonæ, a ſe inuicem tamen includuntur, & non excluduntur, nam in qualibet eſt quælibet; ideo nec poteſt eſſe talis clauſio, ſeu ſumma facta a mente, quæ eſt formaliter numerus.

pr. di. q. 12. Iacob. Viterb. reſp quod in diuinis eſt numerus vnitatum, ex repetitione .ſ. vnitatum, non numerus rerum numerabilium, ſiue numerus ſimpliciter.

d. 24. q. 1. Franc Maro reſp. quod in diuinis eſt numerus, & eſt eiuſdem rationis ſicut in creaturis, nam quicquid dicitur de numero ternario in creaturis, dicitur etiam de ternario in Diuinis, vt quod ſit numerus primus impar, & quod excedat binarium in vno, & ideo Arriani fuerunt certi de Trinitate, ſed dubitauerunt de creata, vel increata, hoc autem eſſe non potuiſſet, niſi numerus diceret communem conceptum diuinis, & creaturis; ſed ſicut in diuinis non concedimus plura entia ſimpliciter, ſed cum determinatione, vt plures relationes, plures perſonas, ſic talis numerus eſt ſemper concedendus in eis cum determinatione.

q. 2. Guilelmus Occham reſp. quod ſicut conceditur, quod Trinitas Angelorum eſt vnus numerus, ita poteſt concedi, quod Trinitas perſonarum ſit vnus numerus, non quod numerus ſit aliquod accidens reale inhærens Deo, ſed tantum aliquis conceptus ſignificans, quod in Deo ſunt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, & quod Pater non eſt Filius, nec Spiritus ſanctus, nec Filius eſt Pater, nec Spiritus ſanctus, nec Spiritus ſanctus eſt Pater, nec Filius.

a. 4. Thomas ab Arg. reſp. quod numerus eſt forma fundata in rebus diſtinctis, quarum quælibet eſt continua, & quoniam in diuinis nulla eſt continuitas, nulla quantitas, nulla ratio totius, & partis, in quibus conſiſtit ratio numeri; idcirco nec propriè eſt numerus.

q. 2. a. 4. Gregorius reſp. quod numerus ſumitur dupliciter; vno modo largè, & ſic quælibet pluralitas aliquorum ab inuicem diſtinctorum, ſiue illa ſint, ſiue conſtituant aliquid per ſe vnum, hoc aliquid, ſiue non, eſt numerus; alio modo ſumitur ſtrictè, & ſic tantum finita pluralitas eorum, quæ nec ſunt, nec conſtituunt aliquid per ſe vnum, hoc aliquid, eſt numerus; ſi ergo ſumatur numerus primo modo, ſic eſt in diuinis verè numerus, quia eſt pluralitas diſtinctarum perſonarum ad inuicem; ſi ſecundo modo, non, quia tres perſonæ ſunt vnum, & vna ſimpliciſſima eſſentia.

Guilel. Rub. reſp. quod omnis pluralitas rerum numeratarum dicitur verè numerus; cum itaque Trinitas diuinarum perſonarum ſit huiuſmodi pluralitas, & perſonæ diuinæ ſint res numeratæ, & realiter diſtinctæ, idcirco in diuinis eſt verè numerus. *q. 2.*

Michael de Bonon. reſp. quod numerus formaliter eſt quædam ſumma repreſentans numeranti diſtantiam vltimæ vnitatis ad primam, & ideo non eſt niſi accidens exiſtens ſubiectiuè in anima; & propterea in diuinis non poteſt eſſe numerus formaliter, quia in diuinis nullum poteſt eſſe accidens. *q. vn.*

Marſilius reſp. quod in diuinis non eſt numerus propriè loquendo, quia non eſt multitudo vnitatum, nec tres perſonæ ſunt magis ens, vel perfectius, quam vna earum, nec diuerſæ, quæ omnia importat numerus propriè dictus, largè tamen eſt numerus, quia Deus eſt tres diſtinctæ perſonæ. *q. 27. a. 2.*

Laur. Opimus reſp. quod in diuinis eſt ternarius numerus ex replicatione vnitatis perſonalis tribus diuinis ſuppoſitis poſitiuè, & notionaliter correſpondens. *d. 24. q. vn.*

Nicolaus de Nijſe reſp. quod ſi loquamur de numero, prout eſt in intellectus, concedendum eſt, quod in diuinis eſt numerus, nam intellectus poteſt concipere tres perſonas ſimul, & ſimiliter vnam perſonam tantum, non eſt autem ita perfectus conceptus vnius perſonæ, ſicut trium, igitur eſt ibi numerus totalis conceptus Trinitatis in intellectu concipiente; ſi verò loquamur de numero, vt eſt in re, non eſt numerus ſimpliciter, eſt tamen ibi numerus poſitiuus cum determinatione, .ſ. productionum, vel perſonarum, cum enim dicitur numerus perſonarum fit abſtractio ab eo, quod in numero dicit imperfectionem .ſ. a potentialitate, & a diuerſitate. *tr. 1. p. 2. q. 5.*

Ant. Andr. reſp. quod in diuinis non eſt numerus, vt numerus dicit quandam vnam formam, reſpectu cuius, ipſæ vnitates ſunt quaſi materia; nec ſimiliter, vt dicit quandam aggregationem illarum vnitatum; ſed tantum, vt dicit aliquid in conceptu illius, qui ſimul intelligit plures vnitates; nam intellectus vnus poteſt ſimul concipere ibi eſſe tres perſonas. *q. vn.*

Paulus Scriptor reſp. quod cum numerata in diuinis non ſint eſſentialiter diſtincta, nec ibi etiam eſt propriè numerus; verum ſi in vniuerſali conciperetur pluralitas ſine eſſentia- *q. vn.*

tia-

Digitized by Google

tiali diſtinctione, tunc verè ponendus eſſet numerus perſonarum; at quia communiter concipiuntur numerata cum diſtinctione eſſentiali, ideo communiter negandum eſt, propriè eſſe numerum in diuinis.

q. vn. Michael de Pal. reſp. quod perſonæ diuinæ ſunt ſimpliciſſimæ, & quælibet eſt vna, & perfectiſſimè vna; ex vnitatibus igitur iſtis perſonalibus, Trinitas reſultat perſonarum, quæ perfectiſſimus eſt numerus, & ſic numerus propriè eſt in diuinis, nam perſonæ propriè, & realiter diſtinguuntur.

ar. 2. Guilel. Varrill. reſp. quod quia in diuinis reperitur Trinitas, reperitur etiam formaliter numerus, vbi enim reperitur minus commune includens ſuperius, ibi reperitur & ſuperius, ſicut vbi reperitur homo, reperitur & animal.

d. 24. Ioannes Maior reſp. quod numerus ſumitur dupliciter propriè, & ſic eſt multitudo ex vnitatibus eſſentialiter diuiſis profuſa; & latè pro quibuſcunque perſonaliter ſiue eſſentialiter diſtinctis; primo modo non eſt numerus in diuinis, ſed ſecundo.

q. 4. Franc. a Chriſto reſp. quod in diuinis non eſt numerus prædicamentalis, tria enim conueniunt numero prædicamentali quæ nō poſſunt conuenire diuinis, quod ſit multitudo ex diuiſione continui profecta, quod ſit maior qualibet ſua parte, & quod ſit rerum diſtinctarum, & diuiſarum aggregatio; ſed eſt in diuinis numerus tranſcendentalis, qui eſt quæcunque multitudo diſtinctorum inter ſe; nam perſonæ diuinę inter ſe ſunt diſtinctę.

S. 1. Guilelmus Eſtius reſp. quod propriè eſt numerus in diuinis ſed non de prædicamento quantitatis, qui fit ex diuiſione continui, nihil enim Deo competit de his, quæ in prædicamentis continentur, nec quæ quantitatis extenſionem, vel diuiſionem conſequuntur.

Reſolutio.

RESpondeo, quod numerus conſequitur pluralitatem; in illis ergo poteſt eſſe numerus, in quibus eſt aliqua pluralitas; cum itaque in diuinis ſit pluralitas ſuppoſitorum, relationum, notionum, quia tria ſuppoſita, relationes quatuor, notiones quinque conſequenter eſt etiam numerus.

Obiectio. Sed ſi numerus eſt accidens?

Reſpondetur, quod numerus eſt accidens in anima numerante, non in ipſis rebus numeratis, a quibus non differt, vt accidens diſtinctum, & additum eis, dicit enim Ariſt. 10. Meth. quod numerus eſt pluralitas vnitatum, ideſt plures vnitates, ita vt ſit conſtructio intranſitiua, ſicut dicit Gregorius.

QVÆSITVM XIV.

An termini numerales cum de diuinis dicuntur ſignificent aliquid ſupra id, quod ſignificant illi termini, quibus adiunguntur?

D. Thomas reſp. quod termini numerales ſecundum quod veniunt in prædicationem diuinam nō ſumuntur a numero, qui eſt ſpecies quantitatis, quia ſic nō dicerentur de Deo, niſi methaphoricè, ſed a multitudine, ſecundum quod eſt tranſcendens, quæ multitudo ita ſe habet ad multa, de quibus prædicatur, ſicut vnum, quod conuertitur cum ente ad ens; ſicut itaque huiuſmodi vnum ſignificat quidem ipſum ens, ſed nihil addit ſupra ipſum, niſi negationem, quia ſignificat ens indiuiſum; ita & huiuſmodi multitudo ſignificat quidem res illas, de quibus dicitur, ſed nihil addit ſupra ens, niſi indiuiſionem circa vnamquanque earum; termini ergo numerales cum de diuinis dicuntur ſignificant quidem ea, de quibus dicūtur, ſed ſuper ea nihil addunt, niſi negationem, vnde cum dicimus perſonæ ſunt plures ſignificantur quidem illæ perſonæ, cum indiuiſione tamen circa vnamquanque earum. q. 30. a. 3.

D. Bonau. reſp. quod termini numerales cū dicuntur de diuinis poſitiuè dicuntur, non priuatiuè, & hoc probat ſic. Diſcreta quātitas eſt maioris abſtractionis, quam cōtinua, ideo diſcretio magis, quam duratio; ſed nomen dicens in diuinis durationem dicitur poſitiuè, vt æternus; ergo & nomen dicens diſcretionem. Item. In quocunque eſt ponere ſpeciem poſitiuè, eſt ponere genus; ſed in diuinis eſt ponere trinitatem; igitur & numerū. d. 24. a. 2. q. 1.

Ricardus reſp. quod termini numerales dicunt quidem aliquid poſitiuum in diuinis, quia dicunt plures vnitates perſonales, quæ ſunt res poſitiuæ, quia ſunt ipſæ perſonæ, ſed præter ipſas perſonas nihil aliud poſitiuum dicunt. a. 2. q. 2.

Herueus reſp. quod termini numerales cum dicuntur de diuinis, materialiter quidem important aliquid poſitiuum, non per hoc tamen aliquid addunt ſecundum rem ſuper illa, de quibus dicuntur, niſi ſecundum rationem, & hoc quod addunt ſecundum rationē eſt formaliter priuatiuum, addunt enim indiuiſionem, vnde cum dicitur tres perſonæ, materialiter ly tres importat ipſas perſonalitates a. 4.

tes, ſed formaliter indiuiſionem vniuſcuiuſque earum, & quod vna non eſt alia.

q.1. Durandus reſp. quod termini numerales cum dicuntur de diuinis perſonis ponunt aliquid præter ipſas diuinas perſonas, quia ponunt rationem diuiſibilis, & diſtincti, quæ ratio licet concomitetur negationem, quia dicit, quod vnum non eſt aliud, formaliter tamen negatiua non eſt, ſed poſitiua.

q.2. Gerardus reſp. & dicit quod ratio numeri ex ea parte, qua importat diſtinctionem, magis eſt negatiua, quam poſitiua, quia ſemper prima ratio diſtinctionis eſt affirmatio, & negatio, & ideo ratio numeri in creaturis dicitur poſitiua, non quia importat diſtinctionem, ſed quia ſimul cum diſtinctione importat partes diſtinctas, & numeratas, vbi autem numerus importat ſolam diſtinctionem, & nullo modo partes numeratas ratio ſua magis eſt negatiua, quam poſitiua, & ſic eſt in diuinis.

q.2. Guilelm. Rub. reſp. quod accipiendo numerum, vt ſupponit perſonaliter pro ſuo ſignificato eo modo, quo dicitur, quod eſt quædam pluralitas diſtinctorum, ſic non eſt aliquid a rebus numeratis in re extra diſtinctus; & quoniam ſic accipiuntur in propoſito termini numerales in diuinis, vt ſtent pro hoc numero, ſequitur quod nihil aliud ſignificent præter id, quod ſignificant illi termini, quibus adiunguntur.

q.27. ar.2. Marſilius reſp. quod perfectiſſima ratio ſuppoſitorum eſt in Deo, & ideo termini numerales vt Trinitas, tres, & huiuſmodi poſitiuè dicuntur, & non ſolam priuationem ſolitudinis important.

d.24. a.2. Guilelm. Varrill. reſp. quod numerus in diuinis eſt quid poſitiuum, non negatiuum vt credidit Magiſter, nam includit diſtinctionem, quæ eſt quid poſitiuum, omne enim quod numeratur diſtinguitur; igitur & numerus eſt diſtinctio.

q.30. a.3. Ludouicus Molina reſp. quod quando diuinis perſonis tribuimus terminos numerales dicentes, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum eſſe tres, tribuimus eis entitates ipſas ipſarummet perſonarum cum duplici negatione circa vnamquanque earum, ex quo huiuſmodi termini numerales nihil poſitiuum addunt ſupra res, quibus tribuuntur, ſed ſolum negationem duplicem, vnam diuiſionis in ſe, alteram identitatis cum quocunq. alio.

diſp. 129. c. 2. Gabr. Vaſq reſp. quod nomina multitudinis in Deo non ſolum non ſignificant negationẽ vnitatis, verum etiam rationem aliquam formalem ſupra ſingulas vnitates, vnum enim, & multa opponuntur contrariè, vel ſaltem priuatiuè, ex quo vel in vtroque extremo eſt forma poſitiua contraria, vel ſaltem in multitudine.

Reſolutio.

RESpondeo, quod cum dico tres, aut quatuor homines, tres, aut quatuor lapides, non dico aliud, quã ſi dicerem, iſtos, vel illos lapides, iſtos, vel illos homines ipſis hominibus, & lapidibus demonſtratis, niſi quod cũ dico tres, aut quatuor, dico eos ſub determinata pluralitatẽ, quæ cõſequitur eorũ diſtinctionem; iſti ergo termini numerales tres, aut quatuor, ſupra ipſos lapides, & homines, nihil addunt, niſi quod ſignificant eorum pluralitatem eſſe determinatam; ſic itaque in diuinis, iſti termini numerales, vt duo tria, quatuor nihil addunt, vel ponunt ſupra id, quod ſignificant illi termini, quibus adiunguntur, ſed tantum ſignificant, quod illa, quæ ſignificantur per illos terminos ſunt ſub determinata pluralitate, vt perſonæ tres, relationes quatuor, notiones quinque.

Sed ſi pluralitas eſt relatio? cui autem accidit relatio, ſuſcipit additamentum. Obiectio.

Reſpondetur, quod per hoc, quod pluralitas eſt relatio non eſt aliquid, ſed ad aliquid, & ideo dicere hanc pluralitatem, non eſt aliquid dicere, ſed ad aliud ſine additione alicuius accidentis de nouo aduenientis ei, de quo dicitur.

QVÆSITVM XV.

An termini numerales, cum de diuinis dicuntur, dicantur eſſentialiter, an perſonaliter?

ALbertus reſp. quod termini numerales ſequuntur naturam eorum terminorum, quibus adiunguntur, vnde ſi iſti termini ſunt eſſentiales eſſentialiter dicuntur, ſi perſonales perſonaliter. tr. 9. q. 40. m. 2. a.2.

D. Thomas reſp. quod multitudo, & pluralitas in diuinis non eſt niſi perſonarum; quoniam ergo termini numerales ſignificant multitudinem, & pluralitatem, non poſſunt ſignificare niſi perſonas, quia multitudo, & pluralitas perſonarum ſunt ipſæ perſonæ; ergo cum de diuinis dicuntur, notionaliter, ſeu perſonaliter, non eſſentialiter dicuntur. d.24. a.4.

D. Bonau. reſp. quod termini numerales dicuntur ſecundum relationem, & important notiones, & ratio eſt, quia in diuinis important diſtinctionem, diſtinctio autem eſt a.2. q.2.

Digitized by Google

a proprietatibus, vnde tres important proprietates trium perſonarum in concretione, notio autem inquantum conuenit perſonæ ſoli, dicitur proprietas, inquantum verò ab alijs diſtinguit, dicitur relatio, vnde dicuntur perſonæ tres tribus proprietatibus diſtinctæ.

pr. 1. q. 2. Aegidius reſp. quod termini numerales propriè, & abſolutè loquendo dicuntur notionaliter, quia non eſt diſtinctio realis in diuinis, niſi in notionalibus, quia tamen eſt etiam aliqua diſtinctio in eſſentialibus ſecundum rationem, ideo poſſunt etiam dici eſſentialiter.

a. 2. q. 3. Ricardus reſp. quod termini numerales vt duo, & tres, quia important aliquam diſtinctionem realem, ideo non dicuntur eſſentialiter, ſed notionaliter tantum, dicunt enim res diſtinctas per relatiuas proprietates diſtinguentes non determinatè, ſed indeterminatè.

q. 2. Durandus reſp. quod termini numerales ſemper diſtinctionem important, cum itaque nulla ſit diſtinctio in diuinis niſi inter relatiua ideo non niſi relatiuè, & notionaliter dicuntur.

q. 27. a. 3. Marſilius reſp. quod numerus ſecundum relationem tantum dicitur, & probat ſic. Secundum hoc eſt in diuinis numerus, ſecundum quod eſt ibi diſtinctio, ſed ſolum ſecundum relationem eſt diſtinctio, ergo ſolum ſecundum relationem eſt numerus.

Reſolutio.

RESpondeo, quod termini numerales non habent niſi determinare pluralitatem eorum, cum quibus ponuntur, quæ determinatio in diuinis fieri poteſt, tam circa eſſentialia, quam perſonalia, poſſumus enim dicere ſapientia, & iuſtitia ſunt duo attributa; ſapientia, iuſtitia, bonitas tria, & ſic de ſingulis; ſimiliter paternitas, & filiatio ſunt duæ relationes; paternitas, filiatio, ſpiratio tres, & ſic de alijs non ergo ex ſe, & propriè dicuntur, aut eſſentialiter, aut perſonaliter, ſed indifferenter ad vtrunque ſe habent, & ſi per impoſſibile eſſent aliqua plura, quæ nec eſſentialia eſſent, nec perſonalia in diuinis, adhuc dicerentur de eis.

Obiectio. Sed ſi termini numerales dicuntur ad ſe, cum non referantur ad aliud? igitur eſſentialiter tantum, non perſonaliter dici poſſunt.

Reſpondetur, quod termini numerales ſecundum quod importatur per nomen, non referuntur ad aliud explicitè, implicitè tamen quia diſtinctionem important, & quantum ad abſoluta, & quantum ad relatiua, & eſſentialiter, & perſonaliter dici poſſunt.

QVÆSITVM XVI.

An iſte terminus numeralis Trinitas conuenienter dicatur de diuinis?

D. Thomas reſp. quod hoc nomen Trinitas in diuinis ſignificat determinatum numerum perſonarum; ſicut igitur ponitur pluralitas perſonarum in diuinis, ita vtendum eſt nomine Trinitatis, quia hoc idem, quod ſignificat pluralitas indeterminatè, ſignificat hoc nomen Trinitas determinatè. p. p. q. 31. a. 1.

q. 13. a. 1. Ludou. Mol. reſp. quod cum termini numerales tranſcendentes de formali ſignificent entitates ipſas, quarum ſingulæ in ſe indiuiſæ, diuiſæ verò a quauis alia denominantur vnum, Deus autem ſit entitates ipſæ perſonarum, rectè in abſtracto dicere licebit, non ſolum in Deo eſſe Trinitatem perſonarum, ſed etiam Deum eſſe ipſam Trinitatem, ideſt entitates perſonarum, quibus conuenit, vt ſint tres.

Reſolutio.

RESpondeo, quod hoc nomen Trinitas eſt nomen abſtractum a trino; ergo de omni eo, quod dicitur trinum, poteſt dici Trinitas; cum itaque conuenientiſſimè Deus dicatur trinus, de eo etiam conuenienter poteſt dici Trinitas, & tanto magis, quanto concretum, & abſtractum non diſtinguuntur in diuinis.

Obiectio. Sed ſi hoc nomen Trinitas eſt nomen collectiuum, ſignificat enim multitudinem, & vnitas importata per tale nomen eſt vnitas minima, quæ autem eſt in diuinis eſt vnitas maxima?

Reſpondetur, quod Trinitas non eſt propriè nomen collectiuum, habet tamen aliquam ſimilitudinem cum ipſo, propter quam collectiuum dicitur, nam ſicut nomen collectiuum importat pluralitatem vnitam in aliquo, ita Trinitas importat pluralitatem perſonarum in diuina eſſentia, differenter tamen, quia in multitudine collecta eſt differentia eſſentialis, & modica vnitas, in Trinitate autem eſt indiſtinctio eſſentialis, & maxima vnitas. Ita Diuus Thomas, & Aegidius.

QVÆ-

Digitized by Google

QVAESITVM XVII.

An de diuinis poſſit dici iſte terminus numeralis triplicitas?

q. 66. m. 1. a. 4. ALexander reſp. quod triplicitas notat differentiam poſitionis, quia non dicit tantum ordinem, ſed etiam poſitionem, & quoniam poſitio non eſt in ſpiritualibus, ideo nec triplicitas de diuinis dici poteſt.

tr. 9. q. 45. m. 1. a. 2. Albertus reſp. quod triplex, vel triplicitas plicationem dicit, plicatio autem ſitum partium in diuerſa, & quod in corporalibus eſt ſitus, in ſpiritualibus eſt ordo, qui eſt ad minus ſuperioris, & inferioris, vel anterioris, & poſterioris, qui ſine diuerſitate eſſentiæ intelligi non poſſunt; & quia nulla eſt diuerſitas in diuinis, idcirco Nicena Synodus anathemarizauit dicentem triplicitatem eſſe in diuinis, & Deum eſſe triplicem.

p. p. q. 31. a. 1. D. Thomas reſp. quod ſicut dicit Boetius in Arithm. triplicitas ſignificat proportionem inæqualitatis, & quoniam in diuinis nulla eſt inæqualitas, igitur nec triplicitas.

Reſolutio.

REſpondeo, quod iſti termini numerales duplicitas, triplicitas, quadruplicitas, & huiuſmodi ſunt ſpecies multiplicitatis, quod enim eſt multiplex, aut eſt duplex aut triplex, aut quadruplex, aut aliquid aliud ex his; cum itaque in diuinis, ſicut dictum fuit ſuperius, ſit multiplicitas, tam rerum, quam rationum, conſequens etiam eſt, vt earundem ſit vel duplicitas, vel triplicitas, & huiuſmodi, & propterea dicimus quod duplex eſt ordo, duplex operatio, triplex perſona, quadruplex relatio, quintuplex notio, multiplex attributum, & huiuſmodi, qui termini in eſſentialibus arguunt ſolam diſtinctionem rationis, in notionalibus verò etiam realem, ſecundum quod ſignificata terminorum, quibus adiunguntur, vel realiter, vel ſecundum rationem diſtinguuntur.

Obiectio. Sed ſi duplex, triplex, quadruplex, & huiuſmodi opponuntur ſimplici? quod enim eſt ſimplex, duplex eſſe non poteſt, nec triplex, nec quadruplex; in diuinis autem eſt ſumma ſimplicitas.

Reſpondetur quod (ſicut ſupra reſponſum fuit) huiuſmodi termini numerales non opponuntur ſimplici ſecundum eſſe; ſed opponuntur ſimplici ſecundum numerum, quæ ſimplicitas non eſt ſumma in diuinis, cum ſit ibi numerus, ſiue rerum, & rationum pluralitas.

QVÆSITVM XVIII.

An iſte terminus numeralis Trinitas ſignificet ſubſtantiam, an relationem, cum dicitur de diuinis?

ALex. reſp. quod ad aliquid dicitur, vno modo, quando alterum refertur ad aliquid extra, vel quando habet in ſe plura, quorum vnum ad alterum refertur; Trinitas ergo non dicitur ad aliquid eo quod ad aliquid extra referatur, ſed quia includit in ſe tres perſonas, quarum vna ad alteram refertur. Item Albertus. q. 66. m. 1. a. 3.

D. Thomas reſp. quod iſte terminus Trinitas vnitatem importat, & numerum; ſi itaque (vt quidam dicunt) hæc vnitas, quam importat in diuinis eſt vnitas perſonalis, ita vt idem ſit, quod ter vnitas, dicit abſolutè relationem; ſi vero (vt alij dicunt) eſt vnitas eſſentialis, ita vt idem ſit, quod trium vnitas, ſic dicit vtrunque eſſentiam ſcilicet, & relationem. d. 24. q. 2. a. 2.

D. Bonau. reſp. quod hoc nomen Trinitas ſecundum veram ethimologiam dicitur quaſi vnitas trium, & ſic vnitas non numeratur, ſed ſignificatur, vt communicabilis tribus; & quoniam hæc vnitas eſt eſſentialis, ideo hoc nomen Trinitas importat vnitatem eſſentialem cum pluralitate ſuppoſitorum, & ita quodammodo habet naturam termini eſſentialis in hoc, quod dicitur de tribus ſingulariter, & termini numeralis in hoc, quod dicitur de nullo per ſe. a. 1. q. 2.

Aegidius reſp. quod quæ dicunt ſubſtantiam in diuinis diſtinguuntur ab his, quæ dicunt relationem; primò, quia de qualibet perſona dicuntur ſingulariter, & de omnibus non pluraliter, vt dicit D. Auguſtinus; ſecundò, quia vnitatem important non diſtinctionem; cum itaque hoc nomen Trinitas non de qualibet perſona ſingulariter prędicetur, quia Pater non eſt Trinitas, nec Filius eſt Trinitas, nec ſimiliter vnitatem importet, ſed diſtinctionem, idcirco non dicit ſubſtantiam, ſed relationem. pr. 2. q. 2.

Ricardus reſp. quod iſte terminus Trinitas dicit eſſentiam, & relationem, ſed quantum ad ethimologiam vocabuli dicit eſſentiam in recto, relationem verò in obliquo; eſt enim idem Trinitas (vt dicit Iſid.) quod trium vnitas; quantum tamen ad illud, ad quod ſignificandum eſt impoſitus, ſignificat a. 3. q. 1.

Digitized by Google

relationem in recto, eſſentiam verò in obliquo, quia ſignificat tres perſonas vnius eſſentiæ, non enim eſt impoſitus ad ſignificandum eſſentiam trium perſonarum, ſed tres perſonas vnius eſſentiæ, & propterea principalius dicit relationem, quam eſſentiam.

Reſolutio.

RESpondeo, quod hoc nomen Trinitas, cum ſit abſtractum a trino, ſignificat per modum formæ vnum ſimul, & tria; & quoniam neque vnum, neque tria ex ſe, & propriè dicuntur eſſentialiter, aut perſonaliter, quia vnum indiuiſionem importat, tria autem ſolum determinationē pluralitatis, quorum neutrum eſſentialiter dicitur, aut perſonaliter, ideo neque Trinitas eſſentialiter, aut perſonaliter dicitur, ſed ſolam vnitatem importat cū pluralitate determinata ad tria.

Obiectio. Sed ſi nihil eſt in diuinis præter eſſentiam, & relationem?

Reſpondetur, quod Trinitas quantum ad id, quod eſt, nihil eſt præter eſſentiam, & relationem, immò, & ipſam eſſentiam includit, & relationem; ſed quantum ad ſuum ſignificatum præcisè, & per ſe, neque eſſentiam ſignificat, neque relationem.

QVÆSITVM XIX.

An poſſit dici Deus trinus?

q. 66. m. 2. a. 1. ALex. reſp. quod cum dicitur Deus eſt trinus, hoc nomen Deus ſupponit indiſtinctè pro tribus perſonis, & hæc dictio ternus ſignificat ternarium Theologicum perſonarum prout indiſtinctè ſupponuntur per hoc nomen Deus, quia determinat illum ternarium in perſonis, ſecundum quod, ſunt vnius naturæ.

tr. 9. q. 45. m. 2 a. 1. Albertus reſp. quod hoc nomen trinus, trahit hoc nomen Deus, ad ſtandum pro tribus perſonis indefinitè, itaquod diſcretionem ponat circa ſuppoſitum, non circa formam ſuppoſiti.

p. p. q. 31. a. 1. D. Thomas reſp. quod cum dicitur Deus eſt trinus, per ly trinus importatur diſtinctio in ſuppoſitis deitatis, & ideo eſt vera propoſitio, Deus eſt trinus, quia tria ſunt huiuſmodi ſuppoſita.

q. 33. a. 1. Marſilius reſp. quod cum dicitur Deus trinus, ly Deus ſupponit pro eſſentia, & ly trinus pro perſonis.

Reſolutio.

REſpondeo, quod trinum aliquid dicitur, quod cum hoc, quod ſit vnum eſt etiam tria, dicitur enim trinum, quaſi tria, & vnum; cum itaque Deus ſit vnum, quia vna eſſentia, & naturà, & ſimiliter tria, quia tres perſonæ, quarum quælibet eſt ipſemet, & idem Deus, ideo poteſt dici trinus.

Sed ſi vnum eſſe, & trinum ſunt incompoſſibilia? Obiectio.

Reſpondetur, quod vnum eſſe, & trinum ſunt incompoſſibilia reſpectu eiuſdem, non ſic autem in propoſito, quia Deus eſt vnus in eſſentia, ſiue ſecundum eſſentiam, & eſt trinus in perſonis, ſiue ſecundum perſonas.

QVÆSITVM XX.

An poſſit dici Trinitas trina?

GVilelmus Antiſiod. reſp. quod hæc dictio trina non ſequitur regulam aliorum nominum numeralium, quia nomina numeralia habent reſpicere formam, omnis enim numerus, ſiue diſcretio ex forma eſt; ſed hoc adiectiuum trina inuentum fuit a Theologis ad determinandum ſolum ſuppoſita huius termini, Deus. cap. 4 q. 6.

Alex. reſp. quod hæc dictio trina determinat ſuppoſitionem diſtinctam circa hoc, quod dicitur Trinitas, & ideo dici non poteſt Trinitas eſt trina, quia ſic dici etiam poſſet, tres Trinitates, quod eſt falſum, cum trinitas ſit tantum vna. q. 66. m. 2. a. 2.

Albertus reſp. quod hoc adiectiuum trina rem ſuam ponit circa ſignificatum huius ſubſtantiui Trinitas, ſupponit autem, & ſignificat ternarium diſtinctarum perſonarum, quod inconuenienter multiplicat, & numerat. tr. 9 q. 45. m. 2. a. 1.

D. Thomas reſp. quod non poteſt dici Trinitas trina, quia ſic ſequeretur, quod tria eſſent ſuppoſita Trinitatis, ratione enim numeri importati ſignificatur multiplicatio eiuſdem numeri in ſeipſum. p. p. q. 31. a. 1.

Reſolutio.

REſpondeo, quod ſicut dictum eſt trinum aliquid dicitur, quod cum vna ſit res, eſt etiam tres res, quæ ſunt res per ſe; cum itaque ſit vna Trinitas, quæ eſt Deus, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, & non tres, quarum quęlibet ſit Trinitas, ſicut Deus eſt vnus, & trinus, quorum quilibet eſt Deus; ideo non poteſt dici Trinitas trina.

Sed ſi idem ſignificatur per prædicatum, & ſubiectum? Obiectio.

Reſpondetur, quod licet idem ſignificetur per prædicatum, & ſubiectum, non tamen eodem modo, nam hæc dictio Trinitas dicit

Digitized by Google

numerum perſonarum, hæc verò trina ei ad- dita copulat trinarium Trinitatum, & ſic pro- poſitio eſt falſa. Ita Alexander.

DISTINCTIO VIGESIMA QVINTA.

Præterea conſiderandum eſt cum hoc nomen perſona (vt prædictum eſt) ſecundum ſub- ſtantiam dicatur, &c.

QVAESITVM I.

An ſit conueniens hac diffinitio perſonæ; rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia?

q.36. m.3. ALex. reſp. quod ſi in hac diffinitione quam aſſignat Boetius de perſona, ſubſtantia accipitur nõ pro vſia, ſed pro hypoſtaſi, & ſimiliter indiuiduum pro incommunicabili, eſt conueniens diffinitio perſonæ, rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia.

tr.10 q.44. m.2. Albertus reſp. quod hæc diffinitio perſonæ data a Boetio, Perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, eſt de communi intentione perſonæ, prout communiter ſe habet ad Deum, & Angelum, & hominem. Quæ verò a Ricardo, Perſona eſt intellectualis naturæ incommunicabilis exiſtentia, determinat ad diuina, & per eorum propria datur, quorum magis eſt eſſe intellectuale, quam rationale, & ſingulare, quam indiuiduum, & exiſtere ſecundum indiuiduum perſonæ ad perſonam, quam ſubſtare in ſeipſa.

d.25. q.1. a.1. D. Thomas reſp. quod hoc nomen perſona non eſt nomen intentionis, ſed rei, cui tamen accidit aliqua intentio .ſ. particularis, & in natura determinata .ſ. intellectuali, vel rationali, & ideo conuenienter diffinitur, cum dicitur, quod eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia; nam ſubſtantia ponitur, vt genus illius rei, quæ ſignificatur nomine perſonæ; rationalis naturæ, vt differentia, per quam contrahitur ad naturam determinatam res illa, quæ eſt perſona; indiuidua, vt aliquid pertinens ad intentionem illam, qua ſignificat nomen rem ſuam; non enim ſignificat ſubſtantiam rationalem abſolutè, ſed ſecundum quod ſubintelligitur intentio particularis.

q.29. a.1. Et iterum reſp. quod licet indiuiduum inueniatur in omnibus generibus, quodam tamen ſpeciali modo inuenitur in genere ſubſtantiæ, ſubſtantia enim indiuiduatur per ſeipſam, & ideo indiuiduum ſubſtantiæ habet aliquod ſpeciale nomen præ alijs, quod eſt hypoſtaſis, & prima ſubſtantia; & quoniam ſpecialiori etiam modo, & perfectiori inuenitur in ſubſtantijs rationalibus, quæ habent dominium ſui actus, & non ſolum aguntur, ſed per ſe agunt, ideo inter cæteras ſubſtantias habent quodam ſpeciale nomen, quod eſt perſona; propterea in propoſita diffinitione perſonæ ponitur ſubſtantia indiuidua, inquantum ſignificat ſingulare in genere ſubſtantiæ, & additur rationalis naturæ, inquantum ſignificat ſingulare in rationalibus ſubſtantijs.

Aegidius reſp. quod perſona dicitur quaſi per ſe vna, per ſe vnum autem dicitur tripliciter, vel quod per ſe eſt quid indiuiduum, & incommunicabile, nam vnum quandam indiuiſionem importat, vel quod per ſe habet eſſe, nam ſicut res ſe habet ad eſſe, ita & ad vnum eſſe, vel quod per ſe agat, & habeat dominium in agẽdo, nam forma eſt illud per quod vnumquodque agens agit, & eſt vnitas rei; tria ergo importat perſona, dominium actionis, & ideo dicitur rationalis naturæ; indiuiduationem, & ideo dicitur indiuidua; ſubſiſtentiam, inquãtum competit ei per ſe eſſe, & ideo dicitur ſubſtantia, & ſic conuenienter dicitur rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia. Similia Marſilius q. 28. a. 1. pr. 1. q.3.

Herueus reſp. quod hæc diffinitio perſonæ a Boetio aſſignata perfecta eſt, per hoc enim quod dicitur ſubſtantia diſtinguitur ab accidente, per hoc quod indiuidua, ab vniuerſalibus in genere ſubſtantiæ, per hoc quod naturæ rationalis ab inanimatis, & non intellectualibus, nam rationale ſtat pro intellectuali, & indiuiduum pro incommunicabili. Item Iacobus Viterb. de præd. diu. q. 13. d.23. a.1.

Guil. Eſtius reſp. quod in diffinitione Boetij de perſona per ſubſtantiam intelligere oportet rem aliquam per ſe ſubſiſtentem, eãque completam; dicitur indiuidua, ideſt incommunicabilis; rationalis naturæ, vt diſtinguatur a ſuppoſito; eſt enim ſuppoſitum indiuiduum cuiuſcunque naturæ, perſona autem ſolius naturæ intellectualis. §.1.

Ludou. Molina reſp. quod vtraque diffinitio perſonæ aſſignata tam a Boetio, quam a Ricardo eundem ſenſum habet, etenim Boetius per indiuiduam ſubſtantiam incommunicabilem intellexit; Ricardus verò nomine exiſtentiæ, vel intellexit ſubſtantiam, vel exiſtens, ſumpto abſtracto pro concreto, exiſtens verò incommunicabile ſubſtantia incommunicabilis eſt. q.29. a.1. diſp.1

Re-

Digitized by Google

Reſolutio.

RESpondeo, quod iſta diffinitio data a Boetio de perſona eſt diffinitio quid nominis, non quid rei, non enim per ipſam explicatur quid res ſit perſona, ſed quæ res importetur hoc nomine, perſona, importatur ergo ſubſtantia indiuidua rationalis naturæ, quæ quoniam datur per propria, cum nulli alij nomini hoc conueniat, & per conuertibilia, quælibet enim res, cui conuenit hoc nomen, perſona, eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, & ſimiliter omnis indiuidua ſubſtantia rationalis naturæ eſt perſona; ideo dicitur eſſe conueniens, dummodo per rationalem naturam non intelligamus ſolam naturam ratiocinantem, ſed intelligentem, & per indiuiduam ſubſtantiam, non intelligamus ſubſtantiam diuiſam, vel ſeparatam, ſed per ſe exiſtentem, & ſignatam, ſic enim exactè explicat tale ſubſtratum, & ſimpliciter conuertitur cum eo.

Obiectio. Sed ſi cum dicitur perſona eſt ſubſtantia, non poteſt ſumi pro ſubſtantia prima, quia ſic eſſet nugatio cum dicitur indiuidua, nec pro ſubſtantia ſecunda, quia ſubſtantia ſecunda non eſt indiuidua?

Reſpondetur, quod ſubſtantia accipitur quandoque pro ſubſtantia prima, & quandoque pro ſecunda, & quandoque etiam pro ſubſtantia non contracta ad primam, & ad ſecundam, & ſic ſumitur in diffinitione præſenti perſonæ, cui ideo additur indiuidua, vt contrahatur ad ſtandum pro ſubſtantia prima. Ita D. Thomas, & Aegidius.

QVAESITVM II.

An hoc nomen perſona dicatur vniuocè, an æquiuocè, an verò analogicè de perſona diuina, & humana?

c. 4. q. 2. GVilel. Antiſiod. reſp. quod eſt quædã vniuocatio per conformitatẽ, quædam ſecundum generalem naturam intellectus, quædam per denominationem formæ, quæ eſt ex parte animæ, quædam per conuenientiam in negatione & priuatione, & quædam ſecundum conuenientiam effectuum, vt hoc nomen iuſtus ratione eorundem effectuum dicitur de Deo, & creaturis, & hoc modo hoc nomen perſona vniuocum eſt ad creatas, & increatas, quia rationalitas creata, & rationalitas increata conueniunt in effectu.

q. 44. Alex. reſp. quod in natura Angelica perſona differt a perſona, non ſecundum originem, ſed ſecundum propriam ſubſtantiam; in natura humana, & ſecundum originem, & ſecundum ſubſtantiam; in diuina verò ſecundum origiuem tantum, & ideo non eſt eadem ratio perſonæ, vt dicitur de diuina, angelica, & humana:

Et q. 56. m. 4. a. 1. reſp. quod hoc nomen perſona dicitur de creata, & increata non cõmuniter ſed per prius, & poſterius, principalius enim dicitur de perſona increata, quã creata, licet ſecundũ vſum nominis per prius dicatur de perſona creata. Item Albertus 1. ſent. diſ. 25. ar. 2.

Et tr. 9. q. 44. m. 1. ſi attenditur proprietas huius nominis perſona perfectiori ratione dicitur de creatis, quam de diuinis; ſi verò per cauſam exprimitur, per prius dicitur de diuinis; communicabilitas enim naturæ in diuinis, & ſub illa diſcretio perſonalis cauſa eſt, & exemplar communicabilitatis naturæ in creatis, & ſub illa diſcretionis perſonalis.

D. Thomas reſp. quod aliquid non poteſt dici de pluribus vniuocè, quando hæc in aliquo genere non conueniunt; cum itaque perſona diuina, & humana non conueniant in aliquo genere, ideo perſona non poteſt dici vniuocè de eis, ſed bene analogicè, quia quantum ad rem ſignificatam, licet non quãtum ad modum ſignificandi, nomen perſonæ per prius dicitur de diuina, quã de humana. *d. 25. q. 1. a. 4.*

D. Bonan. reſp. quod hoc nomen perſona cum dicitur de perſonis diuinis, dicitur analogicè, & æqualiter, & quodammodo vniuocè, quia communitas habitudinis, quæ importatur nomine perſonæ, eſt per reſpectum ad res eiuſdem naturæ; de perſona verò diuina, & humana dicitur non vniuocè, nec æqualiter, ſed analogicè, & per prius, & poſterius, quia talis communitas habitudinis importata nomine perſonæ eſt per reſpectum ad res diuerſarum naturarum. *a. 1. q. 2.*

Aegidius reſp. quod hoc nomen perſona nec vniuocè, nec æquiuocè, ſed analogicè dicitur de perſona diuina, & humana; non vniuocè, quia vniuocatio propriè loquendo, non eſt, niſi in ſpecie ſpecialiſſima, ſicut dicit Ariſ. lib. 7. Phyſ. perſona autem diuina, & perſona humana differunt pluſquam genere; non æquiuocè, quia eandem notificationem habent; ſed analogicè, quia quantum ad perfectionem importatam per hoc nomen perſona per prius reperitur in diuinis, quam in humanis, licet quantum ad modum ſignificandi, vel ad impoſitionem nominis, ſit econuerſò. *pr. 2 q. vn.*

Ri-

d.25. a.2. q.1. Ricardus reſp. quod nec vniuocè; nec purè æquiuocè, hoc nomen perſona dicitur de perſona diuina, & humana, ſed analogicè, quia principaliter conuenit perſonis diuinis, humanis autem per aliquam habitudinem ad perſonas diuinas.

a.53. q.3. Henricus reſp. quod ſi in nomine perſonæ aſpiciamus ad ipſam rem, inquantum ratio formalis perſonæ eſt, quod ſit in ſe ſingularis, & incommunicabilis, quod negationem importat, dicitur vniuocè in diuinis, & in creaturis, quia negatio vniuocè, & ſecundum eandem rationem ſe habet in diuinis, & in creaturis; inquantū verò huiuſmodi negationes in diuinis concomitantur relatiuas proprietates, quæ in eſſentia communi, perſonas conſtituūnt, & diſtinguūnt, in creaturis verò concomitantur ipſius eſſentiæ, & naturæ determinationem, quæ ipſam eſſentiam contrahit in perſonam, dicitur æquiuocè: ſi verò aſpiciamus ad ipſam intentionem, cūm ratio intentionis non diuerſificetur propter diuerſitatem rerum, circa quas eſt, omnino vniuocè, & ſecundum eandem rationem de diuinis dicitur, & de creaturis.

d.25. q.1. Durandus reſp. quod ſi perſona eſt nomen rei, non dicitur vniuocè de perſona diuina, & de perſona humana, nam ſic dicitur de abſoluto, quod eſt res ſecundum ſe, & de reſpectiuo quod eſt res, quia rei, nullum autem reale poteſt vtrique conuenire vniuocè, quia eſſe hoc, & eſſe huius nō eſt vnus conceptus; ſi verò eſt nomen intentionis, ſic vniuocè dicitur de perſona diuina, & humana, quia proprietas, ſuper quam fundatur intētio perſonæ eſt hæc, quod ſit aliquid ſubſiſtens in intellectuali natura, & hæc conſimiliter cōpetit tam perſonæ creatæ, quam increatæ, tam abſolutæ, quam reſpectiuæ.

a.3. Petrus Aur. reſp. quod perſona quantum ad indeterminatum conceptum entis, quem importat, vniuocè dicitur de creatis, & increatis, quātum verò ad omnem determinatam rationem dicitur analogicè; & ſimiliter vniuocè dicitur ſecundum negationes, quæ ſunt vnius rationis importatæ per ſolitariū.

q.3. Franc. Maro reſp. quod hoc nomen perſona vniuocè dicitur de perſonis creatis, & increatis; primò, quia perſona ſecundum idē nomen, & ſecundum eandem rationem prædicatur de eis; ſecundò, quia aliquis poteſt eſſe certus, quod in paſſione Chriſti aliqua perſona patiebatur, dubitando tamen, an talis perſona eſſet creata, an increata, quando autem vnus eſt certus de vno conceptu, & dubius de duobus, ille eſt vniuocus; tertiò, quia quicquid conuenit perſonæ diuinæ, inquantum perſona eſt, conuenit etiam humanæ; quartò, quia perſona diuina, & perſona humana ſunt duæ perſonæ, ſicut duo homines ſunt Sortes, & Plato.

Thomas ab Arg. reſp. quod hoc nomen perſona ratione dignitatis, a qua imponitur, prius conuenit Deo, quam creaturæ, & digniori modo, quia ſimpliciter perfectè, creaturæ autem participatiuè, & idcirco æquiuocè dici non poteſt; nec ſimiliter vniuocè, quia res ſignificatæ per hoc nomen perſona in diuinis, & humanis differunt genere; ſed analogicè, quia per prius conuenit Deo, quā creaturæ, Deo enim conuenit eſſentialiter, creaturæ verò participatiuè. d.25. ar.2.

Guilel. Rub. reſp. quod ſicut conceptus entis communis omnibus ſe habet ad omnia, ita & conceptus perſonæ ad omnem perſonam; cum itaque conceptus entis reſpectu omnium ſit vniuocus, quia omnia reſpicit, vt ſua obiecta per ipſum indifferenter, & vniformiter intellecta, igitur & conceptus perſonæ. Item Ioannes Maior. d.29. q.1.

Marſilius reſp. quod hoc nomen perſona non purè vniuocè dicitur de perſona diuina, & humana; quia aliter accipiuntur termini in diffinitione perſonæ, prout conuenit diuinis, & aliter prout conuenit humanis; nam indiuidua ſubſtantia, prout dicitur de humanis propriè ſumitur, prout verò de diuinis impropriè; nec ſimiliter purè æquiuocè, quia quod purè æquiuocè dicitur non eadem diffinitione dicitur de vno, & de alio, perſona autem dicitur eadem diffinitione de diuina, & humana; ſed analogicè, nam communiter prædicatur, & tamen nec vniuocè, nec æquiuocè; ergo analogicè. q.28. a.3.

Guilel. Varrill. reſp. quod ſicut dicit Ariſt. vniuoca ſunt illa, quorum nomē eſt commune, & ratio ſubſtantiæ eadem; & quoniam perſonæ dictæ, tam de diuinis, quam de humanis nomen eſt commune, & ratio eadem, ſicut enim perſona diuina eſt naturæ intellectualis incommunicabilis exiſtentia, ita & humana; igitur vniuocè dicitur perſona de diuinis, & humanis. d.25. a.2.

Franc. a Chriſto reſp. quod intentio, quam formaliter ſignificat nomen perſonæ eſt eiuſdem rationis in Deo, & in creatura, quoniam eiuſdem rationis in Deo, & in creatura eſt proprietas fundans rationem perſonæ, & ideo nomen perſonæ eadem ratione dicitur de Deo, & de creatura; perſona igitur eſt aliquid vniuocum prædicabile de Deo, & creatura. d.23. q.2.

Re-

Digitized by Google

Reſolutio.

RESpondeo, quod non ſecundum aliam rationem hoc nomen perſona dicitur de perſona diuina, quam ſecundum illam, quæ ſua diffinitione explicatur, eſt enim Pater perſona, quia eſt rationalis ſeu intelligentis naturæ indiuidua ſubſtantia, ſimiliter & Filius, & Spiritus ſanctus; cum itaque & ſecundum hanc eandem rationem dicatur de perſona humana, Petrus enim dicitur perſona, quia eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, ſimiliter & Paulus, & Ioannes. ideo non æquiuocè, neque analogicè, ſed vniuocè dicitur hoc nomen perſona, de perſona diuina, & humana.

Obiectio. Sed ſi hoc nomen perſona per prius dicitur de diuinis, quam de humanis?

Reſpondetur, quod hoc nomen perſona per prius dicitur de diuinis, quam de humanis prioritate dignitatis, non prædicationis, in qua conſiſtit vniuocatio.

DISTINCTIO VIGESIMA SEXTA.

Nunc de proprietatibus perſonarum, quas frequenter in hoc tractatu commemorauimus, &c.

QVAESITVM I.

An ſint aliquæ relationes reales in diuinis?

ar. 9. q. 37. m. 1. ALbertus reſp. quod veriſſimè eſt relatio in diuinis, ſed tamen modo relationis, hoc eſt, quod non prædicat aliquid quod inſit modo formæ ſubſtantialis, vel accidentalis, vniuerſalis, vel particularis, ſed totum quod eſt dicit, & prædicat ad id, quod extra eſt, hoc eſt, ad oppoſitum correlatiuum, quod ad ipſum ſe habet, ſicut terminus, & finis, ad quem determinatur reſpectus oppoſitionis eius.

d. 26. q. 2. a. 1. D. Thomas reſp. quod relatio realis eſt illa, quæ habet aliquid, ſupra quod eius eſſe fundatur, vt æqualitas ſuper quantitatem; duo enim conſiderantur in relatione, eſſe, ſecundum quod in ſubiecto fundatur, & ratio, ſecundum quam ad aliud refertur; cum itaque relationes diuinæ habeant fundamentum in re, quæ eſt ipſa natura communicata, ſunt etiam relationes reales.

p. p. q. 28. a. 1. Et iterum reſp. quod quando aliquid procedit ab aliquo principio eiuſdem naturæ neceſſe eſt quod procedens, & id, a quo procedit conueniant in eodem ordine, & conſequenter relationes, quas habent ad inuicem ſint reales; nam illæ relationes ſunt reales, quas res habent, quæ ſecundum naturam ſuam ad inuicem ſunt ordinatæ, & ad inuicem inclinationem habent, ſicut illæ dicuntur relationes rationis tantum, quæ ſunt in ſola apprehenſione rationis conferentis vnū alteri; cum itaque ſumantur relationes in diuinis ſecundum proceſſiones in eis, illæque ſint in identitate naturæ, neceſſe eſt ipſas eſſe reales.

Aegidius reſp. quod ſicut eſſe ſubſtantiæ, & qualitatis non eſt ſubſtantia, nec qualitas, vnde nec ingreditur earum diffinitionem, ſicut eſſe albedinis non ingreditur diffinitionem albedinis, ita nec eſſe relationis eſt relatio; ſed licet ſubſtantiæ, & qualitati reſpondeat proprium eſſe, non tamen reſpondet relationi, ſed eſſe quod reſpondet relationi eſt eſſe fundamenti, ſicut æqualitati nullum aliud eſſe reſpondet, niſi eſſe quantitatis; ad hoc ergo, vt relatio ſit realis in aliquo ſufficit, quod in eo ſit reale fundamentum; in quo fundatur relatio talis, & quoniam in diuinis eſt realis natura, in qua fundatur quælibet relatio diuina, vt paternitas, filiatio, & huiuſmodi, ideo & tales relationes ſunt reales. *pr. a. q. 1.*

Ricardus reſp. quod relationes, quæ ſunt in diuinis perſonis ſunt relationes reales, & ponunt aliquid in eis, cum ſint res, eſt enim relatio res, cum ſit vnum ex decem prædicamentis, quod patet per experientiam, quia eædem candellæ accenſæ magis delectant ſub vno ordine, quam ſub alio, nulla mutatione facta in re abſoluta; ijdem ſoni magis delectant audientem ſub vno ordine, quam ſub alio, ordo autem relatio eſt, & delectatio per viſum, & per auditum effectus realis eſt. *a. 1. q. 1.*

Herueus reſp. quod ad hoc, quod aliqua relatio ſit realis primò requiritur quod, habeat fundamentum reale in eo, quod refertur, ſecundò quod tale fundamentum in illo, quod refertur, ſecundum quod refertur, ſit reale, tertiò quod terminus, ad quem eſt relatio, ſit res quædam, quartò quod ſit deſtinctus realiter ab alio correlatiuo, & quintò quod relatio vnius extremi ſit eiuſdem ordinis cum relatione alterius, & quoniam relationes diuinæ habent fundamentum reale in eo, quod refertur, quia fundantur ſuper diuinam eſſentiam, & tale fundamentum in eo, quod refertur, ſecundum quod refertur eſt reale; eſt enim in Patre diuina eſſentia realiter, *ar. 1.*

Digitized by Google

ter, vt principium communicatiuum ipſius, in Filio vero vt realiter communicata, ſunt ſimiliter ad terminos reales, & realiter diſtinctos, quia Pater, & Filius ſunt res realiter diſtinctæ, & ſimiliter ſunt eiuſdem ordinis, quia extra genus, & ex æquo ſe reſpicientes, propterea ſunt relationes reales.

d. 26. q. 2. Durandus reſp. quod relatio eſt realis, quando ex natura fundamenti eſt mutua, & neceſſaria habitudo coexigentiæ inter extrema relata; & quoniam in diuinis ex natura fundamenti .ſ. eſſentiæ diuinæ fæcundæ eſt mutua, & neceſſaria habitudo coexigentiæ inter extrema relata, ideo & relationes, quæ ſunt in eis ſunt reales.

d. 27. a. 4. Petrus Aureolus reſp. quod relationes in diuinis quantum ad id, quod exprimunt, & important, veræ res ſunt, quia idipſum quod generare, & generari; quantum autem ad modum habitus, & quietis, ſecundum quem differunt ab actibus ratione habituum non ſunt in Deo ex natura rei, ſed ſolum ſecundum intellectum, quia impoſſibile eſt, quod eadem res in ſui exiſtentia habeat modum habitus, & quietis, & modum actus, & fluxus, alioquin oppoſita ineſſent eidem.

d. 26. q. 1. Guilelm. Rub. reſp. quod ſi per relationes reales intelliguntur aliqua a perſonis in re extra diſtincta, ſiuæ ipſæ tantum perſonæ, nulli catholico eſt dubium, an huiuſmodi ſint relationes reales, conſtat enim perſonas omnes eſſe reales, & vnam realiter eſſe ab alia, & nihil eſſe in diuinis ab ipſis perſonis realiter diſtinctum.

q. 28. a. 1. Thomas Caet. reſp. quod eſt de fide aſſerere relationes reales eſſe in diuinis, tres enim ſecundum fidem ſunt perſonæ realiter diſtinctæ, ſed diſtinguuntur per relationes, igitur illæ relationes ſunt reales. Item Molina.

d. 26. q. 6. Franc. a Chriſto reſp. quod in relatione reali hæc requiruntur, fundamentum reale, realis diſtinctio extremorum, & quod illa extrema, prout ſunt extrema talis habitudinis realiter diſtinguantur; cum itaque relationes in diuinis, quæ origines conſequuntur ſint huiuſmodi, conſequens eſt vt ſint etiam reales.

de tr. lib. 5. c. 1. Franc. Suar. reſp. quod inter diuinas perſonas inueniuntur omnia, quæ ad relationem realem ſunt neceſſaria, ibi enim eſt realis diſtinctio extremorum; & eſt realis proceſſio vnius ab alia, quæ proceſſio ſolet eſſe ſufficiens ratio, vel indicium relationis realis, quando eſt in eadem natura, vel in eodem ordine naturæ; & ſi ad relationem realem eſt neceſſarium fundamentum reale, ibi ſufficiens eſt diuina eſſentia, vel ſecundum ſe, vel vt eſt formalis potentia, ſeu principium quo productionis, & ſic in diuinis ſunt relationes reales.

Reſolutio.

RESpondeo, quod relatio realis eſt habitudo plurium referribilium ex natura rei; quandocunque ergo aliqua referuntur ad inuicem per aliquid, quod eſt in eis, illa relatio dicitur realis; cum itaque perſonæ diuinæ referantur ad inuicem per aliquid, quod eſt in eis, Pater enim refertur ad Filium per generare, quod eſt in eo vt actio eius, & econuerſò Filius refertur ad Patrem per generari, quod eſt eius paſſio, ideo relationes, quæ fundantur in generare, & generari, quæ ſunt relationes propriæ diuinis perſonis, quales ſunt paternitas, & filiatio, ſunt reales.

Obiectio. Sed ſi dicit Boetius quod relatio Patris ad Filium, & vtriuſque ad Spiritum ſanctum eſt ſicut relatio eiuſdem ad ſeipſum? talis autem relatio eſt rationis tantum, non realis.

Reſpondetur, quod dictum Boetij quantum ad hoc veritatem habet, quod ſicut in relatione eiuſdem ad ſeipſum, non plurificatur fundamentum, ſic nec in relationibus diuinis, quantumcunque oppoſitis, vel diſparatis; diſſimilitudo autem eſt, quia extrema diuinarum relationum ſunt diuerſa realiter, & neceſſariam habitudinem coexigentiæ habent inter ſe, & propterea ſunt reales. Ita Durandus.

QVÆSITVM II.

An relationes reales in diuinis ſint tantum quatuor, paternitas ſcilicet, filiatio, ſpiratio, proceſſio?

ALexand. reſp. quod cum ſit vna relatio Patris ad Filium, alia Filij ad Patrem, & iterum alia communis Patris, & Filij, ad Spiritum ſanctum, & econuerſò, alia Spiritus ſancti ad Patrem, & Filium, ideo in vniuerſum ſunt quatuor relationes reales. q. 68. m. 3. q. 5.

D. Thomas reſp. quod ſicut dicit Ariſt. 5. Meth. omnis relatio fundatur, vel ſupra quãtitatem, vel ſupra actionem; cum itaque in diuinis non ſit quantitas, ſequitur quod relationes diuinæ non poſſint fundari, niſi ſuper actionem; & quoniam alia eſt actio in diuinis, ſecundum quam aliquid procedit ad extra, & alia ſecundum quam aliquid pro- 1. p. q. 28. a. 4.

cedit ad intra, cum per actionem, ſecundum quam aliquid procedit ad extra nulla poſſit eſſe relatio realis in diuinis, quia nulla relatio realis eſt Dei ad creaturam, ſequitur quod relationes, quæ ſunt reales in diuinis, non accipiantur niſi ſecundum actiones, ſecundum quas eſt proceſſio in eis ad intra; cum itaque ſint tantum duæ proceſſiones, vna ſecundum actionem intellectus, quæ eſt proceſſio verbi, & alia ſecundum actionem voluntatis, quæ eſt proceſſio amoris, ſecundum vtranque oportet accipere duas relationes oppoſitas, quarum vna ſit procedentis a principio, & altera ipſius principij; ſecundum ergo proceſſionem verbi, quæ ſecundum propriam rationem, qua competit rebus viuentibus dicitur generatio, relatio principij dicitur paternitas, relatio verò procedentis a principio dicitur filiatio; ſecundum proceſſionẽ autem amoris, relatio principij dicitur ſpiratio, procedentis vero a principio proceſſio. Item Lud. Molina, & Franc. Suarez, & cæteri Thomiſtæ; ex dualitate enim proceſſionum in diuinis deducunt quaternitatem relationum realium in eis.

d.26. pr.2 q.2. Aegidius reſp. quod ſicut plurificatio ſpecierum in abſolutis, & ſecundum naturam, ita in diuinis plurificatio relationum realiũ ſequitur ad origines, per quas communicatur natura, talium enim plurificatio aſſimilatur plurificationi ſpecierum, & quoniam in diuinis ſunt duæ origines, per quas communicatur natura, vna per modum naturæ, & altera per modum voluntatis, & ex qualibet origine ſumuntur duæ relationes, vna, per quam perſona producens refertur ad perſonam productam, & altera, per quam perſona producta refertur ad producentem, ideo quatuor etiam ſunt relationes reales, paternitas, filiatio, communis notificatio, & proceſſio. Item Durandus.

d.27. q.1. Guilelm. Occham reſp. quod non eſt concedendum, quod paternitas, filiatio, ſpiratio actio, & ſpiratio paſſio ſint quatuor relationes, ſicut nec eſt concedendum, quod eſſentia, & paternitas ſint duæ res, verum tamen concedendum eſt, quod quatuor ſunt nomina importantia relationes, quorum quodlibet negatur ab aliquo aliorum, ſecundum quod ſupponit pro vera re, ſicut de paternitate verè contingit dicere, quod non eſt filiatio, & de ſpiratione actiua, quod non eſt paſſiua ſpiratio.

a.1. Thomas ab Arg. reſp. quod quatuor ſunt tantum relationes reales in diuinis, quæ .ſ. habent fundamentum, & terminum realem .ſ. paternitas, filiatio, ſpiratio actiua, & ſpiratio paſſiua, nam in diuinis ſunt tantum duæ relatiuæ oppoſitiones, vna .ſ. qua Pater opponitur Filio, & econuerſò, & altera, qua Pater, & Filius opponuntur Spiritui ſancto, & econuerſò, quælibet autem oppoſitio requirit duas relationes.

Marſilius reſp. quod cum omnis relatio dicat habitudinem perſonæ ad perſonam, vel ergo ratione producentis per reſpectum ad productam, vel econuerſò; ſi primum hoc dupliciter, vel enim dicit habitudinem producentis per modum naturæ, & ſic eſt paternitas, vel per modum voluntatis, & ſic eſt communis ſpiratio; ſi ſecundum etiam dupliciter, vel enim dicit habitudinem perſonæ productæ per modum naturæ, & ſic eſt filiatio, vel per modum voluntatis, & ſic eſt proceſſio. *q.29. a.1.*

Ioan. Maior reſp. quod cum ſint in diuinis duæ relatiuæ oppoſitiones, vna .ſ. qua Pater opponitur Filio, & altera, qua Pater, & Filius opponuntur Spiritui ſancto, & quęlibet oppoſitio duas requirat relationes, ſequitur quod quatuor ſunt relationes in eis. *d.27.*

Reſolutio.

RESpondeo, quod relationes reales diſſimilium nominum ſunt tantum quatuor in diuinis, quia tot ſunt ſimiles habitudines earum ad inuicem referribilium ex natura rei, certum eſt enim, quod Pater non refertur ad Filium, neque vllam habitudinem habet ad eum, niſi quia generat, nec ad Spiritum ſanctum, niſi quia ſpirat, relatio autem, quæ fundatur ſuper generare dicitur paternitas, & quæ ſuper ſpirare, ſpiratio actiua; Filius ſimiliter non refertur ad Patrem, vt Patrem, niſi quia generatur, & ad Spiritum ſanctum, niſi quia ſpirat, relatio autem, quæ fundatur ſuper generari dicitur filiatio, quę verò ſuper ſpirare ſpiratio actiua; Spiritus ſanctus verò non refertur ad Patrem, & ad Filium, niſi quia ſpiratur, relatio autem, quæ fundatur ſuper ſpirari dicitur proceſſio, vel ſpiratio paſſiua; quatuor ergo ſunt relationes reales in diuinis perſonis, quæ ſunt, paternitas, filiatio, ſpiratio actiua, proceſſio.

Sed ſi non ſunt niſi tres res in diuinis? quia tres perſonæ, perſonis autem identificantur relationes. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod ſpiratio actiua eſt duæ perſonæ .ſ. Pater, & Filius, & in Patre identificatur cum paternitate, & in Filio cum filiatione, & ideo cum non ſint plures res, quam tres .ſ. perſonæ, non ſequitur, quod

li-

licet ſint quatuor relationes, ſint quatuor res, vel ſi ſunt tantum tres res, non ſint quatuor relationes.

QVAESITVM III.

An ſint aliqua proprietates in diuinis perſonis?

d.26. n.9. ALbertus reſp. quod intellectus proprietatis eſt, vni ſoli conuenire, & ſemper, & ideo quicquid inuenitur in perſona, quod illi ſoli conueniat, & ſemper, hoc eſt perſonæ proprietas; eſt autem duplex, perſonalis, & perſonæ; perſonalis, a qua ſecundum rationem intelligendi conſtituitur, & denominatur perſona, vt paternitas, & filiatio; perſonæ, quæ licet non conſtituat, inuenitur tamen in perſona, vni tantum conueniens, vt innaſcibilitas in Patre.

a.2. a.3. D. Thomas reſp. quod quælibet perſona diuina habet aliquid, quod ſibi, & non alteri conuenit, & hoc eſt proprietas perſonalis, & ſimpliciter; habet etiam aliquid, quod non tantum ſibi, ſed etiam alteri perſonæ conuenit, non tamen cuilibet, & hoc eſt proprietas perſonæ, & ſecundum quid.

p.p. q.40. a.1. Et iterum reſp. quod neceſſe eſt ponere proprietates in diuinis, quæ ſignificantur in abſtracto, vt quædam formæ perſonarum; cum itaque de ratione formæ ſit, quod ſit in eo, cuius eſt forma, oportet dicere proprietates eſſe in perſonis, & eſſe perſonas.

d.26. a.1. q.1. D. Bonau. reſp. quod cum ſint plures perſonæ diuinæ realiter diſtinctæ, neceſſe eſt etiam, quod habeant aliqua realiter diſtinguentia, & hæc ſunt, quæ appellantur proprietates.

pr.2. q.2. Aegidius reſp. quod plurificatio perſonarum aſſimilatur plurificationi ſpecierum in eodem genere; & quia ſecundum plurificationem ſpecierum accipiuntur proprietates, ideo relationes cōſtitutiuę perſonarum quędam proprietates dici poſſunt, propter ſimilitudinem, quam habet conſtitutio perſonarum cum conſtitutione ſpecierum.

a.2. Gregorius reſp. quod ſi accipiantur proprietates ſecundum tranſitiuam locutionem incomplexè, ideſt pro aliquibus entitatibus cuilibet perſonæ proprijs, tales proprietates perſonę diuinę non habent, cum non habeant tales entitates; nam vel eſſent extrinſecę, vel intrinſecę ipſis perſonis; non extrinſecę, quoniam vel eſſent per ſe ſubſiſtentes, & conſequenter eſſent perſonæ, vel inhęrentes, ſicut forma materię, quod eſt impoſſibile; non intrinſecę, quia non eſt aliqua entitas intrinſeca perſonę alicui, quę non ſit alteri communicata, cum vna perſona habeat totam ſubſtantiam alterius, & nulla ſit entitas in perſona, quę propter ſuam ſimplicitatem non ſit ſubſtantia eius; ſi autem accipiantur ſecundum tranſitiuam locutionem complexè, ſic eſt proprium Patris (inquit D. Auguſtinus) quod vnum Filium genuit; ſi vero accipiantur ſecundum intranſitiuam locutionem, ſic proprietates ſunt ipſę perſonę.

Alphonſus reſp. quod verè, & realiter ſunt aliquę proprietates relatiuę in diuinis perſonis, quibus verè, & realiter perſonę diuinę multiplicantur. d.21. a.2.

Franc. Suar. reſp. quod ideò debemus intelligere veras, & reales proprietates in diuinis perſonis, quia verè, & realiter diuinę perſonę ſunt inter ſe diſtinctę, vbi enim ſunt res, & perſonę realiter diſtinctę, neceſſe eſt, vt ſit in vnaquaque illarum, quod alijs non ſit commune, & illi conueniat, alioquin impoſſibile eſſet intelligere earum diſtinctionem; quod autem concipiantur, & explicentur nominibus abſtractis, hoc fit ad aptius explicandum ſanctæ Trinitatis myſterium aſſignando quibus quaſi formis diſtinguantur perſonę, quę in eſſentia habent vnitatem. de tr. lib 7. c.1.

Reſolutio.

REſpondeo, quod ſicut proprietates in creaturis dicuntur propriæ alicuius naturæ qualitates, ita cum in diuinis relationes ſe habeant aliquo modo, vt qualitates, quia non vt natura; idcirco relationes illæ, quæ ſunt vni tantum perſonæ propriæ dicuntur proprietates, quæ tamen propter ſummam ſimplicitatem diuinorum, ita dicuntur eſſe in eis, quod ſimpliciter ſunt ipſæ, ſola ratione hunc modum loquendi approbante.

Sed ſi omnes perſonæ conueniunt in natura? proprietates autem ſumuntur per comparationem ad naturam. Obiectio.

Reſpondetur, quod quædam ſunt proprietates, quæ fundantur in natura; tanquam principio eſſendi, vel agendi ſpecifico & quædam, quæ fundantur in actione ſuppoſiti tanquam principio agendi ſuppoſitali, & vni tantum conueniunt, & ſic quamuis omnes perſonæ conueniant in natura, non tamen conueniunt in ſuppoſito.

Digitized by Google

QVAESITVM IV.

An proprietates in diuinis perſonis ſint tantum tres .ſ. paternitas, filiatio, proceſſio?

q. 68. m. 3. q. 4. ALex. reſp. quod proprietates perſonales ſunt tanquam differentiæ conſtitutiuæ, & diſtinctiuæ perſonarum, & ideo non poſſunt eſſe niſi tres, quia non ſunt niſi tres perſonæ. Item Thomas ab Argentina.

d. 26. q. 2. a. 3. D Thomas reſp. quod quatuor ſunt proprietates, quæ vni perſonæ tantum conueniunt .ſ. paternitas, & innaſcibilitas, quæ conueniunt tantum Patri, filiatio, quæ conuenit tantum Filio, & proceſſio quæ conuenit tantum Spiritui ſancto, communis autem notio non poteſt dici proprietas ſimpliciter, quia conuenit duabus perſonis, ſed ſecundum quid, ſecundum quod aliquid dicitur eſſe proprium ad aliquid, eſt enim proprium Patris, & Filij reſpectu Spiritus ſancti.

d. 26. q. 4. D. Bonau. reſp. quod tot ſunt proprietates quot relationes, & notiones, nam omnis proprietas eſt relatio, & omnis relatio eſt proprietas, & ſimiliter omnis notio eſt proprietas, vel relatio.

pr. 2. q. 2. Aegidius reſp. quod conſtitutio cuiuſlibet perſonæ diuinæ habet quandam ſimilitudinem licet modicam cum conſtitutione ſpecierum, vnde ſicut ſpecies dicit genus, & differentiam, ita perſona dicit eſſentiam, & proprietatem, proprietas ergo ſe habet loco ſpecificæ differentiæ, & quoniam ſpecificæ differentiæ plurificantur ad plurificationem ſpecierum, dicit enim Ariſt. 7. Meth. c. 43. quod cum proceſſimus diuidendo pedalitates vſque ad vltimas differentias, tunc tot erunt ſpecies pedis, quot differentiæ; cum itaque perſonæ diuinæ ſint tantum tres, tres etiam ſunt proprietates earum. Item Marſilius.

a. 59. q. 3. Henricus reſp. quod proprietates omnium perſonarum, ſeu rationes earum ſunt viginti nouem .ſ. A quo alius, ingenitum, generatiuum, poſſe generare, poſſe generari ſubiectiuè, generari ſubiectiuè, poſſe generari obiectiuè, generari obiectiuè, genitum eſſe, paternitas, filiatio, poſſe ſpirare actiuè, ſpirare actiuè, poſſe ſpirari ſubiectiuè, ſpirari ſubiectiuè, poſſe ſpirari obiectiuè, ſpirari obiectiuè, ſpiratum eſſe, vna innominata circa Patrem, & Filium reſpectu Spiritus ſancti, & altera innominata circa Spiritum ſanctum reſpectu Patris, & Filij communiter, & ſimiliter iuxta generatiuum, dictiuum, & iuxta generari poſſe, dici.

q. 2. Durandus reſp. quod tres tantū ſunt proprietates perſonales .ſ. paternitas, filiatio, proceſſio, quæ dicuntur proprietates, inquātum per eas perſonæ diſtinguuntur, & perſonales, inquantum per eas perſonæ conſtituuntur, ſpiratio autem actiua propriè non dicitur proprietas, quia communis eſt duobus, Patri .ſ. & Filio, licet tamen aliquo modo poſſit dici proprietas, inquantum per eam Pater, & Filius diſtinguuntur a Spiritu ſancto, non tamē perſonalis, quia nullam perſonam conſtituit.

Franc. Suar. reſp. quod proprietates ſunt idem prorſus, quod perſonalitates, ſolaque voce diſtinguuntur; cum itaque ſit tantum tres perſonalitates, quia tres tantum perſonæ, igitur & tres tantum proprietates. de tr. lib. 7. c. 2.

Reſolutio.

REſpondeo, quod tot ſunt proprietates in diuinis perſonis, quot ſunt relationes propriæ vni tantum perſonæ, quia ſicut dictū eſt, proprietates ſunt huiuſmodi relationes; cum itaque relationes non ſint niſi tantum tres, ſecundum quod tres ſunt tantum habitudines, quibus ſe habent diuinæ perſonæ vna ad alteram, nam ſic excluditur diuina ſpiratio, quæ eſt Patri, & Filio communis, propterea tres ſunt tantum proprietates, paternitas .ſ. filiatio, & proceſſio.

Sed ſi innaſcibilitas ſoli Patri conuenit? Obiectio.

Reſpondetur, quod eſt quidem proprium Patri eſſe innaſcibile, innaſcibilitas tamen non eſt proprietas eius, quia nō dicit aliquid poſitiuum, nec ex conſequenti dicit aliquam relationem, qua Pater referatur ad aliam perſonam.

QVÆSITVM V.

An ſint aliquæ notiones in diuinis, per quas ipſæ perſonæ diuinæ ſpecialiter notificentur?

ALex. reſp. quod ad notificādum quomodo ſe habent diuinæ perſonæ ad eſſentiam, quam habent in propria habitudine originis, neceſſe eſt ponere notiones in diuinis, ſicut enim ad interrogationem factam per quid, reſpondetur per nomē ſignificans eſſentiam, vt Deus, ad interrogationem factam per quis, reſpondetur per nomen ſignificans hypoſtaſin, vt Pater, ita ad interrogationē factam per quomodo in adiacentia, reſpondetur per nomen ſignificans q. 68. m. 1. a. 1.

no-

notionem, vt generans.

p.p. q.32. a.2. D. Thomas reſp. quod notiones ſunt nomina quibus ſignificamus perſonalia in abſtracto, vt paternitas, filiatio, & huiuſmodi, eſt autem neceſſarium ipſas ponere propter duo, primum propter hæreticorum inſtantiã, qui ſi quærant a nobis, quo perſonæ ſunt vnũ & quo ſunt tres, ſicut reſpondemus, quod ſunt vnum nomine abſtracto eſſentiæ, vel deitatis, ita reſpondeamus, quod ſunt tres nominibus abſtractis notionum, in diuinis enim proprietas, ſeu notio ſignificatur vt quo, ſicut eſſentia vt quid, & perſona, vt quis; ſecundum, quia cum vna perſona in diuinis referatur ad duas, & non vna relatione, alioquin relationes ex oppoſito reſpondentes, eſſent eiuſdem rationis, & ſic illæ perſonæ quæ per tales relationes referuntur, non diſtinguerentur ad inuicem, poſſimus ſignificare tales relationes ſeorſum nominibus ipſas ſignificantibus in abſtracto, quæ ſunt proprietates, ſeu notiones.

d.29. a.1. Petrus Aur. reſp. quod notiones in diuinis ſunt quædam proprietates, quæ in abſtracto concipiuntur ab intellectu, per quas notificatur diſtinctio perſonarum; & quoniam propriè fiũt huiuſmodi abſtractiones in diuinis, abſtrahit enim intellectus ab eodem indiſtincto, vt a perſona Patris paternitatem, & a perſona Filij filiationem, per quas eorum diſtinctio notificatur, ideo propriè ſunt notiones in diuinis.

q.32. a.2. diſp.1 Ludou. Molina reſp. quod notio non eſt aliud, quam ratio cognoſcendi vnam perſonam, vt ab alia, vel ab alijs diſtinctam, ſeu eſt forma, aut quaſi forma, qua vna perſona cognoſcitur diſtingui ab alia, vel ab alijs; cum autem perſonæ diſtinguantur relationibus originis, duo neceſſaria ſunt, vt aliquid notio dicatur, vnum quod ſignificetur in abſtracto, & alterum, quod pertineat ad originem.

Reſolutio.

RESpondeo, quod notio dicitur a notificando, omne ergo quod notificat aliquid vt ſpeciale illius, & ipſum denominat eius notio dici poteſt; cum igitur in diuinis relationes, & proprietates notificent, & denominent perſonas, ideo notiones etiam dici poſſunt.

Obiectio. Sed ſi in ſcripturis ſacris nulla ſit mentio de notionibus?

Reſpondetur, quod licet non fiat mentio expreſſa de notionibus in diuinis ſcripturis, ſit tamen mentio de perſonis in quibus intelliguntur notiones, ſicut abſtracta in concretis. Ita D. Thomas.

QVAESITVM VI.

An notiones, per quas perſona diuina ſpecialiter notificantur ſint tantum quinque ſ. innaſcibilitas, paternitas, filiatio, communis ſpiratio, & proceſſio.

q.61. m.3 q.6. ALex. reſp. quod præter quatuor relationes eſt reperire notionem quintã non enim habitudo Patris ad Filiũ conuenit tantum Patri, ſed etiam conuenit ei priuatio relationis ad alterum principium, aliter enim eſſet in perſonis abire in infinitũ, ideo eſt quinta notio, quæ Patri conuenit per priuationem ordinis ad principium, quæ dicitur innaſcibilitas.

d.26. q.2. a.3. D. Thomas reſp. quod ad hoc, quod aliquid dicatur notio diuinæ perſonæ tria requiruntur; primum, quod ad originem pertineat; ſecundum, quod pertineat ad dignitatem; tertium, quod dicat aliquid ſpeciale; quod itaque pertinet ad originem poteſt ſignificari dupliciter affirmatiuè, & negatiuè, quod ſignificatur affirmatiuè, vel dicit originem in communi, & hoc dupliciter, vel ſecũdum rationem eius, quod eſt a principio vt qui ab alio, vel ſecundum rationem principij vt a quo alius, & quoniam notio dicit aliquid ſpeciale, nihil ſic eſt in diuinis, quod ſit notio; vel dicit originem in ſpeciali, & hoc dupliciter, vel per modum naturæ, & ſic ſunt duæ notiones paternitas, & filiatio, vel per modum amoris, & ſic ſunt duæ aliæ, proceſſio, & ſpiratio communis; quod verò ſignificatur negatiuè, vel negat rationem principij, vel rationem eius, quod eſt a principio, ſi negat rationem principij non poteſt eſſe notio, quia ad dignitatem non pertinet, ſi verò negat rationem eius, quod eſt a principio, vel negat in ſpeciali, vel in generali, ſi in ſpeciali, non poteſt eſſe notio, quia quanto negatio eſt magis ſpecialis, tanto notio oppoſita eſt magis cõmunis, ſi in generali, tunc poteſt eſſe notio, quia ſic ad dignitatem pertinet, & talis notio eſt innaſcibilitas, & ita quinque ſunt notiones, paternitas, filiatio, proceſſio, communis ſpiratio, & innaſcibilitas. Similia, D. Bonau. Ricardus, Ioann. de Baſſ. Nicol. de Niſſe & Franc. a Chriſto.

p.p. q.32. a.3. Et iterum reſp. quod notio eſt propria ratio, per quam innoteſcunt diuinæ perſonæ, Pater per hoc, quod ab alio innoteſcere non poteſt, ſed bene per hoc, quod a nullo, & talis

Digitized by Google

lis notio eſt innaſcibilitas, per hoc autem quod a quo alius innoteſcit dupliciter, vel quia eſt ab eo Filius, & ſic innoteſcit paternitate, vel quia eſt ab eo Spiritus ſanctus, & ſic innoteſcit communi notione ſpirationis; Filius ſimiliter innoteſcit dupliciter, vel quia ipſe eſt ab alio naſcendo, & ſic innoteſcit filiatione, vel quia alius eſt ab eo .ſ. Spiritus ſanctus, & ſic innoteſcit, ſicut Pater communi ſpiratione; Spiritus ſanctus autem innoteſcit per hoc, quod eſt ab alio, vel ab alijs proceſſione, & ſic proceſſio eſt eius notio; ſunt igitur quinque notiones in diuinis innaſcibilitas, paternitas, filiatio, communis ſpiratio, & proceſſio. Item Aegidius, Durandus, Marſilius.

d.29. a.4. Petrus Aur. reſp. quod licet non ſit magis neceſſitas, aut ratio demonſtratiuè concludens quinarium numerum notionũ, poſſunt enim octo aſſignari, vel etiam nouem; in Patre innaſcibilitas, paternitas, ſpiratio; in Filio ingenerans, inſpirabilis, filiatio, ſpiratio; in Spiritu ſancto ingenerans, ingenitus, inſpirans, ſpiratus; nihilominus congruentius eſt vt aſſignentur quinque, innaſcibilitas, paternitas, filiatio, ſpiratio, proceſſio, quia ſecundum illas innoteſcunt earum origines.

d.28. q.vn. Guilel. Occham reſp. quod nõ ſunt quinque notiones, quarum quælibet ſit relatio in Deo, & realiter idem cum eo, quia innaſcibilitas non eſt ſic notio, ſed tantum quid prędicabile de ſolo Patre.

d.27. a.1. Thomas ab Arg. reſp. quod omne illud dicitur notio, quod perſonam diuinam notificat, ita quod non eſt commune tribus, hæc autem tantum quinque ſunt .ſ. innaſcibilitas, paternitas, quibus notificatur Pater, ſpiratio actiua, quæ dicitur communis notio, quia per ipſam etiam notificatur Filius, filiatio, & ſpiratio paſſiua, qua notificatur Spiritus ſanctus. Item Ioannes Maior.

de tr. lib 5. c.10. Franc. Suar. reſp. quod ad quatuor relationes oportet addere quintam notionem, qua primam perſonam improductam in ratione primæ productæ & principij reliquarũ, agnoſceremus.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod notiones non ſolum dicuntur, quæ habent vim notificandi, ſed etiam, quæ in vſu ſunt receptæ ad notificandum; licet ergo ſint tantum quatuor notiones, quæ habent vim notificandi diuinas perſonas, quæ ſunt relationes, & proprietates, eſt vna tamen his addita, quæ eſt innaſcibilitas in vſu recepta a doctoribus, vt Patrem notificet, propter duplicem oppoſitionem, quam importat ad Filium, vnam, quia non generatur, alteram, quia generat.

Sed ſi cognoſcimus perſonam non ſolum per propria, ſed etiam per appropriata? illa autem eſt notio perſonæ, per quam cognoſcimus, ſeu notificamus ipſam perſonam. Obiectio.

Reſpondetur, quod per appropriata cognoſcimus perſonam, non tanquam per propria, ſed tanquam per communia. & ideo non poſſunt eſſe huiuſmodi notiones, quia notio debet dicere, quid ſpeciale, non commune. Ita Aegidius.

QVAESITVM VII.

An relatio, proprietas, & notio idem ſint in diuinis?

Alex. reſp. quod proprietas, relatio, & notio diſtinguuntur ſecundum rationis intelligentiam, proprietas enim eſt, quo eſt diſtinctio perſonæ a perſona, relatio eſt habitudo perſonarum ad inuicem, notio verò eſt per ſe, & prima, & propria ratio diſtinctionis, & relationis, vt per quod diſtinguitur perſona a perſona, vel per quod refertur perſona ad perſonam, & dicitur proprietas, quando vni ſoli conuenit, & hanc ab alia diſtinguens; relatio, vt hanc ab alia diſtinctam ad aliam referens; notio, vt hanc diſtinctam ab illa notam faciens. q.68. m.2. q.1.

Albertus reſp. quod relatio, & notio ſecũdum nominum intentiones differunt, quia notio eſt quo cognoſcitur res, relatio autem qua refertur ad aliud Et tr. 9 q. 39 ar. 1. non differunt ſecundum eſſe, ſed ſecundum rationẽ intelligendi, ſiue ſecundum rationem ſupponendi, & attribuendi. d.26. a.8.

D. Thomas reſp. quod relatio proprietas, & notio differunt tripliciter; primò, quantũ ad rationem ſignificationis, nam relatio dicitur ſecundum quod refertur per ipſam vna perſona ad aliam, proprietas ſecundum quod vni ſoli conuenit, notio inquantum eſt principium formale innoteſcendi perſonam; ſecundò quantum ad ordinem intelligẽdi, nam intellectus proprietatis præcedit intellectũ notionis; tertiò quantum ad numerum, quia non ſunt tot relationes, & proprietates, quot notiones. q.2. a.3.

Durandus reſp. quod idem ſecundum rem, vt paternitas poteſt dici notio, relatio, proprietas perſonæ, & perſonalis proprietas, diuarſis tamẽ rationibus, dicitur enim notio inquan- q.2.

quantũ eſt principium deueniẽdi in notitiam Patris, dicitur relatio, inquantũ per eam Pater dicitur reſpectiuè ad Filium, proprietas verò perſonæ, inquantum vni perſonæ tantum cõuenit, proprietas autem perſonalis dicitur inquantum eſt conſtitutiua perſonæ Patris.

q. 29. a. 1. Marſilius reſp. quod relatio, proprietas, & notio ſunt in re idem, ſed ſic differunt, nam relatio dicitur res, per quam perſonæ diuinæ ad inuicem referũtur, proprietas dicitur res, quæ ſoli perſonæ conuenit, ratio, quæ certo modo expreſſa ducit in notitiam perſonæ. Item Nicol. de Niſſe.

d. 28. diſp. vn. Michael de Pal. reſp. quod notio, relatio, proprietas perſonalis ſe habent vt ſuperius, & inferius, nam quicquid eſt perſonalis proprietas eſt relatio, & notio, & quod relatio eſt, eſt notio; ſed quod notio, aliquid eſt, quod non eſt relatio, nec proprietas.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod quæſtio non eſt de rebus ſignificatis per huiuſmodi nomina, ſed de ipſis nominibus; an .ſ. huiuſmodi nomina proprietas, relatio, notio pro eodem ſumantur, ſiue pro eodem ſupponant, & tunc dicitur, quod differunt ſecundum quod conceptum habent magis, & minus vniuerſalem, notio enim ſupponit pro pluribus, quam relatio, & relatio, quam proprietas, nam omnis proprietas eſt relatio, & omnis relatio eſt notio, ſed non econuerſò.

Obiectio. Sed ſi dicit D. Ioann. Dam. quod in diuinis omnia ſunt vnum præter ingenerationem, generationem, & proceſſionem? quæ non ſunt niſi tres proprietates.

Reſpondetur, quod D. Ioan. Dam. ſub nomine generationis intelligit generationem actiuam & paſſiuam, & ſub nomine proceſſionis ſpirationem actiuam & paſſiuam, & nomine ingenerationis innaſcibilitatem, & ſic proprietates, relationes, & notiones. Ita D. Bonau. & Ricardus.

QVAESITVM VIII.

An qualibet relatio diſtinguatur a qualibet relatione, proprietas a proprietate, & notio a notione realiter?

d. 27. q. 1. a. 1. D. Thomas reſp. quod nihil diſtinguitur realiter, ſeu vt res a re, niſi differentia rei, quæ non eſt in diuinis, niſi per oppoſitionem relationis, & quoniam ſunt quædam relationes, proprietates, & notiones, quæ non opponuntur ad inuicem, vt paternitas, & communis notio in Patre, ideo non quælibet relatio diſtinguitur realiter & vt res a re a relatione, proprietas a proprietate, & notio a notione.

D. Bonau. reſp. quod modo hæc eſt communis opinio, quod proprietates diuinarum perſonarum diſtinguuntur realiter ab inuicẽ, & non ſolum in diſtinctis perſonis, ſed etiam in eadem, vt generatio & ſpiratio in Patre, paternitas, & innaſcibilitas, alioquin vna eſſet relatio, per quam refertur ad Filium, & ad Spiritum ſanctum, quod eſt inconueniens. d. 26. q. 1.

Aegidius reſp. quod quælibet relatio realis duo requirit, primum quod ponat aliquid reale in quo exiſtit, ſecundũ quod dicat realem differentiam relatorum; ſecundum quod ponit aliquid reale in quo exiſtit, non poteſt diſtingui ab alia relatione realiter, niſi res in quibus exiſtunt ambæ realiter diſtinguãtur; ſed ſecundum quod dicit realem differentiam relatorum, ſic diſtingui poteſt ab alia, ſecundum quod vtraque relatio eſt; quoniã ergo non quælibet relatio realis eſt in pluribus, & diſtinctis perſonis, ideo non quælibet relatio realis diſtinguitur vt res a re ab alia relatione reali, licet diſtinguatur ſecundum quod relatio, ratione relatorum, ſicut paternitas non diſtinguitur, vt res a re in patre a communi notione, quia eſt vna res Pater, quamuis diſtinguatur, vt relatio. d. 27. pr. 2. q. 1.

Ricardus reſp. quod proprietates perſonales, ſeu relationes ſũt principia formalia realis diſtinctionis perſonarum, talia autẽ principia neceſſe eſt realiter diſtingui. q. 1. q. 1.

Herueus reſp. quod ſunt quædam relationes vt paternitas, & ſpiratio actiua, quæ quantum ad realitatem, quæ ſunt ipſæ cum nullam oppoſitionem habeant, ex qua ſumitur omnis differentia realis in diuinis, non differunt realiter, realiter tamen differunt quantum ad realitatem, quam important; vt terminus ad quem, paternitas enim importat habere Filium, & ſpiratio habere Spiritum ſanctum, habere autem Filium, & habere Spiritum ſanctum ex parte eius, quod habetur, re differunt. a. 1.

Guilel. Occham reſp. quod ſunt quædam relationes, quæ quidem ad inuicem differunt formaliter, vt paternitas, & ſpiratio actiua, nam aliquid verificatur de paternitate quod non verificatur de ſpiratione actiua; ſed non differunt realiter, nam cum paternitas, & ſpiratio ſint in eadem perſona, perſona autem ſit quicquid habet, realiter differre non poſſunt; ſecundò, quia cum concurrant ad conſtitutionem Patris, vel eſſent eiuſdem ratio- q. 1.

tio-

tionis, vel omnino diuerſæ & ſic concurrerent ad eius conſtitutionem vna vt actus, & altera vt potentia quod eſt inconueniens; tertiò, quia ſi diſtinguerentur realiter eadem ratione, qua paternitas, filiatio, proceſſio conſtituunt tria ſuppoſita, ita conſtituerent paternitas, filiatio, & ſpiratio actiua, quod eſt falſum.

d.27. a.2. Thomas ab Arg. reſp. quod non quælibet relatio diſtinguitur a qualibet relatione, nam ſpiratio actiua, quæ eſt communis Patri & Filio non diſtinguitur realiter a paternitate, & filiatione, & hoc probat multipliciter; primò, quia ſic ſequeretur, quod in Patre, & Filio plures eſſent res, quam in Spiritu ſancto, quod eſt inconueniens; ſecundò, quia inter eas nulla eſſet oppoſitio; tertiò, quia communis notio non conſtituit ſuppoſitum diſtinctum a ſuppoſitis conſtitutis per paternitatem, & filiationem; quartò, quia communis notio in Patre identicè prædicatur de paternitate, & in Filio de filiatione.

q.vn. Ioannes Maior reſp. quod paternitas, & ſpiratio actiua in Patre ſunt idem, quod ipſe Pater, ſicut filiatio, & ſpiratio actiua in Filio; & ideo ex natura rei, ſiue realiter, non diſtinguuntur; licet conuertibiliter non ſint idem.

Reſolutio.

RESpondeo, quod diſtinctio cuiuſlibet relationis a qualibet relatione, & proprietatis a proprietate, & notionis a notione ſecundum rationem eſt quærenda ab intellectu noſtro aliter, & aliter quamlibet illarum concipiente; ſed diſtinctio ſecundum rem eſt quærenda ab ipſis diuinis perſonis, quia nulla eſt diſtinctio in diuinis ſecundum rem, niſi diſtinctio perſonarum; ſecũdum ergo quod huiuſmodi relationes, vel proprietates idẽtificantur cum ipſis perſonis, ſecundum hoc ſumenda eſt diſtinctio ab ipſis; paternitas ergo, quia eſt idem quod Pater, qui diſtinguitur a Filio, & a Spiritu ſancto, diſtinguitur a filiatione, & proceſſione, quæ ſunt idem, quod Filius, & Spiritus ſanctus; ſpiratio actiua quia eſt idem quod Pater, & Filius, nõ diſtinguitur a paternitate, & filiatione, ſed tantum a proceſſione, quæ eſt idem, quod Spiritus ſanctus, a quo Pater, & Filius realiter diſtinguuntur.

Obiectio. Sed ſi omnis relatio in Deo exiſtens eſt idẽ ſecundum rem cum diuina eſſentia? quæ autem vni, & eidem ſunt eadem, ſibi quoque inuicem ſunt idem.

Reſpondetur, quod hæc propoſitio eſt vera in his, quæ ſunt idem re, & ratione, vt tunica, & veſtimentum, non autem in his, quæ ratione differunt, vnde dicit Ariſt. quod licet actio ſit idem motui, ſimiliter & paſſio, non tamen ſequitur, quod actio, & paſſio ſint idem, nam in actione importatur reſpectus, vt a quo eſt motus in mobili, in paſſione verò, vt qui eſt ab alio; licet ergo relationes ſint idem cum eſſentia, tamen in ſuis proprijs rationibus important oppoſitos reſpectus. Ita D. Thomas.

QVAESITVM IX.

An perſona diuina per aliquid conſtituantur in ſuo eſſe perſonali?

GRegorius reſp. quod nulla perſona diuina per aliquid in ſuo eſſe conſtituitur, cum quælibet ſit omnino ſimplex; ſi enim (inquit) perſona conſtitueretur per aliquid, vel illud præciſè acceptum eſſet ipſa perſona, vel non, ſed aliquid eius; non perſona, tum quia nulla perſona conſtituit ſeipſam, cum nulla ſit cauſa ſui, tum quia ſic illud conſtitueretur per aliud, & ſic in infinitum; ſi verò aliquid eius, & non tantum per operationem animæ, ſed verè, ſequeretur quod perſona non eſſet omnino ſimplex; ſecundò ad idem; non minus eſt ſimplex perſona diuina, quam eſſentia, vel ſi qua ſit alia proprietates, ſed nec eſſentia, nec proprietas conſtituitur per aliquid, ergo nec perſona; tertiò, ſi perſona conſtituitur per proprietatem aliquam conſtituitur etiam per eſſentiam, non ergo eſſet eſſentia, quod eſt falſum; quartò, ſi quælibet perſona conſtituitur, Pater etiam conſtituitur in eſſe per ſuam proprietatem, quod eſt falſum, quia Pater non eſt cauſatus, nec genitus. Non ergo (inquit) conſtituuntur perſonæ diuinæ, immo huiuſmodi termini conſtitutio, conſtitutiuum, conſtitutum non bene aſſumuntur in vſu ad diuina, nec D. Auguſtinus, aut alius doctor vſus eſt illis temporibus ſuis. d.26. a.2.

Guilelm. Rub. reſp. quod perſonam diuinam eſſe conſtitutam, dupliciter poteſt intelligi, propriè, & largè; conſtitutum propriè ſumptum dicitur eſſe illud, quod continet aliqua plura conſtituentia inter ſe diſtincta, & hoc modo nulla perſona diuina eſt realiter conſtituta, quia nihil habet in ſe diſtinctum; conſtitutum verò largè ſumptum poteſt dici quodcunque in eſſe poſitum vnum ab alio diſtinctum, quantumcunque ſimpliciſſimum, nec continens in ſe aliqua in re extra q.2.

tra

Digitized by Google

tra diſtincta, & hoc modo quælibet perſona diuina dicitur conſtituta, quælibet enim eſt vna, & ab omni alio realiter diſtincta.

d.26. q.vn. Ioannes Maior reſp. quod non oportet venari quo, vel quibus diſtinguantur, vel conſtituantur perſonæ diuinæ, quia non habent aliquid diſtinctiuum, aut conſtitutiuum; ſed ſeipſis conſtituuntur, & diſtinguuntur; poteſt tamen dici perſonas ſuis proprietatibus conſtitui, ſed ad bonum ſenſum, hoc eſt, arguitiuè.

d.26. Ioannes a Celaia reſp. quod inter conſtituens, & conſtitutum eſt diſtinctio realis; & ideo perſonæ diuinæ non habent aliquid, quo conſtituantur, quia ſunt ſimpliciſſimæ.

Thomas Caet. reſp. quod perſonæ diuinæ proprietatibus conſtituuntur, at huiuſmodi conſtitutio eſt tantum rationis, non rei.

q.40. a.2. Franc. a Chriſto reſp. quod vbi hæc duo reperiuntur, commune .ſ. & proprium, ibi etiam reperitur conſtitutio; cum itaque perſonæ diuinæ non conſtituantur ſe totis, ac proinde vnum ſit commune in eis, & alterum proprium diſtinctiuum, ſequitur, quod ſit in eis conſtitutio, ſaltem ſecundum rationē.

a.2. Ludou. Mol. reſp. quod cum nulla ſit in diuinis perſonis diſtinctio actualis formaliter, nulla quoque earum eſt cōſtitutio actualis a parte rei ſecluſa operatione intellectus, niſi ſecūdum virtutem, quia tamen per intellectū datur actualis diſtinctio in eis, vt inter eſſentiam, & proprietatem, tam ratione ratiocinante, quam ratiocinata, idcirco per intellectum datur conſtitutio actualis earum ex eſſentia ſcilicet, & proprietate.

de tr. lib.7. c.3. Franc. Suar. reſp. quod ſi per conſtitutionē qua perſonæ diuinæ in eſſe perſonali ſuis proprietatibus conſtituuntur, aliquem modum compoſitionis intelligimus, vtique talis compoſitio eſt rationis tantum; ſi verò intelligimus veram, & propriam exiſtentiam talis rei ex vi illius proprietatis, quam per modum formæ apprehendimus, eſt realis.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod vnumquodque eo dicitur conſtitui in eſſe tali, quo formaliter eſt tale, ſicut homo eo dicitur conſtitui in eſſe hominis, quo formaliter eſt homo, & Angelus in eſſe Angeli, quo formaliter eſt Angelus, non enim hic ſumitur conſtitui, vt ex quo, vel ex quibus, ſed quo, vel per quid; perſonæ ergo diuinæ eo dicuntur in eſſe perſonali conſtitui, quo ſunt perſonæ formaliter, non ſunt autem perſonæ formaliter aliquo, ſeu per aliquid diſtinctum realiter ab ipſis, quoniam propter ſuam ſummam ſimplicitatem nullam realem diſtinctionem in ſe habent, nec dici poſſunt conſtitui, ſeu eſſe per aliquid diſtinctum realiter ab ipſis perſonis; ſi ergo aliquo ſunt perſonæ, ſaltem ſecundum noſtrum modum intelligendi, vel per aliquid in eſſe perſonali conſtituuntur, hoc non poteſt eſſe aliud a ſeipſis; ſeipſis ergo ſunt realiter, & ſeipſis conſtituuntur; verum enim verò, quia vnumquodque conſideratum in eſſe concreto dicitur eſſe ſua forma, vel conſtitui in tali eſſe per aliquid ſe habens ad modum formæ, vt homo humanitate, & Angelus angeleitate; idcirco perſonæ diuinæ dicuntur eſſe, vel conſtitui in eſſe perſonali aliquo, etiam exiſtente realiter eodem cum ipſis ſe habente in abſtracto ad modum formæ.

Sed ſi conſtituens realiter diſtinguitur a conſtituto? Obiectio.

Reſpondetur, quod conſtituens realiter diſtinguitur a conſtituto in his, quibus eſt realis conſtitutio, videlicet ex re, & re, & non re, & ratione, qualis eſt conſtitutio ſimplicium, in quibus nulla poteſt eſſe realis diſtinctio.

QVÆSITVM X.

An illud, per quod diuinæ perſonæ conſtituuntur in eſſe perſonali, reſpectiuum ſit, an abſolutum?

Albertus reſp. quod ſola relatio multiplicat Trinitatem, ſola enim relatio habet minimum de ente, & ideo ſua multiplicatio maximè competit multiplicationi rei ſimpliciſſimæ; & non quælibet relatio, ſed relatio originis; nulla enim relatio multiplicat Trinitatem, niſi ea, quę tria hæc habeat; quod nihil addat ſupra ſubſtantiam, nam ſic compoſitionem induceret; quod de ſuo intellectu ordinem naturæ ponat, & cauſet; & quod diſtinctum det eſſe perſonale, quæ ſoli relationi originis conueniunt. d.26. ar.7. tr.9 q.37.

D. Thomas reſp. quod perſonæ diuinæ conſtituuntur per relationes, & per origines, ſed per prius, & principalius per relationes, quam per origines, quia origines ſe habent, vt vię a re, vel ad rem, & non vt aliquid intrinſecum ipſis perſonis; & ſi eſt origo actiuè ſumpta præſupponit perſonam, a qua eſt, & ſi paſſiuè, nondum eam conſtitutam, ad quam eſt; relationes autem conſtituunt perſonas inquantum ſunt ipſæ perſonæ p.p. q.40. ar.4.

ſubſiſtentes. Non quia vtræque ſint principia formalia diſtinctionis (inquit Vaſquez diſp. 148. c. 6.) & relationes, & origines; & relationes ſint principalius; ſed quia etiam origines pertinent ad diſtinctionem perſonarum; putat enim Vaſquez hanc eſſe ſententiam D. Thomæ, quod perſonæ conſtituãtur relationibus vt relationibus in facto eſſe non originibus; ac proinde omnibus alijs, exiſtimat veriorem.

d. 26. q. 3. D. Bonau. reſp. quod perſonæ diuinæ cõſtituuntur per actus notionales, ſiue per origines, generationem .ſ. actiuam, generationem paſſiuam, & ſpirationem paſſiuam, potius quam per relationes; cum relationes fundentur in ipſis originibus, ſiue actibus notionalibus, vnde perſonæ prius intelliguntur conſtitutæ, quam relationes aduenire eis.

pr. 1. q. 2. Aegidius reſpondet, quod ſicut in humanis quodcunque ſuppoſitum conſtituitur in eſſe ſuppoſiti, quod eſt incommunicabile, non per naturam ſuam, quia per eam conſtituitur in eſſe hominis, ſed per id, quod addit ad naturam ſuam, in quo non conuenit cum alijs hominibus, ita & in diuinis quodlibet ſuppoſitum non conſtituitur in eſſe ſuppoſiti per naturam ſuam, quæ eſt quid abſolutum, ſed per illud, in quo non conuenit cum alijs, quod eſt quid reſpectiuum, quia relatio.

a. 56. q. 1. Henricus reſp. quod in omni perſona, & ſuppoſito duo ſunt, quæ conſiderantur; vnum natura, quæ ex ſe communis eſt, & qua aliquid exiſtit; alterum proprietas, ſecundum quam ſubſiſtit, qua ipſum ſubſiſtens determinatur, vt modo ſingulari, determinato, & incommunicabili ſubſiſtit, quæ neceſſariò includitur in ſignificato perſonæ, & ita eſt in qualibet perſona, ſeu ſuppoſito diuino, vt ſit natura, & relatio, quæ cadunt in ſignificato eius, ita quod ex ipſis conſtituatur.

q. vn. Ioannes Scotus reſpondendo ad quæſitum non ſatis indicat, quæ ſit ſententia eius, an ſcilicet, perſonæ diuinæ conſtituantur per relationes, an per aliquid abſolutum; quod enim conſtituantur per relationes, dicit hanc eſſe opinionem communem; nihilominus multipliciter arguit contra eam, ac deinde ad ſingula argumenta reſpondet; quod verò conſtituantur per aliquid abſolutum dicit hanc opinionem eſſe concordantem ſcripturis ſacris, & fidei non repugnare, ac proinde defendi, & teneri poſſe.

a. 3. Herueus reſp. quod relatio conſtituit perſonam, non quidem, vt relatio eſt, ſed vt proprietas; quia relatio, vt relatio non conſtituit illa, quæ referuntur, ſed potius præſupponit conſtituta.

Durandus reſp. quod ſicut perſonæ diuinæ diſtinguuntur per relationem, vt relatio eſt, ita etiam conſtituuntur per relationem, vt relatio eſt. q. 1.

Petrus Aureol. reſp. quod perſonæ diuinæ conſtituuntur per modos intrinſecos eſſendi relatiuos importatos per concipere, concipi, & ſpirari, habet enim eſſentia tres modos intrinſecos exiſtendi; exiſtit enim per modum concipientis ſe, & ſic conſurgit ſuppoſitum Patris conſtitutum ex ea, & ex tali modo eſſendi per modum concipientis; exiſtit etiam per modum concepti, & ſic conſurgit ſuppoſitum Filij conceptum ex ea, & ex tali modo eſſendi per modum concepti; exiſtit ſimiliter per modum ſpiritus, & flatus, & ſic conſurgit ſuppoſitum Spiritus ſancti conſtitutum ex ea, & ex tali modo eſſendi per modum Spiritus, non enim ſunt alij modi præter iſtos, qui poſſint ſuppoſita conſtituere, & plurificare ſalua totali realitate eorum. a. 3.

Franc. Maro reſp. quod relatio comparata ad ſuum oppoſitum non conſtituit, quia habitudo relationis ad terminum eſt ad extrinſecum; ſed bene comparata ad ſuum fundamentum, ex tali enim vnione conſtitutio ſequitur; ſed vt conſtituat, oportet, quod ſit inſiſtens, quod ſit ſubſiſtens, quod ſit propria, & quod ſit prima. q. 4.

Guilel. Occham reſp. quod perſonæ diuinæ conſtituuntur in eſſe perſonali per ſuas proprias relationes, & non tantum per eas, vt relationes ſunt, ſed etiam, vt origines; cum origo, & relatio in diuinis, neque re, neque ratione, neque modo ſignificandi diſtinguantur. q. 1.

Thomas ab Arg. reſp. quod perſonæ diuinæ appropriatè loquẽdo conſtituuntur tribus relationibus .ſ. paternitate, filiatione, & ſpiratione paſſiua, ſeu proceſſione, inquantum proprietates ſunt; paternitas enim vt proprietas incõmunicabiliter eſt in Patre, & ideo Patrem in eſſe incommunicabili conſtituit in intellectuali natura .ſ. diuina, quod eſt eſſe perſonale; ſimiliter filiatio, & proceſſio. a. 3.

Gerardus reſp. quod perſonæ diuinæ conſtituuntur per relationes, hoc autem habet relatio, vt conſtituat, non vt relatio communiter ſumpta, ſed inquantum talis relatio, inquantum enim talis relatio, competunt ſibi omnia, quæ ſunt de ratione differentiæ conſtitutiuæ; duo autem ſunt de ratione talis differentiæ, ſicut videmus in creaturis, q. vn. a. 3.

quod

Digitized by Google

quod ſit eſſentialis, & quod ſit propria; certum eſt autem, quod relatio diuina eſt eſſentialis, & propria; eſſentialis, quia in diuinis nihil eſt accidentale; propria, quia eſt omnino incommunicabilis alteri perſonæ.

d 26. q.2. Guilel. Rub. reſp. quod perſonæ diuinæ eo modo, quo dicuntur conſtitui, large .ſ. & impropriè, non conſtituuntur per proprietates abſolutas, neque per relationes originis, tanquam per aliqua ab ipſis perſonis diſtincta aliqualiter in re extra, quia talia non ſunt in eis; ſed dicuntur conſtitui per proprietates originis relatiuas ab ipſis perſonis in re extra totaliter indiſtinctas.

a.2. Ioannes Bacc. reſp. quod relatio, non vt relatio, ſed vt proprietas conſtituit diuinam perſonam, & ſic probat. Quando forma in producẽte dicit duplicem rationem vnam tanquam primam reſpectu productionis, aliã tanquam ſecundam, & conſequentem, ſi talis forma habet conſtituere ſuppoſitum producens, magis conſtituet ipſum in ratione, qua habet rationem primi reſpectu actus, quam vt habet rationem ſecundi, ratio enim ſuppoſitalis conſtituens ſuppoſitum producens magis debet præcedere actum, quo tale ſuppoſitum producit reſpectu actus, quo producit, quam ſequi; ſed relatio eſt conſtitutiua ſuppoſiti diuini, & ſecundum quod denotatur vt proprietas, denotatur vt prima reſpectu actus generationis, & ſecundum quod denotatur vt relatio, denotatur vt conſequens; ergo vt proprietas eſt conſtitutiua perſonæ. Et hæc (inquit) in Patre eſt generatiuitas, eſt enim prima ratio relatiua incommunicabilis, & præcedens actum generationis.

d.26. q.vn. Michael de Bonon. reſp. quod nullum cõſtitutiuum alicuius perſonæ prædicatur de alia perſona; cum itaque abſoluta prædicentur de ſingulis perſonis, idcirco abſoluta non poſſunt conſtituere perſonas; quæ cum ſint relatiuæ, per relatiua quoque neceſſe eſt, vt conſtituantur.

q.vn. Nicolaus de Orbellis reſp. quod ideo dicendum eſt perſonas diuinas in eſſe perſonali conſtitui per relationes originis, quia in ſcripturis nominantur perſonæ nominibus relatiuis.

q 30. a.1. Marſilius reſp. quod perſonæ diuinæ per prius conſtituuntur proprietatibus, inquantum ſunt proprietates, quam relationibus, inquantum ſunt relationes, nam proprietates vt proprietates dicunt reſpectum ad intra, relationes vero, vt relationes ad extra .ſ. extra ſuppoſitum, ſi non extra naturam.

Ioannes de Baſſ. reſp. quod ad probandum diuinas perſonas conſtitui per relationes, vel proprietates perſonales originis, nullam habet efficacem rationem, ſed tantum auctoritatem. q.1 a.2.

Nicolaus de Nijſe reſp. quod perſonæ diuinæ cõſtituũtur formaliter per proprietates relatiuas, ſic enim ſacræ litteræ exprimunt eas per nomina relatiua, & ſancti doctores id idem docent; ſed proprietas Patris magis ipſum conſtituit ſub ratione generationis actiuè, quam paternitatis, quia eſt ratio prior; & proprietas Filij magis ſub ratione generationis paſſiuæ, quam ſpirationis, quia hæc aduenit ei, iam actu ſubſiſtenti, vnde non conſtituit. tr. 1. p.2. q.6.

Guilelmus Varrill. reſp. quod illud primò perſonam conſtituit, quod ab alia eam diſtinguit, eadem enim ſunt principia diſtinguẽdi, & conſtituendi; cum igitur relatio inhærens ſiue inſiſtens diſtinguat perſonam a perſona, cum hoc non poſſit facere abſolutum commune tribus; igitur relatio inſiſtens conſtituit perſonam. a. 2.

Thomas Caet. reſp. quod perſona conſtituitur relatione vt relatio eſt, non quidem vt exercita, quia ſic ſequitur originem, ſed vt concepta, quia ſic antecedit. q.40. ar.2.

Franc. a Chriſto reſp. quod dicere perſonas diuinas conſtitui per proprietates, aut per modos abſolutos, neque congruit cum litteris ſanctis, neque cum eccleſiæ decretis, neque cum ſententijs patrum; conſtituuntur ergo per relationes, ſed tamen non ſub ratione relatiua, quæ eſt eſſe ad, ſed potius abſoluta, quæ eſt eſſe in, & ratio eſt, quia omne cõſtituens, ſiue ſecundum rem, ſiue ſecundum rationem, debet ineſſe conſtituto. q.4.

Franc. Suar. reſp. quod perſonæ diuinæ in eſſe ſuo perſonali conſtituuntur per relationem, vt relatio eſt; tum quia huius conſtitutionis fundamentum eſt relatio, quæ determinat, & addit aliquid eſſentiæ, tum quia ipſæ perſonæ ſunt formaliter relatiuæ. de Tr. lib.7. c.7.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod accipiendo conſtitui, vt ex quo, ſic diuinæ perſonæ conſtituuntur ex abſoluto, & reſpectiuo .ſ. eſſentia, vt relatione, includit .n. perſona in ſuo quidditatiuo conceptu & eſſentiam, & relationẽ; ſed accipiendo conſtitui, vt quo, quo .ſ. diuinæ perſonæ ſunt in tali eſſe perſonali, quod eſt vnicuique proprium, ſic formaliter ſunt per aliquod reſpectiuum, non per aliquod abſolutum, quod ſe habet per modum for-

mæ, & ſic Pater per paternitatem eſt Pater, Filius per filiationem, Spiritus ſanctus per proceſſionem, his enim nominibus exprimimus earum proprietates, cum alijs careamus, quibus eas intelligimus in eſſe proprio talis perſonæ conſtitui.

Obiectio. Sed ſi ad relationem, ſiue ad quodcunque reſpectiuum præſupponitur abſolutum, vt id quod refertur? quod cum in diuinis non poſſit eſſe eſſentia, cōſequens eſt, vt ſit perſona.

Reſpondetur, quod ad relationem, quæ eſt accidens præſupponitur abſolutum, vt id quod refertur, non ad relationem, quæ eſt ſubſtantia, & conſtitutiua ſuppoſiti, qualis ea eſt, quæ eſt in diuinis.

QVÆSITVM XI.

An perſonæ diuinæ per aliquid ab inuicem diſtinguantur?

d.26. a.1. ALbertus reſp. quod in inferioribus cauſatur diſtinctio hypoſtaſeon per materiam, formam, & ſubſtantiam compoſitam, in ſuperioribus per exiſtentiæ modum, & ille modus exiſtentiæ ſignificatur vt relatio, & vt in relatiuo; & ſecundum quod ſignificatur vt relatio, ſic cauſat in diuinis notiones, ſecundum autem quod ſignificatur in relatiuo, ſic eſt diſtinctiuus hypoſtaſeon.

q.2. a.2. D. Thomas reſp. quod perſonæ diuinæ diſtinguuntur per relationes originis; cum enim principiū omnis diſtinctionis ſit quantitas, vel forma, vt dicit Ariſt. 5. Meth. non poſſunt diſtingui per quantitatem, quam nō habent, nec per formam, cui ſit annexa alia oppoſitio, quam relationis, quia omnis oppoſitio, quæ eſt principium diſtinctionis formalis habet annexam imperfectionem, ſicut oportet in affirmatione, & negatione, priuatione & habitu, & contrarietate, præter oppoſitionem relatiuam; relatione ergo diſtinguuntur.

p.p. q.40. a.2. Et iterum reſp quod in quibuſcunque pluribus inuenitur aliquid commune, oportet quærere aliquod diſtinctiuum; cum itaque tres perſonæ diuinæ conueniant in vnitate eſſentiæ, neceſſarium eſt quærere aliquid, quo diſtinguantur ad hoc, quòd ſint plures, duo autem ſunt, quæ differunt in diuinis perſonis, ſaltem ſecundum modum ſignificandi, origo, & relatio, origo enim ſignificatur per modū actus, vt generatio, relatio verò per modum formæ, vt paternitas, & per huiuſmodi diſtinguuntur, licet tamen prius, & principaliter per relationes, quam per origines.

D. Bonau. reſp. quod perſonæ diuinæ diſtinguuntur per proprietates, non prout proprietates important ſolum habitudinem ipſarum, ſic enim ſolum notificantur diſtinctæ, ſed prout ſecundum communem vſum loquendi important habitudinem, & originem; ſublata enim origine impoſſibile eſt intelligere in diuinis diſtinctionem. q.1.

Aegidius reſp. quod ſicut vnum ſuppoſitū humanū diſtinguitur ab alio per id, in quo nō conuenit cum eo, ita ſuppoſitū diuinū diſtinguitur a quocunque alio ſuppoſito per id, in quo non conuenit cum eo, quod eſt tantum relatio, & ita per relationem perſonæ ad inuicem diſtinguuntur; quæ relatio, cum dupliciter pronunciari poſſit, vel per modum proprietatis, vt paternitas, & filiatio, vel per modum originis, vt generare, & generari, non diſtinguuntur perſonæ per relationem pronunciatam per modum originis, ſed per modum proprietatis, & ratio eſt, quia ſic pronunciata importat relationem, a qua eſt omnis diſtinctio per ſe, & directè, pronunciata verò per modum originis, non niſi per reductionem, ſicut albedo per ſe, & directè importat qualitatem, dealbari vero per reductionem, motus enim eſt in genere per reductionem, vt colligitur ex dictis Ariſt. 3. Phyſ. t. 12. pr. 1. q.2.

Ricardus reſp. quod perſonæ diuinæ diſtinguuntur per ipſas emanationes quaſi per principia effectiua diſtinctionis; per relatiuas autem proprietates quaſi per principia formalia eius. a.3. q.2.

Ioannes Scoti ſententia eſt, eodem diſtingui perſonas, & conſtitui, ſicut itaque non ſatis conſtat, quid conſtituat apud eum, ſic non ſatis conſtat, quid ſimiliter apud eum diſtinguat. q.vn.

Herueus reſp. quod perſonæ diuinæ diſtinguuntur per ſuas proprietates, relatiuas, non tamen vt relationes ſunt, ſed vt proprietates, relatio enim, vt relatio non conſtituit illa, quæ referuntur, ſed potius præſupponit conſtituta, ergo neque diſtinguit, vt relatio, ſed vt proprietas. d.26. a.3.

Durandus reſp. quod omnis diſtinctio alicuius ab aliquo debet fieri per aliquod ſibi intrinſecum, relationes autem, quæ conſiderantur, vt origines, non ſignificantur, vt formæ intrinſecæ perſonis, ſed potius, vt actus progredientes a perſona in perſonam, quaſi via media; conſideratæ verò, vt proprietates ſignificantur vt formæ intrinſecæ perſonis, & immanentes; & ideo perſonæ diuinæ diſtin- q.1.

Digitized by Google

ſtinguuntur per relationes, non vt originis, ſed vt proprietates.

pr.di. q.13. Petrus Aur. reſp. quod perſonæ diuinæ non ſolum diſtinguuntur per relationes, ſed etiam per eſſentiam, cum hæc faciat ad multiplicationem perſonalitatis fundando negationem, & perſeitatem, quæ importatur per illam.

pr.di. q.10. Iacob. Viterb. reſp. quod perſonæ diuinæ diſtinguuntur per omne id, per quod conſtituuntur, conſtituuntur autem eſſentia, relatione, origine; eſſentia radicaliter, & fundamentaliter; relatione completiuè; origine medio modo quia magis formaliter quam eſſentia, & minus quam relatione, igitur & his diſtinguuntur.

d.33. q.8. Adam Godam reſp. quod perſonæ diuinæ primò & adequatè diſtinguuntur ſeipſis, ſunt enim ſimplices, ſimplicia autem ſeipſis diſtinguuntur.

d.26. a.3. Thomas ab Arg. reſp quod perſonæ diuinæ diſtinguuntur per relationes, vt relationes ſunt, relatio enim vt relatio, reſpicit ſuum oppoſitum, & vt ſic diſtinguit ab oppoſito. Item Gerardus, & Guilem. Eſtius.

a.2. Gregorius reſp. quod licet perſonę diuinę cognoſcantur per aliquã propria complexè ſignificantia eſſe diſtinctæ, ſicut Pater, per hoc cognoſcitur eſſe diſtinctus, quia genuit Filium, non tamen diſtinguuntur niſi ſeipſis, & ratio eſt, quia perſonæ diuinę ſunt ſummè, & omnino ſimplices, itaquod nec eſſentia eſt ſimpliciter perſonis, nec aliqua proprietas eſt cogitabilis in perſona ſimplicior, quam ipſa perſona, & per conſequens nullo aliquo modo inter ſe diſtincta includit ipſa perſona.

q.1. Guilelmus Rubion reſp. quod perſonæ diuinæ ſeipſis diſtinguuntur; primò, quia diſtinguuntur relationibus originis, relationes autem originis ſunt idem totaliter cum eis; ſecundò, quia res ſimpliciter ſimplices diſtingui non poſſunt, niſi ſeipſis; tertiò, quia ſi diſtinguerentur alijs a ſe diſtinctis, vel non ſe totis, ſequeretur, & quod in diuinis eſſent plura diſtincta in re extra, quam tria; & quod quælibet perſona eſſet compoſita, quia ex pluribus conſtituta; quartò, quia etiam omnia creata ſimplicia, & compoſita diſtinguuntur ſeipſis, & ſe totis.

d.25. a.2. Alphonſus reſp. quod ex eo, quod perſonæ diuinæ non ſe totis diſtinguuntur, quia non quolibet ſui, ac proinde nec ſeipſis, neque modis, ac proprietatibus abſolutis cum nulla ſit perfectio in vna, quæ non ſit in alis, ſequitur quod tantum proprietatibus relatiuis diſtinguantur.

Michael de Bon. reſp. quod perſonæ diuinæ, diſtinguuntur perſonaliter per proprietates relatiuas, & non abſolutas; ſi enim per relatiuas proprietates non diſtinguerentur, non repugnaret, quod eſſet prima perſona ſinè ſecunda, & ſine quacunque alia, quia nullam neceſſariam habitudinem haberet ad illam. d.26. q.vn.

Marſilius reſp. quod perſonæ diuinæ diſtinguuntur per relationes, & ſimiliter per proprietates, ſed prius diſtinguuntur per relationes, vt relationes, quam per proprietates, vt proprietates, quia relatio importat oppoſitionem relatiuam inter perſonas. q.30. a.4.

Laur. Opim. reſp. quod perſonæ in eſſe reſpectiuo, & perſonali ſeipſis diſtinguuntur, & non per aliquam proprietatem poſitiuam complexè, vel incomplexè intranſitiuè ſumptam, cum per nullam poſitiuam entitatem perſonæ diuinæ ad inuicem diſtinguantur, quia quælibet poſitiua entitas eſt præciſè ratio eſſentialis, & conſequenter nulla propietas eſt poſitiua entitas. d.26.

Ioannes Maior reſp. quod loquendo de diſtinctione identica, Filius ſeipſo diſtinguitur ab omni illo, a quo diſtinguitur; diſtinctione tamen arguitiua per aliquid aliud, & ſic per paternitatem diſtinguitur Pater a Filio, quia ſic cognoſcimus diſcrimen inter Patrem, & Filium. q.vn.

Ioann. a Celaia reſp. quod perſonæ diſtinguuntur proprietatibus non ſolum capiendo proprietates pro re ad extra, ſic enim diſtinguuntur ſe ipſis, & ipſæ ſunt proprietates, ſed etiam capiendo proprietates pro dictionibus importantibus tales proprietates, ad hunc ſenſum, quod mediantibus talibus nominibus poſſumus inferre diſtinctionem perſonarum ad inuicem, nam bene ſequitur, prima perſona eſt Pater, & non Filius, & ſecunda eſt Filius, ſiue filiatio, ergo prima non eſt ſecunda. q.vn.

Michael de Palatio reſp. quod perſonæ formaliter ſuis perſonalitatibus diſtinguuntur, diſtinctio enim earum eſt a forma; diſtinctionis tamen innoteſcentia eſt per earum origines, tanquam a poſteriori. d.26. diſp.1

Ludou. Molina reſp. quod licet promiſcuè dici poſſit perſonas conſtitui, & diſtingui ab inuicem relationibus originis, ſeu actibus notionalibus, originibuſque ipſis, cum in re ſint idem formaliter, ac virtute; quia tamen ſuppoſita diuina frequentius, tam a ſcripturis, quam a patribus ſignificari conſueuerunt nominibus Patris, & Filij, & Spiritus q.40. a.2. diſp.2

Digitized by Google

ritus ſancti, quorum abſtracta ſunt relationes originis, idcirco accommodatius quoque eorum diſtinctio exprimitur per relationes originis.

Reſolutio.

REſpondeo, quod omne, quod eſt, diſtinguitur a quocunque alio, quod non eſt idem cum eo, per id quo eſt, quo non eſt illud, a quo diſtinguitur, ſicut homo diſtinguitur ratione, non ſenſu a Leone, quia homo ratione eſt, non Leo, ſenſu autem eſt etiam Leo, vna ergo perſona in diuinis nõ diſtinguitur ab altera per aliquid abſolutum, quia eodem abſoluto, quo vna perſona eſt, eſt etiam altera, diſtinguitur ergo per aliquid reſpectiuum, aliquo enim reſpectiuo eſt Pater, quo non eſt Filius, & aliquo Filius, quo non eſt Spiritus ſanctus, nam Pater eſt paternitate ſecundum noſtrum modum intelligendi, quo vnumquodque intelligimus eſſe per ſuam formam, Filius filiatione, & Spiritus ſanctus ſpiratione; verum, quia non eſt aliud realiter paternitas a Patre filiatio a Filio, & ſpiratio a Spiritu ſancto, quia in diuinis non eſt diſtinctio realis inter quod, & quo; idcirco dum perſonæ diuinæ intelliguntur diſtingui ad inuicem ſuis quodammodo perſonalibus formalitatibus realiter diſtinguuntur ſeipſis, ſunt enim huiuſmodi perſonales formalitates ipſæ eædem perſonæ realiter ſub tali abſtractione conſideratæ.

Obiectio. Sed ſi eſſentia eſt idem, quod paternitas? ex quo ſi perſonæ propter huiuſmodi identitatem cum proprietatibus diſtinguuntur ſeſe, igitur & eſſentia.

Reſpondetur, quod eſſentia eſt idem realiter, quod paternitas, ſed non præciſè, & conuertibiliter; ex quo bene poteſt aliquid attribui paternitati, & perſonis, & non ipſi eſſentiæ.

QVAESITVM XII.

An relationes, & proprietates per intellectum abſtrahi poſſint a diuinis perſonis?

q. 68. m. 6. §. 2. ALex. reſp. quod non contingit ſignare proprietates in abſtracto, quantum eſt de natura rei, de qua loquimur, ſed quia homo ex proportione ad res creatas intelligens creatorem, non poteſt eum in ſua ſimplicitate intelligere, ex proportione rerum creatarum loquitur de Deo ad infringendam pertinaciam eorum, qui de Deo diſputant ſecundum rationes creaturæ conuenientes, & ideo in primitiua Eccleſia non erant huiuſmodi nomina, ſed pullulantibus hæreſibus a catholicis ſunt inuenta.

d. 26. a. 1. Albertus reſp. quod abſtractio fieri non poteſt niſi duobus modis, vniuerſalis ſcilicet a particulari, vel formæ a materia, ſeu ab eo, in quo eſt, vt in materia; primo modo abſtrahitur commune ab incommunicabili, & non econuersò, & ſic proprietates non poſſunt abſtrahi a perſonis, nec; ſecundo modo, quia proprietates in diuinis non habent ante ſe ſubiectum, vel ſuppoſitum, ſed potius ipſæ ſunt ſuppoſita, quamuis non ſignificentur vt res, ſed vt rationes perſonarum.

d. 26. p. 1. q. 3. D. Bonau. reſp. quod aliquid abſtrahi cõtingit dupliciter, vel abſtractione, quæ habet totum a natura rei, quemadmodum abſtrahitur vniuerſale a particulari, & forma a materia, & ſic nihil eſt in diuinis, quod contingat abſtrahi, vel abſtractione, quæ habet ortum ab intellectu noſtro, & ſic illud contingit abſtrahi in diuinis, quod intelligitur ſub ratione quà ab eo, quod intelligitur ſub ratione quod, vt a Deo deitas, & a Patre paternitas. Ricardus opinionẽ illã magis concordantẽ diuinæ ſimplicitati cenſet, quæ hanc abſtractionem negat.

Reſolutio.

REſpondeo, quod quandocunque intellectus noſter intelligit aliquid, quod eſt, intelligit etiam quo eſt, hoc autem intelligere per ſe, & ad modum formæ per ſe exiſtentis eſt abſtrahere; cum itaque intellectus noſter intelligat quodlibet diuinum ſuppoſitum eſſe quod, intelligit etiam quo; & quoniam hoc quo eſt quandoque intelligit per ſe, & ad modum formæ per ſe exiſtentis, vt paternitatem, filiationem, & huiuſmodi, quæ ſunt relationes, & proprietates, ideo poſſunt abſtrahi relationes, & proprietates per intellectum a diuinis ſuppoſitis.

Obiectio. Sed ſi forma, ſeu id, quod ſe habet per modum formæ relatiuè ſe habet ad id, cuius eſt forma? relatiuorum autem vnum nequit intelligi ſine altero, nec conſequenter abſtrahi.

Reſpondetur, quod forma, ſeu id, quod ſe habet per modum formæ, & id cuius eſt forma ſunt relatiua ſecundum dici non ſecundum eſſe, in quibus relatiuis contingit, quod vnum ſine altero poſſit concipi, vt ſcientia ſine ſciente, grammatica ſine grammatico; & hoc modo poſſunt concipi proprietates, ipſas abſtrahendo a perſonis.

QVAE-

Digitized by Google

QVAESITVM XIII.

An abſtractis per intellectum relationibus a diuinis, poſſint intelligi perſonæ diſtinctæ?

e.4. q.5. GVilel. Antiſiod. reſp. quod duplex eſt abſtractio, alia ſecundum intellectum, alia ſecundum rem, abſtractione ſecundum intellectum abſtracta proprietate, manet perſona, licet nõ ſecundum quod perſona, ſed in vniuerſali .ſ. res; ſicut abſtracta hac differentia rationali ab homine, remanet homo in vniuerſali .ſ. in hoc vniuerſali animal; ſecundum verò abſtractionem ſecundũ rem, impoſſibile eſt, quod perſonalitas, ſiue proprietas abſtrahatur a perſona realiter, cũ perſona ſit ipſa perſonalitas, ſiue proprietas, & maneat perſona.

d.27. a.2. Albertus reſp. quod ſeparatis proprietatibus nihil manet, nec eſſentia, quæ eſt quid commune in perſonis, & non vt determinata a proprietatibus; non enim in diuinis accipiuntur proprietates, vt entia quædam, ſed tantum ſecundum actum diſtinguendi, & perſonæ ipſæ, vt per aliquid diuiſæ.

d.26. q.1. a.2. D. Thomas reſp. quod impoſſibile eſt abſtractis relationibus, & per intellectũ amotis a diuinis, ipſas perſonas intelligere eſſe diſtinctas; primò, quia non eſt in diuinis alia diſtinctio, quam illa, quam cauſant relationes; ſecundò, quia relationes ſunt per ſe ſubſiſtentes, vnde ſicut remota eſſentia non remanet aliquid quaſi recipiens eam, quia eſt ipſamet ſubſiſtens, ita remota relatione per intellectum nõ relinquitur aliquid quaſi ſubſtratum illi relationi, quia ipſamet relatio eſt res per ſe ſubſiſtens.

P.1. q.40. ar.3. Et iterum reſp. quod ſi loquamur de abſtractione, quæ fit ad modum, quo vniuerſale abſtrahitur a particulari, non eſt dubium, quod remotis relationibus remanet quidem in intellectu eſſentia communis, ſed non perſonæ; ſi verò loquamur de abſtractione, quæ fit ad modum, quo forma abſtrahitur a materia, remotis relationibus non perſonalibus manent quidem ſecundum intellectum perſonæ, remoto enim a Patre, quod ſit ingenitus ad huc manet perſona Patris, ſed remotis relationibus perſonalibus non manent, quia huiuſmodi ſunt, quæ diſtinguunt, & ſunt ipſæ perſonæ ſubſiſtentes.

pr.1. q.1. Aegidius reſp. quod duplex eſt modus abſtrahendi, aliquando enim abſtrahitur aliquid ab aliquo, quod eſt vnum per ſe cum illo, vt cum abſtrahitur ſenſitiuo ab intellectiuo, aliquando verò quando abſtrahitur aliquid ab aliquo, quod eſt vnum per accidens cum illo, vt cum abſtrahitur ſubiectum a paſſionibus, & iſte modus abſtrahendi non habet locum in diuinis, ſed alter; vnde non eſt aliud in propoſito abſtrahere, quam intelligere vnam rem ſecundum vnam rationẽ, non intellecta ipſa eadem re ſecundum aliam rationem, quæ intellectio fieri non poteſt, niſi ſecundum hūc ordinem, quod res illa, quæ abſtrahitur ſub vna ratione conſiderata, intelligatur ſe habere per additionem ad ſemetipſam ſecundum aliam rationem conſideratam; & quoniam hæc quatuor, eſſentia, hypoſtaſis, perſona, & Pater habent ad inuicem hunc ordinem, quod hypoſtaſis addit ſuper eſſentiam relationem ſimpliciter, perſona ſuper hypſtaſin addit relationem ſecundum modum .ſ. relationem ad dignitatem pertinentem, & Pater ſuper perſonam addit hoc, quod ad dignitatem pertinet .ſ. paternitatem, ideo ſecundum hunc ordinem prius intelligitur eſſentia, quam hypoſtaſis, deinde perſona, vltimò Pater; igitur & in reſoluendo ordine præpoſtero, non intellecta paternitate, non intelligitur Pater, licet intelligatur perſona, hypoſtaſis, & eſſentia; non intellecta relatione ad dignitatem pertinente non intelligitur perſona, licet intelligatur hypoſtaſis, & eſſentia; non intellecta relatione qualitercunque accepta, non remanet hypoſtaſis, licet intelligatur eſſentia; abſtractis ergo relationibus a diuinis ſecundum intellectum remanet quidem eſſentia, ſed non perſonæ.

Herueus reſp. quod perſonæ diuinæ nullo modo manere poſſunt diſtinctæ, nec ſecundum rem, nec ſecundum intellectum circunſcriptis per intellectum complexum proprietatibus relatiuis, tales enim proprietates ſunt eſſentialia diſtinctiua perſonarum, certum eſt autem quod ablato diſtinctiuo per ſe, & eſſentiali, impoſſibile eſt manere diſtincta; nec ſimiliter per intellectum ſimplicem, quia ſi perſonæ diuinæ accipiantur in ſpeciali vt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus non poſſunt intelligi ſine proprietatibus in ſpeciali, paternitate .ſ. filiatione, & ſpiratione, ſi etiã accipiantur in generali, vt tres naturæ, ſeu tria ſubſiſtentia, quamuis poſſint intelligi ſine proprietatibus in ſpeciali, non tamen poſſunt intelligi ſine proprietatibus diſtinctiuis in generali. a.4.

Petrus Aur. reſp. quod ſicut intellectus poteſt ab indiuiduis alicuius inferioris abſtrahere proprias rationes, & illis abſtractis a.3.

ad

adhuc intelligere indiuidua ſuperioris, vt abſtracta rationalitate ab homine adhuc intelligere poteſt hoc animal, ita poteſt abſtrahere proprietates a ſuppoſitis diuinis, & illis abſtractis adhuc intelligere diſtinctas perſonas, ſub conceptu confuſo trium entium per ſe, perſeitate tertij modi, non tamen ſub aliqua determinata ratione.

q.30. a.3. Marſilius reſp. quod cum abſtractio ſit duplex ſecundum rem, & ſecundum intellectũ loquendo de abſtractione ſecundum intellectum, bene poteſt intelligi perſona non intelligendo relationem, quia relatio ſe habet, vt poſterius reſpectu perſonæ, talis tamen conceptus perſonæ non erit eo modo, quo ponitur in diuinis.

d.26. q.2. a.3. Ioannes de Baſſ. reſp. quod aſtractis relationibus a perſonis non poſſunt perſonæ intelligi diſtinctæ, quantum ad poſitiua connotata per perſonam, quæ ſunt eſſentia, & relatio; quantum autem ad principale ſignificatum, & formale poſſunt intelligi, quod eſt ipſa incõmunicabilitas, eſt enim talis incommunicabilitas vniuoca diuinis, & creatis.

d.25. q.2. Laur. Opim. reſp. quod ſubductis proprietatibus, perſonæ diuinæ non poſſunt ab inuicem diſtingui, nam perſona, & proprietas perſonalis eiuſdem ſunt idem formaliter, & ſic vnum non poteſt eſſe ſine reliquo, nec ex conſequenti diſtingui.

q.40. a.3. Ludou. Molina reſp. quod ſi a perſonis abſtrahantur relationes per modum vniuerſalis ita. ſ. vt concipiatur ſola eſſentia non concipiendo relationes, cognitione ſaltem coſuſa actuali, tunc neque ratio hypoſtaſis, neque perſona manet; ſi verò per modum abſtractionis mathematicæ, vt cum circulus abſtrahitur ab ære ſeorſum concipiendo circulum, & æs, tunc ſi concipiatur proprietas non perſonalis ſeorſum a ratione Patris, manet quidem in Patre ratio perſonæ, ſecus tamen ſi concipiatur proprietas perſonalis.

Reſolutio.

RESpondeo, quod abſtractis per intellectum, ſeu amotis relationibus a diuinis, quæcunque etiam relatiua amouentur; vnumquodque enim relatiuum relatione relatiuum eſt, amotis ergo relationibus a diuinis, ſi intelligantur adhuc remanere perſonæ, remanent vt quædam abſoluta, non relatiua, & quoniam in abſolutis nulla intelligitur eſſe diſtinctio, niſi ſecundum rationem, ſequitur, quod nec poſſunt intelligi ipſæ diuinæ perſonæ diſtinctæ, vt realiter diſtinctę.

Sed ſi dicit D. Auguſtinus quod ſi Pater Filium non genuiſſet, nihil adhuc prohiberet ipſum eſſe ingenitum? eſſet ergo, quia eſſet ingenitus ſublata paternitate. Obiectio.

Reſpondetur, quod intentio D. Auguſtini fuit oſtendere aliam eſſe rationem ingeniti, & aliam paternitatis, per hoc quod ſi tolleretur a Patre, quod eſſet Pater, adhuc tamen eſſet ingenitus, non quidem quantum ad realem exiſtentiam, quia nec Pater eſſet, nec ingenitus, ſed quantum ad noſtrum modum intelligendi huiuſmodi rationes, ſiue relationes diuerſas.

QVÆSITVM XIV.

An ſit ponere vnum ſuppoſitum abſolutum in diuinis?

HEnricus, reſp. quod nihil habet rationem ſuppoſiti, niſi habeat rationem entis determinatè, eſt enim ſuppoſitum habens formam, & habere formam nulli conuenit, niſi per determinatum modum habendi eam, determinatio autem in habente formam, non poteſt eſſe niſi per aliquam rationem fundatam in ipſa forma, forma enim vt forma nullam determinationem habet, quæ ratio in diuinis cum abſoluta eſſe non poſſit, quia cum hæc ſit deitas, deitas illimitata eſt, & indeterminata, igitur neque ſuppoſitum abſolutum poteſt eſſe in eis. Item. Quol. 5. q. 8. Omne ſuppoſitum ab eo dependet, a quo conſtituitur, cum igitur nullum abſolutum dependeat ab aliquo in diuinis, igitur neque aliquod abſolutum ſuppoſitum, poteſt eſſe in eis. a.53. q.6.

Durandus reſp. quod ſuppoſitum tria includit, quod ſubſiſtat per ſe, quod ſit completum vltima completione poſſibili in natura illa, & quod ſit incommunicabile; cum itaque eſſentia diuina, etiam ſi aliquo modo poſſit dici ſubſiſtens, quia tamen non habet ex ſe complementum vltimum formale poſſibile ei, quia tale eſt formaliter per relationem, & eſt pluribus communicabilis, idcirco non poteſt habere rationem ſuppoſiti. d.26. q.1.

Petrus Aur. reſp. quod eſſe in diuinis ſuppoſitum abſolutum poteſt dupliciter intelligi, vel quod diuina eſſentia formaliter ſit huiuſmodi ſuppoſitum per ſeipſam, & ſic eſt falſum, quia diuina eſſentia non eſt aliquid diſtinguibile, vel diſtinctum a tribus, vel quod illa tria ſint abſoluta, quæ ponuntur in Deo, & ſic eſt verum, quia ratio perſonalitatis, & ſubſiſtentiæ eſt ad ſe, tamquam ratio ab- a.4.

abſoluta, quam ipſa diuina ſuppoſita participant.

d. 26. q. 1. a. 2. Franc. Maro reſp. quod & ſi non datur ſuppoſitum abſolutum, cum tria tantum ſint ſuppoſita, eaque relatiua datur, tamen abſolutum indiuiduum, cui primo attribuuntur omnes operationes eſſentiales ad intra, & ad extra, quod eſt hic Deus; & hoc indiuiduum concretum Caetanus appellat non ſuppoſitum, quia ſic eſſent quatuor ſuppoſita in diuinis, ſed quaſi ſemiſuppoſitum; cuius ſententiæ eſt etiam Guil. Varrill. d. 26. a. 2. & Gabriel. Vaſq. diſp. 166. c. 2.

a. 4. Thomas ab Arg. reſp. quod catholicè loquendo non poteſt dari ſuppoſitum abſolutũ in diuinis cum tribus ſuppoſitis relatiuis; vel enim poneret in numerum cum eis, & ſic daretur quaternitas; vel identificaretur, & ſic eſſet communicabile, quod eſt contra rationem ſuppoſiti, & vna perſona eſſet alia, & vni eidéque actus oppoſiti conuenirent; quæ omnia implicant. Item Michael de Bon. q. vn. & Ioan. de Baſſ. q. 1.

a. 4. Gerardus reſp. quod ſi eſſet aliud ſuppoſitum abſolutum in diuinis ab alijs tribus relatiuis ſequeretur; primò, quod relationes perſonales non eſſent cõſtitutiuę ſuppoſitorũ quia iam vnum eſſet ſuppoſitum cõſtitutum; ſecundò, quod relationes oppoſitæ eſſent cõpoſſibiles non ſolum in eodem fundamento, ſed etiam in eodem ſuppoſito; tertiò, quod vnum & idem ſuppoſitum eſſet quod generaret, & generaretur, quæ omnia ſunt inconuenientia.

q. 5. Franc. a Chriſto reſp. quod ſi nomine ſuppoſiti intelligatur ſubſtantia completa, ſubſiſtens, ſingularis, nihil eſt incommodi dare ſuppoſitum abſolutum in diuinis, non tamen ponens in numerum cum ſuppoſitis relatiuis, & eſt hoc ſuppoſitũ Deus, ſiue hic Deus, qui tamen communis eſt communitate reali cum tribus ſuppoſitis relatiuis; cæterum ſumendo ſuppoſitum pro eo, quod eſt quid ſubſiſtens, completum, & incommunicabile, nullum tale abſolutum ponendum eſt in diuinis.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſtante diſtinctione triũ ſuppoſitorum reſpectiuorum in diuinis, impoſſibile eſt, & implicat ponere aliud ſuppoſitum abſolutum, eſt enim de ratione ſuppoſiti per ſe eſſe, ſiue ſubſiſtere & a quocunque diſtingui, de ratione verò abſoluti communicari; & identificari cuilibet, quicquid enim in diuinis abſolutum eſt, id quoque neceſſe eſt omnibus idem eſſe, atque cõmune; cum itaque tria ſint ſubſiſtentia diuina, eaque relatiua, & ab inuicem realiter diſtincta, omnino impoſſibile eſt dari aliud, quod ſit abſolutũ, ſi enim ponit in numerum cum alijs, Trinitati repugnat, ſi verò non, ſed eſt cõmune ſingulis, vel idem cum illis, repugnat rationi ſuppoſiti, & cædit in naturam, ſiue eſſentiam.

Sed ſi eſſentia diuina eſt res ſingularis, a quacunque alia eſſentia diſtincta, & eſt quid abſolutum? Obiectio.

Reſpondetur, quod licet eſſentia diuina ſit res ſingularis, & diſtincta a quacunque alia eſſentia creata, non eſt tamen diſtincta vt per ſe ſubſiſtens a quocunque ſuppoſito diuino, quod eſt de ratione ſuppoſiti.

QVÆSITVM XV.

An liceat de relationibus, proprietatibus, & notionibus contraria opinari?

GVilel. Antiſiod. reſp. quod cum in ſacra ſcriptura non habeamus determinatum de notionibus, licet magiſtris opinari, ſed non aſſerere; ſi enim quis aſſerat de Deo aliquid, quod non ſit determinatum in ſacra ſcriptura, vel quod non ſequatur directè ex fide, mortaliter peccat, quia ſe conſtituit iudicem, & ſupra Deum. Item Alex. Alenſ. q. 68. m. 1. ar. 2. c. 5. q. 3.

Albertus reſp. quod propter difficultatem materiæ, non ex præſumptione, ſed ex ratione hic diuerſa opinantes excuſantur; falſa enim opinio non facit hæreticum, ſed potius aſſertionis, & defenſionis præſumptio. q. 68. m. 1. a. 2.

D. Thomas reſp. quod circa ea, quæ non directè pertinent ad fidem, vt quæ neque adhuc determinauit Eccleſia, an ex his ſequatur aliquid contrarium fidei, licet contraria opinari, dummodo ſic opinantes non intendant ſuſtinere aliquid contrarium fidei, & ſic de notionibus licet contraria opinari, quia neque directè pertinent ad fidem, neque adhuc de ipſis determinauit Eccleſia. p. p. q. 32. ar. 4.

D. Bonau. reſp. quod licet contraria opinari de his, quæ dubia ſunt, an conſequantur ea, quę ſunt fidei, an eis repugnent, & quoniã de notionibus, & proprietatibus multa veniunt in diſputationem, quæ ſunt dubia, an ſint huiuſmodi; ideo de his licet contraria opinari. d. 27. p. 1. q. 4.

Aegidius reſp. quod ſi inter contraria opinantes circa notiones, vel quæcunque diuina aliquis contradicit articulis fidei pecat, d. 33. pr. 2 q. 3.

Digitized by Google

cat, quia fidei contradicit; ſi verò non contradicit articulis fidei expreſsè, nec contrarium eſt determinatum ab Eccleſia, vel ſi eſt determinatum ſic opinans neſcit eſſe determinatum, ſi non cum pertinacia id aſſerat, ſine peccato opinari poteſt. Item Nicolaus de Orbellis.

q 32. a.4. Ludouicus Molina reſp. ſine periculo hæreſis aſſeuerari poſſe, quatuor tantum eſſe notiones, aut ſex, aut etiam plures. Si quis tamen negaret illas quinque rationes in Deo, contra fidem ſentiret, inquit Vaſquez.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſecundum diuerſitatem ingeniorum, licet cuique vti ſuis viribus ad inueſtigandam veritatem, quæ humano diſcurſu haberi poteſt, etiam de diuinis, dummodo citra præiudicium fidei id fiat; cum ergo multa ſint, quæ ad diuinarum relationum, & notionum cognitionem ſpectāt, & circa ea nullum interſit præiudicium fidei, cum adhuc reuelata non ſint, nec ex reuelatis certitudinaliter deducantur (hoc ita diſponente illo, qui vult cogitationes noſtras eſſe timidas, & incertas prouidentiæ noſtræ) ideo licet cuique ſuo ingenio opinari; & quoniam hoc modo contingit etiam quandoque contraria opinari, propterea hoc etiam licet.

Obiectio. Sed ſi de duobus contraria opinantibus neceſſarium eſt alterum dicere falſum, & errare circa notiones? ex errore autem circa notiones, ſequitur error circa perſonas.

Reſpondetur, quod ex errore circa notiones poteſt quis errare etiam circa perſonas, quo ad ea, quæ dubia ſunt, & pro dubijs habentur, vt nondum expreſſa, & determinata ab Eccleſia; circa autem ea, quæ certa ſunt, & diffinita ab Eccleſia nullo modo licet contraria opinari.

DISTINCTIO VIGESIMA SEPTIMA.

Hic quæri poteſt: vtrum proprietates, quas Hilarius ſupra aſſignauit ſcilicet, quod Pater, &c.

QVAESITVM I.

An verbum ſit aliquid in nobis?

d.27. q.2. a.1. D. Thomas reſp. quod in nobis eſt verbum vocis, & eſt etiam verbum, quod habet imaginem vocis, & verbum cordis, verbum vocis in actione corporali conſiſtit, verbum quod habet imaginem vocis in imaginatione, & verbum cordis in intellectu, & hoc non dicit aliud, quā quandam emanationem ab intellectu per modum manifeſtantis, & ſic eſt aliquid in nobis.

Et iterum reſp. quod verbum in nobis quadrupliciter dicitur; primò, & principaliter ipſe interior mentis conceptus; ſecundò, ipſa vox interioris conceptus ſignificatiua; tertiò, ipſa imaginatio vocis, & his tribus modis dicitur verbum propriè; quartò dicitur verbum id quod per verbum ſignificatur, vel efficitur, & hoc modo dicitur figuratiuè. p. p. q 34. a.1.

Aegidius reſp. quod verbum eſt quidam conceptus mentis formatus differens ab ipſo intellectu, a ſpecie intelligibili, ab actu intelligendi, a re intellecta, & a cogitatione, quæ omnia concurrunt ad actum intellectus ex parte ipſius intellectiuæ potentiæ, & ideo eſt aliquid in nobis. pr 2 q 2.

Ricardus reſp. quod eſt verbum ſenſibile in nobis, quod eſt ipſa vox, quæ profertur, eſt etiam verbum imaginabile, quod eſt, cum imaginamur ſonum proferendum, quo noſtrum verbum intelligibile alijs ſignificamus, & eſt verbum intelligibile, quod eſt vel ſpecies intelligibilis, vel ipſa cogitatio intellectus, dicit enim D. Auguſtinus, quod vox eſt ſonus, & index cogitationis, verbum verò ipſa cogitatio. a.2. q.1.

Henricus reſp. quod verbum eſt terminus actionis intellectualis emanans ab intelligēte ſecundum actum manens in ipſo intelligente alterius declaratiuum. a 40. q.7.

Ioannes Scotus reſp. quod verbum in nobis eſt actus intelligentiæ productus a memoria perfecta, non habens eſſa ſine actuali intellectione repreſentans diuinum verbum. q.1.

Durandus reſp. quod verbum in nobis eſt ipſe actus intelligendi; primò, quia verbum vt dicit D. Auguſtinus eſt cum amore notitia, eſt autem notitia actus intelligendi; ſecundò, quia verbo intellectus, correſpondet amor voluntatis, ſicut ergo amor eſt actus voluntatis, ita & verbum actus intellectus. q.2.

Petrus Aur. reſp. quod verbum eſt res in eſſe obiectiuo intentionaliter conſtituta in acie cogitantis, talis enim res in tali eſſe conſtituta eſt illud, quod cogitamus, quo formatur cogitantis intuitus, quod eſt in cōceptu animæ cogitantis, quod dicitur per cogitationem, quod apparet in cogitatione, quod eſt formata cogitatio, quod verè ſcimus, & quod imago eſt in cogitatione impreſ- d.27. p.2.

Digitized by Google

preſſa, & formata, quæ ſunt conditiones, quas D. Auguſtinus attribuit verbo.

d.27. q.1. Franc. Maro reſp. quod verbum non eſt præciſè actus intelligendi, quia actus intelligendi præciſè ſumptus eſt quid abſolutum, verbum autem ad aliud, quia ad verbantem, ſeu dicentem; nec ſimiliter eſt præciſè actus dicendi, quia dicere eſt præciſè reſpectus, & non eſt genitum, verbum autem non eſt præciſè reſpectus, & eſt genitum; ſed eſt verbum actus intellectus cum dictione paſſiua; ſic enim videtur determinare D. Aug. Item Nicolaus de Niſſe.

q.2. Guilem. Occham reſp. quod ſecundum intentionem D. Auguſtini, verbum multipliciter accipitur; aliquando largiſſimè, pro actu intelligendi genito, vel producto; aliquando pro actu complexo, quo alicui aſſentitur, vel diſſentitur; aliquando ſtrictè pro actu iudicatiuo vero, quod natum eſt gigni ex habitu ſcientifico, vel ſaltem vero; aliquando pro vera notitia cum amore prolata; & aliquando pro conceptu mentis.

q.vn. a.2. Gerardus reſp. quod ſex per ordinem debemus imaginari in proceſſu noſtri intellectus; ſpeciem intelligibilem realiter ab actu diſtinctam; actum intelligendi rectum ſimplicem, & imperfectum; conceptum indeterminatum, qui vocatur cogitatio informis; actum intelligendi inquiſitiuum; conceptum explicitum, & formatum, qui eſt terminus actus inquiſitiui, & iſte dicitur verbum; & actum intelligendi explicitum, & perfectum, qui dicitur forma ſpecularis.

q.1. Guil. Rubion reſp. quod ex mente D. Auguſtini verbum poteſt vocari vniuerſaliter omnis actus intellectus, ſiue ſit actus intelligendi ſimplex, vel complexus, & propoſitio in mente formata, ſiue ſit actus aſſentiendi, vel diſſentiendi, vel iudicandi ſequens actum intelligendi complexum.

q.vn. a.2. Ioannes Bacc. reſp. quod verbum eſt actus intelligendi rem productam continens in eſſe intellecto, exiſtens ſimilitudo, & imago rei notæ de qua gignitur.

d.28. q.vn. Michael de Bon. reſp. quod verbum eſt aliquid animæ rationalis, quia eſt eius actualis intellectio rei ab ipſa cognitæ.

d.27. Nicolaus de Orb. reſp. quod propriè in nobis dicitur verbum cognitio diffinitiua ab intellectu producta, vnde D. Auguſtinus lib. 15. de tr. formata cogitatio ab ea re, quam ſcimus, dicitur verbum. Item Varrill.

q.2. Ioannes de Baſſ. reſp. quod verbum eſt perfectio intelligentiæ producta, vel expreſſa a memoria non potens manere ſine actuali cogitatione repreſentatiua verbi diuini ex modo ſuæ productionis.

Franc. a Chriſto reſp. quod nomine verbi mentalis in nobis ſignificatur qualitas quædã in animo inhærens rei, quæ eſt extra animum apud intellectum manifeſtatiuam. q.1.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod verbum communiter, & prima acceptione ſumptum eſt vox litteris, & ſyllabis formata ad aliquid foras exprimendum, & ſignificandum, & hoc dicitur verbum vocis, ſeu verbum exterius. Eſt etiam in nobis verbum interius, quod eſt actus mentis, quo ſibi ipſi loquitur, & aliquid ſibi ipſi exprimit, & pronunciat, & hoc dicitur verbum cordis.

Sed ſi mens ſibi ipſi intelligit? quod autem ſibi ipſi intelligit non indiget, vt ſibi ipſi loquatur. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod iſta locutio non eſt ex indigentia intellectionis, ſed ipſam conſequitur, dum mens conuertitur ad ſe ſuper actum illum.

QVÆSITVM II.

An verbum propriè ſit in diuinis?

D. Thomas reſp. quod verbum vocis, & verbum, quod habet imaginem vocis non ſunt propriè in diuinis, ſed tantum metaphoricè, verbum tamen cordis, quod in intellectu conſiſtit, eſt propriè in eis, immò per prius, quam in nobis. d.27. q.2. a.1.

Et iterum reſp. quod dicitur propriè verbum in Deo, ſecundum quod verbum ſignificat conceptum intellectus; eſt enim propriè huiuſmodi conceptus in Deo. p.p. q.34. a.1.

D. Bonau. reſp. quod ſicut ratio paternitatis per prius reperitur in Deo, quam in creaturis, tamen ipſum nomen tranſlatum eſt a creaturis ad Deum, ita & ratio verbi, quamuis enim per prius ſit in diuinis, quam in nobis, a nobis tamen tranſlatum eſt ad diuina; & hoc propter duo, primum propter ſimilitudinem, quam habet verbum creatum mentis ad Filium, ſecundum propter inſtructionem noſtram, cum enim diuina intelligamus per creata, audientes Patrem, & Filium, dum cogitamus de Patre, & Filio carnali ſubleuemur ad cogitandum generationem ſpiritualem. p.2. q.4.

Aegidius reſp. quod duo ſunt de ratione verbi, veritas, & manifeſtatio, & quoniam in diuinis maximè res ſunt veræ, & ſimiliter ma- pr. 2. q.1.

Digitized by Google

manifeſtantur, tam extenſiuè, quam intenſiuè, ideo eſt in eis propriè verbum.

a. 2. q. 1. Ricardus reſp. quod ſicut eſt in nobis verbum intelligibile procedens a mente noſtra ita in diuinis eſt verbum intelligibile procedens a mente paterna.

q. 3. Durandus reſp. quod cum non ſit aliud verbum, quam actus intelligendi, quoniam talis eſt in diuinis, quia talis actus dicit ſummam, & vltimam perfectionem in omni natura intellectuali, idcirco eſt etiam propriè verbum.

d. 8. c. 3. a. 3. Petrus Aur. reſp. quod verbum eſt res intellecta emanans in omni intellectione in quodam eſſe conſpicuo, & obiectiuo in mẽte, cum itaque in diuinis ſit ſumma intellectio, neceſſariò etiam eſt verbum.

q. 2. Franc. Maro reſp. quod in diuinis eſt verbum, & eſt actus intelligendi non elicitus, ſed innatus, non formaliter, ſed identicè, & non propriè ſed appropriatè, ratione ſuæ emanationis paſſiuæ.

tr. 1. p. 2. a. 2. Nicolaus de Niiſe reſp. quod eſt verbum in diuinis, ſed per appropriationẽ eſt actualis notitia, per proprietatem verò notitia genita, eſt enim proprium verbo eſſe genitum, & ideo totum illud ſimul vnitum notitia genita, eſt ſibi proprium.

de tr lib 9. c. 2. Franc. Suar. reſp. quod verbum in diuinis eſt terminus per ſe primo productus per actum intelligendi recipiens ex vi ſuæ productionis ipſum met intelligere perſonæ producentis, quo conſtituitur in ratione rei repreſentantis intellectualiter obiectum illius intellectionis; & quoniam hæc ſunt quæ, per ſe, & formaliter requiruntur ad eſſe verbi, ideo propriè, & non metaphoricè eſt verbũ in diuinis.

Reſolutio.

RESp. quod de ratione verbi eſt exprimere, declarare, pronunciari, per modum tamen egredientis, & formantis, & terminantis in illud, cui ſit expreſſio, declaratio, pronunciatio; eſt itaque triplex verbum in diuinis, vnum ſecundum quod Deus aliquid exprimit, & declarat ſuis creaturis per ſonos literarum, & ſyllabarum in re corporali formatos, eo modo quo legimus locutum fuiſſe ad Abraham, Moiſem, & alios; & hoc non eſt propriè in Deo, ſed in creaturis, quibus ad illud formandum vſus eſt Deus; alterum, ſecundum quod aliquid exprimit, & declarat non quidem per ſonos litterarum, & ſyllabarum ſenſibiles, ſed intelligibiles, & mentales, mediante .ſ. reuelatione, & interiori locutione ad creaturam intellectualem, eo modo quo legimus plerunque locutum fuiſſe ad ſanctos ſuos, & prophetas, & huiuſmodi verbum, nec ipſum eſt propriè in Deo ſed in ipſis creaturis, quibus fit huiuſmodi reuelatio, & interior locutio; tertium eſt, ſecundum quod Deus ſuper actum ſuum intelligendi conuertitur, & ſibi ipſi pronunciat, & dicit; quod etſi non eſt demonſtrabile eſſe propriè in diuinis, ſic enim etiam poſſet demonſtrari pluralitas perſonarum; ex his tamen quæ videmus in creaturis, & ex his quæ de diuinis perſonis nobis per fidem innoteſcunt, & ex eiſdem deducimus, eſt probabile; eſt enim in diuinis intellectio, notitia, mens, formatio, conceptio, & huiuſmodi, quæ omnia arguunt eſſe verbum in eis.

Sed ſi impropria dicitur locutio ad ſeipſum? cum quis loqui, aut aliquid exprimere non dicatur, niſi ad alterum. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod locutio exterior dicitur impropria ad ſeipſum, quia de ratione eius eſt, vt tendat in alterum, per hoc enim dicitur exterior; ſed interior eſt propriè ad ſeipſum, per hoc enim dicitur interior, quia non tendit in alterum.

QVAESITVM III.

An verbum eſſentialiter dicatur, an verò perſonaliter, ſeu notionaliter, in diuinis?

ALbertus reſp. quod in diuinis eſt tantum vnum verbum, & vnus dicens & hoc non eſſentialiter, ſed notionaliter dicitur, quia verbum eſt notitia formata, nihil autem eſt formatum niſi perſona. tr. 8. q. 39. a. 3.

D. Thomas reſp. quod verbum ex virtute vocabili, & eſſentialiter dicitur, & perſonaliter, verbum enim eſt ſimilitudo, & ſpecies rei intellectæ prout eſt concepta in intellectu, & ordinata ad manifeſtationem, vel ad ſe, vel ad alterum, quæ ſpecies in diuinis poteſt accipi dupliciter, vel ſecundum quod dicit id, quo aliquid formaliter in diuinis diſtinctum ſecundum rationem intelligitur, vel ſecundum quod nominat aliquid diſtinctum realiter ab eo, cuius ſimilitudinem gerit; primo modo dicitur eſſentialiter, ſecundo modo perſonaliter, eſt tamen in vſu apud ſãctos Patres, vt nõ niſi perſonaliter dicatur. d. 27. q. 2. a. 2.

Et iterum reſp. quod cum verbum ſumitur in diuinis, ſumitur propriè, & ſecundum quod ſignificat interiorem mentis conceptũ, & quoniam huiuſmodi conceptus de ſua ratio- p. p. q. 34. a. 1.

tio-

tione habet, quod ab alio procedat, ideo verbum ſignificat aliquid ab alio procedens; cum autem procedere ab alio importet originem, igitur non poteſt niſi notionaliter ſumi. Item Aegidius, Ricardus, Henricus, Thom. ab Argentina, Franciſcus a Chriſto, Franc. Suarez, & Gabriel Vaſquez, quia enim verbum emanationem importat a dicente, idcirco notionaliter tantum ſumi, affirmant.

d. 27. p. 2. q. 1. D. Bonau. reſpondet, quod duplex eſt verbum conceptum, & prolatum, verbum conceptum eſt illud, quod mens dicendo ſe apud ſe concipit per omnia ſimile ſibi, prolatum verò eſt illud, quod dicitur ad alterum iam mente conceptum; verbum quod concipitur in diuinis æternum eſt, & Deus, & non niſi eius perſonæ, cuius eſt concipi, & ideo non niſi perſonaliter dicitur; quod verò dicitur ad alterum temporale eſt, & creatura.

q. 2. Ioannes Scotus reſp. quod concretum idē ſignificat, quod ſuum abſtractum, licet concretum, & abſtractum differant quantum ad modum ſignificandi; idem ergo ſignificat verbum, quod ſuum abſtractum, quod ſi haberet nomen diceretur verbatio, cum itaque verbatio ſignificet relationem formalem, quia idem ſignificat, quod expreſſio paſſiua de intellectu, ita & verbum, quia idem ſignificat, quod notitia actualis, cuius eſt talis expreſſio; & quoniam intellectualiter exprimi conuenit perſonæ, & non eſſentiæ, ideò verbum perſonaliter dicitur, non eſſentialiter. Item Nicol. de Nijſe.

q. 3. Durandus reſp. quod accipiendo propriè, & ex virtute ſermonis verbum non dicitur perſonaliter, ſed eſſentialiter tantum; primo, quia verbum in diuinis non importat realem emanationem, verbi enim a dicente non eſt realis emanatio in diuinis, ſed tantum ſecundum rationem, cum dicere non ſit producere, ſed habere verbum, quæ autem in diuinis perſonaliter dicuntur ſemper important realem emanationem; ſecundò, quia dicere non eſt actus perſonalis, cum conueniat omnibus perſonis, quælibet enim perſona dicit, verbum autem eſt idem, quod dicere, aut ſaltem producitur per dicere; tertiò, quia nihil habet rationem verbi, niſi vt habet rationem manifeſtatiui, hoc autem non conuenit perſonæ ratione perſonæ, ſed ratione eſſentiæ; ex appropriatione tamen perſonaliter dici poteſt, ſicut enim in Trinitate creata, quæ attenditur ſecundum memoriam, intelligentiam, & voluntatem, primum procedens eſt actualis notitia, quæ eſt verbum, vltimum autem amor, ita in Trinitate increata primæ perſonæ procedenti appropriatur nomen verbi, ſicut & vltimę nomen amoris, non autem, quod vna illarum ſit propriè verbum, altera verò amor, nam circunſcriptis quibuſcunque actibus intellectus, & voluntatis, adhuc iſtæ perſonæ eſſent procedentes per actus competentes naturæ, propter ſuam fæcunditatem.

Petrus Aur. reſp. quod verbum dicitur perſonaliter, & nullo modo eſſentialiter, & ratio eſt, quia verbum non eſt aliud in diuinis, quam Deus poſitus in eſſe conſpicuo, obiectiuo, & apparenti, manifeſtum eſt autem, quod nihil habet tale eſſe in diuinis, niſi ſolus Filius, nec realiter, nec ſecundum rationem; non realiter, quia vel eſſet Pater, vel Spiritus ſanctus, vel eſſentia; non Pater quia ſubſiſtit per modum dicentis, non Spiritus ſanctus, quia ſubſiſtit per modum doni, non eſſentia, quia abſtrahit quantum eſt de ſe ab omni modo ſubſiſtendi; non ſimiliter ſecundum rationem, quia tunc apparentia illa eſſet intentionalis, & diminuta, quod eſt inconueniens, ſic enim egeret intellectus diuinus aliquo diminuto. a. 2.

Franc. Maro reſp. quod in diuinis non eſt verbum eſſentiale, quia verbum eſt dictione paſſiua verbum, dictio autem paſſiua eſt proprietas perſonalis; eſt igitur verbum notionale tantum, quod eſt conſtitutum ex eſſentia, & relatione. q. 4.

Gerardus reſp. quod verbum in diuinis ſumitur merè notionaliter; primò, quia verbum cum ſit conceptus formatus eſt terminus alicuius productionis, ea autem, quæ ad productionem pertinent ſunt merè notionalia; ſecundò, quia cum ſit quædam forma ſpecularis perfectè repreſentans illud, cuius eſt verbum, conſequenter eſt quædam formalis expreſſio illius diſtincta realiter ab eo, quæ autem ſunt realiter diſtincta in diuinis ſunt merè notionalia. q. vii. a. 3.

Laur. Opimus reſp. quod in diuinis eſt verbum eſſentiale, & notionale, eſſentiale eſt actualis notitia adæquata de ſua natura in quolibet ſuppoſito diuino, non quidem in eſſe productiuo, ſed perceptiuo; notionale verò eſt actus intelligendi genitus de paterna memoria in ratione cognoſcendi; differt autem vnum ab altero, non quidem realiter, nec eſſentialiter, ſed tantum formaliter, quia eorum diffinitiones quiditatiuæ ad inuicem diſtinguuntur; eſt enim verbum eſſentiale notitia actualis in ſuo eſſe per actum perceptiuum, notionale verò notitia in- d. 25. q. 2.

Digitized by Google

intellectualis per actum gignitiuum.

d.27. q.2. Guilelm. Varill. reſp. quod ſolus Pater in diuinis verbum loquitur, & ſolus Filius eſt verbum; & ideo nullum verbum eſſentiale eſt in eis.

diſp.2 Michael de Pal. reſp. quod verbum, vt diuinis aptatur, quia originem denotat perſonale eſt, non eſſentiale, etiamſi ex primaria inſtitutione non habeat ſignificare perſonalitatem, ſed ſolum dictionem ſignificantẽ.

Reſolutio.

REſpondeo, quod accipiendo verbum, ſecundum quod Deus ſuper actum ſuum intelligendi conuertitur, ſibique ipſi pronunciat, & dicit, ſicut ex ſcripturis habemus, & ſancti patres, & præſertim D. Auguſtinus loquuntur, non eſt niſi vnum in diuinis, illudque notionale tanquam procedens, & exiens ab eo, qui ſibi pronunciat, & dicit, non eſſentiale quoniam nihil eſſentiale in diuinis poteſt eſſe procedens, aut exiens, cum proceſſio, & exitus arguat diſtinctionem realem, quæ in eſſentialibus eſſe non poteſt; ex quo etiam ſi verbum eſſet eſſentiale, & procederet ab eſſentiali, realiter diſtingueretur ab eſſentiali, & conſequenter creatura eſſet, non Deus.

Obiectio. Sed ſi quælibet diuina perſona, vt intelligens poteſt ſe ſuper actum ſuum intelligendi conuertere, ſibique pronunciare, & dicere?

Reſpondetur, quod bene quælibet perſona eſt intelligens, ſed non cuilibet competit ſuper actum ſuum intelligendi ſe conuertere, ſibique pronunciare, & dicere, nam talis actus eſt actus notionalis, vni tantum perſonæ adæquatè, & completè conueniens.

QVAESITVM IV.

An dicere ſumatur eſſentialiter, an verò notionaliter in diuinis?

d.27. q.2. D. Bonau. reſp. quod dicere idem eſt quod loqui, loqui autem eſt dupliciter, ad ſe, & ad alterum, loqui ad ſe notionaliter dicitur, ſicut concipere verbum, ad alterum verò eſſentialiter, ſicut proferre verbum.

a.40. q.7. Henricus reſp. quod dicere verbum ſecundum ſe ſoli Patri conuenit, dicere verbo, cuilibet naturæ intellectuali actualiter intelligenti ipſum verbum, & hoc eſt eſſentialiter dicere.

d.32. q.2. Ioannes Scotus reſp. quod dicere vno modo accipitur eſſentialiter, & ſic quælibet perſona formaliter dicit, & nulla dicit alia ablatiuè; alio modo accipitur perſonaliter, & ſic denotatur ſignificare illam relationem originis, quæ eſt gignentis, ad genitum, & hoc modo ſolus Pater dicit, non quidem verbo, ſed verbum; alio modo ſignificat declarare, & hoc, prout declarare conuenit alicui formaliter, & ſic verbum dicit omnia declarabilia, & ſeipſum ſeipſo formaliter, & ſic etiam eſt eſſentiale, appropriatur tamen Filio; alio modo ſignificat etiam declarare, ſed non prout conuenit alicui formaliter, ſed principiatiuè, & hoc modo Pater dicit verbo, & ſic principale ſignificatum eius eſt eſſentiale, connotat tamen notionale.

d.27. q.3. Durandus reſp. quod dicere conuenit omnibus diuinis perſonis, & cadit ſuper creaturam, ſicut ſuper perſonam diuinam, & reflectitur etiam ſuper perſonam dicentem, quælibet enim perſona dicit ſe, & aliam, & creaturam; & quoniam nullus actus notionalis eſt huiuſmodi, ideo dicere non eſt actus notionalis, ſed tantum eſſentialis.

a.3. Petrus Aur. reſp. quod dicere, vt ſumitur ad intra eſt æquiuocum, quandoque enim ſumitur pro exprimere, & formare verbum, & ſic eſt notionale, & conuenit ſoli Patri, quandoque pro recipere verbum, & intueri, ſeu intelligere, & ſic eſt eſſentiale, & conuenit cuilibet perſonæ, quælibet enim perſona verbum recipit obiectiuè, & intuetur, ac intelligit.

d.32. a.5. Franc. Maro reſp. quod dicere ſumitur dupliciter, eſſentialiter, & ſic dicit D. Aug quod Pater ſeipſum dicit, & perſonaliter, quod eſt per modum intellectus producere, quod non conuenit niſi Patri.

p.2. tr.1 q.31. Nicolaus de Nijſe reſp. quod dicere ſumitur tripliciter, merè notionaliter, & ſic dicere eſt gignere verbum; eſſentialiter, & ſic idem eſt, quod intelligere; tertiò, mixtim eſſentialiter, & notionaliter, & ſic ſignat gignitionem verbi, & hic eſt reſpectus realis; & reſpectum declaratiui, & hic eſt rationis.

q.37. ar.2. Ludou. Molina reſp. quod dicere duobus modis ſumitur; vno, vt ſignificat idem quod producere, & generare verbum, & hoc modo eſt merè notionale in diuinis; alio modo vt eſt idem, quod dicendo primo modo exprimere, & ſignificare res verbo dictas, & expreſſas, & hoc modo in obliquo tantum dicit actum notionalem tanquam quid præſuppoſitum, in recto verò dicit exprimere, repreſentare, quod eſt quodam rationis.

Franc. Suar. reſp. quod ſicut verbum in di-

diuinis perſonaliter tantum dicitur, ita etiã dicere, quod eſt verbum producere.

Reſolutio.

RESpondeo, quod dicere eſt idem, quod producere, ſeu formare, vel proferre verbum, dupliciter autem dicitur Deus proferre verbum, vel vt ad creaturas exiens, vel vt ad ſeipſum; primo modo ſumitur eſſentialiter, quia ſecundum huiuſmodi actum nulla diſtinctio realis eſt inter diuinas perſonas; ſecundo modo verò notionaliter; nam per huiuſmodi prolationẽ eſt diſtinctio realis in diuinis.

Obiectio. Sed ſi eſt vnum tantum verbum in diuinis, illudque non eſſentiale, ſed notionale tantum?

Reſpondeo, quod licet ſit vnum tantum verbum in diuinis, non eſt tamen vnum dicere, nam aliud eſt dicere, quod eſt ipſum proferre, vt exiens ad creaturas, & aliud, vt exiens ad ſeipſum; hoc itaque eſt notionale, illud verò eſſentiale, quæ tamen non diſtinguuntur realiter, ſed tantum ſecundum rationem.

QVÆSITVM V.

An ſoli Filio in diuinis conueniat eſſe verbum?

d.10. a.3. ALbertus reſp. quod ſicut duo nomina habemus ex parte Spiritus ſancti, quorum vnum conuenit ei propriè .ſ. Spiritus ſanctus, alterum appropriatè .ſ. amor, ita duo ex parte Filij, propriè Filius, appropriatè verbum.

Et diſ. 27. ar. 5. verbum dicitur tripliciter, vno modo ſecundum quod conuertitur cum dicto manifeſtante intellectum dicentis, & ſic dicitur generaliter reſpectu cuiuſcunque dicentis; alio modo ſecundum quod addit ſuper hoc proceſſionem, & diſtinctionem perſonalem a dicente, & ſic non conuenit niſi Filio, & dicere non niſi Patri; tertio modo ſecundum quod addit ſuper hæc duo reſpectum ad creaturas, & ſic ſignificat perſonas, & notat eſſentiam.

d.27. q.2. a.2. D. Thomas reſp. quod ſi verbum perſonaliter ſumitur, ſoli Filio conuenit in diuinis, quia ſoli Filio conuenit procedere per modum intellectus.

Et in p.p. q. 34. ar. 2. verbum ſignificat quandam emanationem intellectus, & quoniam ſolus Filius ſecundum huiuſmodi emanationem procedit, ideo ſolus Filius dicitur verbum. Item Aegidius, Ricardus, Nicol. de Orbellis. Et Occham Omne (inquit) verbum eſt, genitum, ſolus Filius eſt genitus ergo ſolus Filius eſt verbum.

Henricus reſp. quod aliquid alicui ſoli perſonæ conuenire dicitur tripliciter; vno modo, quia eſt conſtitutiuum, & diſtinctiuum perſonæ eius ab alijs, & ſic ſoli Filio conuenit eſſe genitus; alio modo quia eſt conſequens ipſum ratione eius, quod eſt cõſtitutiuum illius, & ſic ei eſt proprium eſſe imago; tertio modo, quia eſt idem ipſi ſecundum rem, licet differat ſecundum rationem, & ita ſoli Filio conuenit eſſe verbum. *a.59. q.4.*

Durandus reſp. quod ſicut amor non propriè, ſed appropriatè dicitur de Spiritu ſancto, ita etiam verbum non propriè, ſed appropriatè dicitur de Filio, cum ſit prima perſona procedens in Trinitate increata, ſicut verbum eſt primum procedens in trinitate creata. *d.27. q.3.*

Petrus Aur. reſp. quod ſi Filius non eſſet verbum propriè, & non emanaret per aliquem modum pertinentem ad intellectum, non tantum defatigarentur doctores ſancti in venando rationem verbi in diuinis ex ratione verbi in nobis. *a.2.*

Ioannes de Baſſ. reſp. quod eadem perſona vt producta in eſſe ſubſtantiali per generationem in natura viuente a producente viuente eiuſdem naturæ, dicitur Filius; ſed vt producta in natura intellectuali ſubſiſtente per virtutem memoriæ ab aliquo eiuſdem naturæ dicitur verbum in diuinis, conuenit ergo Filio ita eſſe verbum, ſicut conuenit eſſe Filius. *q.2.*

Nicolaus de Nijſe reſp. quod verbum idẽ ſignificat realiter cum ſuo abſtracto, quamuis ſub alio modo ſignificandi; & quoniam abſtractum verbi, quod poteſt dici verbatio ſignificat expreſſionem ab intellectu dicente, intellectualiter autem exprimi eſt proprium Filio, igitur & eſſe verbum. *tr. 1. p.2. q.2.*

Guilel. Varrill. reſp. quod illud ſolum eſt verbum, quod emanat modo perfectæ conformitatis, cum igitur ſolus Filius in diuinis ſic emanet, ſequitur quod ſolus Filius in diuinis eſt verbum. *a.2.*

Guilel. Eſtius reſp. quod ſoli Filio conuenit hoc nomen verbi; tum quia procedit a Patre, ſicut verbum per modum conceptus procedit a mente; tum verò quia ſicut verbo noſtro interno eſt aptitudo naturalis ad manifeſtandum ſe ipſum per externum, ita ſolus filius tanquam internum verbum ſeipſum per carnem manifeſtauit. *§.7.*

q. 34. a. 1. diſp. vn. Ludouicus Molina reſp. quod verbum eſt quippiam productum intelligendo, tanquam imago rei cognitæ, cum igitur in diuinis ſolus Filius ſit quid intelligendo productum tanquam imago obiecti primarij, nempe ſubſtantiæ Patris, ſit, vt ſolus Filius in diuinis ſit propriè verbum.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut dictum eſt, in diuinis eſt vnum tantum verbum, quod cum ſit de ſui ratione, vt procedat, Pater eſſe non poteſt, quia Pater a nullo procedit, neque ſimiliter poteſt eſſe Spiritus ſanctus, quia proceſſio verbi eſt proceſſio prima, in qua producens primum ſibi ipſi loquitur antequam ad aliam proceſſionem procedat, Spiritus ſancti autem proceſſio, non eſt proceſſio prima, & ideo non poteſt eſſe proceſſio verbi; quia ergo Filij proceſſio, eſt proceſſio prima, in qua ſ. Pater adæquatè, & completè ſibi ipſi loquitur, & format verbum, igitur ſoli Filio conuenit eſſe verbum in diuinis.

Obiectio. Sed ſi dicit D. Baſilius lib. 5. con. Eun. c. 11. quod Spiritus ſanctus eſt verbum Filij?

Reſpondetur, quod D. Baſilius impropriè, & figuratiuè eſt locutus, prout verbum alicuius dici poteſt omne illud, quod eſt manifeſtatiuum eius, vt ſic ea ratione dicatur Spiritus ſanctus verbum Filij, quia ipſum manifeſtat. Ita D. Thomas.

QVAESITVM VI.

An nomine verbi in diuinis importetur reſpectus ad creaturam?

tr. 8. q. 35. a. 2. ALbertus reſp. quod ſi accipiatur verbum in proprietate illius, qua Pater dicit ſe verbum ſuum producendo ex ſe ipſo, non refertur niſi ad dicentem, ſicut Filius ad Patrem; ſi verò accipiatur, vt notitiæ verbum, ſic Pater non dicit verbum tantum, ſed omnia, quæ ſunt in notitia dicit in verbo, & ſic verbum refertur ad creaturas, ſicut & notitia.

d. 27. q. 2. a. 3. D. Thomas reſp. quod ſi conſideretur verbum ſecundum ordinem manifeſtationis ad alterum, ſic ſemper nomine verbi importatur reſpectus ad creaturam, talis enim manifeſtatio diuini intellectus eſt per eductionem creaturarum; ſi verò conſideretur ſecundum ordinem manifeſtationis ad ſe, ſic poteſt cõſiderari dupliciter, vel vt conſequitur intuitum diuini intellectus, prout res quædam eſt, & ſic nomine verbi non importatur aliquis reſpectus ad creaturam, vel vt conſequitur intuitum diuini intellectus, prout ſimilitudo eſt, & exemplar omnium, & ſic nomine verbo importatur reſpectus ad creaturam.

Et iterum reſp. quod ſicut Deus vno actu & ſe, & omnia intelligit, ita eſt vnum tantum verbum, quod eſt expreſſiuum ſui, & creaturarum; ſed ſicut ſcientia Dei eſt Dei cognoſcitiua tantum, creaturarum autem cognoſcitiua, & factiua, ita verbum Dei, eius, quod in Deo Patre eſt, eſt expreſſiuum tantum, creaturarum verò eſt expreſſiuum, & operatiuum. Item Ricardus. p. p. q. 34. a. 3.

D. Bonau. reſp. quod ideo mens noſtra non poteſt habere vnum tantum verbum, quia nec ſimul, nec vno, nec eodem cognoſcit ſe, & alia a ſe; mens autem diuina Patris, quia vno, & eodem cognoſcit ſe, & omnia alia a ſe, quorum principium eſt, ideo vnum tantum verbum habet, quod eſt ſimilitudo eius imitatiua, rerum exemplatiua, & operatiua, & ita verbum vltra reſpectum, quem habet ad dicentem, habet etiam reſpectum ad omnes creaturas, ſi non actu, habitu. p. 2. q. 2.

Aegidius reſp. quod nomine verbi in diuinis non ſolum importatur reſpectus ad Patrem, vt ad illum, qui verbum dicit, & dicitur, ſed etiam ad creaturam vt ad illam, quæ eodem verbo dicitur, vno enim, eodemque verbo, vt dicit D. Anſelm. Pater dicit ſeipſum, & quæcunque fecit, licet tamen reſpectus, qui importatur ad Patrem ſit reſpectus realis, & in actu, qui verò importatur ad creaturam ſit rationis tantum, & in habitu; dicitur autem creatura verbo tripliciter, vt in eo repreſentatur, & vt per ipſum, & in ipſo fienda diſponitur, & vt in ipſo eſt tanquam in operatiua potentia. pr. 2. q. 4.

Ioannes Scotus reſp. quod nomine verbi in diuinis primo per ſe, & præciſè importatur reſpectus notitiæ expreſſæ ad perſonam exprimentem, & talis eſt reſpectus realis ad Patrem, ex connotato autem importatur reſpectus etiam ad creaturam, quoniam nomine verbi connotatur notitia perfecta, quæ reſpectum habet ad omnia cognita per eam, ſed talis reſpectus eſt reſpectus rationis. q. 3.

Petrus Aur. reſp. quod verbum ſecundũ ſuam propriam rationem non importat aliquem reſpectum ad creaturas, neque ſecundum rem, neque ſecundum rationem, non ſecundum rem, quia nulla perſona diuina ad creaturas realiter refertur, non ſecundum rationem, quia etiam circumſcripto omni ar. 3.

actu

Digitized by Google

actu intellectus, adhuc verbum manet in diuinis ſecundum ſuam propriam, & realem rationem; ſed cum ſit apparitio declaratiua earum, creaturæ enim exprimuntur, & dicuntur verbo, connotat eas.

d.27. q.4. Franc. Maro reſp. quod verbum diuinum habet actualem reſpectum ad creaturas ſecundum eſſe actualis exiſtentiæ, quod habent in potentia obiectiua, & ſimiliter habet reſpectum diſtinctionis, vel identitatis, ſecundum eſſe, quod habent in intellectu diuino, .ſ. exemplariter, & in diuina voluntate .ſ. virtualiter.

q.1. Guilel. Occham reſp. quod verbum eſt realiter Filius in diuinis, nec includit, nec connotat reſpectũ, nec etiam connotat creaturam, hoc nomen tamen verbi cõnotat creaturam, ſed hoc non eſt ex natura, ſed ex impoſitione nominis, vnde in ſua diffinitione exprimente quid nominis ponitur nomen creaturæ in obliquo, cum dicitur, verbum diuinum eſt perſona genita de ſcientia, quæ eſt Dei, & omnium creaturarum tanquam obiectorum.

q.3. a.2. Ioannes de Baſſ. reſp. quod verbum nullum dicit reſpectum pertinentem intrinſecè ad perſonam verbi, vel Filij, niſi reſpectum ad Patrem dicentem; vnde de ſuo principali ſignificato nullum etiam ſecundum rationẽ dicit reſpectum ad creaturas.

tr.1. p.2. p.2. q.2. Nicolaus de Nijſe reſp. quod hoc nomen verbum connotat notitiam actualem, & ideo connotat etiam reſpectum ad omnia, quæ concernit illa notitia tanquam obiecta primaria, aut ſecundaria.

d.25. diſp.2 Michael de Pal. reſp. quod Filius, & verbum in hoc differunt, quod Filius nullum præſefert reſpectum ad creaturas, at verbum vt manifeſtatorium creaturarum ad illas reſpectum habet rationis, non realem.

q.3. Franc. a Chriſto reſp. quod duplex eſt relatio in verbo, vna ad dicentem, per quã conſtituitur in eſſe perſonali, altera ad res dictas, & manifeſtatas, quæ eſt relatio expreſſiui ad expreſſum; ſub qua ratione dicitur verbum illarum rerum, vt procedens de cognitione illarum, & earundem manifeſtatiuum.

ſ.6. Guilel. Eſtius reſp. quod verbum diuinũ, & quatenus ſpeculatiuum eſt, & operatiuum, & quatenus actiuum, & quatenus internum reſpectum habet ad creaturas.

Reſolutio.

RESpondeo, quod nomine verbi duplex importatur reſpectus, vnus ad perſonã dicentem, ſeu producentem verbum, alter ad id, quod notificatur verbo, eſt enim de ratione verbi, vt aliquid notificetur per ipſum, cum itaque in diuinis ſolus Pater ſit dicens, & producens verbum, ad ipſum quoque ſolum nomine verbi importatur primus reſpectus, quia tamen non ſolus ipſe, ſed etiam reliquæ diuinæ perſonæ, & etiã creaturæ omnes notificantur ipſo verbo, cum enim diuinum verbum ſit infinitum nihil eſt notificabile, quod vel ſibi ipſi proferenti, vel alteri non notificetur per ipſum; idcirco verbum & ad diuinas perſonas, & ad omnes creaturas hunc ſecundum reſpectum habet, qui ſcilicet eſt notificantis ad notificabile, ſeu notificatum.

Sed ſi nomina in diuinis, quæ dicunt reſpectum ad creaturas, vt gubernator, creator, & huiuſmodi dicuntur ex tempore? verbum autem dicitur in diuinis ab æterno. Obiectio.

Reſpondetur, quod eſt quidam reſpectus ad creaturas, qui conſequitur actionem Dei in exteriorem effectum tranſeuntem, vt creare, gubernare, & huiuſmodi, & nomina, quæ important talem reſpectum dicuntur de diuinis ex tempore; ſed eſt etiam quidam reſpectus, qui conſequitur actionem manentem in agente, vt ſcire, & velle, & talem reſpectum importat verbum. Ita D. Thomas.

QVAESITVM VII.

An ſit aliquid in diuinis, cui conueniat nomen, & ratio imaginis?

D. Thomas reſp. quod imago poteſt dici de eſſentia, & de perſona; de perſona, vt imago ſumitur pro eo, quod imitatur aliquid, quia vna perſona imitatur alteram, inquantum præſupponit illam ſibi ſecundum ordinem naturæ; de eſſentia verò, vt imago ſumitur pro eo, in quo ſit imitatio, duplex enim ſit imitatio in eſſentia, vna perſonæ ad perſonam, ſecundum quod Filius in eſſentia, quam habet a Patre imitatur Patrem, alia creaturæ ad creatorem; inquantum creatura imitatur creatorem, licet imperfectè, ſecundum aliquam ſimilitudinem bonitatis ipſius. d.28. q.2. a.1.

Ricardus reſp. quod accipiendo imaginẽ communiter pro eo .ſ. ad cuius imitationem alterum producitur, ſic dicitur in diuinis de eſſentia, & ſimiliter de perſonis, quoniam ad earum imitationem facta eſt rationalis creatura; accipiendo vero imaginem propriè, pro re .ſ. ad alterius imitationem producta, ſic dicitur de perſona. a.3. q.1.

q. 3. Durandus reſp. quod imago eſt aliquid productum ad imitationem alterius, cuius eſt imago, & ideo ſi propriè accipiatur de nullo diuino poteſt dici, quia neque reſpectu creaturæ, cum nihil diuinum ſit productum ad imitationem creaturæ; neque de aliqua perſona reſpectu alterius, cum imago importet ſimilitudinem, ſimilitudo autem non poteſt eſſe inter diuinas perſonas, niſi ſm̃ eſſentiã; ſm̃ eſſentiã autẽ perſonę diuinæ habent identitatem, non propriè ſimilitudinem; non ergo de diuinis poteſt dici propriè accepta imago; ſi verò accipiatur non vt propriè importat ſimilitudinem, ſed pro ſumma conuenientia in vna forma, & natura, ſic de aliqua perſona poteſt dici.

de tr. lib. 9. c. 8. Franc. Suar. reſp. quod imago eſt ſimilitudo ab aliquo expreſſa; cum autem in diuinis ſit verbum, quod procedit a Patre, & procedat illi ſimilis in natura ex vi ſuæ proceſſionis, idcirco in diuinis eſt aliquid cui conuenit nomen, & ratio imaginis. Item Vaſquez diſp. 145. c. 3.

Reſolutio.

RESpondeo, quod nomine imaginis communiter intelligimus omne illud, quod aliquid repreſentat ſecundum ſimilitudinem de ipſo expreſſam; atque ita ad rationem imaginis requiruntur tria, repreſentatio, ſimilitudo, & expreſſio; cum itaque tam apud ſanctos Patres, quam in ſcripturis ſacris legamus hæc omnia de diuinis, neceſſe eſt quoque vt fateamur eſſe aliquid in eis, cui conuenit nomen, & ratio imaginis.

Obiectio. Sed ſi imago eſt alienæ naturæ ab eo, cuius eſt imago? nihil autem eſt alienum ſecundum naturam in diuinis.

Reſpondetur, quod imago eſt alienæ naturæ ab eo, cuius eſt imago in artificialibus, non naturalibus; vnde ſi imago Cæſaris eſt alienæ naturæ a Cęſare, hoc eſt, quia eſt imago ſm̃ artem, non eſt tamen alienæ naturæ Filius a Patre quia eſt ſecundum naturam, & huiuſmodi eſt imago, quæ eſt in diuinis.

QVAESITVM VIII.

An hoc nomen imaginis cum dicitur de diuinis ſumatur eſſentialiter, an verò perſonaliter?

d 27. a. 2. ALbertus reſp. quod imago quandoque dicit repreſentationem principij operantis in diuerſitate naturæ, & ſic in diuinis dicitur eſſentialiter, quia dicit eſſentiam vnam in tribus perſonis; quãdoque verò dicitur imago principij in eadem eſſentia exprimentis ſe in ſimili ſecundum naturam, & ſic dicitur perſonaliter.

D. Thomas reſp. quod imago propriè accepta pro eo, quod imitatur alterum, quia ſic præſupponit ordinem ad aliquod principium, perſonaliter dicitur; accepta autem pro eo, in quo eſt imitatio ſecundum quod iſta imitatio eſt perſonæ ad perſonam, in recto ſignificat eſſentiam, in obliquo denotat perſonas, ſecundum autem quod iſta imitatio eſt creaturæ ad creatorem imago ſignificat eſſentiam, & connotat reſpectum ad creaturam, quæ ipſam imitatur. d 28. q. 2. a. 2.

Et iterum reſp. quod de ratione imaginis eſt ſimilitudo, & non quælibet ſimilitudo, ſed quæ eſt in ſpecie rei, vel ſaltem in aliquo ſigno ſpeciei, & etiam origo; & quoniam ea, quæ important originem in diuinis dicuntur perſonaliter, ideo & imago dicitur perſonaliter. Item Franciſcus a Chriſto, & Nicolaus de Nijſe. p. p. q. 35. a. 1.

Aegidius reſp. quod propriè loquendo imago in diuinis non ſumitur eſſentialiter, quia ſi ſic ſumeretur diceretur de diuina eſſentia, eſſentia autem non poteſt dici imago, quia nec reſpectu ſui, nec reſpectu diuinarum perſonarum, nec reſpectu creaturarum; non reſpectu ſui, quia de ratione imaginis eſt imitari id, cuius eſt imago, & ab ipſo realiter diſtingui, nihil autem imitatur ſeipſum, nec a ſeipſo realiter diſtinguitur; non reſpectu diuinarum perſonarum, quia ſimiliter ab ipſis realiter non diſtinguitur, ſed ſecundum rationem; non reſpectu creaturarum, quia diuina eſſentia non imitatur creaturas, ergo tantum perſonaliter ſumitur, quia ſolum inter diuinas perſonas inuenitur quod vna ſit expreſſa, & producta ad ſimilitudinem alterius, & vna habeat realem relationem, & diſtinctionem ad aliam, oportet enim imaginem referri, & habere quendam ordinem, & quandam imitationem reſpectu eius, cuius dicitur imago, cum imago ſit, cuius generatio eſt per imitationem; largè tamen loquendo, & accipiendo imaginem pro eo, ad cuius imitationem alterum dicitur, ſic diuina eſſentia imago dici poteſt, vnitas enim eius, & Trinitas perſonarum eſt quodam exemplar, ad cuius ſimilitudinem facta eſt rationalis, & intellectualis creatura. pr. 2 q. 2.

a. 5. q. 1. Ricardus reſp. quod accipiendo imaginem communiter, quandoque dicitur eſſentialiter tantum, vt cum dicitur de eſſentia, quando-

doque eſſentialiter, & perſonaliter ſimul, vt cum dicitur de eſſentia, & perſonis; accipiendo verò propriè non niſi perſonaliter dicitur, quia ſic de ſola perſona dicitur in diuinis.

q 3. Durandus reſp. quod imago prout ſumitur in diuinis dicitur ſolum perſonaliter, & non eſſentialiter, & ratio eſt, quia imago eſt aliquid productum ad alterius imitationem, eſſe autem productum non niſi perſonaliter dicitur in diuinis.

d 27. Ioannes de Baſſ. reſp. quod imago dicitur
a.3. tripliciter; primo, id, ad cuius ſimilitudinem, vel imitationem dicitur aliquid produci; ſecundò, illud, quod producitur in identitate naturæ; tertiò, quod non ſolum ſimile, vel idem in natura producitur, ſed per modum ſimilis; primo modo itaque ſumitur eſſentialiter, ſecundo & tertio, perſonaliter, nam ſecundo modo ſecundum græcos conuenit Filio ſimul, & Spiritui ſancto, ſecundum latinos autem ſoli Filio, & ſimiliter tertio modo.

Reſolutio.

RESpondeo, quod hoc nomen imaginis importat cum repreſentatione ſimilitudinem, & expreſſionem, & conſequenter realem diſtinctionem, nihil enim eſt alteri ſimile, & expreſſum ab eo, repreſentatiuumque illius, niſi cum hoc, quod in aliquo conueniat cum illo, & ab ipſo, vel formaliter, vel realiter diſtinguatur; cum itaque nulla ſit in diuinis, aut realis, aut formalis diſtinctio quo ad ea, quæ eſſentialiter dicuntur, ſequitur quod imago non niſi perſonaliter dicitur, vt ſumitur in eis.

Obiectio. Sed ſi dicit D. Aug. in lib. De Fide ad Petr. quod vna eſt ſanctæ Trinitatis diuinitas & imago, ad quam factus eſt homo?

Reſpondetur, quod D. Aug. vtitur eo loco nomine imaginis pro exemplari, eo .ſ. ad cuius ſimilitudinẽ aliquid procedit, quomodo etiam dicitur in libro Geneſis. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinẽ noſtram; non pro eo, quod procedit ad ſimilitudinem alterius, vt in propoſito.

QVAESITVM IX.

An ſoli Filio conueniat eſſe imago, ſecundum quod perſonaliter ſumitur in diuinis?

tr. 8. q 35. m.2. ALbertus reſp. quod ſolus Filius ex ipſa ratione ſuæ emanationis ex Patre, cum emanatio illa ſit naturæ, habet, quod ſit imago Patris inuiſibilis, conuenientia proprietatum principij ad Patrem intellectualiter figuratus.

D. Thomas reſp. quod cum de ratione d.28.
imaginis ſit ſimilitudo, & æqualitas, ſoli Fi- a.3.
lio in diuinis conuenit eſſe imago, quia hoc q.2.
ex ratione ſuæ proceſſionis habet, quod producatur ſimilis, & æqualis Patri, & inquantum procedit vt Filius, quia Filius dicitur ex hoc, quod habet naturam Patris, & inquantum procedit vt verbum, quia verbum eſt ſimilitudo quædam in intellectu rei intellectæ; quia enim procedit per intellectum (inquit Molina) producitur ad imitationem ſubſtantiæ Patris, quæ in ratione ſpeciei intelligibilis concurrit ad diuini verbi productionem.

Et in p. p. q. 35. ar. 2. dicit quod doctores Latini ſoli Filio attribuunt nomen imaginis, quia non inuenitur in Canonica Scriptura, niſi de Filio dictum.

Aegidius reſp. quod ſunt tres rationes, pr.2
quibus probari ſolet, quod ſolus filius in q.3.
diuinis ſit imago, & non Spiritus ſanctus; prima, quia producit perſonam, & conuenit in notione cum Patre, non autem Spiritus ſanctus; ſecunda, quia procedit ab vno, Spiritus ſanctus autem a duobus, propriè autem vnum eſt imago vnius, non vnum plurium; tertia, quia ex ſuo modo procedendi habet, quod ſit ſimilis Patri, quia procedit vt Filius, Spiritus ſanctus autem procedit, vt amor, quæ rationes licet ab aliquibus impugnentur, ſunt tamen bonæ, & propoſitum concludunt.

Ricardus reſp. quod ſoli Filio conuenit a.3.
eſſe imago in diuinis, quia ſolus Filius pro- q.2.
cedit per modum naturæ, de ratione cuius proceſſionis eſt ſimilitudo naturæ ad illum, a quo procedit, Item Henricus Quol. 4. q. 2. Nicolaus de Niſſe, & Franciſcus a Chriſto.

Durandus reſp. quod quia omne produ- q.3.
ctum in ſimilitudine, & æqualitate ad alterum eſt eius imago, in hoc enim conſiſtit ratio imaginis; ideo tam Filio, quam Spiritui ſancto conuenit in diuinis eſſe imago, cum vterque producatur in ſimilitudine, & æqualitate ad Patrem; filio tamen magis conuenit per appropriationem, quam Spiritui ſancto, nam licet Spiritus ſanctus ſit ſimilis Patri ſicut Filius, tamen Filius ex ipſa ratione nominis habet, quod ſit ſimilis Patri, & quod producatur in ſimilitudinem Patris, dicitur enim Filius, quia ſit, vt ille; Spiritus ſanctus autem non hoc ex ratione ſui nominis habet, nec ex modo ſuæ proceſſionis, cum non

Digitized by Google

procedat ex modo naturæ, qui eſt modus aſſimilationis in generatione perfectorum, ſed per modum voluntatis; per voluntatem autem producitur non quale eſt producens, ſed quale vult producere.

d.27. q.1. Petrus Aur. reſp. quod imago non accipitur in diuinis ſecundum rationem generalem, qua ſimilitudines corporales repreſentantes figuras animalium dicuntur imagines, aut parentum ſimilitudines, ſed ſecundum rationem propriam imaginis, quæ reperitur in actibus cognitis, obiecta enim poſita in eſſe apparenti dicuntur imagines cum itaque ſoli Filio in diuinis cõueniat realis apparentia, ſoli etiam ei conuenit eſſe imago.

d.28. Ioannes Maior reſp. quod ſolus Filius eſt imago Patris in diuinis, quia ſolus Filius eſt ſimilis Patris in producendo ad intra Spiritum ſanctum.

§.8. Guilel. Eſtius reſp quod ſoli Filio in diuinis conuenit eſſe imago propriè ſumpta, vt .ſ. eſt ſimilitudo ex eo, cuius imago dicitur, expreſſa; primò, quia inter homines etiam Filius eſt imago naturalis; ſecundò, quia in his quæ a mente procedunt non amor, ſed verbum eſt naturalis imago; tertiò, quia ſolus Filius procedit per modum aſſimilationis; quartò, quia ſolus Filius aſſumpſit naturam humanam, in qua declarauit ſe, & Patrem ſuum eſſe Deum, & in eadem ſe exhibuit hominibus conſpiciendum.

de tr. lib. 9. c.9. Franc. Suar. reſp. quod duo ſunt de ratione imaginis ſimilitudo, & proceſſio, & quoniam verbum tantum in diuinis procedit a Patre, vt ſimilis ei, igitur tantum ei propriè conuenit eſſe imago.

diſp. 125. c.1. Guilel. Varrill. reſp. quod imago, vt docet D. Aug. eſt ſimilitudo, & non quælibet, ſed expreſſa ad repreſentandum, & quoniam ſoli Filio, & verbo conuenit eſſe ſimilitudo huiuſmodi; igitur ſoli Filio cõuenit eſſe imago.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod hoc nomen imaginis ſecundum quod perſonaliter ſumitur in diuinis non poteſt conuenire Patri, quia Pater cum ſit principium diuinitatis non eſt ſimilitudo de altera perſona expreſſa, ſecundum quam ipſam repreſentet; neque ſimiliter ſecundum communem vſum loquendi ſãctorum ipſe Spiritus ſanctus eſt imago, quia inquantum Spiritus ſanctus non habet rationem ſimilitudinis expreſſæ Patris, vt Filij, à quibus procedit; ſoli ergo Filio, cum ſit per omnia ſimilis Patri, & ſecundum expreſſionem in ſimilitudine ipſius repreſentatiuus, qui enim (inquit) videt me, videt & Patrem meum, conuenit eſſe imago.

Sed ſi dicit D. Ioannes Dam. lib. 1. orth. fid. c. 18. quod Spiritus ſanctus eſt imago Filij? Obie. ſtio.

Reſpondetur, quod ſic eſt mos Græcorum appellare Spiritum ſanctum imaginem, vtentes nomine imaginis pro perfectæ ſimilitudine tantũ; at latini magis propriè loquuntur, dum ſolum Filium appellant imaginem. Ita D. Thomas, & Aegidius.

DISTINCTIO VIGESIMA OCTAVA.

Præterea conſiderare oportet, quod non tãtum tres prædictæ proprietates, ſiue notiones in perſonis ſunt &c.

QVAESITVM I.

An innaſcibilitas, ſeu eſſe ingenitum ſit proprietas, ſeu notio Patris?

Gvilelmus Antiſiod. reſp. quod innaſcibilitas eſt notio Patris per modum priuationis, nam eſt priuatio eſſendi ab alio in eo, a quo ſunt omnes alij .ſ. in Patre, & notio eſt, quia per eam cognoſcitur Pater, & diſcernitur; & etiam proprietas, quia ei ſoli conuenit. c.6. q.3.

Alex. reſp. quod innaſcibilitas eſt notio Patris, & ſignificat perfectionem, quæ ſignatur, cum dicitur, Pater eſt a ſe, ſed quia hoc non poſſumus intelligere, quomodo aliquid eſt a ſe, negatione determinamus. q.19. m.2.

Albertus reſp. quod ad notionem perſonæ tria exiguntur, quod pertineat ad dignitatẽ, quod illam dignitatem in ſpecie exprimat, & quod ſit principium cognoſcendi perſonam; cum itaque innaſcibilitas dicat non eſſe ab alio, quod eſt dignitatis, & ſit hoc etiam ratio cognoſcendi Patrem, quia duæ perſonæ non poſſunt non eſſe ab alio, ideo innaſcibilitas eſt propria notio eius. d.26. a.13.

Et tr. 19. q. 39. Ita innaſcibilitas, ſiue eſſe ingenitum conuenit Patri, quod nulli alij cõuenit, & conuertitur cum ipſo.

D. Thomas reſp. quod ſicut in creaturis inuenitur primum principium, & principium ſecundum, ita in perſonis diuinis, in quibus non eſt prius, nec poſterius inuenitur principium non de principio, quod eſt Pater, & principium a principio quod eſt Filius; in rebus autem creatis aliquid principium primum innoteſcit dupliciter, vno modo, p.p. q.33. a.4.

Digitized by Google

do, inquantum eſt principium primum per hoc, quod habet rationem ad ea, quæ ab ipſo ſunt, alio modo, inquantum eſt primum principium per hoc, quod non eſt ab alio; ſic igitur & Pater innoteſcit quidem paternitate, & communi ſpiratione per reſpectum ad perſonas ab eo procedentes, inquantum autem eſt principium non de principio innoteſcit per hoc, quod non eſt ab alio, quod pertinet ad proprietatem innaſcibilitatis.

d.28. q.2. D. Bonau. reſp quod ideo innaſcibilitas eſt proprietas, ſeu propria notio Patris, quia ſaltem ex ſuo conſequenti intellectu dicit reſpectum poſitiuum .ſ. primitatem reſpectu vtriuſque emanationis, & fontalem plenitudinem in producendo, quæ eſt in ſolo Patre. Ex ſuo hoc materiali ſignificato (inquit Vaſquez) eſt innaſcibilitas notio Patris.

pr. 1. q. 1. Aegidius reſp. quod notio dicitur a notificando, nihil autem notificatur, niſi ſecundum quod diſtinguitur, diſtinguitur autem ſuppoſitum Patris, non ſolum a quocunque ſuppoſito alterius naturæ, ſed etiam ab aliquo eiuſdem naturæ ſuæ, & ſimiliter ab omnibus; ſecũdum primam diſtinctionem nulla accipitur notio in diuinis, quia non eſt in vſu; ſecundum alteram eſt communis notio; per quam non diſtinguitur a Filio, ſed a Spiritu ſancto; ſecundum tertiam eſt innaſcibilitas, ſeu eſſe ingenitum, quia per hoc diſtinguitur ab omni diuino ſuppoſito, & ſimiliter ab ipſa diuina eſſentia, vt ab ea eſt diſtinguibilis.

a.1. q.1. Ricardus reſp. quod ſicut paternitas eſt notio Patris, qua refertur ad Filium, ſpiratio, qua refertur ad Spiritum ſanctum, ita & innaſcibilitas, per quam non refertur ad non genitorem; ſicut enim Filius (inquit D. Auguſtinus) ad Patrem, & non Filius ad non Patrem refertur, ita genitus ad genitorem, & non genitus ad non genitorem, vt referatur neceſſe eſt.

q.1. Ioannes Scotus reſp. quod ingenitum ſub propria ratione ſua, vt ſignificat non habere genitorem eſt proprietas Patris, & ſufficienter importat dignitatem, ideſt non indignitatem, hoc enim ſufficit ad perſonalem proprietatem, quod non ſit indignitas, ſicut & perſonæ in diuinis non dicuntur eſſe imperfectiones, non tamen perfectiones ſimpliciter, ideſt, vniuerſaliter in quolibet melius ipſum, quam non ipſum.

a.3. Herueus reſp. quod ad hoc quod aliqua notio ſit propria alicuius perſonæ debet habere tres conditiones, importare aliquid, quod ſit proprium eius, dicere differentiam aliquam in eſſe relatiuo, & pertinere ad dignitatem; cum igitur hæc omnia conueniant innaſcibilitati, igitur innaſcibilitas eſt propria notio Patris.

Durandus reſp. quod ingenitum poteſt aliquid dici dupliciter, vno modo, quia eſt ab alio, ſed non per generationem, & ſic ingenitum non poteſt eſſe notio Patris, nec ei cõuenit, quia a nullo eſt, ſed conuenit Spiritui ſancto, licet non ſit propriè eius notio, cum talis negatio non importet dignitatem; alio modo dicitur aliquid ingenitum, quia omnino non eſt ab alio; & ſic eſt notio Patris, cum inter omnes perſonas diuinas ſoli Patri conueniat, non eſſe ab alio. q.1.

Petrus Aureolus reſp. quod innaſcibilitas eſt notio Patris, quia circunſcripta quacunque alia proprietate dat intelligere perſonam per modum cuiuſdam authentici aliquid ſibi ſuperpoſitum non habentis, negans omnem ſuppoſitionem, quæ ſubdignitatem importat ab eo, & hoc conuenit tantum Patri. a.4.

Franc. Maro reſp. quod ad rationem propriam notionis quatuor requiruntur; primum, quod ſibi non determinet, quod ſit poſitiua, vel priuatiua; ſecundum, quod illud non ſit commune tribus; tertium, quod ſit propria vni perſonæ; quartum, quod importet dignitatem; & quoniam innaſcibilitas hæc omnia habet, idcirco eſt notio Patris. q.1.

Guilelmus Occham reſp. quod accipiendo innaſcibilitatem pro re non ſolum non nata, ſed nec producta, nec per productionem communicata, & proprietatem pro predicabili de aliquo conuertibiliter, ſic innaſcibilitas eſt proprietas Patris, quia de ipſo ſolo eſt prædicabilis, & non de alio. q.vn.

Guilem. Rubion reſp. quod eſſe ingenitum, ſiue innaſcibile dicitur dupliciter, vno modo vt idem eſt, quod non natum, ſiue per generationem non productum, & ſic tam Pater, quam Spiritus ſanctus eſt ingenitus; altero modo vt ſit idem, quod nullo modo productum, & ſic eſt proprium Patris, & notio eius. Item Nicolaus de Orb. Ioannes Maior, Nicol. de Nijſe, Guilelmus Varrill. Franciſcus a Chriſto, Ludou. Molina, Franciſcus Suarez, & eſt communis reſponſio. q.1.

Ioannes de Baſſ. reſp. quod Innaſcibilitas, dicit negationem cuiuſcunque productionis paſſiuæ remouendo eam a primo ſuppoſito, & ſic eſt notio Patris, non quidem vt priuatio alicuius in Patre, nam priuatio ſemper dicit imperfectionem, ſed vt negatio, quæ non eſt priuatio propriè ſed abſtrahit a pri- q.1.

Digitized by Google

natione, licet priuatiuè ſignificetur.

de p. ... n. Michael de Pal. reſp. quod innaſcibilitas natiuitatem a Patre remouet, qua ſubmota in Trinitate primitas eluceſcit, non ſolum relata ad Filium, ſed ſimpliciter, quia ipſe non eſt ab alio, & aliæ perſonæ ſunt ab eo; nam ex paternitate eſt primitas affirmatiua, quia ab ipſo eſt omnis paternitas; ex innaſcibilitate verò primitas negatiua, quia ab alio non eſt, & ſic innaſcibilitas eſt Patri propria.

Reſolutio,

Reſpondeo, quod eſſe ingenitum, ſeu innaſcibilitas poteſt quidem in vſum recipi, vt ſit notio Patris, quaſi aliquid notificans perſonam Patris per id, quod non naſcitur ab alio, & quod illa perſona, quæ naſcitur, naſcitur ab eo; & ſecundum hunc ſenſum ita eſt proprium ei, quod dici poteſt eius proprietas, ideſt notio ſibi ſoli conueniens, non relatio ſe habens ad modum formæ, vt cæteræ proprietates, innaſcibilitas enim relatio eſſe non poteſt, quia formaliter negatio eſt.

Obiectio. Sed ſi Pater eſt ita improceſſibilis, ſicut innaſcibilis, & tamen improceſſibilitas non ponitur vt notio eius.

Reſpondetur, quod de rigore ſermonis non poteſt poni improceſſibilitas notio Patris, ſicut innaſcibilitas, quia bene innaſcibilitas poteſt notificare Patrem per id, quod non naſcitur ab alio, & quod illa perſona quæ naſcitur, naſcitur ab eo; ſed non ſic improceſſibilitas, quia etiam ſi Pater non procedat ab alio, non eſt tamen ipſe ſolus, a quo illa perſona quæ procedit, procedat; cum etiam procedat a Filio; Dicit D. Bonauentura, quod innaſcibilitas priuat omnem emanationem, cum generatio ſit prima emanatio, ſed improceſſibilitas non priuat, niſi vnā emanationem, & ideo non eſt notio Patris.

QVÆSITVM II.

An innaſcibilitas, ſiue eſſe ingenitum ſit conſtitutiuum perſonæ Patris?

q. 7. §. 2. Alex. reſp. quod modus determinandi perſonam, ſecundum quod perſona non poteſt eſſe niſi ſecundum poſitionem, perſona enim dicitur quaſi per ſe ſonans; vnde oportet quod per ſe nominationem habeat, & ſecundum nominationem non dependeat ab altero; cum autem omnis negatio ſecundum nominationem ab altero dependeat, quia ab affirmatione; ideo innaſcibilitas, quæ eſt negatio, non poteſt conſtituere perſonam.

D. Thomas reſp. quod ſicut in inferioribus quicquid conſequitur ad eſſe perfectum non eſt conſtitutiuum illius, ita in diuinis quicquid ſecundum intellectum præſupponit aliquid, quo perſona conſtituitur, non poteſt eſſe conſtitutiuum perſonæ; cum itaque innaſcibilitas dicat negationem, quæ fundatur ſuper rationē principij, preſupponit ſm̄ intellectū rationem principij, ſuper quam fundatur .ſ. paternitatem, & ideo non poteſt eſſe proprietas conſtitutiua perſonæ Patris. Et hinc dicit Ricardus quod, neque de ſuo primario ſignificato, neque ſecundario poteſt perſonam Patris conſtituere. d. 28. q. 1. a. 2.

D. Bonau. reſp. quod innaſcibilitas non eſt proprietas perſonalis perſonæ Patris, vt conſtitutiua eius, quia ad hoc, quod aliqua relatio ſit perſonalis oportet, quod dicat illius perſonæ primam, & propriam habitudinem, & per modum complectionis, & poſitionis, conſtat autem quod innaſcibilitas de ſuo proprio intellectu non dicit poſitionem, & de ſuo conſequenti non dicit ſpecialem relationem, ſed fontalem plenitudinem. q. 1.

Aegidius reſpondet, quod ſola paternitas eſt proprietas conſtitutiua perſonæ Patris, non communis notio, neque innaſcibilitas, quia communis notio præſupponit paternitatem, conuenit enim Patri, prout producit perſonam per modum voluntatis, paternitas autem ſecundum, quod producit per modum intellectus; certum eſt autem quod ſecundum ordinem naturæ emanatio per modum voluntatis præſupponit emanationem per modum intellectus, innaſcibilitas verò præſupponit vtranque, & paternitatem, & communem notionem; eſt enim negatio cuiuſlibet productionis paſſiuæ, conſequens ex affirmatione cuiuſlibet productionis actiuæ; Pater enim dicitur non eſſe ab alio, quia aliæ diuinæ perſonæ ſunt ab eo. pr. 1. q. 3.

Ioannes Scotus reſp. quod nō videtur probabile perſonam primam conſtitui ſola negatione formaliter, qualis eſt innaſcibilitas; primò, quia nulla negatio de ſe eſt incommunicabilis, ſicut nec de ſe eſt vna, & indiuiſibilis, ſed per affirmationem; ergo non poteſt eſſe prima ratio incommunicabilitatis; ſecundò, quia nulla negatio propria eſt alicui ſubiecto, niſi per aliquam affirmationem propriam ei, quam ſequitur talis negatio, quæ cum non ſit eſſentia, conſequens eſt, vt ſit aliqua poſitiua proprietas; tertiò, quia ſi pri- d. 27. q. 2.

Digitized by Google

prima perſona eſſet incommunicabilis formaliter negatione, & ſecunda relatione poſitiua, quæ eſt filiatio, vniformiter non ſe haberent diuinæ perſonæ in ratione perſonalitatis, quod eſt inconueniens. Item Nicol. de Orb. & Nicol. de Nyſſe.

d.28. q.2. Durandus reſp. quod innaſcibilitas non ſolum non conſtituit perſonam Patris; tum quia de ſe nihil ponit, ſed ſupponit; tum etiam quia per illam vna perſona non coexigit aliam; ſed nec facit ad eius conſtitutionem, nam ad conſtitutionem poſitiui nihil facit, niſi quod eſt poſitiuum; vnde ſicut ad conſtitutionem Spiritus ſancti nihil facit, quod ab ipſo non eſt alius ita ad conſtitutionem Patris nihil facit, quod ipſe non eſt ab alio, quod eſt eſſe ipſum innaſcibilem.

a.3. Petrus Aur. reſp. quod ſi innaſcibilitas conſtitueret perſonam Patris, aut conſtitueret ratione ſui formalis, quod directè importat, aut ratione ſui fundamentalis, quod importat indirectè; ſed non poteſt conſtituere ratione ſui formalis, quia tale formale eſt negatio, per talem autem negationem perſona conſtitui non poteſt, nec etiam ratione ſui fundamentalis, quia cum fundamentale hoc ſit eſſentia, generare, & ſpirare, per huiuſmodi conſtituitur, non per innaſcibilitatem.

q.2. Franciſcus Maro reſp. quod eſſe ingenitum non poteſt eſſe conſtitutiuum Patris; primò, quia nullum reale, & poſitiuum poteſt fundari in priuatione, vel negatione, diſtinctio autem Patris a Filio realis eſt, & poſitiua; ſecundò, quia illud, quod conſtituit perſonam fundatur immediatè in diuina eſſentia, innaſcibilitas autem non immediate fundatur in diuina eſſentia, alioquin eſſet propria paſſio eius, quod eſt falſum; tertiò, quia formale conſtitutiuum Patris eſt primò incommunicabile, nulla autem negatio eſt primo incommunicabilis.

q.vn. Guilelm. Occham reſp. quod intelligendo per innaſcibilitatem aliquid quomodocunque diſtinctum a paternitate, ſicut omnes doctores tractantes hanc quæſtionem intelligunt, innaſcibilitas non eſt proprietas conſtitutiua perſonæ Patris, nam ſic intellecta diſtincta non eſt niſi vnum prædicabile de ſolo Patre, quod prædicabile quamuis ſupponat pro Patre, non tamen eſt realiter Pater, nec realiter Deus, nec per conſequens eſt de eſſentia Patris, & ideo nec proprietas conſtitutiua eius.

d.28. a.1. Thomas ab Arg. reſp. quod innaſcibilitas non poteſt eſſe proprietas conſtitutiua perſonæ Patris; primò, quia perſona Patris eſt quid poſitiuum, poſitiuum autem non poteſt conſtitui principio formaliter negatiuo; ſecundò, quia priuatio nihil ponit, ſed preſſupponit ſubiectum, ſeu aliquam proprietatem, per quam conueniat ſubiecto; tertiò, quia perſona cum ſit formaliter relatiua conſtituitur in eſſe perſonali relatione tali, quæ formaliter, & directè eſt relatio; quartò, quia neque ad conſtitutionem Spiritus ſancti facit, quod alter non ſit ab ipſo; quintò, quia innaſcibilitas cum ſit negatio de ſe, non dicit aliquam vnitatem, ſeu incommunicabilitatem; ſextò, quia Filius, & Spiritus ſanctus conſtituuntur principijs formaliter poſitiuis, igitur & Pater, cum non ſint illi nobiliores eo, perſona autem conſtituta principio poſitiuo eſt nobilior conſtituta principio negatiuo. Eadem ferè Gerardus, Ioannes de Baſſolis, Franc. a Chriſto.

Marſilius reſp. quod innaſcibilitas, & paternitas eſt eadem proprietas, & eadem res, & ideo in ratione principij formalis, vtraque eſt conſtitutiua perſonæ Patris; ſed ſecundum noſtrum modum intelligendi ipſa res vt paternitas prius conſtituit, quam vt innaſcibilitas, nam innaſcibilitas apprehenditur in eo, quod non eſt, paternitas verò in eo quod eſt, negatio autem non importat rem vt conſtituentem, niſi inquantum includit affirmationem. q.31. a.1.

Guilelm. Varrill. reſp. quod innaſcibilitas, ſeu ingenitum nequit eſſe conſtitutiuum primæ perſonæ in diuinis; tum quia iam intelligitur conſtituta per paternitatem; tum etiam, quia nullum poſitiuum cuiuſmodi eſt perſona diuina conſtituitur per priuatiuum. d.28. a.2.

Reſolutio.

Reſpòndeo, quod nihil conſtituitur in eſſe reali per aliquod negatiuum, innaſcibilitas ergo cum ſit formaliter negatio conſtituere perſonam Patris non poteſt, quæ reale eſſe habet, eo enim dicitur ſecundum noſtrum modum intelligendi conſtitui, quo eſt, vnde cum negatione non ſit, neque negatione conſtituitur.

Sed ſi Pater per innaſcibilitatem ab omni alio diſtinguitur? per quod autem aliquid diſtinguitur, per illud etiam conſtituitur. Obiectio.

Reſpondetur, quod quando aliquid propriè diſtinguitur per aliquid, per illud etiã conſtituitur, Pater autem non propriè diſtinguitur per innaſcibilitatem, quia non eſt aliquid intrinſecum ei, & ideo nec conſtituitur. Ita Guilelmus Occham.

QVAE-

Digitized by Google

QVÆSITVM III.

An ſit prior innaſcibilitas paternitate?

c. 6. q. 2. GVilel. Antiſiod. reſp. quod ſicut in hoc quod dicitur homo intelliguntur omnia ſuperiora non diſtinctè, ſed quodammodo implicitè; ita cum dicicitur innaſcibilis intelligitur Pater, licet non diſtinctè, ſed modo quodam ineffabili, qui non poteſt reperiri in naturalibus, ex quo ſequitur quod neque ſecundum rem, neque ſecundum modum intelligendi innaſcibilitas eſt prior paternitate.

d. 27. q. 2. D. Bonau. reſp. quod innaſcibilitas præintelligitur paternitati; primò enim intelligitur prima perſona innaſcibilis, ſecundò Pater, cum innaſcibilitas non dicat puram negationem, ſed quandam fontalem plenitudinem, quæ eſt in Patre.

Q. 7. q. 2. Aegidius reſp. quod paternitas prior eſt innaſcibilitate ſicut intellectus affirmatiuus prior eſt negatiuo. Semper id, quod poſitiuum eſt (inquit Suarez l. 8. de tr. c. 1.) prius eſt & fundamentum priuatiui.

d. 28. q. 2. Durandus reſp. quod paternitas, & innaſcibilitas generaliter ſumpta non habent inter ſe ordinem, ita vt vnum ſit prius altero, quia quodlibet poteſt inueniri ſine altero, aliquis enim eſt Pater, qui non eſt innaſcibilis, vt in hominibus, & innaſcibilitas poteſt alicui conuenire ſine paternitate, vt ſi in diuinis eſſet vnum ſuppoſitum abſolutum; vt tamen conueniunt diuinis habent inter ſe ordinem, paternitas enim prior eſt innaſcibilitate, quia dicit primam relationem fundatam ſuper auctoritatem principij vniuerſalis, innaſcibilitas verò dicit priuationem eſſendi ab alio, per prius enim conuenit vniuerſali principio eſſe principium primi producti, quam non eſſe ab alio, & ſic paternitas eſt prior innaſcibilitate.

ar. 4. Petrus Aur. reſp. quod ſi innaſcibilitas accipitur in generali, prout in quocunque ſuppoſito non eſt prior paternitate, neque poſterior; ſi verò accipitur in ſpeciali, vt in ſuppoſito tali ex eſſentia, & proprietate duplici conſtituto, ſic eſt poſterior ſecundum rationem paternitate, cum fundetur ſuper eam.

a. 3. Gerardus reſp. quod innaſcibilitas eſt prior ſecundum rationem paternitate, inquantum paternitas eſt quædam relatio; eſt tamen poſterior ea, inquantum paternitas eſt prima proprietas in diuinis.

a. 2. Guilel. Varrill. reſp. quod quando vnum habet reſpectum ad duo, & per reſpectum ad vnum conſtituitur, & non per reſpectum ad aliud, prior eſt reſpectus per quem conſtituitur, quam alius; ſic autem eſt in propoſito quod prima perſona conſtituitur per reſpectum ad Filium, qui reſpectus ſignificatur per hoc, quod dicitur a quo alius; qui eſt paternitas, & non per illum, per quem dicitur non eſſe ab alio, qui eſt innaſcibilitas; igitur innaſcibilitate prior eſt paternitas.

Reſolutio.

REſpondeo, quod ſemper negatio ſecundum intellectum præſupponit affirmationem, ſicut priuatio habitum; cum itaque innaſcibilitas ſit formaliter negatio, non poteſt eam intellectus concipere, niſi prius concipiat illud, cuius eſt negatio, concipit ergo prius naſcibilitatem, & quoniam naſcibilitas ſimul concipitur cum paternitate, quia relatiua ſunt ſimul natura, & intelligentia, ideo prius concipitur paternitas, quam innaſcibilitas; prior eſt ergo ſecundum noſtrum modum intelligendi paternitas, quam innaſcibilitas.

Sed ſi plus eſt de ratione primi quod non Obiectio.
ſit ab alio, quam quod ab illo ſit aliud? vnde Chriſtus dicitur matris primogenitus, non quia poſt ipſum fuit alius, ſed ex eo, quod ante ipſum non fuit alius.

Reſpondetur, quod ratio primi non conſiſtit in non eſſe ab alio; tum quia ratio poſitiui totaliter conſiſtit in eo, quod poſitiuum eſt, primum autem dicit quid poſitiuum; tum quia ſi illud eſſet vnum tantum, & innaſcibile, non tamen primum; primum ergo eſt ex quo; vel poſt quod omnia alia ſunt, & ſic paternitas habet rationem primi; quod autem ſcriptura dicat Chriſtum eſſe primogenitum matris, hoc eſt, quia non ſemper ſeruat proprium modum loquendi. Ita Durandus.

QVAESITVM IV.

An eſſe ingenitum, ſeu innaſcibilitas dicat aliquid poſitiuum, an vero priuationem tantum?

D. Thomas reſp. quod ingenitum ne- p. p.
gationem generationis paſſiuè im- q. 36.
portat dicit enim D. Aug. l. 5. de Tr. a. 4.
cap. 7. quod tantum valet quod dicitur ingenitus, quantum valet quod dicitur non Filius.

D. Bonau. reſp. quod ingenitum prout d. 28.
ſoli Patri conuenit ex ſuo principali ſigni- q. 6.
ficato

ficato dicitur priuatiuè, quia idem ſignificat, quod non eſſe ab alio; ſed ex conſequenti, ſiue ſecundariò poſitiuè, quia hoc non eſſe ab alio primitatem ſignificat ad omnem emanationem. Item Ricardus.

pr.1 q.1. Aegidius reſp. quod ſi accipitur priuatio largè pro quacunque .ſ. negatione, quæ determinat ſibi ſubiectum, innaſcibilitas, ſeu eſſe ingenitum dicit priuationem, quia modo priuatiuo determinat ſibi ſuppoſitum Patris, & iſta priuatio aſſimilatur illi priuationi, ſecundum quam aliquid dicitur eſſe priuatum, eo quod ſi non aptum natum eſt in eſſe ei, vel alteri ſuæ ſpeciei, eſt tamen aptum natum ineſſe alicui ſui generis, vt priuatio viſus in talpa. Item Scotus.

a.1. Herueus reſp. quod ingenitum duo importat in ſuo ſignificato; vnum quaſi materialiter, & hoc eſt aliquid poſitiuum, ſuper quod fundatur priuatio importata per ingenitum, quia ingenitum non dicit puram negationem, ſic enim poſſet conuenire ipſi nihil; aliud verò formaliter, & hoc eſt priuatio non generationis paſſiuæ, quamuis hæc videatur importari de virtute vocabuli, ſed eſſendi qualitercunque ab alio, quæ priuatio fundatur ſuper vniuerſalem, & generalem auctoritatem principij, quod eſt eſſe vniuerſale principium omnium qualitercunque productorum, vel producibilium.

q.1. Durandus reſp. quod eſſe ingenitum, ſeu innaſcibilitas non importat formaliter aliquid poſitiuum, quia nec abſolutum, nec reſpectiuum; non abſolutum, quia non conuenit omnibus; non reſpectiuum, quia non dicit rationem principij, neque principiati; nec etiam dicit puram negationem, quia pura negatio poteſt competere enti, & non enti, eſſe autem ingenitum non poteſt competere niſi enti; dicit ergo ſolam priuationem eius, quod formaliter importatur per genitum.

a.1. Petrus Aur. reſp. quod innaſcibilitas ſignificat priuationē omnis productionis paſſiuæ, non circa quodcunque aptum natum produci ſecundum genus ſuum, quia ſic cōueniret diuinæ eſſentiæ, cum ſit aliqua eſſentia apta nata produci, ſed circa ſuppoſitum determinatæ naturæ, & non tantum priuationem productionis paſſiuæ actualiter, ſed etiā aptitudinaliter.

q.1. Franc. Maro reſp. quod ingenitum, & innaſcibile nihil poſitiuum dicunt in Patre, quia nec eſſentiā, nec relationē, non eſſentiā, quia ſic eſſet in Filio, non relationem, quia ſic diceret vel paternitatem, vel ſpirationem actiuam; non paternitatem, quia vt dicit D. Aug. ſi Pater non generaſſet, nihil prohiberet ipſum eſſe ingenitum; non ſpirationem actiuam, quia hæc eſt etiā in Filio, dicit ergo negationem. Item Ioannes de Baſſ.

Gerardus reſp. quod innaſcibilitas non dicit ſimpliciter negationem, alioquin non determinaret ſibi aliquod ſubiectum, & cōſequenter ita poſſet dici de non ente, ſicut de ente, ſed dicit priuationem determinantem ſibi aliquid ſubiectum, & probat, quia opponitur natiuitati priuatiuè, quæ dicit aliquid per modum habitus, illa autem, quæ ad inuicem opponuntur priuatiuè ita ſe habent, quod ſi vnum illorum dicit habitum, alterum dicit priuationem. ar.1.

Franc. a Chriſto reſp. quod innaſcibilitas non importat puram negationē, quia dicitur de ente; eſt autem eius fundamentum authoritas primi principij. d.29. q.1.

Ludou. Molina reſp. quod innaſcibilitas ſignificat formaliter negationem, non quidē natiuitatis preſsè, ac propriè ſumptæ, qualis eſt, qua Filius procedit a patre, talis nanque innaſcibilitas etiam Spiritui ſancto cōuenit, ſed natiuitatis latè pro quacūque proceſſione, ita vt ſit idem in propoſito innaſcibilitas, quod non proceſſio, & ingenitus idem, quod non habens eſſe ab alio quocunque modo. q.32. a.1. diſp.1

Franc. Suar. reſp. quod innaſcibilitas formaliter conſiſtit in priuatione, cuius fundamentum proprium cum non poſſit eſſe eſſentia, ſequitur quod ſit paternitas, de cuius ratione eſt conſtituere perſonam ſine origine ab alia. de tr. lib.1. c.1.

Gabriel Vaſq reſp. quod eſſe ingenitum non ſolum negationem, ſeu priuationem denotat; ſed etiam quandam poſitiuam rationē & dignitatem, directè quidem, ſed materialiter, quæ eſt ratio primi principij. diſp. 140 c.3.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod innaſcibilitas formaliter negatio eſt, dicit enim priuationem, ſeu negationem naſcibilitatis, ſed quia hoc nomen receptum eſt in vſum ad notificandum perſonam Patris, non ſolum per id, quod non naſcitur ab alio, ſed etiam per id, quod ab illo naſcitur alius, idcirco ex vſu aliquid poſitiuè inſinuat, ſed formaliter, & ex natura vocis, priuationem.

Sed ſi priuatio dicit imperfectionem: eſt enim priuatio eius, quod natum eſt haberi, & non habetur. Obiectio.

Reſpondetur, quod ingenitum, ſiue innaſcibilitas accipitur priuatiuè non ſtrictè pro ca-

Digitized by Google

carentia perfectionis natæ ineſſe carenti, quæ priuatio dicit imperfectionem; ſed largè pro carentia alicuius nati haberi ab aliquo, ſed non nati haberi ab ipſo carente, quæ priuatio non dicit imperfectionem.

QVÆSITVM V.

An innaſcibilitas, ſeu eſſe ingenitum dicatur ſecundum ſubſtantiam, an verò ſecundum relationem?

q. 69. m. 1. ALex. reſp. quod præpoſita negatio nō mutat prædicamentum, ſed tantum negat, vt cum dicitur homo ſubſtantia deſignatur, ſic non homo, ſed negatiuè; cum itaque naſcibilitas, ſiue eſſe genitum dicatur ſecundum relationem, dicitur etiam ſecundum relationem innaſcibilitas, ſiue eſſe ingenitum.

p. p. q. 33. a. 4. D. Thomas reſp. quod ingenitum vno modo ſignificat idem, quod increatum, & ſic ſecundum ſubſtantiam dicitur; alio modo id quod non eſt genitum, & ſic relatiuè dicitur, quia genitum quod eſt ſua affirmatio, ad quā reducitur, relationem importat.

d. 28. q. 1. D. Bonau. reſp. quod innaſcibilitas importat reſpectum ad principium per modum priuationis dicens vniuerſalem principalitatem, ſiue fontalem plenitudinem in producendo.

pr. 1 q. 2. Aegidius reſp. quod innaſcibilitas, vt dicitur de Patre pertinet ad prædicamentum relationis, non quidem per ſe, & directè, ſed ratione duplicis affirmationis, quam dat intelligere, vnam, quam remouet, & eſt eſſe genitum, & alteram, quam ponit, & eſt paternitas.

Reſolutio.

REſpondeo, quod innaſcibilitas ſecundū quod formaliter negatio eſt, neque ſecundum ſubſtantiam dicitur, neque ſecundum relationem, quia negatio neque ſubſtātia eſt, neque relatio; ſed ſecundum quod notio, in virtute illius poſitiui, quod inſinuat, dicitur ſecundum relationem, non ſecundum ſubſtantiam, nam huiuſmodi poſitiuum eſt, quod ab innaſcibili ſit perſona, quæ naſcitur, quod autem aliqua perſona in diuinis ſit ab alia, hoc ad relationem pertinet, non ab ſubſtantiam.

Obiectio. Sed ſi innaſcibilitas, ſiue eſſe ingenitum cum nullo alio in diuinis dicitur ad conuertentiam? quod pertinet ad relationem.

Reſpondetur, quod innaſcibilitas ſiue eſſe ingenitum cum nullo alio in diuinis dicitur ad conuertentiam, ſi ſumatur formaliter, & ſecundum naturam vocis, ſic enim formaliter negatio eſt; ſed ſi ſumatur ſecundum illud poſitiuum, quod inſinuat, vtique dicitur ad conuertentiam, cum illa perſona, quæ naſcitur, quæ Filius eſt; eſt enim eſſe ingenitum, eſſe perſonam Patris, Pater autem, & Filius ad conuertentiam dicuntur, & ſic ſecundum illud poſitiuum ad relationem pertinet.

DISTINCTIO VIGESIMA NONA.

Eſt præterea aliud nomen multiplicem notans relationem, ſcilicet principium; dicitur enim principium, &c.

QVÆSITVM I.

An aliqua perſona diuina dici poſſit principium alterius?

D. Thomas reſp. quod ad ſignificandum ordinem originis, qui eſt inter diuinas perſonas vtimur nomine principij, principium enim dicit ordinem originis abſolutè, non determinando aliquem modum, & quoniam inter diuinas perſonas eſt ordo originis, quia vna eſt ab alia, ideo eſt aliqua, quæ poteſt dici principium alterius. d. 29. q. 1. a. 1.

Et p. p. q. 33. a. 1. Hoc nomen principium nihil aliud ſignificat, quam id, a quo aliquid procedit, omne enim a quo aliquid procedit quocunque modo, dicimus eſſe principium; cum itaque ſit in diuinis aliqua perſona, a qua alia procedit, & eſſe habe, poſſumus ipſam dicere eſſe principium. Item D. Bonau. Durandus, Thomas ab Argentina, & Guilelmus Rubion.

Aegidius reſp. quod licet vna perſona non ſit propriè cauſa alterius, neque materialis, neque formalis, neque finalis, habet tamen aliquam conuenientiam cum cauſa efficiente, nam cauſa efficiens dicitur dare eſſe rei inquantum eam producit, & hoc conuenit etiam diuinis, vnde ſi aliquod nomen, quod conuenit alicui cauſæ poteſt transferri ad diuina, hoc erit, quod conuenit cauſæ efficienti, quod eſt principium, principiū enim vt dicit Auer. 1. Phyſ. c. 1. primò, & per ſe dicitur de cauſa efficiente, & quoniam principium conuenit cauſæ efficienti, inquantum eſt alterius productiua, hoc etiam nomen principij d. 29. pr. 1. q. 1.

cipij poterit dici de aliqua diuina perſona, inquantum eſt productiua alterius.

d.29. q.2. Laurent. Opimus reſp. quod Pater eſt principium Filij, & Filius Spiritus ſancti, non quidem in eſſe cauſatiuo, ſed Pater in eſſe gignitiuo, Filius verò ſpiratiuo.

d.29. a.2. Guil. Varrill. reſp. quod vna perſona in diuinis accipit ab alia, & ideo eſt principium eius; ordinatur autem ſic principium in diuinis; primò, eſt principium non de principio, & hoc eſt Pater; ſecundò, eſt principium de principio, & hoc eſt Filius; tertiò, principiatum de principio, ſed non principium ad intra, & eſt Spiritus ſanctus, & poſtea ſimul tres perſonæ vnicum ſunt creaturæ principium.

Reſolutio.

RESpondeo, quod nomine principij non ſolum vtimur in his, quorum vnum ſequitur ad eſſe alterius in diuerſitate naturæ ſed etiam in identitate; & quoniam vna perſona in diuinis ſequitur ad eſſe alterius, hoc eſt, habet eſſe ab altera in vna eademque natura, ideo illa poteſt dici principium illius.

Obiectio. Sed ſi in diuinis nihil debet dici principiatum? vbi autem eſt principium, ibi quoque principiatum.

Reſpondetur, quod ſi principiatum largè ſumitur pro re, quæ eſt ab alia, ſic in diuinis eſt principiatum, ſi verò ſtrictè pro facto, vel initiato tempore, ſic negatur quod ſit principiatum in diuinis; ex quo tamen non ſequitur, quod non ſit principium, licet ſimpliciter non ſit concedendum eſſe principiatum propter Arrianos. Ita Marſilius.

QVÆSITVM II.

An dicatur hoc nomen principium in diuinis per prius ſecundum reſpectum vnius perſonæ ad alteram, quam per reſpectum ad creaturas?

q.70. m.3. §.1. ALex. reſp. quod abſolutè loquendo principium prius dicitur de principio notionaliter, quam eſſentialiter ſumpto, ſed ſecundum humanam intelligentiam econuerſò, quia ordinem æternorum non poſſumus cognoſcere, niſi per ordinem creaturarum; ordo tamen intelligentiæ duplex eſt, vnum ſecundum apprehenſionem naturalis rationis, & in hac via prior eſt intentio principij accepti eſſentialiter, quam notionaliter, ratio enim naturalis prius accipit eſſentiam eſſe principium, quam perſonam; alius eſt ſecundum apprehenſionem fidei, & ſic prior eſt intentio principij accepti notionaliter, quam eſſentialiter. prius enim fides dicit perſonam eſſe principium perſonæ, quam eſſentiam eſſe principium creaturæ.

D. Thomas reſp. quod principium reſpectu perſonarum abſolutè loquendo per prius dicitur, quam principium reſpectu creaturarum, quia proceſſio creaturarum exemplatur, a proceſſione perſonarum; tamen ſecundum quid principium reſpectu creaturarum per prius dicitur, quam principium reſpectu perſonarum, nam principium reſpectu creaturarum fundatur in virtute, & operatione diuina, quæ eſt quid eſſentiale, principium autem reſpectu perſonarum fundatur in proprietate, quæ eſt quid notionale, eſſentiale autem ſecundum intellectum per prius eſt notionali. d.29. q.1. a.1.

Aegidius reſp. quod cum ſumitur principium in diuinis ſecundum reſpectum vnius perſonæ ad alteram per prius dicitur, quam cum ſumitur ſecundum reſpectum ad creaturas; primò, quia productio perſonarum eſt ratio productionis creaturarum, Pater enim intelligendo ſe producit Filium, & Pater & Filius volendo ſe, producunt Spiritum ſanctum, & ex eo quod Pater intelligit ſe, & Pater, & Filius volunt ſe, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus intelligunt, & volunt alia a ſe, & ita producunt, ex qua productione ſumitur ratio principij; ſecundò, quia principium cum ſumitur ſecundum reſpectum vnius perſonæ ad alteram importat relationem realem, cum verò ſumitur ſecundum reſpectum ad creaturas importat relationem rationis, relatio autem, vt relatio, per prius dicitur de relatione ſecundum rem, quam de relatione ſecundum rationem. pr. 2. q. vn.

Durandus reſp. quod ibi per prius inuenitur ratio principij productiui, vbi per principium producitur ſimpliciter aliud, vel alterum; ibi verò per poſterius, vbi producitur ſecundum quid aliud, vel alterum, ſimpliciter enim præcedit ſecundum quid, & principium productiuum dicitur ad aliud; cum itaque in productione creaturarum producatur aliud ſimpliciter, & non in productione diuinorum, ideo principium reſpectu creaturarum per prius dicitur, quam principium reſpectu diuinorum. q.2.

Marſilius reſp. quod via noſtræ cognitionis per prius dicitur Deus principium reſpe- q.31. a.3.

Digitized by Google

ctu creaturæ, & etiam via facti; ſed via perfectionis, ſiue dignitatis ſimpliciter prius conuenit productioni ad intra.

diſp. 139 c. 5. Gabriel Vaſquez reſp. quod hoc nomen principium per prius dicitur de Deo vt notionaliter ſumitur, quam eſſentialiter; cum eſſentialiter ſumptum in ordine tantum rationis concipiatur, notionaliter verò in ordine reali. Ex Aegidio.

Reſolutio.

RESpondeo, quod aliquod nomen per prius dicitur de aliquo reſpectu vnius, quam reſpectu alterius, quandocunque de eo dicitur ſecundum rationem propriam, & formalem, ad quam ſignificandam eſt impoſitum, & non de altero, ſicut ridere prius dicitur de homine, quam de prato, & ſanitas prius dicitur de animali, quam de medicina; & quoniam hoc nomen principium cum dicitur in diuinis ſecundum reſpectum vnius perſonæ ad alteram, & ſimiliter cum dicitur per reſpectum ad creaturas, dicitur ſecundum vnam, & eandem rationem propriam, & formalem principij, ad quam ſignificandam eſt impoſitum, quæ eſt eſſe illud, a quo ſequitur aliud, per hoc enim Deus dicitur principium creaturarum, quia creaturæ ſequuntur ad ipſum, & ſimiliter vna perſona dicitur principium alterius, quia ſequitur ad eam; idcirco non per prius dicitur per reſpectum vnius perſonæ ad alteram, quam per reſpectum ad creaturas, neque econuersò.

Obiectio. Sed ſi eſſe principium reſpectu perſonæ competit Deo ab æterno, reſpectu verò creaturarum ex tempore?

Reſpondetur, quod hic non quærimus de priori, & poſteriori ſecundum durationem, ſed ſecundum proprietatem participationis eius, quod importatur per hoc nomen principium, & hoc modo nihil prohibet, quod illud, quod eſt poſterius duratione, ſit etiam poſterius nominis participatione, & econtrà, quod eſt prius duratione, ſit etiam prius nominis participatione.

QVAESITVM III.

An hoc nomen principium, cum dicitur de Deo reſpectu creaturarum, & de vna perſona reſpectu alterius, dicatur vniuocè, an æquiuocè, an verò analogicè?

d. 29. q. 1. D. Thomas reſp. quod idem eſt iudicium de principio, & de origine, ſuper quã fundatur ratio principij; poteſt autem origo conſiderari dupliciter, aut ſecundum communem rationem originis; quæ eſt aliquid eſſe ab aliquo, & ſic cum vna ſit ratio communis ad originem perſonarum, & ad originem creaturarum, non quidem communitate vniuocationis, ſed analogiæ, eſt etiam vna ratio principij; aut poteſt conſiderari ſecundum determinatum modum originis, & ſic ſunt diuerſæ rationes originis, & principij, quæ tamen diuerſitas non facit æquiuocationem. *a. 2.*

D. Bonauentura reſp. quod hoc nomen principium differenter accipitur, cum dicitur eſſentialiter, & notionaliter in diuinis quantum ad connotatum, quia eſſentialiter dictum connotat eſſentiam, notionaliter connotat perſonas, quæ differentia inducit multiplicitatem analogiæ, diuerſa enim importat, quæ non habent vnitatem, niſi proportionis. *d. 29. a. 1. q. 2.*

Aegidius reſp. quod hoc nomen principiũ dicitur de principio diuinarum perſonarũ, & principio creaturarũ non vniuocè, nec æquiuocè, ſed analogicè; primò, quia ſicut productio creaturarum non eſt eiuſdem rationis cum productione diuinarum perſonarum, ita nec principium creaturarum eſt eiuſdem rationis cum principio diuinarum perſonarum, ſed ſe habet per attributionem ad ipſum, nomen autem illud, quod dicitur de pluribus, de vno tamen illorum per attributionem ad alterum dicitur analogicè de eis; ſecundò, quia relatio principij diuinarum perſonarum non eſt eiuſdem rationis cum relatione principij creaturarum, nam hæc eſt relatio rationis, illa vera realis; ſicut autem ſe habet relatio vnius principij ad relationem alterius, ita vnum principium ad aliud. Item Gerardus; Et duas alias rationes adducit in confirmationem ſententiæ Aegidij; primam, Cognitio, qua Deus cognoſcit ſeipſum tanquam obiectum primarium, & intrinſecum, & qua cognoſcit creaturas tanquam obiectum ſecundarium, & extrinſecum, non ſunt eiuſdem rationis; ergo nec principium, quo principiat perſonas intrinſecè, & in identitate naturæ, & quo principiat creaturas extrinſecè, & in diuerſitate naturæ; ſecundam, Sicut ſe habet principiatũ ad principiatum, ita principium ad principium, ſed principiatum quod eſt perſona diuina, & principiatum quod eſt creatura non ſunt eiuſdem rationis, ergo nec principium. Ludou. Molina innititur ſuper ſecundam rationem Aegidij, Marſilius ſuper *pr. 12 q. vn.*

pri-

Digitized by Google

primam quæſiti præcedentis.

q.2. Ricardus reſp. quod principium, cum dicitur in diuinis de vna perſona reſpectu alterius, & de ſingulis reſpectu creaturarum, nec vniuocè dicitur, quia ratio principij non æqualiter reperitur in vtroque, per prius enim reperitur in principiatione perſonæ, quam creaturarum, cum principiatio creaturarum ſit quid exemplatum a principiatione perſonæ; nec purè æquiuocè, quia maior eſt illa communitas, quam ſolius vocis; ſed analogicè.

a.54. q.6. Henricus reſp. quod eadem ratione Pater dicitur vnum principium Filij, & Spiritus ſancti, & creaturarum, quæ eſt diuina eſſentia, hæc enim in ipſo eſt ratio principiandi illa omnia, licet ſub ratione alterius reſpectus ſit ratio principiandi Filium, & ſub alia Spiritum ſanctum, & ſub alia creaturas; & ſimiliter Pater, & Filius vnum principium Spiritus ſancti, & creaturarum per eandem rationem, licet ſint diuerſa ſuppoſita.

q.vn. Ioannes Scotus reſp. quod accipiendo principium principiatiuè, non pro eo .ſ. quod principiat, ſed quo principiat, non dicitur vniuocè de principio eſſentialiter ſumpto, quod eſt principium dictum de Deo reſpectu creaturarum, & de principio ſumpto notionaliter, quod eſt principium dictum de perſona reſpectu alterius perſonæ; & ratio eſt, quia principium eſſentialiter ſumptum non dicit niſi relationem rationis, notionaliter verò ſumptum dicit relationem realem, relatio autem realis, & relatio rationis, nihil habent commune vniuocum, nam relatio rationis eſt relatio ſecundum quid, ſicut & eſſe rationis eſt eſſe ſecundum quid, & relatio realis eſt relatio ſimpliciter; ſimpliciter autem, & ſecundum quid, nihil habent commune vniuocum. Item Nicol. de Orbellis, Guilelmus Varrill. & Molina. Addit Gabriel Vaſquez dici analogicè, ratione ſimilitudinis inter vtrunque principium.

d.29. q.1. Durandus reſp. quod ſicut potentia non dicitur vniuocè de potentia generandi, vel ſpirandi, & de potentia creandi, alioquin potentia generandi, vel ſpirandi contineretur ſub omnipotentia, ſicut potentia creandi, quod eſt falſum; ita principium non dicitur vniuocè de principio reſpectu diuinorum, & de principio reſpectu creaturarum, ſed analogicè ſecundum prius, & poſterius; eodem enim modo eſt iudicandum.

q.3. Petrus Aur. reſp. quod principium in diuinis non poteſt dici vniuocè de principio eſſentialiter ſumpto, & notionaliter; primò, quia creaturæ, & perſonæ diuinæ non poſſunt habere vnum, & commune conceptum ratione ſuæ principiationis paſſiuæ; ſecundò, quia principium eſſentialiter ſumptum, & notionaliter non dicuntur vniuocè relatio; tertiò, quia principium eſſentialiter ſumptum vt deitas, & notionaliter vt paternitas ſunt idem, quod diuina eſſentia, & ideo non poſſunt habere conceptum communem expreſſum nomine principij, cum a diuina eſſentia nullus conceptus communis abſtrahi poſſit.

Guilelm. Occham reſp. quod ſi quæſtio q.vn. intelligitur de conceptu correſpondēte huic nomini; principium, an .ſ. correſpondeat ſibi vnus conceptus, quæ vnitas facit vniuocationem largè ſumptam, eſt dubia, & relinquitur experientiæ cuiuſlibet; ſi autem intelligitur de hoc nomine principium, ſecundum quod nomen facit vniuocationem ſtrictè ſumptam, non dicitur vniuocè de omnibus, de quibus dicitur in Deo, quia nulla poteſt dari diffinitio exprimens quid nominis conueniens cuilibet, de quo dicitur, cum enim dicitur Deus eſt principium creaturæ, diffinitio exprimens quid nominis, quæ eſt producere creaturam, non conuenit principio, quando dicitur Pater eſt principium Filij, quæ eſt producere Filium, quia aliud eſt producere creaturam, & aliud eſt producere Filium.

Thomas ab Arg. reſp. quod principium d.29. dictum de diuinis reſpectu perſonarum, & a.2. creaturarum dicitur analogicè; primò, quia ratio principij prius conuenit Deo ratione perſonarum, quam creaturarum; ſecundò, quia eſſe principium creaturarum conuenit Deo per hoc, quod eſt principium perſonarum; tertiò, quia eſſe principium perſonarum conuenit Deo neceſſariò; eſſe verò principium creaturarum liberè, & contingenter; quartò, quia hoc nomen principium reſpectu perſonarum realiter aliquid ponit in Deo, non ſic autem eſſe principium creaturarum; quintò, quia eſſe principium perſonarum conuenit Deo ab æterno, eſſe verò principium creaturarum ex tempore.

Guilelmus Rub. reſp. quod principium d.29. dicit conceptum vniuocum, ſiue vnum, & q.2. de principio eſſentialiter, & de principio notionaliter dicto, quoniam principium originatiuum vniuerſaliter ſumptum importat omne illud, a quo alterum eſt productum; & hoc reperitur in diuinis tam ad intra, quam ad extra, quia & perſona eſt a qua perſona, & omnis perſona eſt, a qua eſt pro-

Digitized by Google

producta quælibet res creata.

d.29 Ioannes de Baſſol. reſp. quod principium dicitur verius de principio ad intra quam ad extra quod eſt principium reſpectu creaturarum; & ideo analogicè dicitur de eis.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut dicit Ariſt. Poet. c. 5. principium dicitur quod non neceſſariò poſt aliud eſt, extra quod poſterius aliquid eſſe, vel fieri natum eſt; & ſimiliter illud dicitur, vnde eſt aliquid; ideo ergo Deus dicitur principium creaturarum, quia creaturæ ſunt ab eo, & ſimiliter vna perſona dicitur principium alterius, quia dat eſſe ei, igitur ſecundum vnam, & eandem rationem principij, dicitur principium de Deo per reſpectum ad creaturas, & per reſpectum ad diuinas perſonas.

Obiectio. Sed ſi principium reſpectu diuinarum perſonarum, & principium reſpectu creaturarum ſunt diuerſæ rationis?

Reſpondetur, quod principium reſpectu perſonarum, & principium reſpectu creaturarum, ſi conſiderantur in ratione principij ſecundum hanc generalitatem, non ſunt diuerſæ rationis, quia vtrumque ſumitur in ratione principij; ſed bene ſi conſiderantur in ratione principij talis, non quatenus .ſ. hoc, & illud eſt principium, ſed quatenus diuinarum perſonarum, & creaturarum.

QVAESITVM IV.

An aliqua perſona diuina dici poſſit cauſa alterius?

d.29. D. Thomas reſp. quod vna perſona non poteſt dici cauſa alterius propter duo; primum, quia omnis cauſa, vel eſt extra eſſentiam rei, ſicut efficiens, & finis, vel pars eſſentiæ, ſicut materia, & forma, nulla autem perſona eſt extra eſſentiam alterius, neque pars eſſentiæ illius; ſecundum, quia omnis cauſa habet ordinem principij ad eſſe ſui cauſati, quod per ipſam conſtituitur, nulla autem perſona habet ordinem principij ad eſſe alterius, cum vnum ſit eſſe omnium perſonarum diuinarum.

Et in p. p. q. 33. ar. 1. ad 3. reſpondet, quod hoc nomen cauſa videtur importare diuerſitatem ſubſtantiæ, & dependentiam alicuius ab altero; in omnibus enim generibus cauſarum ſemper inuenitur diſtantia inter cauſam, & id cuius eſt cauſa, ſecundum aliquam perfectionem, & virtutem. Vna perſona non poteſt dici diuerſa ab altera; ergo neque cauſa illius, inquit D. Bonauent. diſ. 29. ar. 1. q. 1.

Aegid. reſp quod propriè loquendo non debemus concedere, quod vna perſona ſit cauſa alterius, quia neque vt materia, & forma, cum huiuſmodi cauſæ faciant ad eſſe rei, inquantum ſunt partes eius; neque vt finis, cum vna non ſit maius bonum, quam altera, finis autem facit ad eſſe rei, inquantum eſt maius bonum; neque vt efficiens, quia cauſa efficiens quod producit non producit de ſubſtantia ſua. d.29. pr. 1. q.1.

Durandus reſp. quod cauſa eſt ad cuius eſſe ſequitur aliud, vbi ergo eſt verè cauſa, & cauſatum, eſt etiam verè eſſe præcedens, & eſſe ſequens, ſaltem ſecundum naturam, effectus enim ſecundum naturam ſequitur eſſe cauſæ, & conſequenter eſt diſtinctio ſecundum eſſentiam, quia vbi eſt vnitas eſſentiæ non poteſt eſſe duplex eſſe, præcedens, & ſequens, ſed vnum, quod eſt abſolutum; cum itaque vna perſona non diſtinguatur ab alia ſecundum eſſentiam, nec vna aliam præcedat, neque ſecundum naturam, neque ſecundum intellectum, quia correllatiuæ ſunt, ſequitur quod vna non poteſt verè dici cauſa alterius. q.1.

Petrus Aureolus reſp. quod principium ſe habet ſicut concauum, & ſimum, ſicut enim concauitas ad ſimitatem non contrahitur per differentiam formalem, ſed ſolum per materiam ſic conſiderata ratione originis, quam importat principium, prout de vna perſona dicitur in ordine ad alterã contrahitur ad cauſalitatem ratione materiæ, vt intelligatur cauſalitas origo talium, quorum vnum differt ab alio in natura, & quoniam in diuinis non eſt diſtinctio in natura, ideo nec cauſalitas, ſed principium, origo enim ſimpliciter eſt principium. a.2.

Thomas ab Arg. reſp. quod in diuinis non eſt admittendum hoc nomen cauſa reſpectu intrinſecorum; primò, quia cauſa vt dicit Ariſ. 5. Meth. eſt id, ad cuius eſſe ſequitur aliud, in diuinis autem nulla eſt ſequela in eſſe, cum non ſit prius, nec poſterius; ſecũdò, quia nomen cauſæ non admittitur niſi vbi eſt aliud, & aliud ſubſtantiuè, cum ad eſſe cauſæ ſequatur aliud, in diuinis autem non eſt aliud, & aliud ſubſtantiuè, & ideo non eſt admittendum hoc nomen cauſa reſpectu intrinſecorum. a.2.

Marſilius reſp. quod in diuinis ad intra nulla eſt propriè cauſa, eo quod Dei nulla eſt cauſa, & quicquid eſt ibi, eſt Deus. q.31. a.3.

Gui-

Digitized by Google

ar. 2. Guilelm. Vartill. reſp. quod inter cauſam, & cauſatum, ſemper eſt diſtinctio eſſentialis, vnde cum tres diuinæ perſonæ ſint vnius eſſentiæ, ſequitur quod nulla poteſt eſſe cauſa alterius.

q. 31. a. 1. diſp. 3 Ludou. Molina reſp. quod nulla perſona poteſt eſſe cauſa alterius; primò, quia in nullo genere cauſæ, vt probat Aegidius; ſecundò, quia cauſa, & effectus relatiuè dicuntur; cum ergo nulla perſona ſortiatur rationem effectus, ergo nulla etiam rationem cauſæ.

Reſolutio.

RESpondeo, quod nomine cauſæ non vtimur niſi ſecundum communem vſum philoſophorum in his, quorum vnum ſequitur ad eſſe alterius in diuerſitate naturæ; & quoniam vna perſona in diuinis non ſequitur ad eſſe alterius in diuerſitate naturæ, cum omnium diuinarum perſonarum vna ſit natura, & prorſus eadem, idcirco quamuis ab illa habeat eſſe, non tamen illa dicitur cauſa eius.

Obiectio. Sed ſi vt dicit Ariſ. lib. 2. Poſt. principium & cauſa ſunt idem? eſt autem vna perſona principium alterius; vnde, & Græci Patrem apellant cauſam Filij, vt Dam. & Gregorius Naz.

Reſpondetur, quod Græci vtuntur in diuinis indifferenter nomine cauſæ, ſicut & nomine principij; ſed Latini doctores non vtuntur nomine cauſæ, ſed ſolum nomine principij, & ratio eſt, quia principium communius eſt, quam cauſa; quanto autem aliquod nomen eſt communis, tanto conuenientius aſſumitur in diuinis, quanto magis enim nomina ſpecialia ſunt, tanto magis determinant modum conuenientem naturæ, vnde hoc nomen cauſa importat diuerſitatem ſubſtantiæ, & dependentiam alicuius ab altero, quam non importat nomen principij, & ideo eo vtimur, non nomine cauſæ. Ita D. Thomas.

QVÆSITVM V.

An Pater dici poſſit auctor Filij, Filiuſque auctor Spiritus ſancti?

d. 6. q. 5. GVilelmus Antiſiod. reſp. quod hoc nomen auctor ſignificat communiter paternitatem, & ſpirationem, & præterea innaſcibilitatem, quia prout auctoritas dicitur eſſe in ſolo Patre, tantum valet auctor, quantum principium ſine principio.

D. Thomas reſp. quod nomen auctoris addit ſupra rationem principij hoc, quod eſt non eſſe ab alio, & ideo ſolus Pater dicitur auctor. d. 29. q. 1.

Aegidius reſp. quod ſi propriè ſumatur hoc nomen auctor, quia ſic auctoritatem importat, non dicitur niſi de eo, qui principaliter producit, nam auctoritatiuè facere eſt principaliter facere, & hoc modo ſolus Pater dicitur auctor Filij, & Spiritus ſancti; ſi verò ſumatur communiter dicitur etiam de quocunque productiuo alterius, & ita etiam Filius dicitur auctor Spiritus ſancti. pr. 1. q. 1.

Domin. Bannes reſp. quod ſicut Pater dicitur auctor Filij, ita Filius auctor Spiritus ſancti, nec obſtat, quod Filius ſit ab alio, quia etiam in creatis Pater eſt ab alio, & tamen dicitur auctor Filij; ex quo auctor non addit ſupra rationem principij hoc, quod eſt non eſſe ab alio. Item Molina. q. 33. a. 1.

Reſolutio.

RESpondeo, quod nomine auctoris intelligimus actorem alicuius rei, vel qui ſolus ipſam agit, vel qui primus, & principaliter agit, dum ergo hoc nomen transfertur ad diuina; Pater poteſt quidem dici auctor Filij, quia ipſe ſolus Filium producit, non tamen Filius poteſt dici auctor Spiritus ſancti, quia nec ſolus producit Spiritum ſanctum, nec principaliter, & primus ipſum producit; poſſunt tamen dici Pater, & Filius auctores Spiritus ſancti, quia ipſi ſoli, & æquè primò, & principaliter producunt Spiritum ſanctum, & ſecundum hunc ſenſum loquitur D. Hylarius 2. de Trin. dicens, quod a Patre, & Filio auctoribus confitendus eſt Spiritus ſanctus.

Sed ſi auctoritas importat maioritatem Pater autem nec maior eſt Filio; nec Pater & Filius ſunt maiores Spiritu ſancto. Obiectio.

Reſpondetur, quod auctoritas ſecundum quod ſumitur in humanis, vtique importat maioritatem, ſed vt transfertur ad diuina, ſolam productionem, vnde D. Auguſtinus hanc obiectionem in lib. 3. cont. Max. c. 14. ſoluens, inquit, ſi propterea Deum Patrem Deo Filio dicis auctorem, quia ille genuit, genitus eſt iſte, quia iſte de illo eſt, non ille de iſto, fateor, & concedo; ſi autem per nomen auctoris minorem vis facere Filium, Patremque maiorem, nec eiuſdem ſubſtantiæ Filium, cuius eſt Pater, deteſtabor, & reſpuam.

Di-

DISTINCTIO TRIGESIMA.

Sunt enim quædam, quæ ex tempore de Deo dicuntur, eique temporaliter conueniunt ſine ſui mutatione, &c.

QVAESITVM I.

An creaturæ habeant aliquam relationem realem ad Deum?

d. 30. q. 2. D. Bonau. reſp. quod relatio ſecundum rem triplex eſt; vna, quæ fundatur ſuper proprietatem accidentalem, vt ſimilitudo in duplici albedine; altera, quæ fundatur ſuper dependentiam eſſentialem, vt relatio materiæ ad formam; tertia, quæ fundatur ſuper originem naturalem, vt relatio effectus ad cauſam; licet ergo Deus ſecundum nullam harum relationum referatur ad creaturam, creatura tamen ſecundum quamcunque refertur ad ipſum, habet enim ordinem ad eum, mediante proprietate accidentali, dependentia eſſentiali, & origine naturali.

a. 2. Herueus reſp. quod cum Deus ſit cauſa omnium, quæ fiunt; qualitercunque fiant, & cauſa per ſe, & intimior, quam quæcunque alia, oportet omnes nouos effectus habere relationem nouam ad illum ſecundum ré.

q. 1. Thomas Anglicus reſp. quod ſi eſt aliqua relatio creaturæ ad Deum illa eſt tantum rationis, creator enim, & creatura ſunt omnino alterius ordinis, ſic videlicet, quod vnum eſt in genere, alterum non; & ideo relatio realis inter Deum, & creaturas eſſe nõ poteſt.

a. 1. Thomas ab Arg. reſp. quod omne, quod dependet ab altero, & ad ipſum ordinatur, & quod ab altero producitur, & menſuratur habet realem relationem ad illud, & quoniam creaturæ realiter dependent a Deo, & ad ipſum ordinantur, & ab ipſo ſunt realiter productæ, & menſuratæ, ideo realem relationem habent ad ipſum. Item Archangelus Rubeus.

q. 3. Guilelmus Rub. reſp. quod creaturæ ad Deum eſſe relationem realem poteſt intelligi dupliciter, vno modo, quod huiuſmodi relatio realis ſit forma aliqua per ſe vna a Deo, & a creatura diſtincta, in ipſa creatura exiſtens, qua mediante creatura eius ſubiectum dicatur realiter referri ad Deum, & ſic nulla eſt relatio realis creaturæ ad Deum; alio modo quod per huiuſmodi relationem non intelligatur aliquid ab extremis, videlicet a creatura, & a Deo diſtinctum, ſed ipſa extrema tantum, quorum vnum refertur ad alterum realiter per ſeipſum, & ſic creaturæ ad Deum eſt relatio realis, cum ſecundum totum ſuum eſſe referatur ad illum, tanquam dependens ab eo.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod quandocunque aliquid refertur ad aliud per aliquid, quod eſt in eo, habet relationem realem ad ipſum, & quoniam creaturæ referuntur ad Deum per eſſe, quod habent ab eo, & in quo ab eodem conſeruantur, ideo realem relationem habent ad eum.

Sed ſi relatio realis eſt creatura, ipſa autem non realiter refertur ad Deum? alioquin daretur proceſſus in infinitum. Obiectio.

Reſpondetur, quod relatio realis refertur ad Deum, non alia relatione, ſed ſeipſa, & ſic nõ proceditur in infinitum Ita Argentina.

QVÆSITVM II.

An Deus habeat aliquam relationem realem ad creaturas?

D. Thomas reſp. quod relationes, quibus Deus ad creaturas refertur ſicut Theologi, & Philoſophi communiter dicunt non ſunt in eo ſecundum ré, ſed tantum ſecundum rationem, & apprehenſionem intellectus; intellectus autem tripliciter res apprehendit, aliquando enim apprehendit aliquid, quod eſt in re, ſicut apprehenditur, vt quando apprehendit formam lapidis; aliquando apprehendit aliquid, quod nullo modo eſt in re, vt quando imaginatur chymeram; & aliquando apprehendit aliquid, cui ſubeſt in re natura quædam, non tamen ſecundum rationem, qua apprehendit, vt quando apprehendit intentionem generis ſubſtantiæ; & ita apprehendit relationes, ſecundum quod eis ſubeſt diuina virtus, & eſſentia, quibus producuntur creaturæ, quæ ad Deum relationem habent. d. 29. q. 1. a. 3.

Et iterum reſp. quod relatio ſemper eſt inter duo extrema; quandoque ergo contingit, quod ſit relatio rationis ex parte vtriuſque extremi, vt quando inter aliqua non eſt ordo, vel habitudo, niſi ſecundum rationem, qualis eſt ordo, & habitudo eiuſdem ad idẽ, entis ad non ens, generis ad ſpeciem; quandoque etiam contingit, quod ſit realis reſpectu vtriuſque termini, vt quando eſt habitudo p. p. q. 13. a. 7.

do inter aliqua duo ſecundum aliquid realiter conueniens vtrique, vt habitudo inter magnum, & paruum, duplum, & dimidium, patrem, & filium; quandoque tandem contingit, quod ſit relatio realis in vno extremorum, & in altero rationis tantum, vt quando extrema non ſunt vnius ordinis, vt ſcientia, & ſcibile, relatio enim in ſcientia eſt realis, inquantum ſ. ordinatur ad res, in ſcibili verò rationis tantum, inquantum ſcilicet intellectus apprehendit ſcibile, & terminum relationis ſcientiæ, & de huiuſmodi relatiuis dicit Ariſt. 5. Meth. quod non dicuntur relatiua, eo quod ipſa referantur ad alia, ſed quia alia referuntur ad ipſa; cum itaque Deus, & creaturæ non ſint vnius ordinis, & creaturæ ordinentur ad ipſum, & non econuersò, ſequitur quod creaturæ realiter referuntur ad Deum, ſed Deus non habet realem relationem ad ipſas. Item Ricardus diſt. 30. q. 4.

d. 30. q. 3. D. Bonau. reſpondet, quod cum Deus non habeat ordinem, nec aliam, & aliam habitudinem ad creaturam, nec ex conſequenti habet relationem realem ad eam; habet tamen relationem rationis, cum enim intellectus noſter intelligit aliquid referri ad aliquid, intelligit etiam illud comparari ad aliud.

pr. vn. q. 2. Aegidius reſp. quod tres ſunt modi relatiuorum, quos enumerat Ariſt. 5. lib. Meth. aliqua enim ſunt relatiua modo numeri, vt duplum, & dimidium; aliqua modo potentiæ, vt calefaciens, & calefactum; & aliqua modo menſuræ, vt ſcibile, & ſcientia; relatiua primi, & ſecundi modi realiter ab inuicem vniformiter referuntur, itaquod in vtroque extremo eſt relatio realis; relatiua verò tertij modi non ab inuicem realiter vniformiter referuntur, ſed vnum eorum refertur ad aliud ſecundum rem, vt ſcientia ad ſcibile, aliud verò refertur ad illud ſecundum rationem, vt ſcibile ad ſcientiam; cum itaque relatio Dei ad creaturas ſit relatio menſuræ ad menſuratum, Deus enim vt inquit Auer. & Proclus, eſt menſura omnium, ideo relatio creaturarum ad eum, eſt quidem realis, & ipſæ realiter referuntur ad eum, ſed relatio Dei ad creaturas non eſt realis, nec ipſe realiter refertur ad eas, ſed tantum ſecundum rationem; ſic enim nullam arguit mutationem in eo, nec realem ordinationem ad illum.

q. 2. Ioannes Scotus reſp. quod ex hoc in Deo non eſt aliqua relatio realis ad creaturas, quia eſt perfectè ſimplex, & ex ſe neceſſarius, quia enim eſt perfectè ſimplex, nihil eſt reale in eo, quod non ſit ipſe; & quia eſt ex ſe neceſſarius, non poteſt eſſe in eo aliqua realitas, quæ coexigat aliud ad ſuum eſſe; cum itaque relatio realis coexigat terminum illius relationis ad ſuum eſſe, non poteſt eſſe in Deo. Item Guil. Varrill. & Nicolaus de Orbellis.

Herueus reſpondet, quod relationes Dei ad creaturam quo ad aliquid ſunt reales, & quo ad aliquid non, in hoc enim quod Deus refertur ad creaturas per aliquid realiter exiſtens in eo ſunt reales, eſt enim Deus realiter Dominus, & realiter creans; ſed in eo quod huiuſmodi relationes non ex æquo correſpondent relationibus oppoſitis in creaturis, cum illæ ſint limitatæ, & infra genus, hæ autem illimitatæ, & extra genus, non ſunt niſi relationes rationis. q. 2. a. 3.

Durandus reſp. quod relatio poteſt accipi dupliciter, vel pro reali reſpectu exiſtente in rerum natura, & conſequente ad ſuum fundamentum ſiue per ſe, ſiue per accidens, vel pro reali denominatione ſumpta ex pluribus; accipiendo ergo primo modo relationem, Deus non refertur ad creaturam realiter, ſed ſecundo. q. 3.

Petrus Aur. reſp. quod Deus nulla relatione reali refertur ad creaturam, quod probat non ſolum inductione per omnes relationes, quæ locum videntur habere in Deo, ſed etiam in generali ſic. Nulla relatio realis dicitur, niſi quatenus eſt in re ſecundum propinquam potentiam, & tanquam per ſuſceptibile proprium, ſed Deus non eſt in propinqua potentia tanquam ſuſceptibile proprium reſpectu relationum; tum quia Deus non eſt ad aliquid in potentia, quod reducatur ad actum; tum quia aliquid eſſet incompletum in Deo expectans perfici, & compleri per actum noſtri intellectus; tum quia eſſet ſubiectum proprietatum coaccidentalium ſicut qualitas ſimilitudinis, & quantitas æqualitatis; tum quia huiuſmodi relationes ſe haberent ad deitatem per modum actus proprij, & facerent compoſitionem ſaltem ſecundum rationem, quæ ſunt inconuenientia, igitur nulla relatione reali refertur ad creaturam. p. 2. a. 1.

Iacobus Viterb. reſp. quod relatio Dei ad creaturam eſt relatio realis, quia realiter, & non tantum ſecundum rationem eſt terminus ipſius creaturæ. pr. dl. q. 14.

Guilelm. Occham reſp. quod relatio realis diſtinguitur a relatione rationis per hoc, quod quando ſine operatione intellectus res d. 30. q. 3.

Digitized by Google

non eſt talis, qualis denotatur eſſe per relationem, tunc eſt relatio rationis; ſed quando res eſt talis, qualis denotatur eſſe per relationem, vel concretum relationis ſine omni operatione intellectus, tunc dicitur relatio realis; & quoniam Deus dicitur Dominus, conſeruans, creator, quæ ſunt relationes ad creaturam, etiam ſine omni operatione intellectus, ideo huiuſmodi ſunt relationes reales. Item Gabriel. & Io. a Cel.

d. 30. ar. 1. Thomas ab Argentina reſp. quod nulla eſt relatio Dei ad creaturam realis, & hoc probat multipliciter; primò, quia omnis relatio realis eſt ſimpliciter in Deo neceſſe eſſe, nulla autem relatio Dei ad creaturam eſt ſimpliciter neceſſe eſſe, quia cõuenit ei ex tempore; ſecundò, quia nihil reale in Deo eſt creatura, omnis autem res vera realiter ex tempore proueniens eſt creatura; tertiò, quia ſi relatio Dei ad creaturam eſſet realis deſtrueretur ad deſtructionem creaturæ; & conſequenter Deus eſſet mutabilis; quartò, quia Deus eſt ſummè ſimplex, ſummè autem ſimplici nihil aduenire poteſt realiter ex tempore; quintò, quia relatio Dei ad creaturam eſt relatio menſuræ ad menſuratum, talis autem relatio non eſt realis; ſextò, quia relatio hæc, cum adueniret ei ex tempore, & poſt eſſe completum, eſſet accidens. Eſt ergo relatio Dei ad creaturam relatio rationis; ideo enim intellectus noſter concipit Deum referri ad creaturam, quia creatura realiter refertur ad ipſum Deum; & cum hoc nomen Dominus verè dicatur de Deo, & ſit relatiuum, & non dicat relationem realem, igitur rationis.

a. 1. Gerardus reſp. quod ad hoc, quod relatio ſit realis ex parte vtriuſque extremi tria requiruntur; primum, quod ſit mutua, & æqualis coexigentia in relationibus ex parte vtriuſque extremi; ſecundum, quod fundamentum dictarum relationum ſit æqualis immutabilitatis, vel mutabilitatis, ſiue æqualis contingentiæ, vel neceſſitatis in eſſendo; tertium, quod extrema ſint ad inuicem connumerabilia, vel tanquam partes alicuius integralis, vel alicuius vniuerſalis, vel totius analogicè, & quoniam duæ primæ conditiones deficiunt vbi eſt relatio menſurati, & menſuræ, & in ſpeciali tertia relationi Dei ad creaturam cum non poſſit eſſe pars alicuius multitudinis, vel alicuius totius, idcirco relatio Dei ad creaturam non poteſt eſſe realis; quia tamen Deus aliquo modo coexigit creaturam, & coordinatur ei, vt ſtat ſub noſtro modo intelligendi, idcirco habet aliquam relationem rationis ad eam.

d. 28. q. 3. Gregorius reſp. quod Deus habet relationem realem ad creaturam, neque in contrarium eſt aliqua auctoritas Eccleſiæ, aut ſcripturæ ſacræ, aut alicuius ſancti, vel famoſi philoſophi; primò, quia eſt realiter creans, & Dominus creaturarum circumſcripta quacunque operatione intellectus; ſecundò, quia circumſcripta quacunque operatione intellectus relatio eius ad creaturam conſequitur ſua extrema; tertiò, quia verbum eſt vnitum realiter naturæ humanæ circumſcripta quacunque operatione intellectus, quod autem ſic vnitum eſt alicui, habet relationem realem ad illud.

d. 30. q. 4. Guilelm. Rub. reſp. quod Deus refertur ad creaturam non minus realiter, quam creatura ad Deum, & ratio eſt, quia non minus realiter Deus eſt, à quo eſt realiter creatura, quam creatura ipſa ſit ab eo, ſed ex hoc creatura dicitur referri realiter ad Deum, quia eſt, & conſeruatur ab eo; igitur & Deus realiter refertur ad creaturam; licet tamen aliter, quam creatura ad ipſum, creatura enim ſic refertur ad Deum, quod neceſſariò exigit ipſum, non ſic autem Deus ad creaturam; quapropter relatio creaturæ ad Deum vocatur relatio dependentiæ, non autem relatio Dei ad creaturam.

q. 3. a. 2. Alphonſus reſp. quod Deus realiter refertur ad creaturas, ſed non per aliquam relationem formaliter exiſtentem in eo, ſed per relationem realiter exiſtentem in creaturis, quod eſt denominatiuè referri, nõ formaliter.

d. 29. a. 4. Ioannes Bacc. reſp. quod non repugnat Philoſophiæ dicere, quod Dei ad creaturam ſit relatio realis, nec etiam Theologiæ, quia intantum repugnaret, inquantum realiter referri ad creaturam diceret imperfectionem in Deo, quod autem primum ens per eſſentiam reſpiciat realiter omnia entia participantia eſſe tanquam cauſa realis eorum, & Dominus, & quod nobile, & perfectum per eſſentiam reſpiciat nobilitates, & perfectiones participatas, hoc nullam dicit imperfectionem, quia hoc non dicit niſi realiter eſſe extrema perfectionis.

d. 30. a. 5. Et iterum probabilius (inquit) dicitur quod relationes quæ dicuntur de Deo ex tẽpore in ordine ad creaturam ſint relationes reales. non enim adueniunt ei de nouo, ſed iam præceſſerunt ab æterno.

q. 1. Ioannes de Baſſol. reſp. & ex eo quod Deus eſt neceſſe eſſe, actus purus, æternus, & indeficiens deducit relationem Dei ad creaturas, non eſſe realem.

Laur.

Digitized by Google

q. vn. Laur. Opini reſp. quod ſicut ex agere calefactiui ad calefactibile conſurgit reſpectus realis calefactiui ad calefactibile, ita ex agere Dei ad creaturam conſurgit relatio realis, agere enim creaturæ ad creaturam non eſt magis realiter agere, quã agere Dei ad creaturam; relatio ergo, quæ Deus, etiam ſubducta quacunque operatione intellectus, refertur ad creaturam, quia ſubducta quacunque operatione intellectus, etiam creatura eſſet, prout refertur denominatione extrinſeca, eſt verè relatio realis.

tr. 1. p. 3. p. 3. q fin. Nicolaus de Nijſe reſp. quod in Deo nulla poteſt eſſe relatio realis ad creaturam, quod probat ex tribus; ex infinitate ipſius Dei; ex eius ſumma ſimplicitate; & ex ſumma neceſſitate ſui eſſe.

d. 30. q. 2. Ant. Andr. reſp. quod Deus poteſt referri ad creaturam relatione reali non quidem formaliter exiſtente in eo, ſed in creatura; ſicut enim poteſt dici, quod Deus poteſt referri ad creaturam relatione rationis non exiſtente in creatura, ita videtur poſſe dici de relatione reali; & hæc (inquit) opinio inſurrexit poſt tempora Scoti.

d. 29. q. vn. Michael de Pal. reſp. quod ſicut ex actu intelligendi diuino æterno dimanat relatio rationis æterna, ita ex actione reali diuina creandi, conſequens eſt, vt dimanet relatio realis temporalis, eſt enim æqua ratio vtrobique; Deus item & creatura diſtinguuntur realiter, ergo relatione reali, nam hæc relatio eſt inter duo extrema realia realiter diſtincta; ergo eſt relatio realis ex vtraq. parte.

d. 30. q. 1. Franc. a Chriſto reſp. quod Deus refertur ad creaturas non aliqua relatione reali, quæ inſit ei, ſed quia terminat habitudinem realem creaturarum ad ipſum.

§. 1. Guilelm. Eſtius reſp. quod relationes, quæ ſunt inter Deum, & creaturas, ex parte quidem creaturarum ſunt reales, eo quod in ijs reales mutationes fiunt, ſed ex parte Dei in ſola ratione conſiſtunt, nihil enim Deo, ſiue abſolutum, ſiue reſpectiuum de nouo accidere poteſt. Item Archang. Rub.

p. 1. q. 8. a. 7. Petrus Trigoſius reſp. quod opinio eorum qui ponunt in Deo relationem realem reſpectu creaturarum non ſolum eſt falſa, ſed etiã periculoſa, immò & aliquibus videtur temeraria; non enim (inquit) eſt ſecurum aſſerere, quod in Deo ſit ponenda relatio realis ex tempore, cum ſit neceſſe eſſe, omnino immutabilis, ac proinde nihil de nouo ei aduenire poſſit; eſt ergo in Deo ponenda relatio rationis, per quam formaliter dicitur Dominus, & refertur ad creaturas.

Gabriel Vaſquez reſp. quod fundamentum vnde relatio deſumitur, & vnde nomen relatiuum Deo tribuitur eſt reale, ſiue præſens, ſiue poſſibile, ſiue futurum; at ipſa relatio, non niſi rationis ponenda eſt in Deo. q. 13. a. 7.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſicut dictum eſt, quandocunque aliquid refertur ad aliud, per aliquid, quod eſt in eo, & non per ſolam operationem intellectus, talis relatio eſt relatio realis, etiam quacunque alia conditione circunſcripta, certum eſt enim quod huiuſmodi non poteſt eſſe rationis, cum relatio rationis ſit per ſolam operationem intellectus, ſicut dextrum, & ſiniſtrum in columna, non enim eſt aliquid in columna, per quod ſit magis dextra, quam ſiniſtra, ſed hoc eſt totum ex comparatione, quam facit intellectus ratione ſitus illius, & alterius appoſiti; cum itaque referatur Deus ad creaturam per potentiam, quam habet ſuper eam, & per actionem, quam ſuper eam exercet, quæ realiter ſunt in Deo, ideo Deus habet relationem realem ad creaturam.

Sed ſi circũſcripta creatura nulla amplius remanet relatio ad illam? quod autem Deo reale eſt ſemper remanet, etiam quocunque alio circunſcripto, quodcunque enim reale Deo, Deus ipſe eſt. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod relatio nõ dicitur realis, eo quod ipſa ſit aliquid reale, vel aliqua realitas in eo, cuius eſt relatio, ſed quia fundatur ſuper aliquam realitatem, quæ in Deo eſt ipſamet diuina eſſentia, quæ aliquando ſe habet per modum potentiæ, vt in relatione dominij, aliquando per modum actionis, vt in relatione creantis; & ideo circunſcripta quacunque creatura, nihil inconuenit, quod etiam circunſcribatur relatio realis ad ipſam, manente tamen ipſa realitate, quæ eſt diuina eſſentia.

QVAESITVM III.

An relatio, quam Deus habet ad creaturam, ſit relatio noua, ſeu de nouo adueniens ei?

D. Thomas reſp. quod Deus refertur ad creaturam, vt actuale principium eius, quodlibet enim eſſe cuiuſlibet rei effluit ab eo; quoniam autem relatio ſecundum actum exigit duo extrema in actu, non poteſt referri ad eam, vt actuale principium eius, niſi ipſa exiſtat in actu; cum ita- d. 30. q. 1. a. 3.

itaque non ſemper actu fuerit creatura; nec Deus ſemper habuit relationem ad illam, ſed quam modo habet, ex tempore habet; & de nouo aduenientem ei.

p. vn. q. 1. Aegidius reſp. quod inter relationes aliquæ ſunt habituales, aliquæ verò actuales, eſt autem hæc differentia inter eas, quia habituales non ponunt vtrumque relatiuorum in actu, actuales verò ponunt vtrumque extremorum in actu, & potiſſimè quando huiuſmodi relationes dicunt quid reale in aliquo extremorum; relationes ergo Dei ad creaturam actuales, non poſſunt conuenire ei, niſi ex tempore, quia creatura nulla eſt æterna, ſed habituales poſſunt conuenire ei ab æterno, & ſic eſt aliqua relatio Dei ad creaturam ab æterno.

d. 30. q. 1. Ricardus reſp. quod inter ens, & non ens eſt relatio rationis, non realis; primò, quia non ens non poteſt eſſe ſubiectum relationis, cum non ſit aliquid; ſecundò, quia non poteſt eſſe terminus, relatio autem realis debet dependere ex realitate ſubiecti, de quo dicitur, & ex realitate termini, ad quem dicitur.

q. 2. Ioannes Scotus reſp. quod creaturæ habent quidem relationem realem nouam ad Deum, ſed non ad hoc oportet ponere aliquam relationem nouam in Deo, vt terminet talem relationem creaturarum ad ipſum, quia cum relatio creaturæ ad Deum ſit de relationibus tertij modi, non mutuò exiguntur in vtroque extremo, dicit enim Ariſ. lib. 5. Meth. quod tertio modo dicuntur relatiua, quæ dicuntur ad aliquid, quia alia ſunt eorum; nec ſimiliter oportet ponere talem relationem in Deo per actum intellectus ſui comparantis hoc ad illud, quoniam cum non ſit tranſitus de contradictorio in contradictoriũ ſine mutatione, non poſſet fieri huiuſmodi cõparatio ab intellectu diuino, ſine mutatione ſui; ſed talis relatio noua poteſt poni in Deo per actũ intellectus noſtri ipſum denominantis per relationem, quæ eſt in creatura.

a. 2. Herueus reſp. quod omnes noui effectus habent aliquam relationem nouam ad Deum, & ideo neceſſe eſt ponere aliquam relationem nouam in Deo correſpondentem ei ſaltem ſecundum rationem.

q. 1. Thomas Anglicus reſp. quod non eſſet in creatura relatio aliqua de genere relationis, niſi ſibi correſponderet alia relatio in Deo; & hoc ideo, quia in hoc diſtinguitur genus relationis ab alijs ſex generibus reſpectiuis, quod relatio de prædicamento relationis, non terminatur immediatè niſi ad relationẽ, alia vero ſex genera terminantur ad aliquid abſolutum.

p. 2. ar. 2. Petrus Aureolus reſp. quod relatio ſecundum quam concipitur Deus eſſe terminus relationum realium, quæ ſunt in creaturis, eſt quidem æterna in intellectu increato, quia ſicut in eo eſt æterna apprehenſio relationum creaturarum ad Deum, ita in illo eodem eſt apprehenſio æterna relationis termini circa Deum, ſed in intellectu creato eſt de nouo, & probat; quandocunque aliqua mutuò ſe coexigunt, ita quod vnum ex alio conſurgit, neceſſe eſt, ſi primum fuerit nouum, vt ſecundum ſit nouum, ſed ex relatione creaturarum ad Deũ intellectus creatus concipit conſurgere relationem Dei ad creaturas, & mutuò ſe coexigunt; igitur ſi relatio creaturæ ad Deum eſt de nouo, eſt etiam de nouo relatio Dei ad creaturam.

præd. diu. q. 14. Iacobus Viterb. reſp. quod relatio quam Deus habet ad creaturam aduenit ei de nouo, non in ratione ſubiecti; ſed in ratione termini, & ideo nullam nouitatem realem ponit in Deo, ſed tantum in creatura.

d. 28. q. 1. Gregorius reſp. quod licet creatura non eſſet realiter antequam crearetur, Deus tamen habebat realem relationem ad ipſam antequam ipſam crearet, erat enim cauſatiuus, & præſcius illius, quod autem eſt cauſatiuum, & præſcium realiter alicuius, habet relationem realem ad illud.

d. 30. a. 1. Ioannes Bacc. reſp. quod tripliciter poſſumus imaginari relationem realem ex tempore, & de nouo aduenire Deo; vno modo, quod Deus dicatur nouiter relatiuè per hoc, quod incipiat habere nouam habitudinem ad creaturam, ita tamen quod nulla præfuerit in eo; alio modo ſic, quod Deus nouiter incipiat a parte ſui habere nouam habitudinem realem ad creaturam, ſed ex hoc dicatur realiter referri, quia econuerſò creatura incipiat nouiter referri ad eum; tertiò modo, quod nec Deus a parte ſui incipiat habere nouam realem habitudinem ad creaturam, nec etiam nouiter relatiuè dicatur relatione realiter fundata in creatura, ſed ſic quod cum Deus ab æterno habuerit relationem realem fundatam in ſe. ſ. relationem creatiui, cum nouiter creet creaturam, nouiter terminetur relatio illa realis æterna ad creaturam; & ſic in propoſito dicerent Philoſophi, quod cum Deus relatione reali æterna actuali diceretur ad creaturam, per relationem creatiui nihil nouum aduenit Deo, ſed ſolum dicitur nouiter realiter referri, quia nouiter aliter, & aliter terminat relationem

crea-

Digitized by Google

creaturæ ad ipſum, & hoc ſine omni operatione intellectus.

q.1. Nicolaus de Orb. reſp. quod poteſt quidem cauſari noua relatio rationis Dei ad creaturam per actum intellectus creati comparantis Deum cognitum ad creaturam, ſed per actum intellectus diuini comparantis eſſentiam ſuam ad creaturam, licet cauſetur relatio rationis, non tamen noua, & ex tempore, quia ad quocunque comparat eſſentiam ſuam, in æternitate comparat, licet non pro æternitate.

q.21. Ioannes de Baſſol. reſp. quod Dei ad creaturam nulla eſt relatio rationis noua per intellectum diuinum facta; primò, quia huiuſmodi relatio fieri non poteſt niſi per nouum actum intelligendi, & hic cum ſit idem quod diuina eſſentia, in Deo eſſe non poteſt; ſecundò, quia a contradictorio in contradictorium, vt dicit Ariſ. lib. 5. Phyſ. non eſt tranſitus ſine mutatione; tertiò, quia creatura in eſſe intellecto ab intellectu diuino, non eſt aliud realiter ab intellectione diuina, cum igitur reſpectus rationis fiat ab intellectu diuino ad creaturam in eſſe intellecto, ſequitur quod talis relatio rationis ſit æterna ſicut intellectio, & eſſe intellectum creaturæ.

q.2. Ant. And. reſp. quod relatio qua creatura refertur ad Deum, eſt relatio realis noua, ſed non oportet, quod habeat relationem mutuam realem in aliquo termino, nec nouam, nec antiquam, quia relationes tertij modi, quales ſunt menſurati ad menſuram non ſunt realiter mutuæ: ita igitur Dei ad creaturam ſicut ad menſuratum eſt relatio rationis creata ab intellectu diuino, non in tempore, ſed ab æterno.

tr. 1. par. 3 por. 3 Nicolaus de Niſſe reſp. quod in Deo poteſt eſſe aliqua noua relatio rationis per actũ intellectus creati, nam intellectus creatus poteſt de nouo comparare Deum ad creaturas, ſed nulla noua per actum intellectus diuini.

q.vn. Ioannes Maior reſpondet, & dicit duo: primum quod relatio Dei ad creaturam eſt æterna, & de neceſſitate, quia ſic Deus eſt ex neceſſitate, & hic Deus eſt relatio æterna ad creaturam: ſecundum, quod Deus contingenter eſt relatio ad creaturam, loquendo de relatione actuali, quæ vtrumque extremum ſimul ponit, nam deſinente omni creatura Deus non eſt amplius relatio actualis ad eam: ſubiungit tamen, quod ex hoc non ſequitur, quod hæc relatio Dei ad creaturã deſinat eſſe ad deſtructionem omnis creaturæ.

Ioannes Vig. reſp. quod relationes creaturarum ad Deum ſunt nouæ, ſed non per hoc quod ſunt ad Deum neceſſe eſt ponere aliquas relationes in Deo ex tempore illas terminantes. q.2.

Ioannes a Cel. reſp. quod Deus ſecundum aliquas relationes ab æterno referebatur, ad creaturam, nam ab æterno fuit punitiuus, premiatiuus, & creatiuus, in tempore autem eſt creans, puniens, premians, & hæc nihil noui ponunt in eo, ſed tantum in creaturis, quando enim dicuntur eſſe in Deo intelligitur, quod nomina relatiua prædicamenti ad aliquid prædicantur de eo: d.27.

Michael de Pal. reſp. quod relatio realis, qua Deus refertur ad creaturam, non eſt res noua adueniens ei, nihil enim noui poteſt ei accidere, cum ſit actus puriſſimus, & omnis potentiæ receptiuæ expers; eſt tamen nouus modus ſe habendi ad creaturam, creãs enim creaturas nouo modo ſe habet ad eas, quo prius non ſe habebat. d.29.

Reſolutio.

RESpondeo, quod relatio realis, quam Deus habet ad creaturam, prout fundatur ſuper realitatem, hoc eſt, diuinam eſſentiam ſe habentem per modum actionis immanentis æternæ, vt per modum intelligentis, & volentis; vtique æterna eſt, & de nouo non adueniens ei, prout verò fundatur ſuper realitatem, hoc eſt, ſuper diuinam eſſentiam ſe habentem per modum actionis ad extra in tempore, vt per modum creantis, & regentis, temporalis eſt, & de nouo adueniens ei, ſicut ipſe per ſuam eſſentiam nouo modo ſe habet ad creaturam, nouo modo incipit eſſe, & operari.

Sed ſi Deus nulli mutationi, ſiue tranſmutationi eſt ſubiectus? relatio autem realis alicui de nouo adueniens arguit mutationem in eo, quod refertur. Obiectio.

Reſpondetur, quod relatio realis alicui de nouo adueniens non ſemper arguit mutationem in eo, quod refertur; eſt enim relatio realis inter calefaciens, & calefactibile, modo ſcilicet potentiæ, & tamen ſi apponatur verbi gratia ſudarium igni, vtique contingit igni, vt calefacienti, noua relatio ad ſudarium, vt calefactibile ſiue calefactum, ſine mutatione ipſius ignis, ſed tantum ſudarij; ita ergo poteſt quidem Deo aduenire noua relatio realis ad creaturam per nouum modum ſe habendi ad eam, ſed non niſi mutatione facta in creatura, non autem in ipſo Deo.

D I.

Digitized by Google

DISTINCTIO TRIGESIMA PRIMA.

Præterea conſiderari oportet cum tres perſonæ coæquales ſibi ſint, vtrum relatiuè hoc dicatur, &c.

QVÆSITVM I.

An æqualitas, ſimilitudo, identitas cum de diuinis dicuntur importent aliquid poſitiuum, an priuationem tantum, ſeu negationem in eis?

q.54. m. 1. a.1. ALex. reſp. quod cum catholicus dicit, Pater, & Filius ſunt æquales, Arrianus dicit, Pater, & Filius non ſunt æquales, atque inde quod catholicus affirmat, hæreticus negat, vnde ſicut hæreticus aliquid remouet dicendo, Pater, & Filius non ſunt æquales, igitur catholicus aliquid ponit, cum dicit, Pater, & Filius ſunt æquales.

d.31. q.1. a.1. D. Thomas reſp. quod æqualitas eſt quædam relatio fundata ſuper vnitatem quantitatis in creaturis, & in diuinis ſupra vnitatem eſſentiæ; ratione ergo vnitatis ſolam priuationem dicit, cum ratio vnitatis in priuatione conſiſtat, vnde dicit Ariſt. quod æquale opponitur priuatiuè magno, & paruo, ſicut vnum multo; ratione verò relationis in creaturis quidem dicit aliquid poſitiuum, ſed in diuinis quamuis ſit principium illud, quod præſupponitur ad intellectum eius .i. vnitas eſſentiæ, nihil tamen dicit niſi ſecundum rationem, quod ſit de intellectu illius.

p.1. a.1. q.1. D. Bonau. reſp. quod hæc duo faciunt ſimilitudinem, & æqualitatem, vnitas, & pluralitas; cum autem vnitas, & pluralitas dicantur poſitiuè in diuinis, neceſſe eſt quoque, vt & æqualitas, & ſimilitudo poſitiuè dicantur in eis.

pr.1. q.3. Aegidius reſp. quod in æqualitate duo poſſumus conſiderare, relationem, & fundamentum; ratione fundamenti æqualitas ſemper remotionem importat, & in humanis, & in diuinis; ratione autem relationis poſitionem quidem importat in humanis, quia talis relatio, eſt relatio realis, quæ realem ordinem dicit, non autem in diuinis, quia talis relatio eſt relatio rationis.

a.1. q.1. Ricardus reſp. quod æqualitas in diuinis eſt relatio fundata ſuper vnitatem quantitatis virtualis, & ideo aliquid ponit in Deo, & ſecundum rem, & ſecundum rationem, quia talis quantitas virtualis eſt ipſa diuina eſſentia, & ipſa vnitas ſupra talem quantitatem non dicit, niſi negationem diuiſibilitatis, vnde etiam ratione relationis fundatæ ſuper talem vnitatem dicit aliquid poſitiuum in Deo, vel ſecundum rem, vel ſecundum rationem.

Henricus reſp. quod æqualitas in diuinis dicit priuationem, non habitus, aut alicuius poſitiui, ſed defectus, & priuatiui, quia veriſſimam entitatem ponit in eis, & hoc ratione ſui fundamenti, quod eſt vnitas quantitatis, ſuper quam fundatur, quod reſpondet ei in re; propter quod ita hæreticus eſſet, qui negaret æqualitatem in diuinis, ſicut qui negaret Deum eſſe, quia ad vnum ſequitur alterum, licet æqualitas ſit relatio ſecundum rationem tantum. a.70. q.1.

Durandus reſp. quod in æqualitate, & ſimilitudine tria ſunt conſideranda, fundamentum relationis, extrema relationis, & habitudo relatiua; æqualitas, & ſimilitudo directè, & formaliter ſignificant habitudinem relatiuam, cætera autem duo dant intelligere, non ſicut ſignificata, ſed ſicut habentia habitudinem ad principale ſignificatum; æqualitas ergo, & ſimilitudo, quantum ad ſuum formale, & principale ſignificatum dicunt quid poſitiuum, & ratio eſt, quia ſunt directè in prædicamento relationis, ſaltem ſecundum rationem, cum ſint relationes licet rationis in diuinis; & ſimiliter quantum ad ſua extrema, quæ ſunt ſimilia, & æqualia; & etiam quantum ad ſuum fundamentum, ſi conſideretur quantum ad illud, quod eſt, quia hoc eſt quantitas, vel qualitas, vel aliquid aliud acceptum ſub nomine quantitatis, vel qualitatis; non tamen ſi conſideretur ſub ratione formali fundamenti, quia cum huiuſmodi ratio ſit ratio vnius, ratio autem vnius ſit priuatiua, ſequitur quod dicantur priuatiuè, non poſitiuè. Quantitas enim non ſimpliciter, ſed quatenus vna, fundat æqualitatem, inqu t eodem modo diſſerendo Franciſcus a Chriſto. d.31. q.2.

Petrus Aureolus reſp. quod æqualitas, & ſimilitudo in diuinis ſignificant vnitatem, non quidem relatiuam, quæ dicitur commenſuratio, & conformitas, ſed abſolutam, quæ eſt indiſtinctio magnitudinis virtualis, nec per hoc ſequitur, quod ſignificent priuationem tantum maioritatis, & minoritatis, ſicut dicit Magiſter, ſed benè quod ad talem indiſtinctionem ſequatur talis priuatio. a.3.

Ioannes de Baſſol. reſp. quod æqualitas, ſimilitudo, identitas, ſunt nomina impoſita q.1.

ad

ad ſignificandum principaliter, & formaliter relationem poſitiuè, & ideo dicuntur poſitiuè, non priuatiuè.

disp. vn. Michael de Pal. reſp. quod æqualitas formaliter affirmationem præſignat .ſ. relationem realem inter quanta, quæ ſe non excedunt, & ideo non eſt nomen priuatiuum.

§. 1. Guilelm. Eſtius reſp. quod iſtæ relationes, ſimilitudo, & æqualitas reuera aliquid ponunt in diuinis, nempe magnitudinem, vel qualitatem eandem, perſonarum verò pluralitatem, niſi tamen dicatur quod hæc magis ſupponant, quam ponant?

Reſolutio.

Reſpondeo, quod æqualitas, ſimilitudo, & identitas ſunt abſtracta æqualis ſimilis, & eiuſdem, & ideo ſicut diuinæ perſonæ dicuntur æquales, ſimiles, eędem, non per aliquid quod remouetur ab eis per hoc enim potius dicerentur inæquales, diſſimiles, diuerſæ, ſed per aliquid, quod eſt in eis de omnibus vniformiter prædicabile, vt æquales per potentiam, ſimiles per virtutem, & eædem per eſſentiam, ita etiam æqualitas, ſimilitudo, & identitas, dicuntur in eis, non ſecundum quod remouent, ſed ſecundum quod ponunt conuenientiam in potentia, virtute, & eſſentia.

Obiectio. Sed ſi perſonæ diuinæ dicuntur æquales, quia vna non eſt maior altera, ſimiles quia non eſt magis vna quam altera, & eædem quia vna non eſt aliena ab altera?

Reſpondetur, quod non eſt inconueniens, quod ea, quæ de diuinis dicuntur, etiamſi aliquid poſitiuum ex ſuo principali, & formali ſignificent, per remotionem, ſeu per priuationem explicentur, & ita contingit de relationibus communibus, quæ licet quo ad ſuum principale ſignificatum dicant quid poſitiuum, poſſunt tamen per priuationem, & negationem quarundam imperfectionum notificari, vt per exceſſum, vel defectum in potentia, & virtute, & alienationem in eſſentia.

QVÆSITVM II.

An æqualitas, ſimilitudo, identitas cum de diuinis dicuntur, dicantur ſecundum ſubſtantiam, an ſecundum relationem?

q. 14. m. 1. ar. 1. Alexander Al. reſp. quod ſimilitudo, & æqualitas dicunt eſſentiam, & relationem, ſed eſſentiam in recto, & ex ſuo principali ſignificato, relationem vero in obliquo; eſt enim tam ſimilitudo, quàm æqualitas indifferens eſſentia plurium.

Albertus reſp. quod iſta nomina ſimilis, & æqualis dicuntur relatiuè connotando eſſentiam, quando ſumuntur concretiuè, & notant in ſuis ſuppoſitis relationes indeterminatas ſuorum relatiuorum; cum autem ſignificantur abſtractè, tunc ſignificant eſſentiam prædicto modo conſideratam, & connotant perſonas obliquè; ſimilitudo enim eſt indifferens eſſentia ſecundum attributa dicentia qualitatem, & æqualitas ſecundum attributa dicentia quantitatem in tribus. d. 31. a. 3.

D. Thomas reſp. quod æqualitas in diuinis eſt relatio quædam fundata ſuper vnitatem eſſentiæ, prout ſignificatur nomine quãtitatis virtualis, vt cum dicitur magnitudo, vel æternitas, vel potentia. q. 1.

D. Bonau. reſp. quod æqualitas, & ſimilitudo in diuinis dicunt reſpectum ſuppoſitorum diſtinctorum conuenientium in aliquo vno .ſ. in eſſentia, & quoniam reſpectus ponitur per modum formalis, vnitas eſſentiæ, & pluralitas ſuppoſitorum per modum cauſæ, ideo propriè, & principaliter dicunt relationem, ex conſequenti verò ſubſtantiam. p. 1. a. 1. q. 2.

Ricardus reſp. quod æqualitas principaliter ſignificat relationem, ſed cum ipſa relatio pro fundamento habeat eandem magnitudinem, ex conſequenti ſignificat, vel dat intelligere eſſentiam in obliquo. a. 1. q. 2.

Henricus reſp. quod æqualitas, & ſimilitudo formaliter loquendo ſecundum relationem dicuntur, fundamentaliter verò, & quaſi materialiter ſecundum ſubſtantiam. a. 68. q. 4.

Marſilius reſp. quod æqualitas inter diuinas perſonas, nec nudam eſſentiam dicit, quia importat pluralitatem, nec nudam relationem, quia dicit conuenientiam perſonarum in quantitate ſpiritualis, quæ eſt res abſoluta; ſed ſimul relationem, & eſſentiam; relationem, quia dicit pluralitatem, nam in diuinis non eſt pluralitas, niſi ſecundum relationem; eſſentiam, quia dicit conuenientiam in quantitate, quæ quantitas eſt eſſentia. q. 33. a. 2.

Ioannes de Baſſol. reſp. quod æqualitas, ſimilitudo, identitas dicuntur ſecundum ſubſtantiam, ſi ly ſecundum reduplicat rationem fundamentalem ipſorum, eo modo quo dicimus aliquid alicui ſimile ſecundum albedinem; dicuntur verò ſecundum relationem, ſi ly ſecundum reduplicat rationem formalem, & quiditatiuam. d. 31. q. 1.

Guilelm. Eſtius reſp. quod æquale æqua- §. 1.

Digitized by Google

li dicitur æquale, & ſimile ſimili ſimile, & ideo æqualitas; & ſimilitudo ſunt relationes, tàm in creaturis, quàm in diuinis, non quidem peculiares, vt paternitas, & filiatio, & huiuſmodi, ſed ſingulis perſonis communes, vnicuique conuenientes reſpectu alterius.

Reſolutio.

RESpondeo, quod æqualitas, ſimilitudo, & identitas dicuntur ſecundum relationem, & ſecundum ſubſtantiam; ſecundum relationem, vt ly ſecundum dicit circunſtantiam cauſæ formalis, & in recto, ſunt enim æqualitas, ſimilitudo, & identitas formaliter relationes, quibus perſonæ diuinæ omnes ad inuicem referuntur; ſecundum eſſentiam vero, vt ly ſecundum dicit circunſtantiam cauſæ quaſi materialis, ſiue fundamentalis, & in obliquo; quantitas enim ratione cuius perſonæ ſunt æquales, & qualitas ratione cuius ſunt ſimiles, & eſſentia ratione cuius ſunt eædem, non diſtinguuntur à ſubſtantia in diuinis.

Sed ſi dici ſecundum ſubſtantiam, & dici ſecũdum relationẽ ad inuicem opponuntur?

Obiectio. Reſpondetur, quod dici ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum relationem ad inuicem opponuntur, & non poſſunt conuenire eidem eodem modo, & ſecundum eandem rationem; at in propoſito dici ſecundum ſubſtantiam, alia ratione conuenit, & alio modo æqualitati, ſimilitudini, & identitati quam dici ſecundum relationem.

QVÆSITVM III.

An æqualitas, ſimilitudo, identitas in diuinis ſint relationes reales?

d. 31. q. 1. D. Thomas reſp. quod ſi qualitas poneret aliquam relationem realem in diuinis perſonis, aut hoc eſſet ex parte eſſentiæ, quæ eſt communis ipſis diuinis perſonis, aut ex parte relationum, quibus diſtinguuntur ipſæ perſonæ, ſed non ex parte eſſentiæ, quia eſſentia eſt vna, & eadem numero in eis, & idem non refertur ad ſeipſum aliqua relatione reali, nec etiam ex parte relationum, quibus ipſæ diſtinguuntur, quia relatio non refertur per aliquam relationem realem mediam, ſic enim eſſet abire in infinitum; important ergo relationes rationis, non reales.

Et p. p. q. 28. ar. 4. ad quartum reſp. quod æqualitas, & ſimilitudo in Deo, non ſunt relationes reales, ſed rationis tantum, & q. 42. art. 1. ad 4. reſp. quod æqualitas, & ſimilitudo in diuinis perſonis non eſt aliqua realis relatio diſtincta à relationibus perſonalibus, ſed in ſuo intellectu includit, & relationes diſtinguentes perſonas, & eſſentiæ vnitatem.

Aegidius reſp. quod in diuinis æqualitas, & ſimilitudo coincidunt cum relatione identitatis, & quoniam relatio identitatis eſt relatio rationis, & non realis; idcirco æqualitas, & ſimilitudo in diuinis ſunt relationes rationis non reales; quod ex eo etiam probat, quia relationes reales ſunt tantum quatuor, & diſtinguunt perſonas, non ſic autem æqualitas, ſimilitudo, & identitas. pr. 32. q. 1.

Ricardus reſp. quod relatio, quam importat ſimilitudo, & æqualitas non eſt relatio realis, quia nec in eſſentia, nec in perſonis; non in eſſentia, quia nulla poteſt eſſe realis relatio in eſſentia; non in perſonis, quia æqualitas eſt communis tribus perſonis, ſicut & ſimilitudo, nulla autem relatio realis eſt communis tribus perſonis. n. 1. q. 2.

Henricus reſp. quod æqualitas, ſimilitudo, & identitas ſunt quidem in creaturis relationes reales, quia fundantur ex natura rei in ſubiectis, & fundamentis ſuis, non autem in diuinis, quia quamuis habeant eſſe ſuum originaliter à natura rei, non habent tamen eſſe completiuè in eis, niſi ex conſideratione rationis; relationes autem reales, & rationis diſtinguũtur ſecundum eſſe ſuum completiuum. a. 62. q. 4.

Ioannes Scotus reſp. quod tria ſunt, quæ requiruntur ad relationem realem; quod habeat fundamentum reale, & terminum; quod habeat extrema realiter diſtincta; & quod ex natura extremorum, ſcilicet fundamenti, & termini, ſequatur ipſa talis relatio abſque opere alterius potentiæ comparantis vnum extremum alteri; & quoniam æqualitas in diuinis habet fundamentum reale ex natura rei, non tantum remotum, quod eſt eſſentia, ſed propinquum, quod eſt magnitudo, & ſpecialius, quod eſt infinitas; & ſimiliter extrema realiter diſtincta, tum quia nulla perſona diuina dicitur æqualis ad ſe, tum quia præſupponit diſtinctionem cauſatam per relationes originis, non enim ipſa, ſicut ſimilitudo, & æqualitas poteſt pullulare in eſſentia, niſi iam præexiſtentibus relationibus originis in ea; & etiã conſequitur perſonas ex natura rei ſine omni comparatione per aliquam potentiam extrinſecam comparantem, quia enim pater ge- d. 32. q. vn.

Digitized by Google

generando communicat Filio perfectè ſuam eſſentiam; ideo communicat ei eandem magnitudinem infinitam, propterea in diuinis æqualitas eſt relatio realis; ſicut etiam ſimilitudo, tam ea, quæ ſumitur ſecundum eſſentiam, inquantum eſt actus, & quaſi forma, qua perſonæ ſunt Deus, quam ea, quæ ſumitur ſecundum attributa, quæ ſunt quaſi proprietates naturæ, habet enim ſicut æqualitas fundamentum reale, realem diſtinctionem extremorum, & eſt in diuinis etiam abſque operatione intellectus; identitas ſimiliter, vt eſt vnius perſonæ ad aliam, qua ſcilicet Pater dicitur idem Filio, & econuersò eſt relatio realis, habet enim veram vnitatem ex natura rei, ſufficientem diſtinctionem extremorum, nec eſt neceſſaria cõparatio intellectus ad eſſe illius. Item Anton: Andreas, Nicolaus de Orbellis, & Ioãnes Vigerius.

q. 1. Durandus reſp. quod relatio realis, vel eſt realis reſpectus conſequens per ſe ad ſuũ fundamentum, vel eſt reſpectus adueniens accidentaliter, vel eſt denominatio ſumpta ex pluribus; & quoniam nec æqualitas, nec ſimilitudo poteſt eſſe huiuſmodi, non enim poteſt eſſe reſpectus realis conſequens per ſe ad ſuum fundamentum, nam talis reſpectus eſt realis ex hoc, quod extrema realia ex natura ſui fundamenti habent inter ſe neceſſariam exigentiam, perſonæ autem diuinæ non habent inter ſe neceſſariam exigentiam ratione eſſentiæ, vt eſt fundamentum æqualitas, & ſimilitudinis, talem enim exigentiam habent ratione eſſentiæ, vt eſt fundamentum relationum originis, prout eſt fæcunda, & ideo relationes originis ſunt quidem reales, ſed non relationes æqualitatis, ſimilitudinis, & identitatis nec ſimiliter eſt reſpectus accidentaliter adueniens, quia nullus talis reſpectus realis conuenit Deo; nec tandem eſt denominatio ſumpta ex pluribus, quia ex vnica re tantum ſumpta eſt, quæ eſt diuina eſſentia, vt plurificata ſecundum rationem.

q. 3. Petrus Aur. reſp. quod ſimilitudo, & æqualitas, licet ſint appellationes relatiuæ, non ſunt tamen relationes, neque reales, neque rationis; quod non ſint reales ex multis inconuenientijs deducit, quæ ſequerentur ſi eſſent reales; primum, quod relationes reales oppoſitæ eſſent in eodem primo ſubiecto; ſecundum, quod eſſent plures æqualitates, & ſimilitudines numerales, & conſequenter aliquid, quod haberet rationem vniuerſalis in diuinis; tertium, quod eſſent plures relationes, quam quatuor in eis; quartum, quod cum fundarentur in eſſentia, eſſentia actuaretur ab eis, & ſic eſſet in potentia; quod non ſint rationis probat ſic. Vel intelliguntur huiuſmodi relationes eſſe rationis ad modum identitatis, quando .ſ. terminus bis ſumitur in eis, vel eo quod actu non ſunt in re ſine opere intellectus; ſed non poſſunt intelligi primo modo, quia termini æqualitatis, & ſimilitudinis ſunt realiter diſtincti, quorum etiam quilibet non ad ſe, ſed ad alium referetur; nec ſimiliter ſecundo modo, quia nihil eſt in diuinis complebile per actum noſtri intellectus, alioquin eſſentia diuina eſſet quoad aliquid incompleta, & in potentia expectans per intellectum compleri, & reduci ad actum, quod eſt inconueniens.

Iacobus Viterb. reſp. quod æqualitas, & ſimilitudo ſunt relationes reales in Deo, aliter tamen quam paternitas, & filiatio, nam paternitas, & filiatio faciunt diſtinctionem perſonarum, æqualitas vero, & ſimilitudo ſupponunt eam, & ſupponunt etiam diſtinctionem eſſentiæ virtualem, quæ eſt fundamentum æqualitatis, & ſimilitudinis; licet enim eſſentia ſit fundamentum vnum ſecundum rem, eſt tamen virtute diſtinctum; identitas verò, quæ eſt vnius rei omnino eſt relatio ſecundum rationem, ſed identitas ſecundum aliquid .ſ. in ſpecie, & in genere eſt relatio realis, & hæc ſupponit diuerſitatem virtualem, quæ eſt in eſſe. *pr. di. q. 14.*

Frac. Maro reſp. quod quatuor ſunt, quæ requiruntur ad relationem realem; primum, quod fundamentum ſit reale; ſecundum, quod terminus ſit realis; tertium, quod extrema ſint realiter diſtincta; & quartum quod reſpectus ille innaſcatur ex natura rei, propter quod dextrum, & ſiniſtrum non dicuntur relationes reales, & quoniam fundamentum æqualitas, ſimilitudinis, & identitatis in diuinis eſt reale .ſ. eſſentia, quantitas, & qualitas, terminus ſimiliter eſt realis .ſ. eadem eſſentia, quantitas, & qualitas, extrema etiam ſunt realiter diſtincta .ſ. diuinæ perſonæ, & reſpectus huiuſmodi innaſcuntur ex natura rei, ideo tales relationes ſunt relationes reales. *d. 31. q. vn.*

Gulielm. Occham reſp. quod huiuſmodi relationes non ſunt relationes rationis, nam etiam ſecluſa operatione intellectus vna perſona eſt eadem, ſimilis, & æqualis alteri; neque reales quaſi res aliquæ ſubiectiuæ in Deo exiſtentes quocunque modo diſtinctæ a perſonis, vel ab eſſentia, quia tales *q. vn.*

Digitized by Google

res in Deo ponerentur fruſtra; ſed ſunt relationes reales, inquantum importãt veras res, & concretum ſuum prædicatur de re, & res eſt talis, qualis denotatur eſſe per tale relatiuum abſque operatione intellectus.

a 2. Thomas ab Arg. reſp. quod relatio æqualitatis in diuinis non eſt relatio realis, ſed tantum rationis; tum quia non habet eſſe completum niſi ab intellectu noſtro; tum quia fundatur ſuper magnitudinem virtutis, quæ eſt vna, & eadem in ſingulis perſonis; ſimiliter, & relatio identitatis, vnius .ſ. ad ſe; tum quia quod comparatur non comparatur ad aliud a ſe realiter diſtinctum; tum etiam, quia non fit huiuſmodi comparatio eiuſdem ad idem, niſi ſecundum intellectum, dicit enim Ariſt. 5. Meth. quod cum idem refertur ad ſeipſum intellectus vno vtitur, vt duobus.

a.3. Gerardus reſp. quod ſi ſimilitudo, & æqualitas in diuinis eſſent relationes reales, ſequeretur pari ratione, quod etiam idẽtitas vnius perſonæ ad aliam eſſet relatio realis, quod eſt falſum, nam de ratione relationis realis eſt, quod importet realem alietatem, identitas autem realem alietatem non importat; ſecundò ſequeretur, quod alia eſſet æqualitas vel ſimilitudo, qua Filius eſſet æqualis Patri, & qua pater eſſet æqualis Filio, quod eſt ſimiliter falſum.

q.2. Guilelm. Rub. reſp. quod intelligendo per relationes reales ipſa relata extrema realia, iſtæ relationes communes identitas, ſimilitudo, & æqualitas ſunt relationes reales non minus, quam relationes originis.

d.19. a.2. q.2. Alphonſus reſp. quod ad relationem realem ſufficiunt tria; primum, quod fundamentum ſit reale; ſecundum, quod ſit realis diſtinctio extremorum; tertium, quod talis relatio conſequatur extrema ex natura rei abſque operatione alterius potentiæ cõparantis vnum extremum ad aliud; & quoniam perſonæ diuinæ, quæ ſunt fundamentum, & terminus huius identitatis ſunt reales, & realiter diſtinctæ, & identitas conſurgit ex natura rei, non ex operatione intellectus, quia ipſarum ſubſtantia eſt vna vnitate reali, non rationis tantum, idcirco identitas eſt relatio realis; & cum æqualitas, & ſimilitudo in diuinis non diſtinguantur ab identitate, quia magnitudo, quæ eſt fundamentum æqualitatis, & qualitas ſimilitudinis non diſtinguuntur ab eſſentia ex natura rei, ſequitur etiam quod æqualitas, & ſimilitudo ſint relationes reales.

d.32. Ioannes Bacc. reſp. quod ſicut relatio idẽtitatis, non .ſ. ea, quæ eſt alicuius ad ſe, a.2. talis enim ſemper eſt rationis, ſed quæ eſt inter plura extrema realiter participantia vnam formam eiuſdẽ rationis, eſt relatio realis in creaturis, ita etiam eſt realis in diuinis; & ſimiliter relatio æqualitatis, vt indiſtinctè accipitur a relatione identitatis, eſt realis, ſed vt diſtinctè accipitur non eſt, niſi rationis, relatio enim (inquit) non eſt realis, niſi quia fundamentum eſt reale, & ratio fundandi eam, alioquin relatio plus haberet de entitate, quam fundamentum, ſed cum relatio æqualitatis, vt diſtinctè accepta ab idẽtitate non habeat fundamentum aliquid realiter diſtinctum a fundamento identitatis, eſt enim fundamẽtum identitatis eſſentia, æqualitatis verò magnitudo, magnitudo autem, & eſſentia non diſtinguuntur niſi ſecundum rationem; idcirco relatio æqualitatis, vt diſtincte accepta a relatione identitatis non poteſt eſſe niſi relatio rationis.

Marſilius reſp. quod æqualitatem, vel ſimilitudinem perſonarum interſe eſſe relationem realem poteſt intelligi dupliciter, vno modo, quod ſit aliqua relatio reſpectiua aliquo modo formaliter diſtincta contra eſſentiam; alio modo, quod etiam nulla creatura exiſtente actum rationis comparatiuum circa perſonas exercente, adhuc realiter eſſet plurium rerum diſtinctarum in quantitate ſpirituali conuenientia; æqualitas ergo primo modo non eſt realis relatio in diuinis, quia non eſt aliqua res reſpectiua aliquo modo formaliter diſtincta contra eſſentiam, ſed ſecundo modo, quia eſto quod nulla creatura eſſet exercens actum comparatiuum circa diuinas perſonas, adhuc in diuinis eſſet plurium rerum in quantitate ſpirituali conuenientia .ſ. eſſentia. q 33. a.2.

Ioannes de Baſſol. reſp. quod æqualitas, ſimilitudo, & identitas non ſunt relationes reales; ſed rationis tantum, ſi enim eſſent reales, cum de ſe non ſint hoc, & conſequenter plurificabiles facerent compoſitionem in Deo, ponerent rationem vniuerſalis, & particularis, & etiam materiam; vbicunque enim eſt dare quiditatem, quæ de ſe non eſt hæc, eſt aliquo modo dare materiam. d.31. q.1.

Michael de Pal. reſp. quod æqualitas eſt relatio realis, quia extrema ſunt realiter diſtincta. diſp. 2 q.1.

Guilelm. Eſtius reſp. quod licet perſonæ diuinæ, quæ ſimiles, & æquales dicuntur, & in quibus relatio fundari intelligitur re vera ſint diſtinctæ, ipſa tamen ratio fundandi in eis, eſt prorſus eadem, nam ſunt ſimiles s.24

les

Digitized by Google

les, & æquales ſecundum eſſentiam, quæ vna eſt, & indiuiſa in omnibus, & ideo ſimilitudo, & æqualitas in eis relationes ſunt rationis tantum, non reales.

q 42. a.1. diſp 2 Ludou. Mol. reſp. quod relationes ſimilitudinis, & æqualitatis ſunt relationes rationis, & non reales, tum quia huiuſmodi relationes fundantur in eſſentia, quæ eſt prorſus eadem in vtroque extremo; tum quia ſecundum catholicos doctores non ſunt plures relationes reales, quam quatuor, neque plures rationes perſonales, quam tres.

diſp. 266. c.3. Gabriel Vaſqu. reſp. quod ideo huiuſmodi relationes, æqualitas, ſimilitudo, identitas non ſunt reales in diuinis, quia fundamenta earum, quæ primò referuntur non diſtinguuntur realiter in eis.

Reſolutio.

RESpondeo, quod circunſcripta quacunque operatione intellectus comparantis ipſas diuinas perſonas inter ſe, adhuc ipſę perſonæ diuinę eſſent ęquales, ſimiles, & eædem inter ſe, ſunt enim referribiles ad inuicem ex natura rei per aliquid, quod eſt commune in eis, per quantitatem virtutis, per qualitatem ſpiritualem, & per eſſentiam, ratione quarum dicuntur æquales, ſimiles, & eædem, & verè, & realiter ſunt huiuſmodi, & ideo dicuntur relationes communes, quia ſunt in ſingulis perſonis; cum itaque in hoc diſtinguantur relationes reales, a relationibus ſecundum rationem, quod relationes ſecundum rationem ſunt ex opere tantum intellectus, & maximè quantum ad earum completionem, reales verò ex his, quę ſunt in re; idcirco æqualitas, ſimilitudo, identitas, ſunt relationes reales in diuinis, non rationis.

Obiectio. Sed ſi ſecundum omnes catholicos doctores ſunt tantum quatuor relationes reales in diuinis? paternitas ſcilicet, filiatio, ſpiratio actiua, & proceſſio.

Reſpondetur, quod ſecundum omnes catholicos doctores ſunt tantum quatuor relationes reales in diuinis, diſſimilium nominum, & tanquam rationes formales diſtinguendi ipſas diuinas perſonas, in quibus (vt dicit Occham) ſubiectiuè exiſtunt; non ſunt autem huiuſmodi ęqualitas, ſimilitudo, & identitas, quamuis ſint relationes reales, non enim ſunt in perſonis tanquam rationes formales ſubiectiuè exiſtentes in ſingulis earum, quibus vel conſtitui dicantur, vel ab inuicem realiter, & perſonaliter diſtingui.

QVAESITVM IV.

An æqualitas, ſimilitudo, identitas ab inuicem diſtinguantur realiter in diuinis?

HEnricus reſp. quod huiuſmodi relationes communes, æqualitas .ſ. ſimilitudo, & identitas non diſtinguuntur in diuinis realiter, ſed tantum ſecundum rationem, quia fundamentum earum a quibus trahunt originaliter ſuas rationes formales, penes quas ſumitur earum diſtinctio, quæ ſunt ſubſtantia, quantitas, qualitas, differunt tantum ſecundum rationem, & non realiter. a 64. q.1.

Ioannes Scotus reſp. quod æqualitas diſtinguitur ab identitate, & ſimilitudine, non quidem ſicut illæ inter ſe, ſed ſicut dicens proprium modum fundamenti vtriuſque illarum duarum relationum, & quaſi etiam modum proprium vtriuſque relationis .ſ. quod tam identitas, quam ſimilitudo ſit perfecta. d.31. q.vn.

Thomas Anglicus reſp. quod identitas, ſimilitudo, & æqualitas licet ſint relationes reales, non ſunt tamen realiter diſtinctæ, ſicut nec realiter diſtinguuntur vnitas, magnitudo, perfectio, ſuper quas fundantur huiuſmodi relationes, cum ſint idem, quod eſſentia ſecundum iſtas diuerſas rationes conſiderata. q.vn.

Guilelm. Occham reſp. quod iſtæ relationes ſunt communes Deo, & creaturis, & ideo quia in creaturis inuenitur, quod aliquid eſt ſimile alteri, & non æquale, ideo in ipſis diſtinguuntur, non in diuinis. q.vn.

Alphonſus reſp. quod æqualitas condiuiſa identitati, & ſimilitudini, eſt æqualitas propriè dicta, quoniam autem in diuinis æqualitas non eſt æqualitas propriè dicta, ideo non condiuiditur identitati, & ſimilitudini, non ergo diſtinguitur æqualitas in diuinis ab identitate, & ſimilitudine, ſicut neque magnitudo diſtinguitur a natura, & qualitate rei in illis. d.29. q.1.

Ioannes Bacc. reſp. quod relationes æqualitatis ſimilitudinis, & identitatis non diſtinguuntur in diuinis niſi ſecundum rationem, quia fundamentum æqualitatis, quod eſt magnitudo non diſtinguitur niſi ſecundum rationem a fundamento identitatis, quod eſt eſſentia. d.31. a.1.

Petrus Aliacenſis reſp. quod æqualitas, ſimilitudo, & identitas nullam diſtinctionem im- q.10. a.1.

Digitized by Google

important in diuinis, niſi tantum diſtinctionem perſonarum, nec æqualitas eſt aliquid reale in perſonis aliquo modo diſtinctum, vel ſecundum rationem, vel ex natura rei a ſimilitudine, ſed ſimilitudo, & æqualitas important diuinas perſonas habentes eãdem eſſentiam numero, propter quam dicuntur æquales, & ſimiles, & tamen non ſunt nomina ſynonima, non propter diſtinctionem in Deo, ſed propter diſtinctionem in creatura, cui ſunt aliquo modo communia.

Reſolutio.

RESpondeo, quod in diuinis non niſi ea, quæ realem oppoſitionem habent ad inuicem realiter diſtinguuntur, eſt enim regula generalis, quod omnia in diuinis ſunt realiter vnum, in quibus non obuiat relationis oppoſitio, & propterea hæc diſtinctio non poteſt eſſe niſi inter diuinas perſonas, quia inter eas tantum cadit huiuſmodi oppoſitio; cum itaque æqualitas, ſimilitudo, identitas non habeant oppoſitionem realem ad inuicem, nam idem, idem eſt, æquale, & ſimile, igitur neque inter ſe realiter diſtinguuntur.

Obiectio. Sed ſi huiuſmodi relationes verius habent eſſe in diuinis, quam in creaturis? in creaturis autem differunt realiter, & abſque omni operatione intellectus.

Reſpondetur, quod æqualitas, ſimilitudo, & identitas non diſtinguuntur inter ſe abſque opere intellectus, quando fundantur in vno a proprietate vnitatis dicto, quod ſemper contingit in diuinis, vbi idem re ſinguları ſunt ſubſtantia, quantitas, & qualitas in tribus perſonis, & ideo ſola ratione differunt inter ſe, & licet huiuſmodi relationes verius habeant eſſe in diuinis, non tamen ſequitur, quod verius diſtinguantur.

QVÆSITVM V.

An ſint plures æqualitates, plures ſimilitudines, plures identitates in diuinis?

d. 31. pr. 2. q. 2. AEgidius reſp. quod relationes diſtinguuntur ſecundum eſſe, quod eſt diſtingui ratione ſui fundamẽti, cum eſſe relationis ſit eſſe ſui fundamenti; & quoniam in diuinis non plurificantur fundamenta huiuſmodi relationum, non eſt enim niſi vna, & eadem magnitudo, & vna ſubſtantia, ideo nec huiuſmodi relationes plurificantur.

q. 67. Henricus reſp. quod relationes communes plurificantur in relatis, ſecundum quod plurificantur fundamenta; licet ergo idem ſit fundamentum æqualitatis, ſimilitudinis, & identitatis in ſingulis diuinis perſonis ſecundum rem, non eſt tamen idem ſecundum rationem, & ideo alia eſt æqualitas, ſimilitudo, & identitas in Patre, & alia in Filio, & alia in Spiritu ſancto, non quidem ſecundum rem, ſed ſecundum rationem.

d. 31. q. vn. Ioannes Scotus reſp. quod ſicut poteſt concedi, quod plures ſunt perfectiones in Deo ſimpliciter, ſic etiam concedi poteſt, quod plures ſunt magnitudines, cum quodlibet attributum habeat ſuam magnitudinem propriam, ſupra quam videtur fundari æqualitas, & etiam plures æqualitates, ſicut tamen illæ omnes ſunt ſimpliciter vna res, ita & æqualitates ſecundum eas ſunt ſimpliciter vna res.

a. 2. Gerardus reſp. quod fundamentum harum relationum non poteſt dici eſſe vnum, ſed duo, & ideo ſimilitudo in duobus ſimilibus non eſt vna, ſed duæ, & eodem modo æqualitas.

d. 31. q. 1. Ioannes de Baſſol. reſp. quod in Patre ſunt duæ relationes ſimilitudinis ad alias duas perſonas, & ſimiliter in Filio ad alias duas, & in Spiritu ſancto, cum enim Pater ſit ſimilis Filio, & econuerſò, impoſſibile eſt quod hoc ſit eadem ſimilitudine, tunc enim vterque eſſet ſimilis ſibi ipſi, quia in ſe haberet rationem ſimilitudinis terminatam ad ipſum, ſimiliter Pater eſt ſimilis Spiritui ſancto, & econuerſò, ſed hoc non poteſt eſſe eadem ſimilitudine, qua eſt ſimilis Filio, quia tunc etiam relatio ſimilitudinis, qua Filius eſt ſimilis Patri eſſet eadem cum relatione, qua Spiritus ſanctus eſt ſimilis Patri, quod eſt falſum.

diſſ. vn. Michael de Pal. reſp. quod æqualitas eſt relatio, & neceſſariò habet oppoſitam relationem, nihil enim eſt ſibi æquale, ſed alteri cui opponitur; igitur Pater eſt æqualis Filio alia æqualitate, quam ea, qua Filius eſt æqualis ei.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ex hoc principaliter relationes iſtæ, æqualitas, ſimilitudo, identitas appellantur relationes communes, quia ſuper aliquid, quod eſt commune ſingulis diuinis perſonis fundantur; quia autem quod eſt commune in diuinis plurificari non poteſt niſi ſecundum rationem, idcirco & iſtæ relationes non poſſunt eſſe plures niſi ſecundum rationem, vnde ſicut ex hoc, quod ſint

Digitized by Google

ſint reales habent a realitate fundamenti, ità ex hoc, quod ſint realiter indiſtinctæ habent ex reali indiſtinctione fundamenti.

Obie-ctio. Sed ſi relationes numerantur per ſuppoſita, quot enim ſunt ſimilia, tot ſunt ſimilitudines, plura autem ſunt ſuppoſita in diuinis, quæ ſunt æqualia, ſimilia, eadem.

Reſpondetur, quod ad hoc, quod plurificentur relationes, non ſufficit, quod plurificentur ſuppoſita, ſed neceſſarium eſt, vt plurificentur fundamenta. Ita Aegidius.

QVÆSITVM VI.

An conuenienter approprientur aliqua attributa eſſentialia diuinis perſonis?

d.31. q.1. ar.2. D. Thomas reſp. quod attributa eſſentialia ſunt quædam communia tribus diuinis perſonis, horum autem aliqua appropriantur vni perſonæ, & aliqua alteri, tum ex parte rei, tum ex parte noſtra, ex parte rei, quia habent aliquam maiorem ſimilitudinem cum proprio vnius perſonæ, quam cum proprio alterius; ex parte verò noſtra, quia per huiuſmodi attributa propter ordinem rationis, quem ad inuicem habent deuenimus in aliquam cognitionem diuinarum perſonarum, quæ ſibi inuicem ſunt realiter ordinatæ.

pr.2 q.1. Aegidius reſp. quod tum ex parte perſonarum, tum ex parte noſtra contingit, vt aliqua attributa, quæ ſunt communia tribus perſonis appropriemus vni, & aliqua alteri; ex parte perſonarum dupliciter, primò, quia aliquid attributum habet maiorem ſimilitudinem cum proprio vnius perſonæ, & aliud cum proprio alterius; ſecundò, quia per huiuſmodi attributa ſolemus remouere aliquid a perſonis diuinis, quod conſuetum eſt in ſuis nominibus intelligi; ex parte verò noſtra adhuc dupliciter, vel vt ſic cognoſcamus veritatem, ſic enim inquantum habent ſimilitudinem cum proprijs manuducimur in cognitionem eorum, vel vt vitemus errores, cum enim ſint quodammodo communia, & propria, de facili vitamus errorem Arrij, qui dum negabat vnitatem ſubſtantiæ in diuinis, nihil ponebat commune perſonis, & etiam errorem Sabellij, qui dum confundebat perſonas, nihil proprium ponebat in eis.

a.71. q.1. Henricus reſp. quod duplex eſt ratio, quare aliquid commune in diuinis appropriatur alicui perſonæ, prima naturalis, & hæc eſt ſimilitudo communis ad proprium, altera verò voluntaria, & hæc inſtructio eſt, atque erroris vitatio.

Durandus reſp. quod appropriatio diuinorum attributorum vni perſonæ magis, quā alteri, non ſolum eſt poſſibilis, & rationalis, ſed etiam vtilis; quod ſit poſſibilis, & rationalis probat, quia commune poteſt trahi ad proprium, non enim appropriatur niſi commune, quod trahitur ad proprium, & quoniam ſunt quædam communia diuinis perſonis, quæ habent maiorem conuenientiam cum proprio vnius perſonæ, quam alterius, ideo poſſibile eſt, & rationale vt trahantur ad propria; quod ſit vtilis probat, quia per huiuſmodi appropriata aliqualiter manuducimur in cognitionem perſonarum, attributa enim diſtinguuntur ſecundum rationem, & hæc diſtinctio manuducit nos in cognitionem diſtinctionis realis perſonarū, & ſic quodammodo in notitiam earum. d.31. q.3. Item Rubeus.

Petus Aur. reſp. quod conuenienter approprientur eſſentialia attributa perſonis in diuinis; primò, quia huiuſmodi appropriationes introductæ ſunt ex vſu ſcripturæ, & auctoritate ſanctorum; ſecundò, quia in cognitionem Trinitatis ducimur quantum ad propria per imaginem, quantum ad appropriata per veſtigium; tertiò, quia bene poſſunt appropriari perſonis ea ſecundum quæ dicuntur procedere, & quoniam Filius procedit per modum intellectus, & Spiritus ſanctus per modum voluntatis, ideo bene poſſunt appropriari eis, quæ ſumuntur penes intellectum, & voluntatem. d.34. a.1.

Ioannes de Baſſ. reſp. quod appropriatio fit dupliciter; vno modo per viam ſimilitudinis, vt cum illud commune eſſentiale, quod attribuitur alicui perſonæ conuenit cum eius proprio; altero modo per viam diſſimilitudinis, & hæc appropriatio multum conducit ad excluſionem errorum, & manifeſtationem, & declarationem fidei. d.31. q.2.

Nicolaus de Niiſe reſp. quod vno modo conſiderantur appropriata, quantum ad id quod ſignificant, & cum illud ſit commune tribus nulla eſt ratio ex parte rei, quare fiat appropriatio; ſed bene ex parte intellectus noſtri; alio modo conſiderantur, inquantum connotant originem, vel ordinem aliquem, ſeu conuenientiam cum proprio alicuius perſonæ, & ſic ex parte rei, ipſa conuenientia eſt ratio quare aliqua attributa eſſentialia conuenienter approprientur diuinis perſonis. p. tr. par.2 por.3. q.un.

Gulielm. Eſtius reſp. quod appropriata ſunt quædam nomina, quæ Deo ſecundum d.32. §.2.

dum eſſentiam competunt, ac proinde tribus perſonis communia, ſed ſingula ſingulis perſonis peculiariter a ſacris doctoribus tributa propter quandam congruentiam, quam habet vnumquodque eorum cum alicuius perſonæ proprietate.

q. 39. a. 7. diſp. vn. Ludouicus Molina reſp. quod appropriari aliquid eſſentiale alicui perſonæ eſt attributum, quod alioqui eſt commune omnibus perſonis accommodari alicui peculiariter propter aliquam peculiarem rationem.

Reſolutio.

RESpondeo, quod nulla neceſſitas vrget, propterquam ea, quæ communia ſunt in diuinis ſint certis, ac determinatis approprianda perſonis; eſt tamen quædam congruentia, ſeu conuenientia propter eos, qui de diuinis, vel docendo, vel addiſcendo tractant, vt dum his appropriationibus vtuntur, & intellectus in vberiorem diuinorum cognitionem excitetur, & voluntas erga eadem intimiori fæcundetur affectu.

Obiectio. Sed ſi omnia attributa ſunt idem, quod eſſentia? eſſentia autem nulli certæ perſonæ appropriari poteſt.

Reſpondetur, quod ratio quare aliquod attributum appropriatur alicui perſonæ eſt, quia habet maiorem ſimilitudinem, vel ad originem perſonarum, vt potentia, vel ad determinatum modum originis, vt ſapientia, & bonitas; eſſentia autem de ratione ſua neque originem, neque aliquid pertinens ad originem dicit. Ita D. Thomas.

QVAESITVM VII.

An conuenienter approprietur potentia Patri, ſapientia Filio, bonitas Spiritui ſancto?

q. 67. m. 8 ar. 1. ALex. reſp. quod potentia attribuitur Patri, quia in ipſa exprimitur proprietas eius, quæ eſt proprietas ingeniti, ſecundum quam non eſt de aliquo; ſapientia verò attribuitur filio, quia in ipſa exprimitur proprietas eius, quæ eſt proprietas geniti, ſecundum quam eſt a ſolo Patre; bonitas verò attribuitur Spiritui ſancto, quia in ipſa exprimitur proprietas eius, quæ eſt proceſſio, ſecundum quam ab vtroque procedit.

d. 14. q. 2. D. Thomas reſp. quod appropriatio dupliciter fieri poteſt; vno modo conſiderando rationes nominum, ſecundum quod de creaturis dicuntur, & ita appropriatio debet fieri per contrarium, vt modus creaturæ a creatore excludatur; alio modo conſiderando rationes nominum, ſecundum quod de creaturis dicuntur, & ita debet fieri appropriatio per ſimilitudinem ad proprium, & vtroque modo conueniens eſt iſta appropriatio; ſi enim conſiderentur rationes horum nominum ſecundum modum, quo inueniuntur in creaturis, appropriatur potentia Patri, quia in Patribus creatis inuenitur infirmitas propter ſenectutem, ſapientia Filio, quia in Filijs creatis inuenitur propter iuuentutem imperitia, bonitas Spiritui ſancto, quia in ſpiritibus inuenitur quædam rigiditas, & impetuoſitas; ſi verò conſiderentur rationes nominum, prout ſunt in diuinis, potentia appropriatur Patri, quia Pater eſt eſt principium fontale totius diuinitatis, & potentia in ratione ſua principium includit; eſt enim, vt inquit Ariſt. lib. 5. Metaphyſ. principium transmutationis, ſapientia appropriatur Filio, quia Filius procedit per modum intellectus, qui ſapientia perficitur, bonitas Spiritui ſancto, quia Spiritus ſanctus procedit per modum voluntatis, cuius obiectum eſt bonitas. Et hæc doctrina communis eſt Aegidio, Ricardo, Henrico, Nicol. de Orb. Nicol. de Nijſe, Varrillong. Eſtio, Molinæ, Rubeo.

Reſolutio.

RESpondeo, quod in ſcripturis ſacris, ſicut inductiuè cuilibet patere poteſt frequentiſſimè inſinuatur Pater nominibus, & verbis indicantibus potentiam, ſimilter & Filius nominibus, & verbis indicantibus ſapientiam, ſicut etiam & Spiritus ſanctus nominibus, & verbis indicantibus bonitatem, & propterea a ſacris doctoribus potentia appropriatur Patri, ſapientia Filio, bonitas Spiritui ſancto; vnde cum hæc appropriatio deducta ſit ex ſcripturis ſacris, non niſi conuenientiſſimè fieri dicendum eſt.

Sed ſi per talem appropriationem homines ſimplices poſſunt falli? dum ſolum Patrem potentem audiunt, ſapientem Filium, bonum Spiritum ſanctum. Obiectio.

Reſpondetur, quod in ſingulis dogmatibus fidei poſſunt homines ſimplices falli, niſi inſtruantur, & ideo circa ſimiles appropriationes opus eſt diligenti inſtructione, ne ſimplices, ac rudes fallantur, quod ſi intercedat inſtructio, & adhuc error manet, peruerſitati eſt aſcribendus.

QVAE-

Digitized by Google

QVAESITVM VIII.

An conuenienter appropriatur æternitas Patri ſpecies Filio, vſus Spiritui ſancto?

c. 7. q. 4. GVilelmus Antiſiodor. reſp. quod æternitas appropriatur tantum Patri propter primam auctoritatem, caret enim Pater principio, non ſolum inceptionis, ſed etiam principio, ſecundũ quod a nullo eſt; pulchritudo appropriatur Filio duabus de cauſis; primò, quia Pater eſt prima lux, primum autem quod a luce procedit ſplendor eſt, & Filius eſt ſplendor Patris, ſplendor autem ad pulchritudinem ſpectat; ſecundò, quia Filius eſt ſapientia, & exemplar viuentium, & ars omnium, vnde vt cauſa formalis eſt ſpecies, & per hoc appropriatur ei; vſus ſimiliter appropriatur Spiritui ſancto duabus de cauſis; primò, quantum ad ipſas perſonas, quoniam Pater, & Filius fruuntur ſe Spiritu ſancto, ſumendo vſum pro fruitione; ſecundò, quantum ad nos, quia per Spiritum ſanctum dantur nobis omnia dona vtilia nobis ſumendo vſum propriè.

q. 67. m. 1. Alex. reſp quod ideo æternitas appropriatur Patri, quia æternitas eſt ens nõ ab alio eſſentialiter, ſicut Pater eſt ens non ab alio perſonaliter; ſpecies vero appropriatur Filio, quia ſpecies eſt ratio, & principium cognoſcendi, vnumquodque enim cognoſcitur per ſuam ſpeciem; cum ergo generatio filij a Patre ſit, vt notitia a mente, ideo ratione notitiæ appropriatur ſpecies Filio; vſus autem appropriatur Spiritui ſancto ratione operationis, & vtilitatis; cuius principium proximum eſt voluntas, cum proceſſio Spiritus ſancti ſit, ſicut voluntatis a notitia, & mente.

tr. 12 q. 48. m. 2. Albertus reſp. quod æternitas attribuitur Patri, quia Pater eſt principium non de principio; ſpecies Filio, quia eſt imago Patris; vſus Spiritui ſancto, quia vt is, qui procedit vt amor, nexus, & delectatio eſt.

p. p. q. 39. a. 8. D. Thomas reſp quod æternitas in ratione ſua habet duo, ſcilicet quod ſit principium omnis durationis, inquantum eſt prima menſura, vnde ab ipſa fluit tempus, & æuum, & ſic habet ſimilitudinem ad propria patris, quæ conueniunt ſibi, inquantum eſt principium per generationem, vel per ſpirationem, ſcilicet ad paternitatem, & communem ſpirationem, & habet etiam in ſua ratione priuationem principij, & in hoc conuenit cum proprietate Patris, quæ competit ſibi ſecundum quod eſt auctor, vel non de principio, ſcilicet innaſcibilitatis; Species, ſeu pulchritudo conſiſtit in tribus, in conſonantia, ſeu commenſuratione, claritate, & magnitudine, & ſecundum hæc tria habet ſimilitudinem cum proprijs filij, inquantum enim Filius eſt imago perfecta Patris, & ſic eſt conſonantia perfecta, quia eſt in omnibus æqualis, & ſimilis ei, inquantum eſt verus Filius, habet magnitudinem, quæ conſiſtit in perfectione diuinæ naturæ, & inquantum eſt verbum perfectum habet claritatem; Vſus in ſua ratione duo ſimiliter habet, primum quod eſt aſſumptum in facultatem voluntatis, & quod ſit ordinatum ad alterum, & ſic conuenit cum proprio Spiritus ſancti, quod eſt amor, non tantum vt eſt in Filio, ſed vt redundat in omnes creaturas, ſecundum quod competit ſibi nomen doni. Et hæc doctrina licet diuerſis modis propoſita, & diuerſis terminis explicata communis eſt D. Bonauentura, Aegidio, Henrico, Ricardo, Durando, Aureolo, Nicol. de Orb. Io. de Baſſ. Nicol. de Nijſe, Michaeli de Pal. Eſtio, & Rubeo.

Reſolutio.

REſpondeo, quod eadem ratione, propter quam dictum eſt, quod potentia appropriatur Patri, ſapientia Filio, & bonitas Spiritui ſancto, appropriatur etiam Patri æternitas, Filio ſpecies, Spiritui ſancto vſus, frequentiſſimè enim in ſcripturis ſacris, vt apud eruditos conſtat Pater, Filius, & Spiritus ſanctus his nominibus inſinuantur & verbis, quæ æternitatem indicant, ſpeciem, & vſum.

Sed ſi Pater, Filius, & Spiritus ſanctus conueniunt in vnam æternitatem, ſpirationis, & vſum? Obiectio.

Reſpondetur, quod Pater, Filius, & Spiritus ſanctus conueniunt quidem ſecundum rem in vnam æternitatem, ſpeciem, & vſum, ſed non ſecundum eandem rationem, & modum, & propterea vnum eorum appropriatur vni, & alterum alteri.

QVAESITVM IX.

An conuenienter appropriatur vnitas Patri, æqualitas Filio, nexus, ſiue concordia Spiritui ſancto?

GVilelmus Antiſiod. reſp quod vnitas appropriatur Patri duabus de cauſis primò, quia ſicut vnitas eſt princi- c. 7. q. 4.

pium

pium omnium numerorum, ita Pater eſt principium aliarum perſonarum; ſecundò, quia ſicut vnitas in ſe ducta non generat niſi ſe, ita Pater quaſi in ſe ductus non generat niſi Filium, qui eſt eiuſdem ſubſtantiæ cum eo; æqualitas verò appropriatur Filio etiam duabus de cauſis; primò, quia æqualitas, quaſi primò eſt in Filio, nam ipſe immediatè procedit a Patre tantum; ſecundò, quia in hoc Filius adæquatur Patri, quia ſicut Pater dat ſuam bonitatem Spiritui ſancto, ita & Filius; Spiritui ſancto appropriatur nexus ſiue concordia, quia in ipſo completur æqualitas perſonarum; Et quia Pater, & Filius vniformiter ſe habent ad illum, ad hæc addit Alexander. q. 77. m. 2.

d. 31. a. 9. Albertus reſp. quod vnitas habet tria, indiuiſibilitatem, priuationem, & rationem principij, quæ omnia accedunt ad proprium Patris, & ideo appropriatur ei; æqualitas conſequitur imaginem, & ideo appropriatur Filio; nexus eſt effectus amoris, & ideo appropriatur Spiritui ſancto.

q. 3. a. 1. D. Thomas reſp. quod vnitas appropriatur Patri; tum ſecundum id, quod poſitiuè dicit, quia ſic dicit rationem principij, prout eſt principium numeri, & ita habet ſimilitudinem cum paternitate, & communi ſpiratione, quibus dicitur principium Filij, & Spiritus ſancti; tum etiam ſecundum id, quod dicit negatiuè, quia ſic negat diuiſionem, & compoſitionem præexiſtentem, & ex conſequenti rationem principij, ea enim in quæ aliquid diuiditur ſunt principia integrantia ipſum, & ita habet ſimilitudinem cum innaſcibilitate; æqualitas verò appropriatur Filio, quia Filius, & ex eo quod Filius, & ex eo quod imago, & ex eo quod eſt perfectum verbum Patris includit rationem æqualitatis; nexus autem appropriatur Spiritui ſancto, quia eſt amor Patris, & Filij, quo vniuntur, & donum, quo nos connutimur Deo.

p. 2. a. 2. q. 3. D. Bonau. reſp quod appropriatio vnitatis Patri, æqualitatis Filio, nexus Spiritui ſancto fuit a D. Auguſtino facta ad explicandum ordinem perſonarum; quoniam igitur perſona Patris eſt prima, antequam non eſt alia, & quæ non eſt ex alia, ideo appropriatur ei vnitas, quæ eſt prima in numero, & antequam nihil eſt in numero; & quoniam perſona Filij ſecundum rationem intelligentiæ eſt ſecunda, & perfectè exprimens Patrem, ideo appropriatur ei æqualitas; & quoniam perſona Spiritus ſancti eſt tertia, & concordia ponit duos concordabiles, & etiam concordantem, ideo concordia appropriatur Spiritui ſancto.

Aegidius reſp. quod ideo vnitas appropriatur Patri, quia Pater eſt principium ſine principio, vnitas autem habet rationem principij; æqualitas vero appropriatur Filio, quia in proprijs eius æqualitas importatur, eſt enim proprium eius, quod ſit Filius, imago, & verbum, & de ratione cuiuslibet iſtorum eſt æqualitas, nam de ratione prolis eſt, quod æquetur parenti, & de ratione imaginis, quod æquetur ei, cuius eſt imago, & de ratione verbi perfecti, quod ſit ſimilimum ei, cuius eſt verbum; nexus denique, ſiue concordia appropriatur Spiritui ſancto, quia Spiritus ſanctus eſt amor, amor autem cöiungere habet, & vnire. pr. 2. q. 3. Ricardus, Henricus, Durandus, Aureolus, Ioannes de Baſſ. Nicol. de Orb. Nicol. de Niſſe, Michael de Pal. Guilelmus Eſtius, Rubeus, & alij, qui hoc quæſitum tractant vel in idem tendunt, vel a præallegatis modicum diſcordant.

Reſolutio.

RESpondeo, quod cum ſæpe in ſcripturis ſacris inſinuentur perſonæ diuinæ, Pater ſcilicet, Filius, & Spiritus ſanctus his nominibus, & verbis, quæ vnitatem, ſonant, æqualitatem, concordiam, ſeu connexionem, idcirco a Sanctis Patribus talia communia attributa, ſingulis eorum peculiariter approprientur, vnitas ſcilicet Patri, æqualitas Filio, concordia, ſeu connexio Spiritui S.

Sed ſi æqualitas importat idem, quod vnitas? dicit enim æqualitas vnitatem in magnitudine, & vnitas idem, quod connexio, quæ enim connectuntur vnum fiunt. Obiectio

Reſpondetur, quod æqualitas ex ſuo primo formali ſignificato, non vnitatem importat, ſed relationem vnitatem conſequentem, & vnitas ſimiliter non eſt formaliter connexio, ſed ad connexionem conſequitur; & propterea non eſt inconueniens propter huiuſmodi differentias certis, ac determinatis perſonis appropriari.

QVAESITVM X.

An conuenienter dicantur omnia in diuinis eſſe vnum propter Patrem, æqualia propter Filium, connexa propter Spiritum S.?

ALexand. reſp. quod ideo omnia dicuntur vnum propter Patrem, quia in Patre eſt vnitas, & hanc ab eo ha- q. 76. m. 2.

habent Filius, & Spiritus ſanctus; omnia dicuntur æqualia propter Filium, quia poſito Filio ponitur æqualitas in Patre, & eo remoto remouetur, non enim ſi ſola perſona Patris eſſet, eſſet æqualitas, neque ſi non eſſet perſona Spiritus ſancti tolleretur; omnia autem dicuntur connexa propter Spiritum ſanctum, quia remota perſona Spiritus ſancti cum ſit amor Patris, & Filij, non remanet amplius plurium connexio in diuinis.

tr. 12 q. 49. Albertus reſp. quod cum dicitur omnia ſunt vnum propter Patrem, ly Pater notat auctoritatem principij in Patre; cum dicitur ſunt æqualia propter Filium, ly propter notat habitudinem ſigni, quod enim Pater eſt æqualis Filio, & Filius æqualis Patri ſignificatur in hoc, quod Filius per generationem procedit a Patre; & cum dicitur ſunt connexa propter Spiritum ſanctum, ly propter dicit formam, quæ tamen forma procedit ab informatis, ſicut eſt amor forma duorum ſe diligentium.

d. 31. q. 3. a. 2. D. Thomas reſp. quod omnia eſſe vnum propter Patrem, æqualia propter Filium, & connexa propter Spiritum ſanctum poteſt verificari dupliciter, vel quantum ad proprietatem perſonarum, vel quantum ad numerum earum; quantum ad numerum ſic, vnitas primò inuenitur in Patre, binarius vero in Filio, & ternarius in Spiritu ſancto, & quoniam ab eo, quod eſt primò tale, omnia alia dicuntur talia propter ipſum, ideo omnia ſunt vnum propter Patrem; omnia ſunt æqualia propter Filium, quia æqualitas requirit numerum binarium, qui aliquo modo primò inuenitur in Filio; & omnia ſunt connexa propter Spiritum ſanctum, quia nexus requirit numerum ternarium, duo ſcilicet quæ nectuntur; & vnum nectens, qui numerus ternarius primò reperitur aliquo modo in Spiritu ſancto; quantum ad proprietatem, ſic in patre inuenitur ratio principij, & quia in qualibet natura inuenitur vnum principium nō de principio a cuius vnitate eſt, quod vna in omnibus natura propagetur, omnia dicuntur vnum propter ipſum; dicuntur autem æqualia propter Filium, quia ex æqualitate Filij reſultat æqualitas in tota Trinitate; dicuntur autem connexa omnia propter Spiritum ſanctū, quia Spiritus ſanctus procedit vt amor, de cuius ratione eſt nexus.

p. 2. a. 2. q. 3. D. Bonau. reſp. quod cum dicitur omnia ſunt vnum propter Patrem, æqualia propter Filium, & connexa propter Spiritum ſanctum; ſi ly omnia diſtribuit pro creatis, tunc ly propter dicit cauſam formalem exemplarem ſecundum rem, & appropriationem, quia omnis vnitas habet exemplar in vnitate Patris, omnis æqualitas in æqualitate Filij, & omnis connexio in connexione Spiritus ſancti; ſi autem diſtribuit pro creatis, & increatis, tunc ly propter dicit cauſam formalem exemplarem ſecundum rationem intelligendi appropriatam, quia ſcilicet intellectus noſter non intelligit vnitatem in Filio, & Spiritu ſancto, niſi per hoc, quia Filius, & Spiritus ſanctus a Patre vnam eſſentiam habent, & idem eſſe, æqualitatem in Patre, niſi propter hoc, quia Pater habet Filium per omnia exprimentem naturã, & potentiam ſuam, & connexionem in Patre, & Filio, niſi propter hoc, quia Filius, & Pater connectuntur Spiritu ſancto.

Aegidius reſp. quod vnitas competit rebus ex ſuo principio, & potiſſimè quando res perfectè ſuo principio aſſimilantur, & quoniam Pater eſt principium omnium diuinorum eandem eſſentiam communicans, & idem eſſe Filio, & Spiritui ſancto, propter, quod Filius & Spiritus ſanctus non ſunt aliud ab eo, nec inter ſe, ideo omnia in diuinis dicuntur eſſe vnum propter Patrem; & quoniam Pater æquatur Filio, quia Filius æquatur ei, ſic enim & ſcibile refertur ad ſcientiam, quia ſcientia refertur ad ſcibile, & ſimiliter Spiritus ſanctus non ſpiraretur æqualis a Patre, & Filio, niſi Filius eſſet æqualis Patri, ideo omnia ſunt æqualia propter Filium; & quoniam Spiritus ſanctus eſt amor Patris, & Filij, ideo omnia ſunt connexa propter Spiritum ſanctum. p. 2. q. 8.

Henricus reſp. quod omnia in diuinis dicuntur vnum propter Patrem, quia vnitas appropriatur Patri, æqualia propter Filium, quia æqualitas appropriatur Filio, & connexa propter Spiritum ſanctum, quia connexio appropriatur Spiritui ſancto. a. 72. q. 4.

Guilelmus Eſtius reſp. quod cum dicitur omnia ſunt vnum propter Patrem, æqualia propter Filium connexa propter Spiritum ſanctum ly propter non dicit principium, vel cauſam, ſed eſt ſenſus, quod omnes diuinæ perſonæ vnum ſunt vnitate, quæ appropriatur Patri, æquales æqualitate, quæ appropriatur Filio, connexæ per concordiam, quæ appropriatur Spiritui ſancto. d. 31. §. 2.

Reſolutio.

RESpondeo, quod quando dicitur omnia ſunt vnum propter Patrem, æqualia propter Filium connexa propter Spiritum

ſanctum, ly omnia diſtribuit pro vnitate, æqualitate, & concordia, quæ ſunt appropriata diuinis perſonis; hæc enim omnia ſunt vnum propter Patrem, inquantum ſcilicet ſunt vnum ex vnitate, quæ appropriatur Patri; ſunt æqualia propter Filium, ex ſcilicet æqualitate, quæ appropriatur Filio; & ſunt connexa Spiritu ſancto, ex .ſ. connexione, quæ appropriatur Spiritui ſancto; & hoc modo loquendi vſus eſt D. Auguſtinus ad excludendam quamcunque diſtinctionem, inæqualitatem, & ſeparationem realem. . . . licet enim ſint appropriata pluribus, & diſtinctis perſonis, eorũ tamen quodlibet, & vnitas eſt, & æqualitas, & connexio.

Obiectio. Sed ſi omnia eſſent vnum propter Patrem, æqualia propter Filium, & connexa propter Spiritum ſanctum, vel ergo efficienter, vel formaliter, vel finaliter; hanc enim triplicem habitudinem cauſæ importat ly propter; hoc autem in propoſito accommodari non poteſt.

Reſpondetur, quod in propoſito ly propter dicit habitudinem cauſæ quaſi formalis, non quidem referendo immediatè ipſas perſonas, ſed vnitatem, æqualitatem, & connexionem, quæ appropriantur ipſis perſonis.

QVÆSITVM XI.

An hæc ſit conueniens appropriatio Patri ex ipſo, Filio per ipſum, Spiritui ſancto in ipſo?

c. 7. GVilelmus Altiſiodor. reſp. quod hæc præpoſitio ex propter cauſalitatem, quam habent perſonæ ad creaturas ſignificat auctoritatem primi, quæ ſoli Patri ineſt; hæc præpoſitio per, præter ſupradictam cauſalitatem, ſignificat ſubauctoritatem, quæ ineſt Filio reſpectu Patris; & hæc præpoſitio in ſignificat conſeruationem in eſſe, quæ pertinet ad Dei bonitatem, quæ appropriatur Spiritui ſancto.

q. 60. m. 4 Alex. reſp. quod huiuſmodi præpoſitiones ex, per, & in, ſecundum propriam ſignificationem præpoſitionum ſunt idem, ſic enim æquè conueniunt tribus, tamen ſignificatio hac ratione, qua ex, appropriatur Patri, quia eſt nota primi principij, qua per, appropriatur Filio, quia eſt nota principij, quo fit operatio, qua in, appropriatur Spiritui ſancto, quia notat continentiam, continentia autem bonitatis eſt, quæ appropriatur Spiritui ſancto.

Nicolaus de Orb. reſp. quod ly ex eſt nota principij primi, & ideo ex ipſo appropriatur Patri, qui eſt principium ſine principio, ly per eſt nota principij quo, & ideo appropriatur Filio, qui eſt principium de principio, per quod facta ſunt omnia, ly in eſt nota continentiæ, quæ ad bonitatem pertinet, & ideo appropriatur Spiritui S. d. 31. a. 1.

Nicol. de Niſſe reſp. quod ly ex dicit habitudinem cauſæ effectiuæ, quæ maximè habet rationem principij, & ideo appropriatur Patri, qui eſt omnium tam creatorum, quàm increatorum principium; ly per dicit habitudinem quaſi formæ ſicut dicimus quod artifex operatur per artem, & ideo appropriatur Filio, qui eſt ars Patris; ly in dicit habitudinem continentiæ, & manutenentiæ, quæ eſt a bonitate diuina, & ideo appropriatur Spiritui ſancto. tr. 1 par. 2 per. 2. q. vn.

Archang. Rubae reſp. quod ly ex, quandoque ordinem ſignificat, quandoque habitudinẽ cauſæ materialis, & quandoque habitudinem cauſæ efficientis, & hoc modo appropriatur Patri; ly per aliquando deſignat formam, per quam agens naturale agit, & aliquando, per quam agens agit a propoſito, & hoc modo appropriatur Filio; ly in, vno modo ſumitur ſecundum quod res eſt in potentia facientis, altero ſecundum quod res eſt in aliquo per ſuam ideam, ſeu in ſcientia operantis, tertio ſecundum quod res dicitur eſſe in aliquo tanquam in voluntate, & amore artificis, primo modo pertinet ad Patrem, ſecundo modo ad Filium, tertio appropriatur Spiritui ſancto. d. 31.

Reſolutio.

REſpondeo, quod hæc appropriatio ex ipſo, per ipſum, & in ipſo facta eſt diuinis perſonis ad denotandum earum productiones; quia enim Filius, & Spiritus ſanctus procedunt a Patre, ipſo non procedente ab alio, appropriatur Patri, ex ipſo; & quia Spiritus ſanctus procedit a Patre per Filium, inquantum ſ. Pater dat Filio, vt producat Spiritum ſanctum, idcirco Filio appropriatur per ipſum; & quia in Spiritu ſancto terminatur omnis productio, nec vltra in producendo proceditur, propterea appropriatur ei in ipſo.

Sed ſi ex ipſo, per ipſum, in ipſo non ſunt attributa, cum non ſe habeant per modum perfectionis eſſentialis? non autem niſi attributa appropriantur perſonis. Obiectio.

Reſpondetur, quod ex ipſo, per ipſum, & in ipſo, licet non exprimantur ad modum per-

Digitized by Google

perfectionum eſſentialium; inſeruit tamen ipſas perfectiones eſſentiales; & reducuntur ad attributa potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis, ex ipſo enim reducitur ad potentiam, per ipſum ad ſapientiam, & in ipſo ad bonitatem, & hæc appropriantur etiam diuinis perſonis, quatenus earum productiones inſinuant.

DISTINCTIO TRIGESIMA SECVNDA.

Hic oritur quæſtio ex prædictis deducta, dictum eſt enim ſupra, atque ſanctorum auctoritatibus oſtenſum, &c.

QVAESITVM I.

An Pater, & Filius diligant ſe inuicem Spiritu ſancto?

q.6. q.7. GVilelmus Antiſiod. reſp. quod hæc eſt vera propoſitio, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, ſecundũ quod ille ablatiuus formalis eſt, vel quaſi formalis, quia Spiritus ſanctus propriè amor eſt, & conſequenter propriè informat amantem, in quo eſt.

q.68. m.3. a.3. Alex. reſp. quod iſta propoſitio Pater, & Filius diligunt ſe inuicem Spiritu ſancto propriè loquendo eſt falſa, & ideo eſt ſic exponenda, Pater, & Filius diligunt ſe inuicem Spiritu ſancto, ideſt diligunt ſe amore, qui eſt Spiritus ſanctus, amor enim appropriatur Spiritui ſancto; eſt ergo verum dicere, Pater, & Filius diligunt ſe amore, quia diligere, & amor ſunt vnius condeſcenſionis, ſed non diligunt ſe Spiritu ſancto, ideſt perſona Spiritus ſancti.

d.32. a.1. tr.12 q.50. Albertus reſp. quod omnes ſimiles locutiones, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, & Pater diligit Filium Spiritu ſancto, & huiuſmodi, ſi ſecundum quod ſunt in voce referuntur ad intellectum, abſolutè, & ſimpliciter ſunt falſæ, & ſi inueniantur in auctoritate non ſunt extendendæ, ſed exponendæ, ſicut Pater, & Filius diligunt ſe amore, qui eſt Spiritus ſanctus; in qua autem habitudine conſtruatur ablatiuus Pater, & Filius diligunt ſe amore, qui eſt Spiritus ſanctus dicit, quod conſtruitur in habitudine quaſi formæ, eſt enim duplex forma, vna, quæ conſtituit formatum, & hæc cauſa eſt, & principium, altera, quæ procedit formato, vt duo ligna conglutinantur humore, & ſic in propoſitio.

D. Thomas reſp. quod hæc eſt propoſitio vera, Pater, & Filius diligunt ſe inuicem Spiritu ſancto, ex hoc quod tam D. Auguſtinus, quam alij Sancti communiter tali locutione vtuntur, vnde eam negare præſumptuoſum eſſe videretur, quomodo autem cõſtruatur ille ablatiuus Spiritu ſancto, dicit, quod conſtruitur in habitudine quaſi effectus formalis. Item Ioannes a Celaia. q.1. ar.1.

p.p. q.37. a.2. Et iterum reſp. quod cum res communiter denominentur a ſuis formis, ſicut album ab albedine, & homo ab humanitate, omne illud, a quo aliquid denominatur, quantum ad hoc habet habitudinem formæ, vt ſi dicatur, Sortes eſt indutus veſtimento, iſte ablatiuus veſtimento conſtruitur in habitudine cauſæ formalis, quamuis non ſit forma; contingit autem aliquid denominari per id, quod ab ipſo procedit, non ſolùm ſicut agens actione, ſed etiam ſicut ipſo termino actionis, qui eſt effectus, quando tamen ipſe effectus in intellectu actionis includitur, dicimus enim ignem calefacere calefactione, quamuis calefactio non ſit calor, ſed actio, & arborem florere floribus, quamuis flores non ſint forma arboris; ſic itaque Pater, & Filius dicuntur ſe diligere Spiritu ſancto, accipiendo diligere notionaliter, quod idem eſt, quod ſpirare amorem, prout Spiritus ſanctus eſt terminus ipſius ſpirationis, ſicut dicitur arbor florere floribus, quod nihil aliud eſt, quam producere flores; non autem eſſentialiter; quia ſic diligunt ſe eſſentia ſua. Item D. Bonau. Herueus, Marſilius, Franc. a Chriſto.

pr.1. q.1. Aegidius reſp. quod tria ſunt, quibus omne agens agere dicitur, forma videlicet, actio, & id, quod conſtituitur ex actione; & ideo ſicut hæc tria conſiderantur ex parte intellectus in dicente, omne enim dicens dicit primò ſpecie informante intellectum, tanquam forma, ſecundò dictione tanquam actu, tertiò verbo tanquam eo, quod actu conſtituitur; ita hæc eadem tria ex parte voluntatis conſiderantur in amante, omne enim amans amare dici poteſt, primò charitate quaſi forma, vt eo, a quo actus dilectionis quaſi formaliter egreditur, ſecundò amore, vt ipſo actu dilectionis, tertiò eo, quod ex actu dilectionis conſtituitur, quod cum non habeat proprium nomen, dicitur amor; ſicut ergo iſta propoſitio eſt vera, Pater dicit ſe Filio, qui eſt verbum ab ipſo emanans, ita & iſta, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, qui eſt amor ab ipſis procedens, vnde iſte ablatiuus Spiritu ſan-

Digitized by Google

cto conſtruitur non in habitudine actus; ſed in habitudine ex actu conſtituti.

d.32. Ricardus reſp. quod ſicut hæc eſt vera,
a.1. ſciens ſcit ſcientia in ſe exiſtente, ita hæc eſt
q.1. vera. amans amat amore a ſe procedente; quia ergo Spiritus ſanctus eſt amor procedens a Patre, & Filio, ideo iſto amore poſſunt denominari Pater, & Filius amantes, & ſic dici, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, accipiendo tamen diligere notionaliter, non eſſentialiter; & tunc iſte ablatiuus Spiritu ſancto conſtruitur, non in habitudine cauſæ efficientis, neque formalis, ſed in habitudine rei productæ habentis actum formæ in denominando.

n.61. Henricus reſp quod diligere in diuinis ac-
q.7. cipitur tripliciter; primò, vt eſt purum eſſentiale, vt quando dicit actum diligendi ſimplicem; ſecundò, vt habet aliquid annexum notionale, vt quando dicit actum diligendi incentiuè ex parte diligentis, & gratificatiuè ex parte dilecti; tertiò, vt accipitur pro notionali extenſo ad eſſentiale, vt quando accipitur pro actu flagrandi; ſi ergo accipitur diligere primo modo non eſt recipienda propoſitio; Pater diligit Filium, vel aliquid aliud Spiritu ſancto, quia ratio elijciendi talem actum de ſubiecto, & dirigendi in obiectum eſt amor eſſentialis, non procedens, qualis eſt Spiritus ſanctus; ſi accipitur ſecundo modo, ſic eſt recipienda, quia licet amor procedens non ſit ratio elijciendi actum diligendi ſimpliciter de ſubiecto, & ordinandi ipſum in obiectum, eſt tamen ratio incentiui circa actum, tam in ordine ad ſubiectum, a quo elijcitur, quam in ordine ad obiectum, in quod ordinatur; ſi accipitur tertio modo eſt etiam recipienda, licet enim amor notionalis, qualis eſt Spiritus ſanctus non ſit ratio alijciendi actum talem de ſubiecto, eſt tamen ratio ordinandi ipſum in obiectum.

d.32. Ioannes Scotus reſpondet, quod ſicut in
q.1. nobis amor, vt productus habet aliquam relationem, ſeu habitudinem ad voluntatem, vt producentem, & ſimiliter ad obiectum, a qua poſſet denominari producens, ſi eſſet verbum impoſitum hoc ſignificans actiuè; ita in diuinis Spiritus ſanctus, non quidem propriè, ſed appropriatè ex vi productionis ſuæ eſt amor, & ideo habet aliquam relationem ſaltem rationis formaliter, ſeu habitudinem ad amatum, a qua producens ipſum poteſt denominari quaſi principiatiuè, & iſta habitudo, vt principiatiuè denominans importatur per hoc verbum diligere, cum dicitur, quod Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, quod idem eſt, quod dicere, Pater, & Filius producunt amorem, qui eſt Patris, & Filij; ſicut etiam idem eſt dicere, Pater dicit ſe verbo, quod ſcilicet Pater producit verbum, quod eſt declarans ipſum Patrem.

Durandus reſp. quod iſta propoſitio, Pa- q.1.
ter, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, ſicut & omnes aliæ huic ſimiles eſt ſimpliciter falſa, ſi diligere ſumitur notionaliter; quandocunque enim aliquid ſumptum cum determinatione prædicatur de aliquo, poteſt etiam prædicari de alio, vel de illo ſumpto ſine determinatione, ſed ſi determinatio eſt diſtrahens non poteſt; vnde cum in hoc propoſitione, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritui ſancto, ſumendo diligere notionaliter, iſta determinatio Spiritu ſancto non ſit diſtrahens quia ipſa ſecluſa poſſet dici, Pater, & Filius diligunt ſe, ſumendo diligere notionaliter, quod tamen eſt falſum, quia nullus actus notionalis eſt a Patre in Filium, niſi generare, nec aliquis alius a Filio in Patrem; ſi verò ſumitur eſſentialiter, vtique eſt vera, licet tamen impropria, cum hæc ſit vera, & propria, Pater, & Filius diligunt ſe amore eſſentiali, & ideo eſt exponenda ſic, Pater diligit Filium Spiritu ſancto, & econuerſò, amore .i. eſſentiali, qui appropriatur Spiritui ſancto, ſicut dicit ſe, & omnia verbo, verbo ſcilicet eſſentiali, quod appropriatur Filio.

Petrus Aur. reſp. quod diligere eſt quæ- a.1.
dam attingentia, & vnio amantis cum amato, & quoniam medium iſtius attingentiæ eſt Spiritus amantis, eſt enim Spiritus amantis in amante id, quo amans coniungitur amato, cum Spiritus non ſit aliud, quam ipſemet amans procedens intentionaliter in amatum, ideo proprie dici poteſt, quod omne amans amat amatum ſuum Spiritu ſuo, cum ergo Pater amet Filium, & Filius Patrem, ſequitur quod quilibet eorum amet alterum Spiritu ſuo, qui eſt Spiritus ſanctus, & propter hoc eſt vera propoſitio, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto; non quidem ſumendo dilectionem notionaliter, ſed eſſentialiter, cum talis dilectio ſit communis tribus, nam etiam Spiritus ſanctus amat Patrem, & Filium Spiritu ſancto, atque ita iſte ablatiuus Spiritu ſancto non conſtruitur in habitudine cauſæ efficientis, nec cauſæ formalis, aut effectus formalis, ſed in habitudine medij connectentis.

Franciſcus Maro reſp. quod Pater, & Fi- q.1.
lius

lius diligunt ſe Spiritu ſancto, non ſicut eſſentia, quia eſſentia nulli appropriatur, non ſicut voluntate, quia tunc haberent voluntatem a Spiritu ſancto, non ſicut habitu, quia tunc haberent charitatem ab eodem; ſed ſicut actu, quia diligere eſt actus volendi, cui appropriatur Spiritus ſanctus, ſicut enim aliquando appropriantur eſſentialia perſonalibus, ita aliquando appropriantur perſonalia eſſentialibus, & ideo iſta locutio non eſt perſonalis, ſed eſſentialis, non formalis, ſed identica, non propria, ſed appropriata.

q.2. Guilelmus Occham reſp. quod iſta propoſitio, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto æquiualet huic, Pater, & Filius diligunt ſe amore abſoluto, & eſſentiali, & ſic diligendo producunt Spiritum ſanctum tanquam amorem vtriuſque, vni ..., impenſum, & alteri repenſum; & eſt aliqualiter ſimilis modus loquendi, quo vtitur D. Ioann. dicens. Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate; non enim diligunt Spiritu ſancto, tanquam quodam amoris ſigno, quomodo lingua & verbum ſunt ſigna internæ dilectionis, ſed Spiritu ſancto tanquam amore vero ab eis producto, vni eorum impenſo, & alteri repenſo.

ar.1. Thomas ab Argent. reſp. quod, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto; primò, quia Spiritus ſanctus eſt amor procedens a Patre, & Filio, omne autem diligens aliud propriè diligit illud amore a ſe procedente; ſecundò, quia Spiritus ſanctus vt amor perfectus procedit a Patre in Filium, & econuersò, amore autem perfecto amatur illud, in quod huiuſmodi amor procedit ab eo, a quo procedit.

q.1. Guilelmus Rub. reſp. quod hæc propoſitio Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto eſt vera, non quidem accipiendo diligere perſonaliter, vel formaliter propriè, ſed appropriatè, quatenus Spiritus ſanctus appropriatè eſt dilectio, non propriè, & ſimiliter eſt vera conſecutiuè, quatenus ſcilicet Spiritus ſanctus eſt ſignum mutuæ dilectionis inter Patrem, & Filium.

q.vn. Michael de Bon. reſp. quod Spiritus ſanctus præciſè eſt nexus, & vinculum Patris, & Filij, & amor ſimiliter procedens ab amante in amatum, & ideo eſt vera propoſitio, Pater diligit Filium Spiritu ſancto, & econuersò Filius Patrem.

q.vn. Nicol. de Orb. reſp. quod diligere poteſt ſumi eſſentialiter, & notionaliter, & in hac propoſitione, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto ſumitur partim eſſentialiter, & partim notionaliter ſecundum Scotum, ſenſus enim eſt, quod Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum, qui appropriatè eſt amor omnis neceſſariò amati.

Ioannes de Baſſ. reſp. quod ſi ſumitur diligere pro amare, vel velle bonum ſibi, aut alteri, vel pro acceptare bonum ſic in communi, Pater, & Filius non diligunt ſe Spiritu ſancto; ſi verò pro acceptare aliud ex vi & modo ſuæ productionis, vtique formaliter conuenit Spiritui ſancto, ſed principiatiuè, ſeu productiuè Patri, & Filio; ſi autem pro acceptare aliquo a ſe producto, vtique conuenit Patri, & Filio, ſed nullo modo Spiritui ſancto; ſi tandem ſumitur pro ſpirare; ſic etiam falſa eſt iſta locutio, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto. a.3. q vn.

Ioannes Maior reſp. quod Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, quia valet hæc ſua æquiualens, Pater, & Filius diligunt ſe amore abſoluto, & eſſentiali, & ſic diligendo ſe producunt Spiritum ſanctum tanquam vtriuſque amorem, & nexum. q vn.

Ioannes Vig. reſp. quod aliqua ſe diligere conſideramus quadrupliciter; voluntate, vt potentia; dilectione, vt actu; charitate, vt habitu; fine, vt Deo; ſic etiam poſſumus dicere, quod Pater, & Filius diligunt ſe voluntate, vt potentia elicitiua; dilectione eſſentiali, vt actu; charitate increata, vt habitu (ſi ibi poſſet poni habitus) eſſentia ſua vt fine, eſt enim eſſentia obiectum terminans dilectionem, & etiam finis dilectionis, non igitur diligunt ſe Spiritu ſancto, quia neque vt potentia, neque vt actu, neque vt habitu, neque vt fine. q.1.

Michael de Pal. reſp. quod cum dicimus Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, æquè eſt, ac ſi dicamus, Pater, & Filius ſe fœcundant Spiritu ſancto. diſt. vn.

Gregorius de Val. reſp. quod quando agens aliquid efficit, quod ſit medium inter actionem, & vltimum terminum, quem agens reſpicit per actionem, vt aliquo nomine, & actio ſignificatur, tunc non ſolum per actionem ipſam, ſed etiam per illud medium dicitur reſpicere vltimum terminum, ad quem tendit omnia enim, quæ agens efficit ordinat ad vltimum terminum, quo tendit actio; cum itaque Spiritus ſanctus ſit tanquam medium aliquod productum per actionem dilectionis, vt dilectio dicitur, qua Pater, & Filius reſpiciunt ſeipſos, vt vltimum terminum, ſequitur quod non ſolum per illam dilectionem, ſed etiam ipſo Spiritu ſancto per eam producto, ſe diligant. diſp. 2 q. 11. punc. 2.

Gui-

Digitized by Google

d. 32. § 1. Gulielm. Eſtius reſp. quod iſte ablatiuus Spiritu ſancto poteſt intelligi tribus modis; primo, vt ſignificatur habitudo principij producentis ſicut ferrum igne calere dicimus; ſecundò, vt ſit nota cauſæ formalis, quomodo quis a fortitudine dicitur fortis; tertiò, vt denotet effectum, ſeu rem productam, cuius denominatio tribuatur cauſæ, quomodo dicimus arborem florere floribus; & hoc modo ſi diligere non eſſentialiter, ſed notionaliter ſumitur, poteſt concedi, quod Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto.

q. 37. a. 7. Ludou. Mol. reſp. quod ſumendo diligere notionaliter iſta propoſitio, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, non poteſt exponi, niſi hoc modo, Pater, & Filius amando ſe eſſentialiter producunt Spiritum ſanctum, quo ſe amant, quod tamen eſt falſum, quia Pater, & Filius non amant ſe eſſentialiter Spiritu ſancto, & ideo in rigore non eſt propoſitio vera.

diſp. 151. cap. 3. Gabriel Vaſquez reſp. quod duo ſunt genera actionum, quædam ſignificantur ſub reſpectu ſolum ad terminum, quem producunt, vt generare, & ſpirare; quædam verò cum duplici ordine, altero ad terminum productum, altero ad rem aliam, non quidem productam, ſed aut per modum obiecti, aut per modum ſubiecti ſe habentem; & harum quædam ſunt tranſeuntes, vt calefactio, & tranſmutatio, & quædam immanentes, vt dictio, & intellectio; in actionibus ergo primi generis non fit denominatio a termino producto in caſu effectiuo, vnde non dicimus Pater generat Filio, ſpirat Spiritu ſancto, huiuſmodi enim actiones nihil reſpiciunt præter terminum ſuum, ſed in actionibus poſterioris generis, vtique poteſt fieri denominatio a termino producto in caſu effectiuo, vnde dicimus ignis calefacit calore, non tantum eo, quem in ſe habet, ſed etiam eo, quem in ſubiecto producit, iſtæ enim actiones non ſolum ſignificantur ſub reſpectu ad terminum productum, ſed etiam ad ſubiectum, in quo inducunt terminum productum, veluti formam illius, & propterea hæc propoſitio concedenda eſt vt vera, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto.

d. 32. Archangelus Rubeus reſp. quod Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto non tanquam forma, quæ ſit eis ratio, & principium diligendi, ſed tanquam producto per actionem; vnde ille ablatiuus non tenetur cauſaliter, vel tanquam cauſa, ſed quaſi effectus formalis.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſicut nullum agens propriè, & formaliter agere dicitur, niſi per actionem, quæ eſt in eo, ita nullum intelligens, aut volens, propriè, & formaliter dicitur intelligere, aut velle niſi per intellectionem, & volitionem exiſtentem in eo; cum itaque dilectio ſit quædam volitio, eſt enim voluntatis actio, nulla perſona diuina poteſt dici aliam diligere, niſi per dilectionem, ſiue actionem inhærentem ei; & quoniam Spiritus ſanctus eſt perſona per ſe ſubſiſtens, ac proinde nulli alteri inhærens, nullo modo poteſt dici eſſe dilectio, qua vna perſona diuina formaliter, & propriè alteram diligit, atque ita non eſt propriè, ac formaliter vera iſta propoſitio, Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, diligunt enim ſe dilectione, quæ ipſis ineſt, quæ non poteſt eſſe Spiritus ſanctus, cum extra omne aliud ſit id, quod per ſe ſubſiſtit.

Sed ſi Spiritus eſt amor? quod autem diligitur amore diligitur. Obiectio.

Reſpondetur, quod Spiritus ſanctus non eſt amor, quo Pater, & Filius ſe diligunt, nam talis amor non eſt per ſe ſubſiſtens: ſed eſt illa perſona cui appropriatur amor; & procedit ab amantibus, quæ eſt per ſe ſubſiſtens, qua de cauſa dicitur amor.

QVÆSITVM II.

An Pater ſeipſum diligat Spiritu ſancto.

D. Thomas reſp. quod ſi quæſtio intelligitur de dilectione eſſentiali, ſicut Pater non diligit Filium Spiritu ſancto, ita nec ſeipſum, ſed charitate, & operatione eſſentiali; ſi autem intelligitur de dilectione notionali, ſic ſicut Filium, ita & ſeipſum Spiritu ſancto diligit, cum diligere notionaliter ſumptum, nihil aliud dicat, quam eſſe principium amoris perſonalis, qui eſt Spiritus ſanctus. d. 32. q. 1. a. 2.

Ricardus reſp. quod Pater diligit ſe Spiritu ſancto, & ſimiliter Filius diligit ſe Spiritu ſancto non dilectione eſſentiali, ſed notionali, vel perſonali, quia diligere notionaliter aliquem eſt ſpirare amorem in ipſum, vt in obiectum, & quoniam non tantum in Filium Pater ſpirat amorem, vt in obiectum, ſed etiam in ſeipſum, idcirco Spiritu ſancto diligit ſeipſum. a. 1. q. 1.

Petrus Aur. reſp. quod ideo Pater diligit ſe Spiritu ſancto, quia omne attingens aliquid a. 1.

Digitized by Google

quid illud dicitur attingere medio ſuæ attingentiæ; cum ergo diligere ſit quodam attingere, & medium iſtius attingentiæ ſit ſpiritus amãtis, Pater, & Filius diligendo ſeipſos, diligunt Spiritu ſãcto, qui eſt ſpiritus eorum.

a. 1. Thomas ab Arg. reſp. quod Pater diligit ſe Spiritu ſancto, quia eodem amore diligit ſe quo diligit Filium; cum autem diligat filium Spiritu ſancto, igitur & ſeipſum diligit Spiritu ſancto.

a. 2. Guilelmus Varrlll reſp. quod dilectione eſſentiali primo ſe diligit Pater, antequam intelligatur productus Spiritus ſanctus, ſed dilectio, qua dicitur ſe diligere Spiritu ſancto, non eſt niſi productio perſonæ, cui appropriatur reſpectus ad amabile; cum itaque Patri cõueniat producere Spiritum ſanctũ cõuenit etiam ſe Spiritu ſancto diligere.

q. un. Michael de Pal. reſp. quod idem eſt dicere, Pater diligit ſe Spiritu ſancto, quod Pater ſe fœcundat Spiritu ſancto producendo Spiritum ſanctum in propria ſubſtantia, & ſic etiam Filius.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſicut dictum eſt dilectio eſt actio immanens, Spiritus ſanctus autem eſt perſona per ſe ſubſiſtens, & ideo non poteſt eſſe ratio aliqua intrinſeca diligendi ipſi Patri; Pater ergo diligit ſe, ſicut etiam Filius dilectione, quæ eſt actio diuinæ voluntatis.

Obiectio. Sed ſi Pater dicit ſe verbo? quod verbum eſt filius; igitur a ſimili diligit ſe amore, qui amor eſt Spiritus ſanctus.

Reſpondetur, quod non eſt ſimile; quia eſſe verbum propriè conuenit filio, eſſe autem amor non propriè, ſed appropriatè conuenit Spiritui ſancto, & ratio iam inſinuata fuit, quia amor actionem dicit in voluntate manentem, verbum autem quid procedens, & exiens à dicente; & ideo etiam ſi concedatur, quod Pater ſe dicat perſona vt verbo, non eſt tamen concedendum, quod diligat ſe perſona vt amore, quia perſona vt per ſe ſubſiſtens non poteſt eſſe amor, ſicut poteſt eſſe verbum.

QVAESITVM III.

An Pater, & Filius diligant Spiritum ſanctum Spiritu ſancto?

d. 32. a. 1. q. 1. Ricardus reſpondet, quod Pater, & Filius diligunt Spiritum ſanctũm Spiritu ſancto dilectione notionali, non eſſentiali, & tunc per actum diligendi, & ablatiuum eadem res ſignificatur, ſed per actum ſignificatur vt actio, per accuſatiuum vt terminus actus, per ablatiuum vt aliquo modo ſimilis actui formali in denominando.

a. 1. Petrus Aur. reſp. quod Pater, & Filius diligunt Spiritum ſanctum Spiritu ſancto, quia omnis amans amat ſpiritu ſuo; cum autem Spiritus ſanctus ſit ſpiritus Patris, & Filij, omne quod amant Pater, & Filius amant Spiritu ſancto.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſicut Pater, & Filius non diligunt ſe Spiritu ſancto, quia nihil per ſe ſubſiſtens poteſt eſſe alteri ratio agendi, ita neque diligunt eundem Spiritum ſanctum Spiritu ſancto, ſed diligunt eum eâ dilectione, quæ eſt etiam communis Spiritui ſancto.

Obiectio. Sed ſi Pater, & Filius vniuntur Spiritu ſancto? eſt enim Spiritus ſanctus nexus eorum; & dilectio, ſiue amor vnionẽ importat.

Reſpondetur, quod Pater, & Filius vniuntur quidem in producendo Spiritum ſanctũ, quia vt vnum principium producunt; ſed nõ ſunt formaliter vnum Spiritu ſancto, neque eo formaliter vniuntur in eius productione, ſed in communi notione, quæ non eſt Spiritus ſanctus.

QVAESITVM IV.

An Spiritus ſanctus diligat ſe ſeipſo?

d. 32. q. 1. a. 2. D. Thomas reſp. quod ſi intelligitur quæſtio de dilectione eſſentiali, tunc expreſsè verum eſt, quod Spiritus ſanctus ſeipſo eſt diligens, ſicut ſeipſo eſt Deus; ſi autem intelligitur de dilectione notionali, tunc in hoc verbo diligere importatur quaſi duplex actus, actus .ſ. amoris, qui ſignificat perſonam Spiritus ſancti, & emiſſio amoris; vt importatur actus amoris, tunc cum Spiritus ſanctus ſit dilectio, poteſt dici ſeipſum ſeipſo diligere, quamuis iſte modus loquendi non ſit conſuetus; vt vero importatur emiſſio amoris, tunc quia ſic ſimul importatur notio actiua, & perſona Spiritus ſancti, ideo non poteſt dici quod ſeipſum diligat ſeipſo.

pr. 1 q. 2. Aegidius reſp quod Spiritus ſanctus diligit ſeipſum Spiritu ſancto, & dilectione eſſentiali ſicut Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, licet non ſecundum eundem modum habitudinis, cum Pater, & Filius diligunt

Digitized by Google

gunt ſe Spiritu ſancto in habitudine effectus formalis, non autem hic Spiritus ſanctus Spiritu ſancto, quia non poteſt eſſe ſui ipſius effectus; & ſimiliter dilectione notionali, quia ſicut dilectione eſſentiali diligit ſe eſſentia ſua, ita dilectione notionali diligit ſe perſona ſua (non eſt enim minus ſimplex ſua perſona, quam ſua eſſentia) cum itaque perſona ſua ſit dilectio, & dilectio notionalis, prout notionale dicitur omne id, quod non conuenit tribus, ideo diligendo ſe perſona ſua dicitur diligere ſe ſeipſo dilectione notionali.

a.1. q.1. Ricardus reſp. quod loquendo de amore eſſentiali Spiritus ſanctus diligit ſe Spiritu ſancto, non tamen a ſeipſo, quia totum quod habet, habet a Patre, ſed diligit ſe per ſeipſum, ſecundum quod ly per dicit habitudinem, quaſi ſimilem habitudini formæ; ſed amore notionali non diligit ſeipſo, quia in tali amore requiritur emanatio eius a diligente ſecundum rem, & non tantum ſecundum modum intelligendi; conſtat autē quod Spiritus ſanctus non emanat a ſeipſo. Spiritus ſanctus non ſpirat ſe, ergo neque notionaliter diligit ſe; argumentatur Marſilius q. 35. art. 1. diligere enim notionaliter actum ſpirandi importat, & perſonam.

a.1. Petrus Aur. reſp. quod Spiritus ſanctus diligit ſe ſeipſo, quia omne amans amat ſpiritu ſuo, non eſt autem alius ſpiritus in diuinis, quam Spiritus ſanctus, dum ergo Spiritus ſanctus amat ſe, ſe amat Spiritu ſuo.

c.3. Gabriel Vaſq. reſp. quod aut ſermo eſt de notionali dilectione, & ſic negatur iſta propoſitio, Spiritus ſanctus diligit ſe Spiritu ſācto, quia hæc dilectio non conuenit Spiritui ſancto, aut de eſſentiali, & ſic eſt concedenda, tunc autem caſus effectiuus ſeipſo non denotat principium quo, quale eſt eſſentia, ſiue voluntas; ſed principium quod, nimirum perſonam, ſic enim dicere conſueuimus, Petrus intelligit, aut fecit hoc, vel illud, ſeipſo.

Reſolutio.

RESpondeo, quod Spiritus ſanctus eadem dilectione ſe diligit, qua etiam ſe diligunt Pater, & Filius; quæ dilectio eſt actio voluntatis eiuſdem in ſeipſum tendentis, non minus tamen, quam etiam in Patrem, & Filium, cum huiuſmodi dilectio ſit cuilibet perſonæ diuinæ communis, & non diſtincta a qualibet, niſi ſecundum rationem; & ideo non eſt formaliter vera, nec vt propris concedenda iſta propoſitio, Spiritus ſanctus diligit ſe ſeipſo.

Sed ſi Spiritus ſanctus formaliter ſeipſo eſt, cur etiam non ſeipſo formaliter diligit? cum non ſit aliud eius eſſe, quod diligere. Obiectio.

Reſpondetur, quod Spiritus ſanctus formaliter ſeipſo eſt, quia a ſeipſo non diſtinguitur, neque ſecundum rem, neque ſecundum rationem, a ſua autem dilectione diſtinguitur ſaltem ſecundum rationem, & propterea oportet aſſignare diſtinctum formale ipſius dilectionis a ſeipſo.

QVÆSITVM V.

An Pater, & Filius diligant nos, & alias creaturas Spiritu ſancto?

D. Thomas reſp. quod cum dicitur, Pater, & Filius diligunt nos, & alias creaturas Spiritu ſancto, hoc verbum diligere poteſt ſumi eſſentialiter, & notionaliter, & vtroque modo eſt vera locutio, ſi enim ſumitur eſſentialiter tunc in verbo dilectionis deſignatur efficiētia totius Trinitatis, & in ablatiuo deſignante perſonam Spiritus ſancti, deſignatur ratio efficientiæ, non quidem ex parte efficientis, ſed ex parte effectorum, quorum ratio, & origo eſt proceſſio Spiritus ſancti, prout exeunt a Deo per libertatem voluntatis; ſi autem ſumitur notionaliter, tunc verbum dilectionis non importat ex principali intentione habitudinem efficientiæ reſpectu creaturæ, ſed rationem huius efficientiæ ex parte effectorum, & tunc eſt ſenſus Pater, & Filius diligunt nos, & alias creaturas Spiritus ſancto, ideſt, ſpirant amorem perſonarum, qui eſt ratio omnis liberalis collationis nobis, & alijs creaturis factæ a Deo. Item Aegidius, & Marſilius. q. 35. ar. 1. d.32. q.1. a.1.

Ricardus reſp. quod in diuinis duplex eſt amor, eſſentialis, & notionalis, amor eſſentialis Dei ad nos dupliciter accipi poteſt, vel ratione ſignificati, vel ratione effectus connotati, qui eſt collatio alicuius doni gratuiti; ſi intelligitur quæſtio de amore eſſentiali primo modo, non poteſt dici, quod perſonæ diuinæ diligant nos, & alias creaturas Spiritu ſancto, quia prius ſecundum rationem intelligendi eſt amor eſſentialis, quam Spiritus ſanctus; ſi verò intelligitur, ſecundo modo, ſic quælibet perſona diuina diligit nos, & alias creaturas Spiritu ſancto, appropriatè tamen, non propriè, quia collatio talis doni eſt a tota Trinitate, ſed appropriatur Spiritui ſancto; ſi tamen quæſtio a.1. q.2.

eſt

eſt de amore notionali, ſecundum quod cõprehendit emanationem, & perſonam verbaliter ſignificatam, ſic Pater, & Filius diligunt nos Spiritu ſancto, quia ſpirant in nos tãquam in obiectum, Spiritum ſanctum.

q. 1. Ioannes Scotus reſp. quod non oportet concedere Patrem, & Filium diligere creaturas Spiritu ſancto, eo modo quo diligunt ſe Spiritu ſancto, quia Pater, & Filius non producunt amorem, qui ex vi productionis ſuæ ſit amor creaturæ, immò completa productione neceſſaria illius amoris, ad hoc eſt contingentia, vt iſte amor ſit creaturæ, & hoc eſt in poteſtate non tantum producentis hunc amorem, ſed etiam iſtius amoris producti, quia ita contingenter amat Spiritus ſanctus creaturas, ſicut Pater, & Filius.

d. 32. a. 2. Thomas ab Arg. reſp. quod ſicut Pater eodem verbo, quo dicit ſe dicit etiam omnia alia a ſe; ſic Pater, & Filius eodem amore .ſ. Spiritu ſancto, quo diligunt ſe, diligunt etiam nos, & alia a ſe.

a. 2. Guilelmus Varill. reſp. quod dato quod non eſſet Spiritus ſanctus, ad huc pater, & Filius diligerent creaturas, & ideo non videtur, quod iſta propoſitio debeat concedi, Pater, & Filius diligunt creaturas Spiritu ſancto, ſicut iſta, Pater, & Filius diligunt ſe ſpiritu ſancto, & ratio eſt, quia dilectio Dei inquantum cadit ſupra creaturas contingens eſt, inquantum verò inter diuinas perſonas neceſſaria eſt, & ita ſi Pater, & Filius diligerent creaturas Spiritu ſancto, ſequeretur quod Spiritus ſanctus contingentur produceretur.

diſp. vn. Michael de Pal. reſp. quod non niſi ex improprietate ſermonis admittenda eſt iſta propoſitio, Pater, & Filius diligunt nos, ſeu creaturas Spiritu ſancto, quia diligendo creaturas non producunt Spiritum ſanctum, dilectio enim creaturarum non eſt fœcunditas perſonarum diuinarum Patris, & Filij, vt producant Spiritum ſanctum, ſed dilectio tantum propriæ diuinitatis.

diſp. 153. c. 2. Gabriel Vaſquez reſp. quod hæc propoſitio, Pater, & Filius diligunt nos, ſiue creaturas Spiritu ſancto intelligenda eſt de dilectione notionali, & ratio eſt, quia Spiritus ſanctus tanquam terminus productus per dilectionem, non ſolum habet reſpectum producti ad Patrem, & Filium, ſed etiam reſpicit obiecta ſecundaria amoris, ſicut ipſa dilectio notionalis; quamobrem ſicut dicimus, Pater intelligit creaturas in Filio, & verbo ſuo, ita etiam dicere poſſumus, Pater & Filius diligunt creaturas Spiritu ſancto licet non procedat per amorem creaturarum, id enim ea propoſitione non denotatur.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod non minus, quam Pater, & Filius, diligit etiam nos Spiritus ſanctus; ſicut ergo incongrua eſſet locutio Spiritus ſanctus diligit nos Spiritu ſancto, ita & iſta eſt incongrua, & in proprietate ſermonis non concedenda, Pater, & Filius diligunt nos Spiritu ſancto, etenim cum perſona vna non ſit ſibi ratio, vt diligat, cum ſit per ſe ſubſiſtens, & dilectio inhærens, ita nec alteri.

Sed ſi vna perſona inhæret alteri? ego enim (inquit Chriſtus Saluator noſter) in Patre, & Pater in me eſt. Obiectio.

Reſpondetur, quod vna perſona diuina inhæret alteri per affectum, & per vnitatem, & identitatem eſſentiæ, non vt forma, aut ratio agendi.

QVÆSITVM VI.

An Pater ſit ſapiens ſapientia genita?

Albertus reſp. quod hæc locutio non eſt vera, Pater eſt ſapiens ſapientia genita, quia per ablatiuos illos importatur habitudo formæ ad Patrem ſapientem, & ſic importatur eſſe, quia idem eſt eſſe ſapientia, & eſſe eſſentia in diuinis. d. 32. a. 1.

D. Thomas reſp. quod ſapientia ſignificatur per modum formæ manentis in eo, cuius eſt, vnde non poteſt denominari aliquis ſapiens, niſi per id, quod in ipſo eſt, & non per id, quod ab ipſo eſt, quod autem denominat aliquid per modum formæ, ſiue ſubſtantialis, ſiue accidentalis, habet rationem principij, cum forma ſubſtantialis ſit principium eſſe ſubſtantialis, & forma accidentalis principium eſſe accidentalis; quoniam autem Filius nullam rationem principij habet reſpectu Patris, ideo non poteſt dici Pater ſapiens eo, ſeu ſapientia genita. q. 2. a. 1.

D. Bonauentura reſp. quod hæc locutio eſt ſimpliciter falſa, Pater eſt ſapiens ſapientia genita, tum quia eſſe ſapiens ſumitur eſſentialiter; tum etiam, quia ſapere eſt idem quod eſſe, ſi ergo non eſt Filio, ergo nec ſapit Filio; tum tertiò, quia non intellecta generatione, adhuc eſt intelligere Deum ſapientem. a. 2. q. 1.

Aegidius reſp. quod ſunt quidam actus, qui ſunt animæ ad res, vt diligere & ama- pr. 2. q. 1.

Digitized by Google

re, qui cum deſignent quendam motum ab anima, ſecundum eos anima denominari poteſt per ea, quæ ad ipſa ſunt, & ſic dicitur amans amare amore a ſe procedente; quidam vero ſunt actus, qui ſunt rerum ad animam, vt intelligere, qui cum non ſignificent motum ab anima, ſecundum eos anima ſimpliciter denominari non poteſt per ea, quæ ab ipſa ſunt, & ſic non dicitur intelligens intelligere verbo, ſicut amans amare amore; per hoc ergo in diuinis non eſt dicendum, quod Pater ſit ſapiens Filio, qui eſt ſapientia genita, quia neque dicendum eſt, quod verbo intelligat, non enim quis poteſt eſſe ſapiens niſi eo, quo intelligit.

a.2. q.1. Ricardus reſp. quod ea, quę ſignificant rem ſuam vt in alio; non denominant niſi per aliquid, quod eſt in re denominata quaſi ad modum formæ; cum itaque ſapiens dicat rem ſuam vt in alio, & ſapientia genita, quæ eſt Filius, vt ab alio, Pater non poteſt denominari ſapiens eo, ſiue ſapientia genita.

q.2. Ioannes Scotus reſp. quod actus eſſentialis non poteſt eſſe alicuius ſuppoſiti mediante aliquo principio vt quo, niſi illud ſit tali perſonæ principium eſſendi formale, vel principiatiuum, vel ſubauctoritatiuum reſpectu talis actus; cum itaque Filius, ſiue ſapientia genita, non ſit Patri principium eſſendi formale, nec principiatiuum, nec actiuum ſubauctoritatiuum reſpectu actus eſſentialis, igitur Pater non eſt ſapiens ſapientia genita.

a.2. Petrus Aureolus reſp. quod cum Filius non procedat vt ſapientia formalis, ſiue vt intellectus actualis, ſed potius vt ſapientia, & intelligentia obiectiua, quod non eſt aliud niſi id quod apparet de re cognita obiectiuè, hæc propoſitio, Pater eſt ſapiens verbo, aut ſapientia genita poteſt habere duplicem ſenſum, vel enim ablatiuus ille conſtruitur in habitudine principij formalis, & tunc eſt falſa propoſitio, vel in habitudine cuiuſdam medij, & ſecundum hoc videtur poſſe concedi; eſt enim ſenſus, quod cum ſapere non ſit aliud, quam ſibi aliquid apparere, Pater ſapit verbo, quia quod ſapit apparet ſibi per verbum, quod vtique verum eſt, & in hoc ſenſu aliquando D. Auguſtinus illam conceſſit, quia tamen eſt difficilis ad intellectum, ideo magis debet negari, quam concedi, ſicut poſtea ipſam negauit idem D. Aug.

q.4. Franciſcus Maro reſp. quod Pater eſt ſapiens ſapientia genita in ſenſu diuiſionis accipiendo genitum vt quo, vel vt communicatum, quia eadem numero ſapientia, qua Filius ſapit, Pater etiam ſapit, vnde cum ſapientia, qua Filius ſapit ſit genita, igitur & qua Pater; non autem in ſenſu compoſitionis, quia tunc in eo eſſet ſapientia cum generatione paſſiua.

Thomas ab Argentina reſp. quod illo eſt aliquis ſapiens, quo intelligit, Pater autem non intelligit ſapientia genita, quia cum ſapere, ſeu intelligere ſignificet motum rei ad animam, non poteſt ipſam denominare per illud, quod ab eo procedit, & ita non eſt ſapiens ſapientia genita. d.32. q.3.

Guilelmus Rub. reſp. quod hæc propoſitio non eſt vera, Pater eſt ſapiens ſapientia genita, ſed bene hæc eſt vera, Pater, & quælibet alia perſona eſt ſapiens ſapientia, quæ eſt res genita; nam ſapientia, qua eſt ſapiens quælibet perſona diuina eſt Filius, qui eſt genitus, ſeu res genita, & eſt ſimiliter eſſentia, quæ eſſentia eſt etiam Filius, qui eſt genitus, ſeu res genita. q.2.

Marſilius reſp. quod Pater non eſt ſapiens ſapientia genita, quæ eſt Filius, quia non intelligit Filio, nam omne quo quis intelligit debet eſſe formaliter in eo, intelligere enim dicit formam intelligentis, quæ debet eſſe formaliter in intelligente, vel ipſemet intelligens, cum nullus intelligat formaliter intellectione, quæ eſt extra eum; Filius autem non eſt formaliter in Patre, quoniam eſt diſtinctum ſuppoſitum ab eo. q.34. a.1.

Ioannes de Baſſol. reſp. quod Pater non eſt ſapiens ſapientia genita, primò, quia illud, quo aliquid dicitur, vel eſt formaliter tale, eſt in eo formaliter, vt lux in lucente, ſapientia autem genita, quæ eſt Filius non eſt in Patre formaliter, quia ſic eſſet confuſio in diuinis perſonis; ſecundò, quia illud, quo aliquid dicitur formaliter eſt ſibi communicabile, nullum autem ſuppoſitum eſt alteri communicabile. d.32. a.1.

Ioannes Maior reſp. quod hæc propoſitio eſt neganda, Pater eſt ſapiens ſapientia genita, quia ſapientia genita eſt Filius; ſicut autem Pater non eſt a Filio, nec per Filium, ita non eſt ſapiens ipſo, vel per ipſum. Item Ioan. a Celaia, & Eſtius. q.vn.

Nicolaus de Niſſe reſp. quod licet hæc propoſitio, Pater eſt ſapiens ſapientia genita aliquo modo poſſit diſtingui, & in ſenſu diuiſo verificari dicendo, Pater eſt ſapiens ſapientia, & illa ſapientia eſt Filius, qui eſt genitus, de vi tamen ſermonis eſt neganda; nam aut ibi ſumitur ſapientia pro ſuo per ſe ſignificato, ſcilicet pro perfectione eſſentiali, & ſic eſt falſa, quia nulla perfectio eſſentialis in Deo eſt genita, aut pro perſona Fi- tr.2. par.8 por.2. q.14.

Digitized by Google

diſ, & ſic ſimiliter eſt falſa, quia perſona Filij non eſt Patri forma, aut principium ſapiendi, quod per huiuſmodi propoſitionem denotaretur.

d.32. n.1. Guilelm. Varill. reſp. quod in hac propoſitione, Pater eſt ſapiens ſapientia genita iſte ablatiuus ſapientia genita requirit, aut conſtructionem ratione formæ, aut principij productiui reſpectu actus talis qui eſt ſapere, & quoniam neutrum habet reſpectu Patris, ideo eſt falſa.

d.32. §.2. Guilelmus Eſtius reſpondet, quod cum Patri ſit idem ſapere quod eſſe, ſi ſapiens eſſet ſapientia genita ſequeretur, quod eſſet ſimpliciter per ſapientiam genitam, quod eſt abſurdum, quia Pater nec a Filio eſt, nec nec per Filium.

de tr. lib.9. c.10. Franc. Suarez reſp, quod in rigore hæc propoſitio eſt falſa, Pater eſt ſapiens ſapientia genita, & propterea ipſam retractauit D. Auguſtinus, & ratio clara eſt, quia per huiuſmodi locutionē ſignificatur cauſalitas formalis, vel modus eius ſapientiæ genitæ ad conſtituendū Patrē ſapientē, quod eſt falſum.

diſp. 131. c.6. Gabriel Vaſquez reſp. quod cum Patrem dicimus ſapientem non ſignificamus actionem, ſed effectum formalem ſapientiæ, & propterea cum Deus ſit ſapiens ſua eſſentia, non autem Filio tanquam forma, dici non poteſt, Pater eſt ſapiens ſapientia genita.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut Pater non diligit Spiritu ſancto, quia vt dictum eſt, cum Spiritus ſanctus ſit perſona per ſe ſubſiſtens non poteſt eſſe ratio alteri perſonæ, vt diligat, ſeu eam formaliter, & propriè denominare diligentem; ita etiam non ſapit Filio, nec eo poteſt propriè, & formaliter denominari ſapiens, cum Filius ſit æquè per ſe ſubſiſtens, vt Spiritus ſanctus; eſt autem Filius ſapientia, cum quia genitus eſt, tum quia ſapientia eſt eius appropriatum, ſicut appropriatum Spiritus ſancti eſt bonitas, ex quo etiam Spiritus ſanctus poteſt dici bonitas ſpirata ex virtute ſermonis, licet non ſit in vſu apud doctores ſanctos.

Obiectio. Sed ſi Filius eſt ars Patris? omnis autem artifex eſt ſapiens arte ſua.

Reſpondetur, quod Filius eſt ars Patris, non qua formaliter cognoſcit Pater, & vt eſt in eo quaſi ipſum informans; ſed vt in qua cognoſcit, & eſt ab eo, nam Pater cognoſcit omnia in Filio, quia in eo omnia relucent, non tamen eo. Ita Alexander, Aegidius, Ricardus, Marſilius.

QVAESITVM VII.

An Pater ſit ſapiens ſapientia ingenita?

ALbertus reſp. quod cum dicitur Pater eſt ſapiens ſapientia ingenita, ly ſapientia notat quaſi formam, & hoc cum additur ingenita priuationem deſignat originis. tr.12 q.10. m.3.

Franc. Maro reſp. quod in ſenſu compoſitionis hæc propoſitio eſt vera, Pater eſt ſapiens ſapientia ingenita, quia quicquid eſt in Patre totum eſt ingenitum, vt in eo. Item Anton. Andr. Vigerius. Et Marſilius, Pater eſt ſapiens ſapientia ingenita, quia ipſe eſt ſapientia ingenita, cum ſit eſſentia ſua. d.32. q.4.

Guilelmus Rub. reſp. quod hæc eſt vera propoſitio, quælibet perſona diuina eſt ſapiens ſapientia ingenita, nam quælibet perſona eſt ſapiens ſapientia, & hæc ſapientia cum non ſit producta, eſt ingenita. q.2.

Ioannes Maior reſp. quod hæc propoſitio, Pater eſt ſapiens ſapientia ingenita ſi reſoluatur per a falſa eſt, quia ſicut pater nec eſt a ſeipſo, nec ab eſſentia, ita nec eſt ſapiens a ſapientia ingenita, quæ eſt ipſe; ſi verò reſoluatur per ly per, vtique eſt vera, Pater enim eſt ſapiens per ſeipſum, & per eſſentiam ſuam. Item Ioannes a Celaia. q.1.

Reſolutio.

RESpondeo, quod vnumquodque ſapiens eſt ſapientia ſapiens, cum igitur Pater ſit ſapiens aliqua ſapientia eſt ſapiens, ſed cum non ſit ſapiens ſapientia genita, vt dictum eſt, ergo eſt ſapiens ſapientia ingenita.

Obiectio. Sed ſi omnis intelligentia eſt partus mentis? in Patre autem quid eſt ſapientia, niſi omnium rerum ſumma intelligentia?

Reſpondetur, quod non omnis intelligentia eſt partus mentis in intellectu ſimplici, & puro, in quo idem eſt ſimpliciter intellectus, & intellectio, & huiuſmodi eſt intellectus diuinus, & ideo non ſequitur, quod eius ſapientia ſit tanquam partus eius, ſicut poteſt contingere in intellectu creato, a quo differt ſua intellectio.

QVAESITVM VIII.

An Filius ſit ſapiens ſapientia genita?

ALbertus reſp. quod cum dicitur Filius ſapiens ſapientia genita ablatiuus ille ſa- tr.12 q.10.

Digitized by Google

m. 3. ſapientia conſtruitur in habitudine cauſæ quaſi formalis, & hæc determinatio genita circa ablatiuum notat poſitionem originis.

d. 12. q. 2. a. 2. D. Thomas reſp. quod ſi ablatiuus iſte conſtruitur in habitudine principij quaſi efficientis, ſic falſa eſt propoſitio, Filius eſt ſapiens ſapientia genita, quia ſenſus eſſet, quod Filius eſſet ſapiens a ſapientia ſua, & ita a ſeipſo, quod eſt falſum; ſi verò conſtruitur in habitudine principij quaſi formalis, vel conſideratur illud quo Filius formaliter ſapiens eſt, & ſic eſt ſapiens ſapientia eſſentiali, quæ neque genita eſt, neque ingenita, vel conſideratur hypoſtaſis habens formam illam, & ſic eſt ſapiens ſapientia genita, quia hypoſtaſis Filij eſt ſapientia genita. Eſt tamen propoſitio valdè impropria; ad hæc ſubiungunt Durandus, & Vaſquez.

pr. 2 q. 2. Aegidius reſp. quod idem eſt quærere; an Filius ſit ſapiens ſapientia genita quod quærere, an Filius ſit ſapiens per ſe; per ſe itaque ſi ſumitur vt dicit habitudinem formæ, ſic eſt ſapiẽs per ſapientiam eſſentialem, quæ propriè nec genita eſt, nec ingenita; ſi vt dicit habitudinem ad hypoſtaſim, ſiue ad habentem formam, ſic quoniam eſſe per ſe tale dicitur, quod habet in ſe formam, quare ſit tale, cum in hypoſtaſi Filij ſit natura quædam, & forma, per quam eſt ſapiens, dici poteſt ſapiens ſapientia genita, ſi verò vt ly per ſe dicit remotionem cauſæ, extendendo cauſam ad omne id, quod habet rationem principij, ſic Filius non eſt ſapiens per ſe, habet enim a Patre, quod ſit ſapiens; ſi verò dicit per ſe eſſe, ſiue non eſſe in alio; non pertinet (inquit) hoc quærere ad præſens.

a. 2. q. 2. Ricardus reſp. quod actus attribui poteſt alicui tripliciter, vel tanquam principio originanti illud, cuius eſt actus, vel tanquam formæ, per quam ſuppoſitum agit, vel tanquam ſuppoſito agenti; primo modo Filius dicitur ſapiens ſapientia ingenita; quæ eſt Pater, ſicut enim habet a Patre, quod ſit, ita habet, quod ſit ſapiens; ſecundo modo dicitur ſapiens ſapientia eſſentiali, quæ nec genita eſt, nec ingenita ſecundum quod ingenitum eſt nomen notionis; tertio modo ſic poteſt dici, quod eſt ſapiens ſapientia genita, hoc eſt, ſeipſo.

a. 3. Petrus Auri reſp. quod tripliciter poteſt eſſe intelligentia huius propoſitionis, Filius eſt ſapiens ſapientia genita; prima, quod ſit in eo aliqua ſapientia generata eſſe capiens per generationem, & ſic eſt falſa; ſecunda, quod fiat relatio ad hypoſtaſim, ita vt ſit ſenſus, quod Filius, qui eſt hypoſtaſis genita ſit ſapiens ſeipſo, referendo ad totam hypoſtaſim, vel proprietatem perſonalem, & ſic ſimiliter non eſt vera; tertia, quod accipiatur ſapientia genita pro ſapientia per generationem communicata, tanquam forma ſymbolica, & penitus improducta, & ſic concedi poteſt, quod Filius ſit ſapiens ſapientia ſibi per generationem communicata, ſicut eſt per eſſentiam ſibi communicatam; ſed quoniam forma ſymbolica propriè non dicitur genita; ideo nec ſimpliciter loquendo eſt concedenda propoſitio, Filius eſt ſapiens ſapientia genita.

Franc. Maro reſp. quod Filius eſt ſapiens ſapientia genita in ſenſu compoſitionis, quia quicquid eſt in verbo, vt eſt in eo (qui eſt ſenſus compoſitionis) eſt per generationem communicatum, & omne tale eſt genitum, vt quo, cum generatio ad omnia, quæ ſunt in verbo terminetur primariò, vel ſecũdariò. *q. 4. q. 34.*

Marſilius reſp. quod Filius eſt formaliter ſapiens ſapientia genita, quia eſt ſapiens ſeipſo, qui eſt ſapientia genita, & ſimiliter eſt ſapiens formaliter ſapientia, quæ non eſt genita, nec ingenita, capiendo ingenitum prout eſt notio Patris; eſt enim formaliter ſapiens diuina eſſentia, quæ nec genita eſt, nec ingenita. *a. 2.*

Ioannes de Baſſol. reſp. quod ſi ablatiuus conſtruitur in ratione principij productiui, vel in ratione formæ, non eſt concedenda iſta propoſitio, Filius eſt ſapiens ſapientia genita, quia nec eſt principium productiuum ſui, nec ſapiens ſeipſo vt quo; ſi identicè, vel per identitatem, eſt quidem vera, ſed non benè propria, & eſt ſenſus, quod Filius eſt ſapiens ſapientia genita, quia ſeipſo, non vt quo, ſed ſicut ipſum eſt ipſum, & eſt ſeipſo. *d. 32. a. 2.*

Ioannes Maior reſp. quod hæc propoſitio, Filius eſt ſapiens ſapientia genita, ſi reſoluatur per propoſitionem a eſt falſa, ſi per ly per eſt vera, ſicut enim non eſt a ſeipſo, ſic a ſeipſo non eſt ſapiens, ſed per ſeipſum, ſicut agit per ſeipſum, licet non a ſe. Item Ioannes a Celaia. *q. vn.*

Michael de Pal. reſp. quod ſi ſapientia ſumitur notionaliter eſt vera propoſitio, Filius eſt ſapiens ſapientia genita, nam ipſe eſt ſua ſapientia, & eſt perſona genita, ſicut enim eſt verbum productum, & notitia producta, ita & ſapientia producta, ſiue genita; ſi verò ſumitur eſſentialiter, non eſt vera; nam ſic ſequeretur, quod natura Filij eſſet genita. *diſp. vn.*

Re-

Digitized by Google

Reſolutio.

Reſpondeo, quod etiamſi Filio appropriętur ſapientia, & ſit genitus, ac proinde dicatur ſapientia genita, non eſt tamen in diuinis ſapientia aliqua, quæ ſit ratio ipſi, vel alteri perſonæ ſapiendi genita, quod enim eſt genitum opponitur generanti, & eſt per ſe ſubſiſtens, quod autem intelligitur, vt ratio alicui agendi, ſiue cognoſcendi, per ſe ſubſiſtere non poteſt, & ideo ſapientia, qua perſonæ diuinæ intelliguntur ſapere, non poteſt eſſe genita, cum per ſe ſubſiſtere non poſſit, nec relatiuè alicui opponi; & propterea etiamſi Filius dicatur ratione iam dicta, ſapientia genita, non eſt tamen ſapiens ſapientia genita.

Obiectio. Sed ſi Filius eſt ſapiens ſeipſo? quia ſcilicet natura ſua eſt ſapiens, ipſe autem eſt genitus.

Reſpondetur, quod ſi ly ſeipſo negat originem non eſt vera propoſitio, Filius eſt ſapiens ſeipſo, quia vt ſit ſapiens habet a Patre, quemadmodum, vt ſit; ſi verò referatur ad cauſalitatem formalem, vel refertur ad totam perſonalitatem, vel ad proprietatem perſonalem, vel ad eſſentiam; primò, & ſecundò modo ſimiliter non eſt vera, ſed tantum tertiò, ſic enim eſt ſenſus, quod Filius eſt ſapiens eſſentia, ſiue natura, quæ eſt idem quod ipſe, non eſt autem natura, ſiue eſſentia eſſentia genita. Ita Aureolus.

QVAESITVM IX.

An Filius ſit ſapiens ſapientia ingenita?

d. 32. a. 4. Albertus reſp. quod ingenitum accipitur in vſu apud ſanctos Patres pro proprietate Patris, & ideo non eſt concedendum, quod Filius ſit ſapiens ſapientia ingenita.

q. 2. a. 1. D. Thomas reſp. quod ſi ablatiuus conſtruitur in habitudine principij quaſi efficientis eſt vera propoſitio, Filius eſt ſapiens ſapientia ingenita, quia a ſeipſo ſapiens non eſt, ſed a ſapientia, quæ non eſt genita, ſi autem conſtruitur in habitudine principij quaſi formalis, ſic non eſt vera propoſitio, cum ſit ſapiens ſapientia eſſentiali, vel ſeipſo.

pr. 2. q. 2. Aegidius reſp. quod aliquid eſſe tale per hoc, ſiue illud poteſt intelligi quatuor modis; primo, ſi illud non ſit tale, ſed quia aliud eſt tale, ideo tale dicatur, & ſic dicimus, quod principia ſunt in genere per principiata; ſecundo, ſi vtrumque ſit tale, ſed vnum diminutè, & alterum perfectè, & ſic dicimus omnia entia creata eſſe per primum ens; tertiò, ſi vnum eſt forma alterius, & ſic dicimus, quod homo intelligit per animam; quarto, ſi aliquid habet ab alio, quod ſit tale, & ſic dicimus, quod productum inquantum productum eſt tale ſuo productiuo; primo modo ergo hæc propoſitio, Filius eſt ſapiens ſapientia ingenita, eſt propoſitio falſa, quia tunc ſenſus eſſet quod Filius non eſſet ſapiens, ſed diceretur ſapiens, quia eſt Pater ſapiens; ſecundo modo ſimiliter eſt falſa, quia tunc ſenſus eſſet, quod Pater ſaperet, & Filius ſaperet; ſed Pater completè, Filius verò diminutè; tertio modo eſt etiam falſa, quia tunc ſenſus eſſet, quod vna hypoſtaſis eſſet forma alterius; quarto modo ergo eſt propoſitio vera, quia Filius a Patre producitur, & a Patre habet, quod ſit ſapiens, cum autem Pater ſit ſapientia ingenita, ideo poteſt dici, Filius eſt ſapiens ſapientia ingenita.

Durandus reſp. quod ſi iſte ablatiuus notat habitudinem principij efficientis, ſic poteſt concedi, quod Filius ſit ſapiens ſapientia ingenita, quia Filius habet a Patre, quod ſit ſapiens, Pater autem eſt ſapientia ingenita; ſi vero notat habitudinem principij formalis, ſic etiam poteſt concedi, quia ingenitum aliquo modo poteſt conuenire eſſentiæ; & iſte modus loquendi eſt magis proprius, quam primus. *q. 2.*

Franc. Maro reſp. quod Filius eſt ſapiens ſapientia ingenita in ſenſu diuiſionis, quia eadem ſapientia numero, qua Filius ſapit, & Pater ſapit, ſapit autem Pater ſapientia ingenita. *q. 4.*

Thomas ab Argentina reſp. quod ſi per ingenitam ſapientiam intelligatur perſona Patris, tunc quæſitum poteſt habere duplicem intellectum, vnum quod Filius ſit ſapiens ſapientia ingenita tanquam forma ſua, aliud tanquam productiuo ſuo; primus intellectus eſt falſus, ſed ſecundus eſt verus. Item Marſilius q. 34. ar. 2. *a. 4.*

Ioannes de Baſſolis reſp. quod ſi accipiatur ingenitum pro notione, vt ſic ſapientia ingenita ſumatur pro Patre, poteſt concedi quod Filius ſit ſapiens ſapiētia ingenita principiatiuè, loquendo de principio quod, non autem formali; ſi autem accipiatur ingenitum, vt conuenit eſſentiæ, vel intellectioni communi, vel ſapientiæ, tunc quando dicitur, Filius eſt ſapiens ſapientia ingenita, ſi iſte ablatiuus tenetur in ratione principij, vel productiui, vel producentis eſt falſa, quia ſapientia communis nec eſt principium *a. 4.*

quod

quod; nec quo Filij, ſed magis Pater quod, memoria quo; ſi autem ablatiuus teneatur formaliter in ratione principij formalis, ſic eſt vera, quia per intellectum eſſentialem, quælibet perſona formaliter ſapit.

d.27. Ioannes a Celaia reſp. quod hæc propoſitio, Filius eſt ſapiens ſapientia ingenita eſt vera quocunque modo reſoluatur, nam Filius eſt a Patre, qui eſt ſapientia ingenita, & eſt ſapiens per eſſentiam diuinam, quæ eſt ſapientia ingenita.

Reſolutio.

RESpondeo, quod accipiendo ingenitum pro non genito, vt conuenit etiam eſſentialibus, ſapientia, qua perſonæ diuinæ formaliter ſapiunt eſt ingenita, & quoniam hac eadem ſapientia ſapit Filius, non enim in ſapiendo eſt aliqua diſtinctio inter diuinas perſonas, ſicut nec in eſſendo, ideo ſicut Pater eſt ſapiens ſapientia ingenita, & Spiritus ſanctus, ita & Filius.

Obiectio. Sed ſi ſapientia ingenita eſt Pater? Filius autem non eſt formaliter ſapiens Patre.

Reſpondetur, quod ſapientia ingenita (ſumendo ingenitum prout contradictoriè opponitur genito) non eſt tantum Pater, ſed etiam & Filius, & Spiritus ſanctus, eſt enim idem quod eſſentia, ſola ratione diſtincta ab ea; ſicut igitur propter huiuſmodi diſtinctionem Pater formaliter dicitur ſapiens ea, ſic quoque dicitur ſapiens Filius, & Spiritus ſanctus.

DISTINCTIO TRIGESIMA TERTIA.

Poſt ſupradicta interſnus conſiderare, atque ſubtiliter inquirere oportet, vtrum proprietates, &c.

QVAESITVM I.

An relationes ſiue proprietates perſonales diſtinguantur a diuina eſſentia?

a.68. m. 1. a.2. ALexander reſp. quod paternitas eſt Deus eo modo quo eſt Deum modo abſtracto dicere, & probat; primò, quia adoratur; ſecundò, quia Deus eſt quicquid habet; tertiò, quia non eſt a Deo, ergo ſequitur quod ſit Deus; ſi enim a Deo eſſet, creatura eſſet.

d.33. a.1. Albertus reſp. quod ideo proprietas non diſtinguitur a diuina eſſentia, ſed eſt idem cum ea, quia nulla compoſitio eſt in diuinis, ſed ſumma ſimplicitas.

D. Thomas reſp. quod in relatione ſunt duo conſideranda, reſpectus, ſ. quo alterum ad alterum refertur, in quo ratio relationis conſiſtit, & ipſum eſſe relationis, quod habet, ſecundum quod in aliqua re fundatur, vt in quantitate, qualitate, & huiuſmodi; & quoniam relationes diuinæ non fundantur in alio, quam in eſſentia, ideo eſſe earum non poteſt eſſe aliud, quam eſſe eſſentiæ, & quoniam in diuinis non poteſt eſſe niſi vnum eſſe, & hoc eſſe eſt idem, quod eſſentia, ideo ſecundum rem non poteſt diſtingui ab eſſentia, quamuis ſecundum ratione diſtinguatur. q.1. a.1.

D. Bonau. reſp. quod relationes, ſeu proprietates ratione comparationis ad ſubiectũ tranſeunt in ſubſtantiam, & ideo non diſtinguuntur a ſubſtantia, ratione verò comparationis ad terminos remanent, & quantum ad hoc differunt ab eſſentia, non quod dicant aliam eſſentiam, ſed alium modum ſe habendi. q.2.

Aegidius reſp. quod ſi conſideremus relationem quoad eſſe, quia ſic tranſit in diuinam ſubſtantiam ſicut cætera prædicamenta non differt ſecundum rem ab ipſa eſſentia, ſi verò conſideremus rationem quiditatiuam, cum alia ſit ratio quiditatiua eſſentiæ, & alia relationis, & hæc non tranſeat in illam, ſic relationes differunt ſecundum rationem ab eſſentia. pr. 1. q.2.

Ricardus reſp. quod omnis res æterna eſt diuina eſſentia, & quoniam relationes ſunt res æternæ, ideò ſunt ipſa diuina eſſentia. ar. 2. q.1.

Henricus reſp. quod ſubſtantia, & relatio in diuinis ſunt idipſum re, inquantum relatio incidit in ſubſtantiam; diſtinctio ergo ſubſtantiæ, & relationis in diuidis, non eſt, niſi ſecundum proprias rationes, & modos eſſendi, prædicandi, ſeu dicendi, eſt autem proprius ſubſtantiæ modus, & ratio, eſſe, prædicari, & dici ſecundum ſe, & abſolutè, relationis verò in ordine ad aliud. a.68. q.4.

Et in Quol. 5. q. 6. reſp. quod relationes non differunt ab eſſentia, nec realiter propter ſuam ſummam ſimplicitatem, & vnitatem, nec intentione, eo quod nulla eſt compoſitio in diuinis, ſed tantum ratione, propter diuerſum modum concipiendi.

Ioannes Scotus reſp. quod relationes propter diuinam ſimplicitatem, & infinitatem ſunt idem quod diuina eſſentia, per identitatem ſimpliciter, non tamen formaliter. d.34. q.vn.

Herueus reſp. quod proprietas, & eſſentia inter ſe quantum ad illud, quod ſunt nullam realem differentiam habent, ſed bene d.33. a.3.

in

Digitized by Google

in habitudine ad tertium.

q.1. Durandus reſpondet, quod relationes diſtinguuntur ab eſſentia non purè, & præciſè tantum ſecundum rationem, quia etiam circunſcripta quacunque operatione noſtri intellectus differunt ex natura rei, eſt enim eſſentia diuina in aliquo ſuppoſito formaliter, in quo non eſt quælibet relatio formaliter, nam in Patre formaliter eſt eſſentia, non autem filiatio; ea autem diſtinguuntur purè, & præciſè ſecundum rationem, quæ circunſcripta omni operatione intellectus non amplius diſtinguuntur; neque differunt ſimpliciter, & abſolutè realiter, quia relatio, & eſſentia non ſunt duæ res, quarum vna nullo modo ſit altera, ſed benè differunt aliquo modo realiter, ſaltem ſecundum quid, & cũ determinatione, ſi enim differunt (vt dictum eſt) etiam ſecluſa omni operatione intellectus, ergo aliquo modo realiter; & ſi non ſimpliciter, & abſolutè realiter, ergo ſecundum quid, & cum determinatione, quæ determinatio aſſignari poteſt, vel quia non ſunt idem adæquatè, & conuertibiliter, vel quia differunt vt res, & modus habendi rem, vel quia differunt formaliter.

q.3. Petrus Aur. reſp. quod proprietates diuinæ, ſeu relationes ſunt ipſa eſſentia per omnimodam indiſtinctionem rei, & rationis, quamuis conceptibiliter poſſint diſtingui, quantum ad concipi in recto, vnde duo conceptus formari poſſunt de proprietate, ſeu relatione, & eſſentia, quorum quilibet neceſſariò includit proprietatem, ſeu relationem, & eſſentiam, ſed vnus proprietatem in recto, & eſſentiam indiſtinctam in obliquo, alius verò econuersò.

præd. diu. q.13. Iacobus Viterb. reſp. quod alia attributa diuina differunt ab eſſentia ſecundum rationem, ſed relatio differt realiter, non quidem vt res a re, ſed ſicut modus a re.

d.33. q.1. Franc. Maro reſp. quod relationes ab eſſentia non diſtinguuntur diſtinctione rationis, quia talis diſtinctio non eſt, niſi inter entia rationis, ſed diſtinguuntur ex natura rei quiditatiuè, & formaliter, quia alia eſt diffinitio, ſeu ratio formalis relationis, & alia eſt diffinitio, ſeu ratio formalis eſſentiæ; & ſecundum hanc diſtinctionem (inquit) tollitur repugnantia prædicatorum oppoſitorum, quæ dicuntur de eſſentia, & de relatione.

q.vn. Guilel. Occham reſp. quod licet relatio non ſit omni modo eadem cum diuina eſſentia, ſicut eſſentia eſt eadem ſibi ipſi, realiter tamen non eſt diſtincta ab ea, alioquin multa inconuenientia ſequerentur; primum, quod eſſent duo dij, vel ſaltem quod aliquid imperfectionis eſſet in perſonis; ſecundum, quod perſona diuina, quæ conſtituitur proprietate, & eſſentia non eſſet Deus, nec Deitas niſi denominatiuè; tertium, quòd hæc eſſet ſimpliciter falſa, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnus Deus, ſunt enim nomina relatiua, & ly Deus non poteſt ſupponere niſi pro eſſentia; quartum, quod perſona eſſet compoſita, ex re .ſ. & re, eſſentia, & relatione.

Adam Godam reſp. quod ſi eſſentia diſtingueretur realiter a relatione, ſiue proprietate vel diſtinguerentur perſonaliter, vel eſſentialiter, ſed non perſonaliter, quia ſic eſſent duæ perſonæ in vna perſona, nec eſſentialiter, quia nulla eſt diſtinctio eſſentialis in diuinis; ergo nullo modo realiter diſtinguuntur. *q.1.*

Thomas ab Arg. reſp. quod non eſt realis diſtinctio in diuinis niſi inter ea, quæ ad inuicem oppoſitionem habent; & ideo non poteſt eſſe realis diſtinctio inter eſſentiam, & relationem, quia nullam ad inuicem habent oppoſitionem, differunt tamen ſecundum rationem, quia ratio relationis includit eſſe ad aliud, ratio eſſentiæ ad ſe, & quia eſſentia eſt fundamentum relationum, fundamentum autem ſaltem ratione differt ab eo, cuius eſt fundamentum. *a.1.*

Gerardus reſp. quod inter eſſentiam, & relationem eſt diſtinctio, non quidem realis, aut formalis, aut modalis, ſed rationis tantum prouenieus ex natura rei, habens pro fundamento realem identitatem, & ſimplicitatem; eſt autem duplex huiuſmodi diſtinctio, vna, quæ prouenit ex natura rei non repugnantis, quin ſcilicet intellectus diſtinguat propter ſuum modum cognoſcendi potentialem, & imperfectum, qualis eſt diſtinctio inter diffinitionem, & diffinitum; altera eſt, quæ prouenit ex natura rei neceſſitantis ipſum intellectum ad diſtinctos conceptus diffinitiuos, qualis eſt diſtinctio inter genus, & differentiam; & hec eſt diſtinctio rationis inter eſſentiam, & relationem, cum eodem conceptu diffinitiuo concipi non poſſint, & hæc (inquit) diſtinctio rationis iſto modo intellecta, ſufficiens eſt, & ad ſaluandam diuinam ſimplicitatem, & ad vitandam quamcunque contradictionem in eis. *a.5.*

Guilelmus Rubion reſp. quod nulla eſt inter relationes originis, & perſonas, ſicut nec inter relationes, & eſſentiam, nec inter per- *d.19. q.1. a.1.*

Digitized by Google

perſonas, & eſſentiam diuerſitas in re extra, immò iſta omnia, perſona vt Pater, relatio vt paternitas, & eſſentia vt deitas ſunt nomina omnino ſynonima idem totaliter in diuinis ſignificantia in re extra, cum in diuinis nulla poſſit eſſe diuerſitas, niſi tantum inter perſonas ad inuicem comparatas.

d.31. Alphonſus reſp. quod licet eſſentia diuina ſit eadem realiter, & formaliter cuilibet proprietati relatiuæ, non tamen eſt eadem adæquatè, & conuertibiliter; tum quia perſonæ conueniunt in eſſentia, & in proprietatibus diſtinguuntur; tum etiam quia eſſentia non ſolum identificatur vni proprietati, ſed etiam alteri oppoſitæ; tum inſuper, quia eſſentia communicatur, & non cum hac, vel illa proprietate.

d.34. a.1. Ioannes Bacc. reſp. quod ſi relatio comparatur ad eſſentiam, quantumcunque retineat habitudinem ad oppoſitum ex natura rei, eſt idem cum ea, & ſecundum eſſe formale eius in abſtracto accepta, & ſecundum eſſe intelligibile, quod habet ex parte rei; ſi verò ipſa & eſſentiæ comparantur ad tertium .ſ. intellectum, qui poteſt facere de ipſis diuerſas diffinitiones, & conceptus diſtinguuntur ex natura rei, eſt enim alia diffinitio relationis, & alia diffinitio eſſentiæ, diffinitio enim eſſentiæ eſt ad ſe, relationis verò ad aliud.

d.33. Nicolaus de Orb. reſp. quod proprietas perſonalis non eſt idem formaliter cum eſſentia, ſed identicè, & perfectè ratione ſimplicitatis diuinæ, quæ ſequitur ex perfecta infinitate illius eſſentiæ.

q.46. a.31. Marſilius reſp. quod proprietas, ſiue relatio non diſtinguitur realiter ab eſſentia, ſed formaliter, & hoc probat tripliciter; primò, quia eſſentia eſt neceſſariò Filio, proprietas autem vt paternitas non eſt idem ei; ſecundò, quia prædicamentum relationis plus manet in diuinis, quam quantitas, & qualitas; tertiò, quia non multiplicatur eſſentia ad multiplicationem proprietatum.

d.33. q.1. Ioannes de Baſſ. reſp. quod eſſentia eſt infinita formaliter, & ſimpliciter, ſibi autem componitur relatio in ſuppoſito, ex quo ſi non eſſet idem realiter cum ea, non eſſet actus purus, & ſuppoſitum conſtitutum ex his non eſſet ſimplex; quia tamen multa ſunt, quæ verificantur de relatione, & non de eſſentia, & econuerſò, diſtinguuntur formaliter ex natura rei.

q.1. Ioannes Vig. reſp. & ex eo quod Pater, & Filius ſunt idem in eſſentia, & non in proprietatibus, & ex eo quod multa dicuntur de eſſentia, quæ non dicuntur de proprietatibus deducit, quod proprietates diſtinguuntur ab eſſentia ex natura rei formaliter, ſaltem accipiendo diſtinctionem negatiuè.

Guilelmus Varrill. reſp. quod ratione infinitatis perſonales proprietates, & diuina eſſentia, ſunt idem realiter, quia tamen in eſſentia conueniunt perſonæ, & in proprietatibus differunt, diſtinguuntur formaliter. a.2.

Michael de Pal. reſpondet, quod ſicut eſt alia quiditas actionis, & alia paſſionis, vnus tamen & idem effectus, qui a ſeipſo vt actio, diſtinguitur vt paſſio, ita alia eſt quiditas eſſentiæ, & alia quiditas relationis, nam quiditas eſſentiæ eſt quiditas abſoluta, relationis vero relatiua, vna tamen, & eadem res ſunt eſſentia, & relatio, & ideo cum conſideramus eſſentiæ, & relationis diſtinctionem, conſideramus diſtinctionem eiuſdem ad ſeipſum, & hæc diſtinctio planè ab intellectu meditante eſt, qui capit vnum vt duo, quæ ex conſideratione duntaxat, duo ſunt, & duas ſortitur quiditates, quæ tamen quiditates competunt eſſentiæ, & relationi, non ex munere intellectus noſtri, ſed re ipſa. diſp. 1

Franc. a Chriſto reſp. quod ſecundum catholicos relatio, & eſſentia non differunt ab inuicem realiter ſimpliciter; ſi enim ſic differrent ſequerentur hæc inconuenientia, quod eſſet quaternitas rerum in diuinis, quod eſſet in eis realis compoſitio, quod non prædicarentur de ſeipſis ad inuicem, & quod in diuinis aliud eſſet, quod habet, & aliud quod habetur; neque etiam differunt formaliter tanquam duo obiecta formalia, ſed formaliter virtualiter, ſiue formaliter eminenter, æquiualent enim rebus formaliter diſtinctis, cum terminent conceptus diuerſos eſſentialiter, perinde ac diſtincta formaliter. d.34. q.1.

Ludou. Molina reſp. quod relationes, ſeu proprietates diuinæ non diſtinguuntur ab eſſentia formaliter ex natura rei, ſed eminenter, & virtute, cum multa conueniant relationibus, quæ non conueniunt eſſentiæ, & multa conueniant perſonis ratione relationum, quæ non conueniunt eis ratione eſſentiæ; & ſimiliter diſtinguuntur ratione ratiocinata, cum enim ſic diſtinguantur attributa, & reperiatur maius fundamentum diſtinctionis inter eſſentiam, & relationes, quam inter attributa, ſequitur quod relationes etiam, & eſſentia ratione ſic diſtinguantur. q.28. ar.2. diſp.5

Gabriel Vaſq. reſp. quod relatio diuina ita ſecundum rationem noſtram diſtinguitur ab eſſentia, vt conceptus eſſentiæ nullo mo- diſp. 122 c.2.

do

do, includatur in conceptu relationis, ſed relatio apprehendatur a nobis, ſicut aliquis modus, vel affectus adueniens eſſentiæ, vnde hæc propoſitio, paternitas eſt eſſentia in ſenſu formali eſt neganda, vt falſa, in ſenſu verò identico concedenda, vt vera.

Reſolutio.

RESpondeo, quod relationes, ſiue proprietates perſonales diſtinguuntur a diuina eſſentia, non quidem realiter vt res a re, ſic enim eſſet quaternitas in diuinis. ſed conceptibiliter per modum communis, & proprij, quod enim concipitur vt commune, eſſentia eſt, quod autem concipitur vt proprium, relatio eſt, ſiue proprietas perſonalis:

Obiectio. Sed ſi relationes, ſiue proprietates perſonales diſtinguunt perſonas, & non tantum conceptibiliter, ſed realiter, quia perſonæ realiter ſunt diſtinctæ, quod non facit eſſentia?

Reſpondetur, quod diſtinctio realis perſonarum, quæ ſunt vnum in eſſentia non arguit diſtinctionem realem ſuorum diſtinctiuorum ab eſſentia, cum huiuſmodi diſtinctiua, vt diſtinctiua, ſumantur ſecundum operationem noſtri intellectus, & ideo non inconuenit, quod vna, & eadem res, quæ importatur nomine relationis, & eſſentiæ, ſub vno conceptu, vt ſub conceptu alicuius proprij, & relatiui diſtinguat, ſub alio verò vt ſub conceptu alicuius communis, & abſoluti non diſtinguat.

QVÆSITVM II.

An relationes, ſeu proprietates perſonales diſtinguantur a diuinis perſonis?

d. 33. q. 2. ALbertus reſp. quod relationes, ſeu proprietates ſunt in perſonis, & ſunt etiam ipſæ perſonæ; ſunt in perſonis, vt diuerſæ ab ipſis in modo intelligendi, & attribuendi, & ſunt ipſæ perſonæ, vt idem in re exiſtens cum eis. In quantum ſunt ſubſiſtentes, inquit Ricardus.

q. 1. a. 2. D. Thomas reſp. quod proprietates, & perſonæ ſunt idem re, ſed differunt ratione ſicut dictum eſt de proprietatibus, & eſſentia, cum hac tamen differentia, quod ratio proprietatis, & eſſentiæ differt, ſicut ratio diuerſorum generum, ratio verò proprietatis, & perſonæ differt, ſicut ratio abſtracti, & concreti in eodem genere acceptorum, quæ ratio licet non ſecundum totum conueniat diuinis, quia concretum compoſitionem importat, & abſtractum imperfectionem, conuenit tamen ſecundum quod concretum perfectionem importat, & abſtractum ſimplicitatem.

D. Bonauentura reſp. quod relationes, ſeu proprietates perſonarum diuinarum ratione comparationis, quam habent ad ſubiecta non diſtinguuntur quantum ad modum eſſendi a perſonis, quia ſic tranſeunt in diuinam ſubſtantiam, ſed ratione comparationis, quam habent ad obiecta, ſeu terminos, ſic diſtinguuntur quantum ad modum ſe habendi. *a. 1. q. 2.*

Aegidius reſp. quod relationes cum ſint in perſonis, & nullam compoſitionem efficiant in eis, ſunt etiam ipſæ perſonæ, & quamuis idem ſint re, differunt tamen ratione, propter quam differentiam ipſæ ſe habent, vt conſtituentes perſonas, perſonæ verò vt conſtitutæ, ipſæ vt rationes referendi, perſonæ vt relatæ. *q. 1. pr. 1.*

Petrus Aureolus reſp. quod proprietas, & perſona omnino ſunt idem, & re, & ratione, quamuis poſſint de eis duo conceptus formari, in quorum quolibet clauditur proprietas, & tota perſona, ſed in vno videlicet in conceptu perſonæ clauditur tam proprietas, quam eſſentia in obliquo, reliqua verò proprietas in recto & eſſentia per indiſtinctionem quaſi in obliquo. *a. 1.*

Franc. Maro reſp. quod relatio, & perſona ſunt idem identicè, quia cum perſona includat eſſentiam videtur formaliter infinita, & per conſequens ſibi vnit identicè omne ſibi compoſſibile; & ſimiliter ſunt idem realiter, quia magis intima eſt relatio perſonæ, quam ſit eſſentiæ, cum ipſam formaliter conſtituat in eſſe, & tamen realiter eſt idem cum eſſentia; differunt tamen formaliter, & ex natura rei, formaliter quia perſona includit in ſe aliquam rationem formalem abſolutam, quam relatio non includit ſcilicet deitatem; ex natura rei, quia perſona eſt aliquid excepta relatione, nam vt dicit D. Auguſtinus: Omne quod relatiuè dicitur eſt aliquid excepta relatione. *q. 4.*

Guilelm. Occham reſp. quod quando aliquid eſt realiter omne conſtituens aliquid conſtitutum neceſſariò eſt realiter illud conſtitutum; cum itaque relatio ſit realiter diuina eſſentia, & eadem ſit ſibi ipſi realiter, ſequitur quod ſit realiter ipſa perſona conſtituta, nam omne conſtituens, aut eſt realiter ipſa diuina eſſentia, aut relatio. *d. 34. q. vn.*

Thomas ab Arg. reſp. quod proprietas re- *d. 33.*

a.2. relatiua non differt realiter a perſona; primò, quia habetur a perſona, & perſona cum ſit omnino ſimplex, non differt realiter ab eo, quod habet; ſecundò, quia cum perſona conſtituatur a proprietate relatiua, & eſſentia, ſi realiter non diſtinguitur relatio ab eſſentia, nec realiter diſtinguitur a perſona.

d.34. a.2. Alphonſus reſp. quod cum proprietas non minus ſit eadem perſonæ diuinæ, quam eſſentia, ſequitur etiam, quod ſit eadem perſonæ, quia eſſentia eſt eadem perſonis, licet non conuertibiliter, & adęquatè.

q.36. a.1. Marſilius reſp. quod proprietas ita eſt in perſona, quod etiam eſt ipſa perſona, alioquin faceret compoſitionem cum ea, quod eſt inconueniens.

d.33. q.2. a.3. Ioann. de Baſſolis reſp. quod vno modo poteſt comparari proprietas ad perſonam, ad quam refertur perſona ſecundum illam relationem, & ſic ipſa relatio eſt eadem cum perſona formaliter cuius eſt, quia eſt de ſuo conceptu quiditatiuo; alio modo poteſt cõparari proprietas ad perſonam cuius eſt, & ſic non eſt idem formaliter cum ea, quia aliud includit perſona quod non relatio ſuo conceptu quiditatiuo, neque adæquatè adæquatione mutuitatis, vel prædicationis, ſed tantum perfectionis.

d.33. q.vn. Nicolaus de Orb. reſp. quod perſona includit eſſentiam, & proprietatem perſonalem, & ideo non eſt adæquatè idem cum ea.

§.2. Guilelmus Eſtius reſp. quod catholica doctrina non niſi tria realiter diſtincta cognoſcit in diuinis Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, quod ſi etiam proprietates earum re ipſa diſtinctæ eſſent, iam non Trinitas, ſed quaternitas eſſet in eis.

q.14. Gregorius de Val. reſp. quod relatio eſt idem quod perſona, quia eſt idem quod eſſentia, quæ eſt perſona, & eſt etiam in perſona, nam relatio eſt quædam forma in abſtracto ſignificata, de cuius ratione eſt quod ſit in eo, cuius eſt forma, quamuis iſta locutio non ſit tranſitiua ſecundum rem, ſed ſecundum noſtrum modum concipiendi.

Reſolutio.

RESpondeo, quod relationes, ſeu proprietates perſonales diſtinguũtur a diuinis perſonis, non quidem realiter, quia ſic eſſent plures res in diuinis quam tres, ſed conceptibiliter ſiue ſecundum rationem, quia relationes, ſeu proprietates perſonales concipiuntur ad modum formarum, perſonæ verò ad modum ſubſtratorum.

Sed ſi omne, quod ad aliquid refertur (vt inquit D. Auguſtinus) eſt aliquid excepto eo, quod ad alterum dicitur? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod hoc dicto D. Auguſtinus non vult diſtinguere perſonam, & proprietatem, ſed vult quod aliquid importet apud animam .ſ. conceptum per modum relationis, vel formæ, vt Pater paternitatem, quæ eſt ipſe, licet illud non per nomen concretum ſignificetur, eſt enim paternitas Deus, quamuis iſta propoſitio, Pater eſt Deus, hoc non exprimat. Ita Marſilius.

QVAESITVM III.

An relationes diuinæ, ſeu proprietates perſonales ſint in eſſentia, an verò tantum in perſonis?

D. Thomas reſp. quod proprietates sũt in eſſentia, & in perſonis, ſed in eſſentia per identitatem rei, & non ſicut in ſuppoſito, in perſonis autem ſicut formæ in ſuppoſito, quæ ipſum denominant, & conſtituunt. d.33. q.1. a.1.

D. Bonau. reſp. quod relationes propriè loquendo ſunt tantum in perſonis, non in eſſentia, quia perſonæ ſecundum eas referuntur, & diſtinguuntur, in eſſentia autem non, quia nec refertur, nec diſtinguitur, ſunt tamen in eſſentia loquendo communiter, & impropriè, vt dicatur in eſſentia diuina omne, quod eſt diuina eſſentia, vel omne, quod eſt in eſſentia, vel perſona. q.2.

Aegidius reſp. quod ſemper ad hoc, quod relatio ſit in aliquo duo eſt ibi conſiderare, ſuppoſitum ſcilicet, & formam, ſecundum quam talis relatio habet eſſe, & in quolibet iſtorum relatio dicitur eſſe, vt ſimilitudo dicitur eſſe in albedine tanquam in forma, & in albo tanquam in ſuppoſito, licet tamen non eodem modo, nam in forma dicitur eſſe vt in fundamento, in ſuppoſito verò vt in ſubiecto; ſic itaque relationes diuinæ dicuntur eſſe, & in eſſentia, & in perſona, in eſſentia vt in radice, vel in fundamento, in perſona verò, vt in ſuppoſito. pr. 1. q.4.

Ricardus reſp. quod proprietates ſunt, & in eſſentia, & in perſonis; ſed in perſonis vt in ſuppoſitis, & immediatè ſecundum rationem intelligendi; in eſſentia verò non ſicut in ſuppoſito, nec immediatè, ſed mediante hypoſtaſi. a.2. q.2.

Herueus reſp. quod relationes ſunt in perſonis, non per inhærentiam, ſed per identitatem; ad hoc enim, quod hoc modo aliquid d.26. a.2.

ſit

ſit, in aliquo ſufficit diſtinctio rationis, & modi ſignificandi.

d. 33. q. 2. Durandus reſp. quod relationes ſunt in eſſentia, & in perſonis; ſunt in perſonis, quia perſonæ formaliter conſtituuntur per eas, & realiter referuntur, nihil autem formaliter conſtituitur, aut realiter refertur, niſi per aliquid exiſtens in eo; ſunt in eſſentia, quia omnis relatio eſt in ſuppoſito relato, mediante aliquo abſoluto, quod eſt fundamentum illius; in diuinis autem nihil eſt abſolutum niſi eſſentia. Item Argentina, Marſilius, Ioannes de Baſſ. & Franciſcus a Chriſto.

Reſolutio.

RESpondeo, quod relationes; ſiue, proprietates perſonales ſecundum rem, & propriam rationem inexiſtentiæ, neque ſunt in perſonis, neque in eſſentia, ſunt enim ipſæ perſonæ, & ipſa eſſentia, quia tamen concipiuntur vt formæ, quibus diſtinguuntur, & conſtituuntur perſonæ, idcirco dicuntur eſſe in perſonis immediatè, & per ſe, in eſſentia verò mediantibus perſonis.

Obiectio. Sed ſi perſona non eſt in eſſentia, cum potius eſſentia ſit in perſona?

Reſpondetur, quod perſona non eſt in eſſentia, eo modo quo eſſentia intelligitur eſſe in perſona, ſcilicet tanquam in ſubſtrato, ſed tanquam contentum in continente, non quidem continentia reali, ſed tantum ſecundum conceptum, & cum relationes, ſiue proprietates perſonales ſint vt formæ conceptæ in perſonis, conſequens eſt, vt ſecundum conceptum (mediatè ſaltem) ſint in eſſentia.

QVAESITVM IV.

An poſſint prædicari adiectiua notionalia de diuinis relationibus?

c. 5. q. 4. GVilelmus Antiſiodor. reſpondet, quod adiectiua, quæ conueniunt perſonis propriè ſignificant ea, quæ ſunt in perſonis .ſ. actus proprios perſonarum, & ſimiliter agere propriè ad perſonam, ſiue ad eſſentiam pertinet, non relationem, cuius eſſe eſt ex toto ad aliud ſe habere, & ideo adiectiua eſſentialia poſſunt quidem dici de notionibus, ſed non adiectiua perſonalia.

q. 68. m. 5. a. 5. Alex. reſp. quod adiectiua notionalia, quærunt ſubſtantiam, cui innitantur ſecundum modum dicendi, relationes autem, ſeu proprietates, & notiones nihil dicunt de ſubſtantia, quia non dicunt quod, ſed quo, & ideo non poſſunt adiectiua notionalia prædicari de eis.

d. 33. a. 7. Albertus reſp. quod adiectiua perſonaliter, ſeu notionaliter ſignificata, vt generans, & ſpirans, non dicuntur de notionibus, quia notiones non ſignificantur vt res diſtinctæ, ſed vt rationes diſtinguendi, neque vt agentia, ſed vt rationes agentis.

Marſilius reſp. quod ſimiles propoſitiones in quibus adiectiua notionalia prædicantur de relationibus, ſunt quidem veræ propter identitatem proprietatum ad ſuppoſita, ſed non debent ſumi in vſum, quia impropriæ ſunt, & ineptæ, vt quod paternitas ſit generans, filiatio ſit genita, & huiuſmodi. q. 36.

Reſolutio.

REſpondeo, quod ſicut dictum eſt relationes ſe habent per modum formæ, quia ergo formæ non conuenit agere, ideo nec etiam de ea poteſt prædicari adiectiuum actum ſignificans, & quoniam adiectiua notionalia ſunt generans, & ſpirans, quæ actum ſignificant, idcirco adiectiua notionalia de relationibus prædicari non poſſunt.

Sed ſi paternitas eſt Pater, Pater autem eſt generans? Obiectio.

Reſpondetur, quod paternitas eſt quidem eadem res, quæ eſt Pater, ſed quia ſe habet ad modum formæ non eſt omnibus modis Pater, & ideo propter huiuſmodi non identitatem aliquid dicitur de Patre, quod non poteſt dici de paternitate.

QVÆSITVM V.

An adiectiua eſſentialia de diuinis relationibus prædicari poſſint?

GVilelmus Antiſiod. reſp. quod eſſentia, ſiue eſſe commune eſt quid indiſtinctum, & ideo adiectiua, quæ copulant diuinam eſſentiam prædicantur, & de perſonis, & de notionibus indiſtinctè, adiectiua verò quæ copulant notiones propria ſunt, & ideo prædicantur ſolummodo de notionibus, inquantum ſunt propria; non omnia tamen adiectiua prædicantur de notionibus, vt illa, quæ præter naturam aliquid connotant, quod non conuenit notioni, vt hæc, trina, incarnata, & huiuſmodi; eſſentia enim dicitur trina, ideſt, trium vna, ſimiliter incarnata, quia humanæ naturæ eſt vnita. c. 5. q. 4.

Alex. reſp. quod regulariter adiectiua eſ- q. 68.

m. r. a. 3. eſſentialia, quæ pertinent ad rem eſſentiæ ſolum, ita quod non dicunt reſpectum ad perſonam, nec dicunt modum eſſentiæ, nec appropriantur perſonis, nec dicunt effectum in creatura, vt quæ dicuntur per negationem, ſicut æternum, immenſum, & huiuſmodi dicuntur de relationibus, ſeu proprietatibus; quæ verò dicunt reſpectum ad perſonam, vel modum eſſentiæ, vel effectum in creatura, vel appropriantur perſonis non dicuntur de eis, vt trinum, incarnatum, creans, regens, & huiuſmodi, tales enim intentiones repugnant intentioni relationum, ſeu proprietatum.

d. 33. a. 4. Albertus reſp. quod quatuor modis poſſunt ſe habere eſſentialia adiectiua, quibus de notionibus non prædicantur, ſi ſunt eſſentialia per modum eſſentiæ vt non diſtingui, ſi ſunt eſſentialia appropriata perſonæ vt ſapientia, ſi ſunt eſſentialia cointellecta perſona, vt trina, & ſi ſunt eſſentialia per modum actus diuini, vt creat; reliqua verò poſſunt dici, & maximè quæ ſunt negatiua, vt immenſa, increata, & huiuſmodi.

q. 1. a. 4. D. Thomas reſp. quod illa adiectiua eſſentialia, quæ dicunt conditionem rei abſolute, & præcipuè negatiua prædicantur cōmuniter tam de eſſentia, & perſona, quam de relationibus; illa verò, quæ dicunt modum ſignificandi, in quo eſſentia, perſona, & relationes diſtinguuntur, ſi illum important in principali ſignificato, ſicut hoc nomen commune importat ſignificãdo modum eſſentiæ, hoc nomen diſtinctum nomen perſonæ, & hoc nomen diſtinguens nomen relationis, non prædicantur communiter de eſſentia, perſonis, & relationibus, ſed quædam de eſſentia, quædam de perſonis, & quædam de relationibus; illa verò, quæ important hunc modum non ſignificando ipſum, ſed dando eum intelligere ex ſuo modo ſignificandi, ſicut illa, quæ ſignificant per modum actus, qui actus ſunt ſuppoſitorum, & ſimiliter illa, quæ ſignificant concretiuè, non poſſunt propriè prædicari niſi de perſonis, vt creans, ſapiens, volens, & huiuſmodi.

a. 3. q. 1. Ricardus reſp. quod quædam adiectiua eſſentialia dicuntur de diuina eſſentia in operatione ad creaturam, ſicut eſſe increatum, immenſum, & huiuſmodi, & talia dicuntur de relationibus, quia non important aliquem proprium modum eſſentiæ; alia dicuntur de diuina eſſentia, vt eſt eſſentia, cuiuſlibet perſonæ, ſicut eſſe communicatum, & talia non dicuntur de proprietatibus, quia in hoc differt ratio eſſentiæ, & ratio relationis; alia verò dicuntur de eſſentia, vt eſt principium actionis, ſicut intelligere, velle, creare, & huiuſmodi, & hæc quamuis dicantur de tribus perſonis, non tamen dicuntur de relationibus, nec de eſſentia propriè loquendo; quia actiones ſunt ſuppoſitorum.

Reſolutio.

Respondeo, quod ſicut dictum eſt, relationes ſunt idem realiter cum eſſentia, diſtinguuntur autem conceptibiliter, & ideo adiectiua illa, quæ rem dicunt, eo modo quo dicuntur de eſſentia, dicuntur etiam de relationibus, vt eſſe æternum, eſſe immenſum, & huiuſmodi, ſed quæ dicunt tantum conceptum, vel rationem, poſſunt non prædicari de eis, & hoc modo dicimus eſſentiam eſſe communicabilem, prædicabilem de pluribus, & huiuſmodi, non autem relationes, in conceptu enim diſtinguuntur ab eſſentia.

Sed ſi dicitur eſſentia creans, creatrix, non autem paternitas, aut alia relatio, & tamen hæc adiectiua rem dicunt, non tantum conceptum? Obiectio.

Reſpondetur, quod eſt impropria locutio eſſentia eſt creatrix, eſſentia eſt creans, hæc enim ſunt adiectiua, quæ ſignificant actum, qui non poteſt conuenire niſi ſuppoſitis, & propterea eadem improprietate loquendi poteſt dici, paternitas eſt creatrix, paternitas eſt creans.

DISTINCTIO TRIGESIMA QVARTA.

Prædictis autem adijciendum eſt quidam peruerſi ſenſus &c.

QVAESITVM I.

An perſona in diuinis diſtinguatur ab eſſentia?

Alex. reſp. quod ſecundum rem non differt perſona ab eſſentia, nec econuerſò, ſed ſecundum intelligentiæ rationem, quia alia eſt ratio intelligentiæ perſonæ, alia eſſentiæ, cum enim dicitur eſſentia, intelligitur vnum quid indiſtinctum in tribus, cum verò dicitur perſona intelligitur vnuſquiſque diſtinctus a cæteris proprietate, quamuis non eſſentia. q. 56. m. 7 a. 2.

D. Thomas reſp. quod in illis, in quibus dif- d. 34

q.1. a.1. differt eſſentia a ſuppoſito, oportet quod ſit aliquid materiale, per quod natura communis indiuiduetur, & determinetur ad hoc ſingulare, quam determinationem materiæ, ſeu alicuius, quod loco materiæ ſe habet addit ſuppoſitum ſupra eſſentiam; & quoniam natura in diuinis, ſeu eſſentia non eſt ſubſiſtens per aliquid, ad quod determinetur, ſicut per materiam, ſed per ſeipſam eſt ſubſiſtens, & ipſum ſuum eſſe ſubſiſtens eſt; ideo non differt in eis natura, & ſuppoſitum, ſeu eſſentia, & perſona, ſiue quod idem eſt quo eſt, & quod eſt, ſecundum rem; differt tamen ſecundum rationem, eo quod eſſentia ſignificatur vt forma, perſona verò vt ſubſiſtens.

a.1. q.1. D. Bonau. reſp. quod ſecundum rem nihil addit perſona ſupra naturam propter ſūmam ſimplicitatem in diuinis, ſed ſecundum rationem, & addit proprietatem, non quidem in recto, ſed in obliquo, quia perſona eſt ſuppoſitum rationalis naturæ proprietate diſtinctum.

pr.1. q.1. Aegidius reſp. quod ideo ſuppoſitum, & natura in rebus creatis realiter diſtinguũtur, quia natura prout a ſuppoſito participatur, & non eſt in eo ſecundum omne eſſe ſuum, ſe habet ad illud vt totum, prout verò ſuppoſitum addit aliquid ſupra naturam, quod ad ipſam non pertinet, ſe habet vt pars, ipſum verò ſuppoſitum vt totum; & quoniam natura diuina non ſe habet, vt totum participatum a ſuis ſuppoſitis, cum ſecundum totum eſſe ſuum ſit in quolibet ſuppoſito, nec econuersò; idcirco natura, & ſuppoſitum in diuinis realiter non diſtinguuntur.

a.1. q.1. Ricardus reſp quod qualibet perſona comparata ad eſſentiam diuinam eſt idem realiter cum ea, alioquin eſſet in diuinis realis compoſitio; differt tamen ab ea ſecundum rationem, non ſicut dicimus attributa differre ſecundum rationem, ſed propter differentem modum ſe habendi, nam in modo ſe habendi differunt ſecundum affirmationem, & negationem, perſona enim ſe habet ad aliud, eſſentia non, & eſſentia ſe habet abſolutè, perſona verò non.

q.2. Durandus reſp. quod cum perſona diuina ſit aliquid conſtitutum ex eſſentia, & relatione differentia perſonæ ab eſſentia ſumenda eſt a relatione, ſicut ergo relatio differt ab eſſentia, ſic etiam differt perſona; cum itaque relatio, & eſſentia differant ex natura rei, vel quia non ſunt idem adęquatè, & conuertibiliter, vel quia differunt ſicut res, & modus habendi rem; vel quia non ſunt idem formaliter, idcirco etiam perſona, & eſſentia differunt ex natura rei, circunſcripto omni actu rationis, & conſequenter aliquo modo realiter, licet non ſimpliciter, & abſolutè, ſed cum determinatione alicuius prædictorum modorum.

Petrus Aur. reſp. quod eſſentia, & perſona ſunt idem re, & ratione, quamuis poſſint de eis duo conceptus formari. d.33. a.3.

Franciſcus Maro reſp. quod perſona, & eſſentia ſunt idem identicè, quia propter earum infinitatem eſſentia prædicatur de perſona, & econuersò perſona de eſſentia; differunt tamen formaliter, & ex natura rei; formaliter, quia alia eſt ratio diffinitiua eſſentiæ, & alia perſonæ; ex natura rei, quia habent differentias oppoſitas, oppoſitas habitudines, & oppoſitas paſſiones. d.33. q.4.

Guilelmus Occham reſp. quod quando conſtituentia ſunt idem realiter inter ſe neceſſariò etiam conſtitutum eſt idem realiter vtrique conſtituentium; cum itaque relatio; & eſſentia ſint realiter idem, & ex his conſtituatur perſona, ſequitur quod perſona eſt realiter idem cum relatione, & eſſentia; quia tamen aliquid verificatur de eſſentia, quod non verificatur de perſona omnibus modis, eſſentia enim eſt Filius, & paternitas, de qua verificatur eſſentia, non eſt Filius, ideo ſecundum bonum intellectum poteſt dici, quod diſtiguuntur formaliter. d.34. q.un.

Adam Godam reſp. quod ſi eſſentia diſtingueretur a perſona, vel totaliter diſtingueretur ab ea, & ſic quaternitas eſſet in Deo, vel partialiter, & ſic Deus non eſſet ſummè ſimplex, quod eſt inconueniens. d.33. q.1.

Thomas ab Arg. reſp. quod perſona diuina non differt ab eſſentia, nec per aliquid abſolutum, quia ſic conſtaret ex duobus principijs abſolutis, ex eſſentia ſcilicet, & ex illo abſoluto, per quod diſtingueretur ab ea; nec per aliquid relatiuum, quia ſic magis relatio differret ab eſſentia, cum vnumquodque tale qropter quod aliquid eſt tale, ſit magis tale, quod tamen eſt falſum; ſed differt tantum ratione; tum quia perſona in ſua ratione aliquid includit, quod non includit eſſentia; tum quia relatio, quæ eſt conſtitutiuā perſonæ ratione differt ab eſſentia, a quocunque autem differt principium conſtitutiuum alicuius ab eodem differt illud, quod eſt conſtitutum per ipſum. d.34. q.1.

Guilem. Rubion reſp. quod non diſtinguitur eſſentia a perſonis in re extra, ſi enim diſtingueretur eſſent in diuinis plures res q.2.

quam

quam tres realiter diſtinctæ, quæ ſunt tres diuinæ perſonæ, cum omnia diſtincta in re extra ſint realiter diſtincta, nec ſimiliter eſſet aliqua vna illarum, nec aliqua vna illarum eſſet eſſentia.

n.2. Alphonſus reſp. quod perſona, & eſſentia ſunt quidem realiter idem in diuinis, ſed non conuertibiliter, & adæquatè, ſi enim ſic eſſent idem, multiplicatis perſonis multiplicaretur eſſentia, quod eſt falſum, & econuerſò non multiplicata eſſentia, non multipricarentur perſonæ; & ſimiliter ſequeretur, quod propoſitio affirmatiua, & negatiua eiuſdem ſubiecti, & prædicati cum omnibus conditionibus neceſſariò requiſitis ad cõtradictionem non eſſent cõtradictoriæ, quod implicat.

q 6. a.1. Petrus Aliacen. reſp. quod inter eſſentiã, & perſonam non eſt diſtinctio realis, ſed formalis; non quidem propriè, quia ſic eſſent plures formalitates, ſed largè, & ad bonum ſenſum, quatenus ſcilicet inter eſſentiam, & perſonam eſt aliquis modus non identitatis, cum aliud ſignificetur per eſſentiam, & aliud per perſonam, alioquin eſſent nomina ſynonima, de quibus contradictoria verificari poſſent, & ſic impropriè poſſunt etiam dici ex natura rei.

q.37. a.2. Marſilius reſp. quod perſona non differt realiter ab eſſentia per aliquam realem entitatem, ſiue abſolutam, ſiue relatiuam ſuper additam ipſi eſſentiæ, ſic enim repugnaret ſummæ ſimplicitati vtriuſque, cum perſona conſtaret ex duplici reali entitate, & eſſentia ſe haberet per modum potentiæ reſpectu vtriuſque realis entitatis; differunt tamen aliquali diſtinctione, quia aliquid conuenit vni, quod non conuenit alteri, vt eſſe communicabile, & eſſe incommunicabile, & hæc diſtinctio dicitur formalis. Quandocũque enim aliqua ita ſe habent, quod ex natura rei aliquid vni competit, quod non alteri illa diſtinguuntur formaliter; Ita argumentatur Varrillongon.

d.34. q.vn. Ioannes de Baſſolis reſp. quod ſi identitas intelligatur fundari in eſſentia, & terminari ad perſonam, ſic ſunt idem formaliter perſona, & eſſentia, eſſentia enim eſt formaliter eadem perſonæ, quia includitur in ſuo conceptu quiditatiuo; ſi verò identitas intelligatur fundari in perſona, & terminari ad eſſentiam; ſic non ſunt idem formaliter, quia perſona non eſt de conceptu eſſentiæ; & ita non habent identitatem adæquationis ſecundum rem eſſentia enim adæquat ſibi realiter omnes perſonas, non autem vna perſona ſibi ſecundum rem adæquat eſſentiam; Nicol. de Orb. Perſona (inquit) includit propietatem in ſua ratione formali, & eſſentiam; & ideo non eſt adæquatè idem, quod eſſentia.

Nicolaus de Nijſe reſp. quod inter eſſentiam, & perſonam eſt aliqua diſtinctio ante omnem actum intellectus tam creati, quam increati, non quidem realis, ſiue actualis, aut potentialis, ſed rationis, non tamen accipiendo rationem pro differentia formata ab intellectu, ſed pro quiditate conceptibili; poteſt etiam dici huiuſmodi diſtinctio virtualis, quia illud, quod habet in ſe realem diſtinctionem, non habet rem, & rem, ſed eſt vna res habens virtualiter, ſiue eminenter quaſi plures realitates, quarum vtrique, vt eſt in illa vna re conuenit id, quod eſt ſibi proprium, ac ſi eſſet res diſtincta. tr.1 p.2. q.3.

Ioannes Vig. reſp. quod perſona eſt idem, quod eſſentia realiter, & identicè propter infinitatem eſſentiæ, quæ identificat ſibi omnia compoſſibilia, non eſt tamen idem adæquatè, nam eſſentia eſt aliquid perſonæ, nam perſona conſtituitur ex eſſentia, & proprietate, & proprietas non eſt totaliter idem cum eſſentia; nec ſimiliter formaliter, ſi accipiatur eſſentia vt fundamentum, & perſona vt terminus; ſecus autem ſi accipiatur perſona vt fundamentum, & eſſentia vt terminus, tunc enim non diſtinguuntur formaliter, quia perſona includit eſſentiam ſua formalitate. d.34. q vn.

Franc. à Chriſto reſp quod eo modo differt perſona ab eſſentia quo relatio, ſiquidem perſona non differt ab eſſentia niſi interuentu relationis, quam includit, ſed relatio differt ab eſſentia formaliter eminẽter, igitur & perſona. q.3.

Guilelmus Eſtius reſp. quod in Deo propter ſuam ſummam ſimplicitatem idem re ipſa eſt perſona, quod natura, & ſi diſtinguuntur, diſtinguuntur tantum ratione; alia enim eſt ratio perſonæ, & alia naturæ. S.1.

Gregor. de Valen. reſp. quod perſona, & eſſentia actu prorſus vnum ſunt, & idem in re, ratione tamen diſtinguuntur, cuius diſtinctionis fundamentum in re eſt virtualis diſtinctio, ſecundum quam res illa, quæ eſt eſſentia, & perſona propter ſuam infinitam perfectionem pluribus æquiualet diſtinctis. diſp.2 q.13. p.1.

Franciſcus Suarez reſp. quod diuinæ perſonæ ſeu relationes non habent re ipſa aliquam diſtinctionem a diuinitate, habent tamen fundamentum vt nos poſsimus illas con- de tr. lib.4. c.4.

Digitized by Google

concipere vt diſtinctas, & hoc modo ratione diſtinguuntur.

Reſolutio.

RESpondeo, quod perſonæ diuinæ non diſtinguuntur ab eſſentia realiter; quia ſic eſſent plures res in diuinis, quam tres; diſtinguuntur tamen conceptibiliter, ſiue ſecundum rationem, quia eadem res, quæ eſt eſſentia, & perſona, alia ratione concipitur, vt eſſentia, & alia ratione concipitur vt perſona, quæ diuerſa conceptibilitas facit huiuſmodi diſtinctionem ſecundum rationem.

Obiectio. Sed ſi perſona, & eſſentia diffinitione differunt? quæ autem diffinitione differunt realiter differunt, & formaliter, cum diffinitio rei ſubſtantiam declaret.

Reſpondetur, quod diffinitiones, quæ aſſignantur de eſſentia, & perſona non ſunt diffinitiones ſubſtantiam rei declarantes, ſic enim vna eſſet tantum diffinitio earum, ſi talis diffinitio aſſignari poſſet; ſed ſunt diffinitiones declarantes conceptum noſtrũ, eo modo ſcilicet, quo illam ſanctiſſimam deitatem apprehendimus, & ideo non faciunt diſtinctionem ſecundum rem, ſed tantum ſecundum rationem, & etiam formaliter habita ratione ad huiuſmodi quiditatiuos, & formales conceptus.

QVÆSITVM II.

An tres perſonæ diuinæ conuenienter dicantur vnius eſſentiæ?

q. 56. m. 7. a. 3. ALexand. reſpondet, & vtramque harum propoſitionum concedit, & quod perſona eſt eſſentia, & quod perſona eſt eſſentiæ; ſed reſpiciendo ad ſimplicitatem rei conuenientius (inquit) dicitur perſona eſſe eſſentia, quam perſona eſſentiæ; reſpiciendo verò ad rationem intelligentiæ, conuenientius dicitur perſona eſſe eſſentiæ, vel naturæ, quam perſona eſſe eſſentia, vel natura, perſona enim ſecundum rationem intelligentiæ, dicit rem naturæ rationalis, & ideo dicit in diuinis quis eſt, ſicut eſſentia, & natura dicunt quo eſt, & ideo in obliquo eſt intellectus naturæ, vel eſſentiæ in intellectu perſonæ.

d. 34. q. 1. a. 2. D. Thomas reſp. quod iſte genitiuus vnius eſſentiæ conſtruitur in habitudine cauſæ formalis, quæ habitudo non fundatur ſuper aliquam rationem realem, ſed ſecundum modum ſignificandi, quia eſſentia ſignificatur vt forma, perſonæ vero vt ſubſiſtentes in forma.

Et in p. p. q. 39. art. 2. quia rem habentem formam non dicimus eſſe formæ, niſi cum additione alicuius adiectiui, quod deſſignat illam formam; idcirco non dicimus perſonas eſſe eſſentiæ, ſed vnius eſſentiæ, eo quod iſte genitiuus vnius denotat proprietatem eſſentiæ, nempe eſſe vnam, ac indiuiſam in tribus perſonis. Item Molina, & Valentia.

Aegidius reſp. quod habitudo alicuius nominis in genitiuo, vt plurimum ad rationem cauſæ reducitur, ſiue huiuſmodi cauſa ſit materialis, ſiue formalis, ſiue efficiens, ſiue finalis; licet ergo in diuinis non ſit propriè aliquid genus cauſæ, eſt tamen aliquid habens ſimilitudinem cum cauſa efficiente, vt principium, & ſic dicimus Patrem eſſe principium Filij, & aliquid cum cauſa formali, & huiuſmodi eſt eſſentia, quæ licet non ſit cauſa formalis perſonarum, poteſt tamen dici aliquo modo forma earum, & propter hoc conuenienter poſſunt dici tres perſonæ vnius eſſentiæ, non tamen eſſentiæ, quia cum huiuſmodi conſtructio dicat habitudinem formæ, habitudo autem formæ reducatur ad modum declaratiuum, ſeu diffinitiuum, & nihil declaretur per vnum ſolum nomen, ſed per plura, ideo dicuntur vnius eſſentiæ, non eſſentiæ tantum. *pr. 1 q. 3.*

Durandus reſp. quod iſta locutio, tres perſonæ ſunt vnius eſſentiæ conueniens eſt, quia congrua, & vera, congrua apud grammaticos, ſicut iſta, mulier eſt egregiæ formæ, vera apud logicos, quia per ipſam ſignificatur, quod diuina eſſentia habeatur a tribus, vt indiuiſa. *q. 3.*

Petrus Aureolus reſp. quod iſte genitiuus conſtruitur in habitudine habiti per modum quiditatis a ſuppoſito, eſt enim ſenſus, quod ſunt eiuſdem naturæ ſpecificæ, & ita conueniens eſt propoſitio, tres perſonæ ſunt vnius eſſentię. *a. 3.*

Franciſcus Suarez reſp. quod perſonæ non poſſunt dici abſolutè eſſentiæ, ſed eiuſdem eſſentiæ, vel vnius naturæ, per quod nihil aliud explicatur, quam perſonas illas conuenire in eadem numero natura. *lib. 4. c. 1.*

Reſolutio.

REſpondeo, quod termini numerales ſequuntur naturam ſuorum per ſe ſignificatiuorum; cum itaque perſona habeat habitudinem ad eſſentiam, ſicut ſuppoſitum ad naturam, ſitque eſſentia vna, & perſonæ

tres,

tres, tam hæc erit vera, & conueniens propoſitio, tres perſonæ ſunt vnius eſſentię, quam iſta. vna eſt eſſentia trium perſonarũ.

Obiectio. Sed ſi non conuenienter dicitur tres perſonę ſunt vnius Dei, neque vnus Deus eſt trium perſonarum?

Reſpondetur, quod non conuenienter dicitur tres perſonę ſunt vnius Dei, neque vnus Deus eſt trium perſonarum, quia perſonę non habẽt eam habitudinem ad Deum, quam habent ad eſſentiam, quę (vt dicunt D. Thomas, & Aegidius) eſt habitudo ſicut ad formam.

QVAESITVM III.

An ſit conueniens aliqua nomina tranſlatiuè accepta de Deo dici?

d. 34. q. 3. a. 1. D. Thomas reſp. quod conuenientiſſimum eſt, vt diuina nobis ſimilitudinibus corporalibus deſſignentur; primò, quia cum veritatem diuinorum, quę excedunt intellectum noſtrum non poſſimus capere ſecũdum modum ſuum, oportet quod ſecundum modum noſtrum proponatur, qui eſt a ſenſibilibus ad intelligibila venire; ſecundò; quia cum in nobis ſit duplex pars cognoſcitiua, intellectiua ſcilicet, & ſenſitiua, debet vtraque ſecundum quod poſſibile eſt in diuina reduci; tertiò, quia humanus animus aſſuetus ſpeciebus corporalibus, ita de facili cognoſcit nihil eorum, quę de Deo prędicat ſibi attribuere, niſi per quandam ſimilitudinem, ſecundum quam creatura imitatur creatorem; quartò, quia hoc modo occultantur diuina infidelibus, & irriſoribus. Item Ricardus.

q. 4. D. Bonau. reſp. quod multa nomina tranſlatiuè dicuntur de Deo duplici ratione; prima eſt, quia cum ſit multum laudabilis a nobis, ac per hoc plura requirantur nomina ad ipſum laudandum, horum autem apud nos ſit magna inopia neceſſarium eſt, vt laudemus ipſum nominibus trãſlatis a creaturis; ſecunda, eſt, quia ſunt multa nomina, quæ ſignificant proprietates nobiles creaturarum, quæ ſunt rationes intelligendi, dũ ergo transferimus huiuſmodi ad illum manuducimur in cognitionem illius.

pr. 2 q. 1. Aegidius reſp. quod non eſt aliqua perfectio in creatura, quæ abundantius non reperiatur in Deo, ſecundum quam ipſum aliqualiter imitatur, & ideo propter huiuſmodi imitationem, poteſt aliquid de Deo dici ſecundum translationem factam ad ipſum a creaturis, quæ translatio fit propter duplicem cauſam, vna ſumitur ab altitudine diuinæ naturæ, ad cuius cognitionem non poſſumus aſcendere niſi per ſimilitudines in creaturis repertas; altera ex parte potentiarum cognitiuarum, cum enim ſit duplex potentia in nobis, intellectiua ſcilicet, & ſenſitiua, dignum eſt, vt ſecundum quamlibet manuducamur in diuinam cognitionem.

Durandus reſp. quod conueniens eſt vt de Deo aliqua nomina tanſlatiuè dicantur, quia huiuſmodi tranſlatio eſt vtilis propter tria, propter excellentiam diuinæ naturæ, propter noſtram inſtructionem, & propter occultationem veritatis diuinæ. q. 4.

Petrus Aureol. reſp. quod nomina tranſlatiuè dicuntur de Deo multis de cauſis; prima eſt, vt veritas indignis celetur; ſecunda, vt ſimplices citius valeant manuduci in cognitionem diuinorum, per ſenſibilia enim ad intelligibilia eſt aſcenſus facilior; tertia, vt ſcriptura delectabilior reddatur, & iucundior, natura enim hominis, vt dicit Ariſt. In Poet. c. 2. repreſentationibus, & ſimilitudinibus delectatur; quarta, vt ſcriptura fæcundior, vel vberior reddatur. a. 2.

Reſolutio.

RESpondeo, quod præter nomina, quæ ſecundum proprietatem de Deo dicũtur vt ſapiens, iuſtus, bonus, & huiuſmodi, ſunt etiam quædam alia, quæ dicuntur ſecundum tranſlationem vt agnus, Leo, lapis, & huiuſmodi; ideo autem hæc dicuntur de eo, non quidem ad denotandum talem naturam per ipſa ſignificatam conuenire ei, ſed eius aliquid ſimile; hinc dicitur Leo propter fortitudinem, agnus propter manſuetudinem, lapis propter immortalitatem; eſt autem horum vſus conueniens; tum ad diligentiorem ſacrorum eloquiorum explorationem; tum ad faciliorem incipientium eruditionem; tum etiam ad vberiorem proficientium conſolationem; tranſlationibus enim, & ſimilitudinibus ſolet maxime humana mens delectari, atque proficere.

Sed ſi huiuſmodi nomina tranſlatiuè de Deo dicta faciunt propoſitionem falſam, eſt enim propoſitio falſa, Deus eſt agnus, Deus eſt Leo, Deus eſt lapis, & huiuſmodi. Obiectio.

Reſpondetur, quod hæc propoſitio Deus eſt agnus, Leo, lapis, & huiuſmodi non eſt propoſitio falſa, ſi debito modo intelligatur, ideſt in eo ſenſu, in quo fit, eſt enim intelligenda ſicut omnes aliæ ei ſimiles, non ſecundum proprietatem, ſed ſecun-

Digitized by Google

cundùm ſimilitudinem, & proportionem. Ita Durandus.

QVAESITVM IV.

An ex rebus vilibus conuenienter translatio fiat?

d.34. q.1. a.2. D. Thomas reſp. quod conuenientius fiunt huiuſmodi translationes a creaturis vilioribus, quam nobilioribus; primò, quia ſic magis diuina occultantur; ſecundò, quia a Deo magis remouentur, & diſtant; tertiò, quia datur minor occaſio errandi.

pr.2. q.2. Aegidius reſp. quod methaphora ſemper ab aliquibus euidentibus, & ſenſibilibus ſignis fieri debet, & ideo ſolum corporalia, quæ ſenſui manifeſta ſiunt ad diuina propriè transferuntur; corporalium autem quædam ſunt ſuprema ſicut Sol, & Luna, quædam media ſicut ignis & aer, & quædam infima vt animalia, lapides, & huiuſmodi, & ſecundum omnia iſta poteſt fieri translatio, conuenientius tamen viſum eſt Theologis, vt per infima translatio fiat; primò, ne diuina immundis pateant; ſecundò, ne fideles in talibus ſimilitudinibus remaneant; tertiò, quia Deus magis innoteſcit nobis per negationes, quam per affirmationes, cum negationes ſint veræ, affirmationes autem incompactæ, & ideo laudatur congruentius per vilia, quæ magis remouentur ab ipſo.

a.3. q.2. Ricardus reſp. quod rarò nomina ſuperiorum, & nobilium creaturarum transferantur ad Deum, viliorum autem, & inferiorum frequenter, quia vt dicit D. Dyon. 2. de Ang. Hier. Arcanorum magis apta eſt per diſſimiles formationes manifeſtatio, quia magis reducunt animum noſtrum ad veritatem, ſicut per precioſiores ſacras formationes, conſequens eſt ſeduci homines.

ar.2. Petrus Aureolus reſp. quod nomina translatiua non aſſumuntur a ſpiritibus, neque corporibus cæleſtibus, quæ ſunt res nobiliores, ne quis forte cogitaret eſſe huiuſmodi locutiones proprias, ſed a corporibus inferioribus, vt indè certò ſciret eſſe methaphoricas.

Reſolutio.

RReſpondeo, quod nulla res eſt adeo contemptibilis, adeo vilis, quod ratione bonitatis alicuius, quam habet in ſe non poſſit fieri aliqua translatio eius nominis ad Deum, vnde in aliquo dici poſſit ſimilis ei, & ideo etiam rerum vilium nomina conuenienter ad ipſum transferuntur; & eo magis quam nobilium, quod ex his facilius nouimus ſimiles locutiones eſſe ſumendas ſecundum methaphoram, non ſecundum proprietatem.

Sed ſi non dicitur Deus eſt diabolus, Deus eſt lupus, & huiuſmodi? Obiectio.

Reſpondetur, quod huiuſmodi locutiones methaphoricæ fieri ſolent ad laudandum Deum, & extollendam eius virtutem; nomina autem diaboli, lupi, & ſimilium, deformitatem ſonant, defectum, miſeriam, & diſſimilitudinem, & ideo de Deo etiam ſecundum translationem dici non poſſunt. Ita D. Thomas, D. Bonau. Aegidius.

DISTINCTIO TRIGESIMA QVINTA.

Cumque ſupra diſſeruerimus, ac plura dixerimus de his, &c.

QVAESITVM I.

An in Deo ſit ſcientia?

GVilelmus Antiſiod. reſp. quod ſcire de Deo dicitur per ſimilitudinem naturalium, in qualibet autem ſcientia eſt aſſimilatio intellectus ad rem, & ideo hoc nomen ſcientiæ ſignificat diuinam eſſentiam, vt exemplar. c.8. q.1.

D. Thomas reſp. quod ideo in Deo eſt ſcientia, quia Deus eſt intelligens, & ſciẽs; hoc autem probat tripliciter; primò, per remotionem omnis materialitatis, cum enim ſit remotus ab omni materia non poteſt eſſe niſi forma, ſicut autem materia eſt principium particularizationis, ita forma eſt principium cognitionis, quæ ſi eſt per ſe ſubſiſtens eſt intelligens, ſi verò non per ſe ſubſiſtens eſt principium intelligendi, cum itaque Deus ſit forma, & etiam per ſe ſubſiſtens, quia non habet eſſe ab alio dependens, neceſſariò ſequitur, quod ſit etiam intelligens, & ſciens; ſecundò, per cauſalitatem, quia cum omne agens habeat intentionem, & deſiderium finis, & hoc deſiderium ſemper præcedat aliqua cognitio dirigens in finem ea, quæ ſunt ad finem, ſi Deus ageret non intelligens, & ſciens; ſed ex neceſſitate naturæ ſuæ dirigeretur ab alio priori intelligente in finem, & ſic non eſſet primum, quod eſt falſum; tertiò, per eminentiã, quia videmus quod quæ magis ad ipſum q.1.

Digitized by Google

ſum accedunt, tantò magis de cognitione, & intelligentia participant, vt homines magis, quam bruta; & Angeli magis, quam homines, certum eſt autem, quod illud quod inuenitur in pluribus, ſecundum quod plura alicui appropinquant, in eo etiam per quam maximè inuenitur, ideo & nobiliſſima ſcientia, & cognitio inuenitur in Deo. Item Herueus.

Et lib. 1. contra gent. c. 44. reſp. quod Deus eſt intelligens, quia eſt primum appetibile, primum mouens, primum agens principale, ad quod alia mouentia per intellectum comparantur, vt inſtrumenta, non habet materiam, nulla ei perfectio deeſt, omnibus præſtituit finem, & eſt primum, a quo omnia deriuantur.

p. p. q. 14. a. 1. Et iterum reſp. quod immaterialitas alicuius rei eſt ratio, quod ſit cognoſcitiua; vnde Ariſt. de An. lib. 3. t. 4. dicit quod plantæ non cognoſcunt propter ſuam materialitatem; cum itaque Deus ſit in ſummo immaterialitatis, ſequitur, quod ſit in ſummo cognitionis. Item Ricardus, Henricus, Franciſcus a Chriſto.

d. 35. pr. 1. q. 2. Aegidius reſp. quod ſi attendamus ad modum ſignificandi nominum, non eſt propriè Deus ſciens, aut intelligens, ſed ſuperexcellenter, vt dicebat Plato; ſi vero attendamus ad rem ſignificatam, propriè, & eſſentialiter dicitur ſciens, aut intelligens, quod probat ſicut S. Thomas per remotionem ab omni materialitate, formæ enim ſeparatæ a materia ſunt ratio intelligendi, & ſi habent per ſe eſſe etiam intelligunt; per cauſalitatem, cum enim ſit cauſa omnium, omniaque comparentur ad ipſum ſicut artificiata ad artificem, & non agat ex neceſſitate naturæ, neceſſario ſequitur quod ſit ſciẽs; & per ſuperexcellentiam, cum enim ſcire, & intelligere ſint perfectiones entium productorum a primo ſuperexcellenter etiam reperiuntur in eo.

d. 2. q. 2. Ioannes Scotus reſp. quod agens propter finem ſi non eſt intelligens dirigitur ab alio cognoſcente ad ſuum finem; cum itaque Deus ſit agens propter finem, & ſit primum agens, non poteſt ab alio dirigi ad ſuum finem; & ideo neceſſe eſt vt ſit intelligens, quia eſt primum agens, agens propter finem.

d. 35. q. 1. Durandus reſp. quod Deus eſt intelligens, ſeu cognoſcens, & ſciens, quia eſt agens per intellectum, & voluntatem, hoc autem probat dupliciter; primò, quia cum ſit prima cauſa, & nobiliſſima, conueniens eſt vt ei conueniat agere nobiliſſimo modo qui eſt per intellectum, & voluntatem; ſecundò, quia eſt agens ſibi præſtituens finem alioquin, vel caſu ageret, vel ageret propter finem ſibi præſtitutum ab alio, quod non conuenit ſuæ primitati.

Petrus Aureolus reſp. quod intelligere ſecundũ ſuã rationẽ formalem non eſt aliud, quam habere aliquid præſens per modum apparentis, & ideo Deo competit intelligere, ſeu immaterialiter cognoſcere, quia hoc dicit perfectionem ſimpliciter; quod probat quadrupliciter; primò, quia cognoſcere cum præſupponatur ad delectari eſt melius in vnoquoque exiſtente, quam non cognoſcere; ſecundò, quia eius oppoſitum, quod eſt ignorare dicit imperfectionem; tertiò, quia cognoſcere dicit entitatem viuidam & experimentalem, quæ eſt nobilior, non experimentali; quartò, quia non cognoſcere facit ſolitarium, cognoſcere vero quaſi multiplicatum intentionaliter, inquantum vel ipſum cognoſcens ſibi, vel alia cognita a ſe ſibi ſint præſentia. p. 1. a. 2.

Franc. Maro reſp. quod cũ intellectus dicat perfectionem ſimpliciter eſt etiam formaliter in Deo, & quoniam intellectus diuiditur in agentem, & poſſibilem, non ſolum eſt in eo intellectus agens, ſed etiã poſſibilis intellectus enim agens eſt omnium potentiarum intellectiuarũ nobiliſſima potentia, & eſt neceſſarius ad productionem verbi, intellectus vero poſſibilis, quia eſt potentia beatificabilis, & Deus eſt formaliter intelligens. d. 36. q. 1.

Guilelmus Occham reſp. quod cum Deus ſit ſummum bonum, poteſt etiam argui quodãmodo a priori, quod ſit intelligens, & cognoſcens, quia cõſequẽtia bona eſt, & formalis, & non ſequitur econuersò, vnde accipiendo ſcientiam generaliter pro quacumque notitia, ſcientia eſt in eo quamuis tamen melius diceretur ſecundum propriiſſimum modum loquendi, quod ſcientia eſt Deus, quam quod ſit in eo. d. 35. q. 1.

Gregorius reſp. quod nomine Dei intelligimus illud, quod eſt entium omnium nobiliſſimum, cuius nobilitatem non niſi ex his, quæ nota ſunt nobis, poſſumus naturaliter inueſtigare; cum ergo in rebus nobis notis communiter iudicamus eas eſſe nobiliores, quæ cognoſcunt, & inter cognoſcentes eas, quæ intelligunt, neceſſariò concludimus Deum intelligere. d. 35.

Guilelmus Rubion reſp. quod cum Deus ſit ſciens, dicendum eſt etiam, quod in eo eſt ſcientia, non quidem vt in re extra diſtin- q. 1.

ſtincta ab ipſo ſicut in nobis, nec vt habitus, aut actus complexus concluſione demonſtrata cauſatus, talis enim ſcientia eſt imperfecta, ſed vt notitia actualis, euidens, & perfecta omnium vna, & a ſe totaliter indiſtincta.

q. 38. a. 1. Marſilius reſp. & probat dupliciter, quod Deus cognoſcit; primò, quia cognoſcere eſt perfectionis in rebus depēdentibus, quicquid autem eſt perfectionis in his, ſupereminenter eſt in Deo; ſecundò, quia Deus dirigit appetitum naturalem, omne autem dirigens appetitum naturalem cognoſcit, alioquin agentia naturalia non producerent, cum ſint indifferentia ad hoc, & ad illud.

q. vn. a. 1. Ioannes de Baſſolis reſp. quod cum intellectualitas, vel ſcientia ſit de quiditate Dei formaliter a priori demonſtrari non poteſt, in Deo eſſe ſcientiam, ſed bene a poſteriori tripliciter; primò, quia in eo tanquam in ente perfectiſſimo eſt omnis perfectio ſimpliciter ex natura rei, & formaliter; ſecundò, quia eſt primum agens, & eſt agens propter finem; tertiò, quia ordinat omnia in finem.

q. 2. Ioannes Maior reſp. quod Deus eſt agens per intellectum, & voluntatem, nec aliquid fit eo non cooperante, atque volente; & quoniam voluntas non fertur niſi in cognitum, ideò neceſſe eſt dicere Deum eſſe cognoſcentem, quod etiam a Philoſophis conceſſum habemus, & præſertim ab Ariſt. 10. Eth. c. 8. ratione ſuæ perfectionis, nobilitatis, & fælicitatis.

q. vn. Ioannes a Celaia reſp. quod per hoc, quod Deus eſt laudandus a nobis, quod nos imploramus eius auxilium, & quod liberè cauſat, & producit, deducendum eſt, quod cognoſcit.

diſp. 1 Michael de Palatio reſp. quod Deus eſt actus puriſſimus, & alieniſſimus a materia, & ideo eſt naturæ intellectualis, ac proinde actu intelligens, alioquin extraheretur de potentia ad actum, quod eſt inconueniens.

q. 14. a. 1. Ludou. Mol. reſp. quod in Deo eſt ſcientia, ſeclusa tamen quacunque imperfectione, vnde non eſt ſicut habitus, ſed vt actus, non accidens, ſed ſubſtantia, non per diſcurſum comparata, ſed intuitiua. Item Rubeus.

p. p. q. 9. a. 1. Petrus Trigoſ. reſp. quod idcirco dicendum eſt in Deo eſſe ſcientiam, quia eſt agens nobiliſſimum, agens liberum, quia eminenter continet omnium perfectiones, quia eſt puriſſimus, & prorſus a materia alienus, quia vtitur homine, & angelo, vt inſtrumentis cognoſcentibus, & quia omnibus alijs proſtituit, finem propter quem agunt.

Gregorius de Val. reſp. quod in Deo non eſt ſcientia, quæ ſit qualitas, aut habitus, ſed eſt ſcientia, vt ſcientiam nominamus cognitionem euidentem, & certam, etenim propter ſuam immaterialitatem conuenit eſſe alia, non quidem ſimpliciter, ſed repræſentatiuè. *q. 1. p. 1.*

Franciſcus Suarez reſp. quod accipiendo ſcientiam vt dicit claram, & euidentem cognitionem intellectualem, & immaterialem abſtrahendo a ratione accidentis, qualitatis, habitus, & cuiuſcunque potentialitatis in Deo eſt ſcientia, & ratio a priori hæc eſt, quia Deus eſt in perfectiſſimo, & ſupremo gradu, qui a nobis cogitari poteſt, qui eſt gradus intellectus, adeoque eſt eſſentialiter intellectualis, vt per eſſentiam habeat omnem actualitatem intelligendi, cum in omni perfectione entis, & præſertim in illo gradu ſit perfectiſſimus actus. *de tr. lib. 3. c. 1.*

Reſolutio.

RESPONDEO, quod nomine Dei intelligimus id, quo nihil maius, nihil nobilius, nihil perfectius excogitari poteſt; cum itaque ſcientia pertineat ad maiorem perfectionem, & nobilitatem entium, ea enim proculdubio perfectiora, & nobiliora putamus, quæ ſcientiam habent, quam ea, quæ ſcientiam non habent, idcirco dicendum eſt in eo ſcientiam eſſe.

Sed ſi ſcientia dicitur ex additione ad eſſentiam, & vitam? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod ſcientia in nobis dicitur per addicionem ad eſſentiam, & vitàm, eo quod per participationem ſumus ſcientes, non in Deo, in quo omnes perfectiones ſunt eſſentialiter. Ita Aegidius.

QVÆSITVM II.

An ſcientia vniuocè ſumatur an, æquiuocè, an verò analogicè, cum dicitur eſſe in Deo, & in nobis?

ALbertus reſp. quod ſcientia Dei cum ſit cauſa omnium vniuoca eſſe non poteſt, nec ſcientiæ noſtræ, nec etiã ſcientiæ angelorum. *d. 35. a. 1.*

D. Thomas reſp. quod in omni re duo debent conſiderari, natura ſcilicet, ſeu quiditas rei, & ipſum eſſe; & quoniam quæ vniuocè dicuntur de pluribus dicuntur, ex eo quod natura, ſeu quiditas eſt cõmunis, non eſſe, quia vnum eſſe non eſt niſi in vnã re, *d. 35. q. 1. a. 4.*

ideo quandocunque quiditas, ſeu natura, vel forma ſignificata per nomen eſt ipſum eſſe, non poteſt pluribus vniuocè conuenire; cum itaque omnium, quæ dicuntur de Deo quiditas, ſeu natura, vel forma ſit ipſum eſſe, quia ſuum eſſe eſt ſua natura, ideo nihil de Deo, & creaturis vniuocè dici poteſt, non ergo vniuocè dicitur ſcientia de ſcientia Dei, & ſcientia noſtra; nec ſimiliter purè æquiuocè, quia in his, quę ſunt purè æquiuoca ex vno non cognoſcitur alterum, ſed per ſcientiam noſtram deuenimus in cognitionem ſcientię diuinę, ideo ſcientia ęquiuocè dici non poteſt; dicitur ergo analogicè. Eſt tamen (inquit) duplex analogia quædam ſecundum conuenientiam in aliquo vno, quod eis per prius, & poſterius conuenit, & hęc analogia non poteſt eſſe inter Deum, & creaturam, ſicut nec vniuocatio; & alia ſecundum quod vnum imitatur aliud, quantum poteſt nec perfectè ipſum aſſequitur, & ſic dicitur analogicè.

pr. 2. a. 1. Aegidius reſp. quod ſicut tradit Ariſt. in Topicis multi ſunt modi cognoſcendi ſi aliquid eſt ęquiuocum nec ne; inter quos iſti ſunt principales; primus, vt reſpiciamus ad diffinitionem, ſeu deſcriptionem; ſi enim aliqua habentia vnum nomen, ſi per illud nomen per comparationem ad aliud deſcribuntur, ſi non conuenit eis vna deſcriptio, ſunt ęquiuoca ſecundum nomen illud; ſecundus, vt reſpiciamus ad differentias: ſi enim aliquid dictum de pluribus non ſecundum eaſdem differentias diuiditur, eſt ęquiuocum; tertius, vt reſpiciamus ad oppoſitum, nam ſi aliquid in pluribus inuenitur, & ſecundũ quod inuenitur in vno habet oppoſitionem, & non ſecundum quod inuenitur in altero, oportet illud eſſe æquiuocum; quartus, vt reſpiciamus ad genus, ſi enim aliquid dictum de vno eſt in vno genere, dictum de alio eſt in alio, æquiuocè dicitur de vtroque; quintus, vt reſpiciamus ad potentiam cognitiuam; ſi enim aliquid dictum de vno percipitur vna virtute cognitiua, & dictum de alio percipitur alia, eſt æquiuocum; cum itaque ſcientia Dei, & ſcientia noſtra non eandem habeant deſcriptionem, quia ſcientia noſtra deſcripta per comparationem ad res cauſatur a rebus, ſcentia verò Dei eſt cauſatiua rerum; nec ſimiliter eaſdem differentias; nam ſcientia noſtra diuiditur in vniuerſalem, & particularem, ſcientia autem Dei, nec particularis eſt, nec vniuerſalis; & ſcientiæ noſtræ opponatur ignorantia; nihil autem opponatur ſcientiæ Dei; & ſimiliter ſcientia noſtra ſit in genere qualitatis, ſcientia verò Dei ſit ipſa ſubſtantia; & tandem ſcientia noſtra habeatur ab intellectu creato, non autem ſcientia Dei; idcirco ſcientia dicitur de ſcientia Dei, & ſcientia noſtra æquiuocè, dummodo tamen æquiuocum largo modo, prout ſ. diſtinguitur cõtra vniuocum, ſed non contra analogum; immo vt ipſum includit, nam ſi æquiuocum contra analogum diuiditur non dicitur æquiuocè, ſed analogicè, cum ſcientia noſtra ſcientiam diuinam imitetur, ſaltem quantum ad aliqua, ſi non quantum ad omnia.

Petrus Aureolus reſp. quod ſcientia poteſt accipi dupliciter, vel pro generali conceptu importante perfectionem ſimpliciter, p. 6. a. 4. qui quidem non dicit rationem aliquam, aut rem determinatam in recto, ſed tantum importat connotatum, quæ ſcientia ſic ſumpta eſt id quo aliquid habetur in proſpectu; vel pro re illa, & ratione, in quam coincidit cum applicatur ad Deum, & ad creaturas; accipiendo itaque ſcientiam primo modo, cum ſic nullam rationem dicat in recto, nullam etiam poteſt habere vniuocationem ad hanc, & ad illam ſcientiam, vniuoca enim ſecundum vnam rationem dicuntur, niſi tamen aliquo modo ratione connotati, ſicut enim in creatura connotatur per ſcientiam obiectiuam potentialitas alicuius, ita & in Deo; ſi verò accipitur ſecundo modo, ſic inter ſcientiam Dei, & ſcientiam noſtram eſt vera analogia, qualis eſt inter exemplar, & exemplatum, & ex parte eius, in quod coincidit ſecundum conceptum rectum, quia ſic coincidit in deitatem, prout applicatur ad Deum, & in qualitatem, prout applicatur ad nos, quæ eſt quædam ſimilitudo exemplata a deitate; & ſimiliter ex parte connotati, nam quod connotatur in Deo coincidit cum deitate poſita in eſſe apparenti reali, & ſubſiſtenti, quod eſt verbum, in nobis verò coincidit cum quacunque natura cognita, & poſita in eſſe intentionali, & diminuto, vnde aſſimilatio eſt diminuta ex parte connotatorum; & ſic ex parte eorum eſt analogia, quæ quaſi ſapit æquiuocationem.

Marſilius reſp. quod ſcientia non dicitur purè vniuocè, nec æquiuocè, ſed analogi- q. 38. a. 2. cè de ſcientia Dei, & ſcientia noſtra; non purè vniuocè, quia ſcientia noſtra eſt ſuper addita, præſupponit aliam noticiam priorem, non eſt ſummè ſimplex, eſt vniuerſalis vel particularis, eſt mutabilis, poteſt augeri

geri

geri, & minui, & eſt habitus; ſcientia autem Dei nullam iſtarum conditionum habet; non æquiuocè, quia vtraque ſcientia, & Dei & noſtra a certitudine ſcientia dicitur, quæ certitudo quoniam prior eſt in Deo, quam in nobis, dicitur ſcientia Dei, ſcientia prius, in nobis autem poſterius, quantum ad perfectionem, quam ſignificat, licet quantum ad modum ſignificandi ſit econtra; ſequitur ergo quod tantum analogicè dicatur, quia quæ dicuntur de pluribus ſecundum prius, & poſterius analogicè dicuntur.

Reſolutio.

RESpondeo, quod accipiendo ſcientiam pro quacunque certa, & euidenti cognitione, ſicut accipitur in præſenti vniuocè dicitur de ſcientia Dei, & ſcientia noſtra; eſt enim certa cognitio, & euidens apprehenſio intellectus de re, ſecundum quod eſt, & ſine hæſitatione, & ſecundum hanc eandem rationem, & ſenſum, quærimus an in Deo ſit ſcientia, & in nobis, & id idem affirmamus.

Obiectio. Sed ſi in nobis eſt accidens, in Deo autem ſubſtantia; in nobis acquiſita a rebus, in Deo verò cauſa rerum, & huiuſmodi?

Reſpondetur, quod non eſt de ratione ſcientiæ quatenus certa, & euidens cognitio eſt, vt ſit ſubſtantia, vel accidens, acquiſita a rebus, vel cauſa rerum, ſed hæc omnia accidunt ei ſecundum conditionem, & naturam ſubiecti, in quo eſt, & ideo non tollunt vniuocationem, ſicut non tollunt communem rationem ſcientiæ.

QVAESITVM III.

An ſcientia Dei ſit vniuerſalis, an verò particularis?

d.35. a.2. ALbertus reſp. quod huiuſmodi differentiæ vniuerſalis, & particularis ſunt differentiæ illius ſcientiæ, quæ eſt vnius ex præcognitione alterius, quod eſt tanquam principium, & ſignum illius, cum autem hoc non competat ſcientiæ Dei, idcirco nec vniuerſalis, nec particularis eſſe poteſt.

tr.15 q.60. Et iterum reſp. quod ſi accipiamus ſpeciem idealem, ſiue exemplar, quo Deus omnia ſcit, & conſtituit, tunc illud intuendo prout ipſum eſt idea vniuerſalis, & particularis habitudinis rerum, ſcit omnia in vniuerſali, & in particulari.

d.35. D. Thomas reſp. quod vniuerſalitas, & particularitas in ſcientijs attenditur ſecundum quod medium eſt vniuerſale, & particulare; medium enim ſcientiæ vniuerſalis eſt vniuerſale, & particularis particulare, & quoniam medium ſcientiæ Dei eſt quodammodo eſſentia ſua, & hæc nec vniuerſalis eſt, nec particularis; non vniuerſalis, quia omne vniuerſale cum accipiat additionem eius, per quod determinatur, imperfectum eſt, & in potentia; non particularis, quia principium particularitatis eſt materia, vel aliquid ſe habens loco materiæ, quorum neutrum eſſentiæ conuenit, ideo ſcientia Dei nec vniuerſalis eſt, nec particularis. *q.1. a.5. p.p. q.14. a.1.*

Aegidius reſp. quod ſcientia noſtra poteſt quidem eſſe vniuerſalis, vel particularis, ſed non ſcientia Dei, & ratio eſt, quia habitus ſumunt rationem, & denominationem ab obiectis, & non quibuſcunque, ſed principalibus, principale verò obiectum ſcientiæ noſtræ eſt quiditas materialis, cui conuenit eſſe vniuerſale, vel particulare ſecundum aliam, & aliam rationem, & ideo ſcientia noſtra aliquando eſt vniuerſalis, vt cum cognoſcit vniuerſale, & aliquando particularis; vt cum cognoſcit particulare; ſed obiectum principale ſcientiæ Dei eſt ſua eſſentia, hanc enim primò, & per ſe cognoſcit, cum non indigeat aliqua ſpecie ſuperaddita, ſicut nos ad cognoſcendum, cum ſit intellectus eius purus actus, & per ipſam quatenus eſt ſimilitudo omnium alia cognoſcit, & quoniam hæc diuina eſſentia nec vniuerſalis eſt, quia non plurificatur in ſuis ſuppoſitis, nec particularis, quia eſt communicabilis pluribus, quod eſt contra rationem particularis, ideo ſcientia Dei nec vniuerſalis eſt, nec particularis. *d.35. pr.2. q.2.*

Henricus reſp. quod ſcientia non dicitur propriè vniuerſalis ab vniuerſalitate obiecti, ſic enim ſcientia Dei propriè loquendo non diceretur vniuerſalis, quia eſſentia diuina, quæ ſola eſt obiectum eius eſt res ſingulariſſima, ſed dicitur ſcientia vniuerſalis ab vniuerſalitate, & generalitate conſiderationis, ſic enim Methaphiſica dicitur vniuerſalis, quia conſiderat de ente primo, & eius gratia de ente ſimpliciter, & de omnibus partibus eius ſecundum quod entia ſunt, licet non ſecundum proprias rationes, quibus ſunt hæc entia, vel illa; cum itaque Deus ſcientia ſua cognoſcat ſe, & cognoſcendo ſe cognoſcat omnia alia a ſe etiam vſque ad minima, ideo ſcientia eius veriſſimè debet dici vniuerſalis. *a.38. q.1.*

Durandus reſp. quod ſcientia aliquando di- *d.35.*

q. 4. a. 1. dicitur vniuerſalis, vel particularis, quia eſt de vniuerſali, vel particulari obiecto, & ita ſcientia Dei non eſt vniuerſalis tantum, nec tantum particularis, ſed vniuerſalis, & particularis, quia per ipſam cognoſcit Deus res omnes, & earum proprietates, & paſſiones ſecundum rationem generis remoti, vel propinqui, & etiam ſecundum rationem ſpeciei ſpecialiſſimæ; & aliquando dicitur vniuerſalis, vel particularis, quia vel aliquis cognoſcit aliquid particulare ens, & eius proprietates, quod non cognoſcit alia entia, & ſic dicitur ſcientia particularis, vel aliquis cognoſcit omnia entia, & ſic dicitur ſcientia eius vniuerſalis; cum itaque ſcientia Dei ſe extendat ad omnia eſt vniuerſalis, quæ licet ſit vna tantum ſecundum rem, plurificatur tamen ſecundum rationem.

p. 4. a. 4. Petrus Aureolus reſp. quod ſcientiæ vniuerſalitas, vel particularitas attẽdi debet penes obiectum, eſt actum duplex obiectum diuinæ ſcientiæ proprium, ac terminatiuum, & huiuſmodi eſt diuina eſſentia, & ſecundum hoc non dicitur nec vniuerſalis, nec particularis, quia cum eſſentia diuina ſit tota natura ſimpliciter ſubſiſtens, nec vniuerſalis eſt, nec particularis; & eſt obiectum denominatiuè, ac æquipollenter cognitum, & huiuſmodi eſt creatura, & ſecundum hoc ſcientia Dei poteſt dici vniuerſalis, & particularis, quia omne quod cognoſcibile eſt dicitur æquipollenter in eſſentia Dei eſſe proſpectum, & ſecundum hunc modum poteſt concedi, quod ſcientia Dei ſit etiam ſcientia rationalis, phyſica, metaphiſica, & huiuſmodi; ſed quoniam ſcientia dicitur propriè vniuerſalis, & particularis ab obiecto terminatiuo, ideo eſt abſolutè dicendum, quod ſcientia Dei nec vniuerſalis eſt, nec particularis.

d. 39. diſp. 1 Michael de Pal. reſp. quod ſcientia Dei cum infinita ſit, innominabilis eſt, ac proinde nec vniuerſalis, nec particularis etiam ſi per illam Deus vniuerſalia ſciat, & particularia, etenim non ſunt hæc primaria, ſed ſecundaria intelligibilia à diuina mente, quamuis tamen cum actiua ſit, & actio ſit particularium, magis ſit proxima ſcientiæ particulari, quam vniuerſali.

d. 35. q. 13. Franciſcus a Chriſto reſp. quod ſcientia Dei non eſt vniuerſalis, nec particularis in ordine ad medium, neque in ordine ad obiectum primarium, quia tale medium, & obiectum eſt diuina eſſentia, quæ nec vniuerſalis eſt, nec particularis, ſed poteſt dici vniuerſalis, & particularis in ordine ad obiecta ſecundaria, ſiquidem cum hæc ſint omnia alia a Deo vniuerſalia ſunt, & particularia.

Dom. Bannes reſp. quod ſcientia Dei ſimpliciter, & propriè non eſt vniuerſalis, neque particularis, ſed eminenter vtrumque, ſicut eſſentia, quæ eſt primarium obiectum eius; neque ſi attendamus ad obiectum ſecundarium ſcilicet ad creaturas eſt propriè vniuerſalis, aut particularis, ſed tantum ſecundum quid. q. 14. a. 1.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſcientia dicitur aliquando vniuerſalis, vel particularis ratione ſcibilis, aliquando ratione ſcientis, & aliquando ratione medij ſciendi; ſi itaque conſideretur ſcientia Dei ratione ſcibilis, quia de omnibus generaliter eſt, dici poteſt vniuerſalis; ratione ſcientis non niſi ſingularis, ſeu particularis, quia ſciens hac ſcientia eſt ſimpliciter vnum, ratione vero medij ſic, nec vniuerſalis, nec particularis conuenienter dicitur, quia huiuſmodi medium eſt eſſentia, & eſſentia nec vniuerſalis eſt, nec particularis.

Sed ſi diuina eſſentia eſt cauſa omnium, ac proinde vniuerſalis? Obiectio.

Reſpondetur, quod diuina eſſentia eſt quidem cauſa vniuerſalis omnium, non tamen ipſa eſt vniuerſalis, vnde iſta vniuerſalitas ſumitur quo ad efficientiam, non quoad quiditatem, vniuerſale enim eſt quod eſt in multis, & dicitur de multis, & hæc vniuerſalitas eſt neceſſaria reſpectu medij ad hoc vt aliqua ſcientia dicatur vniuerſalis.

QVAESITVM IV.

An ſcientia Dei ſit in eo habitus, an actus?

D. Thomas reſp. quod habitus, potentia, & actus in ſcientia ſunt conditiones, quæ attenduntur ſecundũ rationem medij, cum autem medium in ſcientia diuina ſit eſſentia, & ab ipſa ſit remota omnis potentia paſſiua, & materialis, quia eſt actus purus, & ſimiliter habitus, quia habitus non eſt vltima perfectio, ſed magis operatio, quæ perficit habentem; ideo nec in potentia eſt, nec in habitu ſcientia Dei, ſed tantum in actu. d. 35. q. 1. a. 5.

Et iterum reſp. quod ideo in Deo non eſt habitualis cognitio, quia Deus omnia ſimul actu cognoſcit, eius intellectus nullo modo eſt in potentia; eius operatio eſt ſua eſſentia, eſt vniuerſaliter, & vltimatè perfectus, in lib. 1. cog. c. 56.

Digitized by Google

in eo non eſt qualitas, neque in eius intellectu aliquæ ſpecies ſuperadditæ.

pr. 2 q. 2. Aegidius reſp. quod intellectus diuinus ſemper eſt coniunctus actui, non enim differt actus eius a ſua ſubſtantia, & ideo neque in potentia eſſentiali, neque accidentali eſt Deus ſciens.

a. 1. q. 7. Ricardus reſp. quod ſi Deus non eſſet ſemper in actu intelligendi eſſet aliqua potentialitas in eo ad hunc actum, & ſimiliter aliqua compoſitio ſaltem ex actu, & potentia, & aliqua etiam imperfectio, quia intelligere in potentia eſt imperfectum, nulla autem potentialitas poteſt eſſe in actu puro, nulla compoſitio in ſummè ſimplici, nulla imperfectio in ſummè perfecto; Deus ergo ſemper eſt in actu intelligendi, & nunquam in potentia.

a 37. q. 1. Henricus reſp. quod licet omnia, quæ ſunt in Deo, verè actus ſint, cum tamen actus ſignificetur dupliciter, vel vt habitus, vel vt agere, & vtroque modo vel vt primus, vel vt ſecundus, vt in Deo ponatur perfectio ſecundum omnem rationem actus, quædam intelliguntur, & ſignificantur in ipſo, ſicut actus primus, vt habitus, quemadmodum eſſentia, & vita; quædam ſicut actus ſecundus, vt habitus, quemadmodum ſapientia, & ſcientia; quædam ſicut actus primus vt agere, quemadmodum eſſe, & viuere; & quædam ſicut actus ſecundus vt agere quemadmodum ſcire, & intelligere.

d. 35. p. 1. a 3. Petrus Aureolus reſp. quod cum Deus ſit quodam intelligere ſubſiſtens concipi debet eius intellectus ſine ratione aliqua potentiæ, & habitus.

q. 38. a. 1. Marſilius reſp. quod ſicut Deus ſemper eſt ſupremus actus, ſic ſua cognitio ſemper eſt actualis, & non habitualis, vel potentialis, alioquin eſſet mutatio in eo .ſ. quandoque cognoſcere cum actu, quandoque non.

d. 35. q. vn. a. 1. Ioannes de Baſſolis reſp. quod ſcientia in Deo dicitur, vt quo formaliter ſciens, non vt habitus, quo quis habens eam promptè, faciliter, & certitudinaliter, operetur; quod enim aliquis non promptè, & faciliter operetur, hoc prouenit, vel propter diſtinctionem potentiæ, & actus, vel propter diſtantem potentiæ, & obiecti, vel propter indiſpoſitionem aliquorum neceſſariorum, ad intellectionem; quod verò non certitudinaliter, hoc contingit, vel propter imperfectionem ipſius intelligentis, vel propter imperfectionem reputatiui, vel propter debilitatem obiecti, quorum omnium nullum omnino locum habet in Deo.

Ioannes Maior reſp. quod habitus nobis inhæret ad noſtram indigentiam ſupplẽdam, quæ cum nulla ſit in Deo, intellectus eius omnia diſtinctè cognoſcit ſiue ſint, ſiue non ſint, actu, non habitu. q. 2.

Petrus Trigoſus reſp. quod Deus eſt actus purus, ſummè ſimplex, ſummè perfectus, & idem intelligens quod ſuum obiectum, idcirco ſcientia eius actualis eſt, non habitualis. q. 9. a. 1. d. 2.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod in Deo ratione ſuæ infinitæ virtutis nulla eſt in intelligendo ſucceſſio, nulla varietas, nulla potentialitas, ſed omnimoda ſimultas, vniformitas, & actualitas, & propterea ſcientia in eo non eſt habitus, ſed actus.

Sed ſi ſcientia Dei ſe extendit ad ea, quæ ab ipſo cognoſcuntur, ſicut operatio ad ea, quæ ſunt extra, & ab ipſo efficiuntur? Deus autem non eſt ſemper operans in actu. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod operatio ſignificatur vt exiens ab operante in operatum, vel effectum, & ideo non poteſt dici operans niſi quoniam aliquid efficitur; at ſcientia eſt eorum, quæ ſunt ſecundum ſuam ſimilitudinem in ſciente, & ideo quamuis ſcita non ſint, poteſt tamen eorum eſſe ſcientia, & ſic quamuis Deus non ſit ſemper operans, eſt tamen ſemper ſciens. Ita D. Thom. Aegidi. & Ricardus.

QVÆSITVM V.

An ſcientia Dei ſit diſcurſiua?

Albertus reſp. quod intellectus diuinus indiuiſibilis eſt, & indiuiſibiliter eſt ſui, & aliorum, & plurium, & omnium, & vniuſcuiuſque ſingulariter, & hoc eſt propter vniuerſalitatem, & infinitatem ſuæ virtutis in intelligendo; & ideo non tranſit de vno in aliud. d. 16. a. 5.

D. Thomas reſp. quod cum Deus cognoſcat omnia in ſeipſo, neque ſucceſſiuè vnum poſt aliud, neque cauſaliter vnum per aliud cognoſcit, quod eſt cognoſcere per diſcurſum, & ſic ſcientia eius diſcurſiua eſſe non poteſt. Item Valentia. p. p. q. 14. a. 7.

Et lib. 1. contra gent. cap. 57. Ex imperfectione intellectualis naturæ (inquit) prouenit ratiocinatiua cognitio, in diuina autem natura nulla eſt imperfectio; ergo nec ratiocinatiua cognitio.

Henricus reſp. quod intellectus diuinus non a. 36.

q. 6. non eſt compoſitiuus, aut diuiſiuus, neque ex conſequenti diſcurſiuus, cum ſimul omnium notitiam habeat ſine collatione aliqua prioris cognitu ad poſterius, ſua enim eſſentia eſt ratio, & veritas omnium aliarum eſſentiarum, ſubſtantiarum ſcilicet, & accidentium, quam intelligendo, ſimul etiam in ea, & per eam omnia alia intelligit; non eſt ergo ſcientia eius diſcurſiua.

d. 38. q. 2. Durandus reſp. quod ideo ſcientia Dei non eſt diſcurſiua, quia Deus intelligit vnico, & ſimplici actu omnia ſimul, non ergo ex noto ad ignotum procedit, nec ſimiliter intelligit componendo, & diuidendo, quæ ad diſcurſum pertinent.

d. 35. p. 4. a. 4. Petrus Aureol. reſp. quod ſcientia dicitur diſcurſiua ex obiecto terminatiuo, quando ſcilicet vnico intuitu non poteſt eſſe in proſpectu, cum itaque obiectum diuinæ ſcientiæ ſit eſſentia, quæ eſt omnino ſimplex, & indiuiſa, & intuitus eius formalis eſt vnicus, & ſimplex, ideo ſcientia eius non poteſt eſſe diſcurſiua.

q. 38. a. 1. Marſilius reſp. quod ſcientia Dei non eſt diſcurſu acquiſita, vel ab alia abſtracta, quia nihil præſupponit a quo ſit, vel mediante quo ſit.

d. 35. q. 21. Franciſcus a Chriſto reſp. quod Deus ſimul omnia cognoſcit, & vnico intuitu, & actu videt omnia, quæ continentur in principijs ſuis, & ideo eius ſcientia non eſt diſcurſiua. Item Rubeus.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſcientia diſcurſiua, ſiue aliqua cognoſcere per diſcurſum, eſt cognoſcere vnum per aliud, diſcurrere enim eſt per vnum in aliud venire, & quoniã Deus omnia ſimul, & immediatè cognoſcit propter ſuam maximam cognitionis perfectionem propterea non diſcurrendo cognoſcit, & cõſequenter ſua cognitio, ſeu ſcientia non eſt diſcurſiua.

Obiectio. Sed ſi Deus cuncta rationabiliter ordinat, & diſponit?

Reſpondetur, quod rationabiliter aliqua diſponere, & ordinare contingit dupliciter, vel in operis exercitio ipſam rationem pertractando intellectualiter ad aliud, & hoc modo intellectus vtitur diſcurſu, vel ipſam rationem, & illud aliud ſimplici intuitu ſpeculationis concernendo, & hoc modo non vtitur diſcurſu, & ſic Deus rationabiliter cuncta ordinat, & diſponit.

QVÆSITVM VI.

An Deus cognoſcat ſeipſum?

D. Thomas reſp. quod cum Deus ſit actus purus, nihilque habeat potentialitatis, oportet quod in eo intellectus, & intellectum ſint idem omnibus modis, ita vt neque careat ſpecie intelligibili, neque ſpecies intelligibilis ſit aliud a ſubſtantia ſui intellectus, & ſic ſeipſum per ſeipſum intelligit. p. p. q. 14. a. 3.

Aegidius reſp. quod non poſſumus negare Deum ſeipſum cognoſcere, nam quod aliqua virtus cognitiua ſupra ſe conuerſiua non exiſtat, hoc non eſt niſi ratione materialitatis illi virtuti annexæ, quod enim ad ſe conuerſiuum eſt (inquit Proclus) incorporeum eſt, & hæc eſt cauſa quare oculus non ſeipſum videat, quia viſus eſt virtus organica, cui annexa eſt materialitas; cum itaque Deus omnino ſit immaterialis, & intelligens, neceſſario ſequitur, quod ſeipſum intelligit. Item Ricardus. d. 35. pr. 1 q. 2.

Durandus reſp. quod intellectus diuinus eſt potentia cognoſcitiua perfectiſſima, & quoniam obiectum intellectus eſt ens ſub ratione entis, quicquid continetur ſub ente cognoſcitur ab ipſo Deo; & quoniam ipſemet Deus eſt ens, ideo ſemetipſum cognoſcit. q. 1.

Thomas ab Argẽt. reſp. quod ita Deus cognoſcit ſeipſum, quod primò cognoſcit ſe quam alia, & hoc probat multipliciter; primò, quia Deus habet perfectiſſimam cognitionem, cuius obiectum primarium debet eſſe perfectiſſimum, quod non poteſt eſſe niſi Deus; ſecundò, quia etiam ſimpliciſſimam, & independentem cognitionem habet, obiectum autem ſimpliciſſimum, & independens eſt Deus; tertiò, quia cum intellectus noſter primo cognoſcat alia a ſe, qui eſt pura potentia in genere intelligibilium, intellectus diuinus ex oppoſito, qui eſt purus actus cognoſcit primò ſe; quartò, quia intelligere Dei eſt voluptuoſiſſimum, ergo debet eſſe voluptuoſiſſimi obiecti primi, quod eſt ipſa met Deus. Addit Marſilius. Deus cognoſcit res, & non ratione earum, quia ſic non cognoſceret ab æterno, ergo ratione ſui, quia ſcilicet cognoſcit ſe; cognitio Dei eſt Deus, cognitio autem, quæ eſt res cognoſcens potiſſimè eſt reſpectu ſui; Deus eſt immaterialis, ergo immediatè, & primò cognitio eius reflectitur ſuper ſe. Deus eſt primò, & per ſe beatus; ergo cognoſcit ſe, tan- q. 1.

tanquam obiectum beatificum, cuius viſionem præſupponit fælicitas.

q. vn. a. 2. Ioannes de Baſſolis reſp. quod Deus perfectè cognoſcit ſeipſum; primò, quia cognoſcere ſeipſum eſt perfectionis in cognoſcente; ſecundò, quia potentia cognitiua non organica eſt conuerſiua ſuper ſeipſam in cognoſcendo; tertiò, quia intellectus diuinus eſt potentia non impedita, nec indiſpoſita, & obiectum eius, quod eſt eſſentia ſua, eſt ſibi proportionatum, & intimè præſens.

q. 2. Franc. a Chriſto reſp. quod operatio diuini intellectus eſt præſtantiſſima, & perfectiſſima, & ideo verſari debet circa præſtantiſſimum, & perfectiſſimum obiectum intelligibile, quod eſt Deus, eſt enim Deum intelligere ſũmæ perfectionis, & præſtantiæ.

q. 14. a. 2. Ludou. Mol. reſp. quod Deus ſeipſum cognoſcit; primò, quia vt agens per intellectum cognoſcit res antequam ſint, ſed non in ſeipſis, ergo in ſe; ſecundò, quia eſt perfectiſſimum cognoſcens, ergo conuenit ei perfectiſſima cognitio, quæ eſt nobiliſſimi obiecti, quale eſt ipſe; tertiò, quia eius intellectus eſt perfectiſſimus, & ideo cognoſcit omnia, quæ continentur ſub ente, a quo ipſe non excluditur; quartò, quia diuina eſſentia eſt coniuncta diuino intellectui, quantum ſatis eſt, vt cum eo ad notitiam ſui concurrat ad inſtar ſpeciei intelligibilis, & eſt illi per omnia proportionata; quintò, quia eſt actus purus expers omnis potentialitatis, ex quo non caret aliquo, quod tanquam ſpecies intelligibilis concurrat, vt ipſe intelligat.

q. 14. punc. 1. Gregorius de Val. reſp. quod intellectus diuinus per ſe ipſum eſt obiectum intelligibile, quia in actu, & ex hoc cognoſcit ſe per ſe ipſum, eo ipſo enim fit intellectio, quod intellectus eſt in actu ipſum obiectum intelligibile.

de tr. lib. 3. c. 1. Franc. Suarez reſp. quod primarium ſcientiæ Dei obiectum eſt Deus ipſe, qui per ſe ipſum intelligit, & eſt ſibi coniunctiſſimus cum ſumma actualitate, & immaterialitate, & ideo nihil poteſt prius intelligere quam ſe.

d. 35. Archang. Rub. reſp. quod cum intellectus humanus cognoſcat Deum, tanto magis ipſe Deus ſeipſum cognoſcit, qui immaterialis eſt, ac proinde intelligibilis, ſibique obiectum proportionatum.

Reſolutio.

RESpondeo, quod cognitio diuina eſt cognitio perfectiſſima, & infinita, quicquid ergo cognoſcibile eſt ab eo cognoſcitur; cum itaque ipſe ſit ſummè cognoſcibilis, quia ſummè ens, propterea ſeipſum cognoſcit.

Sed ſi intelligere eſt quoddam pati, vt dicit Ariſt. lib. 3. de An. t. 15. nihil autem patitur a ſeipſo? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod intellectus diuinus eſt ſuum intelligere, & ſemper eſt in actu, & nunquam in potentia; dicitur autem intelligere quoddam pati æquiuocè de intellectu, qui intellectione perficitur, & eſt in potentia, qualis eſt intellectus noſter, non diuinus.

QVAESITVM VII.

An Deus cognoſcat alia a ſe?

ALbertus reſp. quod ſi diceremus Deũ non intelligere niſi ſe, diceremus ipſum nobis eſſe imperfectiorem, cum nos intelligamus & nos, & alia; ſi verò diceremus intelligere omnia, ſic videretur componi intellectus eius ex diuerſis; media ergo via eligenda eſt, vt ſcilicet dicamus, quod omnia intelligit, ſed ſeipſo, non accipiendo aliquid ab omnibus, vel ab aliquo, ſed prius intelligendo cauſare omnia ſecundum eſſe naturæ, & rationis. *d. 36. a. 4.*

D. Thomas reſp. quod ea, quæ agunt ex neceſſitate naturæ cum ſemper naturaliter tendant in aliquem finem, oportet quod ab aliquo ordinentur in finem illum, hoc autem neceſſe eſt, vt cognoſcat rem illam, operationem eius, & id, ad quod ordinatur, ſicut faber non poteſt facere ſecurim, niſi cognoſcat actum inciſionis, & ea quæ ſunt incidenda, vt materiam conuenientem inueniat, & formam imprimat; cum itaque omnia a Deo eſſe habeant, & tendant naturaliter in aliquem finem, neceſſe eſt, vt ab ipſo etiam cognoſcantur. *d. 35. q. 1. a. 2.*

Et iterum reſp. quod Deus perfectè cognoſcendo ſe cognoſcit etiam perfectè virtutem ſuam. & conſequenter ea, ad quæ ſe extendit, & quoniam ſe extendit ad alia a ſe, cum ſit ipſe cauſa effectiua omnium, igitur alia a ſe cognoſcit, non quidem in ſeipſis, ſed in ipſomet Deo, qui dum cognoſcit ſeipſum per eſſentiam ſuam, videt etiam omnia, quorum ſimilitudines continentur in ea. *p. p. q. 14. a. 5.*

D. Bonau. reſp. quod pium eſt, & neceſſarium dicere, quod Deus alia a ſe cognoſcat; pium quidem, quia omnis rectus animus hoc fatetur, non latere Deum, quod *d. 39. a. 1. q. 2.*

cognoſcit animus noſter; neceſſarium, quoniam non poteſt opus latere ſapientiſſimum opificem, & ideo oppoſitum dicere, eſt impium, & impoſſibile.

d. 35. pr. 1 q. 1. Aegidius reſp. quod ex tribus poſſumus arguere Deum habere cognitionem omnium rerum, ex mobilitate earum, ex ordine, quem habent in vniuerſo, & ex earum imperfectione; ex mobilitate earum, quia omnia mobilia præſupponunt factorem immobilem, factor autem immobilis non poteſt agere ex neceſſitate naturæ, quia omne tale agens, eſt agens phyſicum, & mouet motum, & quod mouet motum mouet vt inſtrumentum, & non vt principale agens; cum igitur Deus ſit primum agens, & immobile neceſſariò ſequitur, quod ſit cognoſcens ea, quæ agit; ex ordine earundem in vniuerſo, quia non eſt poſſibile omnia tendere in ſuum finem directè, niſi ab aliquo cognoſcente ei præſtituatur ordo; cum igitur res omnes tendant in ſuum finem, neceſſariò ſequitur, quod ſit aliquid cognoſcens, quod præſtituat eis ordinem, quod eſſe non poteſt niſi Deus, qui infra hunc ordinem non continetur; ex earum tandem imperfectione, quia omnia comparata ad Deum ſunt aliquo modo imperfecta, ipſe vero perfectiſſimus, ſed cum rectum ſit iudex ſui, & obliqui, & per habitum cognoſcatur habitus, & priuatio, igitur Deus cognoſcendo perfectionem ſuam, cognoſcit etiam omnia ea, quæ deficiunt a tali perfectione; & quoniam omnia alia a ſe deficiunt, etiam omnia alia a ſe cognoſcit; & quoniam cognoſcit per modum ſubſtantiæ ſuæ, quæ immaterialis eſt, indiuiſibilis, & vna; ideo cognoſcit ea immaterialiter, indiuiſibiliter, & vnitiuè. Item Gerardus.

a. 1. q. 3. Ricardus reſp. quod diuinus intellectus habet apud ſe diuinam eſſentiam, quæ eſt ſimilitudo expreſſiua, & repreſentatiua, non ſolum ſui, ſed etiam aliorum a ſe, & ideo non ſolum ſe, ſed etiam alia a ſe cognoſcit.

q. 2. a. 1. Petrus Aureol. reſp. quod Deus ita cognoſcit alia a ſe, quod tamen eius intuitus non terminatur ad ea aliquo modo, ſed ſolum ad ſuam eſſentiam, tãquam ad obiectum adæquatum ſuæ cognitionis, quæ ſicut eſt omnia eminenter, & æquipollenter, ita eius intellectio eſt omnium intellectio eminens, & æquipollens vna exiſtens numero, neque re, neque ratione diſtincta ab intellectione creaturarum; quod autem cognitio diuina non terminetur ad alia a ſe, probat multipliciter; primò, quia impoſſibile eſt aliquid quod ſit perfectionis in Deo dependere a nõ Deo, circumſcriptis enim alijs a Deo, non maneret talis cognitio in Deo, quæ eſt perfectionis in eo; ſecundò, quia impoſſibile eſt diuiſionem continui totaliter euacuari, vnde ſi diuina cognitio terminaretur ad alia a ſe, vel terminaretur ad omnes partes continui diuiſas, & diſtinctas, & ſic eſſet euacuata diuiſio continui, vel ad aliquas, & ſic eſſet in potentia ad reliquas, quod eſt inconueniens; tertiò, quia impoſſibile eſt infinitam magnitudinem eſſe in diuino proſpectu, & ſimiliter infinitas ſpecies; & infinitos numeros in actu, ſi autem diuinus intellectus terminaretur ad alia a ſe, vel huiuſmodi cognoſceret in actu, quod eſt impoſſibile, vel ad illa eſſet in potentia, quod eſt inconueniens.

Franciſcus Maro reſp. quod ideo dicendum eſt Deum cognoſcere alia a ſe; primò, d. 36. q. 4. quia alia a ſe verius habent eſſe in diuina eſſentia, quæ eſt obiectum repreſentatiuum eorum, quam in ſeipſis; ſecundò, quia Deus continet eminenter creaturas, & cognoſcit ſe perfectè, vt continens; tertiò, quia Deus cognoſcit ſe, vt omnium cauſam, cognoſcit enim ſe ſub omni ratione, quæ eſt in eo formaliter; quartò, quia cognoſcit ſe, de quo eſt demonſtrabile, quod ſit maior omni creatura.

Guilelmus Occham reſp. quod eſt de fide credere, d. 35. q. 2. quod Deus cognoſcat omnia alia a ſe, ſed hoc ratione probari non poteſt; ſi enim aliqua ratione probari poſſet, hæc eſſet maxima, quia Deus eſt cauſa omnium aliorum a ſe, ſed hæc non eſt ſufficiens, quia non ſolum probari non poteſt per rationem cauſalitatis, quod cauſa cognoſcat effectum aliquem immediatum, ſed nec etiam quod Deus ſit cauſa omnium effectuum immediatorum; poteſt nihilominus probabiliter oſtendi, quod Deus cognoſcat aliquid aliud a ſe, cum ſit probabile, quod Deus ſit cauſa immediata alicuius effectus; nam probabile eſt, quod ſic aliquid dependeat ab ipſo, quod ipſo (per impoſſibile ſublato) & illud auferatur, & etiam ſit probabile, quod Deus illud intelligat, cuius eſt cauſa immediata, nam probabile eſt, quod Deus cognoſcat illud, quod producit, alioquin produceret, & neſciret quid produceret, quod eſt inconueniens.

Thomas ab Argent. reſp. quod ideo Deus q. 1. cognoſcit alia a ſe, quia cognoſcit, ſeipſum cauſam omnium, quia dirigit omnia in ſuos

fines

fines ordinatè, & per modum artis, & quia potentia intellectiua Dei non eſt limitata, cum ſit perfectiſſima.

q. vn. Gregorius reſp. quod Deum alia a ſe cognoſcere poſſumus ex his ſecundum naturalem diſcurſum deducere; primò, quia eſt ens nobiliſſimum, & intelligens, tanto autem intelligens nobilius eſt, quanto plura intelligit; ſecundò, quia multæ ſunt cauſæ naturales ex ſe indifferentes ad plures effectus, neceſſaria eſt ergo aliqua cauſa libera, & cognoſcens, quæ determinet eas ad operandum; tertiò, quia hæc etiam experientia videmus, quod multi vera ſomniant, & prophetant, quod fieri non poſſet niſi eſſet aliqua cauſa ſuperior, quæ hæc cognoſcendo reuelaret, quæ ſi eſt aliqua infra Deum, tanto magis arguitur, quod etiam id poſſit ipſe Deus.

a. 2. Alphonſus reſp. quod licet non ſit dubium Deum cognoſcere omnes creaturas, cum ſit agens per intellectum, videtur tamen poſſe rationabiliter ſuſtineri, quod Deus non cognoſcat eas extra ſe terminatiuè, ſed in ſeipſo præcisè, & probat dupliciter; primò, Deus ab æterno non cognouit creaturas extra ſe terminatiuè, nulla enim creatura erat ab æterno, ergo ita poſſumus dicere, quod nec modo, quia ſcientia Dei non eſt variabilis; ſecundò, cognitio qua creatura cognoſcitur in verbo eſt perfectior cognitione, qua terminatiuè cognoſcitur in ſeipſa; ſed Deus cognoſcit cognitione perfectiſſima, ergo creaturas cognoſcit in ſe, & non extra ſe terminatiuè.

q. 1. Guilelmus Rub. reſp. quod Deus eſt cauſa effectiua omnium libera, & contingens, cum omnia alia ab eo contingentia ſint, & poſſibilia non eſſe, & ideo omnia alia a ſe etiam cognoſcit, tam quæ poſita ſunt in eſſe, quam quæ non ſunt poſita, neque ponenda; non neceſſariò tamen, ſed contingenter.

d. 39. q. 1. a. 1. Ioannes Bacconus reſp. quod Deus comprehendendo ſe cognoſcit, & apprehendit alia a ſe, non quidem terminatiuè, ſed conſecutiuè, & ad hoc duo adducit exempla, vnum numeri Senarij; ſi enim (inquit) aliquis apprehenderet vnitatem numeri ſenarij, ſcilicet ſenitatem, cognoſceret diſtinctè duas trinitates, & ſex vnitates, ex quibus eſt formaliter conſtitutus, ſic itaque in propoſito Deus comprehendendo ſe, qui eſt per ſe quædam vnitas cognoſcibilis omniũ, cognoſcit etiam alia a ſe; alterum eſt principiorum, ſi enim (inquit) aliquis comprehenderet prima principia, & ſtaret ſemper ſpéculando, & non transferret ſe a ſpeculatione principiorum ad ſpeculandum concluſiones in ſeipſis, tunc comprehendendo principia perfectiſſimè comprehenderet conſecutiuè omnes concluſiones in eis; ſic ergo intellectus diuinus comprehendendo ſe comprehendit omnia alia a ſe in ſeipſis, non quidem terminatiuè, ſed conſecutiuè, & hæc (inquit) fuit mens Auerrois.

Petrus Aliacenſis reſp. quod eſt quidem probabile Deum cognoſcere alia a ſe propter ſuæ naturæ excellentiſſimam perfectionem, ſed non euidenter demonſtrabile, cognoſcendo enim ſe cognoſcit obiectum nobiliſſimum æquiualens obiectis omnibus, & cognoſcit perfectiſſimè, quod ſufficit ad hoc, vt eius cognitio ſit perfectiſſima. q. 12. a. 1.

Marſilius reſp. quod etiam in puro lumine naturali concedendum eſt, quod Deus in ſua eſſentia cognoſcat omnia alia a ſe tam producta, quam producibilia, non quidem vt obiectum primarium, quia tale eſt eſſentia ſua, ſed ſecundarium; tum quia Deus habet perfectam notitiam eſſentiæ ſuæ, a qua dependent omnes aliæ entitates, & in qua continentur omnium rerum perfectiones eminenter, tum etiam quia eſt primus motor, & prima cauſa omnium, & agens per intellectum, & voluntatem, & quia omnia creat, omnia gubernat, omnibus prouidet. q. 39. a. 3.

Ioannes de Baſſolis reſp quod ſi Deus non cognoſceret alia a ſe, vel hoc eſſet propter defectum, & debilitatem ſui intellectus, vel propter excellentiam intelligibilis, quorum neutrum in propoſito habet locum; Deus item eſt cauſa totalis, & perfecta omnium, & eſt prouiſor vniuerſalis, & ſufficiens dirigens omnia in ſuum finem, & habet iudicare de omnibus bonis, & malis, ergo omnia cognoſcit. d. 36. a. 1. q. 1.

Nicolaus de Nijſe reſp. quod cum intellectus diuinus in infinitum excedat intellectum creatum, intellectus autem creatus ſe extendat ad omnia entia, cum ens ſit obiectum adæquatum eius, ſequitur quod etiam intellectus diuinus ad omnia alia entia a ſe; ſe extendat; intellectio item cuiuſcunque intelligibilis nominat perfectionem, nulla autem Deo perfectio deeſt, ergo neque cuiuſcunque intelligibilis intellectio. p. 1. p. 1. a. vn.

Ioannes Maior reſp. quod probabiliter dici poteſt diuinam notitiam immediatè terminari ad creaturas, cum enim ſit notitia infinita, quæ neque ab obiecto pendet, neque menſuratur ab eo, talis terminatio nullam imperfectionem ponit in Deo. d. 35. q. 4.

Digitized by Google

diſp. 1 Michael de Pal. reſp. quod ſi aliquid obſtaret, quo minus Deus ſciret alia a ſe, aut eſſet ſingularium materialitas, aut infinitas, aut vilitas aliquorum, ſed hæc non obſtant; non quidem primum, quoniam multa ſunt immaterialia, vt Angeli, conceptus noſtri, affectus, & huiuſmodi; non ſecundum, quoniam multa indiuidua non ſunt infinita, vt aſtra cæli, elementa, & huiuſmodi; non tertium, quoniam etiam vilia in ſuo genere ſunt perfecta.

d. 48. a. 2. Guilelmus Varrillong. reſp. quod res etiã non viuens in ſuum finem tendit, ergo ab aliquo intelligente ipſam, dirigitur, cum autem infima per media in ſuprema dirigantur, vt dicit D. Dyon. oportet deuenire ad aliquid primum, quod omnia dirigat, & cognoſcat, & huiuſmodi eſt Deus.

d. 35. q. 3. Franciſcus a Chriſto reſp. quod ideo Deus cognoſcit alia a ſe, quia perfectè cognoſcit ſeipſum, & virtutem ſuam, & agit per intellectum, & voluntatem, & dirigit omnia in ſuos fines.

p. p. q. 9. a. 1. dub. 2 Petrus Trigoſius reſp. quod ex eo, quod Deus perfectè cognoſcit ſeipſum, quod eſt cauſa rerum per intellectum, & voluntatem, quod eius eſſe eſt idem quod intelligere, quod omnibus proponit finem agendi, & quod omnia creat, omnia gubernat, & omnibus prouidet ſufficienter conuincitur intelligere alia a ſe.

q. 12. a. 5. Ludouicus Molina reſp. quod Deus alia a ſe cognoſcit, non quidem in ſeipſis, & vt obiecta primò cognita, ſed in diuina eſſentia, quæ eſt primum obiectum, in quo omnia relucent, & diuino intellectui repreſentantur.

q. 14. punc. 1 Gregorius de Val. reſp. quod ideo Deus cognoſcit alia a ſe, quia perfectè cognoſcit virtutem ſuam, & quia idem eſt in eo eſſe, quod intelligere; vnde cum omnia alia ſint in eſſe diuino vt in ſua cauſa, igitur & in eius intelligentia.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſcientia Dei, ſeu eius cognitio, vel intellectio eſt perfectiſſima, & infinita, nihil ergo quod cognoſcibile eſt excluditur ab ea; cum itaque alia a Deo cognoſcibilia ſint, quia aliquo modo entia, propterea illa Deus cognoſcit.

Obiectio. Sed ſi intellectum eſt perfectio intelligentis, cum faciat intelligentem eſſe in actu, nihil autem a Deo eſt perfectio Dei?

Reſpondetur, quod intellectum eſt duplex, primarium, & eſt ipſa rei ſimilitudo, quæ eſt in intellectu, ſecundarium, & eſt ipſa res, quæ per ſimilitudinem illam intelligitur, intellectum ergo primo modo ſumptum eſt perfectio intelligentis, & ſic nihil eſt intellectum a Deo niſi ipſe, cum non recipiat ſpecies rerum, non ſecundarium, & ſic non ſequitur, quod res intellectæ ſint perfectio Dei. Ita D. Thomas.

QVÆSITVM VIII.

An Deus cognoſcat alia a ſe, ſecundum propria vniuſcuiuſque natura, & diſtinctè?

D. Thomas reſp. quod Deus cognoſcit naturam propriam omnium rerum; primò, quia cum per cauſas ſecundas determinetur vnaquæque res ad proprium eſſe, omnes autem cauſæ ſecundæ ſint ab ea, vt a prima, oportet quod quicquid eſt in re reducatur in Deum ſicut in cauſam, cognoſcit ergo naturam propriam vniuſcuiuſque rei vt cauſa; ſecundò, quia impoſſibile eſt, quod aliquod agens ordinet effectum ſuum in finem, niſi cognoſcat proprium opus rei, per quod ordinatur in finem; cum igitur Deus ordinet omnia in ſuum finem, oportet quod cognoſcat proprium opus, & naturam cuiuslibet rei, quæ tali operationi conuenit. d. 35. q. 1. a. 4.

Et iterum reſp. quod cum omnia in Deo præexiſtant non ſolum quantum ad id, quod eſt commune eis, ſed etiam quantum ad ea, ſecundum quæ diſtinguuntur, atque ita omnium perfectiones contineantur in eo, ſequitur quod dum perfectè ſe cognoſcit, cognoſcat etiam alia a ſe ſecundum vniuſcuiuſque propria. p. p. q. 14. ar. 6.

Ægidius reſp. quod ad hoc, quod aliquid perfectè cognoſcatur quatuor concurrunt, quod cognoſcatur per cauſam, quod illius ſit cauſa, quod illa cauſa ſit cauſa ſimpliciter, & quod ſit immutabilis, vt colligitur ab Ariſt. lib. 1. Poſteriorum; & quoniam Deus eſt cauſa omnium ſimpliciter, & ab omni variabilitate ſemotus, ideo cognoſcendo ſe, & cognoſcendo ſe eſſe omnium cauſam, omnia etiam perfectè cognoſcit, & ex conſequenti omnium diſtinctam cognitionem habet. d. 35. pr. 1. q. 4.

Ricardus reſp. quod Deus ſpecialiter, & liquidò cognoſcit alia a ſe, quia omnium eorum, quæ ſunt, non ſolum eſt cauſa prima, ſed etiam proxima, & non ſolum mediata, ſed etiam immediata; & non ſolum effi- a. 1. q. 6.

efficiens, ſed exemplaris, & finalis, quæ eſt ſua diuina eſſentia, ſic autem cognoſcere eſt ſpecialiter, & liquidò, & certò cognoſcere.

d.2. q.2. Ioannes Scotus reſp. quod Deus habet cuiuslibet intelligibilis actuale, & diſtinctum intelligere, quia hoc eſt perfectionis in intellectu poſſe diſtinctè, & actu cognoſcere quodcunque intelligibile, quia omnis intellectus eſt totius entis communiſsimè ſumpti.

q.1. a.2. Herueus reſp. & probat duplici via Deum cognoſcere res ſecundum ſuas naturas ſpecificas; primò, via cauſalitatis, cum enim Deus ſit cauſa totius vniuerſi per intellectum, & voluntatem, oportet quod cognoſcat in ſpeciali partes, ex quibus conſtituitur vniuerſum, totum enim integrale non poteſt perfectè cognoſci, niſi in ſpeciali partes cognoſcantur; ſecundò, via eminentiæ, & perfectionis, pertinet enim ad perfectionem ſuæ eſſentiæ ſimpliciter repreſentare res, non ſolum quantum ad ſua generalia, ſed etiam quantum ad ſua ſpecialia.

q.2. Durandus reſp. quod ideo Deus omnia alia a ſe diſtinctè cognoſcit, quia perfectiſſimè cognoſcit, & comprehendit eſſentiam ſuam, quæ eſt ſufficiens cauſa omnium, & in ſe præhabet, & continet omnia, non quidem formaliter vt ſpeculum imaginis, ſed virtualiter, vt cauſa effectiua rerum.

p.3. a.2. Petrus Aureol. reſp. quod eſſentia diuina eſt omnis entitas, & quiditas eminenter tanquam ſimilitudo ſubſiſtens omnium naturarum ſecundum ſuas proprias, & ſpecificas rationes, & ideo cognoſcendo ſe, cognoſcit omnium rerum naturas, & ſpecies, non terminatiuè, ſed æquipollenter, & amplius, quam eminenter.

q.1. Thomas ab Argent. reſp. quod eſſentia Dei eſt ei ratio omnia diſtinctè cognoſcendi, ſicut eſt ei ratio omnia diſtinctè producendi, agenti enim per intellectum eadem eſt ratio agendi, & cognoſcendi.

q.1. a.2. Gerardus reſp. quod ideo Deus omnia diſtinctè, & perfectè cognoſcit, quia eſt cauſa vniuerſalis omnium, & conſequenter habet vim directiuam quantum ad omnia; quia continet formas, & quiditates omnium entium actualiter, & per modum artis; quia eſt cauſa totalis omnium entium, vnde oportet, quod intantum ſe extendat ſua cognitio, in quantum ſe extendit ſua cauſalitas; denique, quia perfectè, & actualiter cognoſcit naturam entis.

a.4. Ioannes Bacconus reſp. quod Deus cognoſcendo ſe vt cauſam perfectionalem continentem perfectionaliter omnem perfectionem eodem actu cognoſcit omnia perfectionaliter contenta ſecundum quodlibet eſſe ſuum, tam particulare, quam vniuerſale, aliter enim non comprehenderet cauſam perfectionaliter continentem, dato enim, quod cognoſcat ſe ſolum ad ſe, & abſolutè veluti pelagus in ſe infinitum, & non in ordine ad contenta ſecundum quodlibet ſui eſſe, tunc non ſequitur, comprehendit, immò aliquid reſtat apprehendendum, ſi ergo Deus cognoſcit ſe, vt cauſam perfectionalem cognoſcit etiam alia a ſe diſtinctè.

Nicol. de Niſſe reſp. quod cognitio vniuerſalis, & confuſa eſt imperfecta, & conſequenter Deo repugnat, quæ ergo cognoſcit Deus, diſtinctè cognoſcit. p.3. p.1.

Michael de Pal. reſp. quod in Deo idem eſt eſſe quod intelligere; cum itaque eſſe Dei ſit omnia efficienter, & eminenter, conſequens eſt, vt intelligat etiam omnia, ſed non confuſè, quia ſic intelligeret imperfectè, igitur clarè, & diſtinctè. diſp. 2.

Franc. a Chriſto reſp. quod Deus non ſolum cognoſcit ea, quæ ſunt communia rerum, ſed etiam quæ ſingularium ſunt propria, quibus diſtinguuntur, alioquin eius intelligere non eſſet ſimpliciter perfectum, ac proinde neque eius eſſe. Deus item ſeipſum perfectè cognoſcit, igitur & omnem modum, per quem ſua perfectio eſt participabilis a creatura, cum autem propria vniuſcuiuſque natura conſiſtat in aliquo modo participandi diuinam perfectionem, ſequitur quod Deus cognoſcit vnamquanque naturam ſecundum ſua propria. Tertiò Deus eſt cauſa rerum per intellectum, & voluntatem, ergo cognoſcit quicquid agit, ſed agit non tantum communia, ſed etiam propria, igitur non tantum communia, ſed etiam propria cognoſcit. d.35.

Ludouic. Molina reſp. quod cum Deus comprehendat ſeipſum, ſit agens per intellectum, & voluntatem, & ſit prima cauſa, a quo diriguntur omnia in ſuum finem, neceſſe eſt dicere, quod omnia etiam minutiſſima quæque, propria, ac diſtincta cognitione cognoſcat. q.14. a.5.

Petrus Trigoſ. reſp. quod ideo Deus omnia diſtinctè cognoſcit, quia eius cognitio eſt perfectiſſima, quia etiam nos diſtinctam habemus cognitionem de rebus; quia eſt cauſa omnium agens per intellectum, & voluntatem, quia omnium prouidentiam habet. Hinc Ariſt. p. de an. t. 8. comparat q.9. a.1. dub.3.

Deum

Deum duci reſpectu totius vniuerſi, certum eſt autem, quod non poſſet exercere officium ducis, & gubernatoris, niſi haberet propriam, & diſtinctam notitiam omnium rerum.

de tr. lib. 3. c. 3. Franc. Suarez reſp. quod Deus clarè, & diſtinctè cognoſcit omnes creaturas, & ratio a poſteriori ſumitur ex rerum effectione, gubernatione, ac prouidentia, non enim poſſet Deus omnia efficere, & omnibus in particulari prouidere, niſi ea cognoſceret; ratio verò a priori ſumitur ex infinitate Dei, cum enim omnia etiam minutiſſima in ſe contineat, ſequitur quod etiam omnia diſtinctè cognoſcat.

Reſolutio.

RESpondeo, quod cognoſcere res ſecundum ſua propria, & diſtinctè pertinet ad perfectionem cognoſcentis, cognitio enim ſecundum communia tantum eſt cognitio confuſa, & imperfecta; quia ergo Deus eſt perfectiſſimè cognoſcens, quia perfectiſſimè omnia ſunt præſentia ei, idcirco omnia ſecundum ſua propria, & diſtinctè cognoſcit.

Obiectio. Sed ſi Deus quicquid cognoſcit, cognoſcit per eſſentiam ſuam? quæ cum ſit cauſa vniuerſalis, non poteſt efficere cognitionem diſtinctam.

Reſpondetur, quod ideo eſſentia diuina dicitur cauſa vniuerſalis, quia ſine aliqua exceptione omnia efficit, non ſolum communia, ſed etiam propria, & ideo Deus cognoſcendo res per eſſentiam ſuam, non ſolum cognoſcit per communia, ſed etiam propria.

QVAESITVM IX.

An Deus cognoſcat alia a ſe per aliquid aliud a ſe, an verò per ſeipſum, ſiue per eſſentiam ſuam?

q. 23. m. 2. a. 1. ALexander reſp. quod illud per quod intelligitur eſt principium perfectionis, quia intelligibile eſt perfectio intellectus; cum ergo ſit impoſſibile, quod Deus habeat aliquam perfectionem ab alio, quam a ſe, ideo impoſſibile eſt etiam, quod per aliud intelligat, quam per ſe.

Et paulo infra ar. 3. Sicut ſi centrum (inquit) intelligeret ſe, & ſuam virtutem vno, & ſimplici intellectu intelligeret infinitas lineas, quæ poſſent duci ab ipſo, ita Deus intelligendo ſe, & ſuam virtutem intelligit etiam omnia alia a ſe, quæ habent dependentiam ab ipſo, & hoc eſt argumentum ſuæ maioris perfectionis, eſt enim perfectius cognoſcere multa vt vnum vno, quam multa per multa, & vnum per vnum.

Albertus reſp. quod Deus intelligit ſeipſo, prout ipſe eſt ſpecies, & idea omnis intelligibilis, & omnis ratio cogniti, & lux, & ita cognoſcendo ſe cognoſcit omne quod eſt. Et p. p. tr. 15. q. 60. m. 5. Deus non ſcit per medium aliud a ſe, ſed ſeipſo, prout ipſe eſt ratio, qua conſtituuntur omnia in eſſe tam ſubſtantiali, quam accidentali. *d. 36. a. 3.*

D. Thomas reſp. quod Deus cognoſcit omnia vno quod eſt ratio plurium ſcilicet eſſentia ſua, quæ eſt ſimilitudo rerum omnium. & quia eſſentia ſua eſt propria ratio vniuſcuiuſque rei, ideo de vnoquoque habet propriam cognitionem. *de ver. q. 2. a. 4.*

Aegidius reſp. quod cognitio fit per ſimilitudinem rerum exiſtentem in cognoſcente; & quoniam diuina eſſentia eſt ſimilitudo omnium, nihil enim eſt priuatum omnino participatione bonitatis primæ, quod non imitetur diuinam eſſentiam in aliquo, ideo Deus per eſſentiam ſuam omnium cognitionem habet. *d. 35. pr. 1 q. 3.*

Durandus reſp. quod nõ eſt alia ratio intelligendi Deo alia a ſe, quã eſſentia ſua; primò, quia nulla poteſt eſſe compoſitio in eo, eſſet autem ſi intelligeret per aliud ab eſsẽtia ſua; ſecũdò, quia eius intellectus in ordine intellectuũ tenet ſupremum gradũ, ſicut intellectus noſter tenet infimum; cum itaque intellectus noſter propter ſuam imperfectionem, & potentialitatem primò intelligit alia a ſe, & per ea intelligit ſe, ita intellectus diuinus propter ſuam perfectionem, & actualitatẽ, primò intelligit ſe, & per ſe alia a ſe; tertiò, quia alia a ſe non ſunt æquè primò & principaliter obiectum diuini intellectus, eſſent autem ſi ea intelligeret, & non per eſſentiam ſuam, cum vna, & ſimplici intellectione intelligat. *q. 1.*

Petrus Aureol. reſp. quod eſſentia diuina, ſeu deitas eſt ſimilitudo propria cuiuslibet naturæ ſpecificæ, non quidem ſecundum aliam, & aliam perfectionem, quam habent in ſe, aut ſecundum aliam rationem, ſed ſub vna, & eadem ſimplici perfectione ſecundum rem, & rationem, quæ importatur per deitatem. *p. 3. a. 2.*

Petrus Aliacen. reſp. quod Deus quæcunque cognoſcit non per aliquid aliud cognoſcit, ſed per ſeipſum, & in eſſentia ſua immediatè, & intuitiuè, & non tanquam per me- *q. 11. a. 2.*

medium, ſed inquantum ipſa indiſtincta ab intellectu eſt ipſamet rerum omnium firmiſſima notitia.

d. 35. q. vn. a. 2. Ioannes de Baſſol. reſp. quod eſſentia diuina eſt primum obiectum diuini intellectus primitate originis, perfectionis, & adæquationis, & eſt ratio cognoſcendi omne aliud poſitiuum ſiue intrinſecum, ſiue extrinſecum, & hoc per ſe non primò ſicut obiecta primaria, ſed ſecundariò.

tr. 1. p. 3. p. 1. q. vn. Nicol. de Nijſe reſp. quod eſſentia diuina radicaliter continet omnia diuina, & eminentiſſimè, & perfectiſſimè continet entitates omnium creabilium, ac proinde eorum cognoſcibilitates; & ideo Deus, & ſeipſum, & alia a ſe cognoſcit per eſſentiam ſuam, quæ nudè accepta eſt ratio ſufficiens intelligendi omnia.

d. 35. diſp. 1. Michael de Pal. reſp. quod ſi Deus aliunde mendicaret intellectionem ſuam, non eſſet actus puriſſimus, atque pleniſſimè perfectus, & ideo quicquid intelligit, intelligit per ſeipſum, ſiue per eſſentiam ſuam, infinitas enim perfectionis eſſentiæ, cauſa eſt, quod Deus ſit omniſcius.

q. 2. Franc. a Ghriſto reſp. quod Deus eſt actus puriſſimus, nihilque potentialitatis admittit, & ideo quicquid intelligit, intelligit per ſeipſum.

p. 1. q. 9. a. 1. Petrus Trigoſ. reſp. quod Deus non poteſt perfici per aliud, nec eſſe in potentia ad illud, quod eſſet, ſi cognoſceret per aliud, & non per ſeipſum; nec ſimiliter aliud ab eo poteſt eſſe æternum, cum ergo intelligat ab æterno, non poteſt intelligere per aliud, neque aliud poteſt ei eſſe principium, & cauſa intellectionis ſuæ.

de tr. lib. 3. c. 2. Franc. Suarez reſp. quod Deus cognoſcit creaturas in ſe tanquam in cauſa, ita vt ipſa eſſentia ſit tanquam medium cognitum, per quod creaturæ, quo ad ſuas eſſentias, & exiſtentias poſſibiles cognoſcuntur, ſic enim nulla inuoluitur repugnantia, neque ex parte creaturæ, cum ſit eſſentia medium excellentiſſimum, ac proinde creatura perfectius cognoſcatur, neque ex parte Dei, quia Deus ſic ſe comprehendit.

d. 35. Archangelus Rubeus reſp. quod eſſentia diuina reſpectu ſcientiæ Dei tripliciter ſe habere poteſt; primò, vt ſpecies inquantum repreſentat omnia; ſecundò, vt medium inquantum per ipſam alia Deus cognoſcit; tertiò, vt obiectum primarium includens creaturas, quæ ſunt obiectum ſecundarium per virtualem continentiam.

Reſolutio.

RESpondeo, quod in eſſentia diuina, ſeu in ipſomet Deo, vt in quodam pelago incomprehenſibilis continentiæ, ſunt omnes res, & conditiones earum, & ideo vt ſibi præſentialiter adſint non indigent aliquo præſentante, niſi ſeipſo, ſeu eſſentia ſua; eſt autem præſentialitas rei, actualis cognitionis cauſa, in habente naturam cognoſcitiuam.

Sed ſi Deus operatur per aliud? idem autem Deo eſt ſcire, quod operari. Obiectio.

Reſpondetur, quod cum dicitur Deus operatur, ſignificatur motus ab ipſo ad aliud, & ly per, dicit rationem principij, quaſi medij, & quoniam aliud a Deo poteſt habere rationem principij quaſi medij, idcirco poteſt dici, Deus operatur per aliud; non autem ſcit, ſiue cognoſcit, quoniam cum dicitur Deus ſcit, ſiue cognoſcit, ſignificatur motus ad ipſum, nihil autem habet rationẽ principij ſuper ipſum, & ideo neque dicitur ſcire per aliud, quam per ſeipſum. Ita Alexander.

QVÆSITVM X.

An ſcientia Dei ſpeculatiua ſit, an practica?

ALbertus reſp. quod quia Deus eſt perfectiſſima ſpecies idealis omnium, qua res conſtituuntur in eſſe, & ſciuntur, perfectiſſimam quoque habet ſcientiam de omnibus, & contemplatiuam, & practicam. p. p. tr. 15 q. 60. a. 2.

D. Thomas reſp. quod aliqua ſcientia poteſt dici ſpeculatiua tripliciter; primò, ex parte rerum ſcitarum; ſecundò, quantum ad modum ſciendi; tertiò, quantum ad finem; Deus ergo de ſeipſo habet ſcientiam ſpeculatiuam tantum, de alijs verò a ſe ſpeculatiuam, & practicam, ſpeculatiuam quidem quantum ad modum, ſed quantum ad finem practicam, de his tantum, quæ ſecundum aliquid tempus faciet, & etiam de malis, non quidem vt ſunt operabilia ab eo, ſed vt permiſſibilia, vel impedibilia, vel ordinabilia in bonum. p. p. q. 14. a. 16.

Et in de ver. q. 3. a. 4. Quædam Deus cognoſcit ordinando ea propoſito voluntatis ſuæ ad hoc quod ſint ſecundum quodcunque tempus, & horum habet practicam cognitionem, quædam vero cognoſcit, quæ nullo tempore facere intendit, & de his habet qui-

dem

dem ſcientiam in actu, non autem actu practicam, ſed virtute tantum.

d.35. a.1. q.5. Ricardus reſp. quod cognitio Dei aliorum a ſe poteſt dici practica, & ſpeculatiua ſecundum diuerſas comparationes, ad res ſcitas, ad modum ſciendi, & ad voluntatem, ſi enim comparatur ad res ſcitas, ſic eſt practica, quia eſt reſpectu operabilium per ſe ipſum; ſi comparatur ad modum ſciendi ſpeculatiua eſt, & practica, ſpeculatiua, quia ſcit diuiſiones in ſuas partes eſſentiales, earum diſtinctiones, & huiuſmodi, practica verò, quia ſcit ea, ſingulares eorum conditiones intuendo, & habitudines inter ſe, quæ faciunt ad ſuam productionem; ſi comparatur ad voluntatem, nec eſt omnino practica, nec omnino ſpeculatiua.

a.36. q.4. Henricus reſp. quod intellectus ſpeculatiuus, a quo denominatur cognitio ſpeculatiua diſtinguitur ab intellectu practico, a quo denominatur cognitio practica ex tribus, ex parte modi cognoſcendi, ex parte finis, & ex parte obiectorum; ex parte obiectorum, quia obiecta intellectus ſpeculatiui ſunt talia, quod habent principia, quæ non poſſunt aliter ſe habere, practici verò contingentia; ex parte modi cognoſcendi, quia intellectus ſpeculatiuus cognoſcit modo ſciẽtifico, practicus verò modo conſiliatiuo; ex parte finis, quia finis intellectus ſpeculatiui vt dicit Ariſ. lib. 2. Meth. eſt veritatis cognitio, practici verò actus, & operatio; cum itaque intellectus diuinus non intelligat niſi ſeipſum, & ſi intelligit alia a ſe, hoc non eſt, niſi intelligendo ſe, ſeipſum autem non intelligat niſi intellectu purè ſpeculatiuo, & ſimiliter non intelligat modo conſiliatiuo, quia non accipit cognitionem a rebus, neque ſecundum conditiones rerum, & contingentium, nec tandem conſideret operanda, vt operanda prædeterminans opus prius quam voluntas exequatur, idcirco eſt purè ſpeculatiuus, & non practicus, & conſequenter eius cognitio eſt purè ſpeculatiua, non practica.

q.4. Ioannes Scotus reſp. quod licet ſcientia, quam habet Deus de ſe poſſit probabiliter defendi, quod ſit practica, quia præcedit affectum; probabilius tamen negatur, quia non poteſt eſſe regula voluntatis Dei, cum voluntas Dei ex ſe ſit regula ſuarum operationem; nec ſimiliter eſt practica illa ſcentia, quam habet de alijs a ſe, quoniam intellectus non eſt regula diuinæ voluntatis in productione rerum; ſed ipſa ſibi eſt regula.

Et in diſ. 38. hoc idem probat, quia ſcilicet ad rationem ſcientiæ practicæ pertinet dictare voluntati, aut proponere, quid faciendum, nulla autem cognitio Deo proponit hoc modo, quicquam eſſe faciendum, ſi enim id aliqua cognitio dictaret; ſequeretur hoc inconueniens, quod talis cognitio cum præcederet actum voluntatis eſſet ei naturalis, quælibet enim cognitio præcedens actum voluntatis eſt naturalis, & conſequenter dum intellectus dictaret hoc eſſe faciendum, voluntas, cui illud præſentaret, non poſſet non velle illud, quia non poſſet eſſe non recta, nam voluntas, quæ diſcordat a ratione practica, poteſt eſſe non recta. d.39.

q.1. Herueus reſp. quod intellectus, qui eſt cauſa rei ab eo intellectæ eſt intellectus practicus; cum itaque intellectus diuinus ſit cauſa creaturarum, eſt enim Deus cauſa rerum per intellectum, & voluntatem, igitur eius ſcientia reſpectu creaturarum a ſe operabilium eſt ſcientia practica.

Petrus Aureol. reſp. quod non ſolum cognitio diuina creaturarum practica eſt, ſed etiam eſſentiæ, non quidem reſpectu eſſentiæ, ſed creaturarum, cum non ſit alia cognitio creaturarum, & alia eſſentiæ, ille enim intuitus, qui præciſè ad eſſentiam terminatur, cum ſit directiuus reſpectu operationis diuinæ, per quam ad creaturas attingit, eſt practicus, & intellectio actiua, actiuitas autem directiua tribuit intellectioni, vt ſit practica; cum ergo intellectio diuinæ eſſentiæ habeat actiuitatem directiuam reſpectu omnium creaturarum, ſequitur quod intellectio diuinæ eſſentiæ ſit practica reſpectu creaturarum. d.35. p.2. a.3.

q.6. Guilel. Occham reſp. quod notitia diuina reſpectu factibilium a Deo eſt practica, quia quantumcunque nolitio diuina non ſit verè praxis, quia non eſt actus in poteſtate voluntatis, tamen in poteſtate voluntatis diuinæ eſt producere creaturam contingenter, & iſta productio poteſt aliquo modo dici praxis, quia ſcilicet contingenter eſt a voluntate diuina, & per conſequens notitia ſibi correſpondens verè practica dici poteſt.

Guilel. Rub. reſp. quod cognitio, quam habet Deus de alijs a ſe practica eſt, illa verò quam habet de ſeipſo ſpeculatiua. d.39. q.2.

Nicol. de Nijſe reſp. quod ſcientia Dei reſpectu factibilium non poteſt eſſe practica, propriè loquendo, prout ſcilicet ad notitiã practicam requiritur reſpectus conformitatis, & prioritatis, & ratio eſt, quia intellectus diuinus comparando ſuam cognitionẽ tr.1 p.2. p.3 q.4.

ad

ad actum voluntatis, non præhabet aliquam notitiam priorem dictatiuam de praxi eliciendi, alioquin neceſſariò eliceret, quia omnis notitia diuina præcedens actum voluntatis, eſt ei naturalis, & neceſſaria.

p. p. q.9. c.3. Petrus Trigoſ. reſp. quod ſcientia Dei tam reſpectu ſui, quam aliorum eſt eminenter practica, & ſpeculatiua, ſicut Theologia noſtra, quæ eſt quædam participatio ſcientiæ Dei.

de tr. lib. 3. c.3. Franc. Suarez. reſp. quod Deus de ſe habet ſcientiam ſpeculatiuam non practicam, de creaturis verò practicam; tum quia voluntas diuina circa creaturas liberè verſatur, vnde poteſt per rationem practicam ſuo modo dirigi; tum etiam quia poteſt Deus creaturas, producere, & ſcit quomodo a ſe fieri poſſunt; cum itaque ab eo fiant, per huiuſmodi ſcientiam eorum effectio dirigitur, quod ſcientiam facit practicam.

diſp. 09 c.2. Gabriel Vaſq reſp. quod ſcientia, quam Deus de ſe habet non eſt practica, quia non eſt de opere faciendo, illa vero, quam habet de alijs ſpeculatiua eſt, & practica; ſpeculatiua quidem, quam habet de rebus poſſibilibus, quatenus conſideratur a nobis per modum ſolius ſpeculationis; practica vero illa, quam habet de ipſis rebus, prout fieri poſſunt, vel aliquando futuræ ſunt, per modum principij dirigentis; nam ea, quæ eſt de rebus futuris, prout reſpicit res iam futuras, quæ eſt ſcientia viſionis, & ipſa ſpeculatiua eſt.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſcientia Dei reſpectu ſui ſine dubio ſpeculatiua eſt, reſpectu verò aliorum a ſe partim practica eſt, partim ſpeculatiua; in ea parte, qua eorum quiditates conſiderat, & naturas, ſpeculatiua eſt, in ea verò, qua tendit in eorum efficientiam, & conſeruationem practica eſt.

Obiectio. Sed ſi in Deo non eſt niſi ſcientia vna, eaque ſimplex?

Reſpondetur, quod non eſt inconueniens, vt vna ſcientia, eaque ſimplex, ſub vna ratione ſit practica, & ſub alia ſpeculatiua, & ſic eſt ſcientia Dei.

QVÆSITVM XI.

An ſcientia Dei ſit variabilis?

m. 4. a.5. ALexand. reſp. quod ſcientia Dei eſt omnino immutabilis, ſicut ipſa diuina eſſentia; & ideo variari non poteſt, nec augeri, aut minui. Item Gregorius Arim.

p. p. tr.15 q.60. Albertus reſp. ſecundum antiquos; quod ſcientia ſimplicis intelligentiæ augeri non poteſt, augeri tamen poteſt ſcientia viſionis, & ſimiliter ſcientia approbationis, poteſt enim fieri opus meritorium, quod Deus approbet, quod prius non fuit, & quando non fuit, approbari non potuit.

p. p. q.14. a.15. D. Thomas reſp. quod cum ſcientia Dei ſit eius ſubſtantia, ſicut ſubſtantia eius eſt omnino inuariabilis, ita oportet ſcientiam eius omnino inuariabilem eſſe.

q.2. a.13. Et iterum reſp. quod ſi aliqua ſcientia eſt variabilis, hoc eſt, vel ex parte ſcientis, vel ex parte rei cognitæ; at ſcientia Dei non eſt variabilis, ex parte ſcientis; quia nec ex parte ſcientiæ, cum Deus non poſſit ſcire aliquid, quod prius neſciuerit, & econuerſò, nec ex parte actus, quia Deus non eſt ſciens ſecundum habitum, nec per plures ſpecies, aut cum diſcurſu, nec ex parte modi cognoſcendi, quia medium, & virtus eſt diuina eſſentia, quæ eſt inuariabilis; nec ſimiliter ſcientia Dei eſt variabilis ex parte rei cognitæ, quia diuinus intellectus fertur ad rem, ſecundum quod eſt in ſua præſentialitate, prout eſt iam determinata ad vnum; atque ſic ſcientia Dei eſt omnino inuariabilis.

d. 39. a.2. q.2. D. Bonau. reſp. quod in cognitione Dei non eſt receptio, non ſucceſſio, non incertitudo, non obliuio, & ideo quantumcunque res ſint mutabiles, ipſa tamen non mutatur in cognoſcendo mutabilitatem earum, cum ſcientia eius non cauſetur ab eis. Hoc etiam probat. & primò, quod eſt in aliquo eſt per modum eius, in quo eſt; cum itaque res cognitæ ſint in Deo, & ipſe ſit immutabilis, igitur & immutabiliter ſunt in eo; ſecundò, Vbi eſt mutabilitas, ibi nulla eſt certitudo; ſed in ſcientia Dei eſt ſumma certitudo, igitur nulla mutabilitas.

d.38. pr.2. q.2. Aegidius reſp. quod ſcientia Dei ad variationem rerum variari non poteſt, ſicut ſcientia noſtra, & ratio eſt, quia cum Deus ſit ſuum eſſe ad hoc, quod res cognoſcantur ab eo non requiritur quod determinentur per actuale eſſe, ſicut requiritur ad hoc, quod cognoſcantur a creatura, cum creatura non ſit ſuum eſſe, non poſſunt autem determinari ad actuale eſſe ſine variatione, quæ in exceptione, & deſitione conſiſtit; & ſimiliter cum ex hoc, quod Deus eſt ſuum eſſe, & in ipſo reſeruatur omnis ratio eſſendi, ſeipſum, & omnia alia cognoſcit, ſeipſum

Digitized by Google

ſum per ſe, & principaliter, cætera verò ſecundariò; & quoniam ſcientia ſumit modum ab obiecto principali, cum tale obiectum diuinæ ſcientiæ variari non poſſit, nec ipſa ſcientia diuina variari poteſt.

d.39. q.vn. Ioannes de Baſſol. reſp. quod Deus omnia nouit immutabiliter, tam ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quam viſionis, quia nullo modo eſt mutabilis, nec mutatione acquiſitiua, nec deperditiua, quia nec aliquid ſibi formaliter intrinſecum poteſt de nouo acquirere, nec etiam amittere, tunc enim illud eſſet accidens, & faceret compoſitionem cum eo, ac proinde non eſſet actus puriſſimus.

d.38. a.1. Guilel. Varrill. reſp. quod, vt dicit D. Aug. omnis mutatio, aut eſt ſecundum locum, aut ſecundum tempus; ſi ergo ſcientia Dei eſſet variabilis, aut talis eſſet ſecundum locum, quod eſſe non poteſt, quia vbique eſt, aut ſecundum tempus, & hoc ſimiliter eſſe non poteſt, quia æternitas eſt menſura eius, non tempus.

d.35. q.14. Franciſcus a Chriſto reſpondet, quod diuina ſcientia nullo modo eſt variabilis, nec quo ad ea, quæ ſub ipſam cadunt, quia fertur in res, prout in ſua præſentialitate exiſtunt; neque ſecundum acceſſionem, & receſſionem, cum menſuretur æternitate; neque quo ad actum ſciendi, quia Deus non eſt ſciens habitu, ſed actu, cum ſit perfectiſſimè ſciens; nec tandem quo ad modum, quia talis variatio, aut ortum haberet ex diuerſitate medij, aut ex vi intellectiua, quorum vtrumque eſt falſum, quia & medium, & vis intellectiua eſt eſſentia.

p.p. q.9. a.1. d.2. Petrus Trigoſ. reſp. quod ſcientia Dei ſimplicis intelligentiæ nullo modo variari poteſt, ſcientia tamen viſionis in hoc ſenſu poteſt concedi variari, & minui, quia Deus ab æterno potuiſſet plura, vel pauciora ſcire, ſicut ab æterno plura potuit, vel pauciora ordinare.

d.38. §.1. Guilelm. Eſtius reſp. quod duobus modis ſcientia Dei conſiderata eſt immutabilis, primò, ſi conſideretur vt res eadem cum eſſentia Dei; ſecundò, ſi conſideretur ſecundum propriam ſcientiæ rationem, quia nimirum reſpicit eas res, quæ ſciuntur quocunque modo, eſt enim ſimplex omnium rerum comprehenſio.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſcientia dicitur variabilis quando, vel ſecundum totum amittitur, vel ſecundum aliquam ſui partem alteratur, hoc eſt, intenditur, vel remittitur, augetur, aut diminuitur; certum eſt autem, quod in Deo propter ſuam immenſitatem, & infinitatem nulla eſt amiſſio, nulla alteratio, vel mutatio, ideo nec vlla ſcientiæ eius poteſt eſſe variabilitas.

Sed ſi res poſſunt annihilari, & conſequenter non eſſe in præſentia Dei, ac proinde nec ſciri? Obiectio.

Reſpondetur, quod cognitio non ſolum in præſentialitate rerum conſiſtit, ſed etiam in præſentialitate ſimilitudinum earum, licet ergo res annihilentur, remanent tamen præſentes Deo ſimilitudines in ipſa diuina eſſentia, quatenus ipſa gerit vices omnium earum.

QVAESITVM XII.

An ſcientia Dei ſit cauſa rerum?

ALbertus reſp. quod ſcientia Dei eſt cauſa quarundam rerum, & quarundam non; ad omnia tamen habet ordinem anteceſſionis, & certitudinis, atque ita malorum non eſt cauſa, ſed tamen præordinat ea, & præuidet; ſimiliter neque neceſſariorum, & contingentium abſolutorum, cum huiuſmodi cauſentur ex cauſis proximis, quarum diſpoſitiones ſequuntur effectus, eo quod cauſæ per eſſentiam ſunt in illis. q.38. a.1.

D. Thomas reſp. quod nulla ſcientia, vt ſcientia eſt cauſa rerum; ſic enim omnis ſcientia eſſet cauſa, ſed inquantum eſt ſcientia artificis, ſicut ergo ſcientia artificis in productione artificiati non ſe habet vt cauſa principalis, niſi ſecundum quod adiungitur voluntati, quæ intendens in finem illius, quem ſibi oſtendit, importat actum, per quem educatur opus, circa quod ſcientia ponit conceptam formam; ita ſcientia Dei eſt cauſa omnium rerum, ſecundum quod conſequuntur formam diuinæ artis, & finem, ſed non eſt cauſa principalis, niſi ſecundum quod adiungitur voluntati. d.38. q.1. a.1.

Et p. p. q.15. ar. 8. quia forma intelligibilis ad oppoſita ſe habet, cum ſit eadem ſcientia oppoſitorum, ideo ad hoc, quod ſcientia producat determinatum effectum neceſſariò requiritur, vt adiungatur voluntati, per quam determinetur ad vnum.

D. Bonau. reſp. quod quædam ſunt, quorum Deus eſt tota cauſa, vt quæ creantur, quædam quorum ſola creatura eſt tota cauſa, vt peccata, & quædam, quorum Deus, d.38. a.1. q.1.

&

& creatura ſunt ſimul cauſa, vt operà moralia, & naturalia, & ſic etiam ſcientia ſua eſt cauſa.

d. 38. q. 1. a. 1. Aegidius reſp. quod ſcientia eſt quodammodo adæquatio rei ad intellectum, & quoniam talis adæquatio in imitatione conſiſtit, ideo ſecundum quod tribus modis fit huiuſmodi imitatio, aliquando enim res imitantur intellectum, aliquando intellectus res, & aliquando res, & intellectus tertium; ita triplex eſt ſcientia, diuina, humana, & angelica; ſcientia diuina eſt cauſa rerum, quia omnia imitantur diuinam ſcientiam ſicut artificialia formam, quam præhabent in mente artificis, ſecundum quam producuntur in eſſe; ſcientia humana, quia (quamuis aliquorum ſe habeat, vt cauſa ſcilicet artificialium) initium ſumunt a ſenſu, ſimpliciter dicitur cauſata a rebus; ſcientia vero angelica, nec eſt cauſa rerum, nec cauſatur a rebus, quia intellectus angelicus, nec imitatur a rebus, nec ipſe imitatur res, ſed ipſe, & res imitantur tertium, nam ab ideis in mente diuina exiſtentibus habent eſſe formæ in proprijs materijs, & ſpecies in mentibus angelorum; eſt ergo ſcientia Dei cauſa rerum, ſicut ſcientia artificis eſt cauſa rerum artificialium, cum comparentur omnia ad ipſum, ſicut ad artificem artificialia, quæ tamen ſi conſideratur, vt ſcientia eſt cauſa tantum, ſine qua non, nam ſcientia, vt ſcientia non poteſt eſſe cauſa immediata rerum, eo quod ſciens per ſcientiam ſuam reſpicit ſcita, prout ſunt in ipſo tantum, non prout ſunt ab ipſo; ſi verò conſideratur, vt includit voluntatem, & beneplacitum eſt cauſa rerum ſimpliciter, & per omnem modum, & ſic pertinet non ad intellectum ſpeculatiuum, ſed practicum.

d. 38. a. 1. q. 2. Ricardus reſp. quod ad omnem effectum concurrunt hæc tria, potentia, ſapientia, & voluntas, nec aliquid abſoluitur niſi iſta affuerint, voluntas mouet, ſcientia dirigit, potentia operatur, & ſic patet, quod Deus non eſt cauſa rerum ratione ſcientiæ tantum, ſed ratione ſcientiæ dirigentis, & voluntatis imperantis, & potentiæ exequentis ſimul.

d. 38. q. 1. Durandus reſp. quod ſcientia Dei eſt quidem cauſa rerum per modum dirigentis, quia habet rationem artis, ſed non immediata, & per modum exequentis; nam actus eius ſecundum ſuam propriam rationem conſideratus, cum non tranſeat in hoc, & in illud, niſi ſecundum rationem, vt in cognita æqualiter ſe habet ad creabilia, & non creabilia; vnde ſi eſſet cauſa immediata, & per modum exequentis, eodem modo eſſet ratio producendi increabilia, ſicut creabilia; ſola ergo potentia eſt cauſa immediata, & per modum exequentis rerum, quia eius ſolius actus tranſit in alterum, nam, vt dicit Ariſt. 5. Metaphyſ. potentia actiua eſt principium tranſmutandi alterum, ſecundum quod alterum.

Petrus Aureol. reſp. quod diuina ſcientia etiam ſine voluntate habet ex ſe duplicem cauſalitatem omnium entium, vna eſt, ſecundum quod eſt forma exemplaris omniũ, & menſura; eſt enim diuina ſcientia ſimilitudo eminens omnis entitatis, & ſubſiſtens prior omni alia entitate, a quo omnis alia entitas tranſcribitur, & exaratur, quæ ſi non eſſet, nulla entitas eſſet; altera eſt, ſecundum quod eſt coagens potentiæ exequutiuæ per modum determinantis, cum ipſa per ſe potentia exequutiua non ſit ſufficiens ſine determinante. *p. 4. a. 4.*

Thomas ab Argentina reſp. quod ſcientia Dei eſt cauſa rerum; primò, quia Deus eſt artifex omnium; ſecundò, quia ſcientia Dei eſt idem realiter, & formaliter, quod creatrix eſſentia; non tamen eſt cauſa immediata; primò, quia ſecundum Magiſtrum eſt cauſa ſine qua non, ſi ſcientia tantum ad notitiam referatur; ſecundò, quia voluntas diuina, vt dicit D. Aug. lib. 3. de Trinit. eſt prima, & immediata cauſa omnium, non autem plures poſſunt eſſe cauſa primæ, & immediatæ vnius rei. *d. 38. q. 1. a. 1.*

Marſilius reſp. quod ſcientia ſimplicis notitiæ in quantum talis non eſt cauſa rerum ſufficiens ad eſſe earum, vel fieri, ſed requirit acceſſum voluntatis, alioquin Deus res naturaliter produceret, quas ſibi ſua natura repreſentaret; & ſimiliter eſſet cauſa malorum, cum de eis habeat huiuſmodi notitiam. *q. 40. a. 1.*

Michael de Pal. reſp. quod quia multa ſunt poſſibilia, quæ ſcit Deus, & tamen ipſa non creat, hinc fit, quod potentia exequutiua eſt neceſſaria ad opus, quæ non eſt aliud, quam ipſa voluntas, & ideo ſcientia Dei eſt quidem cauſa rerum, ſed cum voluntate. *d. 38. diſp. 1.*

Franc. a Chriſto reſp. quod Deus eſt agens per intellectum, & ſuum eſſe eſt ſuum intelligere, ſicut ergo res efficit per ſuam eſſentiam, ita & per ſuum intelligere, & ideo dicitur ſcientia eius habere ſe, vt ſcientia artificis ad alia a ſe, ſicut enim artifex operatur per ſuam ſcientiam, ita & Deus, *d. 35. q. 16.*

prout tamen habet adiunctam voluntatem, vt ponit D. Thomas.

p.p. q. 10. a. 4. d. 3. Petrus Trigoſ. reſp. quod ſcientia Dei eſt cauſa rerum, & effectiua, & exemplaris, exemplaris, quia comparatur ad res creatas, ſicut idea artificis ad res artificiatas; effectiua, quia eſt idem, quod ſua eſſentia; ſed ſicut forma non nominat principium actionis, niſi quantum habet inclinationem ad effectum, ita ſcientia non dicitur productiua rerum, niſi per quandam inclinationem ad eas, quæ inclinatio eſt per voluntatem, & ideo dicitur cauſa rerum, adiuncta ſcilicet voluntati.

d. 38. §. 1. Guilel. Eſtius reſp. quod dupliciter ſcientia Dei eſt cauſa rerum per ſe, & per accidens; per accidens quatenus conſideratur eadem cum eſſentia, & voluntate, quam conſtat eſſe cauſam rerum; per ſe, ac ſub propria ratione, quatenus conſideratur, vt practica, ſeu operatiua, vel quatenus (quod idem eſt) intelligitur cum voluntate.

q. 14. a. 8. Ludou. Molina reſp. quod ſcientia Dei in comparatione ad creaturas eſt duplex, naturalis, & libera, ſcientia naturalis eſt illa, qua Deus cognoſcit ſe illas poſſe facere, atque hoc aut illo modo eſſe faciendas, tum vt ſint, tum etiam vt accommodatæ ſint ad hunc, aut ad illum finem, & hæc antecedit actum, ac determinationem liberam voluntatis, qua Deus illas facere tali, vel tali tempore decernit, diciturque recta ratio factibilium, ac proinde habet rationem artis, qua Deus cuncta operatur; ſcientia verò libera eſt illa, per quam Deus cognoſcit creaturas futuras eſſe tali, & tali tempore, & hæc neque dirigit voluntatem ad opus, nec modum operandi præſcribit, neque actum liberum voluntatis antecedit, vt ab eo poſſit ad operationem determinari, ſed intra limites meræ contemplationis continetur, ac proinde non dicitur eſſe cauſa rerum.

Gregorius de Valent. reſp. quod quandocunque aliqua in re ſunt idem eſſentialiter, & quidditatiuè, quicquid re ipſa efficitur per vnum, etiam re ipſa efficitur per alterum (ſi tamen fides non reuelat alicubi ſecus rem ſe habere) cum igitur potentia, ſcientia, & voluntas ſint idem, ſequitur quod quæ per potentiam fiunt, per ſcientiam quoque, & voluntatem fiant.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut ſcientia cuiuſlibet artificis ſe habet ad opus, non quidem vt cauſa efficiens principalis, quia cauſa efficiens principalis eſt ipſemet artifex, ſed vt formalis, ſiue exemplaris, quia mediante ſua ſcientia operatur; ita ſcientia Dei ſe habet ad opera eius ad extra, non quidem vt cauſa efficiens principalis, quia huiuſmodi cauſa eſt ipſemet Deus, ſed vt cauſa formalis, ſiue exemplaris, quia ipſa mediante (mediatione ſaltem ſecundum rationem) operatur Deus quicquid operatur, cum enim ſit agens naturæ intellectualis, operatur intelligendo, & ſciendo.

Sed ſi cauſa operandi in artifice formalis, & exemplaris eſt idea? Obiectio.

Reſpondetur, quod idea eſt cauſa operandi formalis, & exemplaris in artifice in ordine ad artificiatum; ſcientia verò in ordine ad artificem, per ipſam enim attendens ad ideam procedit in actum.

QVÆSITVM XIII.

An Deus cognoſcat non entia?

ALexand. reſpondet, quod eſſe creaturæ dicitur dupliciter, vel in ſua natura, vel in ſua cauſa, licet ergo res non ſint in ſua natura, quia tamen ſunt in Deo, vt in ſua cauſa, ideo Deus cognoſcit eas, quamuis entia non ſint. q. 23. m. 3. a. 1.

Albertus reſp. quod ſcientia Dei & exiſtentium eſt, & non exiſtentium, exiſtentium tamen in cauſa efficienti formali, & finali, ibi enim ab æterno ſunt ſecundum rationes ideales. tr. 15 q. 60. m. 3.

D. Thomas reſp. quod non ſolum Deus cognoſcit ea, quæ ſunt actu, ſiue ſimpliciter, ſed etiam quæ non ſunt actu, ſunt tamen aliquo modo in potentia, vel Dei, vel creaturæ, vnde Deus perfectè cognoſcens ſeipſum, & creaturam, cognoſcit etiam ea, quæ ſunt in potentia ſua, & creaturæ; quæ ſcientia ſi eſt eorum, quæ licet non ſint, fuerunt tamen, vel aliquando erunt, dicitur ſcientia viſionis; ſi autem eorum, quæ nunquam fuerunt, nec ſunt, nec erunt, dicitur ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Item diſt. 38. art. 4. p.p. q. 14. ar. 9.

Et contra Gentes, ſcientia Dei eſt ſicut ſcientia artificis, quæ etiam ſi nondum ſint artificiata, ipſa tamen cognoſcit, & ſicut ſcibile poteſt eſſe abſque ſcientia noſtra, ita econtra, ſcientia Dei abſque ſcibili. lib. 1. c. 66.

Aegidius reſp. quod ſicut Deus eſt naturæ non determinatæ per aliquid eſſe, ita & cognitionis indeterminatæ ad quodcunque ſcitum, tam præſens, quam poſſibile, & d. 38. pr. 2. q. 1.

ſuo

futurum; cum itaque poſſibilia, & futura inter non entia computentur, ſequitur quod Deus etiam non entium cognitionem habet.

d. 35. q. vn. a. 2. Ioannes de Baſſol. reſp. quod eſſentia diuina eſt ratio cognoſcendi mala, & non entia per accidens, inquantum eſt ratio cognoſcendi poſitiua eis oppoſita, vel ſubſtrata, fortè tanquam obiecta ſecundaria.

d. 35. q. 7. Franc. a Chriſto reſp. quod non entia. ideſt, ea quæ non ſunt non ſolum cognoſcit Deus, ſed etiam intuetur, eius enim intelligere ſicut & eius eſſe menſuratur æternitate, quæ cuilibet adeſt tempori, & eſt inuaria bilis.

q. 14. a. 9. Ludouic. Molina reſp. quod Deus cognoſcit omnia, non ſolum quæ quacunque ratione eſſe poſſunt, nunquam tamen erunt, ſed etiam ea, quæ fingi, ac cogitari poſſunt, etiam ſi nulla ratione eſſe poſſint, cum enim hæc concipiantur per vera entia realia, ex quibus confinguntur, & Deus concipiat entia realia, conſequens eſt, vt hæc etiam conficta, vel cogitata cognoſcat, vt chimeram, hirocerum, & huiuſmodi.

de tr. lib. 3. c. 3. Franc. Suarez reſp. quod non entia dicuntur tripliciter; quædam quæ licet eſſe poſſint, nunquam tamen erunt; quædam quæ licet aliquando futura ſint, actu tamen non exiſtunt; & quædam quæ non ſunt, neque eſſe poſſunt; Deus itaque non entia primi generis, quædam cognoſcit per modum affirmationis, & quod poſſibilia ſint, & quam eſſentiam eſſent habitura ſi fierent, & huiuſmodi, & quædam per modum negationis, vt quod nec actu ſunt, nec aliquando erunt; non entia ſecundi generis cognoſcit ſcientia viſionis cognoſcens ea pro illis temporibus, in quibus habent actualem exiſtentiam; non entia tertij generis cognoſcit, vt obiecta ſaltem ab humano intellectu concepta.

d. 35. q. vn. Archang. Rub. reſp. quod ideo Deus cognoſcit non entia, quia per eſſentiam ſuam omnia, quæ quocunque modo eſſe participant, vel actu, vt ſunt exiſtentia, vel potentia, vt ſunt, quæ eſſe poſſunt, repræſentantur, Deus enim cognoſcit quicquid repreſentatur per eſſentiam ſuam.

Reſolutio.

RESpondeo, quod aliquando aliqua ſunt præſentia alicui naturæ intellectiuæ ſecundum ſe, & aliqua ſecundum ſimilitudines eorum, & ſpecies, & vtroque modo eſt cognitio, cognitio enim in tali præſentialitate conſiſtit; licet ergo non entia non ſint præſentia Deo ſecundum ſe, quia non ſunt, quia tamen ſunt præſentia ſecundum ſuas ſimilitudines, & ſpecies, quarum vices gerit diuina eſſentia, idcirco Deus, qui perfectè cognoſcit ſuam eſſentiam, ipſa quoque cognoſcit.

Sed ſi non entia non ſunt vera? nihil autem ſcitur niſi verum. Obiectio.

Reſpondetur, quod cum Deus cognoſcat, & ſciat non entia, quia cognoſcit, & ſcit eſſe non entia, cognoſcit etiam, & ſcit verum. Ita Aegidius. Et Ricardus, licet (inquit) non entia non habeant eſſe actuale in propria natura, tamen veritatem habent in eſſe cognito. Et D. Thomas, Scit Deus non entia ſecundum quod ſunt in ſua potentia, & ſecundum quod ſunt in potentia, ſunt vera.

QVÆSITVM XIV.

An Deus cognoſcat infinita ſecundum numerum?

ALexander reſp. quod quæ cognoſcit Deus, cognoſcit per ſe tanquam per cauſam, eſt autem cauſa duplex, potens operari, & diſponens; ſecundum quod Deus eſt cauſa potens operari, ſic infinita cognoſcit, quia ſua potentia ſe extendit ad infinita, ſecundum vero quod eſt cauſa diſponens, non niſi finita cognoſcit, quia talis diſpoſitio non niſi finitorum eſſe poteſt. Item Albertus. q. 23. m. 5. a. 2.

D. Thomas reſp. quod ſcientia ſimplicis intelligentiæ Deus ſcit infinita, quæ ſunt in potentia ipſius, non tantum ſecundum indiuidua, ſed etiam ſecundum ſpecies, poſſet enim infinitas ſpecies creare, & ſcit ſe hoc poſſe; ſcientia autem viſionis non ſcit infinita, & hoc non prouenit ex defectu ſciẽtiæ eius, ſed rerum, quæ non ſunt infinitæ ſecundum omne tempus menſuratæ. d. 39. q. 1. a.

Et iterum reſp. quod non ſolum ſcientia ſimplicis intelligentiæ Deus cognoſcit infinita, quia eius potentia ſe extendit ad infinita, ſed etiam ſcientia viſionis, cognoſcit enim omnes cogitationes, & volitiones hominum, & Angelorum, quæ in tota æternitate erunt infinitæ. p. p. q. 14. a. 12.

Et contra Gent. lib. 1. c. 69. probat multipliciter, quod Deus cognoſcit infinita, quia infinitorum eſt cauſa, quia eius virtus ad infinita ſe extendit, quia in naturalibus eſt infinitum in potentia, quia ab exemplari diuino poſſunt eſſe infinita, quia intelligere Dei eſt infinitum, ſicut eius eſſe, quia perfe-

fectè cognoſcit ſeipſum, quia nulla perfectio ei deeſt, quia cognoſcit omnia ſimul, quia eius intellectus ſecundum efficaciam, & virtutem eſt infinitus, quia ſicut pluralitas nullam differentiam in rei cognitione facit, ſic nec infinitas, vnde tantum eſt ei intelligere finita, quantum infinita.

d.39. pr. 1. q.3. Aegidius reſp. quod Deus infinita ſecundum numerum cognoſcit, & probat dupliciter; primò, quia infinita relucent in eius diuina eſſentia; nam relucent in ea omnes perfectiones quorumcunque generum, non ſolum actu exiſtentes, ſed etiam eſſe poſſibiles, quæ ſunt infinitæ; ſecundò, quia, vt dicit Auerr. lib. 12. Metaph. omnes formæ, quæ ſunt in potentia, in materia prima, ſunt actu in primo motore, & aſſimilantur eſſe eius, quod fit in anima artificis; cum itaque materia prima ſit in potentia ad infinitas formas, ſaltem ſecundum numerum, huiuſmodi infinitæ formæ ſunt in Deo, vt ipſi notæ, ſicut formæ notæ ſunt artifici.

d.39. q.2. Durandus reſp. quod Deus cognoſcit infinita ſecundum multitudinem, nõ quaſi quædam ſimul producta, vel producibilia ab eo, ſic enim non participant rationem entis, nihil autem cognoſcitur niſi ſecundum quod aliquo modo participat rationem entis, ſed ſecundum quod aliqua ſunt accepta, aliqua verò ſemper reſtant accipienda, ſic enim participant rationem entis, & propterea cognoſcuntur a Deo.

d.36. q.5. Franc. Maro reſp. quod Deus cognoſcit omnes partes continui, nam conſeruat eas in eſſe, omnes ſpecies numerorũ, nam ſapientiæ eius non eſt numerus, omnia puncta in linea, nam diuidendo voluntas diuina poteſt ea ponere in actu, & omnes radios ſolis, qui raptim tranſeunt, & in quolibet die generantur, nam Deus concurrit ad cauſandum eos cum ſole; ſed infinitæ ſunt partes continui ſaltem in potentia, quia continuum eſt diuiſibile in infinitum, ſimiliter ſpecies numerorum, quia infinitorum numerorum non eſt numerus, infinita etiam puncta, quia linea eſt diuiſibilis in infinitum, & in qualibet diuiſione cauſantur duo puncta, & infiniti ſunt radij ſolis, quia in qualibet die ſunt infinita inſtantia, & in quolibet generatur vnus radius, & hæc omnia Deus non ſucceſſiuè, quia ſic acquireret ſcientiam de nouo, ſed ſimul, & actualiter cognoſcit; ergo Deus infinita actualiter cognoſcit.

d.38. q.1. a.3. Thomas ab Argentina reſp. quod Deus ab æterno cognoſcit infinita; primò, quia vt dicit Auerr. omnes proportiones & formæ quæ in potentia ſunt in prima materia, ſunt actu in primo motore; ſecundò, quia perfectè cognoſcit virtutem ſuam, quæ ad infinita poteſt ſe extendere.

Petrus Aliac. reſp. quod ſiue ſit probabile naturaliter, ſiue non, eſt tamen firmiter credendum Deum cognoſcere infinita. q.11. a.2.

Nicolaus de Nijſe reſp. quod Deus cognoſcit poſſibilia omnia, partes omnes continui, puncta omnia in linea, omnia temporis inſtantia, & numerorum ſpecies, & idcirco cognoſcit infinita, quia hæc omnia ſunt infinita. tr.1. p.3. p.1. q.vn.

Michael de Pal. reſp. quod Deus ex infinitate ſuæ eſſentiæ cognoſcit etiam infinita poſſibilia non ſolum diſtributiuè, ſed etiam collectiuè, & ſimili modo omnes partes continui, quæ licet in ſeipſis ſint diuiſibiles in ſemper diuiſibilia, in diuino tamen conſpectu ſunt indiuiſibiles. d.39. diſp.2

Franc. a Chriſto reſp. quod ſi intellectus noſter non poteſt cognoſcere infinita ſecundum multitudinem, hoc prouenit, quia finitus eſt, & diuerſa per diuerſas ſpecies, & diuerſis intellectionibus intelligit, & non poteſt ſimul multa intelligere, & ideo non poteſt infinita cognoſcere, niſi ſucceſſiuè id eſt, apprehendendo partem poſt partem, cunque hoc modo tranſeundo nunquam peruenire poſſit ad extremum, ſequitur quod non poſſit cognoſcere infinita; at intellectus diuinus infinitus eſt, & omnia cognoſcit per vnam ſpeciem ſcilicet eſſentiam ſuam, & vnica intellectione omnia ſimul, ideo poteſt multitudinem infinitam intelligere, & non quidem per modum, & rationem infiniti ſcilicet partem poſt partem, ſeu ſucceſſiuè, ſed omnes ſimul partes attingendo, & vnico intuitu adæquando, & comprehendendo, & non ſolum ſcientia ſimplicis intelligentiæ, ſed etiam viſionis; nam ſub hac ſcientia cadunt quæ fuerunt, ſunt, & erunt, certum eſt autem quod creaturis rationalibus immortalibus exiſtentibus, cogitationes quoque, & affectiones cordium neceſſe eſt in infinitum multiplicari. d.35. q.8.

Gregorius de Val. reſp. quod Deus cognoſcit infinitam multitudinem cogitationum ſincathegorimaticè intelligendo, quæ .ſ. ita ponitur actu ſucceſſiua, vt quibuſcunque actu vnquam poſitis reſtent adhuc aliæ, & aliæ ponendæ ſine fine. q.14. p.6.

Reſolutio.

RESpondeo, quod licet infinita ſecundum numerum non ſint Deo præſentia ſecun-

cundum ſe, quia non ſunt, tamen ſunt præſentia ei ſecundum ſuas ſpecies, & ſimilitudines, cum enim intellectus diuinus ſit infinitus ſimpliciter, infinitarum quoque ſupplet vices formarum, & ſimilitudinum rerum poſſibilium, quas actualiter intuendo, infinita quoque ſecundum numerum cognoſcere dicendum eſt.

Obiectio. Sed ſi de ratione infiniti eſt, vt comprehendi non poſſit? cum ſemper ſit extra aliquid accipere:

Reſpondetur, quod de ratione infiniti eſt, vt non comprehendatur a finitio, ab infinito tamen nihil repugnat, quin comprehendi poſſit. Ita Aegidius.

QVAESITVM XV.

An Deus cognoſcat infinitum ſecundum magnitudinem?

d. 36. a. 8. ALbertus reſp. quod Deus ſcit rationem infiniti, eo modo quo eſt in potentia, & non illo, quo eſt in actu, quia ſic nihil eſt.

d. 39. a. 4. Et iterum. Infinitum actu ſemper eſt imperfectum, nec in Deo eſt, nec in natura, ſed infinitum vt infinitum bene cognoſcit Deus.

d. 39. q. 1. a. 3. D. Thomas reſp. quod quantitas infinita non eſt, neque eſſe poteſt, & ideo Deus non cognoſcit infinitum ſecundum magnitudinē.

pr. 1 q. 3. Aegidius reſp. quod ſi accipiatur infinitum ſecundum exceſſum magnitudinis virtutis, non eſt dubium, quod Deus ſic infinitum cognoſcit, quia cognoſcit ſeipſum, qui eſt infinitæ virtutis; ſi verò accipiatur infinitum, vt dicit exceſſum quantitatis molis; ſic Deus propriè loquendo infinitum non cognoſcit, quia cum infinitum ſubterfugiat rationem entis ideam non habet, & ex conſequenti Deus ipſum non cognoſcit.

d. 39. q. 2. Durandus reſp. quod ſi loquamur de ſcientia viſionis clarum eſt, quod Deus non cognoſcit infinitum ſecundum magnitudinem, quia nunquam fuit, nec eſt, nec creditur quod futurum ſit aliquid vnum quantum infinitum, neque ſecundum actum ſimpliciter in continuis permanentibus, nec ſecundum actum permixtum potentiæ in ſucceſſiuis, quia motus, & tempus, nec fuerunt ab æterno, nec in æternum durabunt; ſi autem loquamur de ſcientia ſimplicis notitiæ, quæ eſt omnium poſſibilium, ſic Deus cognoſcit infinitum ſecundum magnitudinem, tam in continuis permanentibus, quam in ſucceſſiuis; in ſucceſſiuis, quia illa nouit, vt ea, quæ poſſunt procedere vlterius; in permanentibus, quia quocunque producto poteſt Deus illud augmentare, & maius facere.

Thomas ab Arg. reſp. quod infinitum magnitudine diuina potentia produci poteſt, hoc enim non implicat, cum congruat enti creato, quod eſt quantitas vt dicit Ariſt. 1. Phyſ. t. 15. cum autem cognoſcat Deus, quicquid ab eo produci poteſt, igitur infinitum magnitudine cognoſcit. a. ſit. d. 1. a. 4.

Michael de Pal. reſp. quod Deus non cognoſcit aliquid in re actu infinitum, quamquam in ſua cognitione continuum eſt actu infinitum. d. 38. diſp. 2

Franciſcus a Chriſto reſp. quod Deus non cognoſcit infinitum ſecundum magnitudinē, quia tale infinitum, neque in natura eſt, neque eſſe poteſt niſi negatiuè, nempe quod non ſit, neque eſſe poſſit. d. 35. q. 11.

Ludou. Mol. reſp. quod ſi vni, & eidem magnitudini tota illa acceſſio partium extenſarum, quam Deus poteſt facere ſimul adderetur magnitudo illa euaderet actu infinita; cum itaque Deus cognoſcat ſimul, & non ſucceſſiuè vniuerſam illam acceſſionem, nihil enim eum latet, ſequitur quod cognoſcat actu magnitudinem infinitam, quamuis magnitudo actu infinita non exiſtat. q. 14. a. 12.

Reſolutio.

REſpondeo, quod intellectus diuinus eſt infinitus, ideo intelligit infinitum quomodocunque ſit infinitum, dummodo non implicet; & quoniam non implicat magnitudinem eſſe infinitam, quia infinitas non repugnat ei, ad hue enim ſi infinita eſſet, magnitudo eſſet, ideo Deus intelligit infinitum ſecundum magnitudinem, ſi non ſecundum ſe, ſeu ſcientia viſionis, quia non eſt, nec aliquando erit, ſaltem ſecundum aliquā ſimilitudinem; cuius vicem gerere poteſt intellectus diuinus, inquantum infinitus.

Sed ſi infinitum, ſecundum quod infinitum, vt dicit Ariſt. eſt ignotum? Obiectio.

Reſpondetur, quod infinitum ſecundum quod infinitum eſt ignotum per potentiam finitā; nō repugnat tamen quod per potentiā infinitam cognoſcatur, non quidem quatenus eſt, ſed quatenus poteſt intelligi, cum non implicet infinitum ab infinito cognoſci.

QVAESITVM XVI.

An Deus cognoſcat ſingularia?

ALexander reſpondet, quod ſicut creatura cognoſcit ſingularia, ita & Deus, q. 23. m. 3

non

Digitized by Google

non enim poteſt ignorare Deus, quod poteſt cognoſcere creatura.

d.36. q.1. a.1. D. Thomas reſp. quod ſicut ædificator ſi per formam artis conceptam poſſet producere totam domum quantum ad materiam, & formam, per formam artis, quam habet apud ſe cognoſceret domum hanc, & illam; ita cum Deus operetur immediatè omnia per eſſentiam ſuam, prout ab ipſa quæcunque formalia, & materialia ſunt, habent eſſe, ideo omnia tam vniuerſalia, quam ſingularia cognoſcit.

p.p. q.14. a.11. Et iterum reſp. quod cum Deus ſit cauſa rerum per ſuam ſcientiam, tantum ſe extendit eius ſcientia, quantum ſe extendit ſua cauſalitas, vnde cum eius cauſalitas, ſeu virtus actiua ſe extendat, non ſolum ad formas, a quibus accipitur ratio vniuerſalis, ſed etiam vſque ad materiam, idcirco ſcientia eius ſe extendit etiam vſque ad ſingularia, quæ per materiam indiuiduantur. Item Valentia. Et lib. 1. contra gentes c. 65. Ideo dicendum eſt Deum cognoſcere ſingularia, quia ipſe eſt omnium cauſa, quia cognoſcit principia, ex quibus conſtituuntur, materiam ſcilicet, & formam, quia perfectè cognoſcit naturam entis communem, quia in ipſo eſt omnis perfectio cognitionis, quia cognoſcit quicquid homo imaginatione, & ſenſu cognoſcit, quia eius cognitio de rebus eſt ad modum cognitionis practici & quia eſt primus motor mouens ipſum mobile per intellectum, & voluntatem.

d.36. pr.1 q.1. Aegidius reſp. quod ſi Deus ſingularia cognoſcere non poſſet, hoc contingeret, quia ad hoc, quod aliquis intellectus cognoſcat ſingularia, neceſſe eſt quod determinetur ad eſſe actuale; nam eſſe ſingularium eſt eſſe actuale, & modus cognoſcendi ſequitur naturam cognoſcentis, & conſequenter aliquid accreſceret ſcientiæ eius; ſed hoc non obſtat, quia hoc non contingit, niſi quando natura intellectus diſtat ab eius eſſe, tunc enim ſuum intelligere eſt potentiæ admixtum, & non eſt ſuum eſſe, & ſic non poteſt cognoſcere ſingularia, niſi aliquid accreſcat ſcientiæ eius; hoc autem non contingit intellectui diuiuo, quoniam natura eius non diſtat ab eſſe, nec vllam habet potentialitatem, ſed eſt ſuum eſſe, immò ratio omnis eſſe; ſingularia ergo poteſt intelligere, abſque quod aliquid accreſcat ſcientiæ eius.

a.1. q.1. Ricardus reſp. quod cum Deus creauerit ſingularia, quicquid enim creatum eſt, ſingulare eſt; & ſimiliter ſingularibus prouideat, & de eis iudicium faciat, & ſit eorum cauſa efficiens, exemplaris, & finalis, conſequens eſt dicere, quod ipſa etiam cognoſcat.

Herueus reſp. quod cum Deus ſit cauſa omnium per intellectum, & voluntatem, oportet quod cognoſcat omnia, ſecundum quod ea facit, conſtat autem quod ea, quæ facit non facit in vniuerſali, ſed in ſingulari, quia omnis res in ſuo eſſe extra, in quo habet fieri eſt ſingularis, ideo oportet dicere, quod ipſe cognoſcit ſingularia, ſiue res in ſingulari. d.35. q.1. a.3.

Durandus reſp. quod eſſentia diuina eſt ſufficiens ratio repreſentandi quamlibet rem, ſecundum omnem eius conditionem, & hoc habet ex perfectione ſuæ virtutis, ſecundum quam continet vniuerſaliter omnem rem, & producere poteſt, & ſecundum hanc etiam procedit D. Dyon. dicens, quod Deus cognoſcit res quomodo rebus eſſe tradidit. q.3.

Petrus Aur. reſp. quod eſt communis omnium animi conceptio Deum cognoſcere ſingularia, vt ſingularia, quæ quidem conceptio ortum habet a duabus propoſitionibus, quæ videntur cuilibet notæ; prima eſt, quod nulla perfectio, & nobilis conditio eſt Deo neganda; ſecunda eſt, quod cognitio ſingularium, vt ſingularia ſunt pertinet ad maiorem perfectionem, & nobilitatem, quam cognitio eorum ſub ratione vniuerſali, quia ſic cognoſcere eſt cognoſcere ea, vt ſunt, & ſecundum eſſe reale, & perfectum. p.4. a.2.

Franc. a Chriſto reſp. & probat quintupliciter, quod Deus cognoſcat ſingularia; primò, quia eius ſcientia eſt perfecta, & omnibus modis, & numeris abſoluta; ſecundò, quia eſt agens per intellectum, & voluntatem, & omnium cauſa prima, in qua omnes eſſendi perfectiones continentur; tertiò, quia ſuos effectus prorſus cognoſcit eo modo, quo emanant ab ipſo, certum eſt autem, quod emanant ab ipſo ſecundum eſſe actuale, & in ſingulari; quartò, quia cognoſcit omnia per ſuam eſſentiam, non ſolum formaliter, ſed etiam obiectiuè, & ipſa eſſentia repreſentat ei, non ſolum conditiones vniuerſales rerum, ſed etiam indiuiduas, vt primum eſſendi principium, in quo omnia virtualiter, & eminenter continentur; quintò, quia omnia attingit, nihilque effugit ſuam potentiſſimam actionem. q.5.

Ludouicus Molina reſp. quod non minus virtute, & eminenter continentur in Deo ſingularia, quoad differentias indiuiduantes tanquam in cauſa prima, & fonte, a quo ema- q.14. a.11.

Digitized by Google

emanarunt, qua contineantur gradus generici, & ſpecifici, & ideo ſicut alia ſecundum huiuſmodi gradus Deus cognoſcit, ita & ſingularia.

Reſolutio.

RESpondeo, quod nullum eſt ens quomodocunque habeat eſſe, quod non ſit aliquo modo præſens intellectui diuino, ſiue ſecundum ſe, ſiue ſecundum ſuam ſimilitudinem, & ſpeciem; cum enim intellectus diuinus ſit infinitus, nullum ens poteſt eius præſentialitatem ſubterfugere, quoniam ergo ſingularia entia ſunt, ideo ipſa Deus cognoſcit.

[*Obiectio.*] Sed ſi intellectus diuinus eſt maximè immaterialis? intellectus autem noſter ideo non cognoſcit ſingularia, quia immaterialis eſt.

Reſpondetur, quod intellectus noſter ſi non cognoſcit ſingularia non tantum prouenit ex immaterialitate ſua, ſed etiam ex materialitate coniuncti, quia enim coniungitur corpori, ideo habet potentias, ſecundum quas dependet a corpore quantum ad operationem, & quoniam ſingularia non perueniunt ad intellectum, niſi per huiuſmodi potentias, & aſcenſus per eas eſt per abſtractionem, quæ de ſingulari facit vniuerſale, ideo non poteſt ſingulare cognoſcere vt intellectus, niſi ſit intellectus ſeparatus, & diuinus.

QVÆSITVM XVII.

An Deus cognoſcat mala?

[c.8. q.1.] GVilelmus Antiſiod. reſp. quod malum cognoſcitur per exemplar non proprium, ſed ſui oppoſiti, ſicut cæcitas cognoſcitur per defectum viſus, & ſilentium cognoſcitur per priuationem auditus.

[q.23. m.3. a.3.] Alex. reſp. quod ſicut homo habet ſcientiam de malis, ita & Deus, qui iudicat de illis, hæc autem ſcientia non eſt approbationis, ſed ſimplicis notitiæ.

[d.36. a.6.] Albertus reſp. quod Deus cognoſcit mala, non quidem ſcientia practica, cum non poſſit dici, Deus ſcit facere malum, ſed ſcientia ſpeculatiua, cum ſit verum dicere, Deus ſcit malum.

[d.36. q.1. a.2.] D. Thomas reſp. quod ſicut tenebræ cognoſcuntur per cognitionem lucis, cui opponuntur, ita Deus cognoſcit mala per cognitionem boni, cui opponuntur, quoniam autem mala opponuntur diuinæ eſſentiæ in communi, vt bonum malo opponitur, ideo cognoſcendo ſuam eſſentiam non cognoſcit mala niſi in communi; cognoſcendo tamen alia bona, quæ ab ipſo ſunt, & ipſo participant cognoſcit mala in ſpeciali, & determinatè prout ab ipſis deficiunt, & in ſpeciali, & determinatè opponuntur eis.

[p.p. q.14. a.10.] Et iterum reſp. quod quicunque perfectè cognoſcit aliquid, oportet quod cognoſcat omnia, quæ illi poſſunt accidere; cum itaque Deus perfectè cognoſcat bonum, & bonum poſſit malo accidere, quia per malum poteſt corrumpi bonum, igitur Deus cognoſcendo bonum cognoſcit etiam malum.

Et lib. 1. c. g. c. 71. Verum eſt malum eſſe malum, ſed Deus cognoſcit omnia vera; ergo cognoſcit etiam omnia mala.

[d.39. a.1. q.2.] D. Bonau. reſp. quod in Deo eſt cognitio approbationis, quæ connotat complacentiam voluntatis, & eſt cognitio ſimplicis notitiæ, hac quidem cognoſcit omnia alia a ſe, etiam mala, vt iudex, illa verò non niſi bona, vt remunerator, & creator, & vt ille, qui eſt in eis per præſentiam eſſentiæ ſuę.

[d.36. pr.1 q.2.] Aegidius reſp. quod ſicut obliquum cognoſcitur per rectum, cui opponitur, rectum enim vt dicit Ariſt. 1. de an. eſt iudex ſui, & obliqui, ita malum, quod eſt priuatio boni cognoſcitur per bonum, cui opponitur; Deus itaque cum ſit ſummum bonum per ſeipſum cognoſcit omnia mala, non ſolum in communi, ſed etiam in ſpeciali, quia mala non ſolum opponuntur ei in communi prout ſcilicet diſcordant ab arte ſua, ſed etiam in ſpeciali, prout ſcilicet non eodem modo ſingula diſcordant ab ea.

[d.36. a.1. q.2.] Ricardus reſp. quod malum eſt quædam obliquatio boni, & bono opponitur ſicut priuatio, certum eſt autem quod priuatio cognoſcitur per habitum, & obliquatio per rectitudinem, cum igitur Deus cognoſcat bonum neceſſariò ſequitur, quod malum etiam cognoſcat.

[d.36. q.1.] Durandus reſp. quod Deus cognoſcit partes vniuerſi, & earum habitudines, ſed quia inter partes vniuerſi eſt talis habitudo, quod generatio vnius eſt corruptio alterius, in corruptione autem cõſiſtit malum penæ quo ad animata, & malum naturæ quo ad omnia, quædam etiam partes vniuerſi poſſunt deficere a rectitudine rationis, in quo conſiſtit malum culpæ, igitur Deus cognoſcit omne malum naturæ, pęnæ, & culpæ, cognoſcit autem per bonum oppoſitum, quia priuatio non cognoſcitur, niſi per habitum, & hæc (inquit) eſt communis ſententia doctorum.

d.36. par.2 a.2. Petrus Aur. reſp. quod intellectus diuinus cognoſcendo ſuam eſſentiam cognoſcit etiã omnia mala, non per rationem boni, ſed quia deitas eſt quædam ſimilitudo eminens, & exemplar, non quidem malorum, inquantum mala ſunt, quia vt ſic priuationes nihil ſunt, nec ipſorum inquantum in rebus ſunt, quia in rebus nullo modo actualiter eſſe poſſunt ſecundum eſſe reale, ſed ſecundum quod ſunt entia rationis habentia intentionalem entitatem, ſicut & quæcunque alia priuatio, & negatio.

q.1. a.4. Thomas ab Argentina reſp. quod Deus ſcientia ſimplicis notitiæ, & ſimiliter viſionis cognoſcit malum, non enim ſolum videt illud, quod eſt ratio accedendi ad ſuam bonitatem, ſed etiam illud, quod eſt ratio deuiandi ab eadem, non tamen ſcientia approbationis, quia omne, quod quis approbat illius aliquo modo cauſa eſſe videtur, Deus autem nullius mali culpæ poteſt eſſe cauſa. Item Marſilius.

q.11. a.2. Petrus Aliacen reſp. quod Deus reſpectu eorum, quæ bene fiunt habet ſcientiam approbationis, eorum verò quæ malè fiunt, reprobationis.

d.35. diſp.2 Michael de Palat. reſp. quod Deus mala, vt ſibi oppoſita cognoſcit, cum enim ipſe ſit infinitum bonum, mala vt a ſe diffidentia nouit.

d.5. Paulus Corteſ. reſp. quod ſicut in muſicis claudicationibus falſarum vocum exaudimus, quatenus a muſico artificio diffideant, ſic Deum dicimus cuncta malorum genera percipere, quatenus ab eius diſciplina diſcrepant, & rurſum ſpecie ſecernere, quatenus non eodem modo ab eo diſſident.

d.35. q.7. Franciſc. a Chriſto reſp. quod Deus habet perfectam cognitionem boni, & ideo cognoſcendo bonum, cognoſcit etiam malum, continet ſimiliter omnem rationem boni; cum ergo cognitio mali pertineat ad rationem boni, hinc fit, quod cognoſcit etiam malum.

q.14. a.10. Ludouic. Molina reſp. quod cum malum non ſit aliud eſſentialiter, quam priuatio boni, idcirco fit, quod Deus per bona creata, quæ in ſeipſo cognoſcit, cognoſcat etiam mala oppoſita cernens eorum abſentiam in ſubiecto, cui erant debita, aut ſaltem apta ineſſe; porrò mala, quæ in aliqua differentia temporis ſunt, cognoſcit Deus ſcientia viſionis, eſto etiam quod formaliter ſumpta ſint entia rationis; quæ verò eſſe poſſunt, & nunquam erunt, cognoſcit ſcientia ſimplicis intelligentiæ.

Gregorius de Val. reſp. quod vnumquodque eſt cognoſcibile ſicuti eſt, & quoniam malum eſt priuatio boni, igitur per hoc ipſum, quod Deus cognoſcit bonum, cognoſcit etiam malum. q.14. a.7.

Reſolutio.

RESpondeo, quod cum Deus ſua præſentialitate impleat vniuerſum, nihil in vniuerſo poteſt euenire, quin ab ipſo cognoſcatur, & quoniam mala eueniunt in vniuerſo, quomodocunque eueniant, ipſa cognoſcit Deus.

Sed ſi ſcientia Dei eſt cauſa rerum? Deus autem non eſt cauſa malorum. Obiectio.

Reſpondetur, quod ſcientia Dei eſt cauſa rerum, quantum ad eſſe poſitiuum, & entitatiuum, non quantum ad eſſe defectiuum, quod pertinet ad rationem formalem mali, quamuis autem huius eſſe non ſit cauſa, ipſum tamen cognoſcit, per illud eſſe, cuius eſt cauſa.

QVAESITVM XVIII.

An Deus cognoſcat enunciabilia?

ALexander reſp quod Deus ſcit res omnes, & ſcit omnes actus animæ, ſed res ſunt, de quibus ſunt enunciabilia, actus verò animæ eſt enunciare, ſiue enunciatio; ergo ſequitur quod cognoſcit enunciabilia, non quidem per modum enunciabilium, ſed per modum rerum, de quibus ſunt enunciabilia, & non per modum illum, quo ſunt in natura propria, ſed per modum illum, quo ſunt in cauſa ſua, & ita enunciabilia reducuntur ad res, res autem ad cauſam, quæ quidem eſt ſufficiens ad eſſe. q.23. m.3. a.5.

Albertus reſp. quod intellectus diuinus eſt complexorum incomplexè, ſcit enim complexa referendo ad rem ſimplicem, quam ipſe non tantum nouit; vt ſimplex eſt, ſed in omni complexione, quæ accidere ei poteſt ex compoſitione. d.39. a.5.

Et iterum reſp. quod Deus per habitudines rerũ, quas ipſe facit ſcit quid cuiq; inſit, & quid a quo diuidatur, & cognoſcendo effectus, & actus animæ circa res ſcit quid enuncietur, vel imperetur, vel optetur, vel dubitatiuè, aut ſubiunctiuè proferatur. tr.15 q.60.

D. Thomas reſp. quod duo conſiderãtur in Deo natura, & eſſe, quorum vnum ſcilicet natura eſt exemplar cuiuſlibet naturæ, & alterum .i. eſſe eſt exemplar cuiuſlibet rei eſſe, & ideo cognoſcendo naturam ſuam co- d.38. q.1. a.3.

cognoſcit quamcunque aliam naturam, & ſimiliter cognoſcendo ſuum eſſe cognoſcit quodlibet aliud eſſe, & quoniam eſſe ſignificatur per affirmationem, & negationem ſicut eſſentia indiuiſibiliter intelligitur; ideo Deus cognoſcendo omnium eſſe, cognoſcit omnia enunciabilia.

p p q 14. a 14. Et iterum reſp. quod cum formare enunciabilia ſit in poteſtate intellectus noſtri, Deus autem cognoſcat omnia, quæ ſunt in potentia ſua, & in potentia creaturæ, idcirco omnia enunciabilia cognoſcit, quæ ab intellectu noſtro formari poſſunt. Item Henricus. Non tamen enunciabiliter componendo, & diuidendo, ſicut nos, inquit Ricardus. Vnico enim, & ſimplici intuitu illa cognoſcit, ratiocinatur Valentia.

d.41. a 2. q.1. D. Bonauent. reſp. quod intellectus diuinus cognoſcit enunciabilia, ſiue complexa, non quidem vt talis modus complexionis cadit circa ſe, nam vnico, & ſimplici intuitu omnia intelligit, ſed vt cadit ſupra rem, quia cognoſcit res exiſtere, vel ſe habere per modum complexionis, ſiue compoſitionis, vt ſimiliter eſt expreſſa per intellectum noſtrum, quia non tantum cognoſcit res, vt ſunt, ſed etiam vt intellectus exprimit eas, cognoſcit enim res, & voces, & intellectus illas ſignificantes.

d.38. pr 2. q.2. Aegidius reſp. quod diuinum eſſe, quia non eſt contractum ad aliquod genus eſt repreſentatiuum omnis eſſe; Deus ergo cognoſcendo ſuum eſſe, cognoſcit omne eſſe, & quia quid eſt quælibet res, vel poteſt eſſe, & hoc cognoſcendo, cognoſcit etiam quicquid non eſt res, vel non poteſt eſſe, quod eſt cognoſcere omnia enunciabilia, cum enunciationes omnes accipiantur penes eſſe, & non eſſe; ſed quoniam nulla eſt formarum pluralitas in eo, nec vlla in intelligendo ſucceſſio, quæ duo requiruntur ad enunciationem formandam, cum omnia per ſuam ſimplicẽ eſſentiam, & vnico intuitu cognoſcat, ideo quamuis enunciabilia cognoſcat, non tamen enunciabiliter, hoc eſt, componendo diuidendo, & enunciationes formando, cognoſcit. Item Ricard. Et Michael de Pal. Quod intellectus componat, & diuidat, hoc eius imbecillitati aſcribitur.

d.38. q.2. Durandus reſp. quod Deus perfectiſſimè nouit omnes res, & omnium rerum habitudines, & ſimiliter quicquid eſt in poteſtate intellectus noſtri; & quoniam in habitudine rerum conſiſtit ratio enunciabilium, ex hoc enim quod res eſt eadem rei per ſe, vel per accidens conſiſtit ratio enunciabilis ſecundum affirmationem, & ex eo, quod res eſt diuerſa a re, & nullo modo eadem conſiſtit ratio enunciabilis ſecundum negationẽ, & ſimiliter eſt in poteſtate intellectus noſtri formare enunciationes de enunciabilibus, ideo Deus enunciabilia cognoſcit.

Petrus Aureol. reſp. quod diuina eſſentia eſt ſimilitudo eminens omnis entitatis, & quoniam quodlibet enunciabile eſt aliqua entitas obiectiuè, & intentionaliter, ideo Deus cognoſcendo ſuam eſſentiam, cognoſcit etiam quæcunque enunciabilia. d.35.

Gregorius reſp. quod omne enunciabile eſt neceſſariò ſcitum a Deo, loquendo de ſcientia, non quidem vt eſt iudicium, ſed vt ſimpliciter eſt apprehenſio, non autem omne enunciabile eſt ſcitum à Deo, ſecundum quod ſcientia eſt iudicium. d.39. q.1. a.2.

Ioannes de Baſſol. reſp. quod Deus præter poſitiua complexa, negationes, & priuationes eorum actu ſimplicis intelligentiæ intelligit, & etiam complexiones neceſſarias terminorum, ſeu neceſſaria complexa, & contingentia pro eſſe poſſibili, & inquantum aliquo modo ſunt neceſſaria per rationem eſſentiæ, ſicut & terminos complexionum talium, & hoc non intelligentia ſimplici, vel vt ſimplex dicitur, ſed vt compoſitiua, vel diuiſiua, & conſequenter omnes argumentationes, ſyllogiſmos, & paralogiſmos de ipſis. d.36. q.1.

Nicolaus de Niſſe reſp. quod Deus per vnicum actum indiuiſibilem omnia cognoſcit, vnde eodem actu ſimplici affirmat, & negat; quamuis tamen poſſit concedi ibi rationum formalium non identitas. tr. 1. p. 3 p 1. q.vii.

Franc. a Chriſto reſp. & probat tripliciter, quod Deus cognoſcit enunciabilia; primò, quia cognoſcit omnia ea, quæ ſunt non ſolum in potentia ſua, ſed etiam in potentia creaturæ, quæ eſt ratio Diui Thomæ; ſecundò, quia Deus cognoſcit ſuum eſſe, quod eſt repreſentatiuum omnis eſſe, quæ eſt ratio Aegidij; tertiò, quia perfectiſſimè cognoſcit res, & omnium rerum habitudines, quæ eſt ratio Durandi. d.35. q.11.

Reſolutio.

RESpondeo, quod per enunciabilia poſſumus intelligere, & primas, & ſecundas intentiones, & quoquo modo intelligantur entia ſunt, ſiue realia, ſiue rationis; & quoniam Deus ob ſuam infinitatem, & perfectionem cognoſcit quicquid habet rationem entis; idcirco Deus omnia enunciabilia cognoſcit.

Obiectio. Sed ſi enunciatio requirit pluralitatem conceptuum, ac proinde intellectus cognoſcens enunciationes habet multas ſpecies, vnam autem tantum intellectus diuinus?

Reſpondetur, quod intellectus cognoſcens componendo, & diuidendo, ſeu enunciabiliter habet pluralitatem conceptuum, & ſpecierum, qualis eſt intellectus noſter, non diuinus. Ita Aegidius.

QVAESITVM XIX.

An Deus poſſit non ſcire ea, quæ ſcit?

d. 39. q. 1. a. 1. D. Thomas reſpondet, quod actus diuinæ ſcientiæ, ſecundum quod eſt cauſa operis eius, vt informans ipſum, eſt actus imperatus a voluntate; & quoniam voluntatis eſt libere producere actum ſuum, non ſolum immediatum, ſed etiam imperatum, qualis eſt ſcire, cogitare, & huiuſmodi; ideo Deus poteſt non ſcire ea, quæ ſcit, ſicut poteſt non velle.

d. 41. q. 2. a. 2. D. Bonau. reſp. quod ſcire dicitur dupliciter; vno modo prout reflectitur in ſe, & ſic quicquid Deus ſcit ſemper ſcit, ſi enim ſcit Socratem ſedere ſemper hoc ſciuit, & nunquam non ſciet; alio modo ſecundum quod eſt verbum propheticum tranſiens in actum extra, & connotans veritatem in obiecto, & hoc modo non ſemper Deus ſcit, quod aliquando ſciuit, ab æterno enim ſciuit Socratem eſſe naſciturum, modo non ſcit eſſe naſciturum, ſed natum, & hoc quamuis arguat mutationem in rebus, non tamen arguit aliquam mutationem in Deo.

d. 39. pr. 1 q. 1. Aegidius reſp. quod Deus poteſt velle, quæ non vult extra ſe, non quod ſuum velle mutari poſſit, ſed quia res ipſæ extra mutabilitati ſubiectæ ſunt, & ſimiliter ſcire ea, quæ ſunt extra ſe, quæ non ſcit, non quidem, quæ ſcit ſcientia ſimplicis notitiæ, quoniam hæc non propriè ad ea, quæ ſunt extra reſpectum habent, ſed quæ ſcit ſcientia viſionis, quoniam quæ fiunt, & fienda ſunt poteſt non facere.

a. 1. q. 2. Ricardus reſp. quod res comparata ad ipſum diuinum ſcire, inquantum ſcita neceſſaria eſt, neceſſarium enim eſt Deum ſcire omnia notitia ſimplicis intelligentiæ, comparata verò ad ſuum eſſe, contingens eſt, quia ſic poteſt non eſſe, & ita Deus poteſt non ſcire illam, ſicut illa poteſt non eſſe.

q. 1. Durandus reſp. quod reſpectu rerum, quæ ſunt obiectum ſecundarium diuinæ ſcientiæ, duplex eſt cognitio in Deo, vna, qua apprehendit, quidditates entium, vel poſſibilium, & alia qua apprehendit habitudines rerum ſecundum comparationem, & diuiſionem, quæ eſt ſcientia enunciabilium, & hæc eſt duplex, vna qua res apprehenduntur ſecundum comparationem, & diuiſionem ſolum poſſibilem, & alia non ſolum poſſibilem, ſed vt deductam, vel deducendam ad actum pro aliquo tempore, & hæc eſt per quam cognoſcitur res eſſe, vel fore, & pertinet ad ſcientiam viſionis; quantum ergo ad primam, & ſecundam cognitionem dicendum eſt, quod Deus nec poteſt non ſcire, quod ſcit, vel ſcire, quod neſcit, ſed quantum ad tertiam poteſt, & ratio eſt, quia omnes res quãtum ad ſuas quiditates, & compoſitiones, & diuiſiones eis poſſibiles neceſſariò repreſentantur per eſſentiam diuinam, cum ipſa virtualiter, & cauſaliter contineat omnes res; non autem quantum ad actualem comparationem, & diuiſionem, cum non ſit neceſſariò cauſans ſecundum actum, nec conſequenter neceſſariò repreſentans.

Marſilius reſpondet, quod Deus ſcientia ſimplicis notitiæ, cum ſit neceſſaria omnium poſſibilium non poteſt non ſcire, quod ſcit, ſed ſcientia viſionis poteſt non ſcire, quod ſcit, quia poteſt ſcire aliquid contingens, quod poteſt non euenire, & ſic ipſum non ſcire. q. 40. a. 1.

Ludouicus Molina reſp. quod loquendo de ſcientia naturali, & media, cum vtraque antecedat actum liberum voluntatis diuinæ, Deus per ipſas neque modo, neque in æternitate potuit ſcire aut plura, aut pauciora quam ſciuerit, ſed loquendo de ſcientia libera, quamuis in æternitate potuerit ſcire aliquas complexiones contingentes potius, quam alias futuras eſſe veras, non tamen potuit ſcire plures futuras eſſe veras, aut futuras eſſe falſas, quam re ipſa ſciuerit. q. 14. a. 15.

Gregorius de Valen. reſp. quod ſicut in ſenſu diuiſo effectus futurus poteſt non eſſe futurus, ita etiam in ſenſu diuiſo poteſt non præſcire Deus id, quod præſcit, & econtra. q. 14. p. 5.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſicut aliquid intantum dicitur ſciri poſſe, inquantum poteſt habere aliquam rationem entis, ſiue actu, ſiue potentia, ſiue complexè, ſiue incomplexè, ſiue quocunque alio modo, ita aliquid intantum dicitur ſciri non poſſe, inquantum non poteſt habere aliquam rationem entis; cum itaque multa ſint entia, quæ poſſunt non habere rationem entis, quia quam-

Digitized by Google

quamuis ſint, ac propterea ſciantur a Deo, poſſunt tamen non eſſe, ſiue ſimpliciter, ſiue hoc, & illo modo, idcirco Deus huiuſmodi poteſt non ſcire, ſicut ipſa poſſunt etiam non eſſe; atque ita ſecundum hunc ſenſum concedendum eſt, quod Deus poteſt non ſcire ea, quæ ſcit, quia ſcilicet multa ſcit, quæ poſſunt non eſſe, & conſequenter non ſciri ab eo; quia a Deo non ſciuntur, quæ nullam habent rationem entis.

Obiectio. Sed ſi ſcire Dei eſt ſuum eſſe? ex quo ſicut Deus non poteſt non eſſe, quod eſt, ita non poteſt non ſcire, quod ſcit.

Reſpondetur, quod alia habitudo importatur per ſcire, & alia per eſſe, & ideo aliquid negatur de vno, quod conceditur de altero, nam per eſſe non importatur reſpectus ad exteriora, ſed tantum in quo eſt, & ideo non poteſt non eſſe ſine ſui variatione; per ſcire verò importatur reſpectus ad exteriora, & ſic ſine variatione poteſt Deus non ſcire.

QVAESITVM XX.

An Deus poſſit ſcire, quod non ſcit?

c. 8. q. 2. GVilelmus Antiſiod. reſp. quod ſcire ſumitur quandoque pro approbare, quandoque pro ſimplici notitia, & hoc modo ſumitur etiam dupliciter, vel prout ſignificat viſionem, vel prout ſignificat intelligentiam, ſiuè ſcientiam largiſſimè ſumptam; in prima ſignificatione poteſt ſcire Deus, quod non ſcit, ideſt approbare, quod non approbauit; in ſecunda non, quia non poteſt aliqua excogitare, quæ non excogitauerit; in tertia ſimiliter Deus poteſt ſcire, quod non ſcit diuiſim, non coniunctim, eſt enim impoſſibile, quod Deus ſciat, quod non ſcit, quia quicquid ſcit ab æterno ſcit.

q. 23. m. 4. a. 5. Alex. reſp. quod ſcientia Dei tribus modis accipitur, vno modo pro approbatione, alio modo pro ſimplici notitia, & hæc duobus modis, vno modo abſolutè non connotando exiſtentiam rei ſcitæ, alio modo connotando, & hoc modo diuina ſcientia ſignificatur vt viſio quaſi tranſitus ſuper rem. Dicitur ergo ſcientia tripliciter approbationis, intelligentiæ, viſionis; Deus itaque poteſt ſcire, quæ non ſcit ſcientia approbationis, & etiam viſionis, ſed non ſcientia intelligentiæ, quia huic ſcientiæ ſubiecta ſunt bona, & mala, entia, & non entia, ſcientiæ autem approbationis ſunt ſubiecta tantum bona, ſcientiæ viſionis bona, & mala, & entia tantum.

Albertus reſp. quod cum ſcibile referatur ad ſcientiam, ſi Deus poſſet ſcire, quod non ſcit, ſequeretur quod poſſet habere ſcientiã, quam non habuit, quod ſine alteratione imperfecti ad perfectum fieri non poteſt. *d. 39. a. 7.*

D. Thomas reſp. quod ſcientia ſimplicis intelligentiæ, qua ſcit etiam ea, quæ nullo tempore ſunt in ſe, quæ tamen ſunt in potentia cauſarum, quia nihil poteſt eſſe aliud ab his, quæ ſunt, & quæ poſſunt eſſe, non poteſt ſcire aliquid aliud ab his, quæ ſcit; ſed ſcientia viſionis, qua cognoſcit res, quæ ſunt, fuerunt, & erunt, non ſolum in potentia cauſarum, ſed in eſſe proprio, ſic poteſt aliquid ſcire, quod non ſcit, quia poteſt dare eſſe, quod eſt tantum in potentia ſua, in eſſe proprio, ſi tamen hoc in eſſe produceret, ab æterno, ab eo eſſet præſcitum. *q. 1. a. 2.*

Aegidius reſp. quod ſi loquamur de ſcientia, quam Deus habet enunciabilium, certum eſt, quod Deus multa poteſt ſcire, quæ non ſcit, v. gr. heri ſciebat Sortem eſſe naſciturum, modo non ſcit naſciturum, ſed iam natum; ſi autem loquamur de ſcientia rerum, cum hæc duplex ſit practica, & ſpeculatiua, ſecundum ſcientiam ſpeculatiuam, quam habet de factis, fiendis, & fieri poſſibilibus, & etiam de ſe ipſo, non poteſt ſcire, quod non ſcit, quia nihil eſt, quod tali ſcientia non comprehendatur; ſed ſi loquamur de ſcientia practica, ſecundum quam dicimus Deum ſcire, quæ facit, vel facere diſpoſuit, vtique poteſt ſcire, quod non ſcit, quia multa poteſt facere, quæ non facit, eſt enim iſta ſcientia practica quodammodo ſubiecta voluntati, quæ quamuis non poſſit in oppoſita ſecundum potentiam ordinatam, ſecundum quam Deus exequitur, quæ diſpoſuit, & ordinauit propter ſui immutabilitatem, poteſt tamen in oppoſita ſecundum potentiam abſolutè, & ſimpliciter ſumptam propter ſui arbitrij libertatem. *pr. 1. q. 2.*

Ricardus reſp. quod non eſt poſſibile Deũ ſcire aliquid, quod non ſcit coniunctim accipiendo ſcire, & non ſcire, quia Deum ſcire aliquid, & illud non ſcire, ſiue ſimul, ſiue ſucceſſiuè non eſt poſſibile, eſt tamen poſſibile accipiendo diuiſim, aliquid enim poteſt eſſe, quod non eſt, nec erit, & illud Deus non ſcit. quamuis illud ſciat ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & cum illud idem poſſit eſſe, Deus poteſt ſcire, quod non ſcit. *a. 1. q. 3.*

Gregorius reſp. quod Deus aliquid quod *q. 1.*

non

non ſcit poteſt ſcire, & aliquid quod ſcit
poteſt non ſcire, quia aliquid enunciabile
falſum poteſt eſſe verum, & econuersò ali-
quid verum poteſt eſſe falſum, Accipiendo
ſcientiam largè non poteſt (inquit Rubion)
ſcire quod non ſcit, ſed ſtrictè accipiendo,
poteſt. Scientia viſionis (inquit Celaia)
non ſimplicis intelligentiæ:

d.39. Michael de Bon. reſp. quod Deus poteſt
plura præſcire, quam præſcit in ſenſu diuiſo
non compoſito.

q.11. Petrus Aliacen. reſp. quod loquendo de
ar.2. ſcientia viſionis poteſt Deus aliquam rem
ſcire, quam non ſcit, loquendo autem de
ſcientia enunciabilium non poteſt, etenim
poſſibile eſt aliquam rem, quæ non eſt futu-
ra, eſſe futuram, & ſimul cum hoc omnem
rem, quæ eſt futura, manere futuram.

tr.1 Nicol. de Nijſe reſp. quod quia Deus ne-
p.3. ceſſitate naturali cognoſcit neceſſaria ante
p.1. actum voluntatis, ideo reſpectu neceſſario-
q.vn. rum non poteſt plura cognoſcere, quam co-
gnoſcat, quia tamen voluntas poteſt plura
velle, quam velit, cum poſſit plura facere,
quam facit; ideo ſicut poteſt augeri obie-
ctiuè reſpectu contingentium, ita & noti-
tia eius.

d.38. Ioannes Maior reſp. quod Deus poteſt
q.2. ſcire propoſitionem, quam neſcit, poteſt
enim non ſcire hanc propoſitionem, Ioannes
eſt in téplo, quia eſt falſa, quam tamen poteſt
ſcire eſſe veram ipſo ingrediente in templũ.

Reſolutio.

RESpondeo, quod quæ non ſunt, a Deo
ſciri non poſſunt, intantum enim ali-
quid habet rationem ſcibilis, inquantum ha-
bet rationem entis; cum itaque quæ non
ſunt, eſſe poſſint, ſiue ſimpliciter, ſiue ſe-
cundum quid, ac proinde diuinæ cognitio-
ni ſubiacere, idcirco concedendum eſt, quod
Deus poteſt ſcire, quod non ſcit; ſicut po-
teſt facere, quod non facit; vel velle, quod
non vult.

Obie-ctio. Sed ſi Deus omnia ſcit, & nihil eſt quod
neſciat?

Reſpondetur, quod Deus omnia ſcit, &
nihil eſt, quod neſciat, ſecundum quod ſci-
bile eſt, quia tamen poteſt aliquid non eſſe
ſcibile, ſecundum quod non habet rationem
entis, idcirco hoc non ſcitur a Deo; ſed
quia poteſt eſſe ſecundum aliquam rationem
entis, propterea ſecundum hanc poteſt ſci-
ri a Deo, atque ita poteſt ſciri a Deo, quod
non ſcitur, quod non prouenit ex impo-
tentia ſcientis, ſed ex defectu ſcibilis.

QVÆSITVM XXI.

An ſint ponendæ ideæ in Deo?

ALexand. reſp. quod idea ſecundum q.24.
rem in Deo eſt idem, quod ſapien- m. 4.
tia, ratio, & exemplar, quamuis a.1.
ſecundum rationem hæc ab inuicem diſtin-
guantur; nam ratio reſpicit finem, idea
formam, exemplar efficiens, ſapientia co-
gnitionem, ſicut ars operationem.

Albertus reſpondet, quod abſque dubio d.35.
etiam philoſophicè loquendo, neceſſe eſt a.7.
ponere ideas in Deo, alioquin ſequeretur,
quod Deus ſine ratione qua mundum cogno-
ſceret, mundum creaſſet.

D. Thomas reſpôdet, quod idea dicitur ab d.36.
idos græcè, quod eſt latina forma, ſicut er- q.2.
go formæ artificiales præter eſſe, quod ha- a.1.
bent in actu in materia habent etiam eſſe
in potentia, non quidem paſſiua, ſed acti-
ua in mente artificis; ita formæ naturales
præter eſſe, quod in actu habent in rebus,
habent etiam eſſe in potentia actiua, in
mente diuina, & huiuſmodi formæ exiſtentes
in mente diuina ſunt ideæ.

Et iterum reſp. quod in omni agente per p.p.
intellectum neceſſe eſt vt præexiſtant formæ, q.15.
ſeu ſimilitudines rerum agendarum tanquam a.1.
exemplaria earum, & principia cognoſcen-
di eas; & quoniam Deus eſt agens per intel-
lectum, & a propoſito, & ideæ non ſunt ni-
ſi formæ rerum præter ipſas res exiſtentes,
idcirco neceſſe eſt ponere Ideas in Deo.

D. Bonau. reſp. quod eſt neceſſarium po- d.35.
nere ideas in Deo, quia idea non eſt aliud, a. 1.
quam ſimilitudo rei cognitæ, eſt autem ne- q.1.
ceſſarium, quod omne rationabiliter agens
cognoſcat rem ſaltem ſecundum ſuam ſimili-
tudinem antequam agat. & ſimiliter quod
omne repreſentans aliquid alteri, quod ſe-
cundum rem non ſit præſens habeat eius ſi-
militudinem; cum ergo Deus ſit rationabi-
liter agens, & mentibus beatorum res crea-
tas repreſentet, neceſſarium eſt dicere, quod
habeat ſimilitudines rerum, quæ ſunt ideæ.

Aegidius reſpondet, quod omne agens per d.36.
intellectum, & cognitionem, ſi non irratio pr.2
nabiliter agit, neceſſarium eſt vt habeat apud q.1.
ſe ſpecies factiuas rerum, quæ ſunt ideæ;
ideæ enim ſunt ſpecies rerum exiſtentium
in intellectu diuino ad quarũ ſimilitudinem
alia producuntur, & fiunt.

Ricardus reſp. quod neceſſarium eſt po- a.2.
nere ideas in Deo primò ad cognoſcendum q.1
crea-

Digitized by Google

q.1. creaturas, ſecundò ad cauſandum eas, tertiò ad quietandum intellectum diuinum, qui perfectè quietari non poſſet, niſi in ſimilitudine rerum, quam habet cum nulla poſſit eſſe quietatio, niſi in perfecta coniunctione cum ſimili.

d.35. q.vn. Ioannes Scotus reſp. ex D. Auguſtino quod ideæ ſunt rationes æternæ in mente diuina, ſecundum quas aliqua ſunt formalia ad extrà, vt ſecundum proprias rationes eius. Deus enim eſt rationabiliter agens, & ideo neceſſariò habet rationem, ſecundum quam agit, & propriam vniuſcuiuſque rei, & non extra ſe, quia non indiget aliquo extra ſe, vt agat, & huiuſmodi dicitur idea.

d.36. q.1. a.1. Herueus reſp. quod idea propriè dicitur illa forma, ad cuius imitationem agens per intellectum, & finem ſibi proſtituens aliud natum eſt producere, aut aliud producit; cum itaque Deus producat res per intellectum, & non ad imitationem alicuius extra ſe, quia hoc eſt impoſſibile, ſed ad imitationem ſuæ eſſentiæ, idcirco ponenda eſt talis forma, ſiue idea in eo.

q.3. Durandus reſp. quod ideæ ſunt formæ, vel rationes in Deo, ad quarum ſimilitudinem ipſe, vt agens per artem poteſt aliquid producere.

p.2. a.1. Petrus Aur. reſp. quod formalis ratio ideæ conſiſtit in hoc, quod ſit id, quod aliud imitatur, & quoniam idea eſt diuina eſſentia inquantum deitas eſt, quia ſecundum hanc rationem eſt omnis entitas eminenter, & ſimilitudo eminens cuiuſlibet entitatis, ideo ita eſt neceſſarium eſſe ideas in Deo, ſicut eſt neceſſarium diuinam eſſentiam eſſe id, quod omnia imitantur, quæ neceſſitas non eſt ab intrinſeco deitatis, ſed ab extrinſeco ratione connotati.

d.47. q.1. Franc. Maro reſp. quod ideæ ſunt rerum quiditates, quæ aliquando dicuntur formæ, & ſunt in Deo formaliter, tum quia, vt dicit D. Auguſtinus, eis fruendum eſt, tum etiam quia ſunt adorandæ, ipſis Deus eſt ſapiens, & ſunt rationes immutabiles, & æternæ, nihil autem eſt, quo fruendum ſit, quod ſit adorandum, quod ſit quo Deus eſt ſapiens, quod ſit immutabile, & æternum, niſi ſit formaliter in eo; & non dicunt aliquid abſolutum formaliter, ſed reſpectiuum, cum ſint formaliter exemplaria, & non ſunt reſpectus rationis, ſed reales, quia ſunt in eo ab æterno, & hi reſpectus non ſunt formales, ſed fundamentales, quia inſunt diuinæ naturæ per ſe, & cum ſint intrinſecè, & formaliter in ea, ſunt æterni.

d.35. q.1. Guilelmus Occham reſp. quod idea non habet quid rei, quia eſt nomen connotatiuum, ſeu relatiuum, nam omnis idea neceſſariò eſt alicuius idealis, vel ideati idea, & ideò non præciſè ſignificat aliquid vnum, ſed ſignificat vnum, & connotat aliquid aliud, vel illud idem, quod ſignificat, & propter hoc habet tantum quid nominis, & poteſt ſic deſcribi; Idea eſt aliquid cognitum a principio effectiuo intellectuali ad quod actiuum aſpiciens poteſt aliquid in eſſe reali producere; ſunt autem ideæ huiuſmodi ponendæ in Deo, non quidem vt ſint rationes cognoſcendi ipſas creaturas, nam præter ipſam diuinam eſſentiam nihil poteſt eſſe mouens effectiuè intellectum diuinum (quod eſt idem quod eſſe ratio cognoſcendi) ad cognoſcendum creaturas, nec tanquam ſimilitudines repreſentantes intellectui diuino ipſas creaturas, quia iſtæ ſimilitudines non poſſunt eſſe diuina eſſentia; quæ non eſt plurificabilis; ſed ſunt ponendæ præciſè, vt ad ipſas intellectus diuinus aſpiciens producat creaturas, & ratio eſt, quia Deus eſt rationabiliter agens.

d.39. q.14. Gerardus reſp. quod duo videntur eſſe de ratione ideæ, primum vt ſit forma exemplaris, ſecundum, vt ſit forma intellectualis, & hinc eſt, quod ideæ diuinæ dicuntur exemplaria exiſtentium, & rationes rerum fiendarum in diuina arte contentæ.

d.35. q.2. Guilelm. Rub. reſp. quod idea pro ſuo primario ſignificato non dicitur eſſe in Deo, niſi impropriè, ſicut impropriè aliquid dicitur eſſe in ſeipſo, cum non ſit aliud idea, quam diuina mens, ſeu eſſentia; pro ſuo verò ſecundario ſignificato, quod eſt ideatum, ſic obiectaliter dici poteſt, non formaliter eſſe in Deo, hoc enim modo quodcunque cognitum dicitur eſſe in cognoſcente.

d.39. a.2. Ioannes Bacconus reſp. quod communiter ideæ vocantur rationes, quæ diſtinctæ ſunt in intellectu diuino, iuxta quas creaturæ producuntur ad extra.

q.1. a.1. Marſilius reſp. quod ideæ poſſunt dici formæ cognoſcendi ideatorum, & ſic in Deo ſunt formæ cognoſcendi rerum producibilium ad extra; ſimiliter poſſunt dici exemplaria, ad quæ aſpiciens artifex producere poteſt in rebus ſimile ideatum, & etiam poſſunt dici voluntates, vel electiones artificis ſimile ipſius ideæ ad extra producentis, ſicut cognoſcit artifex domum, quã vult producere, & hæc cognitio poteſt dici idea.

tr.1 p.3. p.2. Nicol. de Nijſe reſp. quod ideæ non ſunt ponendæ in Deo tanquam rationes cognoſcendi creaturas, præſupponunt enim notitiam

tiam creaturarum, vel formaliter ſunt ipſæ creaturæ in eſſe cognito, ſed ſunt ponendæ tanquam rationes formandi, & producendi creaturas.

d. 36. disp. 1 Michael de Pal. reſp. quod eſſe intelligibile, quod habet creatura in Deo, vt eſt ſimilitudo creandorum eſt idea.

d. 4. Paulus Corteſius reſp. quod cum conſtet nullo modo caſu; ſed a Deo per intelligentiam agentem conſtitutum eſſe mundum, perfacile intelligi poteſt in intelligentia diuina eſſe formam, ad cuius ſimulacrum mundi machinam conſtruxerit.

p. p. q. 11. a. 1. dub. 1 Petrus Trigol. reſp. quod non ſolum eſt de fide credere in mente diuina eſſe ideas, ſed hoc etiam per rationes naturales probari poteſt; primò, quia Deus eſt agens rationabiliter; ſecundò, quia vniuerſum non eſt caſu factum, ſed intellectu, & electione, ac mirabili ordine conſtitutum; tertiò, quia ideæ ſunt principia operandi, & cognoſcendi; quartò, quia operari per eas eſt modus operandi perfectiſſimus.

q. 15. a. 1. disp. 1 Ludouicus Molina reſp. quod cum Deus ſit agens per intellectum, & voluntatem, ſcientia qua, & arte ſua præconcipiat modum fabricandi res, quas poſtea ex tempore condit, conſequens etiam eſt, vt ideæ rerum creandarum ſint in eo.

de tr. lib. 3. c. 5. Franciſcus Suarez reſp. quod idea nihil aliud eſt quam exemplar ad cuius imitationem artifex operatur; cum itaque Deus operetur vt ſupremus artifex, idcirco dicendum eſt eſſe ideas in eo.

d. 36. Archangelus Rub. reſp. quod cum entia non ſint a caſu, nec per neceſſitatem naturæ a Deo ſequitur quod ſint ab ipſo agente per intellectum, ſed quoniam omne tale agens habet rationem operis apud ſe, alioquin ignoraret quid ageret, igitur apud Deum ſunt rationes rerum, quæ dicuntur ideæ, & ponuntur in eo, quia habent rationem finis, & principij cognoſcendi, ipſe autem finis eſt omnium, & artifex.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod nomine idearum intelligimus ſpecies, & ſimilitudines rerum, quæ idcirco ponendæ ſunt in Deo, vt ſint rationes productiuæ, & cognoſcitiuæ creaturarum, cum enim creaturæ ſecundum ſuam actualem, & realem exiſtentiam non ſint in Deo, ad hoc vt cognoſcantur antequam producantur, & fiant, neceſſe eſt, vt ſaltem ſecundum aliquam earum ſimilitudinem, & formam præexiſtant in eo; hoc enim videmus in quocunque agente per intellectum, & a propoſito, vt eius quod facit, antequam faciat, formam habeat, & rationem.

Sed ſi imperfectum eſt illud agens, quod indiget in ſua actione aliquo exemplari? Obiectio.

Reſpondetur, quod imperfectum eſt agens, quod indiget aliquo exemplari extra ſe; non in ſe, quale eſt diuina eſſentia, cuius plurificatio rationũ eſt plurificatio idearum, cum ipſa ſit idea omnium. Ita D. Thomas, Aegidius, & Ricardus.

QVAESITVM XXII.

An ſint plures ideæ in Deo?

Alexand. reſp. quod idea, ratio, ſapientia, exemplar, & ars ſunt vnũ, & idem ſecundum rem, differunt tamen ſecundum dictionis modum, propter quam differentiam ideæ, & rationes dicuntur eſſe plures, non autem ſapientia, & exemplar, & ars, nam ideæ, & rationes ſe tenent ex parte rerum cognitarum, ideæ enim habent reſpectum ad formas, rationes ad fines, qui determinantur ſecundum eas, quæ quoniam ſunt plures, plures etiam ſunt ideæ, & rationes; ſapientia autem, exemplar, & ars ſe tenent ex parte cognoſcentis, quod cum non niſi vnum eſſe poſſit, ſimiliter vna eſt ſapientia, vnum exemplar, & ars vna. q. 23. m. 4. a. 1. §. 1.

d. 35. a. 9. Albertus reſp. quod idea tripliciter conſideratur, primò ſecundum id, quod eſt, & ſic eſt diuina eſſentia, ſiue diuinus intellectus, & ita eſt vna ſola, ſecundò in comparatione ad intelligentem per ideam, vel operantem, & ita ſimiliter eſt vna tantum, quia intelligens eſt vnum, & indiuiſibile, tertiò in relatione ad ea, quorum eſt idea, & ſic habet pluralitatem ex parte reſpectus ad illa, ſed hoc modo melius dicitur multorum idea, quam ideæ multæ.

tr. 13 q. 55. a. 2. Et iterum reſp. quod multa ſunt exemplaria in mente diuina ſub vnitate tamen, non pluralitate, illud enim vnum, quod eſt in ea, vt in cauſa ad plura refertur ſecundum diuerſas relationes formales.

d. 36. D. Thomas reſp. quod hoc nomen idea nominat eſſentiam diuinam ſecundum quod eſt exemplar imitatum a creatura; & quoniam alio, & alio modo ipſam imitatur creatura, ideo ipſa eadem eſſentia induit diuerſas rationes imitationis, quæ ſunt ideæ. Quarum plurificatio (inquit Franc. a Chriſto) non eſt plurificatio rerum re ipſa inter ſe, & ab eſſentia diſtinctarum, ſed rationum in-

Digitized by Google

intellectarum, non quidem per actionem intellectus creati, ſed diuini cum ſint rationes æternę. Item Trigoſius. Sed etiam creati, aſſerit Rubeus.

p p. q.11. a.2. Et iterum reſp. quod Deus habet ideam ordinis vniuerſi tanquam per ſe creati, & intenti ab ipſo, & ideo habet etiam ideam omnium rerum, quæ ſunt in vniuerſo, quia ratio totius haberi non poteſt, niſi habeantur propriæ rationes eorum, ex quibus ipſum totum conſtituitur.

Et de Verit. q. 3. ar. 2. Ipſa diuina eſſentia cointellectis diuerſis proportionibus rerum ab ipſam eſt idea vniuſcuiuſque rei, cum autem ſint diuerſæ rerum proportiones neceſſe eſt quoque plures eſſe ideas.

d 35. a 1. q 3. D. Bonau. reſp. quod hoc nomen idea ſignificat diuinam eſſentiam in comparatione, ſiue in reſpectu ad creaturam, idea enim eſt ſimilitudo rei cognitæ, & ideo eſt vna ratione eius, quod eſt ſecundum rem, quia eſt vna tantum eſſentia, plures autem ſecundum rationem, quia ideata, ad quæ reſpectum habet ſunt plura; plurificatio enim ſimilitudinis relatiuæ eſt a re, cui aſſimilatur.

d.36. pr 2. q 2. Aegidius reſp. quod cauſa quare ponere cogimur in Deo pluralitatem idearum eſt, quia conſiderato ordine, & decore vniuerſi dicimus Deum rationabiliter agere quicquid agit, omne autem agens rationabiliter, dum ordinatè, & immediatè agit, non poteſt diuerſa agere ſecundum vnam, & eandem rationem, propterea ex neceſſitate arguimus in Deo plures rationes factiuas, ſecundum quas res ordinatè, & immediatè producit, & conſequenter plures ideas, nam ſecundum pluralitatem rationum ſumitur pluralitas idearum.

a.2. q.3. Ricardus reſp. quod eſt pluralitas idearum in diuino intellectu, quæ pluralitas attenditur ſecundum diuerſas relationes rationis diuinæ eſſentiæ, quæ eſt forma diuini intellectus ad diuerſas creaturas, & quia relatio rationis non conſequitur rem niſi inquantum eſt intellecta, ideo eſt pluralitas idearum in Deo, per hoc quod diuinus intellectus intelligit eſſentiam ſuam, vt diuerſarum creaturarum repreſentatiuam, & vt ab eis imitabilem.

q.1. a.2. Herueus reſp. quod eſt pluralitas idearum in Deo ſecundum rationem intelligendi, quæ pluralitas primò prouenit virtualiter ex perfectione diuina, inquantum eſt repreſentatiua excedens vnumquodque repreſentatum, ſecũdariò ex creaturis repreſentatis, ex quarum parte eſt pluralitas ſecundum rem.

Durandus reſp. quod idea poteſt dici res creabilis vt intellecta, quæ eſt imitabilis a ſeipſa vt effecta, & ſimiliter poteſt dici eſſentia diuina, vt eſt imitabilis aliqualiter a creatura; primo modo non eſt tantum vna idea in Deo, ſed plures, quia plures res creabiles ſunt a Deo ab æterno intellectæ, & ita ſunt in Deo obiectiuè, ſecundum quem modum ideæ pertinent ad intellectum; ſecundo modo verò ſic propriè loquendo in Deo eſt vna tantum idea, quia eſt vna tantum eſſentia, plures tamen rationes ideales, quia ſunt plures reſpectus rationis, qui ſunt reſpectus imitabilitatis, quot enim ſunt perfectiones communes Deo, & creaturis, tot ſunt reſpectus imitabilitatis diuinæ eſſentiæ a creaturis. d.36. q.4.

Petrus Aur. reſp. quod ideæ plurificantur in Deo ſecundum quod plurificantur conceptus, quos important ab inuicem diſtinctos ratione connotatorum coincidunt tamen quantum ad id, quod important in recto in vnam rationem ſimplicem, & indiuiſibilem deitatis, quæ eſt diuina eſſentia. p.2. a.1.

Thomas ab Argent. reſp. quod ideæ in Deo ſunt plures, quæ tamen non diſtinguuntur ab inuicem, neque formaliter ex natura rei, neque per actum intellectus creati, ſed per actum intellectus diuini; cum enim intellectus diuinus ſit infinitæ perſpicuitatis adæquatus eſt eſſentiæ diuinæ, quæ eſt infinitæ intelligibilitatis, & propter hoc diuinus intellectus intelligens perfectè ipſam diuinam eſſentiam, non ſolum vt abſolutè intelligibilis eſt ſecundum ſuam entitatem formalem, ſed etiam vt intelligibilis eſt in habitudine ad alia ſecundum ſuam continentiam virtualem penes multitudinem talium habituum intellectus diuinus exprimit actualiter diſtinctionem idearum, ſecundum quod originaliter motus eſt ab eſſentia iuxta ſuam continentiam virtualem. d.36. q.1. a.2.

Gerardus reſp. quod pluralitas idearum ſumitur ex earum diſtinctione, quæ eſt diſtinctio ſecundum rationem, & non tantum proueniens ex noſtro modo intelligendi; nam talis diſtinctio remanet etiam in patria dicente D. Auguſtino quod anima rationalis viſione idearum ſit beatiſſima, ſed prouenit ex natura rei neceſſitantis, ideæ enim ſecundum ſuum eſſe conceptibile, & diffinibile connotant diſtinctionem realem ideatorum, & ex hoc ipſo habent, quod neceſſitent intellectum ad diſtinguendum inter eas, quia impoſſibile eſt concipere eas cum ſuis diuerſis a.2.

connotatis, ſecundum vnam, & eandem rationem.

d.35. q.2. Guilelm. Rubion reſp. quod accipiendo ideam pro ſuo primario ſignificato, ſic in Deo eſt vnica, quoniam vnica eſt diuina eſſentia, & conſequenter eius notitia, cum ſit ab ipſa totaliter indiſtincta, accipiendo verò pro ſuo ſecundario ſignificato, ſic ſunt plures ideæ, quia .ſ. plura ideata, hæc enim ſunt ideæ ſecundaria ſignificata.

d.38. a 3. Ioannes Bacc. reſp· quod ideæ non diſtinguuntur in intellectu diuino ex natura rei, quia non cognoſcuntur diſtinctè ex hoc, quod diſtinctè res repreſentantur, ſed quia intellectus diuinus ex comprehenſione ſuæ naturæ ipſas diſtinctiſſimè cognoſcit, ex quadam conſecutione .ſ. & reſultatione.

d 35. q.vn. Nicol. de Orb. reſp. quod in Deo non eſt pluralitas idearum ſecundum rem cum eſſentia diuina ex ſua infinitate ſit repreſentatiua omnis rei producibilis, ſed eſt pluralitas ſecundum rationem, quæ quidem rationes diſtinguuntur iuxta diſtinctionem obiectorum, quæ a diuino intellectu cognoſcuntur, quibus a parte rei correſpondet in Deo vnitas diuinæ eſſentiæ, quæ eminenter continet omne producibile.

q.1. a.1. Marſilius reſp. quod plures eſſe ideas in Deo poteſt ſumi dupliciter, vno modo formaliter, & intrinſecè, & ſic non ſunt plures ideæ diſtinctæ in Deo, alio modo obiectiuè, & extrinſecè & ſic ſunt plures, immò infinitæ, quia infinita ſunt producibilia ad extra.

d.36. q.2. Ioannes de Baſſ. reſp. quod idea, cui conuenit primò, & principaliter ratio ideæ non eſt niſi vna cuiuſmodi eſt diuina eſſentia, idea verò participatiuè plurificatur, hæc eſt enim quiditas creaturæ in eſſe cognito, & intellecto.

q.vn. Ioannes Maior reſp. quod idea nihil aliud eſt, quam exemplar repreſentans artificij effectum ab eo ad extra producibilem, cum autem notitia Dei ſit ipſe Deus, ſequitur quod ideata quidem ſint plura, ſed non plures ideæ.

d.36. §.1. Guilelm. Eſtius reſp. quod ideæ dicuntur eſſentia Dei quatenus eſſentia eſt ſimilitudo, vel ratio vniuſcuiuſque rei, quamobrem cum pro numero rerum multæ ſint rationes intellectæ a Deo in ſua ipſius eſſentia, conſtat etiam plures eſſe ideas.

q 15. a.2. Ludou. Molina reſp. quod diſtinctio illa rationis, qua eſſentia diuina diſtinguitur a ſeipſa, ſecundum quod fundat diuerſos reſpectus imitabilitatis ſufficiens eſt, vt ſimpliciter, & in rigore concedendum ſit plures eſſe ideas in Deo.

Franc. Suarez reſp. quod in Deo non ſunt plures ideæ aliquo actu realiter diſtinctæ, ſed vna tantum ſuæ infinitæ arti adæquata, quæ eſt ipſum diuinum verbum, ſeu formalis conceptus eſſentialis, quem Deus habet de creaturis poſſibilibus; cum tamen creaturę ſint plures ſimpliciter, & vnaquæque ſuo peculiari modo commenſuretur exemplari diuino, idcirco & plures ſunt dicendæ ideæ ſimpliciter. de tr. lib. 3. c 5.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut vnaquæque res habet ſuam propriam formam, per quam eſt in ſe, ita & ſuam ſpeciem, & ſimilitudinem, per quam eſt in mente diuina; ſicut itaque ſunt plures res in ſe, ita quoque neceſſe eſt vt ſint plures ſpecies, & ſimilitudines in Deo, quæ ſunt ideæ, quæ tamen ſunt vna diuina eſſentia, quæ ob ſuam infinitatem omnes res repreſentat, & ideo exiſtens vna in re plurificatur in ratione ſpecierum, & ſimilitudinum, abſque repugnantia ſuæ ſimplicitatis, & vnitatis, cum huiuſmodi pluralitas non ponat diſtinctionem aliquam in re ipſa, ſed tantum in repreſentando diuerſa obiecta, cum enim vna, & ſimplex ſit, plura repreſentat, & cum infinita ſit, omnium in ſe continet rationes; & propter huiuſmodi continentiam, & repreſentationem plurificatur vt idea, & dicuntur eſſe plures ideæ.

Sed ſi diuina eſſentia eſt per ſe ſufficiens forma, ſiue idea ad repreſentandum quæcunque obiecta? Obiectio.

Reſpondetur, quod diuina eſſentia eſt per ſe ſufficiens forma, ſiue idea ad repreſentandum quæcunque obiecta, non quidem, vt idea, & forma, ſic enim plurificatur, ſed vt res, quia vna, & eadem res eſt plures ideæ.

QVAESITVM XXIII.

An ſint infinitæ ideæ in Deo?

D. Bonau. reſp. quod ſicut diuinæ ſapientiæ non eſt numerus, ita nec rationum eius, quæ ſunt ideæ; quod etiam probat, ex infinitate ſpecierum numeri, ex potentia producendi infinita, & ex eo quod dato quocunque finito poteſt vltra cognoſcere. Item Trigoſius. d.35. a 1. q.5.

Ricardus reſp. quod diuina eſſentia intelle- d.36.

a. 2. lecta ab intellectu diuino, vt imitabilis mo-
q. 5. dis infinitis habet rationem infinitarum idearum, & ſic infinitæ ſunt ideæ in Deo.

d. 47. Franc. Maro reſp. quod indiuidua non
q. 1. poſſunt cognoſci diſtincta, & inquantum ſunt diſtincta per vnam eandem rationem cognoſcendi, & ideo ſicut ſunt indiuidua infinita in potentia, ita & ideas oportet eſſe infinitas.

d. 36. Thomas ab Argent. reſp. quod idea eſt
q. 1. forma exemplaris, ad cuius ſimilitudinem
a. 2. ad extra aliquid eſt a Deo cognoſcibile, & quoniam Deus infinita cognoſcit, & infinita producere poteſt, ideo infinitæ ſunt ideæ: Extrinſecè tamen, & obiectiuè (inquit Marſilius) nam intrinſecè, & realiter eſt vna tantum, quæ eſt eſſentia.

q. 6. Petrus Aliacen. reſp. quod in Deo non
a. 2. ſunt plures ideæ, quam duæ, quæ ſunt in eo realiter, & propriè, ſcilicet Filius, & Spiritus ſanctus; ſed infinitæ intellectualiter, & obiectiuè, quia infinitæ ſunt res producibiles, quæ in Deo non ſunt realiter propriè; ſed ſolum intellectualiter, & obiectiuè, ſcilicet tanquam quædam cognita ab ipſo.

d. 36. Ioannes de Baſſol. reſp. quod poſſibilis
q. 2. eſt proceſſus in infinitum in quiditatibus alterius, & alterius rationis; cum ergo Deus cognoſcat actualiter, & diſtinctè omnes tales quiditates, & tales quiditates cognitę fiat ideæ, non quidem principaliter, & primariò, quia ſic eſt vna idea, quæ eſt diuina eſſentia, ſed participatiuè, & ſecundariò; idcirco ideæ ſunt infinitæ.

d. 35. Guilelmus Varrill. reſp. quod Deus habet
a. 1. ideas proprias omnium numerorum, omniū punctorum in linea, omnium inſtantium téporis, & quoniam hæc omnia ſunt infinita, igitur & ideas habet infinitas. Et Ioan. Vig. tot ſunt ideæ, quot ſunt res ad extra poſſibiles: ſi finitæ, finitæ; ſi infinitæ, infinitæ.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod cum ſit diuinus intellectus infinitus, ac proinde infinita cognoſcat, non poteſt ea cognoſcere, prout ſunt ſibi præſentia in ſe, ſiue in eſſe ſuo actuali, quia non ſunt; cognoſcit ergo per ſuas ſimilitudines, et ſpecies, quæ ſunt ideæ, ideæ ergo ſunt infinitæ, quia cognoſcibilia ſunt infinita.

Obiectio. Sed ſi in Deo nulla eſt confuſio? infinitas autem ponit confuſionem.

Reſpondetur, quod infinitas ſecundum diuerſitatem realem ponit confuſionem, talis autem non eſt idearū infinitas. Ita D. Bonau.

QVÆSITVM XXIV.

An idea in Deo ſit diuina eſſentia, an verò creatura cognita?

D. Thomas reſp. quod eſſentia diuina p. p.
quatenus intelligitur imitabilis ab q. 15.
hac, & ab illa creatura, ſic intelli- a. 2.
gitur a Deo, vt propria ratio, & idea huius, & illius creaturæ. Hinc Caetanus, & recentiores Thomiſtæ tenent eſſentiam diuinam intantum habere rationem ideæ, inquantum eam Deus intelligit, vt imitabilem a creaturis. Ita Franciſcus a Chriſto, & Trigoſius.

Aegidius reſp. quod ideæ non dicunt eſ- d. 36.
ſentiam abſolutè conſideratam; ſed nomi- pr. 2
nant eam cum quodam reſpectu, prout ſci- q. 2.
licet a creatura eſt imitabilis, Non ita tamen vt intelligatur talis reſpectus eſſe differentia intrinſeca, & conſtitutiua ideę, ſed magis quædam paſſio extrinſeca diſtinctiua, explicat Gerardus.

Ricardus reſp. quod idea poteſt accipi tri- d. 36.
bus modis, vno modo ſecundum quod no- ar. 2.
minat quiditates iſtorum ſenſibilium ab iſtis q. 2.
ſenſibilibus realiter ſeparatas; alio modo ſecundum quod nominat eſſentiam creaturæ, inquantum eſt intellecta ab intellectu diuino; tertio modo ſecundum quod dicit intrinſecus in Deo rationem cognoſcitiuam creaturarum, & operatiuam, & hoc modo dicit diuinam eſſentiam, non ſecundo, & primo. Siue autem quatenus eſt imitabilis a creatura, ſiue quatenus intellecta, vt imitabilis, vtraque opinio (inquit) vt probabilis teneri poteſt.

Henricus reſp. quod ideæ ſunt rationes co- a. 68.
gnoſcendi, quæ ſecundum rem ſunt idem q. 5.
quod natura diuina; ſunt autem (inquit) duo modi rationum in arte diuina; vna eſt ratio cognoſcendi illa quæ ſunt extra, & non obiectum cognitum, aut in eſſe inſtitutum, & eſt verbum; alia verò eſt ratio cognoſcendi, & eſſendi illorum, quæ ſunt extra, & obiectum cognitum, atque in eſſe eſſentiæ inſtitutum.

Ioan Scotus reſp. quod ideæ ſunt ipſa obie- q. vni.
cta, cognita, & intellecta, vt v. gr. homo, lapis d. 35.
intellectus, eſt enim ratio factibilis extra propria ſib. ſicut arca in mente poteſt dici ratio arcæ in materia, & eſt propria ratio, ſecundum quam in materia formatur, & iſta ratio eſt æterna in mente diuina, vt cognitum in cognoſcente per actum intellectus di-

uini, quicquid autem eſt in Deo per huiuſmodi actum eſt æternum.

d.36. q.1. Durandus reſp. quod illud, ad quod intellectus agens per artem, vt aliquid poſſit producere aſpicit, eſt eius obiectum; ideæ ergo in mente diuina non ſunt aliud, quam obiectum eius; eſt autem duplex obiectum diuini intellectus primarium, quod eſt diuina eſſentia, & ſecundarium, quod eſt creaturæ; ideæ ergo ſunt ipſæ creaturæ, vt obiecta cognita, & ſimiliter ipſa diuina eſſentia; inquantum habet rationem imitabilis ſecundum illas conditiones, quæ ſunt perfectiones ſibi communes, & creaturis, nam ſecundum illas, quæ non ſunt perfectiones in ea, ſed ſibi opponuntur, vt ſunt creatum, finitum, & huiuſmodi, nullo modo eſt idea.

d.37. Thomas Anglicus reſp. quod cum Scotus dicit ideas eſſe eſſentias creaturarum, vt intellectas a Deo eſt valde probabile, ſed tamen cum hoc ſtat, quod eſſentia diuina, vt imitabilis a creatura ſit idea, quia idea non dicit niſi formam exemplarem, forma autem exemplaris, ſeu exemplar, duo importat abſolutum, quod eſt ipſum exemplar, & non eſt relatio, & relationem fundatam in tali abſoluto, illud ergo abſolutum eſt vnũ, ſcilicet ipſa diuina eſſentia, ſed relationes eius ſunt diuerſæ, & ad diuerſa exemplata.

d.47. q.1. Franciſcus Maro reſp. quod ideæ formaliter, & diffinitiuè diſtinguuntur a diuina eſſentia, quia ſunt ad aliud, non tamen realiter, licet ſint reales, quia ſunt reales eadem realitate, qua eſt realis diuina eſſentia.

d.35. q.5. Guilelmus Occham reſp. quod ideæ non ſunt ipſa diuina eſſentia; tum quia ideæ ſunt plures, eſſentia autem nullo modo eſt plurificabilis; tum etiam, quia vel ideæ ſunt in mente diuina ſubiectiuè, aut obiectiuè; non ſubiectiuè, quia tunc ibi eſſent plura ſubiectiuè, quod eſt manifeſtè falſum; ergo tantum obiectiuè, ſed eſſentia non eſt tantum in Deo obiectiuè, igitur non eſt idea; ſunt ergo ideæ ipſæ creaturæ cognitæ, quoniam ipſæ ſunt cognitæ ab intellectu actiuo, & Deus ad ipſas aſpicit, vt rationabiliter producat.

d.35. q.2. Guilelm. Rub. reſp. quod ideæ in Deo ſunt ipſa diuina eſſentia, non quidem vt abſolutè ſumpta, ſed vt omnium actualis notitia, ſic enim eſt exemplar repræſentans ei omnes effectus producibiles ab eo in re extra.

d.39 a.2. Ioannes Baccon. reſp. quod Deus cognoſcendo ſeipſum, & omnia adunatè, cognoſcit conſecutiuè creaturas ſecundum propria eſſe, quæ nata ſunt eis conuenire, & hoc in intellectu diuino eſſe diſtinctas rationes, iuxta quas creaturæ diſtinctè poſſunt produci extra, & ideo ideæ ſunt in Deo ipſæ creaturæ ſic conſecutiuè cognitæ; & propterea notat, quod nunquam inuenitur, quod D. Aug. alicubi ponat ideas, niſi in diuina intelligentia, non autem in eſſentia, ex quo vult inferre, quod non ſunt ſubiectiuè, ſed obiectiuè in Deo.

Marſilius reſp. quod ideæ non ſunt creaturæ productæ, vel producibiles, ſed diuina eſſentia, quia eſſentia diuina eſt principalis forma, & ratio, ſecundum quam omnia producta facta ſunt, & ſecundum quam omnia producenda producuntur, ad ipſam enim Deus aſpiciens cuncta producit, vt ſunt veſtigia eſſentiæ diuinæ, & per verbum, quod eſt intentio eſſentiæ ſuæ. q.1. a.1.

Ioannes de Baſſol. reſp. quod ratio ideæ primò, & principaliter conuenit diuinæ eſſentiæ, ſecundariò verò, & participatiuè conuenit quiditati, vel eſſentiæ creaturæ in eſſe cognito, vel intellecto, & vt eſt obiectiuè in ipſo. d.36. q.2.

Michael de Palat. reſp. quod idea eſt ſimilitudo rei creabilis, quæ ſimilitudo eſt ipſa diuinitas, & ideo idea creaturarum eſt in Deo diuinitas ſecundum rem, quamuis formaliter, aut ratione diſcrepet. d.36. diſp.1

Guilelm. Varrill. reſp. quod cum ideæ ſint entia rationis, non ſunt idem formaliter cum diuina eſſentia, cum tamen ſint æternæ, & nullum æternum diſtinguatur a diuina eſſentia, non diſtinguuntur realiter ab ipſa. Item Niiſe. d.35. a.2.

Ludou. Molina reſp. quod eſſentia diuina propriiſſime habet rationem ideæ creaturarum, & non ipſæ creaturæ, & ratio eſt, quia prius eſt creaturas poſſe fieri diuina potentia, quam eas habere rationem entis, & conſequenter rerum cognoſcibilium, idcirco enim ſunt entia, quia fieri poſſunt; exemplar ergo primum, in quo à Deo fieri poſſe conſpiciuntur, & habere rationem entis eſt ipſa diuina eſſentia, in qua virtute continentur, & cuius participatione ſunt, & eam ſuo modo imitando. q.15. a.1. diſp.2

Gregorius de Valen. reſp. quod idea rei eſt ipſamet eſſentia diuina, vt cognita a Deo tanquam id, ad cuius imitationem, ſeu ſimilitudinem quandam res ipſa producitur, & in quo etiam res tanquam in ſui quodam exemplare eminenti cognoſcitur a Deo, ſic enim in eſſentiam diuinam concurrunt omnes conditiones ideæ, quæ ſunt huiuſmodi, q.15. p.2.

pri-

primã, vt ſit forma rei non intrinſeca, ſed extrinſeca; ſecunda, vt ſit quodam immutabile, & æternum; tertia, vt ſit principium cognitionis rei, non qualecunque, ſed obiectiuum; quarta, vt ſit etiam principium operationis per modum exemplaris.

diſp. 72. c. 2. Gabriel Vaſqu. reſp. quod non res creatæ obiectiuè cognitæ ſunt ideæ in Deo, ſed ipſamet diuina eſſentia, quatenus eſt cognitio, & ſimilitudo quaſi expreſſa earum.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ideæ in Deo ſunt ſpecies, & ſimilitudines rerum, quæ quoniam diuerſum modum habent exiſtendi ab eis, non ſunt ipſæ res; ſunt ergo ipſemet diuinus intellectus, qui propter ſuam infinitatem omnibus eſt aſſimilabilis; & quoniam intellectus non diſtinguitur ab eſſentia, ideæ quoque ſunt ipſa eſſentia non res, prout diſtinguuntur ab ea.

Obiectio. Sed ſi idea formaliter conſiſtit in relatione ad ideatum? eſt enim formaliter ſimilitudo; eſſentia autem diuina ſecundum rem nõ importat relationem ad creaturam.

Reſpondetur, quod idea ſimpliciter, & formaliter eſt forma abſoluta, nimirum diuina eſſentia, includit tamen reſpectum ad creaturam, non inquantum eſſentia, ſed in quantum idea, & huiuſmodi reſpectus eſt reſpectus rationis.

QVAESITVM XXV.

An omnia habeant ideam in Deo?

d. 35. a. 10. ALbertus reſp. quod idea eſt ſpecies efficiens, quam imitatur quantum poteſt id, quod efficitur; aliquid ergo imitatur eam, vt ens potentia tantum, ſicut materia prima; aliquid ſecundum actum permixtum potentiæ in ſucceſſione, vt motus, & tempus, vel in quiete, vt vacuum, & infinitum; aliquid pertingendo ad formam determinatam in actu, vt creaturæ, quæ modo, ſpecie, & ordine propriæ naturę determinantur.

d. 36. q. 2. a. 3. D. Thomas reſp. quod idea non eſt aliud, quam ſimilitudo, & ratio rei in Deo exiſtẽs, ſecundum quod eſt productiua, & prædeterminatiua illius; cum itaq; omnes res producantur a Deo, & ab ipſo prędeterminentur, ſequitur, quod omnium rerum a Deo ſunt ideę.

1. p. q. 15. Et iterum reſp. quod idea ſecundum quod exemplar eſt ſe habet ad omnia, quæ a Deo fiunt ſecundum aliquod tempus, ſecundum verò, quod principium cognoſcitiuum eſt ſe habet ad omnia, quę cognoſcuntur a Deo, etiam ſi nullo tempore fiant. Item Valentia. a. 3.

D. Bonau. reſp quod & vniuerſalium, & ſingularium ſunt ideæ in Deo, & conſequenter omnium; idea enim eſt ratio diſtinguendi, Deus autem non tantum diſtinguit vniuerſalia, ſed etiam ſingularia; cognoſcit ſimiliter Deus res ſecundum totum eſſe ſuum, vnde cum ſingulare aliquid addat ſupra vniuerſale, & idea ſit ratio cognoſcendi, ſequitur quod Deus cognoſcit per ideam tam vniuerſalia, quam ſingularia. d. 35. a. 1. q. 4.

Aegidius reſp. quod ideæ ſunt rationes factiuæ rerum, & ideo omnium eorum Deus ideam habet, quorum factor exiſtit, vt materiæ primæ, vniuerſalium, ſingularium, accidentium, licet non eodem modo, nam ſicut materia prima non diſtinguitur a forma actu, neque factione, neque exiſtentia, quia nec vlla actualitas, nec fieri, nec exiſtere conuenit ei ſine forma, ita non poteſt habere ideam in Deo diſtinctam actu ab idea formæ, vel factione, vel exiſtentia; ſed tantum cognitione, inquantum Deus cognoſcit naturam materiæ eſſe aliam a natura formæ; & ſimiliter ſicut vniuerſalia non diſtinguuntur actu a ſuis ſingularibus, nec factione, nec exiſtentia, quaſi ipſa per ſe ſint, vel fieri poſſint, vel exiſtere, ſed tantum cognitione, inquantum Deus cognoſcit eorum diſtinctionem a ſingularibus, ita Deus habet ideam eorum diſtinctam tantum cognitione ab idea ſingularium, non actu factione, & exiſtentia; accidentia verò propria, & inſeparabilia a ſubiecto, quia aliquam actualitatem habent præter actualitatem ſubiecti, non tamen aliam factionem, & exiſtentiam, quia nec per ſe fieri, nec exiſtere ſine ſubiecto poſſunt, habent ideam in Deo diſtinctam ab idea ſubiecti, cognitione, & actu, non factione, & exiſtentia; accidentia autem ſeparabilia ideam habent in Deo diſtinctam ab idea ſubiecti etiam factione, quoniam non ſimul cum ſubiecto fiunt, non tamen exiſtentia, quia per ſe exiſtere non poſſunt; ſingularia tamen ſicut cognoſci poſſunt diſtinctè, actu eſſe, per ſe fieri, & exiſtere, ita ideam habent in Deo diſtinctam cognitione, actu, factione, & exiſtentia. pr. a. q. 4.

Ricardus reſp. quod in Deo ſunt ideæ omnium eorum ſingularium, quæ fiunt, & quæ ſunt poſſibilia fieri, ſi tamen aliquando fient, eorum autem, quæ nunquam fient, etiamſi ſint d. 36. a. 2. q. 1.

ſint poſſibilia fieri, ſunt quidem rationes cognoſcendi in eo, ſed non ideæ, ideæ enim non ſolum important rationes cognoſcendi, ſed etiam faciendi; ſunt ſimiliter ideæ omnium ſpecierum, & generum aliæ ab ideis ſingularium; ſunt & ideæ infinitorum extendendo nomen ideæ ad rationes cognoſcitiuas, nam Deus non ſolum cognoſcit infinita cognitione ſimplicis intelligentiæ, ſed etiam cognitione viſionis, quia cognoſcit infinita, quæ quidem futura ſunt, non in actu puro, ſed in actu permixto potentiæ.

q.1. a.4. Herueus reſp. quod ſi accipiatur idea, ſiue exemplar ſtrictè, & ſecundum illud, quod primò, & per ſe reſpondet ideæ, ſic non plurificantur ideæ niſi ſecundum pluralitatem ſpecierum; ſi autem accipiatur, & ſecundum id quod primò, & per ſe reſpicit, & etiam ſecundum illa, quæ ſecundariò, ita quod quodcunque repreſentatum acceptum in Deo cuicunque repreſentato correſpondeat, ſic ſunt tot ideæ, quot indiuidua exiſtentia, & poſſibilia exiſtere.

q.2. a.2. Petrus Aur. reſp. quod omnes res habent vnam, & communem ideam, & ſimpliciter indiſtinctam, quæ eſt ratio deitatis, ſingulæ tamen dicuntur habere propriam, & diſtinctam ideam, ſecundum quod connotantur; ſi enim non connotantur præcisè, non habent diſtinctam, & propriam ideam, vt materia, & forma, accidentia, tam reſpectiua, quam abſoluta, & intentiones ſecundæ, huiuſmodi enim potius dicuntur habere coideam cum his, ſine quibus intelligi non poſſunt, quam ideam; ſi verò præcisè connotantur; ſic dicuntur habere propriam, & diſtinctam ideam, vt indiuidua genera, & ſpecies de prædicamento ſubſtantiæ, & partes ſimiliter continui, cum hæc omnia præcisè, & diſtinctè poſſint concipi, & connotari.

d.35. q.5. Guilelm. Occham reſp. quod omnium rerum factibilium ſunt diſtinctæ ideæ in Deo, materiæ primæ, formæ, partium eſſentialium, integralium, ſingularium, quoniam hæc omnia ab ipſo Deo ſunt extra producibilia, ſunt enim ideæ ipſæ res producibiles extra; aliorum verò, quæ extra producibilia non ſunt, vt ſpecierum, generum, & differentiarum, aliorumque vniuerſalium, & communiter eorum, quæ non ſunt res diſtinctæ ab alijs rebus, vt negationum, priuationum, & huiuſmodi, non ſunt ideæ.

an.1 q.3 p.4. Nicol. de Nijſe reſp. quod omne poſitiuum habet ideam in Deo, & ratio eſt, quia omne tale eſt a Deo formabile, & habet in Deo eſſe cognitum.

d.36. diſp.1 Michael de Pal. reſp. quod quæ non ſunt factibilia, vt impoſſibilia, non habent ideam in Deo, neque negationes, priuationes, peccata, & huiuſmodi, & ratio eſt, quia idea eſt exemplar, & horum nullum eſt exemplar in Deo.

d.35. q.2. Guilelmus Varrilh. reſp. quod reſpectu complexorum contingentium Deus non habet ideas, cum ea cognoſcat determinatione voluntatis ſuæ, ſed bene reſpectu omnium incomplexorum creabilium, quia eſt ſummus artifex, & ſummus artifex ſummè nouit artificium ſuum.

q.3. Franciſcus a Chriſto reſp. quod Deus habet omnium ideam, entium, non entium, poſſibilium, & impoſſibilium; entium, quia eſt omnium cauſa; non entium, quia ſcibilia comparata ad diuinam eſſentiam non aliam habitudinem habent ex eo, quod ſunt entia, quam ex eo, quod non ſunt entia, vnde ſicut cognoſcit entia, ita non entia; poſſibilium, quia eorum, quæ nunquam erunt habet cognitionem practicam virtualem, eorum verò, quæ aliquando erunt, actualem; impoſſibilium tandem, quia hæc ſunt imaginabilia, & conſequenter poſſunt habere ideam.

q.15. a.3. Ludouicus Molina reſp. quod ſi loquamur de idea, vt eſt exemplar, quo Deus actu vtitur ad agendum, in eo ſolum eſt idea eorum, quæ ſunt, fuerunt, & erunt, non autem eorum, quæ eſſe poſſunt, nunquam tamen erunt, & ratio eſt, quia ſolis exemplaribus priorum rerum, non verò poſteriorum vtitur Deus in rerum effectione; ſi loquamur verò de idea, vt eſt exemplar, quo Deus vti poteſt ad agendum, in Deo ſunt ideæ omnium rerum, quæ quacunque ratione eſſe poſſunt, & ratio eſt, quia in Deo ſunt exemplaria omnium, cernitque Deus ſe poſſe vti vnoquoque eorum ad producendum eam rem, cuius habet exemplar; atque ita indiuiduorum ſubſtantiæ, & ſimiliter accidentium, quæ tum inter ſe, tum etiam a ſubſtantijs reipſa diſtinguuntur, & etiam materiæ primæ, quæ a Deo partiali productione producitur, & diuina potentia ſine forma ſubſtantiali produci poteſt, ſunt ideæ diſtinctę in Deo; naturę verò communes in indiuiduis ſubſtantię incluſę, quoniam non aliter produci poſſunt, quam ad illarum productionem, nec alia productione, diſtincta idea opus non habent.

de tr. lib.3. Franc. Suarez reſp. quod Deus habet ideas omnium rerum, quas per ſe, ac propriè facit.

eit, & facere poteſt, & etiam materię primę, cum materia prima habeat ſuam propriam entitatem, & proprium actum entitatiuum, ac proprium eſſe, ex quo proprio, & diſtincto conceptu cognoſcitur, licet cum habitudine tranſcendentali, & dependentia a forma.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut dictum eſt, ideæ ſunt formæ, & ſimilitudines rerum in diuina mente, intantum autem res habent de forma, & de ſimiliudine, inquantum habent de ente; & quoniam hoc habent a primo ente, quod eſt Deus, idcirco omnia, quæ aliquo modo habent rationem entis, habent quoque ideam in Deo, quam imitantur, vel imitari poſſunt ſecundum eſſe actuale, & in ſeipſis.

Obiectio. Sed ſi quę actualiter ſunt, ſunt etiam præſentia Deo? ac proinde non indigent ſimilitudinibus, & ideis ad hoc, vt cognoſcantur a Deo, neque efficiantur, quia iam ſunt effectæ.

Reſpondetur, quod quæ ſunt actualiter non indigent ſimilitudinibus, & ideis, ad hoc, vt cognoſcantur a Deo, neque vt efficiantur, ſed indigebant antequam eſſent, & efficerentur, quæ ideæ cum ſint æternæ adhuc ipſis rebus effectis, & præſentibus manent in diuina mente, ſicut ipſa mens adhuc eſt idea nulla imitabilitatis deperdita ratione.

QVÆSITVM XXVI.

An mala habeant ideam in Deo?

d.36. a.6. ALbertus reſp. quod licet malum habeat ſubiectum, non tamen eſt ſeparabile ab eo, niſi ſecundum intellectum, & ideo ſubiectum illud non refertur ad cauſam, niſi coniunctum cum deformitate; & quoniam coniunctum cum deformitate non poteſt referri. niſi ad liberum arbitrium, vt ad cauſam, & non vlterius in Deum, idcirco malum non poteſt habere ideam in Deo.

tr.13 q.55. q.3. Et iterum reſp. quod cum nulla ſit mali per ſe exiſtentis participatio, malum enim ex ſe nihil eſt, ſequitur quod nec etiam ſit in Deo aliqua eius forma, ſiue idea, cuius enim nulla eſt participatio, nulla quoque poteſt eſſe forma.

q.3. a.4. D. Thomas reſp. quod mala non habent propriam ideam in Deo, nec ſecundum quod idea eſt exemplar, quia nihil, quod eſt in Deo poteſt eſſe principium mali formatiuū, nec ſecundum quod ratio, vel ſimilitudo, quia ſecundum D. Auguſtinum malum dicitur ex hoc ipſo, quod non habet formam, vnde cum ſimilitudo attendatur ſecundum formam aliquo modo practicam, non poteſt eſſe, quod malam aliquam ſimilitudinem habeat in Deo, cum aliquid dicatur malum ex hoc ipſo, quod a participatione diuinitatis recedit.

Aegidius reſp. quod idea non ſolum eſt principium producendi, ſed etiam cognoſcendi; cum itaque Deus non ſolum cognoſcat bona, quorum eſt auctor, ſed etiam mala, quorum eſt vltor, neceſſe eſt, vt & bona, & mala ideam habeant in eo, bona, vt quam imitantur, mala verò, vt a qua diſcordant, & recedunt. *d.36. pr.2. q.4.*

Herueus reſp. quod illa, quæ dicunt priuationem, ſicut malum, cecitas, & huiuſmidi, licet ſciantur a Deo, non tamen habent ideam in ea, ſed cognoſcuntur per ideas ſuorum opoſitorum, & ratio eſt, quia cum idea ſit forma exemplaris repreſentans aliquid, vt producibile ad eius imitationem, nullum non ens, aut priuatio poteſt aliquā formam imitari. Nulla priuatio, inquantum priuatio habet ideam in Deo. Argentina. Neque vllum figmentum, aut ens rationis. Baſſolus, Vigerius, Molina. Neque impoſſibilia, Eſtius. Neque res, quæ non ſunt diſtinctæ ab alijs, Occham, *q.12 a.4.*

Petrus Aureol. reſp. quod mala inquantum mala non habent ideam in Deo, ſed in quantum ſunt entia rationis, ſic enim connotantur ab ipſa diuina eſſentia, quæ eſt ſimilitudo eminens, & exemplar eorum, quæ aliqualiter exiſtunt. *p.2. a.2.*

Marſilius reſp. quod idea eſt principalis ratio diuina, & forma aliquid faciendi; cum itaque mala culpæ Deus non poſſit facere, non habent hæc rationem exemplarem in eo, & ex conſequenti, nec propriè ipſorum repreſentatiuam ideam, eſt enim eadem ratio in Deo rem faciendi, & eam cognoſcendi. *q.38. a.4.*

Archang. Rub. reſp. quod mala dici poſſunt habere ideas in Deo, inquantum in eo exiſtunt ideæ bonorum, a quibus etiam ipſa recedunt, & diſcordant. *d.36.*

Reſolutio.

REſpondeo, quod intantum aliqua habent ideam in Deo, inquantum habent rationem entis, ſecundum quam ipſam imi-

Digitized by Google

Imitantur, vel imitari poſſunt; cum itaque mala habeant aliquam rationem entis, quia ſunt, licet præter ordinem naturę, vel rectitudinem iuſtitię, ſunt enim pręter huiuſmodi ordinem naturæ, & rectitudinem iuſtitię, idcirco ſecundum quod habent rationem entis, habent ideam in Deo, ſed inquantum deuiant ab ordine naturę, & a rectitudine iuſtitiæ, non habent.

Obiectio. Sed ſi mala etiam, vt deuiant ab ordine naturæ, & a rectitudine iuſtitiæ cognoſcuntur a Deo, & non tantum quando ſunt, ſed etiam antequam fiant?

Reſpondetur, quod mala prout deuiant ab ordine naturæ, & a rectitudine iuſtitię non cognoſcuntur a Deo per ideam propriam, ſed per ideam eorum, quę ſequuntur ordinem naturę, & rectitudinē iuſtitię.

QVÆSITVM XXVII.

An ideæ pertineant ad ſcientiam practicam, an verò ſpeculatiuam?

d.35. a.8. ALbertus reſp. quod ideę dicunt reſpectum ad rem, & ideo propriè loquendo pertinent ad intellectum practicum.

p.p. q.15. a.3. D. Thomas reſp quod idea in mente diuina, ſecundum quod eſt principium factionis, exemplar dici poteſt, & ad practicam cognitionem pertinet, ſecundum autem quod principium cognoſcitiuum eſt propriè dicitur ratio, & poteſt ad ſpeculatiuam ſciētiam pertinere.

Et de Veritate q.3. ar. 3. reſp. quod ſi loquamur de idea ſecundum propriam nominis rationem, prout eſt forma, ſic non extendit ſe niſi ad illam ſcientiam, ſecundum quam aliquid formari poteſt, & hęc eſt cognitio actu practica, vel virtute tantum, quæ etiam quodammodo eſt ſpeculatiua, ſed ſi loquamur de ea ſecundum rem, prout eſt ſimilitudo, vel ratio rei, ſic pertinere poteſt ad ſcientiam ſpeculatiuam.

d.36. pr.2 q.1. Aegidius reſp. quod idea poteſt pertinere ad ſcientiam practicam, & ſpeculatiuam, ad ſpeculatiuam, prout per eam Deus res cognoſcit, ad practicam, prout per eam Deus res producit, & ſi conſideratur in ordine ad ea, quę poteſt producere dicitur etiam practica, ſed virtute; Et hęc (inquit) diſtinctio conuenit ideæ, ſi conſideratur quantum ad id, quod eſt, prout ſcilicet dicit eſſentiam cum imitabilitate, ſi verò conſideratur quantum ad vocem, quia hoc nomen ideę non interpretatur ratio, ſed forma, cum forma ſemper videatur importare rationem principij; idea quoque pertinet ad ſcientiam practicam, ſecundum quam Deus eſt principium, & cauſa rerum. Secundum propriam nominis rationem potius, & verius pertinet ad cognitionem practicam, quá ſpeculatiuam, inquit Franc. a Chriſto.

Henricus reſp quod licet Deus operetur per intellectum, vt operanda præcognoſcentem, non tamen vt de aliquo tanquam de operando ſpeculantem, vel quod operandum eſt determinantem; vnde ideæ in Deo non ſunt rationes operationis practicę, ſed purè ſpeculatiuæ, habet enim ęqualiter ideas, tam illorum, quę nunquam eſt facturus, quam eorum, quæ aliquando fecit, vel faciet. a.36. q.4.

Ioannes Scotus reſp. quod ideę quidem repreſentant operabilia, quia ſunt obiecta ſecundaria, ſecundum quę fiunt aliqua extra, non tamen includunt aliquam notitiam dictatiuam de operando, vel de non operando, quod eſt neceſſarium ad hoc, quod aliquid pertineat ad ſcientiam practicam. d.38.

Durandus reſp. quod tam in habitibus, quam in actibus, quę pertinent ad notitiam practicam, vel ſpeculatiuam ex natura rei cognitæ dicuntur pertinere ad notitiam practicam, vel ſpeculatiuam ſimpliciter, quę verè ex natura tantum ſcientis, ſecundum quid; & quoniam ideę pertinent ad notitiam practicam ex parte rei cognitæ, quia cognita ſunt operabilia, & ipſæ ideę ſunt exemplaria, ad quæ aſpiciens artifex operatur, & ad ſpeculatiuam ex parte ipſius Dei ſcientis, qui cognoſcit etiam ea, quę operatur, nec vult operari, idcirco ideę pertinent ad practicam ſimpliciter, ad ſpeculatiuam verò ſecundum quid. d.36. q.4.

Guilelm. Occham reſp. quod ſicut notitia factibilium a Deo eſt practica, ita etiam ipſę ideę poſſunt dici (licet non ſit proprius modus loquendi) aliquo modo practicæ, & ex conſequenti ad ſcientiam practicam pertinent, non ſpeculatiuam. q.6.

Gerardus reſp. quod vbi res eſt producibilis ab habente cognitionem, illud idem, quod eſt principium cognoſcendi eſt etiam principium operandi; cum itaque ideę ſint principia cognoſcendi, cum ſint quędam exemplaria rerum factarum, & poſſibilium fieri exiſtentia in mente primi artificis, ſunt etiam principia operandi. q.1. a.8.

Petrus Trigoſius reſp. quod idea in Deo ſimpliciter loquendo pertinet ad rationem pra- q.21. a.6.

practicam, & eſt practica, ſed idea poſſibilium, quę nunquam erunt, aliquo modo, & ſecundum quid pertinet ad rationem ſpeculatiuam, & eſt ſpeculatiua.

de tr. lib. 3. c 5. Franciſcus Suarez reſp. quod nihil magis ad ſcientiam pertinet, quam conceptus ille formalis, qui de re ſcita formatur, nam per illum formaliter repreſentatur, & cognoſcitur; cum itaque in hoc conceptu ſint ideæ, vel potius ipſe conceptus, vt eſt de hac, & illa creatura, idcirco ideæ ſunt in diuina ſcientia, vel potius ipſa ſcientia, quæ cum ſit de creatura, quatenus a Deo fieri poteſt, & ſit velut ars, per quam fit, propterea ideæ pertinent ad ſcientiam practicam.

Reſolutio.

Reſpondetur, quod ſicut dictum eſt ideæ ſunt formæ, & ſimilitudines rerum, ſicut ergo ſe habent res ad ſcientiam Dei, ita etiam & ideæ; quoniam igitur res aliquę ſe habent ad ſcientiam Dei in ordine tantum ad ſpeculationem, vt quæ nunquam erunt, aliquę verò in ordine ad ſpeculationem, & factionem, vt quæ aliquo tempore fiunt, idcirco & ideæ quædam pertinent ad ſcientiam ſpeculatiuam tantum, & quædam ad ſcientiam ſpeculatiuam, & practicam.

Obiectio. Sed ſi omnes res a Deo ſunt factibiles? talium autem neceſſe eſt vt ideæ pertineant ad ſcientiam practicam.

Reſpondetur, quod licet omnes res ſint a Deo factibiles, Deus tamen non ipſas ſpeculatur, vt factibiles, eſſet enim fruſtra hęc ſpeculatio, ſed tantum vt ſpeculabiles abſque ordine ad factionem, & ideo earum ideæ non pertinent ad ſcientiam practicam, ſed ſpeculatiuam tantum.

DISTINCTIO TRIGESIMA SEXTA.

Solet hic quæri cum omnia dicantur eſſe in Dei cognitione, ſeu preſcientia, &c.

QVAESITVM I.

An res creatæ ſint in Deo?

q 23. m. 4. a. 1. Alexand. reſp. quod omnia dicuntur eſſe in Deo, vt in cauſa efficiente, ſi non actu, ſaltem habitu, & vt in cognoſcente.

d. 36. a. 1. Albertus reſp. quod res omnes dicuntur eſſe in Deo ratione potentiæ, prout referuntur ad eius operationem, ratione voluntatis, prout referuntur ad eſſe, quod habent ab eo, & ratione ſcientiæ, prout referuntur ad exemplar, ſecundum quod producuntur.

D. Thomas reſp. quod eſſe in Deo poteſt intelligi dupliciter; vel eſſe in eſſe ipſius, & ſic nulla creatura poteſt eſſe in Deo; vel ſubiacere operi eius, & ſic omnia, quæ cognoſcuntur a Deo ſunt in eo. q. 1. a. 3.

D. Bonau. reſp. quod omnia, quæ dicunt aliquam entitatem, dicunt etiam veritatem; cum itaque omnia habeant aliquam aſſimilationem ad primam veritatem, igitur omnia ſunt in Deo. a. 3. q. 2.

Aegidius reſp. quod in Deo dicuntur aliqua eſſe, vel quia ſunt in eius eſſentia, vel in eius ſcientia, vel in eius potentia; ſicut ergo res dicuntur eſſe in potentia Dei, quia Deus illa poteſt, ita dicuntur eſſe in ſcientia eius, quia Deus illa ſcit, & in eſſentia, quia illa eſt; quia ergo Deus eſt ſua attributa, & perſonæ, perſonæ & attributa dicuntur eſſe in eſſentia Dei, res verò creatæ in ſcientia, & potentia, quoniam Deus ſcit, & poteſt illa. pr. 1 q. 3.

Ricardus reſp. quod ſi ſumitur eſſe in Deo vt obiectum in ſcientia eius, ſic omnia quæ cognoſcit Deus ſunt in eo, vt bona, & mala, præterita, præſentia, futura, & quæ etiam nunquam erunt, quia hæc omnia ſunt in ſcientia eius; ſi verò ſumitur vt dicit habitudinem cauſati ad cauſam, vtique mala non ſunt in Deo; neque ſimiliter ea, quæ nunquam erunt, niſi vt in cauſa potenti producere, & repreſentare; nunquam autem poſſunt dici eſſe in eius eſſentia, quia eſſentia ſignificat per modum formæ. a. 1. q. 3.

Durandus reſp quod ſi creaturæ conſiderentur ſecundum ſuum eſſe formale, ſunt quidem in Deo, quatenus ſunt in eius ſcientia, & potentia, quia Deus ſcit illa, & poteſt illa, non tamen in eius eſſentia, quia eſſentia non ſe habet ad creaturas in habitudine identitatis, neque ſecundum eſſentiam, neque ſecundum exiſtentiam; ſi verò conſiderentur ſecundum eſſe virtuale ſuæ cauſæ, ſecundum quod in ſua cauſa præexiſtunt, quod eſſe licet non ſit creaturarum formaliter, ſed potius creatoris, eſt tamen earum aliqualiter, & ſic creaturæ poſſunt dici eſſe in Dei eſſentia, quia ſunt ipſamet diuina eſſentia, quæ eſt ſua virtus creaturarum; ſic etiam poſſunt dici eſſe in Dei ſcientia, quia Deus ſcit eſſentiam ſuam, vt eſt virtus productiua creaturarum, ſed non debet dici, quod ſint in eius potentia, quia diuina eſſentia non ſubiacet ſuæ potentiæ, vt obiectum; & quia ſuppoſiti eſt eſſe, & agere, ideo quęcunque dicuntur q. 2.

tur quocunque modo eſſe in Dei potentia, ſcientia, vel eſſentia, ſecundum eundem modum poſſunt dici eſſe in Deo, cuius eſt eſſe, ſcire, & poſſe.

q.vn. Guilelm. Occham reſp. quod iſta propoſitio, omnia ſunt in Deo æquiualet huic ſecundum intentionem ſanctorum, omnia ſunt cognita a Deo, vel iſti, omnia ſunt producta, vel producibilia a Deo, & hoc modo creaturæ, ſeu perfectiones creaturarum, (quod idem eſt) continentur in Deo, non formaliter ſubiectiuè, ſed obiectiuè.

tr.1 p.2. p.8. q.8. Nicol. de Nijſe reſp. quod creaturę in Deo habent eſſe quadrupliciter: virtualiter tanquã in principio producente; actualiter, ſicut in cauſa conſeruante, & manutenente; exemplariter, ſicut in exemplari exprimente; & eminenter ſicut in perfectiſſimo, & eminentiſſimo continente.

d.35. q.6. Franc. a Ghriſto reſp. quod omnia entia creata ſunt in diuina eſſentia virtualiter, & eminenter; virtualiter, quia poteſt ea in eſſe producere, vnde continentur in eſſentia, ſicut effectus in ſua cauſa; eminenter verò, quoniam omnes rerum creatarum perfectiones in vna diuinæ eſſentiæ perfectione eiſdem æquiualente continentur.

d.36. §.1. Guilelmus Eſtius reſp. quod cum omnia, quę ſecundum aliquam differentiam temporis a Deo fiunt, non caſu fiant, ſed ſecundum exemplar in mente diuina ab ęterno prçexiſtens, neceſſe eſt eadem omnia in Deo eſſe ſecundum ideas quaſdam ei coęternas.

Reſolutio.

RESpondeo, quod res creatæ ſunt in Deo non ſolum vt effectus in ſua cauſa, & vt cognitum in cognoſcente, ſed etiam vt contentum in continente; cum enim Deus ſua infinitate contineat omnia, totumque vniuerſum ſuſtentet, quęcunque ſunt, neceſſe eſt eſſe in illo.

Obiectio. Sed ſi res creatæ ſunt diuerſæ a Deo, nihil autem eſt in Deo, quod ſit diuerſum ab ipſo?

Reſpondetur, quod nihil eſt in Deo formaliter, quod ſit diuerſum ab eo, ſecus autem contineater, obiectiuè, & cauſaliter, ſic enim res poſſunt eſſe in eo, ſtante etiam quod ſint diuerſæ ab illo.

QVÆSITVM II.

An res creata ſint in Deo verius, quam in proprio genere, ſiue in ſeipſis?

d.35. a.11. ALbertus reſp. quod cum dicitur res melius, & verius in Deo, quam in ſe, ſi ly melius & verius ſumitur vt aduerbium, ſic falſa eſt oratio, ſi verò vt nomen, ſic eſt vera, eſt enim ſenſus, quod res in Deo ſunt Deus, qui eſt quodam melius & verius, quam creatura.

Et iterum reſp. quod loquendo de eſſe ſimpliciter, res omnes habent verius eſſe in cauſa prima, quia ſic habent eſſe immutabiliter, & incorruptibiliter, quod non habent in ſeipſis; ſed loquendo de eſſe huius, inquantum eſt hoc, ſic habent eſſe verius in ſeipſis, quam in cauſa prima, verum enim conuertitur cum ente, & a forma, & actu dicitur, quod autem plus attingit de forma, & actu, plus attingit de veritate. tr.13 q.11. a.3.

D. Thomas reſp. quod pro tanto dicitur, quod creatura habet in Deo verius eſſe, quia omne, quod eſt in aliquo, eſt in eo per modum eius, in quo eſt, & non per modum ſui, vnde in Deo eſt per eſſe increatum, in ſe autem per eſſe creatum, in quo minus eſt de veritate eſſendi; aliquando tamen dicitur verius eſſe vbi eſt per ſuam ſimilitudinem, quam in ſeipſa, inquantum vbi eſt per ſimilitudinem eſt ſecundum eſſe intellectuale, & in ſeipſa materiale, quod eſſe intellectuale excedit materiale. d.36. q.1. ar.3.

Et in de Ver. q. 4. ar. 6. reſp. quod ly verius poteſt deſignare veritatem rei, vel veritatem prædicationis, ſi deſignet veritatem rei, ſic proculdubio maior eſt veritas rerum in verbo, quam in ſeipſis, ſi autem deſignet veritatem prædicationis, ſic eſt econtrà, verius enim prędicatur homo de re, quę eſt in propria natura, quam de ea, ſecundum quod eſt in verbo, nec hoc eſt propter defectum verbi, ſed propter ſupereminentiam ipſius.

D. Bonau. reſp. quod ſi res comparentur ad ſeipſas, ſic habent verius eſſe in ſeipſis, quam in Deo, quia in ſeipſis habent ſuam entitatem propriam, quam non habent in Deo; ſi verò comparentur ad ſuam ſimilitudinem, cum earum ſimilitudo ſit ęterna, & Deus, habent verius eſſe in Deo, quam in ſeipſis. Immo tanto verius (inquit Aegidius) ſunt in diuina eſſentia, quanto verius exiſtit creatrix eſſentia, quam creata. In ſeipſis ſunt puræ creaturę (inquit Varrill. & Nijſe) ſed in Deo Deus. In ſeipſis ſunt potentialiter, in Deo verò actualiſſimè, Michael de Palatio. Et Franciſcus a Chriſto. Ideales rerum rationes ſunt menſurę veritatis in omnibus rebus, & ideo ſummam etiam veritatem ſibi vendicant, & propterea res ipſę verius habent eſſe in Deo, quam in ſeipſis. a.2. q.2.

Ra-

Reſolutio :

RESpondeo, quod intantum res createę habent de veritate, inquantum habent de entitate, verum enim, & ens conuertuntur, eo modo ergo quo ſunt magis entia, eo verius habent eſſe, quia igitur in ſeipſis habent eſſe diminutum, & imperfectum, in Deo verò perfectiſſimum, & completum, ſecundum quod nec deficiunt, nec deficere poſſunt, idcirco dicuntur habere eſſe verius in Deo, quam in ſeipſis.

Obiectio. Sed ſi omnis perfectio, & eſſe eſt a forma? forma enim eſt, quæ dat eſſe rei, & res createę in Deo non ſunt ſecundum ſuam formam, ſed ſic potius ſunt in ſeipſis.

Reſpondetur, quod omnis perfectio, & eſſe eſt a forma, vt ſumitur in genere, non ſimpliciter, & abſolutè, ſic enim omnis perfectio, & eſſe eſt a prima cauſa, quę dat omnibus rebus perfectionem, & eſſe.

QVÆSITVM III.

An res creatæ fuerint in Deo ab æterno?

d. 36. a. 1. q. 1. D. Bonau. reſp. quod aliquid dicitur eſſe in aliquo tripliciter, vel ſecundum actualem exiſtentiam, vel ſecundum ſimilitudinis pręſentiam, vel ſecundum cauſatiuam potentiam, primo modo res createę non fuerunt in Deo ab æterno, ſed ſecundo, & tertio. Item Ioannes a Celaia.

d. 35. a. 1. q. 4. Ricardus reſp. quod creaturę ab ęterno non fuerunt nec in eſſe exiſtentię, nec in eſſe eſſentiæ, niſi ly eſſe eſſentię intelligatur eſſe intellectum, ſeu repreſentatum, certum eſt enim (inquit) quod creaturę ab ęterno per ſuas ideas fuerunt diuino intellectui repreſentatę, & ab ipſo perfectiſſimè intellectę.

d. 36. q. vn. Ioannes Scotus reſp. quod ſicut in intellectu noſtro poteſt eſſe aliquid, ſecundum quod intelligitur, non tamen ſecundum verum eſſe eſſentiæ, aut exiſtentiæ, ita in intellectu diuino potuerunt quidem creaturæ eſſe ab æterno, quatenus erant in præſcientia eius, ſed non ſecundum verum eſſe exiſtentiæ, neque ſecundum verum eſſe eſſentiæ, nam tam eſſe exiſtentiæ fundat relationem rationis ad Deum, vt ab æterno cognoſcentem, quam eſſe eſſentiæ.

q. 1. Guil. Rub. reſp. quod omnes res creatæ fuerunt ab æterno in Deo, virtualiter, vt in prima cauſa omnium productiua, intellectualiter, vt obiecta intellecta in intelligente, perfectionaliter, vt quæ etiam ſi non fuerint, poterant tamen eſſe ipſi Deo incomparabiliter imperfectæ.

Reſolutio.

RESpondeo, quod res creatæ ſemper fuerunt in Deo, & ab æterno, vt in prima cauſa, quia Deus ab æterno potuit producere illas, & vt in cognoſcente, quia ab æterno ipſas cognouit, & ſimiliter vt in continente, quia ob ſuam infinitatem non magis continet res præſentes, quam præteritas, & futuras, & indifferenter in quacunque differentia temporis exiſtentes.

Sed ſi res creatæ nihil erant ab æterno? quod autē nihil eſt, in aliquo eſſe non poteſt. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod res creatæ ab ęterno nihil erant in ſeipſis, & ſecundum ſuam actualem exiſtentiam, & ſic non fuerunt ab ęterno in Deo, fuerunt tamen vt in prima cauſa, vt in cognoſcente, & vt in continente, & hoc modo non erant nihil in eo.

QVAESITVM IV.

An mala ſint in Deo?

D. Bonauent. reſp. quod illa tantum dicuntur eſſe in Deo, ad quæ cooperatur Deus ſecundum aliquod genus cauſæ, & maximè ſecundum genus cauſæ formalis, & exemplaris; cum itaque Deus non ſit cauſa mali, neque formalis, neque exemplaris, quia malum ſolum priuationem dicit, idcirco non eſt in Deo. *d. 36. a. 3. q. 1.*

Guil. Rub. reſp. quod ſi loquamur de malis culpæ, huiuſmodi mala non ſunt in Deo, nec formaliter, nec virtualiter, ſed tantum intellectualiter, ſi verò de malis pęnæ, cum huiuſmodi mala ſint poſitiuè entia, tam formaliter, quam virtualiter, quam etiam eminenter, ſiue perfectionaliter ſunt in Deo. *q. 2.*

Reſolutio.

RESpondeo quod mala etiam ſi deuiant a rectitudine naturæ, & iuſtitię, nihilominus habent aliquo modo rationem entis, & ſunt de numero eorum, quæ fiunt in vniuerſo; cum itaque totum vniuerſum ſit in Deo, non ſolum vt in cauſa, ſed etiam vt in cognoſcente, & continente, neceſſariò quoque ſequitur, & mala eſſe in eo, non quidem per ſe primò, ſed ſecundariò, & quaſi per accidens.

Sed ſi in Deo eſt ſumma bonitas? ac proinde quicquid eſt in eo non poteſt eſſe niſi bonū. *Obiectio.*

Reſpondetur quod mala eſſe in Deo, vt in prima cauſa, vt in cognoſcente, & continente, eo modo quo dictum eſt non per ſe primò, ſed ſecundariò, & quaſi per accidens non derogat eius ſummæ bonitati, derogaret autem ſi diceretur eſſe in eo per ſe primò, vel ſaltem formaliter.

QVAESITVM V.

An res creatæ in Deo ſint in eo vita?

q.23. m.4. a.1. ALex. reſp. quod omnia dicuntur in Deo eſſe vita propter hoc quod viuere eſt commune rebus corporalibus, & ſpiritualibus, & inquantum corporalia participant a ſpiritualibus, vt corpus dicitur viuere per animam, & ex hac ſimilitudine dicuntur in ipſo omnia viuere.

tr.13 q.55. a.1. Albertus reſp. quod omnia ſunt in Deo vita ratione exemplaris, quod habent in eo ſecundum modum vitę intellectualis intellectus practici, cuius forma, quæ eſt in ſeipſo eſt principium eſſe, & fieri. Hinc Varrill. Nihil aliud (inquit) eſt viuere, quam habere ideam in Deo.

d.36. q.1. a.3. D. Thomas reſp. quod ſimilitudo rei, quæ eſt in anima dicitur vita, inquantum eſt forma quędam, & perfectio intellectus, & propter talem ſimilitudinem res dicuntur in Deo vita. Omnia quę ſunt in ideis ſunt vita, quia ideæ ſunt increata vita, inquit Franciſcus a Chriſto.

p.p. q.18. a.4. Et iterum reſp. quod in Deo eſt idem viuere, quod intelligere, & intelligere idem quod intellectus, & intellectum; cum itaque omnia ſint in Deo vt intellecta, conſequens eſt, vt ſint in eo etiam vita. Et ſecundum eſſe eminens quod habent in eo, & ſecundum intellectuale, inquit Gregorius de Valentia q. 19. p. 2.

d.36. a.2. q.1. D. Bonau. reſp. quod res tripliciter ſunt in Deo; vt in principio producente, & ſic ſunt ibi ratione potentię; vt in fine conſeruante, & ſic ſunt ibi ratione voluntatis; vt in exemplari exprimente, & ſic ſunt ibi ratione notitię; primo modo cum res ſecundum totum producantur a Deo, nec vita, nec aliquid aliud ſunt in eo; ſecundo modo verò cum conſeruentur in eſſe, quod habent, cum quędam viuant, quædam non, ſimiliter quædam res ſunt vita in eo, & quædam non; tertio modo, ſic omnia ſunt in ipſo vita, & ratio eſt, quia omnia ſunt in Deo diuina eſſentia, quæ eſt vita, & quia omnia ſunt in eo ſecundum ſuas rationes intelligendi, intelligere autem Dei eſt viuere, & ideo in Deo viuunt, & non per participationem, igitur ſimpliciter.

Aegidius reſp. quod aliqua attribuuntur ſimilitudini per reſpectum ad id, in quo eſt; quæ etiam non reperiuntur in re, & ſic omnia dicuntur eſſe vita in Deo; quamuis non viuant in ſe, quia ſimilitudo cuiuſlibet rei in Deo exiſtens eſt vita; Hinc Petrus Aur. non eſt (inquit) hæc locutio propria, craturæ ſunt in Deo vita, ſed ſimilitudinaria. pr.1 q.1.

Ricardus reſp. quod non omnia, quæ ſunt in Dei ſcientia ſunt vita, nec viuentia, quia multa non viuentia ſunt obiectum diuinæ ſcientiæ, & quia multa produxit, & producet, quæ nec viuunt, nec viuent. a.1. q.3.

Guilel. Occham reſp. quod creaturæ non ſunt eſſentaliter in Deo, ſed vt obiecta cognita, & quoniam ſcientia in qua ſunt, ſicut obiecta cognita, eſt vita in Deo, ideo creaturæ dicuntur vita in Deo. q.vn.

Nicolaus de Niſſe reſp. quod creaturæ prout ſunt in Deo virtualiter, ſic non ſunt in eo vita, immò nihil, cum de nihilo producantur, neque ſimiliter vt ſunt in eo actualiter, quia ſic ſunt in ſeipſis, ſed vt ſunt in eo exemplariter, & eminenter; illud enim eſſe exemplare, ſiue ideale, aut eminens, eſt ipſum diuinum eſſe, eſſe autem diuinum eſt vita. tr.1. p.2. p.3 q.3.

Ioannes Maior reſp. quod creatura habet tale eſſe denominatione extrinſeca, quale eſſe habet principium productiuum; & quoniam Deus eſt vita, ideo res producta ab eo extrinſecè appellatur vita. d.36. q.vn.

Reſolutio.

REſpondeo, quod ſicut Deus eſt ens nobiliſſimum, & excellentiſſimum, ita res creatæ dicuntur eſſe in eo modo nobiliſſimo, & excellentiſſimo; & quoniam modus eſſendi nobiliſſimus, & excellentiſſimus eſt modus, quo ſunt ea, quæ viuunt, hæc enim in entibus nobiliorem, & excellentiorem gradum tenent; idcircò res prout ſunt in Deo dicuntur eſſe in eo vita, quia ſcilicet nobiliſſimo, & excellentiſſimo modo ſunt in eo.

Sed ſi plurima ſunt vilia, vt muſcæ, vermes, araneæ, & huiuſmodi? Obiectio.

Reſpondetur, quod hæc, & ſimilia ſunt vilia in ſeipſis, in genere ſuo, & in comparatione ad alia, non autem in Deo eo modo, quo ſunt in eo, ſunt enim & ipſa modo nobiliſſimo, & excellentiſſimo.

DI-

DISTINCTIO TRIGESIMA SEPTIMA.

Et quoniam demonſtratum eſt ex parte, quomodo omnia dicantur eſſe in Deo, &c.

QVAESITVM I.

An Deus ſit in loco?

q.9. m.1. ALex. reſp. quod eſſe in loco aliquid dicitur dupliciter, aliquando enim dicitur eſſe in loco, quod contineri a loco, & aliquando dicitur, quod non deeſſe loco, ſed ei eſſe præſens, & replere illum; primo modo Deus non eſt in loco, quia a nullo continetur loco, ſecundo modo verò ſic, non tamen vt dicatur replere locum materialiter, ſed virtualiter, prout dat loco eſſe, & virtutem, qua repleatur. Similia Albertus diſt. 37. ar. 18.

d 37. q.2. a.1. D. Thomas reſp. quod ſi eſſe in loco ſumitur, ſecundum quod corpus in loco eſſe dicitur, ſic non conuenit Deo eſſe in loco, niſi methaphoricè, quia non implet locum diſtantia dimenſionum, ſicut corpus, ſed cauſalitate effectuum; ſi autem accipiatur eſſe in loco per modum, quo ſubſtantia ſpiritualis in aliquo eſſe dicitur, ſic proprijſſimè conuenit Deo eſſe in loco, & non quidem vt menſuratum loco, ſed vt dans loco naturam locandi, & continendi.

a.1. q.2. D. Bonau. reſp. quod Deus non eſt in loco, vt conſeruatur a loco, quæ eſt conditio prima, ſecundum quam comparatur locatum ad locum, nec vt menſuratur a loco, quæ eſt conditio ſecunda, ſed vt per præſentiam ſuam ſuppleat indigentiam loci, quæ eſt cōditio tertia, ſicut enim locatum per ſuā præſentiam replet vacuitatem diſtantiæ, ita Deus per ſuam præſentiam replet vacuitatem eſſentiæ, cum illa ſine hac eſſe non poſſit.

pr. 2 q.1. Aegidius reſp. quod ſi aliquid eſt in loco, eſt ratione ſuæ magnitudinis, licet autem in Deo non ſit magnitudo molis, eſt tamen magnitudo virtutis, & quoniam virtus non habet magnitudinem, niſi comparata ad actū, vel ad obiectum, ideo ſecundum quod Deo competit agere, vel conſeruare, vel continere, ſic conuenit ei eſſe in loco.

q.1. a.1. Thomas ab Argentina reſp. quod nec circunſcriptiuè, nec determinatiuè Deus eſt in loco, cum ſit ſimpliciter infinitus, ſed attintiuè, & conſeruatiuè. Item Rubeus. Non circunſcriptiuè, nec diffinitiuè, ſed repletiuè, inquit Ioannes Maior. Eminenter, inquit Eſtius.

Guilelm. Varrillong reſp. quod cum dicitur Deus eſt in loco, iſta propoſitio ſolum notat coexiſtentiam Dei cum loco, & ideo eſt concedenda, ſicut neganda eſt iſta, Deus eſt locatus, & iſta Deus eſt locabilis, quia prima denotat Deum ambiri a loco, & ſecunda etiam circunſcribi. a.2.

Reſolutio.

REſpondeo, quod ſicut Deus dicitur eſſe in cœlo, & in terra, quia neque cælum, neque terra ſine ipſo eſt, ita poteſt dici eſſe in loco, quia cœlum & terra loca ſunt, & eſt in rebus, quæ ſunt in cœlo, & in terra.

Sed ſi dicit Boetius, quod communis animi conceptio eſt, ſpiritualia in loco non eſſe? Obiectio.

Reſpondetur, quod communis animi conceptio eſt, ſpiritualia non eſſe in loco tanquam a loco contenta, tamen tanquam locum continentia, vel circa ipſum operantia, ſpiritualia eſſe in loco nihil prohibet, Ita Aegidius.

QVÆSITVM II.

An Deus ſit vbique?

ALex. reſp. quod vbique dicit quandam ſummam multitudinis omniū vbi, hæc autem ſumma poteſt intelligi dupliciter, vel ſecundum diſtinctionem, vel ſecundum indiſtinctionem; ſi ſecundum diſtinctionem, non conuenit Deo eſſe vbique, quia non eſt partibiliter in loco, ſicut lux eſt in aere toto per diſtinctionem, nam eſt pars in parte, & non tota in qualibet parte; ſi ſecundum indiſtinctionem, ſic Deus dicitur eſſe vbique, & tunc idem eſt dicere Deus eſt vbique, quod Deus eſt præſens totus, & ſecundum idem omni vbi, & ita eſſe vbique ponit præſentiam Dei ad omne vbi, & niſi ſic eſſet ſequeretur quod eſſet coarctatio, & limitatio in eo. q.9. m.2.

Albertus reſp. quod Deus dicitur eſſe vbique, quatenus dat omni loco virtutem continendi, qua locus eſt, & locato virtutem replendi, qua locatum eſt. Ita D. Thomas diſ. 37. & p. p. q. 8. ar. 2. Et Valentia ibidem punct. 2. d.37. a.8.

D. Bonau. reſp. quod maior eſt indiuiſio formæ ad materiam, quam locati ad locum, ſi- a.1. q.2.

ſicut ergo forma non vnitur materiæ, nec permanet niſi per Dei præſentiam, ita nec locatum loco, niſi per Dei præſentiam; ſicut autem quæ ſunt præſentia ſecundum tempus ſunt in tempore, ita quæ ſunt præſentia ſecundum locum ſunt in loco; cum itaque Deus ſit præſens omni loco, ſequitur quod ſit etiam in omni loco, ac proinde vbique.

tr. 2. q. 1. Aegidius reſp. quod ideo Deus dicitur eſſe in loco, quia eſt præſens in continendo, & conſeruando, non ſolum ipſum locum, ſed etiam locatum; cum itaque nihil ſine Deo poſſit conſeruari in eſſe, ſequitur quod Deus ſit in omni loco, quod eſt idem, quod eſſe vbique.

q. 2. Durandus reſp. quod ſi locus conſideretur, prout res quædam eſt, ſic ſicut Deus eſt in omnibus rebus, ita etiam eſt in omnibus locis, quod eſt eſſe vbique; ſi verò prout eſt quid contentiuum locati, ſic Deus nuſquam eſt ſecundum ſe, quia a nullo continetur, ſed potius omnia continet, & conſeruat, vbique tamen eſt ſecundum effectus ſuos, quia omnem locum replet effectibus ſuis.

a. 1. Petrus Aureol. reſp. quod Deus dicitur eſſe vbique non per aliquam conditionem poſitiuam, quam habeat locatum in ordine ad locum, vt quod ipſum contingat, quod ſit ſimul cum eo, quod circunſcribatur ab eo, quod figuretur ſecundum figuram eius, & quod conſeruetur ab eo, omnes enim iſtæ conditiones fundantur ſuper ſitum, vnde quod eſt per huiuſmodi conditiones in loco eſt ſituatum; ſed dicitur in loco per vnam conditionem negatiuam, quæ eſt indiſtantia, & inelongatio ab omni loco, cui tamen præexigitur aliquid, per quod ipſe Deus determinetur ad huiuſmodi negationem, quod non eſt aliud, quam operatio attingens intima creaturæ.

q. 1. Franc. Maro reſp. quod Deum eſſe vbique dicit reſpectum præſentialitatis qui eſt in creatura ad Deum, & ideo ſicut Deus dicitur agens realiter, & creans reſpectu, qui eſt formaliter in creatura, ſic dicitur eſſe vbique reſpectu iſto præſentialitatis, qui eſt in creatura; cum itaque omnis creatura habeat hunc reſpectum ad eum, quia ſcilicet ei neceſſariò præſens, ideo Deus dicitur eſſe vbique.

q. 1. a. 1. Thomas ab Arg. reſp. quod idcirco Deus eſt vbique, & quia eſt infinitus ſecundum magnitudinem virtutis, ſicut enim ſi daretur magnitudo molis infinita totum occuparet, ita cum datur magnitudo infinita ſecundum virtutem, totum attingit; & quia operatur vbique, ſubſtantia autem ſpiritualis eſt, vbi operatur; & quia omnia continet, & conſeruat. Hoc idem ex ſua immenſitate, & illimitatione ſimpliciter deducit Varrillong. Ioannes de Baſſolis aſſerit ſe ſola fide tenere, & auctoritate Sanctorum, & non ex omnipotentia, vel actione Dei circa creaturas Deum eſſe per ſuam immenſitatem vbique præſentem.

Michael. de Palat. reſp. quod immenſitas, ſeu infinitas diuinæ naturæ eſt cauſa, per quã probatur a priori, quod Deus eſt vbique; a poſteriori verò (addit Trigoſius) probatur ex eo, quod operatur vbique, & in omni re eſt aliquid, quod efficit, & conſeruat. diſp. 1.

Reſolutio.

RESpondeo, quod Deus eſt omnium cauſa, & ſua infinitate omni enti adeſt, & ratione ſuæ ſimplicitatis, non niſi totus adeſt, cum itaque in omni loco ſit aliquod ens, ſequitur quod Deus eſt in omni loco, ſecundum quod eſt in omni ente, quod in loco eſt, & ita vbique eſt.

Sed ſi Deus eſt indiuiſibilis? atque ita ſi eſt in vno loco totus, non poteſt eſſe ſimul in pluribus, nec conſequenter in omnibus. Obiectio.

Reſpondetur, quod indiuiſibile eſt duplex; vnum quod eſt terminus magnitudinis, ſiue continui, vt punctus, & ſic quod eſt ita indiuiſibile non poteſt eſſe in pluribus locis; alterum quod eſt a magnitudine abſolutum, & extra totum genus continui, & ſic quod eſt ita indiuiſibile, quia non habet determinatum ſitum poteſt eſſe in pluribus locis, & conſequenter in omnibus, & hoc modo Deus eſt indiuiſibilis, ac proinde vbique. Ita D. Thom. Aegidius, & Durandus.

QVAESITVM III.

An ſoli Deo conueniat eſſe vbique?

GVilelmus Antiſiod. reſp. quod eſſe vbique non eſt propriè proprium ipſius Dei, & ratio eſt, quia non conueniebat ei antequam mundus eſſet. c. 15. q. 2.

Alex. reſp. quod cum dicitur Deus eſt vbique ſemper intelligitur quod non ſit dependentia eius ad vbi, & quoniam hoc alicui creaturæ non conuenit, propter hoc neq; propriè eſſe vbique. q. 9. m. 5.

Albertus reſp. quod cum Deus ſit ſimpliciſſimus, & in fine ſimplicitatis proprium eſt ei eſſe vbique. tr 18 q 70.

D. Tho-

d.37. q.2. a.2. D. Thomas reſp. quod eſſe vbique ſi per ſe ſumitur ſoli Deo conuenit, quia ipſe totus eſt in quolibet loco, & ſi infinita eſſent loca in omnibus eſſet; per accidens tamen poteſt etiam conuenire creaturæ, tum ex parte loci, ſi non eſſet alius locus, quam ille, in quo eſt, tum ex parte eius, quod in loco eſt, ſi haberet partes in omnibus locis, vt ſi corpus eſſet infinitum, quia eſſet vbique per ſuas partes.

Et in p. p. q. 8. ar. 4. Eſſe vbique primò, & per ſe conuenit Deo, & eſt proprium eius. quotcunque enim loca ponantur, oportet quod in quolibet ſit Deus, & non ſecundum partem, ſed ſecundum ſeipſum. Item Ricardus, & Eſtius.

d.37. a.2. q.1. D. Bonau. reſp. quod ſoli Deo ſecundum identitatem, & totalitatem conuenit eſſe vbique, & nulli creaturæ conuenit eſſe in omnibus locis, & pluribus diſtinctis, & ratio eſt, quia omnis creatura per ſe exiſtens, & in ſe, eſt aliquid ſingulare, eſt enim hoc aliquid, ſingulare autem omne eſt hic, & nunc, ac proinde repugnat ei eſſe vbique.

pr. 2. q.2. Aegidius reſp. quod poſita exiſtentia rerum directè, & per ſe, & ſecundum idem eſſe, ſoli Deo competit eſſe vbique. Item Marſilius q. 39. ar. 1. q. 1.

q.2. Durandus reſp. quod cum Deus dicatur eſſe vbique, quia omnem locum replet effectibus ſuis, ſic eſſe vbique eſt ſibi ſoli proprium, nihil enim replet omnem locum bonitatibus, & effectibus ſuis, niſi Deus.

q.vn. Michael de Bonon. reſp. quod ſoli Deo eſſentialiter, & propriè conuenit eſſe vbique; vnde D. Ambroſius intendens probare Spiritum ſanctum eſſe Deum, probat per eſſe vbique.

q.vn. Ioannes de Baſſol. reſp. quod eſſe vbique ſicut res ſingularis, & per ſeipſam, & neceſſariò poſito loco ipſo in eſſe, quacunque poſitione alia facta circa locum, eſt ita proprium Deo, quod nulli alteri conuenit.

a.2. Guilelm. Varrill. reſp. quod cum eſſe vbique conueniat Deo ratione ſuæ immenſitatis, immenſitas autem repugnet creaturæ, conſequens eſt, vt repugnet etiam eſſe vbique, & ſic ſoli Deo conuenit eſſe vbique.

d.35. q.7. Franciſcus a Chriſto reſp. quod eſſe vbique primò, & per ſe, & non ſecundum accidens ſoli Deo conuenit; Deus enim eſt vbique primò, quia ſe toto eſt in omni loco, & non ſecundum partes; per ſe, quia non per aliud; & non ſecundum accidens, quia quauis poſitione facta neceſſariò ſequitur ipſum eſſe vbique.

Gregorius de Valent. reſp. quod accipiendo eſſe vbique præcisè, vt ſcilicet competit alicui rei, vel ex ſua propria natura, vel alieno beneficio, ſic non eſt certum eſſe vbique ſoli Deo conuenire, ſicut enim vna creatura poteſt poni in pluribus locis, ita & in omnibus; ſed accipiendo eſſe vbique, vt naturale ei, cui competit, ſic ſoli Deo conuenire certa fide notum eſt, ſicut & notum ipſum infinitum eſſe. diſp. 2 q. 8. p. 4.

Reſolutio.

RESpondeo quod ſicut dictum eſt Deus ratione ſuæ immenſitatis, & infinitatis dicitur eſſe vbique, & quoniam nihil eſt verè, formaliter, & eſſentialiter immenſum, & infinitum, præter ipſum Deum, idcirco ſoli ei conuenit eſſe vbique.

Sed ſi vniuerſale, & materia prima ſunt vbique? Obiectio.

Reſpondetur, quod vniuerſale, & materia prima, ſunt quidem vbique, ſed non ſecundum idem eſſe, vt eſt Deus, & hoc modo ei ſoli conuenit. Ita D. Thomas.

QVÆSITVM IV.

An eſſe vbique conueniat Deo ab æterno?

GVilelmus Antiſiod. reſp. quod eſſe vbique nō conueniebat Deo antequam mundus eſſet, non ergo conuenit ei ab æterno, quia mundus non eſt ab æterno. c. 15. q. 2.

Alex. reſp. quod eſſe vbique dicit plenitudinem bonitatis diuinæ connotando reſpectum ad omne vbi in creatura; qui reſpectus, ſi ſumitur ſecūdum actum non conuenit Deo eſſe vbique ab æterno, quia ſic denotaretur quod vbi eſſet ab æterno; ſi verò ſumitur ſecundum habitum, vtique verum eſt dicere Deus eſt vbique ab æterno, nam ſenſus eſt, quod bonitas diuina apta eſt replere omne vbi. Item Varrillong. q. 9. m. 4.

Albertus reſp. quod cum Deus dicitur eſſe vbique, connotatur effectus, qui eſt collatio loci, vt habeat virtutem continendi; quoniam autem hic effectus non fuit ab æterno, idcirco eſt falſum dicere, quod Deus eſt vbiq; ab æterno. d. 37. a. 4. tr. 18 q. 72.

D. Thomas reſp. quod cum dicitur Deus eſt vbique, importatur quædam relatio Dei ad creaturam fundata ſuper aliquam operationem, per quam Deus dicitur eſſe in rebus; & quoniam tales relationes fundatæ ſuper operationem procedentem in creaturas non dicuntur de Deo niſi ex tempore, ideo nec q. 2. a. 1.

eſſe

eſſe vbique dicitur de Deo niſi ex tempore, & non ab æterno.

a.2. q.2. D. Bonau reſp. quod eſſe vbique, vt importat præſentialitatem diuinæ immenſitatis, per quam Deus eſt præſens omni ei, quod eſt, ſiue ſibi, ſiue alij, ſic conuenit ei ab æterno, vt verò connotat locum creatum, ſiue rem, ſic conuenit ei ab initio rerum, & non ab æterno, ſic enim vbique præſupponit locum, ſi ergo non erat locus, nec vbique erat Deus.

pr. 2. q.3. Aegidius reſp. quod eſſe vbique tripliciter poteſt intelligi; primò, quod hoc ſit per abſolutionem a loco, ſecundum quod vniuerſalia dicuntur eſſe vbique, quia ſunt abſtracta a conditionibus materiæ, quæ ſunt hic, & nunc, & ſic ab æterno competit Deo eſſe vbique, quia ab æterno competit eſſe ſine materia, & non determinari per conditiones materiæ; ſecundo modo dicitur aliquid eſſe vbique, quia eſt in omni loco, & ſic eſſe vbique præſupponit exiſtentiam locorum, nam ſicut non dicimus Deum eſſe in rebus, niſi ſit exiſtentia rerum, ita non dicimus eſſe vbique, niſi præſuppoſita exiſtentia locorum, & quia ab æterno non fuerunt loca, ſic eſſe vbique ab æterno non competit Deo; tertio modo aliquid dicitur eſſe vbique, prout idem ſignificat, quod eſſe in omnibus his, quæ ſunt, & ſic Deo eſſe vbique ab æterno competit, cum ab æterno in ſeipſo fuerit, & hoc omne illud erat, quod erat ab æterno.

q.2. Durandus reſp. quod eſſe vbique non conuenit Deo ab æterno, ſed ex tempore, prout vbique eſſe eſt replere omnem locum effectibus ſuis.

q.1. a.1. Thomas ab Arg. reſp. quod Deus ab æterno erat vbique, quia erat in ſe, qui ſolus erat, eſſe enim vbique eſt eſſe in omni eo, quod eſt.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſicut ab æterno non erat corpus, nullum enim corpus æternum eſſe poteſt, ita neque locus, eſt enim locus vltima ſuperficies corporis, & propterea Deus non fuit vbique, nec eſſe potuit ab æterno, ſed tunc eſſe vbique cæpit, quando cœlum, & terram formauit, & loca rebus ſtatuit.

Obiectio. Sed ſi eſſe vbique eſt proprium Dei? quod autem eſt proprium alicui eſt inſeparabile ab eo.

Reſpondetur, quod ſi eſſe vbique idem ſit quod eſſe in omni loco ſuppoſita rerum exiſtentia eſt proprium Deo, & eſt inſeparabile, ſi res in eſſe ponuntur, ſed non ab æterno. Ita Aegidius.

QVÆSITVM V.

An Deus ſit extra omnem locum, & res?

Alex. reſp. quod Deus eſt in rebus, & eſt extra res, inquantum eſt in ſe, nam idem eſt dicere, Deus eſt extra res, quod Deus eſt in ſe. q.10. m. 1.

D. Bonau. reſp. quod ly extra, vno modo dicit ſitum, & poſitionem, & ſic eſt impoſſibile, quod Deus ſit extra omnem locum, alio modo dicit exceſſum, & ſuperexcellentiam diuinæ immenſitatis, & ſic eſt extra omnem locum. Item Ricardus. d.37. p.2. a.1. q.3.

Ioannes Maior reſp. quod Deus poteſt extra cœlum aliquam creaturam producere ac perinde eſſe in ea, & ita extra cœlum eſſe, ſicut & ante orbem conditum imaginamur in aliquo loco fuiſſe. Non tanquam actu in loco (addit Trigoſius) quia eſſe actu in loco requirit actualem operationem, quæ nulla extra cœlum eſſe poteſt, ſed in potentia, & tanquam in loco imaginario. q.2.

Michael. de Pal. reſp. quod Deus dicitur eſſe extra mundum, non tanquam in loco, ſed tanquam continens omnia poſſibilia, quæ ibi producere poteſt, & ideo dicitur eſſe ibi ſecundum eſſentiam, vt excedens vniuerſa, ſecundum præſentiam, vt cognoſcens, quæ in ſpacio illo imaginario facere poſſet, & ſecundum potentiam, vt potens illa condere, ſi vellet. diſp.2

Gregorius de Val. reſp. quod Deum eſſe extra mundum poteſt intelligi dupliciter, vel quod ſit extra mundum reuera in aliquibus locis, ſeu rebus actu, & hoc eſt falſum, quia extra mundum, neque vlla res eſt, neq; locus; vel quod re vera habeat ſuam entitatem extra mundum, non quidem in aliquibus rebus, aut locis, quæ ſint actu præter ipſum, ſed in ſeipſo; & ſic eſſe extra mundum nihil aliud eſt, quam nullum locum finitum eſſe poſſe adæquatum ſuæ infinitæ quantitati perfectionis, per quam dicitur in loco eſſe, & hoc eſt verum. diſp.2 q.8. p.2.

Dominicus Bannes reſp. quod ly extra poteſt accipi dupliciter; vno modo, vt deſignet aliquid reale extra mundum, vbi ſit Deus, & hoc modo Deus non eſt extra mundum, quia extra mundum nihil eſt, & Deus non eſt in nihilo; alio modo ly extra accipi poteſt pro eo, quod eſt non intra limitatè, & ſic Deus eſt extra vniuerſum, quia ip- q.8. a.2.

Digitized by Google

ipſum excedit, & non in aliquo alio, quam in ſeipſo, ſicut erat ab æterno.

diſp. *29.* Gabriel Vaſq. reſp. quod nihil poteſt eſſe in eo, quod nihil eſt, illud enim quod eſt, & id, in quo eſt, neceſſe eſt vt ſint; cum igitur extra omnem locum, & res, nihil ſit, ſequitur quod Deus extra locum, & res, eſſe non poſſit.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod extra locum & res, nihil eſt, niſi Deus, Deus enim excedit omnem locum, & res; intantum ergo poteſt dici, quod Deus eſt extra omnem locum, & res, inquantum eſt in ſeipſo, quia enim infinitus eſt, rebus alijs omnibus circunſcriptis remanet in ſeipſo, implicaret autem quod extra locum, & res, in aliquo maneret, quod non eſſet, vel locus, vel res.

Obiectio. Sed ſi non eſt diffinitiuè in mundo? ſicut non eſt diffinitiuè in loco; eſſet autem ſi eius exiſtentia non ſe extenderet niſi ad ea loca, & res, quæ ſunt in mundo.

Reſpondetur, quod exiſtentia Dei non ſe extendit niſi ad illa loca, & res, quæ ſunt in mundo, quia extra mundum neque loca ſunt, neque res; quod ſi tamen eſſent, vtique Deus ob ſuam infinitatem eſſet in illis, & hoc ſufficit ad hoc, quod Deus non ſit diffinitiuè in mundo.

QVÆSITVM VI.

An Deus ſit in ſeipſo?

q. 9. *m. 2.* Alex. reſp. quod Deus dicitur eſſe in ſeipſo, quia eſt ens per ſe non indigens alio.

d. 37. *pr. 1* *q. 3.* Aegidius reſp. quod ſicut creaturæ non dicuntur eſſe in ſeipſis ſecundum quatuor, ſecundum eſſe, ſecundum operationem, ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum virtutem; ſecundum eſſe, quia earum eſſe eſt dependens, & indigens conſeruante; ſecundum operationem, quia cum finis ſit illud, in quo eſt quies, & ſtatus, creaturæ agunt propter alium finem; ſecundum ſubſtantiam, quia a ſua ſubſtantia remoueri poſſunt, cum ſint verſioni ſubiectæ; & ſecundum virtutem, quia cum ſit quies, & ſtatus in illo, quod eſt primum in genere tali, virtus creaturarum non eſt prima virtus; ita Deus ſecundum hæc quatuor dicitur eſſe in ſeipſo; primò ſecundum eſſe, quia ſuum eſſe eſt eſſe purum, non dependens, neque aliquo indigens conſeruante; ſecundò ſecundum operationem, quia quodcunque agit, agit propter ſeipſum, & non propter aliud, tanquam propter finem; tertiò ſecundum ſubſtantiam, quia ſecundum eam variari non poteſt, cum ſit omnino immutabilis; quartò ſecundum virtutem, quia ſola virtus ſua eſt virtus prima, in qua eſt ſtatus, & quies. Item Franc. a Chriſto, & Trigoſius.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod Deus dicitur eſſe in ſeipſo ratione ſuæ immenſitatis, & infinitatis; cum enim infinitus ſit, & immenſus, ac proinde a nullo alio, aut contineri poſſit, aut terminari; ſicut eſt in rebus alijs, quia continet, & terminat eas, ita dicitur eſſe in ſeipſo, quia non continetur, nec terminatur ab illis.

Sed ſi eſſe in ſemper importat diſtinctionem? Deus autem neque ſecundum rem, neque ſecũdum rationem diſtinguitur a ſeipſo? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod quia eſſe in ſemper importat diſtinctionem, idcircò hæc propoſitio non conceditur tanquam propria, Deus eſt in ſeipſo, ſed benè vt accommodata dictis ſanctorum, & vſui noſtro loquendi, & modo intelligendi Dei æternitatem, infinitatem, & independentiam a rebus, ſic enim dicendo, & facilius ipſam intelligimus, & clarius notificamus.

QVAESITVM VII.

An Deus ſit in omnibus rebus?

Gvilelmus Antiſiod. reſp. quod ideo Deus eſt in omnibus creaturis; primò, quia eſt cauſa cauſaliſſima, & quælibet creatura indiget eo; ſecundò, quia eſt ſummè potens, & propterea quicquid operatur, per ſe, & immediatè, & indiſtanter operatur, vbi autem operatur ibi eſt; tertiò, quia eſt liberaliſſimus, & optimus, eſt autem maioris liberalitatis, & bonitatis per eſſentialem præſentiam illuſtrare, & viſitare omnia, quam per abſentiam. *c. 15.* *q. 1.*

Albertus reſp. quod cum Deus ſit prima cauſa conſeruans mundum, & influens omnibus, atque eo indigeant omnia, vt conſeruentur, neceſſarium eſt dicere, quod ſit in omnibus rebus. *d. 37.* *a. 1.*

D. Thomas reſp. quod Deus eſt eſſentialiter in omnibus rebus, & hoc ex tribus notabilibus deducit; primum eſt, quod mouens, & motum, operans, & operatum ſicut dicit Ariſt. in 7. Phyſ. oportet eſſe ſimul, *q. 1.* *a. 1.*

ſi corporale eſt ſecundum contactum, ſi verò ſpirituale eſſentialiter, vt anima in corpore, & virtus cæli mouens in dextera parte illius; ſecundum eſt, quod eſſe cuiuſlibet rei, & cuiuſlibet partis eius eſt immediatè ab eo, ſicut enim ipſe ſolus creat, ita ipſe ſolus dat eſſe; tertium eſt, quod illud quod eſt cauſa eſſe non poteſt ceſſare ab operatione, qua eſſe datur, quin etiam ipſa res ceſſet, ceſſante enim cauſa ceſſat effectus, cum itaque res ſint, & immediatè Deus operetur in eis, ſequitur etiam, quod in eis ſit.

p. 1. a. 1. q. 1. D. Bonau. reſp. quod neceſſarium eſt dicere Deum eſſe in omnibus rebus; primò propter ſuam immenſitatem, & poteſtatem, cum ſumma ſimplicitate, per hoc enim quod eſt immenſus non coarctatur ad aliquid, & per hoc quod eſt ſimplex, ſicut eſt in omnibus ſecundum virtutem, ita eſt etiam ſecundum ſubſtantiam; ſecundò, propter indigentiam creaturarum, cum enim creaturæ ſint productæ de nihilo, ac proinde habeant poſſibilitatem ad non eſſe, cum non ſint ſuum eſſe indigent præſentia illius, qui dedit eis eſſe, vt in eſſe conſeruentur.

pr. 1. q. 1. Aegidius reſp. quod Deus dicitur eſſe in rebus; primò, quia res cauſat, non ſicut aliæ creaturæ quantum ad fieri, ſed quantum ad eſſe, cauſæ autem quantum ad eſſe ſunt intrinſecæ, ſicut illæ, quæ ſunt quantum ad fieri extrinſecæ; ſecundò, quia eſt quid ſpirituale, ſpiritualia autem ſunt vbi operantur, cum itaque Deus operetur in omnibus rebus, vt prima cauſa, & vniuerſalis, in eiſdem conſequens eſt vt ſit; tertiò, quia eſt quid immenſum, & infinitum, nullum terminum habens, a quo determinetur, propterea neceſſarium eſt, vt nulla ſit creatura, in qua non ſit; quartò, quia eſt ſua virtus, & ſua potentia, cum itaque ſua virtus, & potentia reperiantur in omnibus rebus, conſequens eſt, vt ex ipſe in omnibus exiſtat.

Operatio diuina ſe extendit ad omnia; at huiuſmodi operatio non poteſt ſeparari a ſua ſubſtantia; igitur Deus ſecundum ſubſtantiam eſt in omnibus, ita probat Gerardus. Et Marſilius. Diuina immenſitas coexiſtit omni extenſioni, ſed res omnes reſpectu primi habent aliquid eſſe extenſiuum, eo quod ad minus ponunt multitudinem; igitur Deus exiſtit in eis.

q. 1. Durandus reſp. quod cauſa ſingularis, & immediata actu operans ſimul eſt cum ſuo effectu; quoniam ergo Deus eſt cauſa ſingularis; & immediata reſpectu rerum, ſaltem quantum ad conſeruationem, ſi non quantum ad productionem, ſecundum quam actionem dicitur actu operans, quandiu res eſt, ideo dicitur eſſe ſimul cum omnibus rebus, & ex conſequenti in eis.

Ioannes de Neapoli reſp. quod Deus eſt in omnibus rebus, vt efficiens in ſuo effectu, & finis in his, quæ ſunt ad finem, & ratio eſt, quia ſua virtute, & potentia, omnes res attingit dando illis eſſe, & eas in eſſe conſeruando. q. 22.

Petrus Aureol. reſp. quod Deus eſt in omnibus rebus per omnimodam indiſtantiam, & inelongationem ab eis, quæ indiſtantia, & inelongatio demonſtratiuè deducitur ab operatione, qua Deus res omnes in eſſe conſeruat, talis enim operatio non poteſt eſſe niſi intima cuilibet rei. d. 37. a. 1.

Michael de Palatio reſp. quod Deus eſt in omnibus rebus, quia mouet res omnes, mouens enim & motum, aut ſimul ſe contingunt contactu, aut ſecundum ſubſtantiam, aut ſecundum quantitatem, aut ſecundum virtutem, quæ omnia in Deo non diſtinguuntur, niſi ſecundum rationem. diſp. 1

Franciſcus a Chriſto reſp. & ex quatuor deducit Deum eſſe in omnibus rebus, ex proprio effectu Dei, quod eſt ipſum eſſe, ex eius immenſitate, ex eius immutabilitate, & incorporeitate, & ex eius naturæ ſũma ſimplicitate, cum enim ſit ſua virtus, & potentia, vbi hæ ſunt, ipſum quoque neceſſe eſt eſſe. d. 31. q. 1.

Gregorius de Valen. reſp. quod ſi vna res, cum adeſt vni non adeſt alijs, hoc eſt, quia maiorem quantitatem ſiue molis, ſiue perfectionis non habet, cum finita ſit, & ideo in omnibus eſſe non poteſt; ſed Deus eſt infinitus, & agit, & conſeruat res omnes, vt agens primum, & perfectiſſimum, igitur ex eius infinitate euidenter probatur eſſe in omnibus rebus; Non quidem formaliter, & circunſcriptiuè (inquit Rubens) ſed effectiuè, & virtualiter. diſp. 1. q. 8. p. 1.

Gabriel Vaſq. reſp. quod cum Deus ſit in rebus ratione ſuæ eſſentię, cum non ſit maior ratio, cur potius ſit in vna, quam in altera, ſequitur neceſſariò, quod ſit in omnibus. diſp. 28. c. 4.

Reſolutio.

Reſpódeo, quod cum Deus ſit prima cauſa, & generalis omnium rerum, eis non ſolum conferens eſſe, ſed etiam eas in eodem eſſe ſuſtentans, & ſit ſecundum naturam ſimpliciſſimus, & infinitus, ac proinde teneat omnia, & ipſa eadem repleat, neceſſarium quo-

quoque eſt dicere, quod ſit in omnibus rebus, nihilque ſit, cui non intimè adſit.

Obiectio. Sed ſi Deus non permiſcetur rebus? eſt enim impermixtus, quod autem eſt in aliquo, aliquo modo permiſcetur ei.

Reſpondetur, quod aliquid eſſe in aliquo intelligitur tripliciter; ſecundum præſentiam tantum, vt radius in aere; ſecundum præſentiam, & dependentiam, vt anima in corpore; ſecundum præſentiam, dependentiam, & concomitantiam, vt aqua in vino; quod itaque eſt in aliquo tertio modo, vtique permiſcetur ei, non primo, & ſecundo; Deus autem non ſecundo, & tertio, ſed tantum primo modo eſt in rebus. Ita D. Bonauentura.

QVAESITVM VIII.

An Deus ſit in omnibus rebus vniformiter?

q. 10. m. 5. ALexand. reſp. quod ſi loquamur de Deo vt in ſe, ſic ſemper ſe habet æqualiter vniformiter ad omnia, in quibus eſt, & ſecundum diſpoſitionem vnam; ſi verò loquamur ſecundum quod participari dicitur in creaturis, ſic non dicitur ſe habere æqualiter vniformiter, & ſecundum diſpoſitionem vnam, ſed ſecundum magis, & minus; nam creaturarum quædam participant tantum eſſe, quędam eſſe, & vitam, & quædam eſſe, vitam, & cognitionem, & hæc inęqualitas non eſt ex parte ipſius Dei, ſed creaturarum participantium ipſum.

d. 37. q. 1. a. 2. D. Thomas reſp. quod ſi loquamur de vniformitate ſecundum rem, ſic Deus vno modo, ſeu vniformiter ſe habet ad res, ſed quia res diuerſimodè ſe habent ad ipſum, contingit Deum ſignificari in diuerſa habitudine ad res; ſi verò loquamur de vniformitate ſecundum rationem tantum, ſic Deus pluribus modis ſe habet ad res, & non vniformiter eſt in eis. Similia ferè Aegidius eadem diſt. pr. 1. q. 2. ad Primum.

p. 1. a. 3. q. 1. D. Bonau. reſp. quod Deum eſſe in rebus poteſt intelligi dupliciter; vno modo, vt idē quod eſſe pręſens cuilibet rei non connotando effectum, & ſic vniformiter eſt in omnibus rebus, eo quod intimus eſt cuilibet rei, & ſumme pręſens, & totus in qualibet; alio modo per connotationem effectus, & impreſſionem ſuæ ſimilitudinis, & ſic cum vni creaturæ plus det, quam alteri, magis eſt in vna, quam in altera, & hoc poteſt eſſe dupliciter ſcilicet extenſiuè, quantum ad ea, quæ habent eſſe diuturnius, & intenſiuè, quantum ad ea, quæ habent eſſe nobilius.

Ricardus reſp. quod Deus ſecundum quod eſt communiter in omnibus rebus ſcilicet per eſſentiam, per præſentiam, & per potentiam, ſic eſt in omnibus æqualiter; ſecundum autē quod eſt in creaturis per influentiam, ſic non eſt in omnibus æqualiter. Specialius enim eſt in illis, in quibus eſt per influentiam gratiæ, quam in illis, in quibus eſt per influentiam naturæ tantum. Item Franciſcus a Christo. *a. 1. q. 4.*

Reſolutio.

REſpondeo, quod Deus eſt ſimpliciſſimus, ac proinde nulla eſt difformitas in eo, & ideo neceſſe eſt, vt vniformiter ſit in omnibus rebus, quia tamen res ſunt diuerſę, ac proinde multa eſt difformitas in eis, neceſſe quoque eſt, vt Deus difformiter operetur in eis, eſt igitur Deus vniformiter in rebus, quo ad eſſe, ſed difformiter, quo ad operari.

Sed ſi idem eſt eſſe Dei, quod operari? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod iſta difformitas in operari non eſt ſumenda realiter reſpectu Dei, ſed reſpectu creaturarum realiter, & formaliter, vnica enim, & ſimpliciſſima eſt operatio diuina, quæ eſt idem, quod eſſe, ſed quia aliter, & aliter recipitur in creaturis, quia recipitur ad modum earum, & alij & alij ſunt effectus, idcirco Deus dicitur difformiter operari in eis.

QVAESITVM IX.

An Deus ſit in omnibus rebus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam?

ALex. reſp. quod in Deo ſunt tria, eſſentia, virtus, & operatio, ſaltem ſecundum rationem diſtincta, & quoniam ſua eſſentia attingit omnem rem, ſimiliter ſua virtus, & operatio, ideo dicitur eſſe in omnibus rebus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam. *q. 10. m. 2.*

Albertus reſp. quod Deus dicitur in omnibus rebus per eſſentiam, vt eſſentia in ſe conſideratur, per potentiam propter attributum Patris, quod eſt potentia, per pręſentiam propter attributum Filij, quod eſt ſcientia. *d. 37. a. 5.*

D. Thomas reſp. quod Deus dicitur eſſe in omnibus rebus per præſentiam, ſecundum quod operatur in eis, cum operans non poſſit operari niſi præſens ſit operato, per potentiam, ſecundum quod operatio non poteſt eſſe ſine virtute, & per eſſentiam, ſecundum *q. 1. a. 2.*

quod virtus in Deo non diſtinguitur realiter ab eſſentia. Et rurſus (inquit Aegidius) dicitur in omnibus rebus per eſſentiam, quia eſt cauſa, quæ rebus omnibus dat eſſe, & ipſas in eſſe conſeruat; per præſentiam, quia per cognitionem agit; per potentiam, quia ex libertate arbitrij res in eſſe producit.

p.p. Et iterum reſp. D. Thomas, quod Deus eſt
q.8. in omnibus rebus per potentiam, inquan-
a.3. tum omnia eius potentiæ ſubduntur, per præſentiam inquantum omnia nuda ſunt, & aperta oculis eius, & per eſſentiam inquantum adeſt omnibus vt cauſa eſſendi. Item Occham, Rubion, Ioannes, de Baſſol. Nicol. de Orb. Michael de Pal. Franciſcus a Chriſto, Molina, Vaſquez, Rubeus.

d.37. D. Bonau. reſp. quod omne quod eſt per-
a.1. fectè in re, vel eſt, ſecundum præſentialita-
q.2. tis indiſtantiam, vt contentum in continente, vel ſecundum virtutis influentiam, vt motor in mobili, vel ſecundum intimitatis exiſtentiam, vt anima in corpore, & quoniam Deus eſt perfectè in omnibus rebus, ideo dicitur eſſe ſecundum præſentiam in eis, quod eſt eſſe ſecundum præſentialitatis indiſtantiã, ſecundum potentiam, quod eſt eſſe ſecundum virtutis influentiam, & ſecundum eſſentiam, quod eſt eſſe ſecundum intimitatis exiſtentiam.

a.1. Ricardus reſp. quod Deus eſt in omnibus
q.1. rebus per eſſentiam, quia eſt immenſus, per præſentiam, quia omnes res ſunt in conſpectu eius, & per potentiam, quia eſt omnipotens, & eo egent omnes res, vt conſeruentur in eſſe.

q.1. Durandus reſp. quod ratione operationis producentis, & conſeruantis rem in eſſe Deus dicitur eſſe in rebus per præſentiam, & quia hæc præſentia non ſolum eſt ſecundum cognitionem, ſed ſecundum realem exhibitionem, nam ſicut figura ſigilli non fit, nec conſeruatur in aqua, niſi ad realem coexiſtentiam ſigilli, ſic nulla res conſeruatur in eſſe niſi ad realem coexiſtentiam Dei, ideo dicitur Deus eſſe in rebus per eſſentiam, & quoniam ab eſſentia non egreditur actio, niſi mediante potentia, ideo dicitur eſſe in rebus per potentiam.

a.1. Petrus Aur. reſp. quod cum Deus dicitur eſſe in omnibus rebus per eſſentiam, exprimitur quid ſit illud in Deo, quod ſubijcitur illi conditioni, quæ eſt eſſe in omnibus rebus ſcilicet, eſſentia; cum verò dicitur Deus eſt in omnibus rebus per præſentiam, exprimitur quid ſit formaliter Deum eſſe in omnibus rebus, non enim eſt aliud, quam quædam præſentialitas, non quidem poſitiua, ſed negatiua. ſ. omnimoda indiſtantia ab omnibus rebus; cum autem dicitur Deus eſt in omnibus rebus per potentiam, exprimitur aliquid determinans formale ad ſubſtratum videlicet, indiſtantia ad eſſentiam, per hoc enim apprehenditur operatio Dei attingere intima omnis rei de neceſſitate, & apprehenditur eſſentia, a qua profluit operatio, vt indiſtans ab omnibus rebus, & hoc eſt Deum eſſe in eis per eſſentiam ſubiectiuè, ſeu ſubſtantiuè, per potentiam determinatiuè, & per præſentiam formaliter, atque ita eſt vnus modus eſſendi Dei in omnibus rebus, non tres, qui tamen per hæc tria perfectè exprimitur.

Gerardus reſp. quod eſſe in aliquo ſecun- a.2.
dum eſſentiam eſt attingere ipſum, in quo eſt ſecundum ſuam eſſentiam, ita vt non interueniat diſtantia inter eſſentiam vnius, & eſſentiam alterius; eſſe in aliquo ſecundum præſentiam eſt ita ipſum attingere ſecundum notitiam, vt ſit præſens ſuæ notitiæ ſine aliqua expectatione; eſſe in aliquo ſecundum potentiam eſt ſic eſſe in aliquo, quod attingat ipſum ſecundum aliquam operationem, ita Deus dicitur eſſe in omnibus rebus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam.

Petrus Trigoſ. reſp. quod Deus in omni- p.p.
bus operatur, vbi autem operatur ibi eſt, & q.6.
quoniam eius operatio non diſtinguitur ab a.6.
eius præſentia, & eſſentia, idcirco in om- dub.1
nibus eſt per operationem, ſiue potentiam, præſentiam, & eſſentiam.

Reſolutio.

RESPONDEO, quod in Deo eſt intellectus, & voluntas, quibus procedit in omnes ſuas operationes ad extra, & eſt ſimiliter eſſentia quaſi quid ſubſtratum eis; quia ergo Deus cognoſcit, & intelligit omnia dicitur eſſe in omnibus per præſentiam, quia poteſt omnia, quæ vult, & nihil ſubterfugit efficaciam ſuæ voluntatis dicitur eſſe in omnibus per potentiam, & quia naturæ eſt ſimpliciſſimæ, & indiſtantia ab intellectu, & voluntate dicitur eſſe in omnibus per eſſentiam; & hac ratione dicitur eſſe in omnibus rebus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam.

Sed ſi dicitur eſſe etiam per gratiam in Obie-
fidelibus? ctio.

Reſpondetur, quod Deus dicitur eſſe per gratiam in fidelibus, modo quodam ſpeciali; in alijs autem rebus modo generali per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, quo indifferenter eſt in omnibus.

DISTINCTIO TRIGESIMA OCTAVA.

Nunc ergo ad propoſitum reuertentes cæpto inſiſtamus, &c.

QVAESITVM I.

An Deus cognoſcat futura contingentia?

tr.15 q.60. ALbertus reſp. quod ſicut per defectum ſpeciei boni cognoſcitur malum, ita per defectum eius, quod eſt actio, & in vniuerſali, & in particulari, & in cauſa, & in cauſato cognoſcitur contingens, & ſic Deus cognoſcit contingentia.

d.38. q.1. a.5. D. Thomas reſp. quod contingentia duplici ratione videntur effugere diuinam cognitionem; prima eſt, quia diuina ſcientia eſt cauſa rerum neceſſaria, & immutabilis, a qua nullus poteſt eſſe effectus, niſi neceſſarius; ſecunda, quia infallibilis eſt, & certa, vnde quæ ipſa ſciuntur deberent eſſe determinata, & certa, qualia non ſunt contingentia; ſed hæ rationes (inquit) non impediunt; non prima, quia quando ſunt multæ cauſæ ordinatæ, effectus vltimus non ſequitur cauſam primam in neceſſitate, & contingentia, ſed proximam, quia virtus cauſæ primæ recipitur in ſecunda ſecundum modum cauſæ ſecundæ, & ſic Deus operatur per cauſas ſecundas contingentes effectus contingentes, & per cauſas neceſſarias effectus neceſſarios; non ſecunda, quia licet contingentia antequam fiant ſint indeterminata, & incerta, dum tamen in actu ſunt, determinata ſunt, & certa, & hoc modo cognoſcit illa Deus cognitione, quæ eſt præſens illi actui, quæ eſt cognitio æterna.

p.p. q.14. a.13. Et iterum reſp. quod Deus cognoſcit omnia contingentia non ſolum prout ſunt in ſuis cauſis, ſed etiam prout vnumquodque eorum eſt in actu in ſeipſo, & licet contingentia fiant in actu ſucceſſiuè, non tamen Deus ſucceſſiuè cognoſcit contingentia prout ſunt in ſuo eſſe, ſicut nos, ſed ſimul, quia cognitio ſua menſuratur æternitate, ſicut & ſuum eſſe.

d.10. pr.3. q.vn. Ægidius reſp. quod ſi contingentia non cognoſcuntur, hoc eſt, quia cauſæ eorum impediri poſſunt, vnde poſſunt non euenire, ſi ergo eſſet aliquis intellectus, qui omnia impedimenta cognoſceret, poſſet ſcire de quolibet contingenti vtrum eueniret, an non; cum itaque Deus omnia impedimenta cognoſcat, quia omnia cognoſcit, igitur & ipſa contingentia.

Ricardus reſp. quod omnia futura æternitati realiter ſunt præſentia, inquantum æternitas ratione immenſitatis tranſcendit noſtrum præſens, & idcirco Deus futura contingentia cognoſcit. a.1. q.1.

Petrus Aureol. reſp. quod diuina ſcientia adeo ſimplex eſt, quod non diſtenditur pro tempore, vt ſit expectatiua futuri, aut memoratiua præteriti, aut intuitiua præſentis, ſed omnino abſtrahit ab his, & ideo non infert ſuum cognitum, nec vt præſens, nec vt præteritum, nec vt futurum, quapropter huiuſmodi propoſitio, Deus ſcit quid erit futurum, vel Deus ſcit quod Antichriſtus erit eſt falſa ſecundum proprietatem ſui ſignificati, & in ſe nec vera, nec falſa, ac proinde non eſt ſcibilis ab aliquo intellectu, quia ſcientia non niſi verorum eſt. d.39. a.3.

Franc. Maro reſp. quod Deus cognoſcit futura contingentia; primò, quia habet prudentiam, & artem, quæ ſunt reſpectu contingentium; ſecundò, quia voluntas æquè continet virtualiter neceſſaria, ſicut contingentia; tertiò, quia intellectus diuinus eſt potentia nobiliſſima, quanto autem potentia eſt nobilior, tanto eſt vniuerſalior, & communior; quartò, quia voluntas continet ſupereminenter, & virtualiter omnia contingentia; eſt autem tale repreſentans ſufficiens ad perfectè cognoſcendum; quintò tandem, quia voluntas eſt propria cauſa contingentium. d.38. q.1.

Adam Godam reſpondet, quod ſumendo vocabulum ſcientiæ pro omni euidenti, & certa iudicatiua notitia reſpectu complexè enunciabilis, verbum Dei eſt ſcientia futurorum quorumcunque contingentium ad vtrumlibet, quæ ſunt vera, ita quod de omni futuro nouit euidenter, quod erit, & de omni non futuro, quod non erit. 3.ſēt. d.1. q.9.

Thomas ab Argent. reſp. quod ſi Deus non cognoſceret futura contingentia, aut dicendum eſſet, quod aliquarum rerum haberet ignorantiam poſtquam productæ ſunt, aut aliquid ſuæ ſcientiæ per euentum rerum accreſceret, quorum vtrumque eſt impoſſibile. Deus item ab æterno potuit eſſe cauſa contingentium, ergo ab æterno cognouit futura contingentia; tertiò probat, vt Aegidius. d.38. a.2.

Gregorius reſp. quod cum nihil poſſit in mundo produci non producente, vel comproducente Deo liberè, & contingenter, ex conſequenti dicendum eſt, quod etiam omnia futura contingentia cognoſcit. q.2.

Mi-

q. vn. Michael de Bonon. reſp. & probat tripliciter Deum euidenter cognoſcere futura contingentia; & primò, Deus euidenter cognoſcit cuiuſcunque propoſitionis cathegorematicæ determinatè verum ſignificatum, ſed futura contingentia, ſunt ſignificabilia per aliquas propoſitiones cathegorematicas determinatè veras, nam cuiuslibet propoſitionis diſiunctiuæ de futuro contingenti ex contradictorijs formatæ, altera per ſe eſt determinatè vera, igitur Deus euidenter cognoſcit futura contingentia; ſecundò, quanto intellectus eſt maioris ſubtilitatis, & perſpicuitatis, tanto magis poteſt cognoſcere illud, quod eſt futurum, ſed intellectus diuinus eſt infinitæ perſpicuitatis; ergo poteſt cognoſcere, quod eſt futurum; tertiò, omne futurum contingens eſt a Deo determinatè volitum eſſe futurum, igitur & determinatè cognitum.

q. 11. a. 3. Petrus Aliacen. reſp. quod cum aliqua ſint vera contingentia, & inter illa aliqua ſint de futuro, ſiue de re futura, ſequitur quod Deus ſicut omnium verorum habet ſcientiam, ita & ipſa cognoſcit.

d. 35. q. 6. Fran. a Chriſto reſp. quod Deus ab æterno cognoſcit omnium rerum ordinem, & ſtatum, & omne id, quod ad prouidentiam, & gubernationem vniuerſitatis pertinet, hominum item cogitationes, merita, & demerita, & quoniam hæc omnia ſunt contingentia, neceſſe eſt dicere, quod Deus cognoſcit futura contingentia. Et quia eſt cauſa omnium, & artifex vniuerſi (addit Trigoſius).

q. 14. diſp. 17. Ludou. Molina reſp. quod cum Deus cognoſcat contingentia omnia quando fiunt, & iam actu ſunt, & hæc non incipiat ſcire quando actu ſunt, id enim eſſet a non ſciente in ſcientem mutari, igitur ſcit ea antequam fiant; ſecundò, ſi in Deo non eſſet præſcientia futurorum contingentium periret prophetia, corrueretq. pars maxima ſcripturarum, quod cum fide catholica maniſeſtè pugnat.

q. 14. p. 4. Gregorius de Valen. reſpondet, quod diuina cognitio menſuratur æternitate, quæ ſemper eſt eadem, & ideo tam æquè perfectè cognoſcit futura contingentia, quam præterita, & præſentia.

Opuſ. lib. 1. Franc. Suarez reſp. quod loquendo de futuris contingentibus abſolutis Deus cognoſcit ea per ſimplicem intuitum voluntatis, vel rei, quæ futura eſt in ſui temporis differentia, & prout in illa futura eſt, & ſecundum omnes conditiones exiſtentiæ, quas in illa eſt habitura; loquendo autem de futuris contingentibus conditionalibus Deus ſimiliter cognoſcit ea ex efficacia ſui luminis infiniti, perfectionis, ac æternitatis ſcientiæ eius, ex cuius vi apprehenſa quacunque re, ſeu quacunque complexione rerum a nobis enunciabili naturaliter iudicat, quid veritatis ſit in vnaquaque re, & obiecto.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſcientia Dei, ſicut dictum eſt, infinita eſt, ac proinde nullam patiens differentiam temporis ad omnia ſe extendit, quæ habent aliquam rationem entis, non ſolum actu, ſed etiam potentia; & quoniam futura contingentia non excluduntur a continentia entis, ſunt enim poſſibilia eſſe, idcirco neque a diuina cognitione excludi poſſunt.

Sed ſi ſcientia Dei immutari non poteſt, ac proinde quicquid cognoſcit Deus neceſſariò eueniet, quod tollit naturam contingentiæ. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod quicquid cognoſcit Deus neceſſariò eueniet, non quidem in ordine ad ſuas cauſas proximas, ſic enim tolleret naturam contingentiæ, ſed in ordine ad diuinam ſcientiam, quæ rerum contingentiæ non repugnat, quæ enim ſunt neceſſaria cognoſcit euentura neceſſariò, & quæ ſunt contingentia, contingenter.

QVÆSITVM II.

An Deus certò, determinatè, ac infallibiliter cognoſcat futura contingentia?

D. Thomas reſpondet, quod contingentia infallibiliter a Deo cognoſcuntur inquantum ſubduntur diuino conſpectui ſua præſentialitate, & ſunt futura contingentia ſuis cauſis comparata. d. 38. p. p. q. 14. a. 13.

D. Bonau. reſp quod Deus habet certam ſcientiam de omnibus rebus, quantum ad omnes conditiones earum exiſtentiæ, quia vniuerſa præſentialiter cognoſcit, non quidem quod talis præſentialitas notetur a parte cognitorum, ſed a parte cognoſcentis, & ratio eſt, quia Deus habet omnium ideas ſibi præſentes, per quas ita res cognoſcit, ac ſi præſentes eſſent. d. 39. a. 2. q. 3.

Aegidius reſp. quod iudicium non attenditur ſecundum naturam ſcitorum, ſed ſcientis, cum igitur Deus æternus ſit, & in æternitate prius, & poſterius eſſe non poſſit, to- d. 38. pr 3. q. vn.

Digitized by Google

totus ſtatum rerum temporali variationi ſu-
biectus a Deo præſentialiter cernitur, ſic
ergo futura contingentia ad diuinam co-
gnitionem relata præſentia ſunt, & con-
ſequenter ſecundum eſſe determinata, & de-
terminatè cognita.

a.1. Ricardus reſpondet, quod Deus liquidò,
q.5. & certò cognoſcit omnia futura contingen-
tia; primò, quia omnia futura ſuæ æterni-
tati ſunt præſentia; ſecundò, quia ſcit om-
nia illa bona, quæ vult fieri, & ſimiliter
mala, & ſcit quod nullum bonum poteſt fie-
ri ipſo nolente; ergo cum certò ſciat, quæ
ſunt in ſua voluntate, certò etiam ſcit om-
nia futura contingentia.

d.39. Ioannes Scotus reſpondet, quod diuinus
q.5. intellectus certitudinaliter, & determinatè
cognoſcit futura contingentia, inquantum
ipſe intellectus præſentat voluntati vtram-
que partem contradictionis, & tunc volun-
tas eligens vnam partem pro aliquo nunc
in re facit illud determinatè eſſe verum,
quod apprehendens intellectus, non niſi de-
terminatè, & certitudinaliter poteſt ap-
prehendere.

d.38. Herueus reſpondet, quod Deus ab æter-
q.1. no intuetur, & præſentialiter cognoſcit fu-
a.1. tura contingentia, etiam quantum ad ſuam
exiſtentiam actualem, alioquin ſequeretur
vel quod nunquam ea cognoſceret, vel quod
de nouo aliquid cognoſceret, quorum vtrú-
que eſt impoſſibile.

q.3. Durandus reſpondet, quod Deus cogno-
ſcit futura contingentia determinatè, non
per hoc, quod ab æterno ſint ei præſentia,
ſed per hoc, quod eſſentia diuina, vt cauſa
eſt ſufficiens ratio repreſentandi intellectui
diuino determinatè ſingula, quæ licet ſit
prima ratio, & ſufficiens ſciendi ea, nihil
tamen prohibet, quod etiam cognoſcat ea
in cauſis ſuis contingentibus.

a.1. Petrus Aureol. reſp. quod diuina eſſentia
eſt ſimilitudo æterna, cuiuſcunque actuali-
tatis futuri contingentis exhibitæ in actu;
& quoniam Deus cognoſcit ſuam diuinam
eſſentiam, propter hoc cognoſcit etiam in-
fallibiliter futura contingentia.

q.4. Franciſcus Maro reſp. quod futura contin-
gentia habent veritatem determinatam in
Deo, non quidem formaliter, ſed obiectiuè
tantum, non in eorum exiſtentia, ſed in
diuina notitia, & ratio eſt, quia diuinus
intellectus fertur in voluntatem diuinam, &
etiam in obiecta, quæ ipſa determinatè repre-
ſentat.

q.vn. Guilelmus Occham reſp. quod indubi-
tanter tenendum eſt, quod Deus certitudi-
naliter, & euidenter ſcit omnia futura con-
tingentia, ſed hoc euidenter declarare, &
modum quo illa ſcit exprimere eſt impoſſi-
bile omni intellectui pro ſtatu iſto; poteſt ta-
men dici, quod ipſe Deus, vel diuina eſ-
ſentia, eſt vna cognitio intuitiua, tam ſui
ipſius, quam omnium aliorum, tam facti-
bilium, quam non factibilium, præterito-
rum, præſentium, & futurorum, ita quod
ſicut ex notitia intuitiua intellectiua noſtra
extremorum, poteſt intellectus noſter eui-
denter cognoſcere aliquas propoſitiones cō-
tingentes, ita ipſa diuina eſſentia eſt quæ-
dam notitia, qua non tantum ſcitur verum,
neceſſarium, & contingens de præſenti, ſed
etiam ſcitur, quæ pars contradictionis erit
vera, & quæ falſa.

Gerardus reſp. quod futura contingentia d.38.
repreſentantur immutabiliter in diuina eſſen- q.vn.
tia propter ſuam ſummam actualitatem, cui
repugnat aliquid expectare in futurum, &
ideo quicquid repreſentat, inuariabiliter, &
immutabiliter repreſentat.

Gregorius reſp. quod Deus intuitiuè om- q.2.
nia futura contingentia cognoſcit, & pro-
pterea etiam certè, & infallibiliter ipſa no-
uit. Item Ioannes a Celaia.

Guilelmus Rubion reſp. quod Deus cer- q.2.
titudinaliter omnia poſſibilia cognoſcit, quia
cognoſcit ea notitia perfecta, & intuitiua
quæ eſt eſſentia ſua. Item Trigoſius. Cer-
titudo autem determinatio, & infallibilitas
pertinet ad perfectionem ſcientiæ (inquit
Nijſſe.)

Petrus Aliac. reſp. quod licet de quocun- q.11.
que futuro Deus habeat neceſſariò intuitiuā a.3.
notitiam, de nullo tamen enunciabili de
futuro contingenti habet neceſſarium iudi-
cium, ſiue iudicatiuam ſcientiam.

Franciſcus a Chriſto reſp. quod Deus co- d.35.
gnoſcit futura contingentia non ſub ratione q.6.
futuri, ſed tanquam præſentia in ſua reali,
& actuali exiſtentia, cum eius cognitiò vt
tota ſimul menſuretur æternitate, & ideo
ea infallibiliter certò, ac determinatè co-
gnoſcit, Siquidem comparata ſuis cauſis ſunt
futura (inquit Rubeus) Deo verò comparata
ſunt præſentia.

Gregorius de Val. reſp. quod diuina præ- q.14.
ſcientia futurorum idcirco potiſſimum eſt ve- p.5.
ra, & infallibilis, quia fertur in futuras res §.2.
ſecundum illud eſſe actuale, quod ſunt ipſæ
habituræ, & eo modo, quo ſunt habituræ.

Guilelmus Eſtius reſp. quod ideo Deus cer d.38.
tò, & infallibiliter cognoſcit omnia futura §.3.
con-

contingentia, quia certò, & infallibiliter cognoſcit omnia, quæ ſunt in potentia Dei, vel creaturæ, & quia cognoſcit ea non ſolum in ſuis cauſis, ſed etiam in ſeipſis, nam intelligit ea in ſua æternitate, in qua nulla eſt ſucceſſio, & ſic tanquam præſentia cognoſcit.

diſp. 65. c.2 Gabriel Vaſquez reſp. quod ideo Deus certitudinaliter, & determinatè cognoſcit futura contingentia, quia eius intellectus eſt infinitus, vnde quicquid intelligibile eſt ab ipſo intelligitur; & quia ſic ſecundum ſuam voluntatem decreuit vt contingentia forent; at cauſa hæc remota eſt, quamuis ſufficiens; illa verò proxima, & euidens.

Reſolutio.

RΕſpondeo, quod certò, determinatè, & infallibiliter aliquid cognoſcere, pertinet ad perfectionem cognoſcentis; cum itaque Deus ſit perfectiſſimè cognoſcens, eſt enim intellectus purus, & infinitus, conſequens etiam eſt, vt futura contingentia certò, determinatè, ac infallibiliter cognoſcat.

Obiectio. Sed ſi (vt dicit Ariſt. 1. Per.) de futuris contingentibus non eſt determinata veritas?

Reſpõdetur, quod vera eſt propoſitio Ariſt. accipiendo certam, & determinatam veritatem per comparationem ad intellectum noſtrum, ſuis naturalibus derelictum, ſecus autem per comparationem ad diuinum. Ita Ricardus.

DISTINCTIO TRIGESIMA NONA.

Præterea quæri ſolet; vtrum ſcientia Dei poſſit augeri, vel minui, &c.

QVAESITVM I.

An in Deo ſit prouidentia?

q.26. m.1. ALex. reſp. quod cum videamus res omnes in vniuerſo ordinatas eſſe tam corporales, vt elementa, & quæ ſunt ſuper elementa, quam ſpirituales, vt angelos, neceſſe eſt dicere, quod ſit aliud nobilius eis, quod ordinet illas, cum a ſeipſis talem ordinationem habere non poſſint, & hoc non poteſt eſſe niſi Deus, qui eſt omnium artifex, & gubernator; dum ergo regit huiuſmodi, & gubernat, dicitur earum habere prouidentiam.

p.p. q.22. D. Thomas reſp. quod cum Deus ſit cauſa boni, & non ſolum quantum ad ſubſtantiam rerum, ſed etiam quantum ad earum ordinem, neceſſe quoque eſt, vt ratio talis ordinis præexiſtat in eo tanquam in agente per intellectum, & conſequenter ſit in eo prouidentia, cum prouidentia non ſit aliud, quam ratio ordinandorum in finem. Item Herueus, Valentia, Molina. *a.1.*

Aegidius reſp. quod Deus aſſimilatur patri familias, cuius eſt domeſticos ſuos, non ſolum diſponere ſecundum diuerſos gradus ad conſequendum fines ſuos, ſed etiam prouidere eis, dando eis media, per quæ poſſint conſequi huiuſmodi fines; cum itaque Deus conſtituerit creaturas ſecundum diuerſos gradus, alias enim condidit rationales, alias irrationales, conſequens eſt, vt eis media etiam largiatur, per quæ poſſint conſequi fines ſuos, & hoc eſt habere prouidentiam de eis, nam prouidentia eſt eorum, quæ ſunt ad finem. Item Durandus. *d.39. p.2. q.1.*

Petrus Aureol. reſp. quod prouidentia eſt quidam intuitus ſequens conſilium de futuris actionibus, & conferentibus poſſibilibus aliter ſe habere, deliberatiuis, & voluntarijs ſupponens ſolicitudinem, & curam, & hæc eſt in Deo, ſublato quicquid imperfectionis accidit ei, vnde non eſt in eo, vt includit conſilium præcedens, quia hoc imperfectionis eſt; ſed eſt ſimplex intuitus, nec etiam eſt de futuro reſpectu ſui, quia abſtrahit a futuritione, quamuis ſit de futuro reſpectu rei, nec ſupponit ſolicitudinem, & curam propriè ſumptam, ſed quodammodo methaphoricè, inquantum ſe habet ad modum curantis, & ſolicitè ex hoc, quod circa res operatur. *d.40. a.2.*

Gerardus reſp. quod in entibus oportet dare aliquam vnam cauſam vniuerſalem diſponentem omnia conſtituendo ea in ſuo debito ordine, alioquin vel nullus eſſet ordo in entibus, vel ſi eſſet, eſſet a caſu, & ſimiliter gubernantem omnia dirigendo ea in ſuum finem, alioquin entia eſſent otioſa, & otioſus entium ordo; quoniam autem hæc non poteſt eſſe, niſi Deus, ideo Deus, cum omnia diſponat, & gubernet, neceſſe eſt dicere, quod in eo ſit prouidentia. *d.39. q.vn. a.1.*

Ioannes de Baſſol. reſp. quod prouidentia eſt præuiſio, ſiue ſcientia viſionis futurorum agibilium, & ordinandorum in finem, ſecundum beneplacitum diuinæ voluntatis, & hæc eſt perfectiſſimè in Deo, ſicut in perfectiſſimo prudente, & principe diſponente ſuum principatum. *q.vn. a.4.*

Paulus Corteſius reſp. quod neceſſe eſt; vt ratio ordinis in vltimum, menti diuinæ *a.5.*

iuſit:

Digitized by Google

ſiſit; hæc itaque ratio ſtatuendarum rerum in finem prouidentia dicitur.

d. 39. q. 1. Franciſcus a Chriſto reſpondet, & ex his deducit eſſe rerum prouidentiam in Deo, ex actione naturę eius conſentanea, ex mundi ſapientiſſima conſtitutione, ex eius cultu, & veneratione, ex communi hominum extiſtimatione, & ex eo quod ipſe eſt; cum enim ſit ſapiens, & cognoſcat ea, quæ euentura ſunt, & quo ordine gubernantur, conſequens eſt, vt velit, ne ſit deſes, ordinem eis præſtituere, & cum velit præſtituat. Similiter Trigoſius.

Reſolutio.

RESpondeo, quod omnia, quæ facta ſunt a Deo non ſolum ab ipſo facta ſunt, vt ſint, ſed etiam vt in eſſe conſeruentur, & conſequantur fines ſuos. & quoniam media, per quæ conſeruantur in eſſe, & conferunt ad conſequendum fines ſuos aliquando deficere poſſunt, ideo neceſſarium eſt, vt Deus, qui eſt omnium rerum effector, quadam ſpeciali ratione operetur ne deficiant, & hoc eſt prouidere; eſt ergo prouidentia in Deo quædam eius ſpecialis operatio circa media, quibus res conſeruantur in eſſe, & ſuos fines conſequuntur.

Obiectio. Sed ſi non omnia conſequuntur fines ſuos?

Reſpondetur, quod hoc non prouenit ex defectu diuinæ operationis; ſiue diuinæ prouidentiæ, ſed ex defectu, & malitia rerum, quibus redduntur incapaces effectuum diuinæ prouidentiæ.

QVAESITVM II.

An prouidentia in Deo diſtinguatur ab eius ſcientia, diſpoſitione, ſolicitudine, & gubernatione?

q. 23. m. 2. ALexander reſp. quod diſpoſitio eſt præſcientia fiendorum, vt fiant, & diſtinguitur a ſapientia, & prouidentia in hoc, a ſapientia quia ſapientia dicit iudicium, quia bonum eſt vt fiat, diſpoſitio addit intentionem faciendi, prouidentia reſpicit ipſum eſſe rei, poſtquam factum eſt, vt perficiatur, vel vt permaneat, diſpoſitio vero reſpicit eſſe rei, vt fiat.

d. 39. q. 2. a. 1. D. Thomas reſp. quod iſta tria, diſpoſitio, ſcientia, & prouidentia, ſe habent per additionem vnius ad alterum; vnde dicitur ſcientia, ſecundum quod habet cognitionem ſui ipſius, & eorum, quæ facit; dicitur diſpoſitio ratione duplicis ordinis, quem ponit in rebus; ſcilicet rei ad rem, ſecundum quod iuuant ſe inuicem ad conſequendum finem vltimum, & iterum totius vniuerſi ad ipſum Deum; prouidentia dicitur, ſecundum quod rebus ita ordinatis attribuit ea, quæ ordinem conſeruent, & propellit omnem inordinationem.

pr. 2. q. 1. Aegidius reſp. quod ſcientia, diſpoſitio, ſolicitudo, prouidentia, & gubernatio, ſic differunt ab inuicem in Deo; ſcientia non ſolum eſt reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem, ſed etiam reſpectu finis, ſcit enim Deus ſeipſum, & alia; diſpoſitio autem ſolicitudo, prouidentia, & gubernatio, reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem, huiuſmodi autem ſic diſtinguuntur, quia ſolicitudo eſt quid commune ad diſpoſitionem, prouidentiam, & gubernationem; Deus enim ad inſtar patris familias eſt ſolicitus quomodo res diſponat, quomodo omnibus ſecundũ ſuũ gradũ prouideat, & quomodo ſingulas per ſuum modum gubernet; prouidentia autem, diſpoſitio, & gubernatio ſe habent per ordinem, nam prouidentia præſupponit diſpoſitionem, & gubernatio prouidentiam, prius enim eſt domum diſponere, quam ſingulis ſecundum ſuum ſtatum prouidere, & gubernatio eſt executio prouidentiæ.

q. 3. Durandus reſp. quod ſcientia, diſpoſitio, prouidentia, & gubernatio per ordinem ſe habent, nam ſcientia requirit quamlibet rem in ſe, diſpoſitio verò quamlibet rem, vt collocatur in gradu ſuo, prouidentia verò eſt collatio eorum, quæ neceſſaria ſunt cuilibet ad conſecutionem finis per ſui operationem, gubernatio verò eſt executio talis præuiſi.

Reſolutio.

RESpondeo, quod prouidentia, ſcientia, diſpoſitio, ſolicitudo, & gubernatio diſtinguuntur in Deo ſecundum quendam ordinem rationis, quem habent per reſpectum ad res; primò enim Deus ſcit, quæ quibuſcunque rebus conducant, vt in ſuo eſſe conſeruentur, ac conſequantur fines ſuos, & hæc eſt ſcientia; deinde res ipſas ordinat ſecundum gradus ſuos, vt capaces reddantur effectuum prouidentiæ ſuæ, & hæc eſt diſpoſitio; inde iuxta congruitatem locorum, & temporum, media præparat, quibus res in eſſe conſeruari poſſint, & conſequi fines ſuos, & hæc eſt prouidentia; quartò in hac preparatione perſiſtit, & nihil prætermittit, quod ipſam iuuet, & hæc dicitur ſolicitudo; poſtremò effectiuè id exequitur, & dicitur gubernatio, & ſic ſecun-

Digitized by Google

dum hanc ordinis rationem hæc quinque diſtinguuntur, prouidentia ſcilicet, ſcientia, diſpoſitio, ſolicitudo, & gubernatio, quæ eſt diſtinctio, non quidem ſecundum rem, ſed ſecundum rationem.

Obiectio. Sed ſi prouidentia, ſcientia, & huiuſmodi diſtinguuntur ſecundum diffinitionem?

Reſpondetur, quod diſtinguuntur ſecundum diffinitionem non quid rei, ſed quid nominis, quæ facit diſtinctionem ſecundum rationem tantum, non ſecundum rem.

QVÆSITVM III.

An prouidentia pertineat ad ſcientiam, an ad voluntatem, an verò ad potentiam?

q.26. m.2. ALex. reſp. quod in prouidentia duo conſiderantur, videntia ſcilicet, ſiue cognitio, & cauſalitas in ordinando, & gubernando, vt eſt videntia ſpectat ad ſcientiam, vt cauſalitas in ordinando, & gubernando ad voluntatem; & quoniam non poteſt gubernare, & ordinare niſi habeat virtutem ordinandi, & gubernandi, ideo etiam ad potentiam ſpectat.

d.39. q.1. a.1. D. Thomas reſp. quod prouidentia pertinet ad ſcientiam vt cognitio, ſine hoc quod operari intendat; pertinet ad ſcientiam, & voluntatem, vt ordinat in opus cum propoſito exequendi; pertinet ad ſcientiam, voluntatem, & potentiam vt opere exequitur.

pr.2 q.1. Aegidius reſp. quod prouidentia ad ſcientiam pertinet prout Deus res ſpeculatiuè intuetur, quamuis tamen magis propriè ad ſcientiam practicam pertineat, quam ſpeculatiuam; ad voluntatem pertinet, prout cum hoc, quod talia cognoſcit, & videt, ſic facere proponit; ad potentiam pertinet, prout tali cognitioni, & propoſito ſuperadditur executio, quia talis executio habet fieri mediante potentia.

tr.1 p.3. p.2. Nicol. de Nijſe reſp. quod prouidentia poteſt accipi dupliciter; vno modo pro præuiſione rerum, & ſic pertinet ad intellectum, alio modo pro earum determinatione, aut præordinatione, & ſic pertinet ad voluntatem.

d.39. diſp.3 Michael de Palatio reſpondet, quod quia prouidentia eſt ordinatio rerum faciendarum, & mens eſt, quæ ordinat, ideo prouidentia opus eſt mentis, quamuis eius executio ad voluntatem pertineat.

Reſolutio.

REſpondeo, quod diuina prouidentia formaliter conſiſtit in præparatione mediorum cōducentium ad conſeruationem rerum in eſſe, & conſequutionem ſuorum finiũ, & quoniam eſt impoſſibile, quod Deus præparando media neſciat ea, aut nolit, aut non poſſit circa illa, idcirco prouidentia pertinet ad ſcientiam, ad voluntatem, & potentiam, non quidem formaliter, quia ſic pertinet ad operationem, quæ conſequitur ipſam ſcientiam, voluntatem, & potentiam, ſed præſuppoſitiuè, qui enim prouidet neceſſe eſt vt habeat ſcientiam, voluntatem, & potentiam de his, quæ, & quibus prouidet.

Obiectio. Sed ſi prouidentia præſupponit eſſentiam, & tamen non dicitur pertinere ad eſſentiam?

Reſpondetur, quod ſcientia, voluntas, & potentia ſe habent vt principia operationum, ſiue operandi; & ideo prouidentia, quæ eſt operatio, conuenienter dicitur pertinere ad illas, non autem ad eſſentiam, quæ quamuis præſupponatur ei, non habet tamen rationem principij operatiui.

QVÆSITVM IV.

An prouidentia diuina ſit æterna?

ALex. reſp. quod in intellectu prouidentiæ ſunt duo, cognitio, ſcilicet, & cauſalitas, ſi reſtringimus prouidentiam ad cognitionem, qua gubernanda præcognouit, ſic eſt æterna; ſi verò ad cauſalitatem, vel conſideratur in actu, vel in habitu, ſi in habitu, ſic poteſt dici ab æterno, quia dicit diuinam eſſentiam, vt habilem ad gubernandum creaturam, ſi in actu, ſic eſt temporalis. q.26. m.3. a.1.

Aegidius reſp. quod prouidentia, & diſpoſitio ſunt quid æternum, gubernatio autem, quæ eſt executio prouidentiæ, quid temporale, nam Deus in ſeipſo ab æterno omnia diſpoſuit, & omnibus prouidit, quæ tempore exequutus eſt. Item Durandus. d.39. p.2. q.1.

Ricardus reſp. quod ratio ordinandi creaturas ad ſuum finem, quæ eſt prouidentia, & propoſitum huius ordinis exequendi in Deo fuerunt ab æterno, eius verò explicatio, quæ gubernatio dicitur, non eſt niſi in tempore. q.1. a.2.

Nicolaus de Nijſe reſp. quod prouidentia, ſiue ſumatur pro præuiſione, ſiue pro præordinatione in Deo eſt æterna, nam Deus omnia nouit ab æterno, & habuit actum voli- tr. 1. p 3. p.2. q.1.

Digitized by Google

litiuum, & præordinatiuum omnium creabilium ab æterno, alioquin daretur mutatio in eo.

Reſolutio.

RESpondeo, quod cum prouidentia ſit operatio circa media, quæ conducunt ad conſeruationem rerum in eſſe, & ad conſequutionem ſui finis, ac ipſa media non ſint æterna, neque conducant ad conſeruationem rerum in eſſe æterno, nec res ipſæ ſint æternæ, conſequens eſt, vt nec ipſa prouidentia ſit æterna.

Obiectio. Sed ſi nulla mutatio eſt in Deo, ac proinde nihil niſi æternum?

Reſpondetur, quod prouidentia, ſicut creatio in Deo nullam dicit mutationem in eo, ſed tantum in rebus; & ideo ſicut creatio ſine eius mutatione dicitur ex tempore, ita & prouidentia, quæ ſequitur ad creationem.

QVÆSITVM V.

An omnia ſubſint diuinæ prouidentiæ?

q. 16. m. 4. a. 1. ALex. reſp. quod omnia ſubſunt diuinæ prouidentiæ bona, & mala, caſualia, neceſſaria, voluntaria, nobilia, & vilia; bona quia ab ipſo ſunt facta & creata; mala quia ab ipſo ſunt ordinata; caſualia, quia ab ipſo confluunt cauſæ, quæ faciunt ad qualemcunque inopinatum euentum; neceſſaria, & naturalia, quia ſic ordinata ſunt ab ipſo, vt non poſſint aliter ſe habere; voluntaria, quia permittit libero arbitrio, vt faciat quicquid vult, & ipſum adiuuat etiam ad bonum, nobilia & vilia, quia omnia conſeruat, & gubernat.

d. 39. q. 2. a. 2. D. Thomas reſp. quod malum ſubeſt diuinæ prouidentiæ, tanquam præuiſum, & ordinatum, ſed non vt intentum a Deo; bonum quaſi intentum; neceſſarium vt quod deficere non poſſit, contingens vt deficere poſſit; voluntarium, ita quod pœnam, vel præmium habeat, aut in præmium, vel in pœnam alicuius ordinetur, naturale autem, ita quod conſequatur finem naturalem, ſi bonum eſt, & ſi eſt malum, cedat in bonum alterius naturę.

p. p. q. 22. a. 2. Et iterum reſp. quod non ſolum in vniuerſali, ſed etiam in particulari omnia ſubſunt diuinæ prouidentiæ, quod probat dupliciter; primò ex eius cauſalitate, nam ſua cauſalitas ſe extendit ad omnia, cum autem omne agens agat propter finem, neceſſe eſt quod omnia, quæ habent eſſe ſint ordinata in finem, quod ad prouidentiam pertinet; ſecundò ex eius cognitione, Deus enim omnia cognoſcit, & ſua cognitio comparatur ad res, ſicut cognitio artificis ad artificiata, ſicut ergo omnia artificiata ſubduntur ordini artis, ita etiam omnia ſubduntur ſuo ordini, quod eſt ſubijci diuinæ prouidentiæ.

Aegidius reſp quod ſi aliqua videntur ſubterfugere diuinam prouidentiam ſunt caſualia, mala, & contingentia, ex hoc quod per accidens fiant, quæ tamen non ſubterfugiunt; non quidem caſualia, quia cum huiuſmodi ſint inopinati concurſus cauſarum, præter intentionem agentium; cum tales concurſus cauſarum ſint effectus, & omnes effectus ſint ab aliqua cauſa, & cum hæc cauſa v. g. in inuentione theſauri non poſſit eſſe, neque fodiens agrum, neque recondens theſaurum, oportet dicere, quod ſit cauſa ſuperior, quæ iſtas inferiores connectet, vnde tales effectus proueniant, & hæc eſt diuina prouidentia a qua omnis ordo cauſarum ſumit originem, per quam omnis effectus efficitur; mala autem ſubſunt diuinæ prouidentiæ, quia Deus ipſa permittit, vt ex eis bonum eliciat, & quia faciunt ad decorem vniuerſi; contingentia verò, quia prouidentia eſt cauſa contingentiæ, nam cum ſit cauſa entis in eo, quod ens, ſequitur quod ſit etiam cauſa ipſius neceſſitatis, & contingentiæ, cum contingens, & neceſſarium ſint differentiæ entis in eo, quod ens. *d. 39. p. 3. q. 1.*

Ricardus reſp. quod cum prouidentia ſit ratio in ſummo omnium principe conſtituta, quæ cuncta diſponit, ac proinde ſit ratio ordinis rerum inter ſe, & in finem ſuum, omnia quę habent aliquem ordinem diuinæ prouidentiæ ſubſunt; certum eſt autem, quod tam bona, quam mala aliquem ordinem habent, bona per ſe, quia ſunt a Deo, quę autem a Deo ſunt ordinata ſunt, mala autem ſaltem per accidens, inquantum actores malorum iuſtè ordinantur in pœnam, & in quantum ordo boni per malum, cui opponitur magis elucet. *q. 2. q. 2.*

Herueus reſp. quod cum Deus ſit cauſa omnium, & ſit agens per intellectum, & voluntatem, oportet quod omnium, quæcunque ſunt, & fiunt præexiſtat in intellectu ſuo præordinatio, & præcognitio omnium illorum, quibus vel poſſunt impediri a ſuo fine, vel promoueri ad ipſum quod eſt idem, quod habere prouidentiam de omnibus. *q. 2. a. 1.*

Durandus reſp. quod aliquid poteſt ſubeſſe diuinæ prouidentiæ dupliciter, vno *q. 3.*

Digitized by Google

modo ſicut illud, cui prouidetur, & ſic ſubſunt prouidentiæ ſola ſubſiſtentia, vel ſuppoſita, quia ſolis ſuppoſitis competit agere, & per actionem tendere in finem; alio modo ſicut illud, de quo prouidetur, vel contra quod prouidetur, vtrumque enim cadit ſub prouidentia, ſcilicet collectio expedientium, & remotio impedimentorum, & hoc modo omnia, quæ ſunt in creaturis ſubſunt diuinæ prouidentiæ.

d.40. a.2. Petrus Aureol. reſp. quod prouidentia ſumitur dupliciter, vel exequutiuè, vel directiuè, ſumendo prouidentiam exequutiuè ſic eam ſubterfugiunt illa, quibus Deus non immediatè prouidet exequendo, & hoc modo omnia generabilia, & corruptibilia ſubterfugiunt diuinam prouidentiam; ſumendo verò eam directiuè a quocunque executio fiat, omnia ſubſunt diuinæ prouidentiæ.

d.38. a.4. Thomas ab Argent. reſpondet, quod prouidentia diuina ad omnia ſe extendit, cum nihil ſit tam difficile, quin diuino conſilio poſſit promoueri, & nihil tam contingens, vel etiam neceſſarium, quin eodem conſilio poſſit impediri.

d.39. q. vn. a.1. Gerardus reſp. quod Deus habet prouidentiam de omnibus, de quibuſdam tamen directè eis prouidendo de his, quæ ſunt neceſſaria ad conſecutionem finis, de alijs non directè prouidendo, ſed per ea prouidendo alijs, de alijs verò collocando ea modo quodam ſpeciali ſub hoc ordine, vel quia deuiant ab eo, non quidem ſecundum naturam ſuam, ſed ex hoc, quod fiunt præter intentionem agentis, vt caſualia, ſeu fortuita, vel quia deuiant ſecundum naturam ſuam, vt mala culpæ.

q.vn. a.4. Ioannes de Baſſol. reſp. quod omnia diriguntur a Deo in fines ſuos proprios, quinimmo & in ipſummet Deum, qui eſt omniũ vltimus finis, & ideo omnia quæ ſunt, & fiunt in vniuerſo ſub diuina prouidentia cadunt.

q.1. Franciſcus a Chriſto reſp. quod omnia ſubſunt diuinæ prouidentię, & hoc deducit ex his; ex intentione finis, quem Deus vt primum efficiens intendit; ex perfectione diuinæ prouidentiæ; ex vniuerſali Dei motione; ex omni ſcientia Dei; & ex per ſe ordine vniuerſi.

§.1. Guilelmus Eſtius reſp. quod ideo omnia ſubſunt diuinę prouidentię, quia Deus eſt cauſa omnium rerum, & agens propter finem, & etiam finis omnium vniuerſalis, & quia ab æterno in eo ſunt ideę, per quas in tempore omnia operatur, & quia tandem eius prouidentia eſt perfectiſſima, vnde nihil eſt, quod ei ſit ſubtrahendum.

Petrus Trigoſius reſp. quod etiam peccatum cadit ſub diuina prouidentia, non ſecundum ſe formaliter quatenus eſt culpa, ſed materialiter, quatenus eſt verum ens reale, & actus, & ſimiliter quatenus permiſſum a Deo propter maius bonum. p.p. q.14. a.6. d.1.

Gregorius de Valentia reſp. quod quę facit Deus propter finem, cadunt ſub diuina prouidentia; & quoniam facit omnia propter finem, nam omne agens agit propter finem, & tanto magis Deus, qui eſt principaliſſimum agens, igitur omnia cadunt ſub diuina prouidentia. q.22. p.2.

Ludou. Molina reſp. quod omnia a Deo propter aliquem finem, vel fiunt, vel cum ab eo impediri poſſint, permittuntur; & propterea omnes res ſunt ſubiectæ diuinæ prouidentiæ alias ordinanti in finem, alias permittenti, ſeu non impedienti propter aliquem finem. q.22. a.1.

Archang. Rub. reſp. quod ſi Deus non omnibus prouideret, hoc eſſet; vel quia neſciret, quod derogat ſapientiæ ſuæ; vel quia non poſſet, quod derogat eius potentiæ; vel quia nollet, quod derogat bonitati ſuæ. Deus item factor eſt omnium, & non ſolum in generali, ſed etiam in particulari, & ad omnia ſecundum cauſalitatem ſe extendit, & omnia conſeruat, ordinat, & gubernat, igitur omnium habet prouidentiam. d.38.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod omnia ſubſunt diuinæ prouidentiæ; vel vt media, quibus vtitur Deus ad rerum conſeruationem, & conſequutionem eorum finis; vel vt ipſæ res, quibus Deus confert huiuſmodi media, vt conſeruentur in eſſe, & conſequantur fines ſuos, ex ſeipſis enim res, neque poſſunt conſeruari in eſſe, neque conſequi fines ſuos, neque ad id ſibi media congrua præparare; & propterea dictum eſt, quod prouidentia eſt præparatio mediorum conducentium ad conſeruationem rerum, & conſequutionem ſuorum finium, atque ita & bona, & mala, & neceſſaria, & contingentia, ſub diuina prouidentia cadunt.

Sed ſi dicit Apoſtolus, quod Deus non habet curam de bobus? nunquid enim (inquit) Deo eſt cura de bobus? Obiectio.

Reſpondetur, quod Apoſtolus non intendit remouere curam Dei ab iſtis animalibus ſimpliciter, ſed intendit, quod non ita ſpecia-

cialiter de eis curam habet; & prouidentiam, ſicut de nobis. Ita Alexander, & Ricardus.

QVÆSITVM VI.

An omnia ſubſint æqualiter diuinæ prouidentiæ?

q.25. m. 4 a.4. ALexand. reſp. quod duplex eſt cura prouidentiæ diuinæ; vna generalis, qua res per tempora in ſuo eſſe debito, & determinato conſeruantur; & ſic æqualiter omnia ſubſunt diuinæ prouidentiæ; alia ſpecialis, & ſic ſola creatura rationalis ſubeſt ei, inquantũ Deus ſpecialiter erudit illam dando ei præcepta, & leges.

d.39. pr. 2. q.1. Ægidius reſp. quod licet omnia diuinæ prouidentiæ ſint ſubiecta, non tamen omnia eodem modo, & æqualiter ei ſubduntur; nam aliter prouidet rationalibus, aliter irrationalibus, aliter ſubduntur ei contingentia, aliter neceſſaria, aliter ordini diuinæ prouidentiæ ſubduntur boni, aliter mali, nam vnicuique Deus prouidet, ſecundum quod eius natura requirit, vel operatio poſtulat.

q.2. a.4. Herueus reſp. quod modus, quo Deus prouidet rebus poteſt accipi dupliciter, vel ex parte prouidentis, vel ex parte eius, cui fit prouiſio; primo modo Deus æqualiter omnibus prouidet, quia eadem ſcientia prouidet; ſecus autem ſecundo modo, nam ad bonum prouiſorem pertinet prouidere vnicuique ſecundum quod exigit eius conditio, certum eſt autem quod non ſunt eędem conditiones conuenientes omnibus rebus, & ideo oportet quod non æqualiter omnibus prouideat.

q.3. Durandus reſp. quod Deus non æqualiter omnibus prouidet; tum quia non omnia ordinantur in æqualem finem, quædam enim ordinantur in finem ſupernaturalem, vt creaturæ rationales, & quædam naturalem, vt creaturæ irrationales; tum etiam, quia executio prouidentiæ *reſpectu* aliquorum eſt a Deo immediatè, aliquorum verò mediantibus cauſis ſecundis; hæc tamen inæqualitas eſt ex parte rerum, non ex parte Dei, qui vna ſimplici ratione ſcit, quid vnicuique rei expediat ad conſequutionem ſui finis.

d.40. a.2. Petrus Aur. reſp. quod prouidentia poteſt accipi, vel pro actu notitiæ prouidentis, vel pro ratione prouiſa obiectiuè, vel pro executione illius; primo modo, & ſecundo æqualiter omnibus prouidet, non tertio, alijs enim rebus ab homine prouidet per ſolum actum conſeruationis, & manutenentiæ; homini verò excellentius, & perfectius multa opera exequendo; & immediatè exercendo circa ipſum.

Reſolutio.

REſpondeo, quod prouidentia in Deo eſt ad conſeruationem rerum in eſſe, & ad conſequendum ſuum finem, & quoniam non omnia ſunt in eodem, & æquali gradu eſſendi, neque eodem potiuntur fine, idcirco nec æqualiter ſubſunt diuinæ prouidentiæ, ſecundum enim quod res nobilius eſſe habent, & ad nobiliorem tendunt finem, ſic Deus maiora, & minora adhibet media in prouidendo, pluraque, ac pauciora.

Sed ſi dicit ſapiens, quod Deo eſt æqualiter cura de omnibus? Obiectio.

Reſpondetur, quod æqualiter eſt Deo cura de omnibus loquendo de cura, quæ generalis eſt, qua res per tempora debita; & determinata conſeruantur in eſſe, non ſpeciali, quam habet de creatura rationali. Ita Alexander.

Dicit Durandus, quod pro tanto dicitur, quod Deo æqualiter eſt cura de omnibus, quia inæqualitas eſt in rebus prouiſis, non in Deo prouidente.

QVAESITVM VII.

An Deus immediatè prouideat omnibus?

ALex. reſp. quod prouidentia Dei dicitur propriè diuina ratio, qua cuncta gubernantur, & hoc modo prouidentia Dei ſeipſa ſolum eſt; alio modo executio prouidentiæ, ſcilicet gubernatio, & hæc in pluribus eſt per creaturas, non quidem vt gubernare dicit auctoritatem, quia eſſet ſenſus, quod Deus gubernaret, & hoc haberet a creatura, ſed vt dicit ſubauctoritatem, & ſenſus eſt, quod creaturæ ad inuicem ſe gubernant, & hoc habent a Deo ſicut præpoſitus gubernat ciuitatem, & hoc habet a Rege. q.26. m. 5. a.2.

D. Thomas reſp. quod quantum ad rationem ordinis rerum prouiſarum in finem, Deus immediatè omnibus prouidet, ſolus enim ipſe habet in ſuo intellectu rationes omnium, etiam minimorum, non tamen quantum ad executionem huius ordinis, nam quædam inferiora gubernat per ſuperiora, & non quidem propter defectum ſuæ virtutis, p.p. q.22. a.3.

ſed

ſed propter abundantiam ſuę bonitatis, qua dignitatem cauſalitatis etiam creaturis communicat. Item Ricardus, Nicol. de Niſſe, Franciſcus a Chriſto, Eſtius, Valentina, Molina.

d. 5. Paulus Cort. reſp. quod licet Deus ſine miniſtris ſua prouidentia cuncta gubernet, ſunt tamen quędam intermedia, quibus non carentia virtutis, ſed affluentia probitatis inferiora hæc regit, quamobrem ſi quidquam cuique bene fortunateque eventurum ſit, ei Deum, cęlites, & cœlum ſuffragari oportere dicimus.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod diuina prouidentia verſatur vt in plurimum circa media, quæ ſunt proportionata creaturis, & ideo non eſt inconueniens, quod applicet ea ad illas per alias creaturas; immo tanto magis conueniens, quanto magis per huiuſmodi mediatam applicationem ſapientia eius, & bonitas manifeſtatur.

Obiectio. Sed ſi diuina prouidentia ſummam obligationem inducit in creaturis? ſumma autem obligatio ſoli debetur Deo.

Reſpondetur, quod diuina prouidentia ſummam obligationem inducit ratione principalitatis, Deus enim eſt, qui principaliter prouidet, creaturæ verò ſecundariò, & ex diuino munere, & propterea non debetur eis ſumma obligatio.

QVAESITVM VIII.

An prouidentia diuina diſtinguatur a fato?

q. 26. m. 2. Alexander reſpondet, quod ſicut diſpoſitio dicitur dupliciter, & quæ eſt in diſponente, & eſt exemplar, & quæ eſt in re diſpoſita, & eſt ordo deductus ab ipſo exemplari, ac forma exemplata in ipſa re, ſimiliter eſt de prouidentia; ſecundum ergo, quod exemplaris ratio conſideratur in arte diuina dicitur prouidentia, ſecundum quod conſideratur in re, vel in effectu operis dicitur fatum; ſicut ergo diſpoſitio in diſponente, & diſpoſitio in diſpoſito non ſunt idem, ſed vnum exemplar, & aliud imago, vel exemplatum, ita & prouidentia, & fatum.

Et q. 27. m. 2. ar. 2. Hæc (inquit) eſt differentia inter prouidentiam, & fatum, quod prouidentia in diuiſione quadam, & immutabilitate res connectit, fatum autem eas connectit, vt ſunt diſtincta, & mutabiles.

D. Thomas reſp. quod prouidentia, & fatum differunt per eſſentiam; ſicut enim forma domus eſt aliud per eſſentiam, ſecundum quod eſt in mente artificis, vbi nomen artis habet, & ſecundum quod eſt in lapidibus, & lignis, vbi artificium dicitur, ita etiam ratio gubernationis rerum aliud eſſe habet in mente diuina, vbi prouidentia dicitur, & aliud in cauſis ſecundis, quarum officio gubernatio diuina expletur, ex quibus fatum dicitur a faris, vel fare, fatur, quia eſt quodam effatum diuinæ ordinationis, vel ex eo, quod ex harum conſideratione cauſarum fari ſolebant antiqui de rebus futuris, & præcipuè ex conſideratione motus cæli. d. 39. q. 2. a. 1.

Aegidius reſp. quod accipiendo fatum pro ordine cauſarum in diuinam voluntatem relato, in quinque differt a diuina prouidentia; primò, quia diuina prouidentia eſt in cauſa prima, fatum verò in cauſis ſecundis; ſecundò, quia diuina prouidentia habet rationem vnitatis, quoad rationes exiſtentes in ea, fatum verò pluralitatis; tertiò, quia fatum dependet ex prouidentia, & in prouidentiam ordinatur, & non econtra; quartò, quia prouidentia eſt immobilis, fatum verò quid mobile; quintò, quia omnia, quæ ſubiecta ſunt fato, ſunt ſubiecta diuinæ prouidentiæ, cum ordo cauſarum ſit ſubiectum diuinæ prouidentiæ, non tamen econtrà, nam quæ immediatè a Deo procedunt, cum non procedant ſecundum ordinem ſecundarum cauſarum, ſunt tamen ſubiecta prouidentiæ, non fato. Similia feſè Durandus, Gerardus, Franciſcus a Chriſto, & Rubeus. pr. 2 q. 2.

Petrus Aureolus reſp. quod fatum in plus ſe habet, quam prouidentia; nam ſub fato non ſolum cadunt bona, ſed etiam vitia, & peccata, quæ non cadunt ſub prouidentia, quia ſub prouidentia non cadunt, niſi prouiſa fieri, vitia autem, & peccata licet ſint prouiſa rectificari, vel regulari per pœnam, non ſunt tamen prouiſa fieri, & pręordinata, quamuis etiam ſint præſcita; nam prouidentia addit ſupra præſcientiam actum voluntatis, ſcilicet ſolicitudinem, & curam, non itaque idem eſſe poſſunt prouidentia, & fatū. d. 40. a. 3.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod nomine fati communiter intelligimus ordinem quendam ſtatutum rebus, ipſiſque congenitum, quo certo modo, loco, & tempore, procedunt in eſſe, qui etſi ſuapte natura ſit indecli-

na-

nabilis, comparatus tamen ad diuinam, & noſtram voluntatem declinari poteſt; nomine autem prouidentiæ intelligimus executionem huius ordinis, quatenus ſcilicet Deus rebus ita ordinatis, & ſtatutis confert media, quibus ſecundum hunc ordinem conſeruentur in eſſe, & ſuos conſequantur fines, & in hoc prouidentia eſſentialiter diſtinguitur a fato.

Obiectio. Sed ſi Deus non niſi ſummo ordine prouidet?

Reſpondetur, quod ordo, quo Deus in executione ſuæ prouidentiæ procedit ad prouidentiam ſpectat, ſed ille, ex cuius prædiffinitione procedit, pertinet ad fatum, & ideo non ſequitur, quod ratione ordinis non diſtinguatur diuina prouidentia a fato.

DISTINCTIO QVADRAGESIMA.

Prædeſtinatio verò de bonis ſalutaribus eſt, & de hominibus ſaluandis, &c.

QVAESITVM I.

An Deus aliquas creaturas ab æterno prædeſtinauerit?

d. 40. q. 2. a. 1. D. Thomas reſp. quod quia Deus aliquas creaturas dirigit in gratiam, & gloriam, cum nulla creatura ſit, quæ ex ſe gratiam, & gloriam conſequi poſſit, & hoc cum anteceſſione æternitatis ad naturam, naturæ ad gratiam, & gratiæ ad gloriam, ideo ab æterno illas prædeſtinauit.

p. p. q. 23. a. 1. Et iterum reſp. quod ſicut ſagittans, vt ſagitta poſſit peruenire ad finem, ad quem per ſe peruenire non poteſt ipſam tranſmittit in illum, ita Deus, cum creatura ex ſe ad finem vitæ æternæ, velut ſibi improportionatum peruenire non poſſit, vt is, qui omnium prouidentiam habet, quoad ſingula conſequantur finem ſuum ipſam tranſmittit in illum, ratio autem talis tranſmiſſionis eſt prædeſtinatio; & hoc importat prædeſtinare.

pr. 1 q. 1. a. 1. Aegidius reſp. quod ita ſe habet Deus reſpectu vniuerſi, ſicut pater familias reſpectu ſuæ domus; ſicut ergo pater familias prius diſponit in ſeipſo domum ſuam, antequam talis diſpoſitio executioni mandetur, ita Deus ab æterno prius diſpoſuit omnia, & preordinauit in fines ſuos antequam res eſſent, & finem ſuum conſequerentur, & hoc eſt prædeſtinare, nam talis diſpoſitio; ſeu præordinatio creaturarum ad conſequendum finem ſupernaturalem, eſt prædeſtinatio.

q. 1. a. 1. Herueus reſp. quod cum ad Deum tanquam prouiſorem vniuerſi pertineat conferre remedia, vel auxilia aliquibus ad conſequendum vitam æternam, eoquod eſt agens per intellectum, nihil confert, niſi quod præconcepit conferre, & quoniam ſic præconcipere eſt prædeſtinare, ideo aliquas creaturas prædeſtinauit. Item Durandus; ratio enim (inquit) talis collationis eſt prædeſtinatio.

q. vn. a. 1. Ioannes de Baſſol. reſp. quod ſicut Deus tanquam prouiſor, rector, & princeps vniuerſalis prouidit omnibus creaturis, quoad finem generalem conuenientem ſuæ naturæ conſequi poſſent, ita prouidit creaturæ rationali, quo ad finem ſpecialem conſequi poſſet, prædeſtinando eam ad vitam æternam.

lib. 1. c. 15. Franciſcus Suarez reſp. quod ſupponendo aliquos homines eſſe conſequuturos vitam æternam, neceſſarium eſt dicere, quod ab æterno ſint prædeſtinati, quia neceſſarium eſt, quod præparentur, prædeſtinatio autem eſt præparatio; ſicut ergo congruum eſt Deum aliquos glorificare, ita ex conſequenti æternaliter prædeſtinare.

Reſolutio.

RESpondeo, quod Deus eſt agens per intellectum, & voluntatem, quicquid ergo operatur circa creaturas in tempore, prius ab æterno intellexit, & voluit; cum itaque modo operetur circa nos noſtram beatitudinem, & ſalutem, hoc prius intellexit, & voluit, præordinando nos ad eam, quod eſt prædeſtinare.

Obiectio. Sed ſi operatur modo etiam circa alias creaturas? quæ tamen non dicuntur prædeſtinari.

Reſpondetur, quod non quælibet operatio diuina circa creaturas ſupponit prædeſtinationem, quamuis præſupponat decretum, vel præſcientiam, ſed ea tantum, quæ eſt ad vitam æternam, & hæc non operatur niſi circa creaturam rationalem; huic enim ſoli præordinauit vitam æternam.

QVÆSITVM II.

An prædeſtinatio ſit aliquid diſtinctum a Deo?

q. 3. c. 9. GVilelmus Antiſiod. reſp. quod prædeſtinatio eſt diuina eſſentia in triplici habitudine ſignificata, videlicet,

cet,

Digitized by Google

cet, in habitudine anteceſſionis propter hanc præpoſitionem, præ, & in habitudine exemplaritatis propter ſcientiam ibi intellectam, & in habitudine cauſalitatis ad duplicem effectum, ſcilicet ad gratiam in præſenti, & gloriam in futuro.

d.40. a.1. Albertus reſp. quod prædeſtinatio in re Deus eſt, vel ipſa diuina eſſentia, & ſi quando ponitur in prædeſtinato, non ponitur ſecundum quod ipſe eſt diuerſus a Deo in natura propria exiſtens, ſed ſecundum quod eſt in ſcientia creatoris, eſt autem ſic non natura creata, ſed creatrix eſſentia.

d.41. q.vn. Guilelmus Occham reſp. quod prædeſtinatio non eſt aliquid imaginabile in Deo diſtinctum quocunque modo a Deo, perſonis, & deitate, ita quod non eſt aliquis actus ſecundus adueniens deitati, ſed importat ipſum Deum, qui eſt daturus alicui vitam æternam, & ita importat ipſum, & vitam æternam, quæ dabitur alicui. Item Gabriel, & Rubion.

2.ſit. q.1. Robertus Olchot reſp. quod iſte terminus prædeſtinatio dicitur æquiuocè, aliquando enim ſonat in actionem, aliquando in paſſionem, aliquando nominat gratiam, & gloriam, & generaliter omne donum collatum homini a Deo, quo bene vtitur ad beatitudinem, & aliquando pro nulla re ſupponit, ſicut iſte ædificatio, ſed eſt terminus, quo propter eloquentiam vtimur loco vnius complexi, vnde ſicut iſte terminus ædificatio denotat aliquem apponere, & coniungere ligna, lapides, & huiuſmodi in certam figuram, ſic & iſte, prædeſtinatio, accipitur loco talis complexi, Deum velle alicui dare vitam æternam, quam ille non habet, ſed habebit.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod prædeſtinatio cum ſit diuina actio, non realiter diſtinguitur a Deo, ſed tantum ſecundum rationem, quia ſcilicet ſecundum reſpectum, quem habet ad obiectum a ſe intellectum, & volitum ad beatitudinem, quod eſt creatura ſaluanda, ad quam nullum habet reſpectum Deus, vt Deus.

Obiectio. Sed ſi in diffinitione prædeſtinationis ponitur creatura? creatura autem realiter diſtinguitur a Deo.

Reſpondetur, quod creatura ponitur in diffinitione prædeſtinationis, non tanquam de ſuo principali ſignificato, & in recto, ſed tanquam connotata & in obliquo. Ita Ricardus.

QVAESITVM III.

An prædeſtinatio ſit aliquid abſolutum, an reſpectus tantum?

Albertus reſp. quod prędeſtinatio eſt quaſi medium inter Deum prædeſtinantem, & creaturam prędeſtinatam, & dicit habitudinem Dei proponentis ſaluare, ad ſaluandum. d.41. q.2.

Franciſcus Maro reſp. quod cum prędeſtinatio ſecundum quod huiuſmodi ſit alicuius prædeſtinatio, & ſimiliter ſit productio prędeſtinati in eſſe volito, non poteſt eſſe aliquid abſolutum, eſt ergo reſpectus, non quidem fundamentalis, quia non eſt neceſſariò in Deo, ſed actualis; & non realis, quia Deus ad creaturam non realiter refertur, ſed rationis. q.1.

Guilelmus Varrill. reſpõdet, quod dicitur prędeſtinatio a prę, quod eſt ante, & deſtinatio, & ratione deſtinationis dicit quid abſolutum, actum ſcilicet voluntatis, ratione autem huius prępoſitionis prę, connotat anteceſſionem ad prędeſtinatum. a.1.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod quamuis prędeſtinatio dicat aliquem reſpectum ad creaturã, quia tamen talis reſpectus non eſt ad eam, vt ad terminum, ſic enim dicerentur ad conuertentiam, vnde ſicut dicitur prędeſtinatio eſt alicuius creaturæ prędeſtinatio, ita diceretur creatura eſt prædeſtinationis creatura, quod eſt falſum, ſed eſt ad eam, vt ad obiectum ſcilicet intellectum, & volitum, ideo non eſt ſimpliciter reſpectus, nec ſimpliciter aliquid abſolutum, ſed aliquid abſolutum cum reſpectu, diuina ſcilicet pręordinatio de creatura ſaluanda; illa enim dicunt ſimpliciter reſpectum, quę dicunt reſpectum, non vt ad obiectum, ſed vt ad terminum, & huiuſmodi dicuntur ad conuertentiam, ſicut dominus ſerui dominus, & ſeruus domini ſeruus.

Sed ſi prædeſtinatio eſt ęterna? quicquid autem ęternum eſt, aut eſt ſimpliciter abſolutum, vt eſſentia, aut ſimpliciter reſpectiuum, vt perſona. Obiectio.

Reſpondetur, quod eſſentia vt eſſentia eſt quid ſimpliciter abſolutum, ſed vt intelligens, & volens importat reſpectum ad rem, ſcilicet intellectam, & volitam; atque ita prędeſtinatio, quamuis ſit ęterna, & ſit idem quod eſſentia, habet tamen

re-

Digitized by Google

reſpectum ad creaturam, quatenus Deus intelligit, & vult eam ad vitam æternam, & non quidem realem, ſed rationis.

QVÆSITVM IV.

An prædeſtinatio ſit in Deo tantum, an verò etiam in creaturis?

d.40. q.1. a.1. D. Thomas reſpondet, quod operationes immanentes in ſolo ſunt operante, ſicut viſio in vidente, & ſpeculatio in ſpeculante, & quoniam prædeſtinatio eſt operatio immanens, quia eſt operatio intellectus, & voluntatis, ideo in Deo tantum exiſtit, non autem in creaturis.

Et iterum p.p. q. 23. art. 2. reſp. quod prædeſtinatio eſt quædam pars prouidentiæ, vnde ſicut prouidentia non eſt in rebus prouiſis, ſed eſt qnædam ratio in intellectu prouiſoris, ita prædeſtinatio non eſt in creaturis prædeſtinatis, ſed eſt quædam ratio ordinis aliquorum in ſalutem æternam tantum in prædeſtinante exiſtens; ſicut tamen executio prouidentiæ, quæ gubernatio dicitur paſſiuè eſt in gubernatis, actiuè tamen in gubernante, ita executio talis ordinis eſt quidem paſſiuè in creaturis prædeſtinatis, actiuè tamen iu Deo prædeſtinante.

d.40 pr.1 q.1. a.1. Aegidius reſpondet, quod prædeſtinatio cum ſit quædam actio, & propoſitum prædeſtinantis, vel ſaltem non realiter differat ab eo, ſicut actio eſt in agente, & propoſitum in proponente, & non in illo, de quo habetur propoſitum, ita prædeſtinatio formaliter eſt in Deo prædeſtinante tantũ non in creaturis, quæ ſunt prædeſtinatæ.

a.1. q.1. Ricardus reſp. quod prædeſtinatio dicit formaliter præſcientiam practicam, & conſequenter includit propoſitum ſaluandi, & quoniam præſcire aliquem ſaluandum, & ipſum præſciri ſaluandum eſt in præſciente, & ſimiliter proponere aliquid, & aliquid proponi eſt in voluntate proponente, idcirco prædeſtinatio tam actiua, quam paſſiua, quantum ad illud, quod principaliter, & formaliter ſignificat eſt in prædeſtinante; quia tamen præſciri denominat rem futuram non ipſum præſcientem, quamuis ſit in eo, & amari rem amatam, quamuis ſit in amante, ita prędeſtinatio paſſiua denominat prædeſtinatum aliquid futurum connotando in eo, non prædeſtinantem, quamuis ſit in prædeſtinante.

Gerardus reſp. quod ratio prædeſtinationis eſt merè libera ex parte Dei, nec aliud eſt, quam beneplacitum ſuæ voluntatis, qua ſibi ab æterno complacuit aliquibus miſereri conferendo eis media, per quæ aſſequantur finem ſupernaturalem, & ideo non poteſt ſumi ab aliquo extrinſeco, ſed in ſolo Deo præexiſtit. q.viii. a.1.

Ludou. Molina reſp. quod prædeſtinatio formaliter eſt in Deo, executio verò, & effectus ex tempore ſunt, vel in prædeſtinatis, vel in alijs rebus creatis. q.23. a.2. diſp.1.

Reſolutio.

REſpondeo, quod prædeſtinatio actio diuina eſt increata, & æterna, Deus enim prædeſtinauit creaturas antequam eſſent, & quoniam nihil increatum, & æternum in alio exiſtit, præterquam in ſolo Deo, idcirco prædeſtinatio in ſolo Deo exiſtit, & non in creaturis, quæ quidem ſunt obiectum prædeſtinationis, non ſubiectum.

Sed ſi actio (vt dicit Ariſt. Phyſ.3. t.14.) eſt ab agente in paſſo? prædeſtinatio autem eſt actio. Obiectio.

Reſpondetur, quod duplex eſt actio, vna de genere actionis, & eſt illa, quæ eſt alicuius non ſolum vt obiecti, verum etiam vt effecti; & eſt actio, quæ dicitur operatio formaliter perficiens agentem, vt intellectio, & viſio; illa prior eſt ab agente in paſſo, nõ poſterior, & talis eſt prædeſtinatio. Ita Franciſcus a Chriſto.

QVÆSITVM V.

An prædeſtinatio ponat aliquid, vel efficiat in prædeſtinato?

GVilelmus Antiſiod. reſpondet, quod prædeſtinato non ineſt aliquod bonum ex eo, quod eſt prædeſtinatus, quia prædeſtinatio ad ſolum Deum pertinet, vt dicit D. Auguſtinus, & nullum ius aliquis acquirit in regno cælorum ex eo, quod eſt prædeſtinatus. q.1. c.9.

Alexander reſp. quod prædeſtinatio nihil ponit ſecundum actum, ſed ſecundum habitum tantum, hoc eſt ſecundum aliquod tempus, non enim ſequitur, eſt prædeſtinatus, ergo eſt habens gratiam, & gloriam, ſed ſequitur, ergo erit habens gratiam, & gloriam, vnde ponitur potentia ad gratiam, & gloriam, quæ potentia non eſt in recipiente, ſed in agente, vt cum dicitur Cæſar laudatur, nihil ponitur in Cæ- q.28. m.4. a.2.

ſare, ſed in laudante.

d.40. a.5. Albertus reſp. quod prædeſtinatio nihil ponit, vt nunc in prædeſtinato, ſed relinquit gratiam finalem, vt effectum.

q.1. a.1. D. Thomas reſp. quod ponere aliquid in aliquo poteſt intelligi dupliciter; aut quod ipſum ſignificatum per nomen in aliquo eſſe dicatur, ſicut albedo ponit aliquid in albo, & ſic prædeſtinatio nihil ponit in creaturis, aut quod ad ſignificatum, quod eſt in vno, ſequatur aliquid eſſe in alio, ſicut paternitas ponit aliquid in filio, quia ad paternitatem ſequitur aliquid eſſe in eo, ſi non ſimul, ſaltem poſterius, & hoc modo prædeſtinatio ponit aliquid in prædeſtinato, quia ad hanc operationem diuinam ſequuntur effectus prædeſtinationis, qui ſunt gratia, & gloria.

pr.1 q.1. a.1. Aegidius reſp. quod quantum ad actualem poſitionem, non eſt neceſſarium, quod prædeſtinatio ponat aliquid in creaturis, quia prædeſtinatio eſt æterna, creaturæ verò non ſunt ab æterno, quantum tamen ad diuinum propoſitum ſic aliquid ponit, vel aliquid ponet, cum enim diuinum propoſitum oporteat impleri, nullus poteſt eſſe prædeſtinatus, qui vel gratiam non habeat, vel ſaltem non ſit habiturus.

q.3. Franciſcus a Chriſto reſp. quod prædeſtinatio nihil ponit formaliter in prædeſtinato, ſed effectiuè, quia eſt cauſa aliquorũ effectuum, qui formaliter inſunt prædeſtinatis, quos effectus enumerat Apoſtolus ſcribens ad Romanos cap. 8. dicens. Quos prædeſtinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, illos & magnificauit. Non tamen, (inquit Valentia) qualiſcunque vocatio & iuſtificatio, ſed illa, quæ eſt efficax habens reſpectum ad perſeuerantiam, eſt effectus prædeſtinationis. Dare vitam æternam vocare, iuſtificare, ſunt effectus prædeſtinationis. inquit Gregorius Arimin.

q.22. a.2. Dominic. Bannes reſp. quod effectus prædeſtinationis, quidam ſunt communes reprobis, & prædeſtinatis, & quidam ſpeciales ſolis prædeſtinatis; communes alij ſunt remoti ex natura ſua, ſed præſuppoſiti, & ordinati a Deo ſub ordine prædeſtinationis, vel reprobationis, vt creatio animarum, & alij propinquiores eiuſdem ordinis cum prędeſtinatione, & reprobatione, vt meritum Chriſti, paſſio eius, permiſſio peccati Adę; ſpeciales ſunt, iuſtificatio, perſeuerantia, glorificatio, quorum quidam reſpiciunt ſingularem prędeſtinationem, vt miraculoſa conuerſio, bonum naturę, & huiuſmodi; & etiã permiſſio peccati eſt effectus prædeſtinationis reſpectu prędeſtinationis totius corporis myſtici prędeſtinatorum. Item Eſtius, Zumel, Nazarius.

q.23. a.1. disp.3 Ludouic. Molina reſp. quod duo ſunt neceſſaria ad hoc, quod aliquid ſit effectus prædeſtinationis, vnum vt illud ſit a Deo, alterum vt conferat ad beatitudinem, uel illius incrementum, & ideo omnes illi ſunt effectus prædeſtinationis, qui ad ordinem gratiæ pertinent, & etiam ad uitam æternam. Et quod ex intentione efficaci producendi ad uitam æternam conferuntur, inquit Suarez.

q.18. a.2. Petrus Trigoſius reſp. quod prędeſtinatio paſſiuè ſumpta, ſiue eius executio paſſiua ponit aliquid in prędeſtinato, non quidem formaliter, ſed effectiuè, effectus autem prędeſtinationis ſunt omnia illa media, quæ ſunt efficaciter ordinata ad conſequendum beatitudinem.

disp.40. c.1. Gabriel Vaſquez reſp. quod omnes effectus prædeſtinationis in vniuerſum ad duos poſſumus reducere, ad vocationem, & conſenſum, qui deinde multiplicantur per alios quatuor, fidem ſcilicet, iuſtificationem, perſeuerantiam, & glorificationem.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſicut illud dicitur cauſa, ad cuius eſſe ſequitur aliud, ita illud dicitur effectus, quod ſequitur ad eſſe alterius, & quoniam ad eſſe prædeſtinatum ſequitur quod homo ſit habiturus gratiam, & gloriam, ideo gratia, & gloria ſunt effectus prædeſtinationis, non quidem immediatè, & per ſe, ſed in virtute, quia in virtute talis præordinationis æternæ huiuſmodi conferuntur in tempore, cuius collationis cauſa immediata, & per ſe eſt ipſa volũtas exequens, quæ nõ eſt prædeſtinatio.

Obiectio. Sed ſi gratia, & gloria ponuntur in diffinitione prædeſtinationis? quæ autem ponuntur in diffinitione alicuius ſunt intrinſeca ei, & eſſentialia, effectus autem ſunt extra naturam, & eſſentiam rei.

Reſpondetur, quod gratia, & gloria ponuntur in diffinitione prædeſtinationis nõ in recto, ſed in obliquo; & hoc modo non eſt inconueniens quod effectus, ſiue ea, quæ ſunt extra eſſentiam, & naturam rei ponantur in eius diffinitione, vel deſcriptione, & maximè ſi non eſt ſimpliciter abſoluta.

QVAE-

Digitized by Google

QVÆSITVM VI.

An prædeſtinationis ſit aliqua diffinitio?

q.28. m.1. a.2. ALex. reſp. quod quadruplex aſſignatur diffinitio prædeſtinationis; dicitur enim præſcientia beneficiorum Dei, præordinatio alicuius ad gloriam, propoſitum miſerendi, & præparatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro, ſecundum quatuor actus, qui in ratione eius intelliguntur, ſecundum quod eſt in genere ſcientiæ practicæ, ſiue approbationis, quorum primus eſt cognoſcere, ſeu iudicare, & ſecundum hunc dicitur præſcientia; ſecundus diſponere hoc, & illud, & cogitare ad faciendum, & ſecundum hunc dicitur præordinatio; tertius velle, ſiue proponere facere, & ſecundum hunc dicitur propoſitum; quartus voluntate firma in finem dirigere, & ſecundum hunc dicitur præparatio.

p.p. q.23. a.2. D. Thomas reſp. quod prædeſtinatio eſt quædam ratio ordinis aliquorum in vitam æternam, in mente diuina exiſtens, Et articulo primo, Eſt ratio tranſmiſſionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ.

d.40. a.1. q.2. D. Bonau. reſp. quod prædeſtinatio importat potentiam, ſcientiam, & voluntatem, & ſecundum hæc tria tripliciter diffinitur a D. Auguſtino; ſecundum quod reſpicit potentiam, prædeſtinatio eſt gratuitæ donationis præparatio; ſecundum quod reſpicit ſcientiam, prædeſtinatio eſt præſcientia beneficiorum Dei; ſecundum quod reſpicit voluntatem, prædeſtinatio eſt propoſitum miſerendi. Item Varill.

pr.1 q.1. a.1. Ægidius reſp. quod prædeſtinatio eſt diuinum propoſitum ab æterno dandi iſti, vel illi gloriam in tempore.

q.1. a.1. Ricardus, Prædeſtinatio eſt præſciẽtia practica ſalutis alicuius, & ordinationis ipſius in ſalutem.

3.ſẽt. d.7. q.·. Ioannes Scotus, Prædeſtinatio eſt ordinatio alicuius ad gloriam principaliter, & ad alia in ordine ad gloriam.

d.40. q.1. Herueus, Prædeſtinatio eſt prouidentia Dei, qua Deus præordinauit conferre aliquibus ea, quibus conſequantur vitam æternam.

q.1. Durandus, Prædeſtinatio eſt ratio tranſmiſſionis, ſiue deſtinationis creaturarum in finem ſupernaturalem in Deo præexiſtens.

d.41. a.3. Petrus Aureolus, Prædeſtinatio eſt determinatio deitatis ab æterno ad collationem gratiæ, & gloriæ in tempore.

Franciſcus Maro; Prædeſtinatio ſumpta fundamentaliter eſt velle diuinum; ſumpta verò formaliter eſt præordinatio alicuius ad vitam æternam. d.40. q.1.

Adam Godam, Prædeſtinare aliquem non eſt aliud; quam Deum velle ſaluare eum, & vitam æternam determinatè velle ſibi conferre, & media neceſſaria ad eandem. 3.ſẽt. d.14. q.3.

Gerardus, Prædeſtinatio eſt quædam prædirectio, vel præordinatio ad finem ſupernaturalem. d.40. q.vn. a.1.

Gregorius, Prædeſtinatio eſt diſpoſitio, ſeu propoſitum dandi vitam æternam. Item Aliacenſis, Marſilius, Ioannes Maior, Ioannes a Celaia, & Nicol. de Orb. q.1. a.1.

Ioannes Bacconus, Prædeſtinatio eſt velle efficax æternum Dei ordinans creaturam rationalem ad vitam æternam. d.41. a.1.

Gabriel Biel, Prædeſtinatio eſt præordinatio alicuius creaturæ rationalis ad gratiam in præſenti, & gloriam in futuro. q.vn.

Ioannes de Baſſolis, Prædeſtinatio eſt ſciẽtia quaſi practica de bonis conferendis alteri in ordine ad finem vltimum efficaciter conſequendum, qui eſt gloria æterna. d.40. q.1. a.1.

Michael de Palat. Prædeſtinatio eſt prouidentia quædam ſupernaturalis ad oſtenſionem miſericordiæ diuinæ in creaturis rationalibus, quas elegit vt conſortes ſint diuinitatis ſuæ. d.40. diſp. vn.

Guilelmus Eſtius, Prædeſtinatio eſt propoſitum, ſeu decretum, ſeu diffinitio, qua Deus ab æterno apud ſe ſtatuit, decreuit, ac diffiniuit quaſdam intellectuales creaturas per certa quædam media dirigere, ordinare, & perducere ad vitam æternam, tanquam finem ſuum vltimum, & ſummum bonum. §.1.

Ludou. Molina, Ratio ordinis, ac mediorum, quibus Deus per ſcientiam naturalem, & mediam inter liberam, & merè naturalem præuidit creaturam aliquam mente præditam peruenturam in vitam æternam, cum propoſito, ac determinatione diuinæ voluntatis ex parte ſua id executioni mandandi eſt prædeſtinatio talis creaturæ. m.11 diſp.1

Reſolutio.

RЕſpondeo, quod ſicut prædeſtinati dicuntur illi, qui ſunt præordinati ad gloriam, vnde Paulus Apoſtolus, a quo didicit Eccleſia myſterium prædeſtinationis refert vocationem ſuam per Ananiam dicentem ei, Deus Patrum noſtrorum præordinauit te, vt faceres voluntatem eius; &

ad Romanos ſcribens inquit. Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit, quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, illos & magnificauit. Et ad Epheſios. Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum, in ipſum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ; ita prędeſtinatio diffiniri poteſt per hoc, quod ſit præordinatio creaturæ rationalis ad beatitudinem, ſeu ad vitam eternam.

Obiectio. Sed ſi præordinatio eſt actio circa exiſtentia? eſt enim ordinatio rerum diſpoſitio in gradibus ſuis; qui autem prædeſtinantur, prædeſtinantur antequam exiſtant, quoniam ab æterno prædeſtinantur.

Reſpondetur, quod qui prædeſtinantur, prædeſtinantur antequam exiſtant exiſtentia reali; & in ſuo genere; quod autem præordinentur ad ſalutem ſufficit, quod exiſtant in intellectu diuino, exiſtentia intentionali.

QVAESITVM VII.

An prædeſtinatio pertineat ad intellectum, an verò ad voluntatem?

q.28. m.1. a.2. ALexander reſp. quod prædeſtinatio eſt in genere ſcientiæ beneplaciti, ſiue approbationis; in ſcientia autem beneplaciti, ſiue approbationis intelligitur ſcientia in recto, & approbatio in obliquo, & ita prædeſtinatio pertinet ad intellectum ratione ſcientiæ in recto, & ad voluntatem ratione approbationis in obliquo.

d.40. a.1. Albertus reſp. quod prædeſtinatio eſt in genere ſcientiæ effectiuæ, ſiue practicæ, & ſic habet aliquid ſcientiæ, & voluntatis; ſed hoc quod eſt ſcientiæ practicæ dat ei eſſe, id autem quod eſt voluntatis eſt in ipſa per modum proprietatis ſecundum quod voluntas eſt de ſcito practicè.

q.1. a.2. D. Thomas reſp. quod in hoc etiam differt prædeſtinatio a prouidentia, quod prouidentia eſt idem quod ars gubernationis rerum, quæ ſecundum rationem ſui nominis poteſt ſaluari in ſpeculatione tantum, ſed prædeſtinatio importat prouidentiam, ſecundum quod eſt ordinata ad executionem operis per voluntatem; & ideo diffinitur per propoſitum, & per præparationem.

a.1. q.2. D. Bonau. reſp. quod cum prædeſtinatio ſignificet diuinam eſſentiam, vt cauſam gratiæ, & gloriæ, quantum eſt de ſe importat ſcientiam, voluntatem, & potentiam, ſed quoniam cauſalitas gratiæ, & gloriæ attribuitur propriè voluntati vt efficienti, ſcientiæ verò vt diſponenti, & potentiæ vt exequenti, idcirco principalius eſt in genere voluntatis, quam ſcientiæ, & potentiæ, & ideo principalius pertinet ad voluntatem, quam ad intellectum.

Aegidius reſp. quod deſtinare ſumitur dupliciter, vno modo pro eo, quod eſt idem quod dirigere in finem, & ſic prædeſtinatio eſt actus intellectus includens actum voluntatis volentis finem; alio modo quod eſt proponere, & hoc modo eſt actus voluntatis; per hoc ergo pertinet ad intellectum, & ad voluntatem, ſed ad voluntatem quodammodo completiuè, ad intellectum verò quatenus præſupponit actum cognitionis oſtendentis finem, in quem voluntas tendit. pr.1 q.1. a.2.

Ioannes Scotus reſp. quod prædeſtinatio propriè ſumpta dicit actum voluntatis diuinæ, videlicet ordinem electionis per voluntatem diuinam alicuius creaturę intellectualis, vel rationalis ad gratiam, & gloriam, licet poſſet accipi pro actu intellectus concomitante iſtam electionem. q.vn.

Petrus Aur. reſp. quod prouidentia quidem ſe tenet ex parte intellectus, ſed prędeſtinatio ſe tenet ex parte voluntatis, cum ſit proponere, & velle, & gratiam præparare actiuè. a.1.

Franciſcus Maro reſp. quod prædeſtinare non eſt aliud, quam pręordinare aliquem ad vitam ęternam, omnis autem pręordinatio videtur ad voluntatem pertinere, & ideo prędeſtinatio in Deo non pertinet ad intellectum, ſed ad voluntatem. q.1.

Marſilius reſp. quod prędeſtinatio importat ſcientiam, & voluntatem, inquantum diſponit eſt ſcientia, quia diſpoſitio dicit cognitionem, inquantum voluntas eſt principalis cauſa prędeſtinationis, cauſalitas autem diuina maximè attribuitur voluntati. q.41. ar.1.

Michael de Pal. reſp. quod eſſentialiter prędeſtinatio eſt actus mentis, eſt enim prędiffinitio, aut pręordinatio quędam, ex qua natura rationalis vitę ęternę aſſequendę ab ęterno aptatur, ordinatio verò eſt actus mentis, voluntatem tamen includit, nam quos Deus ordinauit, amauit. d.40. diſp. vn.

Franciſcus Lychetus reſp. quod voluntas eſt vnus actus, ille tamen actus poteſt accipi multipliciter non in ſe, ſed ſecundum diuerſas comparationes, ſiue terminationis, q.vn.

Digitized by Google

nis, ſiue tranſitionis ſuper diuerſa obiecta, ſiue ſuper idem diuerſimode conſideratum, & ſic, quando tranſit ſuper naturam intellectualem ordinando ipſam ad gratiam, & gloriam dicitur prædeſtinatio.

d.41. a.1. Guilelm. Varrillong reſp. quod prędeſtinatio licet ratione diuini propoſiti magis pertineat ad intellectum, quam ad voluntatem, ratione tamen gratiæ, & glorię magis pertinet ad voluntatem, quam ad intellectum, quia ſic in voluntate completur:

d.40. q.2. Franciſcus a Chriſto reſp. quod ſecundum noſtrum modum intelligendi quantum pertinet ad negotium prædeſtinationis, multi ſunt actus in Deo conſiderandi, quorum alij ad intellectum, alij verò ad voluntatem ſpectant; primus eſt, quo Deus intelligit ſuam beatitudinem creaturæ rationali communicabilem; ſecundus eſt, quo voluit eam quibuſdam communicare; tertius eſt, quo excogitauit media, quibus poſſent electi conſequi beatitudinem; quartus eſt, quo acceptauit, & approbauit illa media, & ſtatuit executioni mandare; primus, & tertius ad intellectum pertinent, ſecundus, & quartus ad voluntatem.

q.22. a.2. Dom. Bannes reſp. quod prædeſtinatio ſignificat actum intellectus formaliter, ſed præſupponit actum voluntatis. Et Nazarius, Prædeſtinatio eſt eſſentialiter, & formaliter actus intellectus qui eſt ratio præceptiua ordinis mediorum in finem, qui eſt beatitudo; antecedenter autem, & completiuè eſt actus voluntatis, pertinet enim ad rationem practicam, & operatiuam.

q.18. a.2. dub.2 Petrus Trig. reſp. quod ſicut ſolemus dicere de beatitudine, quod eſſentialiter conſiſtit in actu intellectus, completiuè verò in actu voluntatis, ita poſſumus dicere, quod prędeſtinatio completiuè quidem conſiſtit in actu voluntatis, eſſentialiter verò in actu intellectus.

q.23. a.1. diſp.2 Ludouicus Molina reſp. quod prædeſtinatio eſt pars prouidentiæ, & dicit propoſitum dandi media, & ſimiliter præordinationem, & ideo quamuis actum intellectus, & voluntatis coniunctim ſignificet, præcipuè tamen ſignificat actum intellectus, a quo deſumitur nomen, & per quem completur ipſa prędeſtinatio. Non eſt præciſè actus intellectus, quia completur per actum voluntatis, quam connotat. inquit Zumel.

q.23. p.2. Gregorius de Val. reſp. quod iſta quęſtio eſt de nomine, non de re, exercetur enim vterque actus, & intellectus, & voluntatis, vnde diſputare, quis horum actus ſit, eſt diſputare de ſignificatione vocabuli, quem ſcilicet illorum ſignificet propriè, & ſequitur ſententiam D. Thomæ tanquam probabiliorem, videlicet vocabulo prędeſtinationis propriè ſignificari actum intellectus, & quaſi ſolum connotari actum voluntatis. Dicit Suarez, quod omnes opiniones doctorum probabiles ſunt, & parum intereſt prædeſtinationem referri ad intellectum, vel ad voluntatem, vel ad vtrũque.

Reſolutio.

RESpondeo quod Deus non niſi intelligendo, & volendo prædeſtinat, & ideo prædeſtinatio pertinet ad vtramque potentiam, ad intellectum ſcilicet, & ad voluntatem, eſt enim prædeſtinatio, ſicut dictum eſt præordinatio, quæ præordinatio eſt actio non ſolum intelligentis, ſed etiam volentis ſaluare.

Sed ſi vnus actus non poteſt pertinere ad plures potentias? cum ex vnitate, & pluralitate actuũ arguatur vnitas, & pluralitas potentiarum, dicit enim Ariſt. quod potentiæ diſtinguuntur per actus. Obiectio.

Reſpondetur, quod ideo prædeſtinatio dicitur pertinere ad intellectum, & voluntatem non tanquam vnus actus ſimplex; ſed quatenus in ſuo conceptu eſſentiali includit plures actus pertinentes ad intellectum, & voluntatem, intelligere ſcilicet, & velle.

QVAESITVM VIII.

An prædeſtinatio ſit æterna?

ALbertus reſp. quod prædeſtinatio ſemper dicit reſpectum ad prædeſtinatum, licet non neceſſariò connotet effectum vt nunc, & ideo ęterna eſt, & non temporalis, effectus enim, qui eſt gratia, & gloria cadit in diffinitione prædeſtinationis obliquè, & gratia, & gloria nihil ſunt de eſſentia prædeſtinationis, licet ſint ea, ad quæ notatur reſpectus cauſalitatis eius. d.40. a.5.

D. Bonau. reſp. quod prædeſtinatio duo importat principale ſignificatũ, quod eſt diuina eſſentia, vel ſcientia practica, vt dicit Ricardus, & connotatum, quod eſt creatura, vt gratia, & gloria, & creatura ſaluanda, quæ duo importat cũ ordine anteceſſionis vnius ad alterum ratione illius prępoſitionis præ, & quoniam principale ſignificatum eſt æternum, & ſimiliter anteceſſio ſignificati ad cõnotatum eſt æterna, ideo prędeſtinatio eſt æterna. Item Ricardus, & Marſilius. a.1. q.1.

Franc.

d 41. q.1. Franc. Maro reſp. quod prædeſtinationem eſſe æternam poteſt intelligi dupliciter, vno modo, quod ab æterno Deus prædeſtinauerit non modo, ſed quod tantum nunc, & ſemper maneat in propoſito prædeſtinationis; alio modo quod ab æterno prædeſtinauerit,& nunc prædeſtinet, & ſemper prædeſtinabit, ita quod ſit ſemper vnicus actus prædeſtinationis, qui non transeat in præteritum; primo modo itaque non poteſt intelligi,quod prædeſtinatio ſit æterna;primò, quia nulla duratio ſequens aliquid ſignum indiuiſibile in aliquo periodo poteſt eſſe æterna; ſecundò, quia nullum continuum ſucceſſiuum incipiens ab aliquo termino poteſt eſſe æternum; tertiò, quia nullum ſequens aliud, quod præcedit ab æterno, poteſt eſſe æternum, niſi dicatur illud, quod præcedit eſſe ante æternum; quartò, quia prædeſtinare, & permanere in eodem propoſito prædeſtinandi ſunt incompoſſibilia, vnde ſi prædeſtinare eſt æternum, permanſio non eſt æterna; intelligitur itaque ſecundo modo, quod ſcilicet ſit vnicus actus prædeſtinationis ab æterno,quo prædeſtinauerit, prædeſtinet, & prædeſtinabit, & ſic prædeſtinatio eſt æterna, & hoc ſenſu concedit etiam æternitatem mundi non eſſe impoſſibilem.

Hic eſt etiam ſenſus Scoti d.41.q.vn.ad 1. dicentis, quod prædeſtinatio non cadit in præteritum, ſed eſt idem prædeſtinare, prædeſtinaſſe, & prædeſtinaturum eſſe.

d.40. q.2. a.1. Guilel. Rubion reſp. quod prædeſtinatio ſecundum ſe ſumpta,vt diſtinguitur ab obiecto eſt neceſſariò æterna, quia ſic importat tantum diuinam eſſentiam; ſumpta verò in ordine ad obiecta, eſt etiam æterna, quia ab æterno omnia intellexit, ſed non neceſſariò, quia omnia alia a ſe contingenter vult, & intelligit.

q.12. a.1. Petrus Aliac. reſp. quod non ſtat aliquid eſſe nouiter bonum, quin Deus ab æterno voluerit illud, & quoniam prædeſtinatio eſt propoſitum dandi vitam æternam, & cætera meritoria bona, ideo eſt æterna.

d.40. q.vn. Gabriel Biel reſp. quod cum ſit prædeſtinatio in Deo, quia quicquid eſt in Deo eſt æternum, etiam ipſa eſt æterna, quantum tamen ad illud, quod importat ſcilicet vitam æternam, vel collationem gratiæ poſſet dici temporalis, non tamen ſimpliciter, quia non ſupponit pro creatura, ſed pro Deo, & connotat creaturam, ſimpliciter ergo debet dici æterna.

q vn. Paulus ſcriptor reſp. quod prædeſtinatio neceſſariò eſt æterna, cum ſit volitio diuina quæ æterna eſt, cuius obiectum primarium eſt eſſentia diuina, quam neceſſariò vult, & obiectum ſecundarium eſt creaturæ, quam licet non neceſſariò velit, tamen quicquid circa ipſam vult, ab æterno voluit.

Franc. Suarez reſp. quod ly præ ſignificat anteceſſioné ad effectum eius, quæ nõ poteſt eſſe per durationem finitam, ſed per æternitatem, & ratio eſt, quia nihil poteſt conuenire Deo ex tempore præter denominationes extrinſecas,ſeu relationes rationis prouenientes ex actuali exiſtentia creaturarum, prędeſtinatio autem cum antecedat exiſtentiam effectus creaturarum, ad quem dicit habitudinem, non dicit huiuſmodi denominationem, & ideo conuenit ei ante temporis initium. de pr. lib. 1. c. 2.

Reſolutio.

RESpondeó, quod omnis actio diuina, quæ eſt circa aliquas creaturas, vt terminum, non poteſt eſſe niſi temporalis, vt creatio, iuſtificatio, & glorificatio, quia terminus eſt temporalis, quę verò eſt circa aliquas creaturas, vt obiectum tantum, non poteſt eſſe niſi æterna, quia obiectum eſt æternum, cum ſit tantum in intellectu, & voluntate, quę ſunt in Deo potentiæ ęternæ, in quibus nulla eſt nouorum obiectorum, vel acquiſitio, vel deperditio; cum itaque prędeſtinatio ſit actio diuina circa creaturas rationales, vt obiectum, quia earum pręordinatio ad beatitudinem quando adhuc non exiſtunt, ideo prædeſtinatio eſt ęterna.

Sed ſi prædeſtinatio eſt relatio ad prædeſtinatum? relatiua autem ſimul ſe ponunt, & ſimul ſe perimunt; vnde ſi prædeſtinatus non eſt æternus, nec prædeſtinatio. Obiectio.

Reſpondetur, quod prædeſtinatus non eſt æternus quantum ad ſuam realem, & abſolutam exiſtentiam; vt prędeſtinatus tamen, & in diuina mente, eſt æternus, quilibet enim prędeſtinatus eſt prædeſtinatus ab æterno.

QVAESITVM IX.

An prædeſtinatio ſit non entium?

ALex. reſp quod res dicitur ens dupliciter,in ſua natura, quod eſt eſſe ſimpliciter,& temporale,& in ſua cauſa, ſiue in diuina præſcientia,quod eſt eſſe ſecundum quid, & æternum; prædeſtinatio itaque non eſt rerum exiſtentium in q. 28. m. 2. a. 1.

ſua

ua natura propria, ſed bene prout ſunt in ſua cauſa, & in diuina præſcientia. Item Albertus

d. 40. pr. 1. q. 2. a. 1. Aegidius reſp. quod in prædeſtinatione tria conſiderare debemus; prioritatem, quæ ex ipſa præpoſitione præ habetur, præ enim ibi prioritatem importat; directionem, quia deſtinare idem eſt, quod mittere, vel dirigere; diuinam electionem, vel diuinum propoſitum, cum non prædeſtinentur niſi electi, & illi quibus propoſuit Deus miſereri; ex eo ergo quod prædeſtinatio prioritatem importat poteſt eſſe non entium, ex eo quod importat directionem, rationalium tantum, & ex eo quod diuinum propoſitum miſerendi, non omnium rationalium, ſed quorundam tantum.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod hoc nomen entis comparatum ad æternitatem prout eſt in diuina mente ſe extendit, tam ad præterita, & futura, quam ad præſentia, comparatum verò ad tempus prout eſt in ſe, ad præſentia tantum ſe extendit, & ſic præterita, & futura non ſunt entia; & ita prædeſtinatio, quę ęterna eſt, eſt quidem entium in diuina mente, quoniam ſic omnis creatura ſiue pręſens, ſiue pręterita, ſiue futura ens eſt; non entium verò in ſe, quia ſic nulla creatura eſt ens, niſi quæ præſens eſt, prædeſtinatio autem cum æterna ſit omnem creaturam antecedit, & non eſt, niſi de his, quæ in tempore futura ſunt, quæ non ſunt entia in ſe.

Obiectio. Sed ſi finis ad quem diriguntur prędeſtinati gloria eſt, gloria autem ſupponit gratiam, gratia naturam, & natura eſſe?

Reſpondetur, quod gloria, ad quam dirigũtur prędeſtinati non eſt actualiter, ſed ſecundum diuinum propoſitum; & ſic etiam ipſi non ſunt actualiter, ſed ſecundum propoſitum diuinum pręordinans ipſos aliquando coexiſtere. Ita Aegidius.

QVAESITVM X.

An prædeſtinatio ſit hominum tantum?

q. 28. m. 2. a. 4. Alex. reſp. quod prędeſtinatio communiter ſumpta, prout dicitur pręſcientia beneficiorum Dei, & pręordinatio ad gloriam, ſic Angelorum eſt, & hominum; ſpecialiter verò accepta, prout dicitur propoſitum miſerendi, & pręparatio gratię in pręſenti, & glorię in futuro tantum eſt hominum.

Albertus reſp. quod prędeſtinatio propriè eſt ſolius creaturę rationalis, tam hominum, quam Angelorum, & eſt etiam Chriſti hominis, inquantum eſt homo. d. 40. a. 6.

D. Thomas reſp. quod creaturę irrationales non ſunt capaces finis, qui facultatem humanę naturę excedit, & ideo non propriè dicuntur prędeſtinari, ſed abuſiuè reſpectu alterius finis. p. p. q. 23. a. 1.

D. Bonau. reſp. quod prędeſtinatio vno modo dicit pręparationem boni, & ſic conuenit hominibus, & angelis; alio modo dicit pręparationem boni, & liberationem a malo, & ſic propriè eſt hominum. d. 40.

Aegidius reſp. quod ſicut deſtinatio, ſiue directio non eſt niſi eorum, quę per ſe terminum attingere non poſſunt, per hoc enim dicitur ſagitta a ſagittante deſtinari ad terminum, quia ipſum per ſe attingere non poteſt; ita prędeſtinatio propriè ſumpta non eſt niſi creaturarum intellectualium, vt angelorum, & hominum, quoniam ſoli homines, & angeli indigent diuino auxilio, ſeu gratia eleuante ipſam naturam, vt finem ſupernaturalem attingant, & in ipſum tendant. pr. 1. q. 2. a. 1.

Ricardus reſp. quod fuiſſe prędeſtinatum non ſolum hominibus conuenit, ſed etiam angelis, cum prędeſtinatio ſit ſcientia practica ſalutis alicuius; prędeſtinari tamen, quia connotat effectum in prędeſtinatio vt futurũ, quem iam angeli habent pręſentem, ideo propriè loquendo prędeſtinari ſoli homines dicuntur. a. 1. q. 3.

Durandus reſp. quod prędeſtinatio eſt ratio deſtinationis creaturę in finem ſupernaturalem in Deo pręxiſtens; cum ergo ſola creatura intellectualis ſit capax huiuſmodi finis, ſequitur quod eius tantum ſit prędeſtinari. q. 1.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ad hoc vt aliqui prędeſtinẽtur ad vitam ęternam ſufficit, quod ſint capaces vitæ æternæ, & mediorum conducentium ad vitam æternam; & quoniam non ſolum homines, ſed etiam angeli ſunt capaces vitæ æternæ, quæ in Dei cognitione conſiſtit, & ſimiliter gratiæ, quæ eſt medium producendi ad vitam æternam, quam ipſi habuerunt in principio ſuæ creationis, & in qua modo ſunt confirmati, ideo prædeſtinatio non tãtum hominum eſt, ſed etiam angelorum, non tamen aliarum creaturarum, quæ cum non ſint naturæ intel-

tellectualis non ſunt capaces; neque vitæ æternæ, neque mediorum conducentium ad vitam æternam.

Obiectio. Sed ſi homines ſunt multo melioris conditionis, quam bruta? ex quo ſi bruta ex ſe cõſequuntur finem ſuum abſque quod prædeſtinentur, multo magis & homines.

Reſpondetur, quod finis, quem conſequitur homo eſt multò excellentior fine, quem conſequuntur bruta, & ideo licet ſit melioris conditionis, non tamen ſequitur quod non ſit neceſſe, vt prædeſtinetur ad illum. Ita Aegidius.

QVÆSITVM XI.

An prædeſtinatio ſit naturæ, an perſonæ, effectuum, an finis?

d.40. a.6. Albertus reſp. quod eſt etiam prædeſtinatio effectuum, vt gratiæ, & gloriæ, vt per quid, & ad quid, ſed non vt quid, ſeu vt cuius.

a.2. q.2. D. Thomas reſp. quod prædeſtinatio dicitur etiam ſicut finis, ſeu conferentium ad finem, & ita eſt prædeſtinatio gratiæ, & gloriæ.

text. D. Bonau. reſp. quod prædeſtinatio eſt præordinatio, in præordinatione autem tria concurrunt, quid ordinatur, & per quid, & ad quid, primum eſt homo, ſecundum gratia, tertium gloria, & quoniam ille ſolus dicendus eſt prædeſtinatus, qui prædeſtinatione ordinatur, ideo gratia, & gloria non debent dici prædeſtinari, ſed homo tantum, qui prædeſtinatur ad ſalutem.

3. ſét. d.7. q.3. Ioannes Scotus reſp. quod in omnibus prædeſtinatio aſpicit perſonam, præterquam in Chriſto, in quo non aſpicit perſonam, ſed naturam, & ratio eſt, quia in alijs bona præparantur perſonę, in Chriſto verò naturæ.

de pr. lib 1. c.3. Franc. Suarez reſp. quod prædeſtinatio eſt tantum perſonæ vt obiecti, & non naturæ, quia natura per ſe non ordinatur ad beatitudinem, ſed ſola perſona, vt termini verò, eſt etiam cuiuſlibet effectus, & finis, ad quem ordinatur perſona.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſicut natura, & perſona non ſunt duæ creaturæ diſtinctę in nobis, ſed vna tantum, eaque capax gloriæ, ideo prædeſtinatio tam eſt perſonę, quam naturæ, propriè, & per ſe, vt vnius per ſe beatificabilis, impropriè verò effectuum, & finis, vt eorum, quæ ei conferuntur.

Obiectio. Sed ſi natura creata, & perſona diſtinguuntur?

Reſpondetur, quod natura, & perſona diſtinguuntur per abſtractionem, abſtrahitur enim vi intellectus noſtri natura a perſona; nulla autem eſt talis abſtractio in Deo, & ideo ſimul prędeſtinat naturam, & perſonam.

QVÆSITVM XII.

An prædeſtinatio ſit omnium hominum?

q.28. m.2. a.2. Alex. reſp. quod ſciẽtia ſe habet æqualiter ad omnes, voluntas ſimiliter ſe habet vno modo ad omnes, ſed voluntas cum præſcientia non ſe habet æqualiter ad omnes, non tamen hoc eſt propter diuerſitatem, quæ ſit in pręſcientia, ſed quia non omnes ſe habent æqualiter ad ipſam, vnde prędeſtinatio non ſolum dicit voluntatem Dei, ſed voluntatem cum præſcientia, qua bene ſunt vſuri dono ſuo, & quia non omnes homines bene ſunt vſuri dono Dei, ideo non omnes homines ſunt prędeſtinati. Item Albertus.

d.40. a.2. q.2. D. Thomas reſp. quod ſicut prędeſtinatio eſt eorum, qui finem conſequuntur, ita eſt eorum tantum, qui gloriam per Dei gratiam conſequentur.

pr.1 q.2. a.1. Aegidius reſp. quod prędeſtinare eſt propriè reſpectu finis, quem ſine auxilo gratię conſequi non poſſumus, qui finis eſt bonum glorię, & quia non omnes homines conſequuntur hunc finem, ideo non omnes homines ſunt prędeſtinati.

q.vn. Ioãnes Vig. reſp. quod prędeſtinatio propriè, ſiue ſpecialiter ſumpta eſt omnium hominum etiam damnatorum, quia ſic idem eſt, quod ordinatio creaturæ rationalis ſiue ad bonum, ſiue ad malum; propriiſſimè verò ſumpta non eſt, niſi electorum ad gloriam.

q.vn. Iacobinus Malef. reſp. quod prædeſtinatio largè ſumpta, eſt cuiuſcunque contingentis pręuiſi; magis propriè, tam bonorum, quam malorum, etiam damnatorum; propriiſſime verò ſaluandorum tantum. Trigoſius Prædeſtinatio large loquendo eſt omnium creaturarum, propriè verò electorum tantũ. Item Valentia. Prædeſtinatio generaliter ſumpta eſt omnium hominum; tam bonorum, quam malorum, propriè tamen, & vſitate bonorum tantum. Eſtius.

Re-

Digitized by Google

Reſolutio.

RESpondeo, quod prædeſtinatio eſt eorum tantum, qui ſunt prærordinati ad gloriam, quibus Deus ad hoc vt ipſam conſequantur confert ſuam gratiam; & quoniam multi ſunt, quibus Deus non ſolum non confert ſuam gloriam, ſed nec etiam donat ſuam gratiam, ideo non omnium eſt prædeſtinatio.

Obiectio. Sed ſi Deus ſe habet æqualiter ad omnes? in eo enim nulla eſt iniquitas, neque iniuſtitia, qua ęqualia inæqualiter pertractet.

Reſpondetur, quod in bonis collatis ex debito eſſet iniquitas ęqualia inæqualiter pertractare; ſed non in bonis, quæ conferuntur ex gratia. Ita Aegidius, & Scotus.

QVÆSITVM XIII.

An potuit Deus ab æterno non prædeſtinare quos prædeſtinauit?

d. 40. q. 1. DVrandus reſp. quod Deus nunquam potuit non prædeſtinare, quos Prædeſtinauit, aut prædeſtinare, quos non prædeſtinauit in ſenſu compoſito, quia ſic dicit contradictionem, ſed diuiſim, quia ſic ſonat Dei abſolutam poteſtatem, & libertatem.

q. 1. a. 1. Guilelmus Rubion reſp. quod prædeſtinatio ſit contingenter, quia Deus nullum ordinat ad ſalutem neceſſariò, & ideo potuit non prędeſtinare, quos prædeſtinauit.

Item Nicolaus de Orbellis, Et Trigoſius, Actus diuinę prædeſtinationis eſt actus egrediens a diuina voluntate per modum libertatis. Et eſt pars prouidentię, quæ libera eſt (addit Suarez) & dicit reſpectum ad res temporales, nullus autem talis reſpectus Deo neceſſariò conuenit.

q. vn. Gabriel Biel reſp. quod licet prædeſtinatio ſit neceſſaria, quia eſt Dei eſſentia, tamen Deus eſt contingenter prædeſtinatio, quia contingenter prædeſtinat.

Reſolutio.

RESpondeo, quod prædeſtinatio diuina ad gloriam, non ſolum ad diuinum intellectum pertinet, ſed etiam ad voluntatem, diuina autem voluntas, quæ tendit in aliud a ſe omnino libera eſt, ſicut ergo Deus potuit ab æterno non velle creaturas, quas creauit, ita potuit non prædeſtinare eas, quas prędeſtinauit.

Obiectio. Sed ſi nihil eſt in diuinis, quod non ſit neceſſarium, cum & ipſum diuinum ſit, & immutabile?

Reſpondetur, quod nihil eſt in diuinis, quod non ſit neceſſarium, quod ad naturam pertinet; ſed quod prouenit a voluntate, & circa obiecta ad extra ſicut hæc non ſunt neceſſaria, nec ipſum eſt neceſſarium; & ita prædeſtinatio, quæ circa creaturas eſt non eſt neceſſaria, ſed libera.

QVAESITVM XIV.

An poſſit aliquis homo modo prædeſtinari, qui ab æterno non ſit prædeſtinatus, & econuersò?

GVilelmus Antiſiod. reſp. quod eſſe prędeſtinatum eſt eſſe æternum, & ideo, qui eſt prædeſtinatus non poteſt non prædeſtinari, nec econuersò. *q. 4. c. 1.*

D. Thomas reſp. quod abſolutè loquendo Deus poteſt prędeſtinare, & non prædeſtinare, ſed non poteſt non prædeſtinare, quem iam prædeſtinauit in ſenſu compoſito, ſeu ex ſuppoſitione, quia diuina voluntas, quam includit prędeſtinatio, eſt immutabilis. *p. p. q. 23. a. 6.*

Ricardus reſp. quod multi poſſunt ſaluari, qui non ſaluabuntur, igitur cum nullus poſſit ſaluari, niſi ſit prædeſtinatus, ſequitur quod multi poſſunt prædeſtinari, qui non ſunt prædeſtinati. *d. 40. a. 2. q. 3.*

Ioannes Scotus reſp. quod Deus contingenter prædeſtinat illum, quem prędeſtinat, & ideo poteſt non prædeſtinatos prędeſtinare, non quidem ſimul ambo oppoſita, nec ſucceſſiuè, ſed vtrumque diuiſim in inſtanti ęternitatis, eſt enim idem prædeſtinare, prędeſtinaſſe, & prædeſtinaturum eſſe. *q. vn.*

Franciſcus Maro reſp. quod prædeſtinatus non poteſt non prædeſtinari in ſenſu cōpoſitionis, quia prædeſtinatus in ſua ratione formali includit actum prædeſtinationis in ſenſu compoſitionis, & per conſequens impoſſibile eſt talem non prædeſtinari, ſicut enim omne quod eſt, quandò eſt, neceſſe eſt eſſe in ſenſu compoſitionis, ita futurum, inquantum futurum neceſſarium eſt eſſe futurum, prædeſtinatum autem inquantum prædeſtinatum reſpicit futurum; poteſt tamen non prædeſtinari in ſenſu diuiſionis, ſicut enim ab æterno contingenter ſe determinauit Deus, ita & modo, & ſicut poteſt multos ſaluare, & non ſaluat, ita & multos prędeſtinare, quos non prædeſtinat, & multos, quos prędeſtinauit, non prædeſtinare, *q. 2.*

3 ſit. Adam Godam reſp. quod Deus nullum
d.14. incipit prædeſtinare, quia non incipit velle
q.1. ſaluare determinatè; igitur quemlibet prędeſtinatum, æternaliter prędeſtinauit, & non poteſt modo eum nunquam prædeſtinaſſe.

q.18. Petrus Trig. reſp. quod id, quod potuit
a.4. Deus ab æterno, poteſt etiam nunc; ergo
dub.4 ſicut ab æterno liberè prędeſtinauit, & potuit non prædeſtinare, modo etiam poteſt, actus enim prædeſtinationis męſuratur ęternitate, & ideo ſemper conſideratur vt egrediens a voluntate diuina per modum cuiuſdam libertatis.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod prædeſtinatio eſt actio æterna diuinę voluntatis, & mentis, quæ nulli mutabilitati poteſt eſſe ſubiecta; ſicut ergo nihil poteſt intelligere, aut velle, quod ab æterno non intellexerit, aut voluerit, & econuerſò, ita nullum hominem poteſt prædeſtinare, quem prius non prædeſtinauerit, & econuerſò.

Obiectio. Sed ſi dicit D. Auguſtinus, quod ſi non es prædeſtinatus, fac vt prędeſtineris?

Reſpondetur, quod hæc ſententia non eſt expreſsè D. Auguſtini, nec inuenitur in ſcripturis eius, ſed tracta eſt ab ea in tract. 26. in Ioann. Si non traheris, ora, vt traharis; & eſt ſenſus, quod ſi nondum percipis in te effectus, & ſigna prędeſtinationis, quæ ſunt bona opera, & fides firma, ora Deum, vt ea conſequaris.

QVAESITVM XV.

An prædeſtinatorum numerus augeri poſſit, aut minui?

q.9. Gvilelmus Antiſiod. reſpondet, quod
q.5. ſi quæſtio intelligitur in ſenſu compoſito, numerus prædeſtinatorum nec augeri poteſt, nec minui, quia non poteſt eſſe, quod tot ſint hodie prædeſtinati, & heri pauciores, vel cras; ſed ſi intelligitur in ſenſu diuiſo eſt dubia, quia neſcimus, an huic numero prædeſtinatorum, qui eſt, poſſit Deus addere tres, vel quatuor, aut ſubtrahere, credendum eſt enim, quod tantus ſit numerus prædeſtinatorum, quod ſi adderentur aliqui, non eſſet maior iucunditas in cœlo, nec ſimiliter minueretur, ſi aliqui ſubtraherentur.

d.40. Albertus reſp. quod numerus prædeſti-
a.11. natorum apud Deum certus eſt, & formaliter ſecundum quantitatem diſcretam, & materialiter quantum ad ſuppoſita eorum qui numerati ſunt, aliter enim eſſet fallibilis, & imperfecta diuina ſcientia. Item D. Thomas in 1. ſent. d. 40. q. 3.

Et in p. p. q. 23. ar. 7. Sicut (inquit) artifex numerum certum, & determinatum excogitat eorum, quæ principaliter conducunt ad opus, ita quoniam prædeſtinati per ſe ſpectant ad bonum vniuerſi, quia ad vltimum finem, qui eſt beatitudo ſunt principaliter ordinati, ideo Deus numerum eorum præfiniuit, qui nec augeri poteſt, nec minui. Item Franc. a Chriſto; Suarez hanc certitudinem deducit ex vi illius decreti, quo Deus elegit ad gloriam tales, & tales creaturas, quod cum ſit abſolutum deficere non poteſt. Et Molina, ex pleniſſima ſcientia, quam Deus habet futurorum omnium contingentium in particulari.

Guilelmus Occham reſp. quod iſta propoſitio numerus prædeſtinatorum poteſt augeri, vel minui, eſt in ſenſu compoſito falſa, ſed in diuiſo poteſt concedi, quia tunc non denotatur plus, niſi quod præter illos, qui nunc ſunt prædeſtinati, poſſet aliquis ſaluari; tamen ex hoc ipſo, quod ponatur ille ſaluari, concedendum eſſet quod fuerit de numero prædeſtinatorum, & quod iſte non fuerit numerus, ſed alius. q.vni.

Gregorius reſp. quod iſta propoſitio, numerus prædeſtinatorum poteſt augeri, vel minui, poteſt diſtingui iuxta duplicem acceptionem iſtorum terminorum augeri, & minui, quia vnus ſenſus poteſt eſſe, quod numerus electorum poteſt eſſe maior vel minor illo, qui nunc eſt, & ſic eſt vera, alius ſenſus eſt, quod poteſt eſſe maior vel minor poſtquam fuit talis, & ſic eſt falſa. Item Aliacenſis. q.1. a.8.

Ioannes de Baſſolis reſp. quod numerus prædeſtinatorum poteſt augeri, & minui, non quidem in ſenſu compoſitionis, ſed diuiſionis, & hoc non pro diuerſis inſtantibus ſucceſſiuè, ſed pro vno, & eodem inſtanti, quia in inſtanti ęternitatis ſicut taxauit iſtum numerum prædeſtinatorum, ita potuit taxare maiorem, vel minorem. Ioannes Maior, in ſenſu compoſito, non diuiſo, Nicolaus de Orbellis, diſiunctim, non coniunctim. Laurentius Opimus, quo ad effectum, non quo ad cauſam, & hoc (inquit Dyon. Carth.) requirit ſumma, & perfectiſſima prouidentia Dei. q.vn. a.4.

Paulus Scriptor reſp. quod Deus de ſua voluntate determinauit certum numerũ electo- q.vn.

ctorum, qui nec augebitur, nec minuetur, poſſet tamen abſolutè totum immutare, ſicut alia contingentia.

diſp. 3 a. 4. Ludouicus Molina reſp. quod numerus prædeſtinatorum eſt certus, quia Deus pleniſſimam ſcientiam habet futurorum omniũ contingentium in particulari.

q. 23. Gregorius de Valentia reſp quod ſi non eſſet ita certus numerus prædeſtinatorum; ita vt augeri poſſet, aut minui, non ſolum ſequeretur quod Deus in prædeſtinando, & cognoſcendo, mutaretur, ſed etiam aliquid boni fieret in tempore, quod non eſſet præſcitum ab æterno, quod eſt inconueniens.

q. 18. dub 4 a. 4. Petrus Trigoſius reſp. quod abſolutè loquendo, ſicut Deus poteſt modo plures prædeſtinare, quam prædeſtinauerit, nam potentia Dei eſt modo libera, ſicut ab æterno, & actus prædeſtinationis, cum menſuretur æternitate, ſicut nunquam eſt futurus, ſic nunquam cedit in præteritum, ita numerus prædeſtinatorum poteſt augeri, & minui; ſuppoſito tamen quod ipſum Deus præfinierit, non poteſt.

diſp. 101. Gabriel Vaſq. reſp quod numerus prædeſtinatorum in præſcientia diuina eſt certus ex prouidentia mediorum gratiæ operantis, & ex prouidentia cooperationis.

Reſolutio.

RESpondeo, quod in diuina mente nulla poteſt cadere mutabilitas, & propterea Deus non poteſt aliquid de nouo intelligere, & velle, quod ab æterno non intellexerit, & voluerit, neque non intelligere, & non velle, quod ab æterno intellexerit, & voluerit; cum itaque illi ſint prædeſtinati, qui ſunt ab æterno intellecti, & voliti ad beatitudinem, non poteſt eorum numerus augeri, & minui; tunc augeri poſſet quando aliqua creatura ab æterno non intellecta, & volita ad beatitudinem modo fieret intellecta, & volita; tunc verò minui, quando intellecta, & volita fieret non intellecta, & volita, quod eſt impoſſibile propter immutabilitatem diuinæ voluntatis, & mentis.

Obiectio. Sed ſi dicitur in libro Deuteron. cap. 1. Dominus Deus noſter addat ad hunc numerum multa millia? vbi Gl. 1. diffinitum apud Deum, qui nouit qui ſunt eius.

Reſpondetur, quod dictum illud intelligendum eſt de illis, qui ſunt prænotati a Deo reſpectu præſentis iuſtitię; horum enim numerus, & augetur, & minuitur, & non numerus prædeſtinatorum. Ita D. Thomas.

QVÆSITVM XVI.

An prædeſtinati poſſint damnari?

q. 28. m. 4. a. 3. ALex. reſp. quod prædeſtinati poſſunt damnari, ſi propoſitio hæc conſideretur in ſenſu diuiſo, non autem in ſenſu compoſito, ſic enim eſt propoſitio falſa. Item Maro, Gregorius, Gerardus, Celaia, Eſtius, & eſt communis reſponſio.

d. 40. a. 14. Albertus reſp. quod Deus non tollit cauſalitatem ab aliqua ſecundarum cauſarum, & ideo prædeſtinati poſſunt damnari.

p. p. q. 23. a. 6. D. Thomas reſp. quod prædeſtinatio certiſſimè, & infallibiliter conſequitur ſuum effectum, nullam tamen imponit neceſſitatem, vt ſcilicet effectus eius ex neceſſitate proueniat. Cum hoc enim quod Deus prædeſtinauerit aliquos ad ſalutem, hoc etiam præordinauit, quod ipſam conſequantur mediantibus cauſis contingenter operantibus, vt ſunt receptio medij contra pecatum originale in paruulis, & cooperatio liberi arbitrij in adultis. Ricardus. Et Argentina. Antequam prædeſtinatus ſuum conſequatur effectum prædeſtinationis per ſuum liberum arbitrium poteſt committere culpam mortalem, & conſequenter incidere in pœnam ſibi debitam, quæ eſt damnatio æterna.

a. 2. q. 1. D. Bonau. reſp. quod iſta propoſitio eſt ſimpliciter, & abſolutè vera, prædeſtinatus poteſt damnari, ſicut etiam iſta, prædeſtinatus poteſt eſſe præſcitus, quia prædeſtinatus poteſt non eſſe prædeſtinatus, nam quod prædeſtinatus ſit prædeſtinatus eſt cõtingens, quod autem eſt contingens, poteſt non eſſe. Item Rubion, & Trigoſius.

pr. 1 a. 2. q. 2. Ægidius reſp. quod ex tribus poſſumus deducere prædeſtinationem eſſe certam, ac proinde prædeſtinatos damnari non poſſe; ex præſcienta, quam prçſupponit, quę falli non poteſt; ex ordine cauſarum, ſecundum quem eſt executio eius, quæ ſimul ſumptæ quadam neceſſitate inferunt effectum; & ex numero prædeſtinatorum, qui eſt certiſſimus apud Deum.

q. vn. Ioannes Scotus reſp. quod prædeſtinatorum voluntas non eſt adeo confirmata in bono propter eorum prædeſtinationem, quod non poſſint pecare, & ſimiliter ſtare in pecato finaliter, & ideo ex conſequenti poſſunt damnari; & hoc non eſt verum in ſenſu compoſitionis, nam perſona prædeſtinata ſub hac determinatione, vt prædeſtinata, non poteſt damnari; ſed bene in ſenſu

ſu diuiſionis, quia poteſt eſſe quod iſta perſona non ſit prædeſtinata, & quod iſta perſona poſſit damnari, quæ duo enunciata de eodem ſubiecto ſunt vera, non tamen quod ſimul poſſint eſſe oppoſita, nec etiam quod vnum poſſit ſuccedere alteri, quia vtrumque eſt in æternitate, ſed inquantum volitio diuina conſideratur vt prior naturaliter tranſitu ipſius ſuper illud obiectum, quod eſt gloria, & in illo priori naturaliter non repugnat ſibi eſſe oppoſiti obiecti. Item Ioannes de Baſſolis, Ioannes Vig. Ant. Andr.

q.1. Durandus reſp. quod prædeſtinati infallibiliter ſaluabuntur, quæ infallibilitas tamen non eſt neceſſitas ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione tantum, vnde non eſt concedendum ſimpliciter, quod prædeſtinati neceſſariò ſaluentur, ſed ſub conditione, vel replicatione inquantum prædeſtinati, qui eſt ſenſus compoſitus; & hæc eſt neceſſitas conſequentiæ, non conſequentis.

d.40. a.4. Petrus Aur. reſp. quod prædeſtinatio nullam immutabilitatem inducit circa ſalutem ſaluandorum; ſi enim hanc induceret, vel hoc eſſet ratione præſcientię, quam ſupponit, vel ratione voluntatis, & propoſiti, quod formaliter importat; ſed non ratione præſcientię, quia non aſpicit rem vt futuram, itaquod ex hoc liceat inferre aliquid in futurum, nec ratione voluntatis, aut propoſiti, quia nulla volitio intrinſeca Deo tranſit ſuper ſalutem Petri magis quam ſuper eius oppoſitum, ſed voluntas operationis diuinæ tranſit ſuper illud propoſitum quod habet Deus de ſalute Petri, quæ operatio vt pręuiſa non aſpicit ſalutem Petri, vt futuram, & ideo non licet inferri ex ea, quod ſalus Petri ſit futura.

q.vn. Guilelmus Occham reſp. quod cum iſta queſtio poſſit tractari dupliciter, & quãtum ad rem, & quantum ad logicam; ſi tractetur quantum ad rem, certum eſt, quod prędeſtinatus poteſt damnari, quia eſt contingenter prędeſtinatus, & eſt in ſua poteſtate vt demereatur; Si quantum ad logicam, licet iſta propoſitio prædeſtinatus poteſt damnari, non ſit diſtinguenda ſecundum compoſitionem, & diuiſionem, ſed eſt ſimpliciter vera, tamen iſta modalis, poſſibile eſt prædeſtinatum damnari eſt diſtinguẽda ſecundum compoſitionem, & diuiſionem, & in ſenſu compoſito eſt ſimpliciter falſa, quia ſic exprimitur, hęc eſt poſſibilis, prædeſtinatus eſt damnatus, in ſenſu vero diuiſo eſt vera, quia in hoc ſenſu denotatur, quod prædicatum ineſt poſſibiliter illi, pro quo ſupponit ſubiectum, pro quo tamen poteſt nunquam ſuppoſuiſſe.

Ioannes Bacconus reſp. quod aliquid dicitur eſſe poſſibile dupliciter, vno modo, quando non ita prædicatum includitur in ratione ſubiecti, quia circunſcripto quocunque alio poſſit eſſe ſine eo abſque contradictione, & hæc eſt poſſibilitas logica, quæ dicit non repugnantiam terminorum; ſecundo modo dicitur aliquid eſſe poſſibile, non ſolum quia non eſt repugnantia terminorum, ſed quia ipſum eſt poſſibile, & ſuæ poſitioni nulla cauſa extrinſeca ex terminis repugnat; primo modo itaque iſta propoſitio eſt vera prædeſtinatus poteſt damnari, non ſecundo, repugnat enim quod ſit prædeſtinatus, & damnetur. d.41. q.vn. a.3.

Petrus Aliacenſis, Gabriel Biel, Marſilius, Opimus, habita ratione ad diuinam voluntatem liberè dantem gratiam, & gloriam, in hanc communem ſententiam veniunt, quod ſit poſſibile prædeſtinatum damnari.

Michal de Bon. reſp. quod cum Dei prædeſtinatione ſtat prædeſtinatum poſſe finaliter dãnari, alioquin ſequeretur; primò, quod vana eſſet perſuaſio hominis ad bonum, & omnis ſolicitudo angelica circa ipſum; ſecundò, quod pręſcientia quæ in prædeſtinatis includitur faceret neceſſitatem præcognito eueniendi; tertiò, quod a nobis diuina prædeſtinatio auferret libertatem contingentiæ. d.40. q.vn.

Nicol. de Orb. reſp. quod in ſenſu compoſito hæc eſt propoſitio falſa, & eſt vna cathegorica, Hic, vel ille homo prædeſtinatus poteſt damnari, nam hic, vel ille homo prædeſtinatus eſt ſubiectum, & potens damnari eſt prædicatum; in ſenſu vero diuiſo ſunt duæ cathegoricę, in quarum prima hic, vel ille homo eſt ſubiectum, & prædeſtinatus prædicatum, dicendo, Hic, vel ille homo eſt prædeſtinatus, in ſecunda, idem homo, hic, vel ille eſt ſubiectum, & poſſe damnari eſt prædicatum dicendo, hic, vel ille homo poteſt damnari, & ſic eſt vera. Item Paulus ſcriptor. q.vn.

Ioannes Maior reſp. quod prædeſtinatus poteſt eſſe reprobatus, quia contingenter eſt prædeſtinatus, & contingenter ei beatitudo communicatur; ſed eſt impoſſibile reprobare, quia non eſt ſucceſſio reprobationis in prędeſtinatione, nec econuerſò. d.40. q.vn.

Franciſcus à Chriſto reſp. quod prędeſtinatio habet certitudinem, & ex parte prouidentiæ, cuius eſt pars ſubiectiua, & ex parte præſcientiæ, & ex parte voluntatis; ex par- q.6.

parte diuinæ prouidentiæ, quia ordo prouidentiæ eſt infallibilis, ea enim quæ ſunt diuinitus prouiſa, eo modo prorſus eueniūt; quo ſunt prouiſa, ex parte pręſcientiæ, quia cum præſcientia menſuretur ęternitate, omnia ſunt ei pręſentia, res autem præſentes intellectus certò cognoſcit; ex parte voluntatis, quia hęc eſt voluntas beneplaciti, quæ ſemper impletur.

q.23. q.5. Ludou. Molina reſp. quod prædeſtinatus certò abſque vlla deceptione vitam æternam conſequetur, certitudo tamen non eſt ex parte mediorum, effectuſque prædeſtinationis, ſed ex parte diuinę pręſcientiæ, qua Deus cognoſcit prædeſtinatum ſua libertate talibus medijs eſſę viurum, quibus conſequetur vitam æternam.

Gregorius de Val. reſp. quod prædeſtinatio eſt certa, quia ſpectat ad Dei voluntatem, quæ ſemper impletur, & quia in ipſa hypotheſi prædeſtinationis includitur reſpectus ad effectus illius, vt actu eueniant.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſi prędeſtinati conſiderentur in ſe, habent vnde poſſint damnari, quia habent liberum arbitrium, & poſſunt peccare; ſi uerò conſiderentur in ordine ad diuinam mentem, & ad diuinam voluntatem, quamquam peccare poſſunt, damnari tamen non poſſunt, quia Deus nec vult, nec intelligit ipſos damnari, cum iam præordinauerit ipſos ſaluandos; quod autem Deus non vult, nec intelligit, fieri non poteſt, & hinc eorum prædeſtinatio dicitur etiam certa, cum enim prædeſtinatio ſit actio diuinę mentis, quæ eſt infallibilis, & diuinę voluntatis, quæ impediri non poteſt, ſequitur quod, & ipſa ſit infallibilis, & certa.

Obiectio. Sed ſi diuina mens, & voluntas non tollit ordinem a rebus, immò vnamquamque ſecundū naturam ſuam ſinit agere motus ſuos?

Reſpondetur, quod diuina mens, & voluntas non tollit ordinem a rebus, ſecundum quem ea, quæ ad earum naturam ſpectant ſuos motus agerę ſinit, huic tamen ordini operando circa prædeſtinatos addit ordinem gratiæ, mediante quo ita diſponit eas, & earum motus dirigit, quod non poſſunt non conſequi finem ſibi prædiffinitum, & determinatum a diuina mente, quod ergo prædeſtinati poſſint peccare & conſequenter damnari, hoc naturæ eſt, quod non peccent, & ſalutem conſequantur hoc eſt gratiæ, & hinc prædeſtinatio ſuam infallibilitatem, & certitudinem contrahit.

QVÆSITVM. XVII.

An prædeſtinatio imponat neceſſitatem ad ſalutem?

GVilelmus Antiſiod. reſp. quod prædeſtinatio nullam imponit neceſſitatem ad ſalutem, quia Deus pręuidit res tales, quales futurę ſunt, ſi neceſſariæ, illas præuidet in neceſſitate, ſi contingentes, in contingentia, vnde ſi præuidet quodam contingens futurum, contingens eſt Deum præuidiſſe illud, quę contingentia eſt in Deo, quia talis contingentia nihil aliud eſt, quam potentia præuidendi, quę eſt in Deo, ſecundum quod ſe habet ad duo oppoſita, ſcilicet præuidere, & non pręuidere. c.9. q.5.

Albertus reſp. quod prædeſtinatio non infert neceſſitatem, niſi illam quæ eſt conditionis, nihil enim prohibet, quod aliquid comparatum diuerſis habeat in ſe poſſibilitatem, & neceſſitatem, non rei, ſed conſequentiæ. Item Ioannes de Baſſ. Prædeſtinatio non imponit rebus aliquam neceſſitatem ſimpliciter & abſolutê; ſed ſuppoſitionis, ſiue conſequentię. d.40. a.14.

D. Thomas reſp. quod prædeſtinatio neque ex parte prouidentiæ, quam in ſuo intellectu includit; neque ex parte præſcientiæ imponit neceſſitatem ad ſalutem; non ex parte prouidentiæ, quia prouidentia ſaluat naturas, & ordinem proximarum cauſarum ſecundum quarum conditiones res eueniūt; non ex parte pręſcientiæ, quia neque in quantum cauſa, cum ſit cauſa prima, nec ratione adæquationis eius ad rem ſcitam, nam talis adæquatio attenditur non ſecundū quod eſt in cauſis, in quibus eſt vt poſſibile futurum tantum, ſed ſecundum quod eſt determinatum præſens; ſed neque ratione voluntatis (addit Franciſcus a Chriſto) quia voluntas non tollit liberum arbitrium, quod eſt cauſa proxima ſalutis noſtræ. q.3. a.1.

D. Bonau. reſp. quod prædeſtinatio non eſt cauſa ſalutis, niſi includendo merita, & liberum arbitrium, quod eſt cauſa contingens, & ideo non neceſſitat ad ſaluandum. a.2. q.1.

Guilelmus Rub. reſp. quod prædeſtinatio imponit neceſſitatem conſequentię, non conſequentis, ibi autem eſt neceſſitas conſequentiæ, vbi eſt antecedens, ad quod ſequitur neceſſariò conſequens, licet tam antecedens, quam conſequens ſit contingens; & quoniam Deus omnipotens vult ſaluare, ideo qui eſt prædeſtinatus vt ſaluetur, de neceſ- q.2. a.1.

Digitized by Google

ceſſitate ſaluabitur.

q vn. Michael de Pal. reſp. quod prædeſtinatio non imponit aliquam neceſſitatem prædeſtinatis ad hoc quod ſaluentur, alioqüin vana eſſent miracula, vanæ exhortationes, prædicationes, & huiuſmodi.

de pr. lib. 3. c. 9. Franciſcus Suarez reſp. quod prædeſtinatio imponit neceſſitatem conſequentiæ, fruſtrari enim non poteſt diuina voluntas, non conſequentis, quia non impedit libertatem in ſingulis actibus bonis, etiam ſi illos præfiniat, quia in executione, & ad extra non mouet ad illos cum effectu præſtandos, niſi per gratiam efficacem, quæ gratia efficax ita mouet voluntatem, vt libertatem eius non impediat, etiam quo ad vſum, & actualem determinationem, quia mouet voluntatem modo congruo ex præſcientia conditionata, & ideo nihil ſupereſt in prædeſtinatione, quod huiuſmodi libertati repugnet.

Reſolutio.

RESpondeo, quod Deus, a quo res omnes habent non ſolum quod ſint, ſed etiam quod ſint ad aliquem finem, ita præordinauit ea, vt ad illum conſequendum ſecundum conditionem ſuæ naturæ; cum itaque creaturæ intellectuales ſint liberæ, Deus præordinauit eas ad liberè conſequendum finem ſuum tam naturalem, quam ſupernaturalem, qui eſt vita æterna, nullam imponens eis neceſſitatem ad illum.

Obiectio. Sed ſi non eſt, qui poſſit reſiſtere diuinæ voluntati?

Reſpondetur, quod nullus poteſt reſiſtere diuinæ voluntati, quæ dicitur beneplaciti, non ſigni, & ad hanc pertinet prædeſtinatio, eſt enim prædeſtinatio operatio circa prædeſtinatum in præordinando illum ad gratiam, & gloriam, ſecundum conditionem ſuæ naturæ, quæ libera eſt, ac proinde ſi Deus vult ipſum ſaluari, nulla neceſſitate ſaluatur, ſed libertate.

QVAESITVM XVIII.

An prædeſtinatio iuuari poſſit precibus Sanctorum.

p. p. q. 23. a. 8. D. Thomas reſpondet, quod quantum ad præordinationem diuinam nullo modo prædeſtinatio iuuatur precibus ſanctorum, non enim precibus ſanctorum fit, quod aliquis prædeſtinetur a Deo, ſed quantum ad effectum, quia ſicut prouidentia, cuius eſt pars prædeſtinatio non ſubtrahit cauſas ſecundas, quin minus ſecundum ordinem earum ſuos ſortiatur effectus, ita nec prædeſtinatio ſubtrahit preces ſanctorum, aliaque bona, quibus prædeſtinati ſalutem conſequantur. Et hæc eſt doctrina antiquorum, vt Guilelmi Antiſiod. in ſum. c. 9. q. 4. Alexandri q. 28. m. 3. c. 2. & Alberti in p. ſent. diſt. 41. a. 1. Hoc adiumentum (inquit Varril) non intelligitur quantum ad eſſentiam prædeſtinationis, ſed quantum ad conſecutionem gloriæ, ad quam prædeſtinatus ordinatur. Et Paulus ſcriptor. Prædeſtinatio ſumpta pro diuina electione non iuuatur precibus ſanctorum, ſed ſuus effectus.

D. Bon. reſp. quod prædeſtinatio iuuatur precibus ſanctorum ratione connotati, quod eſt gratia, quam ſancti viri poſſunt aliis ſuis orationibus impetrare. Item Trigoſus. d. 41. a. 4. q. 1.

Aegidius reſp. quod preces ſanctorum dicuntur iuuare noſtram prædeſtinationem, non quod immutent diuinum propoſitum, ſed quia ſic ordinauit Deus, vt per ipſas conſequamur prædeſtinationis effectum. pr. 1 q. 2. a 2.

Ricardus reſp. quod prædeſtinatio iuuatur precibus ſanctorum, non reſpectu totius effectus prædeſtinationis coniunctim, ſed quantum ad aliquem particularem effectum ipſius prædeſtinationis. a. 2. q. 1.

Durandus reſp. quod prędeſtinationem iuuari precibus ſanctorum poſſumus intelligere dupliciter; vno modo, quod preces iuuent ad hoc quod aliquis non prædeſtinatus prędeſtinetur, & hoc eſſe non poteſt; alio modo, quod iuuent ad hoc, quod prædeſtinatus conſequatur effectum prædeſtinationis; & quidem ſi intelligatur de effectu totali, non eſt verum, ſed ſi intelligatur ſecundum aliquam ſui partem eſt verum, & ratio eſt, quia interuenientibus orationibus Sãctorum multi effectus prædeſtinationis complentur, qui alio modo non complerentur, cum prædeſtinatum ſit, vt ita compleantur. q. 3.

Gerardus reſp. quod prædeſtinatio per ſe, & directè non poteſt iuuari per aliquod bonum opus noſtrum, quia ipſa eſt cauſa omnis boni, quod eſt in prædeſtinato; indirectè tamen in aliquo ſuo effectu iuuari poteſt, plures autem ſunt effectus prædeſtinationis, vt gratiæ præparatio, eiuſdem collatio, meritoria operatio, & ſalutis adeptio, quorum vnus iuuat alium, gratiæ enim præparatio iuuat ad eius collationem, collatio verò iuuat ad operationem meritoriã, & operatio iuuat ad adeptionem ſalutis. q. vn. a. 2.

Franciſcus a Chriſto reſp. quod prædeſti- q. 8.

ſtinatio, quo ad ipſam Dei præordinationem nullis Sanctorum precibus iuuatur, iuuari tamen poteſt, quoad ſuos effectus, qui ſunt vocatio, iuſtificatio, glorificatio, ſunt enim preces Sanctorum cauſæ ſecundæ, quibus homo vocatur, iuſtificatur, glorificatur, quas Deus non excludit in prædeſtinatione, ſicut non excludit cauſas ſecundas in prouidentia.

diſp. 94. Gabriel Vaſqu. reſp. quod orationes noſtræ adiuuant quidem prædeſtinationem noſtram conſumando tantum merita propria, & perſeuerantiam; ſed orationes Chriſti, aut Sanctorum, etiam prædeſtinationem ipſam, hoc eſt, effectus illius inchoando.

Reſolutio.

RESpondeo, quod iuuare non eſt aliud, quam efficere, quod aliquis conſequatur id, quod per ſe conſequi non poteſt, iuuari ergo dicuntur illi, qui alterius opera, vel officio conſequuntur aliquid, quod per ſe conſequi non poſſunt, & quoniam prædeſtinati per ſe conſequi non poſſunt gratiam, & gloriam, quam Deus præparauit eis, quia vt inquit Paulus Apoſtolus. Nos non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, & Sancti ſuis precibus hoc aliquando efficiunt, vt conſequantur, ſicut docet Eccleſia, ideo iuuari dicuntur precibus Sanctorum; Et in hoc ſenſu prædeſtinatio dicitur iuuari precibus Sanctorum, non quod ipſa prædeſtinatio iuuetur, ſed ipſi prædeſtinati, & non ad hoc, quod ſint prædeſtinati, quia prædeſtinatio præcedit omnem creaturam, ſed ad hoc, vt conſequantur finem ſuæ prædeſtinationis.

Obiectio. Sed ſi prædeſtinatio non poteſt aliquo impediri? eſt autem eiuſdem adiuuari, & impediri.

Reſpondetur, quod ſecundæ cauſæ non poſſunt egredi ordinem cauſæ primæ vniuerſalis, ſed ipſum exequuntur; & ideo prædeſtinatio, poteſt quidem per creaturas adiuuari, non autem impediri. Ita D. Thomas.

QVAESITVM. XIX.

An prædeſtinatio diſtinguatur à libro vitæ?

q. 28. m. 1. a. 1. ALexand. reſp. quod liber vitæ dicitur tripliciter, vno modo exemplar vitæ, & notitia Dei eorum, qui remunerandi ſunt in gloria; ſecundo modo exemplum vitæ, & eſt Filius Dei ſecundum humanitatem; tertio modo, ſignum vitæ, & eſt ſcriptura ſacra, accipiendo ergo librum vitæ primo modo differt à prædeſtinatione, quia prædeſtinatio eſt præſcientia beneficiorum Dei, liber vitæ meritorum vitę ęternę, vnde liber vitę ęternæ propriè reſpicit, quod eſt in nobis, vt merita noſtra, prędeſtinatio verò reſpicit magis id, quod eſt in Deo.

Aegidius reſp. quod accipiendo librum vitæ, vt eſt ſpeculatiua cognitio, quam Deus habet de omnibus prędeſtinatis diſtinguitur a prędeſtinatione in quatuor; primò, quia liber vitę ſe tenet ex parte intellectus, prædeſtinatio autem, cum dicat diuinum propoſitum quodammodo importat actum diuinę voluntatis; ſecundò, ratione ordinis, nam ſecundum modum intelligendi liber vitæ pręcedit prædeſtinationem, quia prius ſecundum intellectum Deus eligit, & electorum firmam cognitionem habet, & poſtmodum electos ſaluare proponit; tertiò, ratione cauſalitatis, quia liber vitæ non eſt cauſa immediata, quare aliqui beatitudinem conſequantur, ſed vel cauſa ſine qua non, vel cauſa mediante voluntate, & prædeſtinatio eſt cauſa ſimpliciter, quare dirigantur in vitam; quartò differt, quia plures ſunt ſcripti in libro vitæ, quam ſunt prędeſtinati, ſunt enim ſcripti in libro vitę omnes, qui in præſenti ſunt conſecuturi gratiam, etiam ſi finaliter non ſint conſecuturi gloriam. *d. 40. pr. 1 q. 2. a. 1.*

Franciſcus Suarez reſp. quod liber vitæ dicitur methaphoricè, & ſignificat æternam notitiam, quam Deus habet de omnibus, qui conſecuturi ſunt vitam æternam; conueniunt autem prædeſtinatio, & liber vitæ in hoc, quia omnes qui ſcripti sũt in libro vitæ ſunt prædeſtinati, & non plures, neque pauciores, & econuerſò, & ſimiliter ſicut prædeſtinatio, ita & liber vitę eſt actus ęternus immanẽs Dei, & omnino liber; ſi verò prędeſtinatio voluntati ſoli tribuatur, ſic diſtinguuntur ratione, quia liber vitæ ſignificat aliquid pertinens ad intellectum, intellectus autem a voluntate diſtinguitur ratione; ſi verò ad intellectum non apparet tam facilis diſtinctio, tamen ſic diſtinguuntur, quia liber ſolum dicit ſpeculatiuam notitiam, ſeu intuitionem ſaluandorum, eſt enim quidam catalogus eorum, prædeſtinatio verò dicit iudicium practicum dictans, & dirigens executionem mediorum infallibilium, quæ ad ſa- *de pr. lib. 1. c. 21.*

ſalutem electorum per voluntatem ſunt approbata.

Reſolutio.

RESpondeo, quod liber vitæ non eſt aliud quam diuina eſſentia ſub ratione repreſentatiua eorum, qui ſunt prædeſtinati ad vitam, ſiue ſit vita gratiæ in præſenti, ſiue vita gloriæ in futuro, & in hoc differt prædeſtinatio a libro vitæ, quia prędeſtinatio non eſt repreſentatiua eorum, qui ſunt ſaluandi, ſed eſt ipſa præordinatio ſaluandorum, eſſentia autem diuina ad inſtar libri, in quo apparet huiuſmodi præordinatio, & numerus omnium prædeſtinatorum.

Obiectio. Sed ſi in diuina eſſentia repreſentātur etiā damnati, & tamen non dicitur liber mortis?

Reſpondetur, quod quamuis in diuina eſſentia repreſentētur damnati, nō eſt tamen in vſu vt ipſa dicatur reſpectu horum liber mortis, quia omnia, quæ ſunt in ea, ſunt in ea lux, & vita.

QVAESITVM XX.

An aliqui poſſint deleri de libro vitæ?

d.40. q.3. a.1. D. Thomas reſp. quod aliquis poteſt deleri de libro vitæ, non quantum ad futuram gloriam, ſed quantum ad pręſentem iuſtitiam, non mutatione facta ex parte libri, vt quod aliquid in eo fuerit, quod poſtmodum non ſit, ſed ex parte illius, qui in libro ſcriptus dicitur, in quantum ſcilicet ipſe mutatur a ſtatu pręſentis iuſtitię. Item Franc. a Chriſto, & Paulus Scriptor.

p.p. q.24. a.3. Et iterum reſp. quod illi, qui ſunt ordinati ad vitam ęternam ex prędeſtinatione diuina, cum hæc ordinatio nunquam deficiat, de libro vitæ deleri non poſſunt; at illi qui ex ſola gratia ſunt ordinati, ſicut ab ea cadere poſſunt, ita & de libro vitæ deleri.

d.40. q.1. Duranndus reſp. quod liber vitæ vno modo dicitur cognitio diuina de illis, qui eliguntur ad habendum vitam æternam ſimpliciter, & abſolutè; alio modo de illis, qui ordinantur ad habendum vitam æternam non ſimpliciter, ſed ſecundum præſentem iuſtitiam; qui ſunt ſcripti in libro vitæ primo modo deleri non poſſunt de eo, ſed qui ſecundo.

q.12. a.1. Petrus Aliac. reſp. quod deleri dicitur dupliciter propriè, & largè, propriè deleri de libro præſupponit fuiſſe ſcriptum, & ſic non poteſt deleri, qui eſt ſcriptus ſecundum æternam præſcientiam, largè eſt idem deleri, quod non eſſe ſcriptum, & hoc eſt poſſibile de potentia abſoluta.

Ioannes Maior reſp. quod accipiendo librum vitæ pro notitia diuina, nullus poteſt deleri de eo, quia prædeſtinati tantum ſunt ſcripti in eo, nullus autem prædeſtinatus poteſt damnari. *d.41. q.2.*

Ludou. Mol. reſp. quod liber vitæ duobus modis vſurpatur; primò, vt continet ſolos prædeſtinatos, & ſic nullus deletur de eo, qui in eò ſcriptus eſt; ſecundò, vt continet etiam iuſtos non prædeſtinatos, quos ſcilicet pręuidit Deus ad tempus futuros eſſe in gratia, non autem permanſuros; & ſic qui ſunt ſcripti in eo deleri poſſunt, quia ſcilicet tēpore antecedēte peccatum digni iudicarentur vita æterna, qui poſtea ſequenti iudicantur ea indigni, dignique qui ſupplicijs puniantur ſempiternis. *q.24. diſp. vn.*

Reſolutio.

RESpondeo, quod omnes illi dicuntur methaphoricè ſcripti in libro vitæ, qui ſunt deſtinati ad vitam vel gratiæ, vel gloriæ, & quoniam diuina eſſentia vt repreſentatiua eorum, aliquando ipſos non repreſentat vt habentes vitam, & ſic excluduntur à vita, & ita delentur de libro vitæ, id eſt de repreſentatione, qua repreſentantur in vita ab ipſa diuina eſſentia, quæ eſt liber vitæ.

Sed ſi liber vitæ eſt quid æternum, & immutabile? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod iſta deletio non arguit aliquam mutationem in libro vitæ, ſiue in ipſa diuina eſſentia, ſed in his tantum, qui delentur, qui cum ſint modo digni vita æterna, fiunt poſtmodum indigni, & ſic in ipſa diuina eſſentia repreſentantur, vt a vita excluſi.

QVÆSITVM XXI.

An prædeſtinatio diſtinguatur a prouidentia?

ALex. reſp. quod prouidentia dicit notitiam Dei, & rationem gubernandorum eorum, quæ facta ſunt rationalium, & irrationalium, & generaliter omnium, prædeſtinatio verò dicit notitiam, ratione tantum ordinandorum ad gratiam in præſenti, & gloriam in futuro, & quāuis ſit vna, & eadem notitia; quia vna eſſentia, quæ ſubeſt, differunt tamen ſecundum hanc rationem. *q.23. m.2.*

D.

Digitized by Google

d. 40. q. 1. a. 2. D. Thomas reſp. quod prædeſtinatio ad minus tria addit ſupra prouidentiam; vnum ex parte prædeſtinatorum, cum enim prouidentia ſit reſpectu omnium, prædeſtinatio eſt reſpectu tantum habentium voluntatem; alterum ex parte finis, & mediorum ad finem, cum enim prouidentia reſpiciat ordinem cuiuſcumque boni, prędeſtinatio reſpicit tantum ordinem gratiæ, & glorię; tertium ex parte prædeſtinantis, cum enim prouidentia in ſola ſpeculatione ſaluari poſſit, prædeſtinatio ſupra ſpeculationem addit executionē.

pr. 1. q. 1. a. 2. Aegidius reſp. quod prædeſtinatio differt a prouidentia ſecundū quadruplicē differentiā; prima eſt, quod prouidentia importat rationē ordinis vniuerſi ſecundum quam omnia conſequuntur ſuum finem generaliter ſumptum, ac proinde eſt omnium, prædeſtinatio verò importat rationem ordinis ſpecialiter, ſecundum quam non omnia, ſed aliqua tantum conſequuntur finem ſupernaturalē ac proinde non eſt omnium; ſecunda differentia eſt, quia ratio prouidentiæ poteſt reſeruari etiam ſi ratio ordinis importata per ipſam ſpeculatiuè tantum accipiatur, ratio verò prædeſtinationis non reſeruatur, niſi ratio ordinis importata per prædeſtinationem ſit volita, vel ſecundum voluntatem in executionem ordinata; tertia differentia eſt, quia ratio ordinis importata per prædeſtinationem eſt volita, non ſolum voluntate antecedente, ſed etiam conſequente, quia ex hoc aliquid ordinatur in executionem ſecundum propoſitum voluntatis, inquantum illud eſt volitum voluntate conſequente, ſed ratio ordinis importata per prouidentiam, ſiue ſpeculatiuè accipiatur, ſiue ſimul cum ſpeculatione adſit ibi propoſitum voluntatis antecedentis, ſiue conſequentis, vt eſt in Deo prouidentia dici poteſt; quarta differentia eſt, quia prædeſtinatio magis ſe tenet ex parte voluntatis, quam prouidentia, nam prædeſtinare aliquando accipitur pro eo, quod eſt dirigere aliquid in finem, & ſic eſt actus intellectus includens actum volentis finem, aliquando verò pro eo, quod eſt proponere, & ſic eſt actus voluntatis, & ita magis ſe tenet ex parte voluntatis, quam prouidentia, quæ cum ſit pars prudentię pertinet ad intellectum.

d. 41. a. 1. q. 2. Ricardus reſp. quòd prouidentia eſt præſcientia practica reſpectu omnium futurorum tam bonorum, quam malorum, inquantum ſunt a prouidente in finem ordinabilia, bonorum principaliter, malorum verò propter bona; prædeſtinatio autem eſt prouidentia non reſpectu quorumcunque futurorum, ſed tantum ſaluandorum in gloria.

Herueus reſp. quod prædeſtinatio diſtinguitur a prouidentia in duobus; primo, ſecundum magis, & minus commune, nam prouidentia eſt circa omnes res, & reſpectu cuiuſcunque finis naturalis, vel ſupernaturalis, prædeſtinatio autem circa res determinati generis, ſcilicet circa creaturas intellectuales, & reſpectu finis determinati, ſcilicet vitę æternę; ſecundo in hoc, quod prouidentia dicit directè diſpoſitionem ordinis, ſed prædeſtinatio cum hoc dicit rectum exitum ipſius ordinis impoſiti. Similia ferè Durandus, Gerardus, Franc. a Chriſto, Gabriel Biel, Michael de Palat. Ludouic. Molina, Zumel. d. 40. q. 1. a. 1.

Franciſcus Suarez reſp. quod prædeſtinatio, & prouidentia differunt; primò, quia prædeſtinatio includit quodammodo totam prouidentiā, nam obiectum prædeſtinationis principale eſt tanquam finis, ad quem omnia alia referuntur aliquo modo; ſecundò, quia prædeſtinatio habet infallibilem conſequutionem finis particularis cuiuſcumque creaturæ, cui per illam prouidetur, non quod prouidentia neceſſariò excludat hanc conſequutionem, ſed quod non neceſſariò includat, interdum enim aſſequitur finem, interdū non; tertiò differunt, quia prouidentia ſupponit ordine rationis in mente Dei exiſtentiam illius rei, cui prouidet, prędeſtinatio verò per ſe illam non ſupponit. de pr. lib. 1. c. 18.

Reſolutio.

RESpondeo, quod prouidentia eſt exercitium diuinæ voluntatis circa omnes creaturas ad hoc, quod non fruſtrentur finibus ſuis, & inter ipſas ille ordo ſeruetur, quem ab initio illis dedit; prædeſtinatio verò eſt rationalium tantum æterna præordinatio ad gratiam, & gloriam, quæ tamen exigit prouidentiam ad hoc, vt prædeſtinati, & gratiam, & gloriam conſequantur; & in hoc eſſentialiter diſtinguuntur.

Sed ſi exercitium circa creaturas in earum præordinatione conſiſtit? Obiectio.

Reſpondetur, quod exercitium non conſiſtit in præordinatione eſſentialiter, ſed præſuppoſitiuè inquātum ipſam ſupponit, quoſcūque enim actus exercet Deus circa creaturas, ipſos iam præordinauit; præordinatio igitur præcedit exercitium, ſicut & prædeſtinatio prouidentiam circa prædeſtinatos, non enim eos prædeſtinauit, quibus ſe prouiſurum decreuit, ſed ſe prouiſurum decreuit

S ſ ſ his,

his, quos per actum priorem, & antecedentem, ſecundum rationem prædeſtinauit.

QVÆSITVM XXII.

An prædeſtinatio diſtinguatur a præſcientia?

q 28. m. 2. ALex. reſp. quod prædeſtinatio, & ſciẽtia ſunt vna, & eadem notitia Dei, ſed alia, & alia ratione dicitur præſcientia, & prædeſtinatio, nam pręſcientia dicitur reſpectu futurorum tantum, prædeſtinatio verò reſpectu ordinandorum ad gratiam, & gloriam. Præſcientia (inquit Ricardus) eſt certa cognitio, quam Deus habet de futuris tam bonis, quam malis (& appropriatur reprobationi, inquit Nicol. de Orb.) prædeſtinatio verò eſt præſcientia practica, quam Deus habet tantum de ſaluandis.

d 40. q. 2. Franciſcus Maro reſp. quod ſi præſcientia ſtrictè ſumatur, pro illa ſola cognitione, quam Deus habet de damnatione reprobatorũ, & prædeſtinatio propriè pro præordinatione diuinæ voluntatis ad ſaluandum electos, diſtinguitur prædeſtinatio a præſcientia, ſicut actus voluntatis ab actu intellectus, nam prædeſtinatio eſt actus voluntatis, præſcientia verò intellectus.

q. 1. a. 4. Thomas ab Arg. reſp. quod præſcientia dicit ſimplicem notitiam, quam habet Deus de damnandis, & ſi cũ notitia aliquo modo includit diuinum propoſitum, hoc non eſt, ſecundum quod Deus proponit agere, ſed potius ſecundum quod Deus proponit ab actu ceſſare; prædeſtinatio autem non dicit ſimplicem notitiam, quia includit diuinum propoſitum, cum ſui efficacia ad miſerendum, & glorificandum.

q. vn. Gabriel Biel reſp. quod præſcientia ſi cõmuniter ſumitur eſt reſpectu cuiuſlibet futuri boni, & mali, magis ſtrictè ſolum reſpectu damnandorum, prædeſtinatio autem reſpectu ſaluandorum tantum. Item Michael de Pal. Præſcientia eſt futurorum omnium ſcientia, tam bonorum, quam malorum, prædeſtinatio verò bonorum tantum.

q. 1. a. 2. Guilelmus Rubion reſp. quod prædeſtinatio, & præſcientia ſumptę ſecundum ſe, & abſolutè ſine obiectis idem ſunt, cum obiectis verò licet ſecundum ſignificationem vocis ſint idẽ, vt accipiũtur tamen a ſanctis diſtinguũtur; dicitur enim prędeſtinatio in ordine ad electos, præſcientia verò in ordine ad reprobatos.

q. vn. Iacobinus Maleſ. reſp. quod præſcientia, & prędeſtinatio ſunt idem fundamentaliter, ſed non formaliter, cum dicant diuerſos reſpectus rationis.

Reſolutio.

REſpondeo, quod præſcientia in Deo certa cognitio eſt quorumlibet futurorum, ſecundum quod ipſum nomen ſignificat; tamen in vſu eſt, & præſertim apud ſcholaſticos, & maximè cum de prædeſtinatione agitur, vt non niſi pro reprobatione ſumatur; reprobatio enim quędam præſciẽtia eſt, eorum ſcilicet, qui ſunt damnandi, ſola actio intellectus abſque propoſito, & voluntate ſaluandi, atque ita præſciti dicuntur reprobati, & in hoc differt prędeſtinatio ab ea.

Sed ſi dicit D. Auguſtinus in lib. de præd. ſanct. quod prædeſtinatio ſine pręſcientia eſſe non poteſt? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod prædeſtinatio dicitur ſine præſcientia eſſe non poſſe, non quia ſit idem re cum ea, aut ratione, ſed propter ordinem, quem habet ad eam. Ita Aegidius.

QVÆSITVM XXIII.

An prædeſtinatio diſtinguatur ab electione?

GVilelmus Antiſiod. reſp. quod electio diuina quatuor importat, certam voluntatem, diuinam eſſentiam vt eius cauſam, gratiam in præſenti, & gloriam in futuro, prædeſtinatio tria vltima ſignificat, ſed in primo differt ab electione, quia ſignificat anteceſſionem, quam non ſignificat electio. q. 5. c. 9.

D. Thomas reſp. quod ſicut prouidentia addit aliquid ſupra diſpoſitionem, quia cum diſpoſitio ſit circa res, prouidentia non tantum eſt circa res, ſed etiam circa ea, quæ rebus conferuntur, ita prædeſtinatio addit aliquid ſupra electionem, quia non tantum eſt hominum, qui eligũtur, ſed etiam eorum, quæ eis conferuntur, non enim dicitur quod gratia eligitur homini, ſicut dicitur quod prædeſtinatur. d 41. q. 1. a. 1.

D. Bonau. reſp. quod electio dicitur tripliciter; eſt enim electio ſecundum affectum dilectionis, & ſecundum effectum finalis gratificationis, & ſecundum ſtatum prælationis; primo modo dicta eſt æterna, & eſt idem quod prædeſtinatio; ſecundo temporalis, & ſignum æternæ infallibile; tertio, ſimiliter temporalis, nec eſt effectus, nec d 40. a. 2. q. 2.

ſi-

ſignum æternæ electionis.

a. 1. q. 2. Ricardus reſp. quod ſcientia, præſcientia, prouidentia, propoſitum, & electio ſunt idem in Deo realiter, differunt tamen ſecundum rationem, & connotata, nam ſcientia eſt certa cognitio omnium præſentium, præteritorum, & futurorum, & fieri poſſibilium, malorum, & bonorum. Præſcientia eſt ſcientia reſpectu futurorum tantum, reſpectu tamen bonorum, & malorum. Prouidentia eſt præſcientia practica reſpectu futurorum inquantum ſunt in finem ordinabilia. Prædeſtinatio eſt prouidentia non reſpectu quorumcunque futurorum, ſed reſpectu ſaluandorum in gloria. Propoſitum eſt actus volendi, tam reſpectu futurorum agendorum, quam permittendorum. Electio tandem addit ſupra propoſitum diſcretionem electi a ſuo contrario, extendendo nomen contrarietatis ad illam differentiam, quæ eſt inter bonos, & malos, & inter magis bonos, & minus bonos.

a. 3. Petrus Aureolus reſp. quod electio, & prædeſtinatio non ponunt multiplicitatem aliquam rationum in Deo, ſed dicunt eandem deitatem cum connotatis diuerſis, nam electio denominat deitatem inquantum eſt id, quo ſaluandus præfertur damnando, prædeſtinatio verò inquantum in tali prælatione offertur eius iuſtificatio, & glorificatio ex operatione diuina.

d. 40. q. vn. a. 1. Ioannes de Baſſ. reſp. quod electio eſt notitia practica, vel quaſi practica de diſtinctione aliquorum, & acceptatione præ alijs ad finem conſequendum, vnde prædeſtinatio non connotat alium, cui prædeſtinatus præferatur, & in hoc differt ab electione.

a. 1. Guilelmus Varrillong. reſp. quod electio differt a prædeſtinatione, quia electio eſt eorum, quæ ſunt ad finem vt dicit Ariſt. 3. Eth. prædeſtinatio verò ipſius finis.

Reſolutio.

RESpondeo, quod electio eſt quorundam ſegregatio ab alijs eiuſdem ordinis, eorundemque ad aliquid applicatio, quæ applicatio ſi eſt ad gratiam finalem, & ad gloriam dicitur prædeſtinatio; in hoc ergo differt prædeſtinatio ab electione, quod prædeſtinatio importat applicationem ad gratiam, & gloriam, electio vero dicit ſegregationem cum applicatione ad gratiam, & gloriam.

Obiectio. Sed ſi omnes prædeſtinati, ſunt electi, & omnes electi ſunt prædeſtinati?

Reſpondetur, quod omnes prædeſtinati ſunt electi, & econuersò, quia electio, & prædeſtinatio ſe ad inuicem conſequuntur quantum ad exiſtentiam, licet diſtinguantur ſecundum quiditatem; qui enim eliguntur prędeſtinantur, & quæ ſunt prædeſtinati ſunt etiam electi, quamuis aliud importet electio, & aliud prędeſtinatio.

QVÆSITVM XXIV.

An ſit aliquis actus in diuina mente, vel voluntate, qui prædeſtinationem præcedat in ordine ad ſaluandum?

d. 40. a. 19. ALbertus reſp. quod electio abſolutè ſumpta pręcedit prędeſtinationem, & dilectio ſimpliciter dicta præcedit verumque; & probatur. Dilectio declinat ad ſeparandum vnum ab alio, & ad dirigendum in finem ſalutis, igitur pręcedit electionem, & electio prædeſtinationem, ex parte diligentis, & eligentis, & prædeſtinantis.

d. 41. q. 1. a. 2. D. Thomas reſp. quod dilectio præſupponit electionem, ſicut ipſum nomen oſtendit, & quoniam prædeſtinatio ſequitur dilectionem, quia non præparantur bona, niſi his, qui diliguntur, ideo prædeſtinatio ſequitur electionem, ipſa verò electio ſecundum rationem antecedit.

Et p. p. q. 23. ar. 4. Prædeſtinatio ſecundum rationem præſupponit electionem, & electio dilectionem.

pr. 1. q. 1. a. 2. Aegidius reſp. quod electio prædeſtinationem pręcedit, non quidem ſecundum rem, quia ſecundum rem ſunt realiter idem, ſed ſecundum rationem, ſeu noſtrum modum intelligendi; nam electio ſeparationem importat, & prædeſtinatio directionem; & quoniam vt aliquis aliquem dirigat, & non alium, oportet vt prius eum ſeparet ab illo, ideo cum Deus aliquem prædeſtinat, neceſſe eſt vt ipſum ſaltem ſecundum noſtrum modū intelligendi prius eligat.

q. 1. Durandus reſp. quod electio eſt voluntas, non quidem finis vltimi, ſed finis ſub fine, & prædeſtinatio eſt concluſio intellectus practici ſyllogizantis ex tali fine, & quoniam actus intellectus practici ſupponit voluntatem finis, ex quo ſyllogizat de his, quæ ſunt ad finem, ſiue ſit finis vltimus, ſiue finis ſub fine, ideo prædeſtinatio ſupponit electionem; eſt ergo (inquit) iſte proceſſus ſecundum rationem in Deo, primò vult beatitudinem communicare, ſecundò

conſiliatur, quibus communicabit eam; tertiò illos eligit; quartò conſiliatur, quæ auxilia conferenda ſunt electis ad conſequutionem finis; & concluſio huius conſilij eſt prędeſtinatio; quintò ſequitur propoſitum conferendi talia auxilia.

m. 1 1 diſp. 1 Ludouic. Molina reſp. quod Deus, primò ante omnem actum liberum ſuæ voluntatis per ſciétiam merè naturalem, atque mediam illam inter liberam, & merè naturalem meditatus eſt omnem creaturam rationalem, circunſtantias, auxilia, & huiuſmodi, inde vnico actu ſtatuit, vt vnuſquiſque liber eſſet; tertiò, prædeſtinati fuerunt, qui conſecuturi ſunt gloriam.

pūc. 2 Gregorius de Val. reſp. quod Deus erga hominem, quem prædeſtinat plures exercet actus ſcilicet, actum pręſcientiæ, dilectionis electionis, & ſic ſe pręcedunt ſecundum noſtrum modum intelligendi.

de. pr. lib 1. c. 4. Franciſcus Suarez reſp. quod ante omnem actum prędeſtinationis ſupponenda eſt in Deo aliqua ſcientia, quæ vel dirigat prædeſtinationem ipſam, vel diuinam voluntatem ad prædeſtinationem inuitet; & ratio eſt, quia prædeſtinatio conſiſtit in aliquo actu voluntario, & ante omnem actum liberum neceſſariò aliqua cognitio antecedit, & hæc eſt cognitio ſimplicis intelligentiæ, nam talis ſcientia antecedit omnem actum liberum, cum ſit ei ita naturalis, vt conueniat ei, etiã ſi nihil liberè vellet.

Reſolutio.

RESpondeo, quod actus diuinæ mentis ſecundum noſtrum modum intelligendi præcedit omnem actum voluntatis, Deus enim non intelligitur aliquid velle, niſi quod intelligit, econtrà tamen poteſt aliquid intelligere, quod non velit, & ſic in ordine ad prædeſtinationem circa ſaluandos pręcedit ſecundum noſtrum modum intelligendi actus intellectus ipſum actum voluntatis, ſed inter actus ipſius intellectus, quales ſunt intelligere finem, & media conducentia ad finem dirigere, ordinare, & inter actus ipſius voluntatis, vt eligere, proponere, & huiuſmodi circa ſaluandos, nullus ſecundũ noſtrũ modum intelligendi poteſt aliũ præcedere, quoniam omnes iſti actus correlatiuè ſe habẽt in ordine ad prædeſtinationem vnde non poſſumus imaginari, quod Deus prius intelligat finem quam media, & econuerſò, neque prius eligat ſaluandum, quam proponat ſaluare, & huiuſmodi.

Obie Sed ſi (vt inquit Apoſtolus) elegit nos Deus ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti? ſanctitas autem pertinet ad prædeſtinationem, vnde idem Apoſtolus: Quos prædeſtinauit hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit. Ro. 8.

Reſpondetur, quod ſanctitas non ad ſolam prædeſtinationem pertinet, ſed etiam ad electionem, eſt enim electio, ſicut dictum eſt applicatio ad gratiam, & gloriam. cum intellectu tamen ſegregationis ab alijs eiuſdem ordinis; & ſic Deus elegit nos antè mũdi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, quia ſcilicet ſeparando nos ab alijs præordinauit ad gratiam, qua ſancti efficimur, & ad quam in huiuſmodi electione prædeſtinamur.

QVAESITVM XXV.

An Deus ab æterno aliquas creaturas reprobauerit?

AEgidius reſp. quod ſi Deus aliquos reprobat non habet rationem mali, quia cum totum genus humanum ſit damnabile, quod aliquibus conferat ſalutem, aliquibus non, hoc prouenit ex mera liberalitate ſua, & non quod ſit perſonarum acceptor, immò quod aliquos reprobet habet rationem boni propter ordinem, & decorem vniuerſi, vt inde magis reluceant, & commendentur bona iuſtitiæ, ad quæ ordinantur mali. Item Herueus, & Franc. a Chriſto. d. 40. pr. 2 q. 2.

Ricardus reſp. quod reprobatio eſt quædam pars prouidentiæ, ad prouidum autem rectorem non tantum pertinet ordinare bonam retributionem iuſtorum, ſed etiam iuſtam pœnam malorum. d. 41 a. 3. q. 1.

Durandus reſp. quod ad Deum pertinet aliquos reprobare, quia ſicut decet iuſtos pręmiari propter ſuum meritum, ſic decet malos excludi a præmio, & vlterius puniri propter ſuum demeritum; itaque ſicut Dei eſt illos approbare, & acceptare ad gloriam, quos ſcit futuros bonos, & quorum pręuidit meritum, ita ipſius eſt illos reprobare, & refutare a conſecutione gloriæ, & præparare ad pœnam, quos ſcit futuros malos, & quorum pręuidit demeritum. q. 2.

Gerardus reſp. quod conueniens eſt, vt Deus aliquos reprobet; primò ratione ſuæ iuſtitię, quia ſicut decet diuinam iuſtitiam non ſinere aliqua bona irremunerata, ita decet non permittere aliqua mala impunita, quod impletur per effectum reprobationis; ſecundò, ratione ſuæ miſericordiæ, quia ſicut q. vn. a. 1.

Digitized by Google

cut in operibus ſuis debet relucere miſericordia quantum ad prædeſtinatos, ita relucere debet iuſtitia quantum ad reprobatos; tertiò, ratione ſuæ prouidentiæ ad quam ſpectat omnia ſua ordinare, & ordinem ad decorem vniuerſi conſeruare, qui in hoc maximè conſiſtit, quod eſt ordinare mala per iuſtam pœnam, & coronare bona per gloriam.

Reſolutio.

RESpondeo, quod quamuis Deus creauerit omnes creaturas rationales, non tamen ad inſtar cuiuſdam artificis ſibi complacuit in omnibus, ſicut ergo eos tantum elegit, in quibus ſibi complacuit, ita eos in quibus non ſibi complacuit, reprobauit.

Obiectio. Sed ſi Deus eſt ſummè bonus? ac proinde debet communicare bonitatem ſuam omnibus, cum poſſit.

Reſpondetur, quod ſumma bonitas poteſt ſtare cum liberali communicatione, licet illa non ſit æqualis omnibus. Ita Scotus.

QVÆSITVM XXVI.

An reprobationis ſit aliqua diffinitio.

c.9. q.2. GVilelmus Antiſiod. reſp. quod reprobatio eſt præſcientia Dei, qua ab æterno ſcit Deus ſe non appoſiturum iſti gratiam in præſenti, & eundem ſe damnaturum in futuro.

q 29. m.2. Alexand. ad mentem D. Aug. reſp. quod reprobatio eſt præſcientia iniquitatis quorundam, & præparatio damnationis eorundem. Item Varill.

d.40. pr.a q 1. Aegidius reſp. quod ſicut dicit Magiſter reprobatio opponitur prædeſtinationi, ſicut ergo deſtinare vno modo dicitur idem, quod eſt ordinare in finem, & alio modo idem quod eſt proponere, ita & reprobare dicitur vno modo idē quod eſt nō ordinare ad gratiam, ſiue ordinare ad pœnam, & alio modo idem quod eſt velle, ſeu proponere inferre pœnam, vel non conferre gratiam; vnde reprobatio eſt præſcientia cum voluntate, & propoſito non dandi gratiam; & conferendi pœnam.

a.3. q.1. Ricardus reſp. quod reprobatio eſt præſcientia futuræ damnationis quorundam, quos pęna non terminanda damnare propoſuit, propter eorum iniquitatem finalem.

q.1. a.2. Herueus reſp. quod reprobatio eſt præuiſio malitiæ alicuius, & propoſitum permittendi eum cadere, & non eleuandi eum a caſu: Durandus, eſt præuiſio ineptitudinis alicuius ad vitam æternam, & propoſitū recuſandi eum ab ea; & hoc quatenus includit vtrumque actum ſcilicet intellectus, & voluntatis. Aureolus, eſt quædam deteſtatio, & odium malorum. Occham, reprobatio non eſt aliquid imaginabile in Deo diſtinctum quocunque modo a Deo, & perſonis, & deitate, quaſi actus ſecundus adueniens ei; ſed importat ipſum Deum daturum alicui pœnam æternam. Argentina, eſt reprobatio ęterna pręcognitio mali vſus liberi arbitrij, ratione cuius Deus decreuit aliquē hominem in præſenti priuare gratia, & in futuro punire pœna. Gregorius, eſt propoſitum non dandi vitam æternam. Item Gerardus, Marſilius, Aliacenſis, Ioannes Maior, Gabriel Biel, reprobatio eſt ordinatio alicuius creaturæ ad pœnam æternam; Ioannes de Baſſ. eſt præſciētia de malis futuris in aliquo ad damnationem eius æternam. Nicolaus de Orb. reprobatio eſt propoſitum permittendi reprobatos permanere in obduratione finali; & retribuendi eis interminabilem pœnam propter eorum iniquitatem. Franciſcus a Chriſto, eſt firmum fixumque decretum nō dandi aliquibus beatitudinem. Gregor. de Valen. reprobatio eſt actus diuini intellectus, quo firmiter Deus ſtatuit reprobos in ſuis peccatis dimittere, non dando ſcilicet eis gratiam, qua ab ijs liberarentur, & propter illa eos a regno cæleſti excludere, ac in æternum punire. Ludou. Molina, reprobatio eſt iudicium æternum, quo creatura rationalis a Deo indigna iudicatur vita æterna, dignaque quæ æterna pœna puniatur, cum propoſito eam perpetuò excludendi a regno cæleſti; aut ſimul etiam puniendi cruciatibus ęternis, pœnaue ſenſus, prout fuerint illius peccata.

Reſolutio.

RESpondeo, quod reprobatio approbationi opponitur; ſicut ergo Deus eligendo, & prædeſtinando, approbat; ita non eligendo, & non prædeſtinando, reprobat; ſicut ergo approbatio eſt complacentia diuina circa eos, qui eliguntur, & prædeſtinantur ad gloriam, ita reprobatio eſt diſplicentia circa eos, quos Deus non vult eligere, neque prædeſtinare ad gloriam.

Sed ſi diſplicentiam cōſequitur animi triſtitia? nulla autem triſtitia poteſt eſſe in Deo, in quo ſumma iucunditas. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod aliquando diſplicentia contingit ex carentia boni, vel præſentia mali,

mali, & hanc ſemper conſequitur triſtitia animi eius, in quo eſt; aliquando verò ex ſolo motu, & affectu voluntatis deteſtantis id, quod intellectus iudicat eſſe deteſtandum, & hanc non ſemper conſequitur triſtitia animi; ſed ex iudicio recto potius hilaritas, & talis eſt diſplicentia in Deo, quæ eſt iniquorum reprobatio.

QVAESITVM XXVII.

An Deus efficiat aliquid circa reprobatos?

d. 40. D. Thomas reſp. quod actus, quem Deus
q. 4. circa reprobos exercet, nō eſt quod
a. 2. diſponat eos ad malū, ſed hoc ſolum
erga eos agit, quod illos permittit agere, quæ concupiſcunt.

d. 41. Ioannes Scotus reſp. quod Deus circa
q. vn. quoſcunque reprobatos exercet actum poſitiuum ſuæ volūtatis, quatenus vult permittere eos eſſe filios perditionis, propter peccatum originale, aut actuale.

q. vn. Paulus ſcriptor reſp. quod effectus reprobationis eſt non dare, vel non habere vitam æternam, non habere fidem, & habere finalem perſeuerantiam in malo.

de re. Franc. a Chriſto reſp. quod Deus hoc efficit
q. 2. circa reprobatos, quod ſcilicet eos peccare permittit, & in peccato derelinquit, ſunt enim eiuſmodi effectus reprobationis non autem peccatum, nec finalis perſeuerantia in eo.

§. 19. Guil. Eſtius reſp. quod effectus reprobationis damnatio eſt, & pœna æterna, nam Deus eſt auctor omnis pœnæ tam æternæ, quā temporalis, & præter hunc effectum ſunt alij, vt dimiſſio ſeu derelictio, qua quis merito peccati præcedentis ſubinde in alia peccata prolabens deterior efficitur, excæcatio item, & obduratio, licet iſte effectus non ſit communis omnibus reprobatis, ſed paucioribus tantum, & ſimiliter permiſſio peccandi.

q. 23. Ludou. Mol. reſp. quod effectus reproba-
a. 3. tionis ſunt excluſio actualis a regno cæleſti, addictio cruciatuum adultis, non autem peccatum, quia peccatum non eſt a Deo, vt effectus reprobationis.

de re. Gregorius de Val. reſp. quod duo ſunt
p. 2. effectus reprobationis, permiſſio peccandi, & æterna peccatorum punitio; peccatum ſicut non eſt effectus Dei, ita nec reprobationis, nec ſimiliter induratio, ſeu excæcatio, niſi (inquit Trig.) quatenus dicunt ſubtractionem auxilij diuini ex parte Dei.

Dom. Bannes reſp. quod primus effectus re- q. 23.
probationis eſt permiſſio cadendi in pecca- a. 3.
tum vſque ad mortem, ſubtractio diuini auxilij, & damnatio. Item Nazarius. Effectus reprobationis ad duo capita reuocari poſſunt (inquit Suarez) ad malum pœnæ, & ad permiſſionem mali culpæ.

Franc. Zumel. reſp. quod permiſſio pec- a. 2.
cati, quæ ſcilicet antecedit omne peccatum, nec eſt reprobatio, nec reprobationis effectus, præſupponitur tamen ad reprobationē.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod cum reprobatio ſit quædam diſplicentia circa reprobatos non eligendo eos, nec prædeſtinando ad gloriam, ſed potius abdicando eos, & excludendo ab illa, & a finali gratia, nihil Deus operatur in eis, quod ad gratiam finalem pertineat, & gloriam; quia tamen eos non eligendo, nec prædeſtinando, non abdicat, ſeu excludit a pœnis, quibus ſunt obnoxij, non inconuenit, quod hoc operetur in eis, vt ſcilicet ſuorum ſcelerum luant pœnas.

Sed ſi facienti quod in ſe eſt Deus non Obie-
denegat gratiam ſuam? ac proinde neque ctio.
gloriam, & ſalutem.

Reſpondetur, quod facienti quod in ſe eſt, & diſponenti ſe ad gratiam Deus non illi denegat eam ſecundum præſentem iuſtitiam, & ad tempus, quam tamen ſecundum ſuum æternum propoſitum, quia ipſe eſt amiſſurus eam, finaliter denegat.

QVAESITVM XXVIII.

An reprobatio diſtinguatur a præſcientia?

D. Thomas reſp. quod reprobatio ad- d. 40.
dit ſupra præſcientiam rationem q. 4.
prouidentiæ, ſpectat enim ad diui- a. 1.
nam prouidentiam ordinare culpam naturæ rationalis ad bonum vniuerſi, dum ei adhibetur pœna, & quoniam reprobatio culpæ eſt tantum præſcientia, & non cauſa, pœnæ verò præſcientia, & cauſa, ideo ſuper præſcientiam addit hanc rationem prouidentiæ, & per hoc etiam diſtinguitur ab ea.

Ægidius reſp. quod reprobatio diſtingui- pr. 2.
tur a præſcientia, vt quodam ſpeciale a q. 1.
communi, nam reprobatio addit ſupra præ- a. 2.
ſcientiam ordinem, ſeu propoſitum ad pœnam. Præſcientia (inquit Ricardus) eſt quorumcunque futurorum, reprobatio autem malorum tantum.

Thomas ab Arg. reſp. quod reprobatio q. 1.

tia

Digitized by Google

a.1. tria implicat, præcognitionem culpæ, ſubtractionem gratiæ, & præparationem pœnę; quoad primum nihil addit, quoad ſecundum non addit aliquid poſitiuè, ſed priuatiuè; quo ad tertium addit aliquid poſitiuè ſupra præſcientiam.

q.vn. a.1. Gerardus reſp. quod reprobatio dicit aliquid plus quam præſcientia, nam quamuis reprobus ratione ſuæ culpæ dicatur ſimpliciter præſcitus, quia Deus non eſt cauſa ſuæ culpæ, ſed præſcius, ratione tamen ſuæ excluſionis a gloria, & damnationis ad pęnam dicitur reprobatus a Deo, quia Deus non ſolum eſt præſcius talis excluſionis, & damnationis, ſed etiam cauſa.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod præſcientia eſt æterna notitia, qua Deus non ſolum nouit eos, qui ſunt ſaluandi, ſed etiam eos, qui non ſunt ſaluandi, reprobatio autem ad præſcientiam de non ſaluandis addit diſplicentiam circa eos, & excluſionem a ſalute.

Obiectio. Sed ſi qui dicuntur præſciti, dicuntur etiam reprobati, & econuerſò.

Reſpondetur, quod communi nomine reprobati dicuntur præſciti, non quod reprobatio nihil addat ſupra præſcientiam, ſed quia mali vt habent rationem culpæ, propter quam aliquis ordinatur ad pęnam ſimplici notitia cognoſcuntur a Deo. Ita Aegidius.

QVAESITVM XXIX.

An reprobatio diſtinguatur ab obduratione, & excæcatione?

q.25. m.5. a.1. Alex. reſp. quod reprobatio eſt æterna, & non ex meritis, obduratio autem temporalis, & ex meritis, & ideo non ſunt idem; excęcatio ſimiliter, eſt enim pęna, quæ contrahitur cum peccato, peccatum enim eſt in voluntate, excæcatio verò in ratione, quæ eſt comes voluntatis.

d.40. q.2. Durandus reſp. quod ſubtractio gratiæ eſt effectus reprobationis, hæc autem ſubtractio gratiæ dicitur excæcatio, & obduratio, excæcatio, quia gratia lumen eſt in anima, obduratio, quia gratia habilitat ad bonum.

d.41. a.3. Petrus Aur. reſp. quod excæcatio, & obduratio ponuntur reprobationis effectus, quia ad gratiæ ſubtractionem excæcatur intellectus, & obſtinatur affectus.

q.23. Ludouicus Mol. reſp. quod induratio, & excęcatio eſt denegatio nõ quorumcunque, ſed maiorum auxiliorum, cum quibus ſi ſuppeditarentur, peccator conuerteretur. a.2.

Et iterum. Obdurare non eſt aliud, quam poſt commiſſum peccatum, Deum non conferre auxilia peccanti, cum quibus pręuidet eum eſſe ſurrecturum. diſp. 9

Reſolutio.

Reſpondeo, quod obduratio, & excęcatio pertinent ad pręſentem iuſtitiã, eſt autem obduratio priuatio bonorum habituum voluntatis, excęcatio verò intellectus; vnde homo ſuę naturę corruptę derelictus, nec vult, nec ſcit bonum aliquid facere, quod placeat Deo in ordine ad ſalutem; reprobatio verò pertinet ad diuinum, & æternum propoſitum, cum ſit diſplicentia circa non ſaluandos.

Sed ſi dicit Gl. ſuper illud dictum Pauli Apoſt. Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat; quod induratio eſt nolle miſereri; nolle autem miſereri eſt reprobare. Obiectio.

Reſpondetur, quod reprobatio alia eſt ab æterno, & alia temporalis, quæ temporalis eſt, idem eſt, quod obduratio, ſed quæ ab eterno diſtinguitur ab ea, & ideo Gl. debet intelligi de reprobatione temporali, non æterna. Ita Alex.

QVÆSITVM XXX.

An obduratio, ſiue excæcatio culpa ſit, an pœna?

Alex. reſp quod obduratio accipitur dupliciter; vno modo, prout eſt affectio voluntatis, & ſic obduratio eſt voluntas reſiſtendi mandatis Dei, & perſiſtendi in ſuo peccato, & hoc modo obduratio eſt culpa ponens in numerum quantum ad ſpeciem peccati, vel genus cum peccato præcedenti, alio modo accipitur obduratio, prout eſt paſſio nociua libero arbitrio relicta peccato, quæ eſt corruptio bonorum naturalium, & hoc modo eſt affectio inuoluntaria, & pœna. q.29. m.5. a.1.

D. Thomas reſp. quod obduratio dicitur pœna, prout dicit defectum iam ordinatum, & permiſſum, & ſic reducitur in diuinam cauſalitatem, non ratione defectus, ſed ordinis, qui eſt a Deo. d.40. q.4. a.2.

D. Bonau. reſp. quod ſicut duritiem corporum ſequitur triplex proprietas, nam durum eſt, quod eſt inhabile ad ſuſcipiendum, ſtabile ad permanendum, & forte ad reſiſten- a.2. q.1.

ſtendum; ita per tranſlationem obdurari cor dicitur tripliciter, primò ex hoc, quod eſt inhabile ad impreſſionem gratiæ ſuſcipiendam; ſecundò, quod eſt in peccato ſtabilitū, tertiò, quod Deum, & eius mandata velit impugnare; primo modo obduratio eſt pœna conſequens culpam; ſecundo modo eſt diſpoſitio culpæ præcedentis; tertio eſt ſpeciale genus peccati, ſcilicet peccatum in Spiritum ſanctum. Item Ricardus.

q.3. Franc. a Chriſto reſp. quod malum culpæ ſumitur dupliciter; primò vt eſt actio peccaminoſa, rationi, & legi diuinæ contraria; ſecundò prout eſt paſſio eius, in quo eſt, qua paſſione ille afficitur moleſtia, & ſpoliatur multis bonis, & hoc modo obduratio habet rationem pœnæ.

Reſolutio.

RESpondeo, quod neque obduratio, neque excæcatio eſt contra legem Dei, & ideo culpa eſſe non poteſt, quia tamen inficit voluntatem, & mentem, & hoc non niſi per culpam, ideo eſt pœna.

Obiectio. Sed ſi obdurationem prohibet propheta dicens, Nolite obdurare corda veſtra? non prohibetur autem, niſi quod habet rationem culpæ.

Reſpondetur, quod hìc obdurare ſumitur pro eo, quod eſt repellere diuinas inſpirationes, & reſiſtere Spiritui ſancto, ac nolle audire verbum Dei; hoc autem, quia eſt in poteſtate noſtra prohibetur, & habet ratione culpę, non autem illud, quod eſt a Deo per negationem omnis auxilij.

QVÆSITVM XXXI.

An Deus ſit cauſa obdurationis, & excæcationis noſtræ?

q. 27. m. 4. ALex. reſp. quod excęcatio eſt a peccato, vt a cauſa ſimpliciter meritoria; a diabolo tanquā ſuggerente illud, vnde venit excęcatio; a Deo vt eſt pœna iuſta tanquam a iuſto puniēte, vel permittēte.

d. 42. a. 22. Albertus reſp quod ex eo, quod aliqui nolunt accipere gratiam eis ſemper paratā, ipſos Deus permittit obdurari, & ipſam obdurationem ordinat in multa bona ne omnino indecora ſit, eius tamen cauſa non eſt, nec per ſe, nec per accidens.

d. 40. a. 2. q 4. D Tho. reſp quod obduratio dicitur quādoq; actus voluntatis obſtinatæ in malū, cui pertinaciter adhęret & ſic Deus nō eſt cauſa, quia Deus nullius actus cauſa eſt, qui in ſe deformis ſit, ſed tantum homo; quandoq; verò dicitur obduratio ipſa priuatio gratiæ, quę etiam excęcatio dicitur, hæc autē carentia gratię ex duobus contingit, tum quia ipſe non vult recipere, tum quia Deus nō vult ſibi dare, & hoc ſecundum ſupponit primū, & ſic Deus eſt cauſa talis obdurationis ex ſuppoſitione, quia ſcilicet homo, vel nō vult recipere gratiam, vel non ſe præparat ad recipiendum, & ideo Deus culpat ipſum, & punit, quod ſi cauſa eſſet non culparet, nec puniret, quia nullus culpatur, & punitur de eo, cuius cauſa in ipſo non eſt.

D. Bonau. reſp. quod obduratio inquantum pœna eſt dicit animæ ineptitudinem, & ita dicit defectionem pœnalem, & quoniam omnis pœna inquantum talis eſt iuſta, & ordinata, ideo dicit defectum ordinatum, inquantum ergo defectus eſt non habet cauſam, niſi deficientem, quæ Deus non eſt, quia Deus non eſt cauſa deficiens, ſed liberum arbitrium, deſtitutum, inquantum verò ordinatum habet cauſam merentem, ſcilicet ipſam culpam, & cauſam ordinantem .ſ. ipſum Deum iuſtiſſimè retribuentem. a. 3. q. 2.

Ricardus reſp. quod obduratio ſecundum quod eſt pœna, quę eſt inhabilitas ad ſuſceptionem gratię prouenit a libero arbitrio vt a cauſa efficiente, a pecato vt a cauſa promerente, & a Deo tanquam cauſa ordinante. a. 3. q. 8.

Laurentius Opimus reſpondet, quod ſecundum quod obduratio eſt culpa, nullo modo Deus dicitur eſſe eius cauſa, ſed ſecundum quod eſt pœna, poteſt dici eius cauſa, non quidem impartiendo malitiam, ſed non apponendo gratiam. Non poſitiuè aliquid influendo (inquit Franc. a Chriſto) ſed negatiuè auxilia gratiæ ſubtrahendo. Item Zumel. Et quia permittit eos (inquit Trig.) longam in peccatis ſuis conſuetudinem trahere, per quam intellectus eorum contrahit quandam cæcitatem, & voluntas duritiem. q. 3. coll.

Reſolutio.

RESpondeo, quod cauſare obdurationem, & excęcationem eſt priuare voluntatē, & intellectum bonis habitibus ſuis conferentibus ad ſalutem, vnde his priuata voluntas obduratur, & intellectus excæcatur, & hoc aliquando facit Deus in vltionē peſſimorū ad exercitium iuſtitiæ, & potentię ſuæ.

Obiectio. Sed ſi Deus nūquā omninò deſerit hominē?

Reſpondetur, quod Deus non omninò deſerit hominem quo ad auxilia generalia, ſed quo ad ſpecialia eos deſerit, quos indignos ſuæ gratię nouit.

D. I-

DISTINCTIO QVADRAGESIMA PRIMA.

Si autem quærimus meritum obdurationis, & miſericordiæ, obdurationis meritum, &c.

QVÆSITVM I.

An ſit aliqua cauſa prædeſtinationis noſtræ?

c. 9. q. 2. GVilelmus Antiſiod. reſp. quod prædeſtinationis eſt aliqua cauſa, bonæ ſcilicet operationes, ſunt tamen cauſa finalis, quia Deus prædeſtinat ad bonas operationes, non meritoria, & hoc modo etiam dicitur, quod Deus dat gratiam propter opera, ideſt ad opera, non quod ſit aliquod meritum cauſa gratiæ.

q. 28. m. 3. ar. 1. & 3. Alex. reſp. quod in nomine prædeſtinationis plura intelliguntur, ſcilicet quod eſt principale ſignificatum, & gratia, & gloria, quæ ſunt connotata, quantum ergo ad principale ſignificatum, & primum connotatum, ſcilicet collationem gratiæ nulla eſt cauſa, ſeu ratio prædeſtinationis ex parte noſtra, ſed quantum ad collationem gloriæ, quia ex meritis confertur; ex parte autem Dei licet nulla ſit cauſa prædeſtinationis, præſcientia tamen quod iſte ſit bene vſurus ſua gratia eſt ratio collationis gratiæ, de ratione enim æquitatis eſt, vt Deus illi det gratiam, quem ſcit ea eſſe bene vſurum.

d. 41. ar. 2. Albertus reſp. quod prædeſtinatio ex parte eius, quod eſt æternum, nec cauſam habet, nec rationem, ex parte autem effectus, in quo determinabilis eſt prædeſtinatio rationem quidem habet meriti, ſed non cauſam.

p. p. q. 22. ar. 5. D. Thomas reſp. quod prædeſtinationis noſtræ eſſe aliquam cauſam poteſt cõſiderari dupliciter vel ex parte actus prædeſtinãtis, & ſic nulla eſt quæſtio, vel ex parte effectus ipſius prædeſtinationis, & ſic poteſt huiuſmodi effectus conſiderari dupliciter, vel in particulari, vel in cõmuni, ſi in particulari ſic aliquis effectuspoteſt eſſe cauſa, & ratio alterius in diuerſo tamen genere cauſæ, nam gloria poteſt eſſe cauſa finalis gratiæ, & gratia cauſa meritoria gloriæ; ſi verò conſideratur effectus prædeſtinationis in communi, ſic totus pendet a diuina voluntate, cum totum quod hominem ordinat ad ſalutem fiat diuino auxilio.

d. 41. ar. 2. q. 1. D. Bonau. reſp. quod in prædeſtinatione tria intelliguntur, propoſitum æternum, temporalis gratificatio, & æterna glorificatio; quantum ad primum, prædeſtinatio non cadit ſub merito, quia propoſitum æternum eo ipſo, quo æternum eſt, meritum habere non poteſt; quantum ad ſecundum cadit ſub merito congrui, quantum ad ipſum prædeſtinatum gratificandum, ſub merito digni quantum ad alium virum ſanctum, ſub merito condigni quantum ad neutrum; quantum vero ad tertium ſimpliciter cadit ſub merito, & ſic prædeſtinatio quantum ad principale ſignificatum ſimpliciter loquẽdo non cadit ſub merito, quantum ad connotatum cadit ſub merito ſecundum quid. Et q. 2. reſp. quod prędeſtinationis noſtræ nulla eſt cauſa meritoria, ſed congruentiæ, & decentiæ, tam in generali quam in ſpeciali, in generali manifeſta eſt, & certa, quæ eſt oſtenſio diuinæ miſericordiæ, & iuſtitiæ, in ſpeciali vero à parte rei nobis occulta, & incerta.

Ægidius reſp. quod in prædeſtinatione duo conſiderantur diuinum velle, & diuinum volitum, ex parte ipſius velle nullam poſſumus aſſignare cauſam prædeſtinationis, quia cum diuinum velle ſit ſuum eſſe, ſi aliquid eſſet cauſa, quare Deus aliquid vellet, aliquid eſſet cauſa, quare Deus eſſet, quod eſt impoſſibile; ex parte vero voliti poſſumus aſſignare aliquam cauſam, & in ſua partialitate, & in ſua totalitate; in ſua partialitate, quia gloria eſt cauſa gratiæ in genere finis, & gratia gloriæ in genere meriti; in ſua totalitate poſſumus etiam aſſignare aliquam cauſam, non quidem in particulari, vt quod magis hũc prædeſtinet, quam alium, quia hoc tantum admirationem habet, non rationem, cum ſit ex mera ſua voluntate, ſed bene in vniuerſali, quod enim aliquos prædeſtinet, & aliquos nõ, prima ratio eſt, quia cum ſit cauſa vniuerſalis debet attendere ad perfectionem, & decorem vniuerſi, qui in inæqualitate conſiſtit, ſecunda eſt, quia cum in eo ſit ſuperexcedẽtia virtutis, multis modis debet manifeſtare hãc virtutem ſuam, ſecundum plures, & inęquales effectus, tertia eſt, quia cum iuſtus ſit, & miſericors, ad oſtendendum miſericordiam, & iuſtitiam ſuam, alios ſaluare debet, & alios damnare. pr. 1. q. 2. ar. 1.

Henricus reſp. quod prædeſtinatio eſt reſpectu cuiuſlibet gratiæ adipiſcendæ in præſenti, & etiam reſpectu primæ, ſed quoniam prima gratia nullum habet meritum, quia ex ſola miſericordia datur, nec prędeſtinatio propter talem reſpectum eius habet cauſam meritoriam de digno, propter quam fiat, ſed bene congruentiæ, & ſine qua non, eſt enim congruum, vt ſi Deus moueat duos motu eiuſdem gratiæ præuenientis ad gratiam, & altero contradicente, vnus non contradicat, Q. 4. q. 19.

non contradicenti prouideat de adiutorio gratię gratum facientis, vt inde poſſit mereri ſecundum gratiam. ſiue eius augmentum in præſenti, & eius conſumationem in futuro, ſecunda enim gratia datur ex iuſtitia, & ideo reſpectu huius ſecundæ gratiæ, prædeſtinatio cauſam meritoriam habet.

ar. 1. q. 1. Ricardus reſp. quod ſi conſideremus effectum prædeſtinationis in particulari præſcientia vnius effectus bene eſt ratio, quare Deus præordinauit ſe daturum ſaluando alium effectum, vt quia ſe præſciuit aliquibus daturum gloriam, ordinauit ſe daturum gratiam; ſi autem conſideremus effectum prædeſtinationis totaliter ſcilicet accipiendo omnes effectus prædeſtinationis coniunctim, ſic præſcientia meritorum non eſt ratio.

d. 41. q. 10. Ioannes Scotus reſp. quod prędeſtinationis nulla eſt ratio etiam ex parte prædeſtinati aliquo modo prior ipſa prædeſtinatione, & hoc probat ſic. Volens ordinatè finem, & ea, quæ ſunt ad finem, prius vult finem, quam aliquid ex his, quæ ſunt ad finem cum alia velit propter finem; ergo cum in toto proceſſu, quo creatura beatificabilis producitur ad perfectum finem, finis vltimus ſit beatitudo perfecta, Deus volens huic aliquid iſtius ordinis primò vult finem, & quaſi poſterius alia, quæ ſunt ad finem; ſed gratia, fides, merita, & huiuſmodi ad iſtum finem ſunt ordinata; ergo primò Deus vult beatitudinem creaturæ, quam aliquid ex his; ergo propter nullum iſtorum præuiſum vult ei beatitudinem, in quo conſiſtit prædeſtinatio. Item Ioann. de Baſſolis, & Andreas de Nouocaſtro.

d. 40. ar. 3. Herueus reſp. quod in generali poteſt reddi cauſa, quare aliqui prædeſtinentur ſcilicet perfectio vniuerſi, & diuinæ bonitatis manifeſtatio, ſed in ſpeciali, quare ſcilicet magis hic quam ille, non poteſt alia reddi niſi voluntas prædeſtinantis. Item Durandus, & Gerardus.

d. 41. ar. 1. Petrus Aureol. reſp. quod pro primo inſtanti quo homines offeruntur diuino conſpectui, aliqui offeruntur cum obice gratię, per quem redduntur indigni, aliqui verò licet non cum aliqua dignitate poſitiua, offeruntur tamen ſine obice, & indignitate, & tunc concluditur pro iſtis finalis gratia, & gloria, quod eſt prædeſtinari, & ſic prædeſtinationis eſt aliqua cauſa, non quidem poſitiua, ſed negatiua, ſcilicet negatio impedimenti, ſiue non reſiſtentia.

q. 4. Franciſcus Maro reſp. quod nulla cauſa eſt in nobis prædeſtinationis noſtræ, tum quia eſt merè ex gratia diuina, & actus ſummè liberalis, tum etiam quia ſi haberet cauſam, tunc Deus non poſſet prædeſtinare ſine iniuſtitia.

Guilelmus Occham reſp. quod aliqui ſunt qui ſunt ordinati ad vitam æternam propter ſua merita, aliqui verò ex gratia ſpeciali, ita quod ſibi ipſis non ſunt derelicti, ſicut alij, ſed præueniuntur, ne poſſint ponere obicem, ac proinde perdere vitam æternam; prædeſtinatio ergo eorum, qui ſunt ordinati ad vitam æternam propter ſua merita habet cauſam, & rationem, prædeſtinantur enim, quia pręuidentur finaliter perſeuerare in charitate, & quod Deus non conferret eis vitam æternam, niſi eam prius mererentur, prædeſtinatio autem eorum, qui ſunt ordinati ad vitam æternã ex gratia ſpeciali, non habet cauſam, & rationem, niſi diuinam voluntatem, quæ etiam cauſa eſt, quare aliqui ſint prædeſtinati propter rationem, aliqui verò ſine ratione. q. vn.

Gregorius reſp. quod prædeſtinatio nullam habet cauſam præter ſolam miſericordiam, & gratuitam Dei voluntatem; vnde Apoſtolus ſcribens ad Epheſios, inquit. Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ. Item Petrus Aliac. & Marſilius. Quemcunque prædeſtinauit gratis ſolum, & miſerabiliter prædeſtinauit, inquit Alphonſus. Nullam habet cauſam efficientem, ſiuè meritoriam, ſiuè motiuam, ſed tantum finalem. Michael de Palatio. ar. 2.

Guilelmus Rub. reſp. quod prædeſtinationis abſolutè & ſecundum ſe ſumptæ nulla eſt, nec eſſe poteſt cauſa, quia ſic indiſtincta eſt à Deo, Dei autem, neque volitionis eius eſt aliqua cauſa; ſumptæ autem obiectiuè accipiendo cauſam propriè pro re aliqua diſtincta ab eo, cuius eſt cauſa, nec ſimiliter poteſt eſſe eius aliqua cauſa, quia prædeſtinatio eſt æterna tam quiditatiuè, quam obiectiuè, nihil autem à prædeſtinatione diſtinctum eſt æternum; ſed ſumptæ obiectiuè accipiendo cauſam largè prout importat aliquam prioritatem vnius propoſitionis ad aliam, ſic prædeſtinationis eſt aliqua cauſa, nam Deus ordinauit omnem electum ab æterno ad præmium propter aliquod præuiſum ordinans, & diſponens ad ipſum præmium conſequendum, quod eſt meritum, quod alijs eſt quidem proprium, alijs verò alienum, quare autem ordinauerit magis hunc ad meritum, propter quod conferret præmium, quam alium, hoc eſt ex ſola diuina voluntate. q. 1.

Ioannes Bacconus reſp. quod prædeſtinatio eſt effectus præſcientiæ, quos enim (inquit) Apoſtolus Deus præſciuit, hos & prædeſtinauit; ar. 2.

nauit; preſcientia ergo boni vſus liberi arbitrij eſt cauſa prædeſtinationis, ex congruo tamen, non ex condigno, & non quatenus talis vſus eſt bonus bonitate ſupernaturali, quia ſic eſt effectus prædeſtinationis, non cauſa, ſed quatenus eſt bonus bonitate moris.

2. Sēt. q. 1. Robertus Olchot reſp. quod nulla cauſa eſt in nobis, quare Deus nos prædeſtinauerit ad vitam æternam, vnde ſicut iſta conſequentia eſt bona, Terra directè interponitur inter Solem, & Lunam, ergo eſt Ecclipſis, & non econuerſo; ita & iſta eſt bona, Deus præordinauit Petrum ad vitam æternam, igitur Petrus fuit crediturus in eum, & finaliter dilecturus, non tamen econuerſò, quia fuit crediturus, & finaliter dilecturus, igitur ipſum prædeſtinauit.

d. 41. q. vn. Gabriel Biel reſp. quod aliqui prædeſtinantur, quia præuidentur finaliter perſeueraturi, & horum prædeſtinatio cauſam habet, ſiuè rationem, ſumendo cauſam, vt dicit prioritatem vnius propoſitionis ad aliam ſecundum conſequentiam, aliqui vero ex gratia ſpeciali præueniuntur, vt Beata Virgo, & Paulus Apoſtolus, & horum prædeſtinatio nullam habet cauſam, gratia enim in eis præuenit vſum liberi arbitrij.

q. vn. Paulus Scriptor reſp. quod diuina volitio, quæ eſt principaliter prædeſtinatio nullam habet cauſam; capiendo tamen prædeſtinationem pro effectu prædeſtinationis, diſtinguendum eſt, nam triplex eſt effectus eius, primus gloria, ſecundus gratia, tertius alia bona, tertius multas cauſas habet in homine, ſecundus non habet cauſam effectiuè in homine, quia ſolus Deus creat gratiam; primus verò habet cauſam meritoriam in homine, quia per charitatem meretur vitam æternam.

q. 23. ar. 4. diſp. 1 Ludouicus Mol. reſp. quod Deus ante actum liberum ſuæ voluntatis cognouit, quid in vno quoque ordine rerum per arbitrium creatum eſſet futurum ex hypotheſi, quod hos homines, aut angelos in hoc, vel illo ordine rerum collocare ſtatuerit, quod cogniturus erat contrarium, ſi contrarium pro libertate arbitrij eſſet futurum, & hunc potius ordinem rerum, quam alium voluit creare, & in eo potius voluit auxilia conferre, cum quibus prouidebat eſſe peruẽturos in vitam ęternam, & ſic prædeſtinatio nullam habet cauſam, niſi ſolam Dei voluntatem; quod autem Deus voluerit hunc ordinem, & conferre talia auxilia, ex hoc fuit, quod vnus potius vſus, quam alius pro libertate arbitrij eſſet futurus, & ſic prædeſtinationis cauſa eſt vſus liberi arbitrij præuiſus.

Gregorius de Val. reſp. quod quamuis nulla ſit operatio in prædeſtinato, quæ ſit ratio, aut cauſa meritoria ſuæ prædeſtinationis, vt relatæ ad omnes ſuos effectus, nihilominus Deus neminem adultum ordinario modo prędeſtinat, niſi cum reſpectu quodam diuinæ ſuæ prȩſcientię ad cooperationem perſeuerãtem ipſius prædeſtinati, vt eſt ex gratię auxilio, & ex libero arbitrio tanquam ad vnum quendam effectum, & medium prædeſtinationis, cum quo reliqui omnes prædeſtinationis effectus ſunt connexi, ita quidem, vt quamuis verum non ſit Deum ideo prædeſtinare aliquos, quia præſcit ab æterno eos diuinæ gratiæ cum finali perſeuerãtia cooperaturos, quaſi hæc cooperatio ſit totius prædeſtinationis ratio, ſeu conditio, ſeu cauſa; veriſſimum tamen ſit eos adultos omnes, & ſolos ordinariè prædeſtinare, quos ab æterno præſcit diuinæ gratiæ cooperaturos cum perſeuerantia finali; Et hæc (inquit) aſſertio eſt D. Aug. & Thomæ. diſp. 1 p. 4.

Franciſcus Suarez reſp. quod ex parte prædeſtinati nulla datur cauſa, vel ratio ſuæ prædeſtinationis, non ſolum vt decretum prædiffinitiuum voluntatis diuinæ terminatur ad primam vocationem congruam, ſed nec etiam vt terminatur ad gratiam & gloriam, & quęcunque alium effectum prædeſtinationis (intelligendo hoc quo ad præparationem ex parte ipſius diuinæ voluntatis, non quo ad executionem) & ratio eſt, quia dilectio ad gloriam antecedit ad omnia media prędeſtinationis, tanquam efficax intentio finis, intentio enim finis debet præcedere media ad finem; ex quo ſequitur prædeſtinationem ad gloriam non habere cauſam ex parte prædeſtinati, cum nulla præſcientia abſoluta meritorum illam antecedat, & quia ex vi huius intentionis præparantur omnia media congrua, igitur prædeſtinatio illorum antecedit eorum abſolutam præſcientiam. de tr. tr. 2. l. 2. c. 8.

Gabriel Vaſqu. reſp. quod ad electionem ad gloriam vtique poteſt aſſignari cauſa, quare Deus hunc, & illum elegerit, ſcilicet præuiſa merita gratiæ; ſed ad prædeſtinationem ad gratiam nulla ratio aſſignari poteſt, nulla occaſio, nullum meritum, quamuis minimum, ex parte ipſius prædeſtinati, & hoc deducit tanquam à priori ex indifferentia, qua homo rationalis naturæ eſt indifferens ad bonum, & malum, & ex natura gratiæ, quæ non ex operibus, ſed ſola diuina liberalitate confertur tanquam à poſteriori. diſp. 89. 9.

Reſolutio.

RESpondeo quod Deus ab æterno præuidit omnes, & ſingulas creaturas rationales, quas ipſe in tempore eſſet creaturus, & in aliquibus earum ſibi complacuit, & in aliquibus non, in aliquibus verò ſibi complacuit, quia præuidit in eis quoddam pulchrum, ſeù decorum, quod eſt obiectum complacentiæ, & has creaturas in quibus ſibi complacuit elegit, & eligendo prædeſtinauit; cauſa ergo prædeſtinationis noſtræ præuiſio fuit illius pulchri, ſeù decori, quod erat in nobis creaturus, per quod inde deſtinaret nos ad gratiam, & gloriam, dignosq. tandem efficeret ſuo æterno conſortio.

Obiectio. Sed ſi Deus ex mera liberalitate prædeſtinat? Reſpondetur, quod hoc pulchrum, & decorum, ex cuius præuiſione ſequitur prædeſtinatio non habet rationem cauſæ, neque meriti, ſed tantum complacentiæ, quæ diuinæ liberalitati vllo modo, neque in eligendo, neque in prædeſtinando repugnat; Deus enim illas creaturas, in quibus ab æterno ſibi complacuit liberè elegit, ac prædeſtinauit.

QVÆSITVM II.

An ſit aliqua cauſa reprobationis noſtræ?

c. 9. q. 2. GVilelmus Antiſiod. reſp. quod in reprobatione tria ſunt, Deus reprobans, non appoſitio gratiæ, & damnatio æterna. vnde D. Aug diffiniens reprobationem dicit, Reprobare eſt nolle miſereri; nolle autem miſereri eſt non apponere gratiam in præſenti, & damnare in futuro; Deus itaq. eſt cauſa non appoſitionis gratiæ, quodam modo ſcilicet per modum quieſcendi, non per modum agendi, ſicut natura dicitur principium quietis per modum ceſſandi à motu.

q. 28. m. 3. ar. 1. Alex. reſp. quod in nomine reprobationis plura intelliguntur, præſcientia ſcilicet, quod eſt principale ſignificatum, præſens iniquitas, & pœna futura, quæ ſunt connotata; quantum ergo ad principale ſignificatum nulla eſt cauſa reprobationis, ſed quantum ad connotata poteſt eſſe ratio, licet non cauſa, & hæc eſt diuina iuſtitia.

d. 41. ar. 1. q. 1. D. Bonau. reſp. quod tria intelliguntur in reprobatione, æternum odium, temporalis obduratio, & æterna damnatio, quantum ad primum, quod eſt principale ſignificatum non cadit ſub demerito tanquam ſub cauſa, quia cum æternum ſit, demeritum habere non poteſt, quoad ſecundum tamen, quod eſt connotatum, & ſimiliter tertium ſub demerito tanquam ſub cauſa cadit ſimpliciter. Item Ricardus.

Ioannes Scotus reſp. quod reprobationis eſt aliqua cauſa, non quidem propter quam Deus effectiuè reprobat, inquantum eſt actio à Deo, quia tunc Deus eſſet paſſiuus; ſed propter quam iſta actio ſic terminatur ad iſtud obiectum, & ad aliud, & hæc cauſa eſt finale peccatum, quod probat. Damnatio non videtur bona: niſi quia iuſta, non enim (inquit D. Aug.) prius Deus eſt vltor, quam aliquis peccator, ergo Deus non vult prius aliquem punire, quam videat ipſum eſſe peccatorem; ergo ſi vult damnare verbi gracia Iudam, non damnat eum, prout videt eum in puris naturalibus, quia ſic non eſt peccator; ergo ſi dãnat, damnat propter finale peccatum, velle autem damnare eſt reprobare; ergo reprobationis noſtræ cauſa eſt peccatum finale præuiſum. Item Paulus Scriptor, & Ant. Andr. q. vn.

Herueus reſp. quod cauſam reprobationis contingit dupliciter aſſignare; vno modo ex parte actus diuini, & quantum ad hoc non habet cauſam; alio modo ex parte effectus, & ſic poteſt reddi cauſa reprobationis, ideſt effectus, qui fit in reprobatione; eſt autem duplex effectus, firma adhæſio ad malum, & carentia gratiæ, cauſa primi eſt voluntas noſtra, cauſa autem ſecundi non ſolum eſt voluntas noſtra, quia nos ipſos reddimus indignos ipſa gratia, ſed etiam Deus, qui non vult ipſam nobis conferre, & hoc eſt obdurare, non immittendo ſcilicet malitiam, ſed non impartiendo gratiam. ar. 3.

Petrus Aureol. reſp. quod pro primo inſtanti, quo homines offeruntur cum obice gratiæ, quamuis omnes creet, vt ſaluentur, per quem redduntur indigni ſalute, vnde præſcientia reperit in eis reſiſtentiam gratiæ, vel habitualem, vt in paruulis, in quibus eſt originale peccatum, vel actualem, vt malum vſum liberi arbitrij in adultis, & ſic concluditur pro iſtis ſubtractio gratiæ, & finalis damnatio; reprobationis ergo eſt aliqua cauſa ſcilicet affirmatiua, vt dictum eſt, & hæc eſt cauſa demerens; & ſi dicatur quod in paruulis non eſt obex, ſubiungit quod per obicem intelligendum eſt omne impedimentum, ſiuè naturale, ſiuè voluntarium, ſiuè proprium, ſiuè alterius. ar. 1.

Franc. Maro reſp. quod licet prædeſtinatio nullam cauſam habeat, habet tamen cauſam reprobatio, ſcilicet demerita; tum quia Deus eſt pronior ad miſerendum, quam ad puniendum; q. 4.

dum; tum etiam, quia nullus iuſtus aliquem ſine ratione condemnat; tum tertiò quia pœna ſequitur culpam. Item Varrill.

q. vn. Guilelmus Occham reſp. quod accipiendo cauſam pro naturali conſequentia eſt dare aliquam cauſam reprobationis, nam iſta cauſalis eſt vera; iſte peccabit finaliter, idcirco damnabitur; & eſt (inquit) ſufficiens ratio Scoti. Item Gabriel.

ar. 1. Thomas ab Arg. reſp. quod cum Deus ſit iudex iuſtus nullum deputat ad æternam pœnam ſine cauſa, cauſa autem ex parte reprobatorum, quantum ad eos, qui iam adulti ab hoc ſeculo decedunt dici poteſt malus vſus liberi arbitrij, vſque in finem vitæ in ipſis duraturus ab æterno à Deo præſcitus, quantum autem ad eos, qui paruuli ſine baptiſmate decedunt, dici poteſt ineptitudo, ſeu inhabilitas ad recipiendum influxum gratiæ diuinæ ab æterno à Deo præcognita, quæ ipſis prouenit, vel ex cauſa naturali, vt quia ex naturali ſua complexione tam citò moriuntur, quod baptizari non poſſunt, vel ex cauſa voluntaria voluntate tamen aliena, vt quia naſcuntur, vel nutriuntur ab infidelibus, qui nolunt eos baptizare, & ideo iſtis, quia ſine propria culpa decedunt debetur tantum pœna damni, illis verò etiam pœna ſenſus.

q. vn. ar. 1. Gerardus reſp. concedendo, quod reprobatio habeat cauſam meritoriam, quia vt dicit D. Aug. Non prius Deus eſt vltor, quam aliquis peccator.

q. 2. Guilelmus Rub. reſp. quod reprobationis cauſa eſt demeritum aliquod præuiſum, & ratio eſt, quia reprobi propter illud ſunt præordinati ad damnationem propter quod poſt factum ſunt damnati; ſed propter peccatum ſiuè proprium, ſiuè alienum ſunt damnati, igitur propter idem ſunt reprobati.

q. 1. a. 1. Ioannes Bacconus reſp. quod reprobationis cauſa ex congruo, licet non ex condigno eſt malus vſus liberi arbitrij, ſiuè mala voluntas præuiſa.

2. ſct. q. 1. Robertus Olchot reſp. quod licet Deus non prædeſtinauerit Petrum, quia eſſet in eum crediturus, tamen reprobauit Iudam, quia eſſet in eum peccaturus, vnde licet non ſit cauſa in nobis prædeſtinationis noſtræ, eſt tamen cauſa reprobationis, quia enim Iudas erat peccaturus, ideò Deus illum reprobauit.

d. 41. q. vn. ar. 4. Ioannes de Baſſol. reſp. quod propriè accipiendo reprobationem pro eo, quod eſt nolle alicui gloriam nullam habet cauſam, præter ipſam diuinam voluntatem, ſicut prædeſtinatio; accipiendo verò impropriè pro eo, quod eſt infligere pœnam, & damnare habet cauſam, quæ eſt finale peccatum.

Iacobinus Maleſoſſius reſp. quod hic non quæritur cauſa reprobationis pro ſubſtrato, quia ſic nihil eſt, niſi Deus, ſed quæritur pro formali, & hæc cauſa eſt à parte creaturæ, quæ potius debet dici occaſio, quam cauſa, ſi ergo reprobatio accipitur, vt ſit in primo & ſecundo ſigno ſic nulla eius eſt cauſa, ſi verò in quarto eius datur occaſio ex parte creaturæ. q. vn.

Ioannes Maior reſp. quod reprobatio aliquando largè ſumitur, & ſic dicit ſimpliciter negationem ad gloriam, & hæc nullam cauſam habet, nec in re, nec in Dei præſcientia, aliquando verò propriè, & ſic eſt ordinatio alicuius ad pœnam, quæ non eſt à Deo volita niſi propter culpam, & ſic ſumendo reprobationem hæc eſt concluſio probabilis, quod Deus neminem reprobat, niſi ob peccata præuiſa; primò, quia Deus non eſt prius vltor, quam aliquis peccator; ſecundò, quia Deus eſt paratus, vt agens vniuerſale dare gratiam, & gloriam niſi inueniat impedimentum; tertiò, quia ſic maximè decet ſuam iuſtitiam. q. 1.

Ioannes Viger. reſp. quod reprobatio eſt duplex poſitiua, & negatiua, poſitiua eſt quando Deus in quarto ſigno vult Iudæ damnationem, negatiua eſt quando in primo, & ſecundo ſigno non vult gloriam, neque gratiam. q. vn.

Michael de Pal. reſp. quod reprobatio negatiuè ſumpta, quæ eſt non præordinatio ad cæleſtē vitam non eſt ex præuiſis culpis, Deus enim ſe gerens negatiuè erga quaſdam creaturas rationales non præordinando in beatitudinem, vt reprobat eas, non eſt ibi opus præuidentia culparum; reprobatio verò affirmatiuè eſt ex præuiſa finali impenitentia, nam talis reprobatio eſt præordinatio ad ſupplicia æterna, & ſicut Deus neminem punit, niſi ex culpa, ita neminem inſtituit torquendum niſi ex culpa præuiſa. Item Trigoſius. diſp. vn.

Franc. à Chriſto reſp. quod nulla eſt cauſa reprobationis noſtræ, & hoc probat multipliciter; primò, quia nemo debet odio haberi, neque puniri, & adiudicari morti propter peccatum, quod nondum commiſit, quodve vitare poteſt; ſecundò, quia quod ſola voluntas ſit cauſa reprobationis nullus rationabiliter propter hoc poteſt conqueri de diuina iuſtitia, & miſericordia, ſicut neque vas (vt dicit Apoſtolus) factum ex eadem maſſa in contumeliam, ex qua aliud factum eſt in honorem poteſt conqueri de figulo; tertiò, quia neque Tyrij, & Sidonij fuerunt reprobati, quod fuerint præuiſi infideles futuri, dicit enim Saluator noſter, quod ſi illis prædicatum fuiſ- q. 2.

fuiſſet, crediđiſſent, & pęnitentiam egiſſent; quartò, quia cum non ſit minor diſtantia non eſſendi ab eſſe, quam miſerè eſſendi ab eſſe beatè, ita ſicut ſola voluntas diuina eſt cauſa quod aliqui ſint, & aliqui non ſint, qui poſſint eſſe, cauſa etiam ſola eſt & ſufficiens, quod aliqui miſerè ſint, & aliqui beatè.

§. 15. Guilelmus Eſtius reſp. quod loquendo de reprobatione abſolutè ſumpta, & ſine comparatione, ſi ſolam ſpectet æternam damnationem, cauſa eius ſunt peccata præuiſa, & ſimiliter ſi ſpectet deſertionem, excecationem, & huiuſmodi, quia præcedentibus peccatis hanc pœnam meruit; ſi verò accipiatur ſecundum totam latitudinem ſuorum effectuum, inter quos eſt permiſſio peccati, ſic nullum eſt in reprobato meritum ſuæ reprobationis, ſi enim permiſſio peccati ſub reprobatione continetur, cum non poſſit idem peccatum eſſe illius permiſſionis cauſa, conſequens eſt, nec totius cauſam dici poſſe.

diſp 3 ar. 4. & 5. Ludou. Mol. reſp. quod reprobationis datur cauſa meritoria ex parte reprobi, videlicet lethalis culpa, in qua præuidetur è vita diſceſſurus, ſiuè ea ſit originalis tantum, ſiuè actualis, ſiuè vtraq. ſimul. Et non modo quoad vltimum reprobationis (inquit Valentia) qui eſt æterna punitio, ſed etiam quoad primum illum effectū, qui eſt permiſſio peccandi.

tr. 2. l. 5. Franciſcus Suarez reſp. quod ex parte reprobi nulla datur cauſa reprobationis negatiuæ, nec ratio voluntatis Dei de non eligenda tali perſona efficaciter ad gloriā, datur tamen cauſa reprobationis poſitiuæ, quia pœnam non pręparat niſi per iuſtam cōdemnationem, & in hac præparatione conſumatur reprobatio poſitiua, & ſicut datur cauſa condemnationis, ita & reprobationis.

diſp. 95. Gabriel Vaſq. reſp. quod loquendo de reprobatione tàm in adultis, quam in paruulis quoad ipſum actum, qui eſt negatio gratiæ primæ, non datur aliqua cauſa ex parte reprobatorum, ſed quo ad excluſionem à regno, in adultis ſunt peccata, in quibus vitam finiunt; in paruulis autem præuiſum peccatum primi parentis pro primo ſigno, pro ſecundo permiſsio cadendi in peccatum originale, pro tertio excluſio, ſiuè decretum excludendi à beatitudine.

cōt. 3. Petrus Paulus Nazar. reſp. quod ſi eſſet aliqua cauſa reprobationis eſſet maximè peccatum originale, vel actuale, ſed hoc eſſe non poteſt, quia quodlibet peccatum præcedit neceſſariò permiſsio diuina, quare cum nulla culpa poſsit eſſe cauſa permiſsionis, neque etiam poteſt eſſe cauſa reprobationis.

Reſolutio.

RESpondeo, quod Deus illas rationales creaturas reprobauit, quas non ab æterno elegit, eas autem non ab æterno elegit, in quibus non ſibi complacuit, in illis autem non ſibi complacuit, in quibus non præuidit illud pulchrum, ſiuè decorum, quod præuidit in his, in quibus ſibi complacuit, eſt enim vt dictum eſt ratio complacentiæ pulchrum; cauſa ergo reprobationis noſtræ fuit, quia Deus non præuidit nos cum ſufficiente pulchritudine, per quam eſſemus applicabiles ad gratiam, & gloriam, vndè ex eius defectu contraxit quandam diſplicentiam circa eā, in qua conſiſtit reprobatio; ſe habet enim Deus vt dicit Apoſtolus ad modum figuli, qui poſtquam multa vaſa ex eadem maſſa condidit, quæ pulchra ſibi apparent ad honoratos vſus deſtinat, quæ verò deformia ad contumelioſos.

Sed ſi Deus præuidit ſe omnia eſſe creaturum in numero, pondere, & menſura, modo ſpecie, & ordine, ac proinde in aliqua bonitate, ac conſequenter beatitudine? ex quo non eſſet conueniens contrahere circa hanc, & illam creaturam aliquam diſplicentiam, neque inde ſumere cauſam reprobandi eam. Obiectio.

Reſpondetur, quod Deus omnia creauit in aliqua bonitate, & pulchritudine communi, in particulari autem ad electionem, & approbationem ſufficientem non item, & ideò ex huiuſmodi differentia factum eſt, vt aliquas creaturas elegerit, & approbauerit, aliquas verò, in quibus non præuiderit hanc pulchritudinem, reprobauerit.

DISTINCTIO QVADRAGESIMA SECVNDA.

Nunc de potentia Dei agendum eſt, vbi prima conſideratio occurrit, &c.

QVÆSITVM I.

An in Deo ſit potentia reſpectu aliorum à ſe?

ALex. reſp. quod in Deo non eſt potentia ſicut in creaturis, ſecundum imperfectionem, materia indigens, & obiecto, ſed eſt potentia in eo ſecundum perfectionem, & plenitudinem, quæ eſt cauſa tota ſui effectus, hæc enim eſt perfectior illa, quæ materia indiget, & obiecto. q. 20. m. 1. & 3.

D. Thomas reſp. quod in hoc conſiſtit ratio poten- d. 42.

q. 1. ar. 1. potentiæ poſſe agere, & non poſſe pati, & quoniam Deus omnia agit, quod conuenit ſibi inquantum eſt actus primus, & perfectus, nihil enim agit niſi ſecundum quod eſt actu ens, & nihil patitur in quantum eſt actus purus, ideò conuenit ei perfecta ratio potentiæ.

pr. 1. q. 1. Ægidius reſp. quod potētia reſpicit actum, cum autem Deus ſit maximè in actu, immò ſit ipſe actus, cum ſit ipſum eſſe, ſequitur etiam quod ſit potentia in eo; Hoc autem probat quaſi à priori quadrupliciter, primò, ex eius vnitate, nam quāto aliquid eſt magis vnū, tanto eſt magis potens, loquendo de potētia actiua, omnis enim virtus vnita plus eſt potēs, quā virtus multiplicata, vt ait Auctor de cauſ. Prop. 18. cum itaque Deus ſit ſummè vnus, ideò potiſsimè eſt in eo potentia; ſecundò, ex eius immobilitate, nam quanto aliquid magis mouet motum, tanto magis mouet inſtrumentaliter, & eſt minus potens; cum ergo Deus ſit immobilis, quia nec per ſe mouetur, ſicut corpora, nec per accidens, ſicut virtutes in corpore, nec ab intra, ſicut intelligentię, ſequitur etiam quod ſit ſummè potens, & conſequenter quod ſit in eo potentia; tertiò, ex eius vniuerſalitate, nam quanto in aliquo congregantur plures rationes factiuę, tanto illud eſt potentius, per hoc enim dicimus Solem potentiorem cæteris inferioribus, quia eius virtute omnia hęc inferiora agunt; cum itaq. in Deo ſint omnes rationes factiuę rerum, quia (vt dicit Auer.) omnes formę, quę ſunt potentia in prima materia, ſunt actu in primo motore, & ſunt in eo quaſi in artifice, ſequitur quod ſit maximè potentia in eo; quartò, ex eius formalitate, nam quanto aliquid eſt formalius, tanto in eo maximè eſt actiua potentia, per hoc enim dicimus ignem actiuiorem cæteris elementis, quia cęteris eſt formalior; & quoniam Deus eſt ſummè formalis, quia ſummè in actu, ideò maximè potens.

q. 1. Ricardus reſp. quod in Deo non eſt potentia paſsiua reſpectu aliorum à ſe, quia talis potentia eſt principium tranſmutandi ab alio, Deus autem tranſmutari à nullo poteſt, quia nihil tranſmutatur, niſi quod poſsibile eſt, Deo autem nulla ineſt poſsibilitas, & ideò nec potentia paſsiua, ſed bene actiua, quia talis potentia eſt principium tranſmutandi aliud, Deus autem poteſt alia tranſmutare, & ideò potentia eſt in eo.

q. 1. Durandus reſp. quod cum duplex ſit potentia actiua ſcilicet, & paſsiua, in Deo non eſt potentia paſsiua reſpectu aliorum à ſe, ſed actiua; quod non ſit potentia paſsiua probat, quia potentia paſsiua importat imperfectionem, & diminutionem in actualitate, & entitate, ordinatur enim ad recipiendum aliquid in ſe, & non influendum aliquid alteri, cum ſit principium tranſmutandi ab alio ſecūdum quod illud; quod autem importat imperfectionem, & diminutionem in actualitate, & entitate non eſt in Deo; quod autem ſit in eo potentia actiua probat dupliciter; primò, quia potentia actiua importat perfectionem ſimpliciter in actualitate, & entitate, quod autem talem perfectionem importat eſt in Deo; ſecundò, quia Deus agit nihil omninò patiens, quod autem agit ſic, habet puriſſimè potentiam actiuam; quod enim agit actum, cum potentia actiua, per quam agit, habet potentiam paſſiuam, per quam agitur.

Petrus Aur. reſp. quod in Deo eſt potentia ar. 2. actiua non ſecundum eam rationem, ſecūdum quam eſt in ente creato, quia ſic imperfectionem importat; ſed ſecundum aliam rationem, quę importat perfectionem ſcilicet actiuitatē ipſam, ſiuè vim, aut vigorem, ſeù etiam virtutem, quam propriè exprimit poteſtas, & hęc eſt conditio formę, & actus vndè magis conceditur, quod eſt in eo poteſtas actiua, vel virtus effectiua, quam quod ſit potentia, quia ratio potentię videtur includere, illam primam rationem potentialitatis, & poſsibilitatis, quę nullo modo eſt in potentia Dei, licet ſit in potentia creaturæ.

Gerardus reſp. quod in Deo non eſt quidē q. vn. potentia paſsiua, quia talis potentia expectat recipere aliquid à potentia actiua; quod infinitati, & illimitationi diuinę repugnat; ſed bene eſt potentia actiua, quod probat tripliciter; primò, quia Deus eſt cauſa agens, cauſa autem quęlibet agens habet in ſe potentiam actiuam, quæ eſt principium actionis; ſecundò, quia Deus eſt ratio formę exemplaris, non exemplatę, de cuius ratione eſt, quod habeat rationem potentiæ actiuę per modum artis, ſemper enim ars habet rationē principij actiui; tertiò, quia potentia actiua dicit perfectionem ſimpliciter, quod autem dicit perfectionem ſimpliciter in Deo eſt ponendum.

Guilelmus Rub. reſp. quod propriè, & ſtri- q. 1. ctè non eſt potentia in Deo, quia ſic nihil dicitur eſſe in ſeipſo, Dei autem potentia non diſtinguitur ab eo, ſed ſicut ſapientia dicitur in eo, cum ſit ſapiens, quamuis ſit idem cum eo, ita & potentia cum ſit omnipotens, largè tamen, & non propriè.

Marſilius reſp. quod in omni eo, quod agit q. 41. eſt potentia actiua, quod enim agit tranſmu- ar. 1. tat alterum, & conſequenter eſt principium tranſmutandi in eo, quod eſt potentia actiua;

cum

cum itaque Deus agat, quia creauit cælum, & terram, & ſecundum Philoſophos mouet primum mobile, igitur eſt in eo potentia actiua.

d.42. q.1. Franc. à Chriſto reſp. quod Deo maximè conuenit eſſe principium actiuum, vt qui eſt actus purus, & ſimplex, & vniuerſaliter perfectus, igitur eſt in eo potentia actiua, hæc enim potentia, vt dicit Ariſt. 5. Meth. nominat principium agendi in aliud, ſicut potentia paſſiua principium agendi ab alio.

q.20. ar.1. Petrus Trigoſ. reſp. quod in præſenti agimus de potentia Dei actiua, quatenus eſt principium alicuius actionis trãſeuntis, & quamuis in Deo non ſit propriè actio tranſiens, ſed omnis actio eius eſt immanens, quia eſt eius eſſentia, ſubſtantia; methaphoricè tamen aliqua Dei actio dicitur tranſiens ratione effectus ad extra producti, vndè creare, ſaluare, & huiuſmodi ſecundũ rei veritatẽ ſunt actiones immanentes in Deo, quia Deus volendo, & intelligendo omnia facit.

q.25. ar.1. Franc. Zumel reſp. quod ſi Deus non haberet potentiam actiuam non haberet gubernationem, quæ importat executionem diuinæ prouidentiæ, quæ executio ſine potentia non fit, & ſimiliter non eſſet perfectus ſimpliciter, quia potentia actiua importat perfectionem ſimpliciter in entitate, & actualitate.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod vnumquodq. quod agit, ſi non eſt agens diminutum, & inſufficiens ad agendum, præſupponitur habere potentiam agendi, etiam nullo exiſtente. quod ageret, poſſet tamen agere, in hoc enim cognoſcitur ignem habere potentiam calefaciendi, quia etiamſi actu nullum eſſet calefactibile, non tamen tolleretur quin poſſet calefacere, dato aliquo calefactibili: cum itaq. Deus ſit agens perfectiſſimum, inde præſupponendum etiam eſt habere potentiam agendi, quæ tamen non differat à ſua eſſentia, niſi ſecundum rationem.

Obiectio. Sed ſi potentia eſt ens incompletum, & diminutum, non ſemper actui coniuncta, immò expectans deduci ad actum per aliquod ens in actu, quo eſt poſterior, ac proinde imperfectionem dicat?

Reſpondetur, quod illa potentia dicit imperfectionem, & eſt ens diminutum, & incompletum, quæ eſt paſſiua, & receptiua, qualis non ponitur in Deo, cum in eo ponatur tantum potentia actiua, quæ non habet huiuſmodi imperfectiones. Ita Ægidius, Ricardus, & Durandus.

QVÆSITVM II.

An Potentia, quæ eſt in Deo reſpectu aliorum à ſe diſtinguatur à potentia intellectiua, volitiua, & executiua?

Petrus Aureolus reſp. quod potentia, quæ eſt in Deo reſpectu aliorum à ſe, quæ dicitur potentia executiua diſtinguitur à quacunque alia potentia, imperatiua ſcilicet, & directiua ratione connotati, connotat enim productionẽ rerum poſſibilium, quam non connotant reliquæ potẽtiæ, quamuis omnes formaliter, & intrinſecè coincidant in ipſam deitatem. d.42. ar.2.

Franciſcus Maro reſp. quod potentia executiua in Deo differt formaliter à potentia volitiua, quod probat quadrupliciter; primò, quia potentiæ volitiuæ diuinæ conuenit eſſe principium productiuum ad intra, potentiæ autem executiuæ repugnat; ſecundò, quia potentiæ volitiuæ conuenit operari ſecundum operationem immanentem, potentiæ autem executiuæ non conuenit operari, niſi per operationem extrinſecam, & tranſeuntem; tertiò, quia nec in nobis ſunt idem formaliter; quartò, quia potentia volitiua diuina à multis Philoſophis fuit cognita, non autẽ executiua. d.43. q.5.

Gulielm. Rub. reſp. quod potentia, quæ eſt in Deo reſpectu entis poſſibilis, quamuis ſit eadem cum potentia intellectiua, & volitiua, non tamen dicitur intellectiua, & volitiua, ſed executiua, & probatur; primò, quia potentia executiua ſignificat cauſam, & connotat effectum ab ipſa poſſibilem procedentem, non vt actualiter exiſtentem, at potentia intellectiua, vel volitiua non connotat, nec importat aliquid ab ipſa potentia intellectiua, vel volitiua diſtinctum, quod tali potentię ſit poſſibile effectiuè; ſecundò, quia dato quod Deus nihil intelligeret, aut vellet, & tamen omnium eſſet cauſatiuus ſicut modo, diceretur non minus, quam nunc habere potentiam executiuam. d.24. q.1.

Ioannes de Baſſ. reſp. quod non eſt in Deo alia potentia ab intellectu, & voluntate reſpectu aliorum à ſe, quæ ſit potentia executiua, quia ſequeretur quod Deus eſſet mutabilis ſi daretur huiuſmodi potentia tertia, quod eſt falſum; conſequentia probatur, quia iſta tertia potentia non eſt ſemper in actu ſuo, & ab æterno, ſicut nec Deus aliquid cauſat ab æterno; ergo eſt ibi potentia diſtans ab actu incompleta, & ſecundum quam Deus poteſt de nouo exire in actum, & ita mutari. d.45. q.1.

Franc. à Chriſto reſp. quod in Deo non diſtin-

q. 2. diſtinguitur potentia ab intellectu, & voluntate ſecundum rem, ſed tantum ſecundum rationem formaliter eminenter ſicut diuina attributa, eſt enim vna res intellectus, voluntas, & potentia, ſed intellectus vt intellectus non habet quod ſit principium agendi, ſed dirigendi ſolum, voluntas vt voluntas imperandi, potentia verò exequendi.

q. 25. ar. 1. Ludou. Mol. reſp. quod actus voluntatis, quo Deus vult hoc, aut illud eſſe tali, vel tali tempore, eſt in Deo immediatum principium efficiens rerum creaturarum, atque ideò voluntas, quo ad eum actum eſt potentia executiua in Deo.

p. 1. Gregorius de Val. reſp. quod potentia Dei actiua, ſecundum propriam, & quaſi ſpecificam ſui rationem eſt ipſe diuinus intellectus, & voluntas, omnis enim alia propria, & ſpecifica ratio potentiæ actiuæ, quæ non ſit ratio intellectus, & voluntatis eſt ex ſe imperfecta, & abhorrens à Deo.

de tr. l. 3. c. 9. Franc. Suarez reſp. quod potentia Dei actiua eſt diſtincta ratione ab intellectu, & volũtate, quia non ſe habet vt facultas operatiua addita ſecundum rationem eſſentiæ Dei, ſed eſt ipſamet eſſentia, vt per ſe immediatè operatiua tanquam principium principale, & immediatum operationis.

diſp. 102. Gabriel Vaſquez reſp. quod non eſt ponenda in Deo alia facultas exequens diſtincta etiã ſecundum rationem à voluntate, ſi quidem voluntas ita perfecta debet concipi in ratione voluntatis, vt cum velit facere aliquid, per ſeipſam illud aſſequatur.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod potentia, quæ eſt in Deo reſpectu aliorum à ſe dicitur potentia operatiua, ſeù actiua, & eſt illa, quæ præſupponitur ad actum operandi, ſeù agendi aliquid extra ſe, potentia autem intellectiua dicitur illa, quæ præſupponitur ad actum intelligendi, & eſt intellectus, & volendi illa, quæ præſupponitur ad actum volendi, & eſt voluntas, certum eſt autem quod huiuſmodi actus diſtinguuntur, quia aliud eſt intelligere, aliud velle, & aliud operari, multa enim intelligimus, quæ nolumus, & multa intelligimus, & volumus, quæ tamen non operamur, vnde vnus alteri prærequiritur, nam intelligere prærequiritur ad velle, velle ad operari; potentia ergo, quæ eſt in Deo reſpectu aliorum à ſe diſtinguitur à potentia intellectiua, & volitiua, potentia autem executiua addit ſupra potẽtiam abſolutè ſumptam exercitium ſui actus, quãdo enim eſt actualis operatio, tunc illa potentia dicitur executiua.

Obiectio. Sed ſi voluntas diuina eſt ſufficiens cauſa omnium entium ſine aliqua potentia executiua? cum dicat D. Aug. quod voluntas diuina eſt ſumma cauſa omnium.

Reſpondetur, quod cauſare pertinet ad potentiam executiuam motam à voluntate, & hoc modo dicitur Deus cauſare entia per ſuã voluntatem. Ita Franciſcus Maro.

QVÆSITVM III.

An potentia Dei reſpectu aliorum à ſe ſit vna tantum, & eadem reſpectu omnium?

d. 42. ar. 2. D. Thomas reſp. quod potentia Dei poteſt dupliciter conſiderari, vel quantum ad eſſentiam potentiæ, vel quantum ad actiones, quæ à potentia procedunt, ſi conſideretur quantum ad eſſentiam potentiæ, quia ſic eſt vna eſſentia, potentia ſimiliter eſt vna, ſi quantum ad actiones, quæ ab ipſa procedunt, ſic pluralitatem quandam rationum habet, etiamſi re ſit vna, ſicut eſſentia.

pr. 1. q. 2. Ægidius reſp. quod virtus diuina, ſeù diuina potentia non differt ab eſſe in Deo, & quoniam eſt vnum eſſe in Deo, ideò & vna potentia, & virtus.

q. 6. Franc. à Chriſto reſp. quod potentia conſiderata, ſecundum ſuam eſſentiam eſt vna ſecundum rem, multiplex ſecũdum rationem, quia eſt eſſentia diuina, quæ eſt vna ſecundum rem, & multiplex ſecundum rationes attributales; extrinſecè autem conſiderata in ordine ad ſuos effectus eſt multiplex ſecundum rem, quia in effectibus, qui ab ipſa proueniunt eſt multitudo realis; in ordine verò ad diuinam actionem, eſt vna ſecundum rem, & multiplex ſecundum rationem, nam ſua actio eſt diuina eſſentia, quæ multiplicitatem quandam habet ratione effectuum; quoniam tamen iudicium ſumendum eſt de re ſecundum illud, quod ei conuenit intrinſecè, & ſecundum hoc potentia eſt vna, ideò ſimpliciter dicendum eſt, & abſolutè, quod ſit vna.

q. 20. ar. 4. & 1. Petrus Trig. reſp. quod in Deo potentia eſt vnica; tum quia Deus eſt ſimpliciſſimus, & vnus; tum etiam quia eſt idem potentia, quod eſſentia, quæ eſt vna; tum tertiò quia eſt vnum tantum immediatum principium agendi.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod vnitas, & diſtinctio potentiarum alicuius agentis deducẽda

Digitized by Google

ſtendum; ita per tranſlationem obdurari cor dicitur tripliciter, primò ex hoc, quod eſt inhabile ad impreſſionem gratiæ ſuſcipiendam; ſecundò, quod eſt in peccato ſtabilitũ, tertiò, quod Deum, & eius mandata velit impugnare; primo modo obduratio eſt pœna conſequens culpam; ſecundo modo eſt diſpoſitio culpæ præcedentis; tertio eſt ſpeciale genus peccati, ſcilicet peccatum in Spiritum ſanctum. Item Ricardus.

q.3. Franc. a Chriſto reſp. quod malum culpæ ſumitur dupliciter; primò vt eſt actio peccaminoſa, rationi, & legi diuinæ contraria; ſecundò prout eſt paſſio eius, in quo eſt, qua paſſione ille afficitur moleſtia, & ſpoliatur multis bonis, & hoc modo obduratio habet rationem pœnæ.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod neque obduratio, neque excæcatio eſt contra legem Dei, & ideo culpa eſſe non poteſt, quia tamen inficit voluntatem, & mentem, & hoc non niſi per culpam, ideo eſt pœna.

Obiectio. Sed ſi obdurationem prohibet propheta dicens, Nolite obdurare corda veſtra? non prohibetur autem, niſi quod habet rationem culpæ.

Reſpondetur, quod hìc obdurare ſumitur pro eo, quod eſt repellere diuinas inſpirationes, & reſiſtere Spiritui ſancto, ac nolle audire verbum Dei; hoc autem, quia eſt in poteſtate noſtra prohibetur, & habet rationem culpę, non autem illud, quod eſt a Deo per negationem omnis auxilij.

QVÆSITVM XXXI.

An Deus ſit cauſa obdurationis, & excæcationis noſtræ?

q 27. m. 4. Alex. reſp. quod excęcatio eſt a peccato, vt a cauſa ſimpliciter meritoria; a diabolo tanquã ſuggerente illud, vnde venit excęcatio; a Deo vt eſt pœna iuſta tanquam a iuſto puniẽte, vel permittẽte.

d. 42. a 22. Albertus reſp quod ex eo, quod aliqui nolunt accipere gratiam eis ſemper paratã, ipſos Deus permittit obdurari, & ipſam obdurationem ordinat in multa bona ne omnino indecora ſit, eius tamen cauſa non eſt, nec per ſe, nec per accidens.

d. 40. a. 2. q 4. D Tho. reſp quod obduratio dicitur quãdoq; actus voluntatis obſtinatæ in malũ, cui pertinaciter adhęret & ſic Deus nõ eſt cauſa, quia Deus nullius actus cauſa eſt, qui in ſe deformis ſit, ſed tantum homo; quandoq; verò dicitur obduratio ipſa priuatio gratiæ, quę etiam excęcatio dicitur, hæc autẽ carentia gratię ex duobus contingit, tum quia ipſe non vult recipere, tum quia Deus nõ vult ſibi dare, & hoc ſecundum ſupponit primũ, & ſic Deus eſt cauſa talis obdurationis ex ſuppoſitione, quia ſcilicet homo, vel nõ vult recipere gratiam, vel non ſe præparat ad recipiendum, & ideo Deus culpat ipſum, & punit, quod ſi cauſa eſſet non culparet, nec puniret, quia nullus culpatur, & punitur de eo, cuius cauſa in ipſo non eſt.

D. Bonau. reſp. quod obduratio inquantum pœna eſt dicit animæ ineptitudinem, & ita dicit defectionem pœnalem, & quoniam omnis pœna inquantum talis eſt iuſta, & ordinata, ideo dicit defectum ordinatum, inquantum ergo defectus eſt non habet cauſam, niſi deficientem, quæ Deus non eſt, quia Deus non eſt cauſa deficiens, ſed liberum arbitrium, deſtitutum, inquantum verò ordinatum habet cauſam merentem, ſcilicet ipſam culpam, & cauſam ordinantem .ſ. ipſum Deum iuſtiſſimè retribuentem. a. 3. q. 2.

Ricardus reſp. quod obduratio ſecundum quod eſt pœna, quę eſt inhabilitas ad ſuſceptionem gratię prouenit a libero arbitrio vt a cauſa efficiente, a pecato vt a cauſa promerente, & a Deo tanquam cauſa ordinante. a. 3. q. 1.

Laurentius Opimus reſpondet, quod ſecundum quod obduratio eſt culpa, nullo modo Deus dicitur eſſe eius cauſa, ſed ſecundum quod eſt pœna, poteſt dici eius cauſa, non quidem impartiendo malitiam, ſed non apponendo gratiam. Non poſitiuè aliquid influendo (inquit Franc. a Chriſto) ſed negatiuè auxilia gratiæ ſubtrahendo. Item Zumel. Et quia permittit eos (inquit Trig.) longam in peccatis ſuis conſuetudinem trahere, per quam intellectus eorum contrahit quandam cæcitatem, & voluntas duritiem. q. 3. ccll.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod cauſare obdurationem, & excęcationem eſt priuare voluntatẽ, & intellectum bonis habitibus ſuis conferentibus ad ſalutem, vnde his priuata voluntas obduratur, & intellectus excæcatur, & hoc aliquando facit Deus in vltionẽ peſſimorũ ad exercitium iuſtitiæ, & potentię ſuæ.

Sed ſi Deus nũquã omninò deſerit hominẽ? Obiectio.

Reſpondetur, quod Deus non omninò deſerit hominem quo ad auxilia generalia, ſed quo ad ſpecialia eos deſerit, quos indignos ſuæ gratię nouit.

D. I-

Digitized by Google

DISTINCTIO QVADRAGESIMA PRIMA.

Si autem quærimus meritum obdurationis, & miſericordiæ, obdurationis meritum, &c.

QVÆSITVM I.

An ſit aliqua cauſa prædeſtinationis noſtræ?

c.9.q.2. GVilelmus Antiſiod. reſp. quod prædeſtinationis eſt aliqua cauſa, bonæ ſcilicet operationes, ſunt tamen cauſa finalis, quia Deus prædeſtinat ad bonas operationes, non meritoria, & hoc modo etiam dicitur, quod Deus dat gratiam propter opera, ideſt ad opera, non quod ſit aliquod meritum cauſa gratiæ.

q. 28. m. 3. ar. 1. & 3. Alex. reſp. quod in nomine prædeſtinationis plura intelliguntur, ſcilicet quod eſt principale ſignificatum, & gratia, & gloria, quæ ſunt connotata, quantum ergo ad principale ſignificatum, & primum connotatum, ſcilicet collationem gratiæ nulla eſt cauſa, ſeù ratio prædeſtinationis ex parte noſtra, ſed quantum ad collationem gloriæ, quia ex meritis confertur; ex parte autem Dei licet nulla ſit cauſa prædeſtinationis, præſcientia tamen quod iſte ſit bene vſurus ſua gratia eſt ratio collationis gratiæ, de ratione enim æquitatis eſt, vt Deus illi det gratiam, quem ſcit ea eſſe bene vſurum.

d.41. ar. 2. Albertus reſp. quod prædeſtinatio ex parte eius, quod eſt æternum, nec cauſam habet, nec rationem, ex parte autem effectus, in quo determinabilis eſt prædeſtinatio rationem quidem habet meriti, ſed non cauſam.

p. p. q. 23. ar. 5. D.Thomas reſp. quod prædeſtinationis noſtræ eſſe aliquam cauſam poteſt cõſiderari dupliciter vel ex parte actus prædeſtinãtis, & ſic nulla eſt quæſtio, vel ex parte effectus ipſius prædeſtinationis, & ſic poteſt huiuſmodi effectus conſiderari dupliciter, vel in particulari, vel in cõmuni, ſi in particulari ſic aliquis effectus poteſt eſſe cauſa, & ratio alterius in diuerſo tamen genere cauſæ, nam gloria poteſt eſſe cauſa finalis gratiæ, & gratia cauſa meritoria gloriæ; ſi verò conſideratur effectus prædeſtinationis in communi, ſic totus pendet à diuina voluntate, cum totum quod hominem ordinat ad ſalutem fiat diuino auxilio.

d.41. ar. 1. q.1. D. Bonau. reſp. quod in prædeſtinatione tria intelliguntur, propoſitum æternum, temporalis gratificatio, & æterna glorificatio; quantum ad primum, prædeſtinatio non cadit ſub merito, quia propoſitum æternum eo ipſo, quo æternum eſt, meritum habere non poteſt; quantum ad ſecundum cadit ſub merito congrui, quantumq; ad ipſum prædeſtinatum gratificandum, ſub merito digni quantum ad alium virum ſanctum, ſub merito condigni quantum ad neutrum; quantum vero ad tertium ſimpliciter cadit ſub merito, & ſic prædeſtinatio quantum ad principale ſignificatum ſimpliciter loquẽdo non cadit ſub merito, quantum ad connotatum cadit ſub merito ſecundum quid. Et q. 2. reſp. quod prędeſtinationis noſtræ nulla eſt cauſa meritoria, ſed congruentiæ, & decentiæ, tam in generali quam in ſpeciali, in generali manifeſta eſt, & certa, quæ eſt oſtenſio diuinæ miſericordiæ, & iuſtitiæ, in ſpeciali vero à parte rei nobis occulta, & incerta.

Ægidius reſp. quod in prædeſtinatione duo conſiderantur diuinum velle, & diuinum volitum, ex parte ipſius velle nullam poſſumus aſſignare cauſam prædeſtinationis, quia cum diuinum velle ſit ſuum eſſe, ſi aliquid eſſet cauſa, quare Deus aliquid vellet, aliquid eſſet cauſa, quare Deus eſſet, quod eſt impoſſibile; ex parte vero voliti poſſumus aſſignare aliquam cauſam, & in ſua partialitate, & in ſua totalitate; in ſua partialitate, quia gloria eſt cauſa gratiæ in genere finis, & gratia gloriæ in genere meriti; in ſua totalitate poſſumus etiam aſſignare aliquam cauſam, non quidem in particulari, vt quod magis hũc prædeſtinet, quam alium, quia hoc tantum admirationem habet, non rationem, cum ſit ex mera ſua voluntate, ſed bene in vniuerſali, quod enim aliquos prædeſtinet, & aliquos nõ, prima ratio eſt, quia cum ſit cauſa vniuerſalis debet attendere ad perfectionem, & decorem vniuerſi, qui in inæqualitate conſiſtit, ſecunda eſt, quia cum in eo ſit ſuperexcedẽtia virtutis, multis modis debet manifeſtare hãc virtutem ſuam, ſecundum plures, & inęquales effectus, tertia eſt, quia cum iuſtus ſit, & miſericors, ad oſtendendum miſericordiam, & iuſtitiam ſuam, alios ſaluare debet, & alios damnare. pr. 1. q. 2. ar. 1.

Henricus reſp. quod prædeſtinatio eſt reſpectu cuiuſlibet gratiæ adipiſcendæ in præſenti, & etiam reſpectu primæ, ſed quoniam prima gratia nullum habet meritum, quia ex ſola miſericordia datur, nec prędeſtinatio propter talem reſpectum eius habet cauſam meritoriam de digno, propter quam fiat, ſed bene congruentiæ, & ſine qua non, eſt enim congruum, vt ſi Deus moueat duos motu eiuſdem gratiæ præuenientis ad gratiam, & altero contradicente, vnus non contradicat, Q. 4. q. 19.

 non

non contradicenti prouideat de adiutorio gratię gratum facientis, vt inde poſſit mereri ſecundum gratiam, ſiue eius augmentum in præſenti, & eius conſumationem in futuro, ſecunda enim gratia datur ex iuſtitia, & ideo reſpectu huius ſecundæ gratiæ, prædeſtinatio cauſam meritoriam habet.

ar. 1. q. 1. Ricardus reſp. quod ſi conſideremus effectum prædeſtinationis in particulari præſcientia vnius effectus bene eſt ratio, quare Deus præordinauit ſe daturum ſaluando alium effectum, vt quia ſe præſciuit aliquibus daturum gloriam, ordinauit ſe daturum gratiam; ſi autem conſideremus effectum prædeſtinationis totaliter ſcilicet accipiendo omnes effectus prædeſtinationis coniunctim, ſic præſcientia meritorum non eſt ratio.

d. 41. q. 10. Ioannes Scotus reſp. quod prędeſtinationis nulla eſt ratio etiam ex parte prædeſtinati aliquo modo prior ipſa prædeſtinatione, & hoc probat ſic. Volens ordinatè finem, & ea quæ ſunt ad finem, prius vult finem, quam aliquid ex his, quæ ſunt ad finem cum alia velit propter finem; ergo cum in toto proceſſu, quo creatura beatificabilis producitur ad perfectum finem, finis vltimus ſit beatitudo perfecta, Deus volens huic aliquid iſtius ordinis primò vult finem, & quaſi poſterius alia, quæ ſunt ad finem; ſed gratia, fides, merita, & huiuſmodi ad iſtum finem ſunt ordinata; ergo primò Deus vult beatitudinem creaturæ, quam aliquid ex his; ergo propter nullum iſtorum præuiſum vult ei beatitudinem, in quo conſiſtit prædeſtinatio. Item Ioann. de Baſſolis, & Andreas de Nouocaſtro.

d. 40. ar. 3. Herueus reſp. quod in generali poteſt reddi cauſa, quare aliqui prædeſtinentur ſcilicet perfectio vniuerſi, & diuinæ bonitatis manifeſtatio, ſed in ſpeciali, quare ſcilicet magis hic quam ille, non poteſt alia reddi niſi voluntas prædeſtinantis. Item Durandus, & Gerardus.

d. 41. ar. 1. Petrus Aureol. reſp. quod pro primo inſtanti quo homines offeruntur diuino conſpectui, aliqui offeruntur cum obice gratię, per quem redduntur indigni, aliqui verò licet non cum aliqua dignitate poſitiua, offeruntur tamen ſine obice, & indignitate, & tunc concluditur pro iſtis finalis gratia, & gloria, quod eſt prædeſtinari, & ſic prædeſtinationis eſt aliqua cauſa, non quidem poſitiua, ſed negatiua, ſcilicet negatio impedimenti, ſiue non reſiſtentia.

q. 4. Franciſcus Maro reſp. quod nulla cauſa eſt in nobis prædeſtinationis noſtræ, tum quia eſt merè ex gratia diuina, & actus ſummè liberalis, tum etiam quia ſi haberet cauſam, tunc Deus non poſſet prædeſtinare ſine iniuſtitia.

Guilelmus Occham reſp. quod aliqui ſunt qui ſunt ordinati ad vitam æternam propter ſua merita, aliqui verò ex gratia ſpeciali, ita quod ſibi ipſis non ſunt derelicti, ficut alij, ſed præueniuntur, ne poſſint ponere obicem, ac proinde perdere vitam æternam; prædeſtinatio ergo eorum, qui ſunt ordinati ad vitam æternam propter ſua merita habet cauſam, & rationem, prædeſtinantur enim, quia pręuidentur finaliter perſeuerare in charitate, & quod Deus non conferret eis vitam æternam, niſi eam prius mererentur, prædeſtinatio autem eorum, qui ſunt ordinati ad vitam æternã ex gratia ſpeciali, non habet cauſam, & rationem, niſi diuinam voluntatem, quæ etiam cauſa eſt, quare aliqui ſint prædeſtinati propter rationem, aliqui verò ſine ratione. q. vn.

Gregorius reſp. quod prædeſtinatio nullam habet cauſam præter ſolam miſericordiam, & gratuitam Dei voluntatem; vnde Apoſtolus ſcribens ad Epheſios, inquit. Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ. Item Petrus Aliac. & Marſilius. Quemcunque prædeſtinauit gratis ſolum, & miſerabiliter prædeſtinauit, inquit Alphonſus. Nullam habet cauſam efficientem, ſiuè meritoriam, ſiuè motiuam, ſed tantum finalem. Michael de Palatio. ar. 2.

Guilelmus Rub. reſp. quod prædeſtinationis abſolutè & ſecundum ſe ſumptæ nulla eſt, nec eſſe poteſt cauſa, quia ſic indiſtincta eſt à Deo, Dei autem, neque volitionis eius eſt aliqua cauſa; ſumptæ autem obiectiuè accipiendo cauſam propriè pro re aliqua diſtincta ab eo, cuius eſt cauſa, nec ſimiliter poteſt eſſe eius aliqua cauſa, quia prædeſtinatio eſt æterna tam quiditatiuè, quam obiectiuè, nihil autem à prædeſtinatione diſtinctum eſt æternum; ſed ſumptæ obiectiuè accipiendo cauſam largè prout importat aliquam prioritatem vnius propoſitionis ad aliam, ſic prædeſtinationis eſt aliqua cauſa, nam Deus ordinauit omnem electum ab æterno ad præmium propter aliquod præuiſum ordinans, & diſponens ad ipſum præmium conſequendum, quod eſt meritum, quod alijs eſt quidem proprium, alijs verò alienum, quare autem ordinauerit magis hunc ad meritum, propter quod conferret præmium, quam alium, hoc eſt ex ſola diuina voluntate. q. 1.

Ioannes Bacconus reſp. quod prædeſtinatio eſt effectus præſcientiæ, quos enim (inquit) Apoſtolus Deus præſciuit, hos & prædeſtinauit; ar. 2.

nauit; pręſcientia ergo boni vſus liberi arbitrij eſt cauſa prædeſtinationis, ex congruo tamen, non ex condigno, & non quatenus talis vſus eſt bonus bonitate ſupernaturali, quia ſic eſt effectus prædeſtinationis, non cauſa, ſed quatenus eſt bonus bonitate moris.

2. Sët. q. 1. Robertus Olchot reſp. quod nulla cauſa eſt in nobis, quare Deus nos prædeſtinauerit ad vitam æternam, vnde ſicut iſta conſequentia eſt bona, Terra directè interponitur inter Solem, & Lunam, ergo eſt Ecclipſis, & non econuerſo; ita & iſta eſt bona, Deus præordinauit Petrum ad vitam æternam, igitur Petrus fuit crediturus in eum, & finaliter dilecturus, non tamen econuerſò, quia fuit crediturus, & finaliter dilecturus, igitur ipſum prædeſtinauit.

d. 41. q. vn. Gabriel Biel reſp. quod aliqui prædeſtinantur, quia præuidentur finaliter perſeueraturi, & horum prædeſtinatio cauſam habet, ſiuè rationem, ſumendo cauſam, vt dicit prioritatem vnius propoſitionis ad aliam ſecundum conſequentiam, aliqui vero ex gratia ſpeciali præueniuntur, vt Beata Virgo, & Paulus Apoſtolus, & horum prædeſtinatio nullam habet cauſam, gratia enim in eis præuenit vſum liberi arbitrij.

q. vn. Paulus Scriptor reſp. quod diuina volitio, quæ eſt principaliter prædeſtinatio nullam habet cauſam; capiendo tamen prædeſtinationem pro effectu prædeſtinationis, diſtinguendum eſt, nam triplex eſt effectus eius, primus gloria, ſecundus gratia, tertius alia bona, tertius multas cauſas habet in homine, ſecundus non habet cauſam effectiuè in homine, quia ſolus Deus creat gratiam; primus verò habet cauſam meritoriam in homine, quia per charitatem meretur vitam æternam.

q. 23. ar. 4. diſp. 1 Ludouicus Mol. reſp. quod Deus ante actum liberum ſuæ voluntatis cognouit, quid in vno quoque ordine rerum per arbitrium creatum eſſet futurum ex hypotheſi, quod hos homines, aut angelos in hoc, vel illo ordine rerum collocare ſtatuerit, quod cogniturus erat contrarium, ſi contrarium pro libertate arbitrij eſſet futurum, & hunc potius ordinem rerum, quam alium voluit creare, & in eo potius voluit auxilia conferre, cum quibus prouidebat eſſe peruẽturos in vitam ęternam, & ſic prædeſtinatio nullam habet cauſam, niſi ſolam Dei voluntatem; quod autem Deus voluerit hunc ordinem, & conferre talia auxilia, ex hoc fuit, quod vnus potius vſus, quam alius pro libertate arbitrij eſſet futurus, & ſic prædeſtinationis cauſa eſt vſus liberi arbitrij præuiſus.

Gregorius de Val. reſp. quod quamuis nulla ſit operatio in prædeſtinato, quæ ſit ratio, aut cauſa meritoria ſuæ prædeſtinationis, vt relatæ ad omnes ſuos effectus, nihilominus Deus neminem adultum ordinario modo prędeſtinat, niſi cum reſpectu quodam diuinæ ſuæ pręſcientię ad cooperationem perſeuerãtem ipſius prædeſtinati, vt eſt ex gratię auxilio, & ex libero arbitrio tanquam ad vnum quendam effectum, & medium prædeſtinationis, cum quo reliqui omnes prædeſtinationis effectus ſunt connexi, ita quidem, vt quamuis verum non ſit Deum ideo prædeſtinare aliquos, quia præſcit ab æterno eos diuinæ gratiæ cum finali perſeuerãtia cooperaturos, quaſi hæc cooperatio ſit totius prædeſtinationis ratio, ſeu conditio, ſeu cauſa; veriſſimum tamen ſit eos adultos omnes, & ſolos ordinariè prædeſtinare, quos ab æterno præſcit diuinæ gratiæ cooperaturos cum perſeuerantia finali; Et hæc (inquit) aſſertio eſt D. Aug. & Thomæ. diſp. 1 p. 4.

Franciſcus Suarez reſp. quod ex parte prædeſtinati nulla datur cauſa, vel ratio ſuæ prædeſtinationis, non ſolum vt decretum prædiffinitiuum voluntatis diuinæ terminatur ad primam vocationem congruam, ſed nec etiam vt terminatur ad gratiam & gloriam, & quécunque alium effectum prædeſtinationis (intelligendo hoc quo ad præparationem ex parte ipſius diuinæ voluntatis, non quo ad executionem) & ratio eſt, quia dilectio ad gloriam antecedit ad omnia media prędeſtinationis, tanquam efficax intentio finis, intentio enim finis debet præcedere media ad finem; ex quo ſequitur prædeſtinationem ad gloriam non habere cauſam ex parte prædeſtinati, cum nulla præſcientia abſoluta meritorum illam antecedat, & quia ex vi huius intentionis præparantur omnia media congrua, igitur prædeſtinatio illorum antecedit eorum abſolutam præſcientiam. de tr. tr. 2. l. 2. c. 8.

Gabriel Vaſqu. reſp. quod ad electionem ad gloriam vtique poteſt aſſignari cauſa, quare Deus hunc, & illum elegerit, ſcilicet præuiſa merita gratiæ; ſed ad prædeſtinationem ad gratiam nulla ratio aſſignari poteſt, nulla occaſio, nullum meritum, quamuis minimum ex parte ipſius prædeſtinati, & hoc deducit tanquam à priori ex indifferentia, qua homo rationalis naturæ eſt indifferens ad bonum, & malum, & ex natura gratiæ, quæ non ex operibus, ſed ſola diuina liberalitate confertur tanquam à poſteriori. diſp. 89. 91

Tt 2 Reſ-

Reſolutio.

RESpondeo quod Deus ab æterno præuidit omnes, & ſingulas creaturas rationales, quas ipſe in tempore eſſet creaturus, & in aliquibus earum ſibi complacuit, & in aliquibus non, in aliquibus verò ſibi complacuit, quia præuidit in eis quoddam pulchrum, ſeù decorum, quod eſt obiectum complacentiæ, & has creaturas in quibus ſibi complacuit elegit, & eligendo prædeſtinauit; cauſa ergo prædeſtinationis noſtræ præuiſio fuit illius pulchri, ſeù decori, quod erat in nobis creaturus, per quod inde deſtinaret nos ad gratiam, & gloriam, dignosq. tandem efficeret ſuo æterno conſortio.

Obiectio. Sed ſi Deus ex mera liberalitate prędeſtinat? Reſpondetur, quod hoc pulchrum, & decorum, ex cuius præuiſione ſequitur prædeſtinatio non habet rationem cauſæ, neque meriti, ſed tantum complacentiæ, quæ diuinæ liberalitati vllo modo, neque in eligendo, neque in prædeſtinando repugnat; Deus enim illas creaturas, in quibus ab æterno ſibi complacuit liberè elegit, ac prædeſtinauit.

QVÆSITVM II.

An ſit aliqua cauſa reprobationis noſtræ?

c. 9. q. 2. GVilelmus Antiſiod. reſp. quod in reprobatione tria ſunt, Deus reprobans, non appoſitio gratiæ, & damnatio æterna. vnde D. Aug diffiniens reprobationem dicit, Reprobare eſt nolle miſereri; nolle autem miſereri eſt non apponere gratiam in præſenti, & damnare in futuro; Deus itaq. eſt cauſa non appoſitionis gratiæ, quodam modo ſcilicet per modum quieſcendi, non per modum agendi, ſicut natura dicitur principium quietis per modum ceſſandi à motu.

q. 28. m. 3. ar. 1. Alex. reſp. quod in nomine reprobationis plura intelliguntur, præſcientia ſcilicet, quod eſt principale ſignificatum, præſens iniquitas, & pęna futura, quæ ſunt connotata; quantum ergo ad principale ſignificatum nulla eſt cauſa reprobationis, ſed quantum ad connotata poteſt eſſe ratio, licet non cauſa, & hæc eſt diuina iuſtitia.

d. 41. ar. 1. q. 1. D. Bonau. reſp. quod tria intelliguntur in reprobatione, ęternum odium, temporalis obduratio, & æterna damnatio, quantum ad primum, quod eſt principale ſignificatum non cadit ſub demerito tanquam ſub cauſa, quia cum æternum ſit, demeritum habere non poteſt, quoad ſecundum tamen, quod eſt connotatum, & ſimiliter tertium ſub demerito tanquam ſub cauſa cadit ſimpliciter. Item Ricardus.

Ioannes Scotus reſp. quod reprobationis eſt aliqua cauſa, non quidem propter quam Deus effectiuè reprobat, inquantum eſt actio à Deo, quia tunc Deus eſſet paſſiuus; ſed propter quam iſta actio ſic terminatur ad iſtud obiectum, & ad aliud, & hæc cauſa eſt finale peccatum, quod probat. Damnatio non videtur bona: niſi quia iuſta, non enim (inquit D. Aug.) prius Deus eſt vltor, quam aliquis peccator, ergo Deus non vult prius aliquem punire, quam videat ipſum eſſe peccatorem; ergo ſi vult damnare verbi gratia Iudam, non damnat eum, prout videt eum in puris naturalibus, quia ſic non eſt peccator; ergo ſi dãnat, damnat propter finale peccatum, velle autem damnare eſt reprobare; ergo reprobationis noſtræ cauſa eſt peccatum finale præuiſum. Item Paulus Scriptor, & Ant. Andr. *q. vn.*

Herueus reſp. quod cauſam reprobationis contingit dupliciter aſſignare; vno modo ex parte actus diuini, & quantum ad hoc non habet cauſam; alio modo ex parte effectus, & ſic poteſt reddi cauſa reprobationis, ideſt effectus, qui fit in reprobatione; eſt autem duplex effectus, firma adhæſio ad malum, & carentia gratiæ, cauſa primi eſt voluntas noſtra, cauſa autem ſecundi non ſolum eſt voluntas noſtra, quia nos ipſos reddimus indignos ipſa gratia, ſed etiam Deus, qui non vult ipſam nobis conferre, & hoc eſt obdurare, non immittendo ſcilicet malitiam, ſed non impartiendo gratiam. *ar. 3.*

Petrus Aureol. reſp. quod pro primo inſtanti, quo homines offeruntur cum obice gratiæ, quamuis omnes creet, vt ſaluentur, per quem redduntur indigni ſalute, vnde præſcientia reperit in eis reſiſtentiam gratiæ, vel habitualem, vt in paruulis, in quibus eſt originale peccatum, vel actualem, vt malum vſum liberi arbitrij in adultis, & ſic concluditur pro iſtis ſubtractio gratiæ, & finalis damnatio; reprobationis ergo eſt aliqua cauſa ſcilicet affirmatiua, vt dictum eſt, & hæc eſt cauſa demerens; & ſi dicatur quod in paruulis non eſt obex, ſubiungit quod per obicem intelligendum eſt omne impedimentum, ſiuè naturale, ſiuè voluntarium, ſiuè proprium, ſiuè alterius. *ar. 1.*

Franc. Maro reſp. quod licet prædeſtinatio nullam cauſam habeat, habet tamen cauſam reprobatio, ſcilicet demerita; tum quia Deus eſt pronior ad miſerendum, quam ad puniendum; *q. 4.*

dum; tum etiam, quia nullus iuſtus aliquem ſine ratione condemnat; tum tertiò quia pęna ſequitur culpam. Item Varrill.

q. vn. Guilelmus Occham reſp. quod accipiendo cauſam pro naturali conſequentia eſt dare aliquam cauſam reprobationis, nam iſta cauſalis eſt vera; iſte peccabit finaliter, idcirco damnabitur; & eſt (inquit) ſufficiens ratio Scoti. Item Gabriel.

ar. 1. Thomas ab Arg. reſp. quod cum Deus ſit iudex iuſtus nullum deputat ad æternam pœnam ſine cauſa, cauſa autem ex parte reprobatorum, quantum ad eos, qui iam adulti ab hoc ſeculo decedunt dici poteſt malus vſus liberi arbitrij, vſque in finem vitæ in ipſis duraturus ab æterno à Deo præſcitus, quantum autem ad eos, qui paruuli ſine baptiſmate decedunt, dici poteſt ineptitudo, ſeu inhabilitas ad recipiendum influxum gratiæ diuinæ ab æterno à Deo præcognita, quæ ipſis prouenit, vel ex cauſa naturali, vt quia ex naturali ſua complexione tam citò moriuntur, quod baptizari non poſſunt, vel ex cauſa voluntaria voluntate tamen aliena, vt quia naſcuntur, vel nutriuntur ab infidelibus, qui nolunt eos baptizare, & ideo iſtis, quia ſine propria culpa decedunt debetur tantum pœna damni, illis verò etiam pœna ſenſus.

q. vn. ar. 1. Gerardus reſp. concedendo, quod reprobatio habeat cauſam meritoriam, quia vt dicit D. Aug. Non prius Deus eſt vltor, quam aliquis peccator.

q. 2. Guilelmus Rub. reſp. quod reprobationis cauſa eſt demeritum aliquod præuiſum, & ratio eſt, quia reprobi propter illud ſunt præordinati ad damnationem propter quod poſt factum ſunt damnati; ſed propter peccatum ſiuè proprium, ſiuè alienum ſunt damnati, igitur propter idem ſunt reprobati.

q. 1. a. 1. Ioannes Bacconus reſp. quod reprobationis cauſa ex congruo, licet non ex condigno eſt malus vſus liberi arbitrij, ſiuè mala voluntas præuiſa.

2. ſct. q. 1. Robertus Olchot reſp. quod licet Deus non prædeſtinauerit Petrum, quia eſſet in eum crediturus, tamen reprobauit Iudam, quia eſſet in eum peccaturus, vnde licet non ſit cauſa in nobis prædeſtinationis noſtræ, eſt tamen cauſa reprobationis, quia enim Iudas erat peccaturus, ideò Deus illum reprobauit.

d. 41. q. vn. ar. 4. Ioannes de Baſſol. reſp. quod propriè accipiendo reprobationem pro eo, quod eſt nolle alicui gloriam nullam habet cauſam, præter ipſam diuinam voluntatem, ſicut prædeſtinatio; accipiendo verò impropriè pro eo, quod eſt infligere pœnam, & damnare habet cauſam, quæ eſt finale peccatum.

q. vn. Iacobinus Maleſoſſius reſp. quod hic non quæritur cauſa reprobationis pro ſubſtrato, quia ſic nihil eſt, niſi Deus, ſed quæritur pro formali, & hæc cauſa eſt à parte creaturæ, quæ potius debet dici occaſio, quam cauſa, ſi ergo reprobatio accipitur, vt ſit in primo & ſecundo ſigno, ſic nulla eius eſt cauſa, ſi verò in quarto eius datur occaſio ex parte creaturæ.

q. 1. Ioannes Maior reſp. quod reprobatio aliquando largè ſumitur, & ſic dicit ſimpliciter negationem ad gloriam, & hæc nullam cauſam habet, nec in re, nec in Dei præſcientia, aliquando verò propriè, & ſic eſt ordinatio alicuius ad pœnam, quæ non eſt à Deo volita niſi propter culpam, & ſic ſumendo reprobationem hæc eſt concluſio probabilis, quod Deus neminem reprobat, niſi ob peccata præuiſa; primò, quia Deus non eſt prius vltor, quam aliquis peccator; ſecundò, quia Deus eſt paratus, vt agens vniuerſale dare gratiam, & gloriam niſi inueniat impedimentum; tertiò, quia ſic maximè decet ſuam iuſtitiam.

q. vn. Ioannes Viger. reſp. quod reprobatio eſt duplex poſitiua, & negatiua, poſitiua eſt quando Deus in quarto ſigno vult Iudæ damnationem, negatiua eſt quando in primo, & ſecundo ſigno non vult gloriam, neque gratiam.

diſp. vn. Michael de Pal. reſp. quod reprobatio negatiuè ſumpta, quæ eſt non præordinatio ad cæleſtē vitam non eſt ex præuiſis culpis, Deus enim ſe gerens negatiuè erga quaſdam creaturas rationales non præordinando in beatitudinem, vt reprobat eas, non eſt ibi opus præuidentia culparum; reprobatio verò affirmatiuè eſt ex præuiſa finali impenitentia, nam talis reprobatio eſt præordinatio ad ſupplicia æterna, & ſicut Deus neminem punit, niſi ex culpa, ita neminem inſtituit torquendum niſi ex culpa præuiſa. Item Trigoſius.

q. 2. Franc. à Chriſto reſp. quod nulla eſt cauſa reprobationis noſtræ, & hoc probat multipliciter; primò, quia nemo debet odio haberi, neque puniri, & adiudicari morti propter peccatum, quod nondum commiſit, quodve vitare poteſt; ſecundò, quia quod ſola voluntas ſit cauſa reprobationis nullus rationabiliter propter hoc poteſt conqueri de diuina iuſtitia, & miſericordia, ſicut neque vas (vt dicit Apoſtolus) factum ex eadem maſſa in contumeliam, ex qua aliud factum eſt in honorem poteſt conqueri de figulo; tertiò, quia neque Tyrij, & Sidonij fuerunt reprobati, quod fuerint præuiſi infideles futuri, dicit enim Saluator noſter, quod ſi illis prædicatum fuiſ-

Digitized by Google

fuiſſet, crediḋiſſent, & pęnitentiam egiſſent; quartò, quia cum non ſit minor diſtantia non eſſendi ab eſſe, quam miſerè eſſendi ab eſſe beatè, ita ſicut ſola voluntas diuina eſt cauſa quod aliqui ſint, & aliqui non ſint, qui poſſint eſſe, cauſa etiam ſola eſt & ſufficiens, quod aliqui miſerè ſint, & aliqui beatè.

§. 15. Guilelmus Eſtius reſp. quod loquendo de reprobatione abſolutè ſumpta, & ſine comparatione, ſi ſolam ſpectet æternam damnationem, cauſa eius ſunt peccata præuiſa, & ſimiliter ſi ſpectet deſertionem, excecationem, & huiuſmodi, quia præcedentibus peccatis hanc pœnam meruit; ſi verò accipiatur ſecundum totam latitudinem ſuorum effectuum, inter quos eſt permiſſio peccati, ſic nullum eſt in reprobato meritum ſuæ reprobationis. ſi enim permiſſio peccati ſub reprobatione continetur, cum non poſſit idem peccatum eſſe illius permiſſionis cauſa, conſequens eſt, nec totius cauſam dici poſſe.

diſp 3 ar. 4. & 5. Ludou. Mol. reſp. quod reprobationis datur cauſa meritoria ex parte reprobi, videlicet lethalis culpa, in qua præuidetur è vita diſceſſurus, ſiuè ea ſit originalis tantum, ſiuè actualis, ſiuè vtraq. ſimul. Et non modo quoad vltimum reprobationis (inquit Valentia) qui eſt æterna punitio, ſed etiam quoad primum illum effectū, qui eſt permiſſio peccandi.

tr. 2. l. 5. Franciſcus Suarez reſp. quod ex parte reprobi nulla datur cauſa reprobationis negatiuæ, nec ratio voluntatis Dei de non eligenda tali perſona efficaciter ad gloriā, datur tamen cauſa reprobationis poſitiuæ, quia pœnam non pręparat niſi per iuſtam cōdemnationem, & in hac præparatione conſumatur reprobatio poſitiua, & ſicut datur cauſa condemnationis, ita & reprobationis.

diſp. 95. Gabriel Vaſq. reſp. quod loquendo de reprobatione tàm in adultis, quam in paruulis quoad ipſum actum, qui eſt negatio gratiæ primæ, non datur aliqua cauſa ex parte reproborum, ſed quo ad excluſionem à regno, in adultis ſunt peccata, in quibus vitam finiunt; in paruulis autem præuiſum peccatum primi parentis pro primo ſigno, pro ſecundo permiſſio cadendi in peccatum originale, pro tertio excluſio, ſiuè decretum excludendi à beatitudine.

cōt. 3. Petrus Paulus Nazar. reſp. quod ſi eſſet aliqua cauſa reprobationis eſſet maximè peccatum originale, vel actuale, ſed hoc eſſe non poteſt, quia quodlibet peccatum præcedit neceſſariò permiſſio diuina, quare cum nulla culpa poſſit eſſe cauſa permiſſionis, neque etiam poteſt eſſe cauſa reprobationis.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod Deus illas rationales creaturas reprobauit, quas non ab æterno elegit, eas autem non ab æterno elegit, in quibus non ſibi complacuit, in illis autem non ſibi complacuit, in quibus non præuidit illud pulchrum, ſiuè decorum, quod præuidit in his, in quibus ſibi complacuit, eſt enim vt dictum eſt ratio complacentiæ pulchrum; cauſa ergo reprobationis noſtræ fuit, quia Deus non præuidit nos cum ſufficiente pulchritudine, per quam eſſemus applicabiles ad gratiam, & gloriam, vndè ex eius defectu contraxit quandam diſplicentiam circa eā, in qua conſiſtit reprobatio; ſe habet enim Deus vt dicit Apoſtolus ad modum figuli, qui poſtquam multa vaſa ex eadem maſſa condidit, quæ pulchra ſibi apparent ad honoratos vſus deſtinat, quæ verò deformia ad contumelioſos.

Sed ſi Deus præuidit ſe omnia eſſe creaturum in numero, pondere, & menſura, modo ſpecie, & ordine, ac proinde in aliqua bonitate, ac conſequenter beatitudine? ex quo non eſſet conueniens contrahere circa hanc, & illam creaturam aliquam diſplicentiam, neque inde ſumere cauſam reprobandi eam. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod Deus omnia creauit in aliqua bonitate, & pulchritudine communi, in particulari autem ad electionem, & approbationem ſufficientem non item, & ideò ex huiuſmodi differentia factum eſt, vt aliquas creaturas elegerit, & approbauerit, aliquas verò, in quibus non præuiderit hanc pulchritudinem, reprobauerit.

DISTINCTIO QVADRAGESIMA SECVNDA.

Nunc de potentia Dei agendum eſt, vbi prima conſideratio occurrit, &c.

QVÆSITVM I.

An in Deo ſit potentia reſpectu aliorum à ſe?

Alex. reſp. quod in Deo non eſt potentia ſicut in creaturis, ſecundum imperfectionem, materia indigens, & obiecto, ſed eſt potentia in eo ſecundum perfectionem, & plenitudinem, quæ eſt cauſa tota ſui effectus, hæc enim eſt perfectior illa, quæ materia indiget, & obiecto. q. 20. m. 1. & 3.

D. Thomas reſp. quod in hoc conſiſtit ratio poten- d. 42.

q. 1. ar. 1. potentiæ poſſe agere, & non poſſe pati, & quoniam Deus omnia agit, quod conuenit ſibi inquantum eſt actus primus, & perfectus, nihil enim agit niſi ſecundum quod eſt actu ens, & nihil patitur in quantum eſt actus purus, ideò conuenit ei perfecta ratio potentiæ.

pr. 1. q. 1. Ægidius reſp. quod potẽtia reſpicit actum, cum autem Deus ſit maximè in actu, immò ſit ipſe actus, cum ſit ipſum eſſe, ſequitur etiam quod ſit potentia in eo; Hoc autem probat quaſi à priori quadrupliciter, primò, ex eius vnitate, nam quãto aliquid eſt magis vnũ, tanto eſt magis potens, loquendo de potẽtia actiua, omnis enim virtus vnita plus eſt potẽs, quã virtus multiplicata, vt ait Auctor de cauſ. Prop. 18. cum itaque Deus ſit ſummè vnus, ideò potiſsimè eſt in eo potentia; ſecundò, ex eius immobilitate, nam quanto aliquid magis mouet motum, tanto magis mouet inſtrumentaliter, & eſt minus potens; cum ergo Deus ſit immobilis, quia nec per ſe mouetur, ſicut corpora, nec per accidens, ſicut virtutes in corpore, nec ab intra, ſicut intelligentię, ſequitur etiam quod ſit ſummè potens, & conſequenter quod ſit in eo potentia; tertiò, ex eius vniuerſalitate, nam quanto in aliquo congregantur plures rationes factiuę, tanto illud eſt potentius, per hoc enim dicimus Solem potentiorem cæteris inferioribus, quia eius virtute omnia hęc inferiora agunt; cum itaq. in Deo ſint omnes rationes factiuę rerum, quia (vt dicit Auer.) omnes formę, quę ſunt potentia in prima materia, ſunt actu in primo motore, & ſunt in eo quaſi in artifice, ſequitur quod ſit maximè potentia in eo; quartò, ex eius formalitate, nam quanto aliquid eſt formalius, tanto in eo maximè eſt actiua potentia, per hoc enim dicimus ignem actiuiorem cæteris elementis, quia cęteris eſt formalior; & quoniam Deus eſt ſummè formalis, quia ſummè in actu, ideò maximè potens.

q. 1. Ricardus reſp. quod in Deo non eſt potentia paſsiua reſpectu aliorum à ſe, quia talis potentia eſt principium tranſmutandi ab alio, Deus autem tranſmutari à nullo poteſt, quia nihil tranſmutatur, niſi quod poſsibile eſt, Deo autem nulla ineſt poſsibilitas, & ideò nec potentia paſsiua, ſed bene actiua, quia talis potentia eſt principium tranſmutandi aliud, Deus autem poteſt alia tranſmutare, & ideò potentia eſt in eo.

q. 1. Durandus reſp. quod cum duplex ſit potentia actiua ſcilicet, & paſsiua, in Deo non eſt potentia paſsiua reſpectu aliorum à ſe, ſed actiua; quod non ſit potentia paſsiua probat, quia potentia paſsiua importat imperfectionem, & diminutionem in actualitate, & entitate, ordinatur enim ad recipiendum aliquid in ſe, & non influendum aliquid alteri, cum ſit principium tranſmutandi ab alio ſecũdum quod illud; quod autem importat imperfectionem, & diminutionem in actualitate, & entitate non eſt in Deo; quod autem ſit in eo potentia actiua probat dupliciter; primò, quia potentia actiua importat perfectionem ſimpliciter in actualitate, & entitate, quod autem talem perfectionem importat eſt in Deo; ſecundò, quia Deus agit nihil omninò patiens, quod autem agit ſic, habet puriſſimè potentiam actiuam; quod enim agit actum, cum potentia actiua, per quam agit, habet potentiam paſſiuam, per quam agitur.

Petrus Aur. reſp. quod in Deo eſt potentia ar. 2.
actiua non ſecundum eam rationem, ſecũdum quam eſt in ente creato, quia ſic imperfectionem importat; ſed ſecundum aliam rationem, quę importat perfectionem ſcilicet actiuitatẽ ipſam, ſiuè vim, aut vigorem, ſeù etiam virtutem, quam propriè exprimit poteſtas, & hęc eſt conditio formę, & actus vndè magis conceditur, quod eſt in eo poteſtas actiua, vel virtus effectiua, quam quod ſit potentia, quia ratio potentię videtur includere, illam primam rationem potentialitatis, & poſsibilitatis, quę nullo modo eſt in potentia Dei, licet ſit in potentia creaturæ.

Gerardus reſp. quod in Deo non eſt quidẽ q. VII.
potentia paſsiua, quia talis potentia expectat recipere aliquid à potentia actiua; quod infinitati, & illimitationi diuinę repugnat; ſed bene eſt potentia actiua, quod probat tripliciter; primò, quia Deus eſt cauſa agens, cauſa autem quęlibet agens habet in ſe potentiam actiuam, quæ eſt principium actionis; ſecundò, quia Deus eſt ratio formę exemplaris, non exemplatę, de cuius ratione eſt, quod habeat rationem potentiæ actiuę per modum artis, ſemper enim ars habet rationẽ principij actiui; tertiò, quia potentia actiua dicit perfectionem ſimpliciter, quod autem dicit perfectionem ſimpliciter in Deo eſt ponendum.

Guilelmus Rub. reſp. quod propriè, & ſtri- q. 1.
ctè non eſt potentia in Deo, quia ſic nihil dicitur eſſe in ſeipſo, Dei autem potentia non diſtinguitur ab eo, ſed ſicut ſapientia dicitur in eo, cum ſit ſapiens, quamuis ſit idem cum eo, ita & potentia cum ſit omnipotens, largè tamen, & non propriè.

Marſilius reſp. quod in omni eo, quod agit q. 41.
eſt potentia actiua, quod enim agit tranſmu- ar. 1.
tat alterum, & conſequenter eſt principium tranſmutandi in eo, quod eſt potentia actiua;

cum

q. 2. diſtinguitur potentia ab intellectu, & voluntate ſecundum rem, ſed tantum ſecundum rationem formaliter eminenter ſicut diuina attributa, eſt enim vna res intellectus, voluntas, & potentia, ſed intellectus vt intellectus non habet quod ſit principium agendi, ſed dirigendi ſolum, voluntas vt voluntas imperandi, potentia verò exequendi.

q. 25. ar. 1. Ludou. Mol. reſp. quod actus voluntatis, quo Deus vult hoc, aut illud eſſe tali, vel tali tempore, eſt in Deo immediatum principium efficiens rerum creaturarum, atque ideò voluntas, quo ad eum actum eſt potentia executiua in Deo.

p. 1. Gregorius de Val. reſp. quod potentia Dei actiua, ſecundum propriam, & quaſi ſpecificam ſui rationem eſt ipſe diuinus intellectus, & voluntas, omnis enim alia propria, & ſpecifica ratio potentiæ actiuæ, quæ non ſit ratio intellectus, & voluntatis eſt ex ſe imperfecta, & abhorrens à Deo.

de tr. l. 3. c. 9. Franc. Suarez reſp. quod potentia Dei actiua eſt diſtincta ratione ab intellectu, & volũtate, quia non ſe habet vt facultas operatiua addita ſecundum rationem eſſentiæ Dei, ſed eſt ipſamet eſſentia, vt per ſe immediatè operatiua tanquam principium principale, & immediatum operationis.

diſp. 102. Gabriel Vaſquez reſp. quod non eſt ponenda in Deo alia facultas exequens diſtincta etiã ſecundum rationem à voluntate, ſi quidem voluntas ita perfecta debet concipi in ratione voluntatis, vt cum velit facere aliquid, per ſe ipſam illud aſſequatur.

Reſolutio.

RESpondeo, quod potentia, quæ eſt in Deo reſpectu aliorum à ſe dicitur potentia operatiua, ſeù actiua, & eſt illa, quæ præſupponitur ad actum operandi, ſeù agendi aliquid extra ſe, potentia autem intellectiua dicitur illa, quæ præſupponitur ad actum intelligendi, & eſt intellectus, & volendi illa, quæ præſupponitur ad actum volendi, & eſt voluntas, certum eſt autem quod huiuſmodi actus diſtinguuntur, quia aliud eſt intelligere, aliud velle, & aliud operari, multa enim intelligimus, quæ nolumus, & multa intelligimus, & volumus, quæ tamen non operamur, vnde vnus alteri prærequiritur, nam intelligere prærequiritur ad velle, velle ad operari; potentia ergo, quæ eſt in Deo reſpectu aliorum à ſe diſtinguitur à potentia intellectiua, & volitiua, potentia autem executiua addit ſupra potẽtiam abſolutè ſumptam exercitium ſub actus; quãdo enim eſt actualis operatio, tunc illa potentia dicitur executiua.

Obiectio. Sed ſi voluntas diuina eſt ſufficiens cauſa omnium entium ſine aliqua potentia executiua? cum dicat D. Aug. quod voluntas diuina eſt ſumma cauſa omnium.

Reſpondetur, quod cauſare pertinet ad potentiam executiuam motam à voluntate, & hoc modo dicitur Deus cauſare entia per ſuã voluntatem. Ita Franciſcus Maro.

QVÆSITVM III.

An potentia Dei reſpectu aliorum à ſe ſit vna tantum, & eadem reſpectu omnium?

d. 42. ar. 2. D. Thomas reſp. quod potentia Dei poteſt dupliciter conſiderari, vel quantum ad eſſentiam potentiæ, vel quantum ad actiones, quæ à potentia procedunt, ſi conſideretur quantum ad eſſentiam potentiæ, quia ſic eſt vna eſſentia, potentia ſimiliter eſt vna, ſi quantum ad actiones, quæ ab ipſa procedunt, ſic pluralitatem quandam rationum habet, etiamſi re ſit vna, ſicut eſſentia.

pr. 1. q. 2. Ægidius reſp. quod virtus diuina, ſeù diuina potentia non differt ab eſſentia Dei, & quoniam eſt vnum eſſe in Deo, ideò & vna potentia, & virtus.

q. 6. Franc. à Chriſto reſp. quod potentia conſiderata, ſecundum ſuam eſſentiam eſt vna ſecundum rem, multiplex ſecũdum rationem, quia eſt eſſentia diuina, quæ eſt vna ſecundum rem, & multiplex ſecundum rationes attributales; extrinſecè autem conſiderata in ordine ad ſuos effectus eſt multiplex ſecundum rem, quia in effectibus, qui ab ipſa proueniunt eſt multitudo realis; in ordine verò ad diuinam actionem, eſt vna ſecundum rem, & multiplex ſecundum rationem, nam ſua actio eſt diuina eſſentia, quæ multiplicitatem quandam habet ratione effectuum; quoniam tamen iudicium ſumendum eſt de re ſecundum illud, quod ei conuenit intrinſecè, & ſecundum hoc potentia eſt vna, ideò ſimpliciter dicendum eſt, & abſolutè, quod ſit vna.

q. 20. ar. 4. & 1. Petrus Trig. reſp. quod in Deo potentia eſt vnica; tum quia Deus eſt ſimpliciſſimus, & vnus; tum etiam quia eſt idem potentia, quod eſſentia, quæ eſt vna; tum tertiò quia eſt vnum tantum immediatum principium agendi.

Reſolutio.

RESpondeo, quod vnitas, & diſtinctio potentiarum alicuius agentis deducẽda

Reſolutio.

RESpondeo, quod potentia Dei, vt potentia creatoris, & primæ cauſæ, ſeù primi agentis ſe extendit ad omnia ea, quæ ſunt poſſibilia creaturis, & cauſis ſecundis, ſed ad ea, quæ ſunt poſſibilia eis inquantum mouentur, cum ipſe ſit agens immobile, non ſe extendit niſi mediatè, vt ad comedere, currere, & huiuſmodi, ſi enim Deus poſſet vel comedere, vel currere moueretur; ad ea verò, quæ ſunt poſſibilia eis inquantum mouent, & mediatè, & immediatè ſe extendit, vt ad illuminare, calefacere, & huiuſmodi, poteſt enim illuminare, & calefacere mediante igne, & poteſt etiam hoc immediatè efficere ſine igne, abſque quod moueatur, ignis enim illuminat, & calefacit inquantum mouet, non inquantum mouetur; ſicut animal comedit, & currit inquantum mouetur, ſeù patiens motum.

Obiectio. Sed ſi omnis ordo cauſarum reſeruatur in primo? ac proinde quæ Deus poteſt producere mediante cauſa ſecunda, poteſt producere non mediante illa.

Reſpondetur, quod quæ poteſt Deus producere mediante cauſa ſecũda poteſt producere non mediãte illa, loquẽdo de poſſe, quod reſpicit actiuã potentiã, ſed loquẽdo de illo, quod eſt cũ paſſione, & motu, nequaquã. Ita Ægid.

QVÆSITVM V.

An potentia Dei ſe extendat ad ea, quæ ſunt impoſsibilia creaturis?

d.42. ar. 2. q. 2. D. Thomas reſp. quod aliquid poſſe, poteſt negari, vel ex parte potentis, vel ex parte poſſibilis; ex parte potentis quod non eſt purum poſſe, ſed admixtũ cũ non poſſe, & ſic de Deo negatur poſſe peccare; ex parte poſſibilis, quod nullo modo rationem poſſibilis habere poteſt, quod ſcilicet non poteſt habere rationem entis, vel non entis, & hoc dicitur impoſsibile in ſe, vt quod idem ſimul ſit, & non ſit eſt impoſſibile in ſe, quia quod eſt ens, & non ens, neque eſt ens, neque non ens, & hoc dicitur Deum facere non poſſe, non quidem propter defectum potentiæ eius, ſed quia hoc deficit à ratione poſsibili, quicquid autem in ſe non repugnat rationi entis, vel rationi non entis, hoc Deus poteſt facere, etiamſi alteri ſit impoſsibile.

ar. 1. q. 3. D Bonau. reſp. quod quatuor modis nos iudicamus aliquid impoſsibile, vno modo per limitationem naturalis potentiæ, vt virginem parere; ſecundo, non propter limitationem potentię, ſed propter limitationem noſtræ intelligentiæ, vt duo corpora eſſe in eodem loco, vel idem in diuerſis; tertio, propter priuationem omnis exiſtentiæ ſecundum omnem comparationem ſcilicet principij, medij, & vltimi, vt præteritum non fuiſſe præteritum; quarto, propter illuſtrationem veritatis æternæ, & ordinum diuinæ ſapientiæ, vt duo oppoſita ineſſe eidem, & ſecundum idem. Itaque potentia Dei ſe extendit ad omnia impoſsibilia primo, & ſecundo modo, quia infinita eſt, & illimitata, & ſupra naturam, & intelligentiam noſtram, ſed non tertio modo, quia talia poſſe, eſt nihil poſſe, nec quarto, quia ſic poſſe eſt inordinatè, vel contra ordinem ſapientiæ poſſe.

Ægidius reſp. quod ſi huiuſmodi impoſsibile dicitur eo quod ipſi eſſe repugnet, ſic, quod naturę impoſsibile eſt Deo etiam eſt impoſsibile, quia tale impoſsibile nulli potentiæ poteſt eſſe ſubiectum; ſi verò ſit impoſsibile, non quia ſimpliciter ſubterfugiat ordinem virtutis, ſed quia non ſubiacet virtuti determinatæ ad genus, vel ſpeciem, vel virtuti finitæ, vel virtuti neceſſariò requirenti ordinem cauſarum, vel etiam non ſubiacet potentiæ agentis, cuius natura diſtat ab eſſe, quibus rationibus multa ſunt impoſsibilia creaturis, ſic, quæ naturæ impoſsibilia ſunt, Deo ſunt poſsibilia, cum eſſe ſuum non ſit contractum ad aliquod genus, vel ſpeciem, non ſit limitatum, aut in natura receptum, ſed purum, & in quo omne aliud eſſe reſeruatur, & continetur. *pr. 2. q. 2.*

Herueus reſp. quod multa non poſſunt agere creaturæ propter earum imperfectionem, & limitationem, ſicut carpentarius non poteſt ſecare ſine ſecuri; cum tamen Deus nullam imperfectionem habeat, & limitationem, idcircò ad plura ſe extendit, quæ etiam ſunt impoſsibilia creaturis. *d. 44. q. 2.*

Durandus reſp. quod ſicut poſsibile dicitur dupliciter, vno modo ſecundum aliquam potentiam actiuam, vel paſsiuam, vt quod Sol calefaciat, & terra calefiat, & alio modo abſolutè ſecundum habitudinem terminorum, qui ſibi inuicem non repugnant, vt quod homo ſit animal, & triangulus habeat tres; ita per oppoſitum, impoſsibile dicitur vno modo propter defectum potentiæ actiuæ, & paſsiuæ, vt quod homo volet, alio modo propter repugnantiam terminorum, vt quod ternarius ſit par; Dei ergò potentia cum non ſit limitata, aut cõtracta ad aliquod genus, & ſpeciem, cui debeat correſpondere aliquod poſsibile *d.42. q.2.*

contractum ad genus, & ſpeciem ſe extendit ad ea, quæ ſunt impoſſibilia primo modo, non tamen ad ea, quæ dicunt repugnantiam terminorum, quia talia non ſunt factibilia ſimul, cum poſitio vnius ſit remotio alterius.

d. 43. q. 1. Franc. Maro reſp. quod quatuor ſunt genera impoſſibilium; aliqua enim ſunt impoſſibilia ſimpliciter, quæ nullius agentis poteſtati ſubijciuntur, vt chimera; aliqua verò ſecundum quid, quæ ſcilicet non ſubiacent poteſtati limitatæ virtutis, ſed bene infinitæ virtutis, vt quod virgo pariat; aliqua per accidens, vt motus heſternus ſolis ex natura ſua poſſibilis, ſed tamen impoſſibilis vt coniungitur præteritioni; aliqua verò, quorum termini de ſe ſunt incompoſſibiles, vt quod idem ſit album, & nigrum ſimul; Dei itaque potentia non ſe extendit ad impoſſibilia primo modo, quia omne tale ens eſt prohibitũ ſimpliciter, & ſuper nullum tale cadit aliqua poſſibilitas, nec tertio modo, quia Deus non poteſt facere, quod motus præteritus non ſit præteritus, quia quod non eſt nõ poteſt deſtrui, nec quarto modo, quia nihil poteſt fieri à Deo, quod non ſit factibile, ſed tantum ſecundo modo, licet enim hoc ſit huic agenti impoſſibile, eſt tamen poſſibile ſimpliciter.

d. 42. q. 2. Guilelm. Rub. reſp. quod potentia Dei effectiua non ſe extendit ad ea, quæ ſunt impoſſibilia ſimpliciter, quæ ſcilicet non poſſunt poni in eſſe ab aliquo agente, nam ſicut potentia intellectiua non eſt niſi intelligibilis, & ſenſitiua ſenſibilis, ita & effectiua non niſi effectibilis; ſe extendit tamen ad ea, quæ ſunt impoſſibilia ſecundum quid, & huiuſmodi ſunt, quæ ſunt impoſſibilia creaturis.

Reſolutio.

RESpondeo, quod creaturarum potentia limitata eſt, quia earum natura eſt limitata, & ideò non ſe extẽdit ad omnia poſſibilia, ſed ad ea tantum, ad quæ eſt motus, ad illa verò, ad quæ non eſt motus non ſe extendit, & talia ſunt impoſſibilia eis, vt virginem parere, mortuos ſuſcitare, & huiuſmodi; Dei autem potentia illimitata eſt, quia eius natura etiam eſt illimitata, & ideò ad omnia poſſibilia ſe extendit etiam ad ea, ad quæ non eſt motus, quæ ſunt impoſſibilia creaturis, poſſibilia tamen Deo, quia habent rationẽ entis.

Obiectio. Sed ſi quæ ſunt impoſſibilia creaturis implicant contradictionem? cum enim habeant aliquam oppoſitionem, contradictio in omnibus oppoſitionibus reſeruatur.

Reſpondetur, quod quæ ſunt impoſſibilia creaturis implicant contradictionem per cõparationem ad virtutem creatam, non ad virtutem diuinam, & ideò ad ea ſe extendit, quamuis non ſe extendat ad ea, quæ implicãt contradictionem ſimpliciter. Ita Ægidius.

QVÆSITVM VI.

An potentia Dei ſe extendat ad ea, quæ implicant contradictionem?

ALex. reſp. quod ſi loquamur de potentia Dei abſoluta, non poteſt intellectus noſter determinare, aut capere infinitum pelagus ſuę potentię; ſi verò loquamur de potentia ordinata, Deus non poteſt facere quicquid repugnat ſuę potentiæ, ſuæ bonitati, & veritati; & quoniam oppoſita eſſe idem, ſiuè contradictoria, repugnat eius veritati, vt ſcilicet idem ſimul ſit, & non ſit, ideò ad huiuſmodi eius potentia non ſe extendit. q. 21. m. 5. ar. 3.

Ricardus reſp. quod Deus non poteſt facere contradictoria ſimul eſſe, non quidem propter defectum potentiæ ex parte ſui, ſed quia illud non habet rationem potentię vllo modo, & ſi quæratur ratio; alia ratio (inquit) reddenda non eſt, niſi quia talis eſt natura, vel habitudo affirmationis, & negationis; vt ſi quæratur ratio, quare totum eſt maius ſua parte, nulla alia reddi poteſt, niſi quia talis eſt natura totius, & partis. d. 42. q. 4.

Petrus Aur. reſp. quod duplex eſt repugnantia, & contradictio, vna eſt & prima, quando negatur aliquid de aliquo ſubiecto, quod prędicatur de eo in primo modo dicendi per ſe, vel aliquid incluſum in ratione diffinitiua ſubiecti formaliter, & in recto, & hæc eſt illa, quam excludit primum principium, impoſſibile eſt ſimul idem eſſe, & non eſſe, altera eſt repugnantia, & contradictio, quando prædicatum includit negationem alicuius exiſtentis in ratione diffinitiua ſubiecti adiectiuè, vel in obliquo; prima itaq. repugnantia, & contradictio ponit impoſſibilitatem ſimpliciter, & ideò ad ea, quæ hoc modo impoſſibilia ſunt non ſe extendit diuina potentia, quia nulla potentia actiua poteſt cadere ſuper repugnantiam iſtam; ſecunda verò repugnantia, & contradictio non ponit impoſſibilitatem ſimpliciter, & primò, ſed ex conſequenti, & ideò quamuis nõ poſſit cadere ſuper eam aliqua potentia creata, increata tamen, qualis eſt potentia diuina cadere poteſt, & ratio eſt, quia Deus plus poteſt facere, quam noſter intellectus intelligere, intellectus autem noſter poteſt huiuſmodi impoſſibilia intelligere. p. 2. a. 2.

Franc.

d.43. q.4. Franc. Maro reſp. quod omne illud eſt Deo impoſsibile, quod vel ipſam contradictionem includit, vel ad contradictionem deducitur, & huiuſmodi ſunt ea, quæ repugnantiam habent ad inuicem. Quæ quia non poſſunt habere rationem entis, diuinæ potentiæ non ſubduntur, inquit Franc. à Chriſto.

Reſolutio.

RESpondeo, quod potentia, & poſsibile relatiuè ſe habent, ſicut ergo ad poſsibile, quomodocunque ſit poſsibile ſe habet aliqua potentia, ita ad omnino impoſsibile nulla eſt potentia; cum itaque ea, quæ contradictionem implicant ſint omninò impoſsibilia, quia non habent rationem entis, nulla potentia ſiuè ſit potentia creaturarum, ſiuè ſit potentia Dei, ſe extendit ad illa.

Obiectio. Sed ſi homo poteſt contradictoria dicere, & repugnantia cogitare? quicquid autem poteſt homo dicere, & cogitare, Deus poteſt facere; non enim (inquit Angelus ad Virginem) eſt impoſsibile apud Deum omne verbum.

Reſpondetur, quod non propriè habet rationem verbi, quod non eſt repræſentatiuum eius, quod intellectus poteſt intelligere, nam 15. de Trin. (vt dicit D. Aug.) Verbum, quod foris ſonat ſignum eſt verbi, quod intus latet, vndè cum contradictoria verificari, intellectus intelligere non poſsit, nec ſimiliter de eis poteſt formari verbum.

QVÆSITVM VII.

An potentia Dei ſe extendat ad præterita?

q.21. m.5. ar.4. ALex. reſp. quod præteritum non fieri præteritum, vel vt fiat futurum eſt ordo irreuocabilis, quia eſt ordo ſecundum incommutabilitatem primæ veritatis, & eſt impoſsibile per accidens, quia aliquando fuit poſsibile, quod in fieri eſt impoſsibilius, quam impoſsibile per ſe, quod ſcilicet nunquam fuit poſsibile.

p. p. q.25. ar.4. D. Thom. reſp. quod ſub omnipotentia Dei non cadit aliquid, quod contradictionem implicat, & quoniam contradictionem implicat præterita non fuiſſe, igitur ſub Dei omnipotentia præterita non cadunt. Item Ricardus.

d.42. pr.2. q.2. Ægidius reſp. quod accipiendo præterita pro rebus, Deus poteſt in præterita, inquantum poteſt reſtaurare præterita, vt quod corruptum reintegretur, & homo corruptus redeat idem numero, ſed accipiendo præterita prout ſtant ſub præteritione, non poteſt, nam ſicut album non poteſt eſſe non album, prout ſtat ſub albedine; ita nec præteritum poteſt non eſſe præteritum, vt ſtat ſub præteritione.

Gregorius affert pro vtraque parte rationes & pro vtraque multas difficultates ſoluit, vndè in hoc quæſito videtur eſſe dubius. q.1.

Alphonſus reſp. quod tanta neceſsitate præteritum eſt præteritum, quod Deus non poteſt facere præteritum non fuiſſe; primò quia implicat contradictionem, quod præteritum nunquam fuerit; ſecundò, quia nec etiam poteſt Deus facere rem non eſſe quando eſt, ſiuè pro menſura in qua eſt propter repugnantiam terminorum; tertiò, quia nec etiam poteſt facere fuiſſe, quod nunquam fuit; quartò, quia ſic ſequeretur quod Deus poſſet facere quod Chriſtus natus non fuerit, non fuerit paſſus, & huiuſmodi, quæ ſunt abſurda. ar.2.

Guilelm. Varrill. reſp. quod præteritum inquantum præteritum nihil eſt, ſi igitur Deus faceret præteritum non eſſe præteritum, mutaret non eſſe in non eſſe, & quoniam hæc eſſet mutatio, oporteret præteritum eſſe, mutatio enim ſemper requirit vnum extremum ens, & ita præteritum eſſet, & non eſſet. ar.2.

Ioannes à Celaia reſp. quod Deus poteſt in præteritum accipiendo ly poteſt logicaliter, quod tantum valet, ſicut hoc diſiunctum poteſt, vel potuit, vel poterit; ſed non accipiendo ly poteſt phyſicaliter, quod tantum valet, ſicut hoc totum, ſcilicet, poteſt in tempore præſenti, vel poterit pro tempore futuro. d.44. q.2.

Franc. à Chriſto reſp. quod duplex eſt præteritum, vnum abſolutum, & independens, alterum ordinem, & dependentiam habens ad futurum; exemplum primi, Adam fuit; exemplum ſecundi, Chriſtus prædixit Antichriſtum fore, præteritio enim illius prædictionis eſt dependens ex effectu futuro contingenti; primo modo potentia Dei non ſe extendit ad præterita, ſed ſecundo. q.3.

Gregorius de Val. reſp. quod Deus poteſt facere, vt præteritum contingens ſimpliciter, & in ſenſu diuiſo non fuerit, ideſt, vt nunquã Adam fuerit, non tamen in ſenſu compoſito, ideſt, poſito quod fuerit. q.25. p.3.

Reſolutio.

RESpondeo, quod potentia Dei ſe extendit ad poſsibilia, poſsibilia autem expectant in futurum eſſe à potentia, præterita autem inquantum præterita non expectant in futurum eſſe, quia iam fuerunt, fuiſſe enim, & futu-

futurum eſſe implicant; cum itaque preterita non ſint amplius poſsibilia, potentia Dei non ſe extendit ad ea.

Obie-ctio. Sed ſi de futuro poteſt Deus facere, quod non eueniat? ita autem ſe habet præteritum adfuiſſe, ſicut ſe habet futurum ad fore.

Reſpondetur, quod non eſt ſimile de præterito, & de futuro, nam ſi eſt futurum non poteſt actu fieri, niſi Deo operante, vel permittente, ſi eſt autem præteritum non dependet ab eius operatione, vel permiſſione. Ita Ricardus.

QVÆSITVM VIII.

An potentia Dei ſe extendat ad ea, quæ ſunt contra naturam?

q.21. m.5. ar.2. ALex. reſp. quod natura dicitur tripliciter vno modo ſolitus curſus naturæ, alio modo naturalis poteſtas, vt Deus faciat ex ea quicquid vult, tertio lux ſumma naturæ, ſcilicet Deus ipſe; Deus ergo primo modo operatur contra naturam, quia operatur contra curſum naturæ hominibus notum; ſecundo modo, non, quia hoc modo natura dicitur naturalis obedientia creaturæ reſpectu potentiæ creatoris, vndè ſi hoc modo faceret contra naturam, faceret quod creatura potentiæ ſuæ non obediret, quod eſt impoſſibile, cum ſit ei ex ſua conditione datum; tertio modo ſimiliter non poteſt facere contra naturam, quia non poteſt facere contra ſeipſum.

d.42. pr.2. q.2. Ægidius reſp. quod Deus non dicitur propriè facere contra naturam, quia nunquam facit contra rationes obedientiales ipſi naturę inditas, licet videatur aliquo modo facere contra rationes ſcientiales, & hoc modo dicitur facere præter naturam, vel ſupra naturã, non contra naturam.

q.6. Ricardus reſp. quod natura poteſt accipi dupliciter; vno modo pro vi rebus inſita, qua explent ſuos vſitatos curſus, ſiuè in agẽdo, ſiuè in patiendo, & ſic accipiendo naturam, Deus multa facit, & plura poſſet facere ſi vellet contra naturam; alio modo poteſt dici natura, quædam poſſibilitas in rebus, vt ex eis poſsit fieri virtute diuina, quod per naturam primo modo dictum non poſſet fieri, & contra naturam ſic dictam Deus nihil facit, nec facere poteſt, quia hoc rationem poſsibilis non habet; ſed tamen quia in communi vſu natura magis dicitur natura primo modo, quã ſecundo, ideò conceditur ſimpliciter, quod Deus poteſt facere contra naturam.

Reſolutio.

REſpondeo, quod quædam ſunt poſsibilia ſecundum naturam in rebus, vt quæ ſunt ſecundum naturalem inclinationem earum, vel ordinem inditum eis, ſicut ignem ferri ſurſum, cælum moueri, & huiuſmodi, quædam verò ſunt poſsibilia contra naturam rerum, vt quæ ſunt contra earum naturalem inclinationem, vel ordinem inditum eis, ſicut ignem ferri deorſum, cælum quieſcere, & huiuſmodi; & quoniam Deus eſt auctor naturę, & eius potentia eſt illimitata, ideò ſe extẽdit etiam ad ea, quæ ſunt contra naturam.

Sed ſi curſus naturalis eſt inſtitutus ſecundum rationem rectam? Deus autem non poteſt facere contra rationem rectam. Obiectio.

Reſpondetur, quod licet Deus non poſsit facere contra rationem rectam, tamen poteſt velle ex ſpeciali diſpenſatione, vt eueniat contrarium naturali inſtituto ſecundum rationem rectam. Ita Ricardus.

QVÆSITVM IX.

An potentia Dei ſe extendat ad ea, quæ aliquando potuit ipſe Deus?

ALex reſp. quod potentia Dei ſe extendit ad ea, quæ aliquando potuit, inquantum habet eandem potentiam, quam habuit, ſed non ſi illud facere modo potentiæ eſt, ſicut enim factum facere, non eſt facere, ſic poſſe facere factum non eſt poſſe, eſt enim facere non facti, ſed faciendi, & poſſe facere faciendum. q.21. m.4.

D. Thomas reſp quod hoc quod aliquis nõ poſsit quod aliquando potuit, poteſt contingere ex duobus; vel quia amittit aliquam potentiam, quam habebat, & ſic Deo, non competit; vel ex mutatione obiecti, quod amittit rationem poſsibilis, quam prius habebat, & hoc modo Deus non poteſt facere, quod aliquando potuit, non quod amiſerit potentiam faciendi, ſed quia illud non eſt poſſibile. Item Franc. à Chriſto. Multa poſsibilia fiunt impoſsibilia per accidens (inquit D. Bonau.) & reſpectu horum dicitur Deus non poſſe, quod aliquando potuit, quia talis impoſsibilitas eſt ex parte rei, non ex parte potentiæ. d.44. ar.4. q.1.

Ægidius reſp. quod ſi quæſtio referatur ad res, quia aliqua fuerunt aliquando poſsibilia, quæ modo non ſunt, vt Deum incarnari, reſurgere, & huiuſmodi, quia iam ſunt præte- pr.2. q. vn.

rita

rita, ſic potentia Dei non ſe extendit ad illa, quæ aliquando potuit; ſi verò referatur ad ipſam diuinam potentiam, quia eadem potentia ei modo congruit, quæ prius ei congruebat, ſic ſe extendit ad ea, quæ aliquãdo potuit.

q. 4. Durandus reſp. quod ad hoc quod agens poſſit aliquod facere requiruntur duo, vnum ex parte agentis, ſcilicet quod habeat potentiam actiuam, & aliud ex parte effectus, ſcilicet quod ſubſit potentia paſſiua poſitiua, ſi ſit agens requirens materiam, vel quod non includat repugnantiam ad eſſe, ſi ſit agens non requirens materiam, quod ergo Deus non poſſit facere, quod olim potuit, non prouenit ex defectu potentiæ ex parte agentis, quia eadem eſt potentia in Deo ab æterno, & nũc, nec ex defectu potentiæ paſſiuę poſitiuæ, quia Deus non neceſſariò talem requirit, ſed ex hoc ſolum, quia illud quod olim habuit rationem poſſibilis non implicantis contradictionem, modo non habet rationem poſſibilis, quia implicat contradictionem.

ar. 3. Ioannes de Baſſ. reſp. quod Deus poteſt quicquid potuit, & probat tripliciter; primò, quia eius potentia eſt æterna, nec tranſit in præteritum; ſecundò, quia eſt agens omnipotens potens in omne illud, quod non eſt impoſſibile; tertiò, quia quicquid potuit eſt intellectum ab eo in æternitate, res autem eſt poſſibilis per eſſe intellectum, vel repręſentatum ab eſſentia diuina, prout poſſibile diſtinguitur contra impoſſibile.

Reſolutio.

RESpondeo, quod aliqua ſunt, quæ aliquando potuit Deus, & non fecit, vt Antichriſtum eſſe, & ad hæc potentia Dei ſe extendit, quia poteſt facere Antichriſtum eſſe; aliqua ſunt, quæ aliquãdo potuit, & fecit, ſed horum aliqua ſunt iterabilia, vt iuſtificatio impij, & ad hæc etiam potentia Dei ſe extendit, quia poteſt iterum iuſtificare, quem olim iuſtificauit, aliqua verò irriterabilia, vt verbi incarnatio, & ad hæc potentia Dei non ſe extendit, eſt enim impoſſibile verbum incarnari, cum iam ſit incarnatum.

Obiectio. Sed ſi eadem eſt potentia, qua aliquando potuit, & qua modo poteſt, & ſemper poterit?

Reſpondetur, quod eadem quidem eſt potentia, ſed non eſt idem obiectum, nam antequam fieret erat poſſibile, vt futurum, poſtquam autem eſt factũ, eſt neceſſarium, vt præteritum, & non amplius poſſibile, vt futurum, ſicut dictum eſt.

QVÆSITVM X.

An potentia Dei ſe extendat ad quemcunque effectum immediatè, etiam ſine concurſu ſecundarum cauſarum.

d. 43. q. 8. FRanciſcus Maro reſp. quod hæc eſt cõmunis ſententia Doctorum, quod quicquid poteſt Deus facere mediante cauſa ſecunda in genere cauſę efficientis, poteſt immediatè per ſe; & ratio eſt, quia Deus eſt cauſa prima, & perfectiſſima continens virtualiter omnem cauſam ſecundam, & iſta cauſalitas effectiua nullã dicit imperfectionẽ.

q. 44. ar. 1. Marſilius reſp. quod virtus, quæ neceſſariò eſt intrinſeca effectui, quem producit in producendo, & conſeruat in conſeruando, effectum, quem producit immediatè producit, & attingit; cum itaque virtus diuina ſit huiuſmodi, quia Deus ſecundum ſuam potentiam, & virtutem eſt in omni re, igitur immediatè producit.

d. 42. q. 1. Laur. Opim. reſp. quod Deus non indiget adminiculo ſecundarum cauſarum, & ideò poteſt ſe ſolo producere; & in eſſe conſeruare, quicquid poteſt mediante cauſa ſecunda.

ar. 2. Gulielm. Varrill. reſp. quod Deus vt prima cauſa habet eminentiori modo, quicquid perfectionis habent aliæ cauſæ ab ea, quæ producunt ſuos effectus inquãtum ſunt perfectæ, & ideò ratione talis cõtinẽtiæ perfectionũ per ſe ſolus poteſt, quicquid poſſunt aliæ creaturæ.

q. 25. ar. 3. Ludou. Mol. reſp. quod Deus poteſt efficere rem omnem immediatè, quam mediante cauſa ſecunda efficit, at ita vt ſi rationem aliquam in ſe habeat, quæ habitudinem inuoluat, vt ea res ſit efficienter à cauſa ſecunda, eam efficere non poſſit ſe ſolo ac immediatè, quoniam id contradictionem implicat.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſecundæ cauſæ non poſſunt agere ſine motu, Deus autem ad agendum non indiget motu, & ideò poteſt in quemcunque effectum, etiam ſine concurſu earum.

Obiectio. Sed ſi Deus non poteſt album albificare ſine albedine?

Reſpondetur, quod cum dicitur, Deus poteſt in quemcunque effectum, etiam ſine concurſu ſecundarũ cauſarum intelligitur de cauſis efficientibus, & agentibus per motum, non formalibus, quia hoc implicat, vt ſcilicet aliquid efficiatur tale, & non ſit tale forma ſua, quæ facit ipſum eſſe tale.

QVÆ-

ximæ, vel remotæ; ſi itaque naturaliter poſſe concludi eſſe aliquod primum efficiens, naturaliter etiam poſſet concludi illud eſſe omnipotens; alio modo poteſt dici agens omnipotens, quod poteſt in omnem effectum immediatè, & in quodcunque poſſibile, hoc eſt in quodcunque, quod non eſt ex ſe neceſſariũ, nec includit cõtradictionem, & ſine omni cooperatione alterius cauſæ agentis, & hoc modo credi poteſt tantum primum efficiens eſſe omnipotens, ſicut credunt Theologi; demonſtrari verò non poteſt, quia quamuis naturaliter ſit notum, quod potẽtia primi efficientis eſt eminentior quacunque alia potentia, & illam in ſe habeat eminenter, non tamen naturaliter eſt notum, quod habens talem eminentiam poſſit immediatè in quemcunque effectum cauſę ſecundæ.

q. vn. Thomas Anglicus reſp. quod omnipotentia Dei demonſtrari non poteſt, vel ſaltem demõſtratio illa non eſt adhuc inuenta.

p. 2. a. 1. Petrus Aur. reſp. quod non minus videtur omnipotentia eſſe formaliter quædam perfectio ſimpliciter, quam æternitas, aut ſapientia, aut aliud quodcunque, non enim eſt dubium quod melius eſt formaliter eſſe omnipotens, quam non eſſe omnipotens; ſed communis animi conceptio eſt, quod Deus eſt ens nobiliſsimum, & in hoc concordant Philoſophi, & etiam ineruditi; igitur eſt per ſe notum, & communis animi conceptio, quod Deus ſit omnipotens.

q. vn. Guilelmus Occham reſp. quod quamuis ſit tenendum vt probabile, quod Deus ſit omnipotens, non tamen poteſt ratione naturali demonſtrari, quod poſſit omnia immediatè agere, & ex ſe ſolo ſine cauſa concauſante, quod patet, nam omne agens naturale, & ſufficiens æqualiter reſpiciens multa, vel neceſſariò producit quodlibet illorum, vel nullum; igitur ſi Deus eſt agens ſufficiens, & naturale æqualiter reſpiciens producibile, vel neceſſariò cauſabit omnia, vel nullum illorum, ſed non omnia, vt manifeſtum eſt, ergo nullũ eorum.

q. vn. Gabriel Biel reſp. quod accipiendo Deum eſſe omnipotentem pro illo, qui poteſt ſe ſolo in omnem effectum immediatè, & in quodcunque poſſibile, non poteſt naturaliter demonſtrari; tum quia eſt falſum, quod Deus cauſet ſe ſolo omnia de facto; tum etiam quia non poteſt probari, quod concurrat immediatè effectiuè ad effectum cuiuslibet cauſę ſecundæ, quia Philoſophi non potuerunt concludere Deum poſſe contingẽter cauſare; igitur nec poſſe immediatè in quemcunque effectum cauſę ſecundæ; tum denique quia de nihilo nihil fit, ergo non potuerunt concludere cauſare poſſe ſine cauſa concurrente. Ex Scoto.

Ioannes de Baſſolis reſp. quod Deum eſſe omnipotentem eſt quidem demonſtrabile ſecundum ſe, & demonſtratione quia ſcilicet per effectum, & demonſtratione propter quid ſcilicet per cauſam, ſed non à nobis nec propter quid, nec quia, cum nobis non appareant naturaliter effectus producti à Deo, quamuis appareant, vt producti à cauſis ſecundis. q. 1.

Nicolaus de Orbellis reſp. quod omnipotẽtia poteſt ſumi dupliciter, vno modo, quæ ſit in omnia poſſibilia mediatè, ſcilicet ſuppoſito ordine ſecundarum cauſarum, ſecundo modo immediatè; circunſcripto omni alio; primo modo naturali ratione probari poteſt, probant enim Philoſophi, quod Deus eſt infinitæ potentiæ; ſed ſecundo modo eſt pure credita. q. vn.

Franc. à Chriſto reſp. quod naturaliter poteſt oſtendi Dei potentiam eſſe infinitam intenſiuè, nam & Philoſophi hoc cognouerunt, igitur & omnipotentiam, omnipotentia enim aut eſt potentia infinita, aut ipſius cõſequens. q. 4.

Petrus Trig. reſp. quod multipliciter poteſt probari naturaliter in Deo eſſe omnipotentiã; primò, quia ſi in Deo non eſſet potentia ad omne illud, quod eſt poſſibile ſecundum ſe, fruſtra diceretur poſſibile, cum igitur ſit aliquid poſſibile, eſt etiam potentia, quæ illud efficit; ſecundò, quia Deus poteſt quicquid eſt in potentia creaturæ paſsiua, cuilibet autem potentiæ paſsiuæ reſpondet potentia actiua; tertiò, quia virtus diuina non determinatur ad vnum effectum; quartò, quia cum eſſe ſit proprius effectus Dei, omnia quæ habent eſſe ſubijciuntur ei; quintò, quia eſt actus perfectus habens omnes perfectiones in ſe, & exiſtens in omnibus rebus; ſextò, quia eſt cauſa perfectiſsima, & independens. q. 20. ar. 4. d. 2.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod nomine Dei omnes intelligunt id, quo nihil maius excogitari poteſt, neque perfectius; ex quo neceſſariò deducitur Deum eſſe omnipotentem, quia ſi non eſſet omnipotens aliquid eo maius, & perfectius excogitari poſſet, quod ſcilicet eſſet omnipotens, eſt enim maius, & perfectius eſſe omnipotens, quam non eſſe omnipotens, & quoniam hoc eſt principium naturaliter omnibus notum, ideò quandocunque ex ipſo deducitur Deum eſſe omnipotentem, hoc idem naturaliter demonſtratur.

Sed ſi hoc principium explicat quod quid nominis tãtum, non quod quid rei ipſius Dei? *Obiectio.*

Digitized by Google

Reſpondetur, quod cum demonſtrationes, quæ de Deo haberi poſſunt non ſint in primo gradu certitudinis, ſufficit quod ad demonſtrandum aliquid de eo habeatur quod quid nominis, cum non poſsit haberi quod quid rei.

QVAESITVM XIII.

An ſit attendenda poſsibilitas, & impoſsibilitas rerum ſecundum comparationem ad cauſam ſuperiorem, an verò inferiorem?

GVilelmus Antiſiod. reſp quod omne illud ſolum eſt poſsibile ſimpliciter, quod eſt poſsibile ſecundum cauſam ſuperiorem, ſcilicet ſecundum Deum, & non excluditur quando eſt poſsibile ſecundum cauſas inferiores, quia omne tale eſt poſsibile Deo, licet non econtrà.

Alex. reſp. quod poſsibile dicitur de dicto, & de re ſubiecta; ſecundum quod dicitur de dicto aliquando poſsibile dicitur ſecundum cauſas ſuperiores, & aliquando inferiores, quia hæc dictio poſsibile ſecundum diuerſa adiuncta copulat pro diuerſis poſsibilibus; ſecundum quod dicitur de re ſubiecta poteſt accipi dupliciter propriè, vel appropriatè; appropriatè ſecundum quod aſcēdit ſcientia Theologiæ, quæ intendit in cauſam ſuperiorem, ſic dicitur poſsibile, quod eſt poſsibile ſecundum cauſam ſuperiorem; propriè, & ſimpliciter ſecundum inferiorem, quia hoc eſt poſsibile, etiam ſecundum ſuperiorem.

D. Thomas reſp. quod aliqua ſunt impoſsibilia ex ſe, vt quæ contradictionem includūt, & hæc iudicantur impoſsibilia abſolutè, non per reſpectum ad cauſas vel ſuperiores, vel inferiores, aliqua verò ſunt impoſsibilia non ex ſe, ſed in ordine ad aliquid, & hæc iudicantur aliquando poſsibilia, & impoſsibilia ſecundum cauſas ſuperiores, vt quæ ſunt immediatè à Deo, & non per cauſam mediam, ſicut mundi creatio, iuſtificatio, & huiuſmodi, & aliquando ſecundum cauſas inferiores, quæ immediatè ſunt à cauſis inferioribus, tam actiuis, quam paſsiuis, vt in viſione cæci, & reſurrectione mortui. Item Franc. à Chriſto.

D. Bonau. reſp. quod poſsibilitas, quæ dicitur ſecundum potentiam paſsiuam ſimpliciter attenditur & ſecundum cauſas ſuperiores, & inferiores; ſed quæ dicitur ſecundum potentiam ſecundum quid, quæ eſt potentia obedientialis attenditur tantum ſecundum comparationem ad cauſam ſuperiorem.

Aegidius reſp. quod poſsibilitas, & impoſsibilitas rerum, quæ à ſola cauſa ſuperiori produci poſſunt ſumpta ſimpliciter, vt ſimpliciter ſtat pro eo, quod eſt tale abſolutè, & ſine additamento, eſt attendenda ſecundum illam cauſam ſuperiorem, illarum verò, quæ à ſuperiori, & ab inferioribus poſſunt produci, eſt attendenda per comparationem ad ſolas cauſas inferiores, quia ab ipſis potiſsimè trahunt ſuas conditiones; & ipſas maximè imitantur, poſsibilitas autem, & impoſsibilitas ſumpta ſimpliciter, vt ſimpliciter ſtat pro eo, quod eſt tale per omnem modum, ſic poſsibilitas attēdēda eſt ſecundū cauſas inferiores, impoſsibilitas verò ſecundū ſuperiorē, nā quod eſt poſsibile ſecundū cauſas inferiores, eſt etiam poſsibile ſecundū ſuperiorē, & ita per omnē modū eſt poſsibile, & quod eſt impoſsibile ſecūdum ſuperiorem, eſt etiam impoſsibile ſecundū inferiores, & ita per omnē modum impoſsibile. d.42. q.2. ar.3.

Ricardus reſp. quod ſimpliciter poſsibile poteſt dici aliquid quantum eſt ex parte ſua, & aliquo modo in comparatione ad aliquam potentiam; primo modo eſt ſimpliciter poſſibile, quod natum eſt eſſe ſubiectum alicuius potentiæ, niſi ex parte potentiæ ſit defectus, & ſic omne quod non includit contradictionē eſt poſſibile ſimpliciter; ſecundo modo illud ſimpliciter dicitur poſsibile ſecūdum cauſam inferiorem, ſuper quod poteſt cauſa inferior, illud verò dicitur poſsibile ſecundum cauſam ſuperiorem, ſuper quod poteſt cauſa ſuperior, ſiuè ſuper illud poſsit cauſa inferior, ſiuè non. q.7. d.43. q.1. & 2. q.2.

Henricus reſp. quod rerū poſsibilitas principaliter accipitur ex parte Dei; primò, quia res ſunt poſsibiles denominatione extrinſeca ſcilicet ex potentia Dei, cum non ſint entia formaliter; ſecundò, quia à Deo accipiunt eſſe productum; tertiò, quia Deus in ſe realiter habet potentiam, non autem creaturę; ſed ratio impoſsibilitatis accipitur ex parte ipſius impoſsibilis; primò, quia impoſsibilitas eſt sūma nihileitas, quæ nō poteſt ſumi niſi ex parte impoſsibilium; ſecundò, quia Deus eſt purum eſſe, ex parte cuius nulla poteſt ſumi impoſſibilitas; tertiò, quia in Deo nulla eſt impotētia. Q. 6. q.3. d.43. q.2.

Ioannes Scotus reſp. quod intellectus diuinus in primo inſtanti res producit in eſſe intelligibili, & tunc res producta ab intellectu diuino in eſſe intelligibili in primo inſtāti naturæ habet eſſe poſsibile in ſecundo, nam poſsibile eſt, cui non repugnat eſſe, & quod ex ſe non habet neceſſarium eſſe; eſt ergo ratio poſsibilitatis rerum ſumenda ab intellectu diuino quaſi principiatiuè, à rebus ipſis, ex ſe formaliter; & ſicut intellectus diuinus producit poſsibile in eſſe poſsibili, ita producit duo entia formaliter vtrumq. in eſſe poſsibili d.43. q.vn.

&

& illa producta ſeipſis formaliter ſunt incompoſsibilia, vt non poſsint ſimul eſſe vnum, neque aliquid tertium ex eis, rationem ergo incompoſſibilitatis habent ex ſe formaliter, à producente verò principiatiuè; & quoniam hãc icõpoſsibilitatẽ ſequitur impoſsibilitas, ideò prima ratio impoſſibilitatis rerũ ſumẽda eſt ex rebus ipſis formaliter, à Deo verò principiatiuè. Item Ioannes de Baſſ. & Ant. Andr.

d. 42. q. 2. ar. 3. Petrus Aureol. reſp. quod res & ex ſeipſis ſunt poſsibiles logicè, & ex hoc quod Deus poteſt eas facere; ſunt etiam poſsibiles denominatiuè, ſeù phyſicè; nunquam tamen eſt verum, quod Deus poſsit eas facere, quia poſsibiles ſunt in ſeipſis; ſunt ſimiliter impoſsibiles logicè, & formaliter, nullo autem modo denominatiuè.

d. 43. q. 1. & 2. Franciſcus Maro reſp. quod ratio, & radix omnis poſsibilitatis, & impoſsibilitatis rerum nihil eſt niſi ratio formalis rerum poſsibilium incompoſsibilium, quia enim tales ſunt, ideò incompoſsibiles ſunt, & quia incompoſſibiles ſunt, ideò aliquid fieri ex eis eſt impoſsibile, vndè ex ratione formali chimeræ poteſt intendi, quod non ſit producibilis.

q. 2. Guilelmus Occham reſp. quod non prius competit Deo non poſſe facere, quam competat impoſsibili non poſſe fieri à Deo, nec etiam prius competit impoſsibili non poſſe fieri, quam Deo non poſſe facere impoſsibile, & eodem modo non prius competit Deo facere poſsibile, quam poſsibile fieri à Deo, hæc enim ad inuicem ſunt relatiua, relatiua autem ſunt ſimul natura, vndè non magis hoc eſt poſsibile, quia Deus poteſt facere, & impoſsibile, quia non poteſt facere, quam quod hoc Deus poteſt facere, vel non facere, quia hoc eſt poſsibile, vel impoſsibile. Item Ioannes Maior.

d. 43. q. 2. Guilelm. Rub. reſp. quod cauſa dupliciter ſumitur, propriè & largè, propriè pro cauſa vna realiter diſtincta ab illo, cuius dicitur cauſa, largè pro illo, per quod aliquid probatur, ſeù infertur; ſi ſumitur cauſa propriè, nec impoſsibilis, nec poſsibilis poteſt eſſe aliqua cauſa, quia omne illud, cuius eſt hoc modo aliqua cauſa eſt aliqua res exiſtens à cauſa ſua realiter differens, ſed nec poſsibile, nec impoſsibile antequam fiat eſt aliquid in re extra; nec etiam poteſt eſſe cauſa poſsibilis, & impoſsibilis, vt cauſa largè ſumitur, quia neutrum illorum, quæ ſunt ſimul vera, & quodlibet infert alterum, & æquè eſt alio prius, vnum poteſt eſſe cauſa alterius, talia autem ſunt iſta, Deus poteſt hoc facere, & hoc poteſt fieri, & econuersò; non ergo aliquid dicitur impoſsibile fieri, quia Deus non poteſt facere, nec Deus non poteſt hoc facere, quia eſt hoc impoſsibile fieri.

Petrus Trig. reſp. quod poſsibilitas, vel impoſsibilitas intrinſeca, & formalis rerum ſumenda eſt ex ratione formali ipſarum, extrinſeca verò ex ordinatione ad Deum, atque ita prima radix intrinſeca poſsibilitatis, vel impoſsibilitatis rerum ſumenda eſt ex parte ipſius creaturæ. q. 20. ar. 4. dub. 4.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod poſsibilitas, & impoſſibilitas rerum eſt attendenda ſecũdum illam comparationem, ſiuè ad cauſam ſuperiorem, ſiuè inferiorem, ſecundum quam attenditur earum eſſe, vel non eſſe, ita enim res ſe habent ad eſſe, ſicut ad poſſe eſſe, & econuersò, quoniam eſſe conſequitur ad poſſe eſſe; ſicut ergo pendent ſecundum eſſe non ſolum à cauſa ſuperiori, ſed etiam ab inferiori vt à forma, & aliquando à materia, & aliquando ab efficiente creato; ita earum poſſibilitas non ſolum attenditur ſecundum comparationem ad cauſam ſuperiorem, ſed etiam inferiorem, vndè res non ſolum ſunt poſsibiles, quia Deus poteſt ipſas facere, ſed etiam quia ipſæ poſſunt fieri; & ſimiliter earum impoſsibilitas attenditur ſecundum illam comparationem, ſecundum quam attenditur earum non eſſe, vndè illæ res, quoniam ſecundum eſſe non pendent à cauſa ſuperiori, neque inferiori ſunt impoſsibiles ſecundum cõparationem ad cauſam ſuperiorem, & inferiorem, vt contradictoria, quæ verò ſecundum eſſe pendent vtique à cauſa ſuperiori, ſed non à cauſa inferiori, earum impoſsibilitas attenditur ſecundum comparationem ad cauſam inferiorem, non ſuperiorem.

Sed ſi cauſa ſuperior, magis influit, quam inferior? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod licet cauſa ſuperior magis influat, quia tamen influit mediante cauſa inferiori, idcircò rerum poſsibilitas, tam per cauſam ſuperiorem, quam inferiorem eſt attendenda.

QVAESITVM XIV.

An potentia Dei ſit infinita?

Albertus reſp. quod infinitum multipliciter dicitur, negatiuè vt punctus, quia non finitur, & ſic Deus non finitur tripliciter, nec intellectu, nec loco, nec tem- d. 43. ar. 1.

tempore, dicitur etiam infinitum ſecundum diffinitionem, vt ſumitur ab Ariſt. cum dicit infinitum eſſe cuius partes accipienti ſemper eſt aliquid extra accipere, & hoc poteſt dupliciter dici ſecundum potentiam paſſiuam,& ſic eſt in continuo, & diſcreto, & ſecundum potentiam actiuam, & ſic eſt in ſola potentia Dei, vndè ſicut infinitum in continuo conſideratur ſecundum diuiſionem, quæ non ſtat ad partes intra continuum, ita infinitum in potentia actiua eſt non ſtare in aliquo effectu ſuppoſito ſecundum magnitudinem, & multitudinem.

D. Thomas reſp. quod in omnibus agentibus hoc inuenitur, quod quanto aliquod agẽs perfectius habet formam, qua agit, tanto eſt maior eius potentia in agendo, ſicut quanto aliquid eſt magis calidum, tanto habet maiorem potentiam ad calefaciendum; cum itaque Deus agat per eſſentiam ſuam, & eſſentia ſua ſit infinita conſequens eſt, vt etiam ſua potentia ſit infinita. Item Eſtius.

D. Bonau. reſp. quod potentia Dei eſt infinita negatione termini, non complementi, & inſuper negatiuè, non priuatiuè.

Ægidius reſp. quod ſi aliqua virtus dicitur eſſe finita, hoc eſt tripliciter, vel quia eſt in materia recepta, eſſe enim quod recipitur in aliquo recipitur ad modum recipiẽtis, & ideò omne tale eſt finitum, cum recipiat modum, & menſuram ab eo, in quo recipitur; vel quia eſt contracta ad genus, vel ad ſpeciem, omne enim quod eſt contractum ad genus, vel ſpeciem ſecundum illud genus diffiniri, vel deſcribi poteſt, & ita finitum eſſe habet; vel quia innititur alteri virtuti, omnis enim virtus regulata per aliam, finitatem, & menſurã recipit à regulante; cum itaque Deus moueat non motus, virtus ſua non poteſt eſſe recepta in materia, quia omnia materialia mouent mota, & ſimiliter cum moueat non ab alio conſeruatus in eſſe, nec participet eſſe, & conſequenter ſit in eo omnis ratio eſſendi, non eſt eius virtus contracta ad genus vel ad ſpeciem, & tandem cum ſit mouens principaliter, virtus ſua non innititur alteri; eſt ergo ſimpliciter, & per omnem modum ſua virtus infinita.

Ricardus reſp. quod potentia diuina non ſolum eſt infinita ſecundum illud quod eſt, quia eſt eſſentia diuina, quæ infinita eſt, ac proindè ſecundum durationem, quia quod eſt infinitum ſecundum illud quod eſt, nullo modo poteſt habere principium, aut finem ſuæ durationis; ſed eſt etiam infinita per comparationem ad poſſibilia ſecundum extẽſionem, quia poteſt multiplicare diuerſitatem effectuũ ſine fine, & ſecundum vigorem, quia in operando nec materia, nec mora, nec alieno auxilio indiget.

Herueus reſp. quod potentia Dei poteſt cõſiderari, vel per comparationẽ ad eſſentiam in qua radicatur, vel per comparationẽ ad obiecta poſſibilia in qua poteſt, vel per cõparationẽ ad modum agendi; ſi primò, ſic eſt infinita, quia eſſentia diuina eſt infinita; ſi ſecundò ſimiliter, quia quacunque creatura data poteſt in plures ſimul, & nobiliores; ſi tertiò ſimiliter, tum ex parte rei factæ, quia agit nullo præſuppoſito, tum ex parte agentis, quia eſt extra fines, & limites cuiuſcunque generis, & ſpeciei rerum creatarum. q. 1.

Durandus reſp. quod Deus poteſt producere infinita actu ſimul, vel ſucceſſiuè, & in potentia; quia non implicat, & ideò virtus eius eſt infinita, tam in duratione, quam in vigore, aduenientibus enim poſterioribus ſemper poteſt conſeruare priora, quod non requiritur ad potentiam finitam. q. 1.

Petrus Aur. reſp. quod potentia Dei eſſe infinita in vigore probari poteſt à Theologis tripliciter, primò ex parte facti, ſiuè obiecti termini actionis diuinæ, pro eo quod eſt totus vigor ſubſiſtens, æquipollens omni vigori partiali poſſibili attingere factibile quodcunque etiam aliquid, ad quod nulla virtus attingit; ſecundò ex modo agendi ex eo, quod vltra velocitatem vltimã cuiuſcunque alterius virtutis poteſt vlterius velocitare motum in infinitum; tertiò ex ſuis mirabilibus actionibus, & hoc non ſolum à poſteriori, ſed etiam à priori; à poſteriori quia diuina virtus in creatione, incarnatione, tranſubſtantiatione & huiuſmodi ſuperexcedit intellectiuam noſtram potentiam, quę quodammodo infinita eſt agẽdo realiter id, quod ſine repugnantia ipſa capere non poteſt; à priori, quia cum magnitudo virtutis actiuè præciſè debeat iudicari ſecundum reſiſtentiam, quæ eſt inter motorem, & rem motam, nulla autem fiat in ſupradictis reſiſtentia Deo, ſicut naturæ, ſequitur quod in infinitum virtus diuina excedat virtutem naturæ, & ſit infinita. ar. 3.

Gerardus reſp. quod ſi diuina potentia non eſſet infinita ſequerentur tria inconuenientia; primũ quod eſſet limitata ad aliquod genus, & ſic eſſet in genere, cum enim quodlibet genus ſit quidam gradus limitatus in natura entis, quicquid importat aliquem gradum limitatum in natura entis neceſſariò eſt in genere; ſecundum, quod poſſet recipere additionem ſaltem ſecundum intellectum; intellectus autẽ noſter q. vn. ar. 2.

noſter non poteſt addere aliquid, ſi non attribuat aliquem gradum potentialitatis, & hunc non poteſt attribuere Deo, cum ipſum inueniat eſſe actum purum; tertium, quod non repugnaret ei, quod eſſet motor appropriatus alicui orbi, omni enim virtuti finitæ, eo ipſo quod finita eſt non repugnat habere proportionem determinatam ad aliquem orbem.

d. 42. q. 3. ar. 2. Gregorius reſp. quod ex quo non eſt negandum eſſe aliquam virtutem infinitam, & hoc videtur importare dignitatem, & perfectionē ſimpliciter neque à Deo negandũ eſt, cui cõmuni conceptione omne, quod eſt ſimpliciter dignitatis, & excellentiæ, attribuitur. Quam rationem aſſumit Vaſquez diſp. 103. ſicut & illam D. Thomæ de identitate potentiæ cum eſſentia, quæ eſt infinita.

d. 43. q. 1. Guilelm. Rub. reſp. quod potentia Dei eſt formaliter infinita, quia eſt ipſa diuina eſſentia; eſſe autem formaliter infinitum eſt eſſe ens omnibus alijs tam diuiſim, quam coniunctim acceptis ſic perfectum, quod non poteſt aliquid eſſe ipſi æquale, nec perfectius.

d. 42. q. vn. Michael de Bonon. reſp. quod increatum eſſe eſt ſimpliciter poteſtatis infinitæ; primò, quia tale eſſe poteſt aliquid de non eſſe ſimpliciter ad eſſe producere; ſecundò, quia virtute propria poteſt mouere in tempore infinito, cum virtute contineat omne effectiuum ſucceſſiuum, & poſſint ſuccedere infiniti effectus; tertiò, quia poteſt infinita ſimul producere virtute propria, cum omnes cauſalitates ſint eminenter in eo, vt in prima.

q. 42. ar. 1. Marſilius reſp. quod Deus eſt magnitudinis infinitæ, magnitudo autem non ſolum attenditur ſecundum durationem, & ſecundum eſſentiam, ſed etiam ſecundum potentiam, & ſic Deus eſt potentiæ infinitæ.

d. 42. q. 3. Franc. à Chriſto reſp. quod potentia Dei eſt infinita non quidem priuatiuè, quia talis infinitas in ſolis quantitatibus reperitur, Deus autem eſt expers omnis quantitatis; ſed negatiuè, quod eſt non habere finem ſuæ perfectionis; & probatur; primò, quia potentia eſt idem, quod diuina eſſentia, & ipſam conſequitur, & hæc infinita eſt; ſecundò, quia Deus eſt actus infinitus, vndè cum potentia actiua conſequatur actum, quantitas etiam potentiæ reſpondet quantitati actus; tertiò, quia forma, per quam agit Deus eſt ipſa eſſentia, quæ eſt infinita; quartò, quia eſt potentia creatrix, quæ agit nullo præſuppoſito.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſi aliqua potentia eſt finita, id eſt, quod ita poſſit vnum quod non poſſit aliud, hoc ideò eſt, quia agens per huiuſmodi potentiam limitatum eſt, & finitum, quod ſi tamen illimitatum eſſet, & infinitum, infinita quoque eſſet eius potentia, ſicut ſi eſſet ignis infinitus, infinita eſſet eius potentia calefaciendi; cum itaque Deus ſit agens infinitum, & illimitatum, neceſſariò quoque eius potentia eſt infinita.

Sed ſi cuilibet potentiæ actiuæ reſpondet potentia paſſiua? nulla autem eſt potentia paſſiua proportionata potentiæ actiuæ infinitæ, quæ reſpondeat ei. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod cuilibet potentiæ actiuæ reſpondet potentia paſſiua, loquendo de potentia naturali, quæ agit ex ſuppoſitione materiæ, non de diuina, quæ agit nullo præſuppoſito. Ita Ægidius, & Ricardus.

QVÆSITVM XV.

An naturaliter poſſit demonſtrari Deum eſſe infinitæ potentiæ.

D. Bonau. reſp. quod potentiam Dei eſſe infinitam oſtendi poteſt à priori, & à poſteriori; à priori quia eſt ſũmè indiuiſa ab eſſentia, & ſummè vna, vnde vbicunque poteſt, tota poteſt, & tantum in extremum, quantum in medium, & tantum in ſummum, quantum in latus; à poſteriori, quia habet effectum infinitum duratione, & infinitos effectus poſitione, ad quos comparatur vt actus purus, vt tota cauſa, & ratio habens in ſe plenam, & perfectam actualitatem reſpectu infinitorum. d. 43. ar. 1. q. 1.

Ægidius reſp. quod ratione naturali probari poteſt Dei potentiam eſſe infinitam, ſicut probauit Ariſt. per hoc, quia mouet in tempore infinito, quæ demonſtratio vera eſt cum hoc intellectu, ſcilicet, quod mouens moueat principaliter, & non motum, & quod non innitatur alterius virtuti. pr. 1. q. 1.

Ioannes Scotus reſp. quod ratione naturali poſſumus demonſtrare Dei potentiam eſſe infinitam, ex eo quod cum ſit ſimpliciter prima habet in ſe omnem plenitudinem potentiæ, & conſequenter omnem perfectionem cuiuſlibet potentiæ, talis autem potentia non niſi infinita eſſe poteſt. d. 2. & Q.

Gregorius reſp. quod quamuis non fuerit intentio Ariſtotelis, quod Deus eſſet infinitæ potentiæ, intentio enim eius fuit, quod eſſet motor appropriatus primo orbi, & quod ageret ex neceſſitate naturæ, vt communiter conceditur à Philoſophis, quibus ſuppoſitis maniſeſtè concluditur non eſſe virtutis infinitæ in- d. 43. q. 3.

intenſiuè ; nihillominus dicendum eſt etiam naturaliter loquendo, quod Deus eſt infinitæ potentiæ ſiuè virtutis, & ratio eſt, quia Deo attribuendum eſt quicquid eſt poſsibile, quod non ſibi repugnat, & quod ad dignitatem pertinet ; & quoniam virtus infinita eſt poſſibilis, nulla enim apparet implicantia, & ei non repugnat, & ad eius dignitatem pertinet, quia importat perfectionem ſimpliciter ; igitur Deus eſt infinitæ potentiæ.

Ioannes Bacconus reſp. quod Ariſtotelis, & Auerrois intétio fuit, prout colligitur ex multis dictis eorum, non ſolum negare potentiam actiuam infinitam ſecundum durationem, & ſecundum vigorem in magnitudine, ſed etiam extra magnitudinem, & in formis ſeparatis ; nihilominus dicendum eſt Deum eſſe infinitæ potentiæ, ſeù infiniti vigoris, & virtutis, & quamuis multæ rationes ad hoc probandum ab alijs Doctoribus adducantur ; iſta tamen videtur cogere. Illud quod eſt tota entitas eminenter, ſeù perfectio, & ens, illud eſt infinitum in vigore, tali enim entitate poſita extra nihil eſt, per diffinitionem infiniti ſimpliciter ; ſed Deus eſt huiuſmodi, ſicut ex olim dictis apparet, igitur Deus eſt in potentia, & vigore infinitus.

Michael de Bon. reſp. quod non poteſt probari euidenter Deum, eſſe potétiæ ſimpliciter infinitæ; primò, quia nec à priori, nec a poſteriori, non à priori quia eo nihil prius, non à poſteriori, quia cum omnis effectus ſit finitus, non poteſt euidenter perducere in notitiam potentiæ infinitæ ; ſecundò, quia nec per viam motus, nam per viam motus ſolum probari poteſt euidenter infinitas extenſiua, non intenſiua ; tertiò, quia nec poteſt probari eſſe ſimpliciter neceſſe eſſe.

Marſilius reſp. quod lumine naturali non eſt nobis certum Deum eſſe infiniti vigoris, cum hoc non ſit nobis notum, neque per ſe ex euidenti ſcilicet implicatione terminorum, nec per experientiam, neque per ſenſum, immò cum lumine naturali ſit nobis notum, quod Deus velocius non poſſit mouere primum mobile, quam moueat, ſicut ipſum non poteſt anihilare, & conſequenter non poteſt non conſeruare, potius concludendum eſt oppoſitum, quam propoſitum.

Andreas de Nouocaſtro reſp. quod ſtando in lumine naturali, magis videtur ponendum eſſe primam cauſam non eſſe virtutis infinitæ ſecundum vigorem, & probatur; nam aut poneretur actiua, & motiua naturali neceſſitate, aut liberè libertate contradictionis, & contingentiæ ; non ſecundum, quia tunc in lumine naturali eſſet ponendum, quod cælum ſimpliciter, & abſolutè poſſet moueri duplo velocius, & quadruplo velocius, & duplo, & quadruplo tardius, & ſimilia, quæ ſecundum naturalem philoſophiam, non ſunt ponenda ; nec ſimiliter primum, quia non mouetur cælum finita, & certa velocitate, ſed infinita, alioquin virtus finita, & virtus infinita naturalis æquali velocitate mouerent, iuxta deductionem Ariſt. lib. 8. Phyſ.

Gabriel Vaſqu. reſp. quod ex eo, quod Deus poteſt infinitam multitudinem ſpirituum, & etiam corporum ſimul creare, & conſeruare, & infinitas ſpecies, aut ſimul, aut ſucceſſiuè producere, deducit probari poſſe ex effectu, Dei potentiam infinitam eſſe. *diſp. 103.*

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ex eo quod omnes naturaliter nomine Dei intelligunt id, quo nihil maius excogitari poteſt, neceſſariò deducitur eius infinitas, & quo ad eſſe, & quo ad agere, ſi enim aliquid eſſet, quod, vel in quod agere non poſſet, aliquid maius eo excogitari poſſet, quod ſcilicet illud, vel in illud agere poſſet ; & quoniam omne agens præſupponitur habere potentiam in agendo, ideò cum naturaliter ex eo principio poſſit demonſtrari Deum eſſe infinitum agens, poteſt etiam demonſtrari naturaliter habere potentiam infinitam agendi.

Sed ſi omnis demonſtratio eſt per cauſam ; vel per effectum ? potentia autem infinita nullam cauſam habet, neque aliquis eius effectus apparet infinitus. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod potentia infinita nullam cauſam habet in eſſendo, ſed bene in inferendo, & maximè per argumentum ducens ad impoſsibile, quod æquipollet demonſtrationi per cauſam, & per effectum.

QVÆSITVM XVI.

An Deus poſsit per ſuam infinitam potentiam producere actu infinita ſecundum multitudinem?

D. Thomas reſp. quod omnem multitudinem oportet eſſe in aliqua ſpecie multitudinis; & quoniã ſpecies multitudinis ſunt ſecundum ſpecies numerorum, & nulla ſpecies numeri eſt infinita, quia quilibet numerus eſt multitudo menſurata per vnum, idcircò impoſsibile eſt eſſe actu multitudinem infinitam, & ex conſequenti *p. p. q. 7. ar. 4.*

Deus

Deus ipſam producere non poteſt.

d.43. q. 6. Ricardus reſp. quod Deus non poteſt producere infinita actu ſecundum multitudinem, quia omnia cauſata eo ipſo, quod ſunt ab vno principio neceſſe eſt, vt habeant inter ſe aliquam vnitatem ordinis, quæ eſt impoſsibilis in infinita multitudine; & quia hoc principiū, omne totum eſt maius ſua parte, falſificari non poteſt, quod tamen contingeret, ſi actu eſſent infinita ſecundum multitudinem, nam duabus vnitatibus ablatis multitudo adhuc remaneret infinita, & eſſet pars totius includentis illas vnitates, & tamen non eſſet minor toto, quia infinitum minus infinito eſſe non poteſt.

q.2. Durandus reſp. quod actu infinita ſecundum multitudinem eſſe non poſſunt, neque produci; aut enim ſunt eſſentialiter ordinata, aut accidentaliter; ſi ſunt eſſentialiter ordinata, ſi in infinitum poſſent produci, ſic eſſet deuenire ad aliquam ſpeciem infinitæ perfectionis, cum eorum, quæ ſunt ſic ordinata vnum ſemper ſit perfectius altero, quod eſt impoſsibile; ſi ſunt ordinata accidentaliter, vt ſunt indiuidua ſub vna ſpecie, vel ſucceſſiuè poſſent produci, vel ſimul, ſed non ſucceſſiuè, quia impoſsibile eſt, quod inchoando ab vno, vel à quocunque deueniatur aliquando ad multitudinem actu infinitam, cum de ratione infiniti ſit, quod quantumcunque eius pars accipiatur, & quotieſcunque, ſemper reſtet aliquid accipiēdum, neque etiam ſimul; primò, quia quocunque producto à Deo poteſt aliquid eſſe plus, alioquin potentia eius eſſet exhauſta, infinito autē ſecundum multitudinem, non poteſt eſſe plus, ſicut infinito ſecundum magnitudinem non poteſt eſſe maius; ſecundò, quia totum ęquari parti implicat contradictionem, cum omne totum ſit maius ſua parte, hoc autem ſequeretur ſi poſſent produci actu infinita ſecūdum multitudinem, nam binarius eſt pars ternarij vel quaternarij, in multitudine autem infinita tot eſſent quaternarij, quot binarij, ſcilicet vtrobique infiniti, & ſic pars æquaretur toti, & econuerſò.

d.44. ar. 1. Petrus Aur. reſp. quod ratio infiniti in rebus partibilibus eſt formaliter ſucceſſiua, & quoniam multitudo eſt quædam totalitas permanens, quia non conſurgit, nec integratur ſucceſſiuè, ideò dicere multitudinem infinitam eſt implicare contradictionem; cum itaque omne quod implicat contradictionem cuicūque potentiæ ſit impoſsibile, idcircò Deum multitudinem actu infinitam producere eſt impoſſibile.

d.43. q. 10. Franciſcus Maro reſp. quod Deus infinitas multitudines facere poteſt, hoc eſt infinities, & hoc probat, quia Deus tot poteſt producere, quot ſunt producibilia, certum eſt autem quod infinita ſunt producibilia, vt infinitæ animæ, & infinita indiuidua, talis enim producibilitas non repugnat eis, igitur & Deus poteſt ipſa producere.

Gregorius reſp. quod Deus poteſt per ſuam infinitam potentiam producere multitudinem actu infinitam; primò, quia Deus poteſt producere continuum, quodlibet autem continuum, cum habeat plures partes, & non tot finitas numero, quin plures, actualiter habet infinitas partes; ſecundò, quia partes proportionales ſunt infinitæ, verbi gratia, medietas totius, & prima medietas ſecundæ medietatis, & huiuſmodi; & Deus poteſt in inſtanti initiante cuiuſlibet partis proportionalis temporis vnius horæ producere vnum Angelum, & conſeruare, & in inſtanti ſecundæ medietatis alterum; & ſic de ſingulis, quia hoc non implicat; ergo ſicut in ipſa hora ſunt infinitæ partes proportionales, ita & infiniti angeli; tertiò, quia Deus poteſt facere quicquid cōtradictionem non implicat, non implicat autem quod multitudo ſit infinita; infinitas enim non tollit rationem multitudinis, nec econuerſò. q.4.

Guilelm. Rub. reſp. quod Dei potentia non ſe extendit ad infinitum ſecundum multitudinem, ſeu ſecundum numerum, quoniam nulla entia ſunt tot fieri poſſibilia, quibus non poſſint fieri adhuc plura, infinita autem multitudo propriè eſſet illa, quæ non poſſet eſſe maior. q.1.

Michael de Bonon. reſp. quod Dei potentia non ſe extendit ad infinitum ſecundum multitudinem; primò, quia non poteſt tantā multitudinem producere, quin poſsit maiorē, multitudine autem infinita nulla eſt maior; ſecūdò, quia ſic ſequerentur cōtradictoria; tertiò, quia ſic pars eſſet ęqualis toti, quod eſt impoſsibile. q. vn.

Marſilius reſp. quod ſicut Deus non poteſt producere magnitudinem actu infinitam cathegorematicè, ita nec multitudinem infinitā. q. 42. ar. 3.

Ioannes de Baſſol. reſp. quod Deus poteſt producere actu infinita ſecundum multitudinem; primò, quia quælibet ſpecies eſt in potentia ad infinita indiuidua ſub ſe; ſecundò, quia notitia viſionis infinita cognoſcit, vt cogitationes beatorum, & damnatorum, quæ autem Deus tali notitia cognoſcit, non repugnat, quod actualiter exiſtant, & conſequenter producere; tertiò, quia data quacunque multitudine determinata poteſt dari maior, ergo & infinita, quia multitudo excedens omnem multitudinem determinatam eſt multitudo infinita in actu. Ioannes à Cel. ex eo, quod Deus poteſt producere duas creaturas, d. 43. q. vn.

&

Digitized by Google

& tres, & quatuor, & ſic in infinitum, & ex eo, quod cognoſcit cogitationes hominum, quæ ſunt infinitæ, deducit probari poſſe, naturaliter eſſe potentiæ infinitæ.

d. 44. q. vn. Ioannes Maior reſp. quod Deus poteſt producere infinitam multitudinem rerum, quia poteſt producere infinitam multitudinem pũctorum, linearum, ſuperficierum & inſtantium non conſtituentium aliquod vnum; poteſt etiã feciſſe mundum ab æterno, & produxiſſe animas, ſicut modo producit in hominibus, & ſic infinitas ſecundum multitudinem, poteſt etiã in partibus proportionalibus ſemper vltra procedere, igitur & ad infinitatem peruenire.

diſp. 107. c. 4. Gabriel Vaſqu. reſp. quod Deus non modo infinita indiuidua, ſed etiam infinitas ſpecies producere poteſt, & quia nõ implicat, & quia potentia eius eſt infinita, & quia quælibet creatura eſt quædam imitatio, & participatio diuinæ perfectionis; cum autem nulla poſsit perfectiſsimo modo ipſam imitari, neceſſe eſt dari aliam, & aliam, quæ ipſam perfectiori modo ſemper imitetur.

Reſolutio.

RESpondeo, quod potentia Dei non eſſet infinita, ſi per eam Deus non poſſet producere infinita ſecundum multitudinem, non tamen actu, quoniam actus tali infinitati repugnat; ſi enim modo eſſent actu infinita producta à Deo ſecundum multitudinem, Deus non poſſet amplius vltra aliquid producere, quoniam infinita non poſſunt pertrãſiri, vel ſi poſſent pertranſiri, vtique illa iam producta actu infinita non eſſent; Deus ergo ſecundum ſuam potentiam poteſt quidem producere infinita ſecundum multitudinem, quia quocunque dato poteſt aliud efficere, non tamen poteſt infinita actu producere, quia tunc exhauriretur eius potentia, & non eſſet infinita, quod implicat.

Obiectio. Sed ſi voluntas non eſt minoris efficaciæ, quam intellectus? cum itaque intellectus poſſit intelligere actu creabilia infinita, cur & voluntas ipſa non velle?

Reſpondetur, quod licet diuinus intellectus poſsit intelligere actu infinita, non tamen voluntas poteſt velle, quod omnia illa ſint actu, nec tamen hoc arguit maiorem efficaciam intellectus, quam voluntatis, ſed ſolum quod aliter ſe habet cognitum ad intellectũ, & volitum ad voluntatem, ad hoc enim quod infinita cognoſcantur à Deo, non oportet illa habere aliquid eſſe extra Deum cognoſcentem, ſed ſolum in Deo, in quo ſunt vnum, ſed voluntas fertur in res, vt ſunt in ſeipſis, & ideò oporteret, quod illa infinita creabilia eſſet actu, quod eſt cõtradictio. Ita Capreolus.

QVAESITVM XVII.

An Deus poſsit per ſuam infinitam potentiam producere actu infinitum ſecundum magnitudinem?

D. Thomas reſp. quod corpus quod eſt magnitudo completa eſt duplex, mathematicum, & naturale, ſed neque mathematicum, neque naturale poteſt eſſe actu infinitum, non quidem mathematicum, quia ſic oporteret eſſe ſub aliqua forma, quia nihil eſt actu niſi per ſuam formam, hæc autem aliqua figura eſſet, quæ termino, vel terminis clauditur; non naturale, primò, quia omne corpus naturale habet formam determinatam, ad quam neceſſe eſt conſequi determinata accidentia, quorum vnum eſt quantitas, ex quo omne corpus naturale habet determinatam quantitatem; ſecundò, quia omne corpus naturale habet aliquem motum naturalem, nullum autem corpus actu infinitum haberet hũc motum, quia neque rectum, cum occuparet totum, neque circularem, quia cum lineæ deductæ à centro ad circunferentiam in infinitum diſtarent, nulla pars ſuccederet alteri, quod fit in motu circulari; cum itaque nullum corpus actu infinitum eſſe poſſit, Deus non poteſt producere magnitudinem actu infinitam. p. p. q. 6. ar. 3.

D. Bonau. reſp. quod nec Deus poteſt facere creaturam actu infinitam, quia non poteſt facere niſi rem à ſe ordinatam, ordo autem præſupponit numerum, & numerus menſurã, menſura verò limitationem; nec ipſa creatura actu eſſe poteſt infinita, quia cum infinitum in actu ſit actus purus, ipſa actus purus eſſe non poteſt, quia non eſt ſuum eſſe per eſſentiam, alioquin ab alio non eſſet. q. 42. ar. 1. q. 3.

Ricardus reſp. quod quamuis Deus poſsit facere dimenſionem maiorem, & minorem ſine fine, ita tamen quod ſemper totum acceptum ſit finitum, quod ſolet dici infinitum in actu permixto potentiæ, vel in fieri; tamen eſt impoſsibile, quod Deus faciat aliquam dimenſionem infinitam in facto eſſe, quod ſolet dici infinitum in actu ſimpliciter, & ratio eſt, quia dimenſio in effectu exiſtens per ſuum eſſe in effectu recipit terminationem ſub ratione qua diuiſio eſt, cum eſſentia creaturæ vt indifferens ad fore, & non fore in effectu recipiat terminationem cum determinatè contra- q. 5.

Digitized by Google

trahitur ad alteram partem eſſe:

q. 2. Durandus reſp. quod ideò Deus non poteſt producere aliquod infinitum actu ſecundum magnitudinem, quia non eſt poſsibile in quantitate deuenire ad aliquod maximum, quod non poſsit eo maius dari, non poſſet autem eo maius dari ſi actu infinitum eſſet.

d. 44. ar. 2. Petrus Aur. reſp. quod magnitudo actualis ponit omnes ſuas partes in actu, infinitum verò nondum eſt terminatum, nec partes ſuas omnes habet, cum ſit quodam ſucceſsiuum, & habens actum potentiæ permixtum, vndè ſi eſſe poſſet aliqua magnitudo actu infinita, ſequeretur quod vnum, & idem haberet ſimul omnes ſuas partes, & non haberet, quod omnino impoſsibile eſt, cum ſit directè contradictio repugnans primò modo per ſe.

d. 43. q. 10. Franc. Maro reſp. quod Deus poteſt producere infinitam magnitudinem; primò, quia poteſt producere infinitam multitudinem, verbi gratia, guttarum aquæ, & iſtas ſimul iungere; ſecundò, quia Deus vltra omnem magnitudinem finitam poteſt aliam facere, quæ cum ſit vltra omnem finitam, non poteſt eſſe niſi infinita.

q. 4. Gregorius reſp. quod poſsibile eſt aliquam magnitudinem eſſe infinitam, ſeù aliquod corpus infinitum, & conſequenter Deum poſſe illud producere, & ratio principalis eſt, quia infinitas non tollit magnitudinem, neque aliquid neceſſariò conſequens eam, & econuerſò, vndè nulla ſequitur implicantia contradictionis.

q. 1. Guilelm. Rub. reſp. quod Dei potentia non ſe extendit ad producendum aliquid actu infinitum ſecundum magnitudinem, quia nullum eſt quantum, quod non poſsit fieri maius, vel per additionem alterius, vel per rarefactionem, at nullum quantum infinitum eſt, quod poſsit fieri maius, ſeù amplius extendi.

q. 42. ar. 3. Marſilius reſp. quod quia Deus nequit producere virtutem motiuam infinitam, nequit etiam producere mobile infinitum, & conſequenter magnitudinem, non enim eſt potior ratio de vno, quàm de altero.

d. 43. q. vn. Ioannes de Baſſol. reſp. quod Deus poteſt producere magnitudinem actu infinitam; primò, quia hoc non implicat contradictionem, neque ratione magnitudinis, neque ratione infinitatis, neque ratione vtriuſque; ſecundò, quia data quacunque quantitate menſuræ determinata eſt dare maiorem, vt data bipedali, poteſt dari tripedalis, & huiuſmodi, dicit autem Ariſt. quod ſi quantitas poteſt augeri in infinitum poteſt eſſe actu infinita; tertiò, quia dato quod aliqua magnitudo eſſet infinita, non poneretur tamen extra rationem quantitatis, ergo poteſt Deus ipſam producere infinitam, quia poteſt producere omnem quantitatem.

Dom. Bann. reſp. quod ordo diuinæ ſapientiæ poſtulat, vt res creatæ habeant inter ſe aliquem ordinem, & proportionem, & ideò non poteſt eſſe per aliquã potentiã huiuſmodi infinitum actu, vel ſecundum multitudinem, vel ſecundum magnitudinem, quia nullum haberet in ſe ordinem, eſſet enim veluti chaos, & confuſio quędam rerum infinitarum, & magnitudinis infinitæ. q. 7 ar. 4.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod Deus per ſuam potentiam poteſt quidem producere aliquod infinitum ſecũdum magnitudinem, vt lineam, & corpus, quia eius potentia infinita eſt, non tamen actu infinitum, cum enim ſit impoſsibile infinitum pertranſire, vel exhauriretur eius potentia, quia dato quod modo produceret aliquid infinitum actu ſecundum magnitudinem, non poſſet vltra in amplius, vel ipſum non eſſet actu infinitum, quia poſſet diuina potentia ipſius aliquid vltra producere, quod implicat.

Sed ſi infinitum (vt dicit Ariſt.) quantitati congruit? Deus autem poteſt dare quantitati quicquid ei congruit. Obiectio.

Reſpondetur, quod infinitum appoſitione, & diuiſione, ſucceſsiuè, & in potentia quantitati congruit, & non repugnat ei; ſed infinitum actu non ſolum repugnat quantitati, ſed etiam potentiæ Dei; quia vltra illud amplius non poſſet.

QVÆSITVM XVIII.

An omnipotentia Dei alicui creaturæ communicari poſsit?

ALex. reſp. quod omnipotentia vno modo poteſt dici potentia creandi omnes res de nihilo, & hæc potentia omnia antecedit, quia omnia ab ipſo, & hæc non poteſt communicari creaturæ, quia ſic creatura eſſet à ſe, & antecederet eius potentia ſuam eſsẽtiam; alio modo poteſt dici omnipotentia, potentia faciendi naturalia omnia, & miracula, & hæc communicari poteſt. q. 21. m. 1. ar. 4.

Albertus reſp. quod omnipotentia ſequitur perfectionem eſſentiæ, & ideò ſicut eſſentia diuina nulli communicari poteſt, nec etiam communicari poteſt omnipotentia. d. 42. ar. 3.

D. Thomas reſp. quod ſemper potentia con- d. 43.

illud autem dicitur poſſe de potentia abſoluta, quod ſimpliciter, & abſolutè poteſt. Item Franc. à Chriſto, Molina, Valentia.

q. 25. ar. 6. Dominicus Bannes reſp. quod potentia abſoluta dicitur illa, ſecundum quam poteſt Deus facere, quicquid non implicat contradictionem, ordinata illa, quæ eſt reſpectu eorum tantum, quæ Deus, ſciuit, voluit, ordinauit.

Reſolutio.

RESpondeo, quod inter ea, quæ ſunt poſſibilia Deo, quædam ſunt poſſibilia ſecundum ordinem, quem videmus in rebus ſiuè naturalibus, ſiuè ſupernaturalibus; quædam verò præter hunc ordinem; vna autem, & eadem eſt potentia, quæ ſufficienter ſe extendit ad omnia poſſibilia hæc, quæ eſt potentia infinita, ſed ſecundum noſtrum modum accipiendi, & vſum diſtinguendi, eam diſtinguimus in ordinatam, & abſolutam; ordinatam eam dicimus, quæ ſe extendit ad poſſibilia ſecundum ordinem, quem videmus; abſolutam verò, quæ ſe extendit ad poſsibilia præter hunc ordinem, vt impium ſaluare, iuſtum verò damnare.

Obiectio. Sed ſi potentia eſt idem quod eſſentia? eſſentia autem non diſtinguitur in ordinatam, & abſolutam, neque ſecundum rem, neque ſecundum rationem.

Reſpondetur, quod ideò eſſentia non diſtinguitur in ordinatam, & abſolutam, quia non dicitur per reſpectum ad poſſibilia, ſicut potentia, ratione quorum dicitur ſecundum vnam acceptionem ordinata, & ſecundum alteram abſoluta.

QVAESITVM XX.

An Deus poſſit aliquid de potentia abſoluta, quod non poſſit de potentia ordinata?

d. 43. q. 7. RIcardus reſp. quod accipiendo poſſe de potentia ordinata, quod Deus ipſe futurum propoſuit, & rationabiliter diſpoſuit, ſic aliquid poteſt facere de potentia abſoluta, quod non poteſt de ordinata, quia poteſt abſoluta facere, quicquid non implicat contradictionem; accipiendo verò poſſe de potētia abſoluta quod ſe facturum propoſuit, & rationabiliter diſpoſuit, vel quod eſt facturus, poteſt velle, & rationabiliter diſponere, ſic nihil poteſt de potentia abſoluta, quod non poſſit de ordinata, nihil enim poteſt facere, niſi quod poteſt velle, & diſponere ſe facturū.

Ioannes Scot reſp. quod multa poteſt Deus de potentia ſua abſoluta, vt verbi gratia, Iudam ſaluare, quæ non poteſt facere de potentia ſua ordinata, quoniam multa poteſt facere contra legem vniuerſalem, reſpectu cuius ordinis dicitur potentia ordinaria. d. 44. q. vn.

Petrus Aureol. reſp. quod loquendo de ordine, prout agenti modum debitum ſtatuit, ſic in Deo nulla eſt potentia ordinata; loquendo tamen de ordine, quem exigit res fienda, vel ex conditione naturæ cuiuſdam decentiæ ſic Deus poteſt aliqua abſolutè facere, quæ non poteſt de potentia ordinata. ar. 5.

Gregorius reſp. quod Deus multa poteſt, quæ non poteſt ſtante eius lege, & voluntate, qua voluit ſic ſe facturum, & hoc ideò quia illa, & ſi ſunt ſimpliciter poſſibilia, ſunt tamen incompoſſibilia ordinationi diuinæ. q. 1. ar. 2.

Franc. à Chriſto reſp. quod multa, quæ neque ſunt, neque erunt Deus poteſt facere de potentia abſoluta, quia talia ſunt poſſibilia, nō ordinata, nam illud dicitur poſſe de potentia ordinata quod voluit, & rationabiliter diſpoſuit ſe facturū, & ideò huiuſmodi non poteſt facere de potentia ordinata, aliquando tamen accipiendo largè potentiam ordinatam, poteſt Deus velle, & rationabiliter diſponere illa facere, quæ alioquin neque vult, neque diſpoſuit ſe facturum. d. 44. q. 1.

Petrus Trig. reſp. quod Deus poteſt facere multa de potentia abſoluta, quæ neque ſunt neque erunt, quæ tamen non poteſt facere de lege, neque de potentia ordinaria, alioquin potentia eius limitaretur, & non eſſet ipſa omnipotens. q. 20. ar. 3.

Reſolutio.

RESpondeo, quod Deus ob infinitatem, & efficaciam ſuę potentiæ multa poteſt facere, immò & infinita præter ordinem, quē videmus, quod pertinet ad potentiam abſolutam, quæ non poteſt facere ſecundum eundem ordinem, quod pertinet ad potentiam ordinatam; vt verbi gratia, condemnare iuſtum, ſaluare impium, & huiuſmodi non poteſt ſecundum ordinem, quam videmus in rebus, qui eſt ordo ſecundum iuſtitiam; poteſt autem abſolutè, quia non eſt, qui poſſit reſiſtere ei, & propterea aliquid poteſt de potentia abſoluta, quod de potentia ordinata non poteſt.

Sed ſi potentia Dei non poteſt eſſe ſine ordine? ex quo nihil etiam poteſt facere Deus de potentia abſoluta, quod non faciat de ordinata. Obiectio.

Reſpondetur, quod potentia Dei non poteſt

eſſe ſine ordine ſimpliciter, præfixo ſaltem à diuino intellectu; bene tamen poteſt eſſe, & venire in executionem alicuius poſsibilis ſine ordine, quem communiter ſeruare videmus in rebus, & tunc dicitur potentia abſoluta, quia ſcilicet ſoluta eſt ab hoc ordine.

DISTINCTIO QVADRAGESIMA TERTIA.

Quidam tamen de ſuo ſenſu gloriantes, Dei potentiam ſub menſura coarctare conati ſunt, &c.

QVÆSITVM I.

An Deus ſit agens ex neceſsitate naturæ?

d. 43. q. 2. ar. 1. D. Thomas reſp. quod omne, quod eſt ex neceſsitate naturæ, vel eſt ordinatum ad finem, vel non; quod non eſt ordinatum ad finem eſt à caſu, & hoc modo Deus nihil poteſt agere, ergo nec neceſsitate naturæ; ſi ordinatum ad finem, vel hoc ordinatur ad finem ab alio ordinante ſeparato, vel coniuncto; ſed Deus nihil agit aliquo ſeparato à ſe ordinante eum ad agendum, quia ſic Deus ageret alio priori ſe ordinante ipſum ad agendum quod eſt inconueniens, ergo ſibi coniuncto, & cum tale coniunctum ſit ſapientia eius, ergo Deus agit ſapientia ſua, & non ex neceſsitate naturæ. Item Herueus.

p. p. q. 9. ar. 4. Et iterum reſp. quod Deum agere per voluntatem, & non ex neceſsitate naturæ poteſt probari tripliciter; primò, quia Deus eſt primum agens, agens autem primum eſt agens per intellectum, & non per naturam, nam omni agenti per naturam neceſſe eſt, vt ei prędeterminetur finis, & media neceſſaria ad finē ab aliquo ſuperiori agente per intellectum; ſecundò, quia Deus cum contineat in ſe totam perfectionem eſſendi, non habet eſſe determinatum, nec conſequenter eundem effectum ſemper producit, ſicut agens naturale; tertiò, quia eſſe Dei eſt ſuum intelligere, vndè effectus qui procedunt ab eo neceſſe eſt vt procedant per modum intelligibilem, & conſequēter per modum voluntatis, & non naturali neceſsitate. Adhoc idem probandum prima ratione vtitur Franc. à Chriſto, quæ eſt etiam Ægidij.

d. 43. pr. 2. q. 1. Ægidius reſp. quod omne agens ex neceſsitate naturæ mouet motum, nam vt dicit Ariſt. omne mouens phyſicè mouetur, & ſimiliter actio ſua eſt determinatè ad vnum, qua propter Ariſt. aſsignans differentiam inter potentias naturales, & rationales dicit, quod potentiæ rationales ſunt ad oppoſita, naturales verò determinatæ ad vnum; ſed Deus non agit motus, neque actio ſua eſt determinata ad vnum, igitur non eſt agens ex neceſsitate naturę; quod non agat motus, neque actio ſua ſit determinata ad vnum probat ex quatuor, quæ omnipotentiam eius manifeſtant, ſcilicet ex eo, quod omnia ordinat, quod omnia conſeruat, quod omnia producit, quod omnia ad ſe conuertit; primò ergo, quia omnia ordinat, omnibus praeſtituit finem, quod autem agit motum ordinatur ab alio, & ab alio praeſtituitur ei finis, & ſimiliter actio eius determinata eſſe non poteſt, quia omnia ordinare non requirit determinatam actionem, cum omnes cauſæ, quæ in tali ordine continentur diuerſificētur in actionibus ſuis; ſecundò, quia omnia conſeruat, omnibus eſt cauſa eſſendi, quod autem eſt omnibus cauſa eſſendi eſt ipſū eſſe, quod autem agit motum habet ab alio vt ſit, & non eſt ipſum eſſe, quia potentialitatem habet admixtam, & ſimiliter actio illius non eſt determinata ad vnum, quia cum non habeat modum determinatum eſſendi, cum ſit ipſum eſſe, nec habet modum determinatum agendi; tertiò, quia omnia producit eſt, primum agens, quod autem mouet motum non poteſt eſſe primum agens, quia primum agens à nullo mouetur, & ſimiliter actio eius non eſt determinata ad vnum, quia omnia producere eſt non habere actionem determinatam ad vnum; quartò, quia omnia ad ſe conuertit eſt ſummum bonum, & non agit propter finem, quod autem mouet motum agit propter finem, & ſimiliter cum in eo reſeruetur omnis ratio bonitatis non habet actionem limitatā, ſeù determinatam ad vnum.

Ricardus reſp. quod perfectiones, quæ ſunt communicatæ rebus creatis ſunt quidem differentes in ſeipſis, in Deo tamen realiter vnū, & quoniam natura vt natura non diſtinguit inter ea, quæ ſunt realiter vnum, ſed intellectus, quia quæ ſunt realiter vnum diſtinguuntur ſecundum rationem, ideò diuinarum perfectionum communicatio cum reali differentia non poteſt eſſe niſi per potētiam directam ab intellectu determinatam per voluntatem, & ideò Deus eſt agens voluntate, non naturæ neceſsitate. d. 44. q. 6.

Durandus reſp. quod illud, quod agit ex neceſsitate naturæ, ſtatim cum eſt producit effectum ſuum, niſi ſua virtus ſit imperfecta, vel ſua actio ſucceſsiua, ſed diuina virtus eſt ab æterno perfecta, & actio qua res producit eſt ſubita; igitur ſi Deus ageret ex neceſsitate d. 43. q. 4.

natu-

naturæ, ab æterno res produxiſſet, quod eſt falſum.

d. 47. ar. 1. Petrus Aureol. reſp. quod Deus eſt agens liberum agens voluntate complacentiæ, inquantum ſibi complacet in ſua entitate, & conſequenter in omni entitate creata, & creabili.

d. 43. q. 1. Gulielmus Occham reſp. quod licet non poſſit ratione naturali probari, quia ſicut ex perfectione Solis naturaliter ſequuntur multi effectus, ita ex perfectione entitatis diuinæ ſequantur multæ entitates, quæ aliter eſſe non poſſent; nihilominus tenendum eſt, quod Deus eſt cauſa contingenter agens; quia tenendum eſt, quod Deus poteſt iſta generabilia immediatè, & totaliter cauſare, quod ſi eſſet cauſa naturalis, vel omnia produceret ſimul, vel nulla.

d. 45. q. [illegible] Gregorius reſp. quod ſi Deus neceſſariò aliquid ageret, aliud quam Deus eſſet neceſſe eſſe, & non poſſet non eſſe, quod eſt erroneum, & conſequentia probatur, quia Deus eſt neceſſe eſſe, & non poteſt non eſſe; igitur & omne cui neceſſariò dat eſſe.

Reſolutio.

RESPONDEO, quod ſummo enti repugnat agere ex neceſſitate naturæ, cum enim ſit ens perfectiſſimum, & eius potentia, & virtus ſe extendat ad omnia hoc ei de perfectione, & potentia deeſſet, ſi non volens ageret, aut non intelligens.

Obiectio. Sed ſi Deus immutabiliter agit? illa autem agunt de neceſſitate naturæ, quæ quantum eſt de ſe immutabiliter ſe habent ad productionem effectus.

Reſpondetur, quod licet Deus agat immutabiliter, agit tamen ex libertate arbitrij, agere autem ex neceſſitate naturæ eſt habere determinatam actionem, & immutabiliter, ſed non liberè agere. Ita Ægidius.

QVÆSITVM II.

An Deus ſit agens ex neceſſitate iuſtitiæ?

c. 11. q. 5. GVilelmus Antiſiod. reſp. quod ſicut Deus ſummè miſericors eſt, ita ſummè iuſtus, ergo ſicut non poteſt facere contra ſuam miſericordiam, ita nec contra ſuam iuſtitiam.

q. 21. m. 2. Alex. reſp. quod iuſtitia Dei vno modo connotat condecentiam diuinæ bonitatis, & hoc modo quicquid agit Deus agit ex iuſtitia, alio modo connotat congruentiam meritorum, & hoc modo, non quicquid agit, agit ex iuſtitia.

Albertus reſp. quod Deus poteſt facere quod non eſt iuſtum fieri, ſi ly quod non eſt iuſtum fieri, cadat ſub ampliationi potentiæ importatæ per ly poteſt, ſed eo ipſo quod ipſe facit, iuſtum eſt. d. 43. ar. 3.

D. Thomas reſp. quod Deum agere de neceſſitate iuſtitiæ poteſt intelligi dupliciter, aut ita quod nihil poſſit agi ab eo, quod ſi fuerit iuſtum non eſſet, & ſic verum eſt, ſicut enim non poteſt facere aliquid, quod ſi fieret, non eſſet volitum ab eo, ita nihil poteſt facere, quod ſi fieret, non eſſet iuſtum; aut poteſt intelligi, quod ex iuſtitia ſua determinetur ad aliquid vnum faciendum, ita quod aliud facere non poſſit, & ſic eſt falſum, & ratio eſt, quia quicquid eſt bonum ordinatum iuſtum in rebus creatis, totum eſt ex voluntate Dei ordinante. q. 2. ar. 2.

Ægidius reſp. quod ſimpliciter loquendo accipiendo iuſtum, pro eo, quod eſt volitum à Deo, & ordinatum, quia intantum tale eſt, inquantum volitum, Deus non eſt agens ex neceſſitate iuſtitiæ, quia ſicut poteſt facere, quod non vult, ita poteſt facere, quod non eſt iuſtum, quod ſi tamen faceret eſſet iuſtum; ex ſuppoſitione autem extendendo nomen neceſſitatis ad omne debitum, & nomen iuſtitiæ ad omnem condecentiam, ſic Deus dicitur agens ex neceſſitate, hoc eſt ex debito iuſtitiæ, ideſt, cuiuſdam condecentiæ, quę attenditur in communicatione ſuæ bonitatis, quam non omnibus æqualiter communicat, ſed prout ſibi videtur conuenire; ſi verò neceſſitatem accipiamus ſtrictè, prout libertati repugnat, & iuſtitiam pro æqua retributione meritis, ſic non quicquid agit, ex neceſſitate iuſtitiæ agit, nam aliquibus liberè tribuit dona ſua, qui tamen nulla merita præcedentia habent. pr. 2. q. 2.

Herueus reſp. quod Deus non eſt agens ex neceſſitate iuſtitiæ, quia decentia Dei ita manet ſine creatura, ſicut cum ea, & cum pluribus, ſicut cum paucis, non enim dependet ex creaturis. q. 2.

Durandus reſp. quod Deum agere ex neceſſitate iuſtitiæ poteſt dupliciter intelligi, vno modo, quod nihil poſſit fieri, quin ſi factum eſſet, iuſtum eſſet; alio modo quod ex iuſtitia ſua ſic determinetur ad aliquid faciendum, quod non poſſit illud omittere, vel facere oppoſitum; iuſtitia ſimiliter dupliciter accipitur, vel largè pro condecentia, vel ſtrictè, prout reſpicit debitum obligationis; ſi ergo quæſtio intelligitur primo modo, & iuſtitia ſimiliter, ſic Deus agit ex neceſſitate iuſtitiæ, quia nihil poteſt facere, quin eſſet iuſtum ſi q. 5.

face-

faceret, hoc eſt, condecens, nam quicquid Deus poteſt facere, ſi fieret, ſecundum quod fieret, congrueret bonitati diuinæ, ad quam ordinaretur vt ad finem, cum ipſa ſit regula omnium, quæ Deus agit; ſi tamen quæſtio intelligatur primo modo, & iuſtitia ſecundo, ſic Deus nihil agit ex neceſsitate iuſtitiæ, quia in Deo nulla eſt obligatio ad creaturas, neque ad producendum eas, neque ad cõſeruandum; ſi autem quæſtio intelligatur ſecundo modo, quoquo modo accipiatur iuſtitia, ſic Deus non eſt agens ex neceſsitate iuſtitiæ, quia non ita determinatur ex iuſtitia ad aliquid faciendum, quin poſsit illud omittere, & facere oppoſitum, quamuis enim velit neceſſariò bonitatem ſuam, non vult tamen neceſſariò alia, quæ ordinantur ad ipſam tanquam ad finem.

d. 44. ar. 5. Petrus Aur. reſp. quod nulla ratio debiti, aut obligatio iuſti, aut exigentia rationis locũ habet in Deo, vel in ejus potentia reſpectu actionum ad extra, vel modorum agendi, & ideò negandum eſt, quod Deus faciat, quod iuſtum eſt ipſum facere, aut quod debet, aut quod rationale eſt ipſum agere; nec tamen debet concedi oppoſitum, quod irrationabiliter poſsit agere, aut indebitè, vel iniuſtè, eſt enim dare medium per abnegationem vtriuſq. quia non eſt aptus natus ſubijci debito iuſtitiæ, aut exigentiæ rationis, aut alicui quantumcunque minimæ obligationi, etiam decentiæ, aut honeſtatis.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod illud dicitur agens ex neceſsitate iuſtitiæ, quod neceſsitatem contrahit ad agendum ex debito, ſeù obligatione iuſtitiæ, ita vt non poſsit aliter agere, niſi agat contra iuſtitiam, agere autem contra iuſtitiam eſt errare ſecundum leges, nam iuſtitia qualificatur, & innoteſcit per leges; cum itaque Deus nullis teneatur legibus, cum ipſe ſibi ſit lex, & ratio agendi, non poteſt aliquid agere contra iuſtitiam, nec ex conſequenti ex neceſsitate iuſtitiæ, ita vt, ſi illud ageret, ageret contra eam, immò quicquid ab ipſo agitur eo ipſo quod agitur, iuſti rationem habet.

Obiectio. Sed ſi Deus (vt inquit Paulus Apoſtolus) ſeipſum negare non poteſt? igitur nec facere niſi ſecundum iuſtitiam.

Reſpondetur, quod Deus non poteſt facere niſi ſecundum iuſtitiam, quæ eſt quædam condecentia, & ratio agendi in ſua diuina mente, & hoc modo non poteſt negare ſeipſum, ſed nihil facit ſecundum iuſtitiam, quæ importat debitum obligationis, ex quo contrahitur neceſsitas agendi.

DISTINCTIO QVADRAGESIMA QVARTA.

Nunc illud reſtat diſcutiendum, vtrum melius aliquid poſsit facere, &c.

QVÆSITVM I.

An Deus poſsit facere aliquam creaturam meliorem, quam fecerit?

Guilelmus Antiſiod. reſp. quod Deus fecit vnumquodque optimum in ſuo ordine, & ſtatu, & ideò non poteſt facere melius; poteſt tamen facere aliud. c. 11. q. 7.

Alex. reſp. quod indiſtinctè concedendũ eſt, quod Deus poſsit facere aliquam creaturam meliorem, quam fecerit, ſed, an ipſa poſsit fieri melior, quam facta fuerit diſtinguendum eſt, quia rem poſſumus conſiderare in ſe, & ſecundum hoc, quælibet poteſt fieri melior, vel in rerum vniuerſitate, & ſecundum hoc concedendum eſt, quod non poteſt fieri melior ſecundum potentiam rei factæ. q. 21. m. 3. ar. 1.

Albertus reſp. quod quælibet creatura poteſt conſiderari dupliciter vel in ſe, in ſua propria natura, & genere tantum, vel in potentia creatoris; ſi conſideretur primo modo, adhuc poteſt conſiderari dupliciter, vel ſecundum eſſe ſubſtantiale, vel ſecundum eſſe accidentale; ſi conſideretur ſecundum eſſe ſubſtãtiale, ſic nulla creatura potuit fieri melior; ſi verò ſecundum eſſe accidentale, ſic quælibet creatura potuit fieri melior, ſicut continuò in melius, & in peius mutatur; ſi autem creatura conſideratur, vt eſt in potentia creatoris, tunc quælibet potuit fieri melior, & ſecũdum eſſe ſubſtantiale, & ſecundum accidentale ſecundum ſuam voluntatem. d. 44. ar. 2.

D. Thomas reſp. quod vnicuique rei in ſe conſideratæ eſt duplex bonitas, eſſentialis, & accidentalis; loquendo de bonitate accidentali vnicuique rei maiorem bonitatem Deus conferre potuiſſet; loquendo autem de bonitate eſſentiali, qualibet re creata meliorem aliam facere quidem potuiſſet, ſed non illam eandem rem, ſi enim adderetur ad bonitatem eſſentialem aliquid non eſſet eadem res, ſed alia, quia vt dicit Ariſt. 8. Meth. t. c. 10. ſpecies rerũ ſunt ſicut numeri. Item Aureolus, & Herueus. Intelligendo tamen (inquit Durandus) de creatura propriè dicta, quæ eſt ſubſtantia completa, non largè, qualis eſt omnis p. p. q. 25. ar. 6.

res

res creata naturaliter, inam omnis formæ, quæ ſuſcipit magis & minus poteſt deduci de gradu imperfectiori ad perfectiorem, qui gradus attenduntur ſecundum eſſentiam ipſius formæ. Item Marſilius.

d. 44. p. 1. q. 1. Ægidius reſp. quod ſi aliquod agens rem aliquam meliorem facere nō poteſt, hoc prouenit ex tribus, quæ conſiderantur in productione cuiuslibet rei, ex parte producentis, ex modo producendi, & ex parte rei productæ; ex parte producentis, vt cum agens agit ex neceſſitate naturæ, vel cum tota bonitas producentis relucet in producto, non enim poteſt eſſe maior bonitas in effectu, quam in cauſa; ex parte modi producendi, vt quando producens agit ſuppoſita materia, tunc enim non poteſt facere rem meliorem, vel quia materia non eſt in potentia ad maiorem perfectionem, vel quia eius diſpoſitio, ſeù capacitas repugnat vlteriori perfectioni; ex parte producti, & quando repugnat effectui ſimpliciter, vel huic, nulla enim virtus agētis producit effectū preter rationem eius; cum itaque Deus non ſit agens ex neceſſitate naturę, non reluceat tota ſua bonitas in aliqua creatura propter improportionem eius ad illam, non agat ſuppoſita materia, nec tandem repugnet effectui, quia non implicat, quod creatura melior fiat, ideò ſimpliciter loquendo Deus poteſt facere aliquam creaturam meliorem, quam ſit, quia tamen repugnat huic effectui, quod fiat melior, quam ſit bonitate eſſentiali, nam talis bonitas reſpicit naturam ipſius effectus, qui ſi melior fieri poſſet mutaretur, & conſequenter non remaneret effectus, ideò Deus non poteſt facere rem meliorem, quā ſit, bonitate eſſentiali, quamuis poſſit bonitate accidentali, quæ non tollit naturam rei. Similia Franc. à Chriſto, & eſt communis reſponſio.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod cum potentia Dei ſit infinita, & Deus ipſe ſit agens liberum, & non ex neceſſitate naturæ, poſſet vtique ſi vellet quamcunque creaturam facere meliorē quam fecerit, quātum ad accidentalia tantum, nam quantum ad ſubſtantialia implicat, quia omnis mutatio ſubſtantialis facit rem eſſe aliam, non meliorem.

Obiectio. Sed ſi Deus quicquid producit ex tota ſua potentia producit? quod autem producitur ſecundum totam potētiam alicuius, ab eo non poteſt fieri melius.

Reſpondetur, quod aliquid produci ſecundum totam potentiam Dei poteſt intelligi dupliciter vno modo prout totalitas attenditur in ordine ad producentem, & ſic omnis res, quam Deus produxit eſt producta ſecundum totam potentiam eius; alio modo poteſt intelligi, quod creatura ſit producta ſecundum totam potentiam Dei in ordine ad effectum, ſcilicet quia melior produci non poteſt, & ſic nihil eſt hoc modo productum. Ita Marſilius.

QVAESITVM II.

An Deus poſſit facere vnam creaturam meliorem altera procedendo in infinitum?

d 44 pr. 1. q 3. Ægidius reſp. quod omnia entia quodammodo clauduntur inter duos terminos diuerſi generis, quorum vnus eſt ſupremus, vltra quem non licet aſcendere, alius eſt infimus, infra quem non poteſt eſſe progreſſus; terminus ſupremus eſt actus purus, & eſt quid increatum videlicet Deus; terminus infimus eſt potentia pura, & eſt quid creatum, videlicet materia prima; in deſcendendo itaque inuenimus ſtatum in rebus creatis, quia materia prima ordine naturæ nihil vilius eſſe poteſt, in aſcendendo autem non inuenimus terminum in rebus creatis, quia nulla res creata poteſt eſſe actus purus, alioquin eſſet ipſum eſſe, non participaret eſſe, & conſequenter non haberet eſſe ab alio; ſimpliciter ergo loquendo nulla creatura eſt ita perfecta, quod Deus non poſſit facere aliam perfectiorem.

q. 2. Durandus reſp. quod in perfectionibus ſpecificis creaturarum non eſt poſſibilis proceſſus in infinitum; primò, quia cuilibet rei poſſibili in rebus creatis reſpondet aliqua idea in Deo; cum autem in Deo, nec ſint, nec eſſe poſſint infinitæ ideæ, nec ſimul, nec ſucceſſiuè, igitur in rebus in rebus creatis nec ſunt, nec eſſe poſſunt infinitæ ſpecies nec ſimul, nec ſucceſſiuè; ſecundò, quia ſicut Deus probatur eſſe prima cauſa ex ordine cauſarum per ſe, ita probatur eſſe primum, & ſummè perfectū ex ordine perfectionum ſpecificarum, cum autem prima probatio nulla eſſet, ſi in cauſis efficientibus eſſet proceſſus in infinitum, igitur nec ſecunda ſi ſit in perfectionibus ſpecificis poſſibilis proceſſus in infinitum.

ar. 4. Petrus Aur. reſp. quod ſi Deus poſſet procedere in infinitum producendo vnam creaturam perfectiorem altera per prius reſpiceret illam creaturam in infinitum producibilē quam aliam, quandocunque enim aliqua potentia reſpicit multa, quorum vnum eſt perfectius alio, & totale ſecundum perfectionem reſpe-

reſpectu alterius, per prius reſpicit illud totale, quod eſt perfectius, quam alterum, quod eſt imperfectius, & quaſi partiale reſpectu illius; igitur ipſam creaturam produceret, quia Deus poteſt producere quicquid per prius ſubeſt potentiæ ſuæ, quod tamen eſt inconueniens, quia nihil eſt infinitum niſi Deus. Procedere item ab vna perfectione ſpecifica ad aliam eſt proceſſus ad menſuram, ſpecies enim ſuperior eſt menſura inferiorum; cum autem proceſſus ad menſuram ſit finitus, igitur & proceſſus ab vna perfectione ſpecifica ad aliã neceſſariò eſt finitus.

q. vii. Guilelmus Occham reſp. quod Deus poteſt facere hominem alterius ſpeciei, quam fecit, quia poteſt facere hominem, qui non poſſit peccare, dicente D. Aug. quod talem Deus potuit feciſſe hominem, qui nec peccare poſſet, nec vellet, ex quo ſequitur non eſſe ſtatum in ſpeciebus.

q. 43. ar. 2. Marſilius reſp. quod Deus poteſt producere quamcunque creaturam maiorem quacunque alia creata, non ſolum in magnitudine, ſed etiam in perfectione, quia eſt infiniti vigoris, virtus enim infiniti vigoris omni finito quantumlibet maius poteſt producere.

Reſolutio.

RESpondeo, quod cum potentia Dei ſit infinita non eſt limitata ad aliquem terminum, quem pertranſire non poſſit, & ideò Deus poteſt quacunque data creatura, cuiuſcunque ſit perfectionis, aliam perfectiorem producere in infinitum, hoc eſt, ſine termino, non tamen infinitam, quia cum ſit impoſſibile infinitum pertranſire, ipſam produceret cum termino, quod implicat.

Obiectio. Sed ſi vt dicit Ariſt. omnium natura conſtantium terminus eſt?

Reſpondetur, quod omnium natura conſtantium eſt terminus per reſpectum ad potẽtiam finitam, qualis eſt potentia naturalis, & creata, non infinitam, qualis eſt potentia diuina, & increata.

QVÆSITVM III.

An Deus poſsit facere vniuerſum melius, quam fecerit?

c. 11. q. 7. GVilelmus Antiſiod. reſp. quod hoc aduerbium melius habet reſpectum ad actum, & quoniam quicquid a Deo fit optimè fit, idcircò non poteſt Deus aliquid facere melius, quam faciat.

d. 44. ar. 2. Albertus reſp. quod ſi vniuerſum conſideratur vt ſupponitur in eſſe, ſic non poteſt eſſe melius, & hoc ſecundum bonitatem naturæ, non ſecundum bonitatem accidentalem, & gratia; ſi autem ſupponitur tantum in potentia efficientis, tunc poteſt fieri melius, & magis ordinatum; ſi verò ſupponitur vt partim eſſe in re, & partim in potentia, ſicut ſi ponamus cælum, terram, motum, animalia & huiuſmodi, & nihil plus niſi in mente, & potentia diuina, tunc ſine confuſione armoniæ mũdi, non poſſunt res reliquæ fieri melius, quo ad ſubſtantiam, quam quo factæ ſunt.

d. 44. q. 1. ar. 2. D. Thomas reſp. quod vt dicit Ariſt. bonum vniuerſi conſiſtit in duplici ordine ſcilicet in ordine partium ad inuicem, & in ordine totius ad finem; accipiendo ergo bonum ordinis primo modo, ſic poteſt conſiderari dupliciter, vel quantum ad partes ipſas ordinatas, vel quantum ad ordinem partium; ſi quantum ad partes ipſas, tunc poteſt intelligi fieri melius; vel per additionem plurium partium, ſecundũ quod poſſunt creari aliæ ſpecies, & gradus bonitatis, & ſic Deus poteſt vniuerſum facere melius, quod tamen ſe haberet ad hoc, ſicut totum ad partem; vel poteſt intelligi fieri melius quaſi intenſiuè, ita vt cadat melioratio ſuper omnes partes eius, & ſic eſt poſſibile, quod melius fiat, tam ſecundum bonitatem accidẽtalem, quam eſſentialem, quamuis hoc modo nec eędem eſſent partes, nec idem vniuerſum; ſi autem conſideretur quantum ad ordinem partium, ſic etiam poteſt eſſe melius quãtum ad ordinem, qui ſequitur bonitatem accidentalem, non quo ad ordinem, qui ſequitur bonitatem eſſentialem, niſi fierent aliç partes, & aliud vniuerſum; accipiendo tamen bonum ordinis, qui eſt totius vniuerſi ad finẽ, ex parte ipſius finis, non poteſt eſſe melius; quia talis finis eſt Deus, quo nihil eſt melius; ex parte tamen ipſius ordinis poteſt eſſe melius, quia poſſet meliorari ordo in finẽ, quo ad partes propinquius ſe habẽtes ad illũ. Et p. p. q. 25. a. 6. dicit quod vniuerſum ſuppoſitis iſtis rebus non poteſt eſſe melius propter decentiſſimum ordinem eis attributum à Deo, in quo bonum vniuerſi conſiſtit, quorum ſi vnum aliquod eſſet melius corrumperetur proportio ordinis; poteſt tamen Deus alias res facere, vel alias addere factis, & ſic eſſet illud vniuerſum melius. Similia habent D. Bonauentura, Ægidius, Ricardus, Herueus, Durandus, Aureolus, Occham, Gerardus, Marſilius, & Franciſcus à Chriſto. Licet enim non eodem modo procedant, in eundem tamen ſenſum conueniunt.

Fran-

Digitized by Google

d.43. q.10. Franciſcus Maro reſp. quod loquendo de melioritate abſoluta potuit Deus facere vniuerſum melius, quia omnes ſtellas potuit facere angelos; loquendo tamen de melioritate reſpectiua, quæ eſt in comparatione ad determinatum agens, vel obiectum, non, quia cum talis bonitas vniuerſi cōſiſtat in ordine rerum, Deus omnia ordinatiſſimè fecit, ex quo nedū bona dicuntur, ſed etiam valdè bona.

q.vn. Ioannes à Celaia reſp. quod ſumendo mundum pro aggregato tantum creaturarum, & non pro aggregato Dei, & creaturarum, Deus poteſt vniuerſum melius producere hoc, quod produxit, meliori tamen modo non poteſt, quia infinita ſua ſapientia, & prouidentia produxit.

Reſolutio.

RESpondeo, quod Deus ex ſua libertate, & infinitate potentiæ poterat facere hoc vniuerſum melius, quam fecerit, cum enim vniuerſum ſit aggregatio partium, ſiuè omnium creaturarum, ſine implicantia aliqua poterat quamcunque eius partem, ſiuè quamcunque creaturam facere meliorem, quam fecerit, ſed ſicut dictum eſt, quo ad accidentalia tantum, non eſſentialia.

Obiectio. Sed ſi vniuerſum à Deo factum eſt optimū? optimi enim eſt optima facere, ac proinde non poteſt eſſe melius.

Reſpondetur, quod vniuerſum eſt optimum ratione ordinis, non tamen ſimpliciter, quin meliorari poſſit. Ita Ægidius, & Alexander.

QVAESITVM IV.

An Deus potuit facere vniuerſum antiquius, quam fecit?

d.44. ar.1. ALbertus reſp. quod Deus potuit facere, quod mundus iam ſtetiſſet per mille millia annorum, & ſi hoc feciſſet, adhuc tamen quæreremus idem quod modo, & ſic quæſtio ſtulta eſt, & nulla, ex quo clarum eſt, quod non poteſt eſſe æternus.

ar.1. q.4. D.Bonau. reſp. quod ſicut Deus non potuit facere mundum in alio loco, quia ſine mundo non eſt locus, ita non potuit facere mundum in alio tempore, quam in eo, in quo fecit, quia nullum tempus poteſt eſſe ſine mundo.

q.3. Ricardus reſp. quod Deum potuiſſe facere vniuerſum antequam fecerit poteſt intelligi dupliciter. vno modo non faciendo aliquam partem temporis, quæ primum inſtans, in quo mundus fuit creatus, præceſſiſſet, & ſic Deus non potuit facere mundum antequam fecit, quia ante inſtans, in quo factus fuit, non fuit aliqua menſura prior, in qua prius eſſet, & poſterius, quia ante illud inſtans non fuit niſi ſola æternitas, in qua mundus fieri nullo modo potuit; alio modo poteſt intelligi faciendo aliquam partem temporis ante illud inſtans, in quo vniuerſum fuit creatum, cuius partis temporis illud inſtans eſſet terminus, & ſic Deus potuit facere vniuerſum antequam fecit.

Franciſcus Maro reſp. quod quantum ad eſſe materiale potuit Deus facere vniuerſum antequam fecerit, quia omnem ſubſtantiam, quam Deus creauit, potuit ante creaſſe, ſed non formaliter, quantum ad omnia tam abſoluta, quam reſpectiua; eſt enim impoſſibile contradictoria verificari de eodem, vnde ſi Deus non produxiſſet vniuerſum, quando produxit, ſed ante, quantum ad omnia, tunc fuiſſet idem reſpectus præſentialitatis, qui fuit quando Deus creauit, & ſic contradictoria, quia creaſſet mundum, quando non creauit, quia in eodem quando; & ſi dicatur quod non fuiſſet idem reſpectus, tunc (inquit) habetur propoſitum, quia ſcilicet, quantum ad omnia tam abſoluta, quam reſpectiua, Deus non potuiſſet prius creaſſe, quam creauit. d.43. q.10.

Reſolutio.

REſpondeo, quod ly antiquius anterioritatem ſonat, anterioritas autem ſignificat menſuram; ſi ergo ly antiquius ſumitur per comparationem ad menſuram æternitatis, vtique Deus poterat ipſum antiquius creare, vnde ſi nunc ſunt ſex mille anni, quod creatum fuit, poſſent eſſe decem mille; ſed non ſi ſumitur per comparationem ad menſuram temporis, nam antequam Deus crearet vniuerſum non erat tempus, vnde cum non eſſent anni, neque dies, non poteſt dici quod ante per tot annos, per tot dies, potuiſſet ipſum creare.

Sed ſi creaſſet Deus vniuerſum ſine motu? ac proinde non indigens tempore? *Obiectio.*

Reſpondetur, quod ſi Deus creaſſet vniuerſum ſine motu, antequam daret ei motum, tunc illa anterioritas ſumenda eſſet per comparationem ad menſuram æternitatis, non temporis.

QVAESITVM V.

An Deus poſsit facere aliud vniuerſum ab iſto diſtinctum?

RIcardus reſp. quod nullam implicat contradictionem, quod Deus poſſit facere aliud vniuerſum, quia nec ratione d.44. q.4.

tione

tione rei, de qua fiat, nam vniuerſum non fecit Deus de aliquo, nec ratione receptiui, nam ſecundum ſuam totalitatem non eſt receptum in aliquo ſpacio, nec ratione diuinæ potentiæ, quia eſt infinita, nec etiam ratione naturarum infra eãdem ſuperficiem cõtentarum etiam ſi fierent vnius ſpeciei, quia verbi gratia, ſi fieret terra naturaliter quieſceret in centro illius vniuerſi, & non illius.

d. 45. q. vn. Guilelm. Occham reſp. quod Deus poteſt facere aliud vniuerſum diſtinctum ab iſto ſecundum numerum, & ratio eſt, quia Deus poteſt producere infinita indiuidua eiuſdem ſpeciei cum his, quæ modo ſunt, & non arctatur eius potentia ad producendum ea in hoc vniuerſo, etiam de extra poteſt producere, & conſequenter ex his conſtituere aliud vniuerſum; eſt etiam probabile poſſe facere aliud vniuerſum diſtinctum ſpecie, & maximè ſecundum eos, qui non ponunt ſtatum in ſpeciebus, ſed dicunt Deum poſſe facere quacunque ſubſtantia data, perfectiorem. Item Gabriel.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut Deus ex nihilo fecit hoc vniuerſum, ita ex nihilo poſſet aliud facere, hoc enim non implicat, neque ex parte facti, quia fieret ex nihilo, ſicut iſtud; neque ex parte facientis; quia idem eſſet faciens eandem potentiam habens.

Obiectio. Sed ſi vniuerſum conſtat ex tota ſua materia? quod autem ex ſua materia tota conſtat, plurificari non poteſt.

Reſpondetur, quod vniuerſum conſtat ex tota ſua materia iam facta, ſed non ex tota factibili, poteſt enim Deus aliam materiam facere. Ita Occham.

DISTINCTIO QVADRAGESIMA QVINTA.

Iam de voluntate Dei aliquid pro ſenſus noſtri imbecillitate dicendum eſt, &c.

QVÆSITVM I.

An in Deo ſit voluntas.

q. 35. m. 1. ALexand. reſp. quod ſemper Deo tribuendum eſt id, quod melius eſt, & quoniam melius eſt habere vim cognoſcentem, & dominam ſui actus, quam ignorantem, & non dominam ſui actus, & huiuſmodi vis cognoſcendi, & domina ſui actus eſt voluntas, idcircò in Deo eſt volũtas.

Albertus reſp. quod quia agens per intellectum eſt melius agente ex neceſſitate, ideò in Deo eſt voluntas, & per prius, quam in nobis, & magis propriè. d. 45. ar. 1.

D. Thomas reſp. quod ſicut quælibet res naturalis habet habitudinẽ ad ſuam formam, & ad quamcunque aliam perfectionem naturalem, tanquam ad bonum ſuæ naturæ, & per quam habet eſſe in actu, ita vt ſi non habet eam, tendat in ipſam, ſi verò habet, in ipſam quieſcat, quæ habitudo in carentibus cognitione vocatur appetitus naturalis, in habentibus ſenſum, appetitus animalis, ita quælibet natura intellectualis, habet ſimilem habitudinem ad bonum appræhenſum per ſuam formam intelligibilem, per quam actu eſt intelligens, vt ſi quando non habet illud, illud quærat, & ſi quando habet, in illud quieſcat, quorum vtrumque pertinet ad voluntatem; voluntas ergo conſequitur intellectum, & quoniam in Deo eſt intellectus, ſequitur etiam quod ſit voluntas. Item Ricardus, Henricus, Herueus, & Durandus. p. p. q. 19. ar. 1.

D. Bonau. reſp. quod poteſtas, voluptas, æquitas, & liberalitas ſunt quatuor conditiones circa voluntatem; cum itaque Deus ſit potentiſſimus, feliciſſimus, iuſtiſſimus, & liberaliſsimus, idcircò eſt etiam voluntas ponenda in eo, immò magis propriè, & cõpletiori modo, quam in nobis, quia eſt indifferens omninò à ſubſtantia, virtute, actu, & fine. q. 45. a. 1. q. 1.

Ægidius reſp. quod duo ſunt de ratione voluntatis, delectatio, & libertas, in his ergo in quibus eſt delectatio, & libertas, eſt etiam voluntas; & quoniam in Deo eſt maximè delectatio, & libertas, quia ſuum intelligere, quod eſt maximè voluptuoſum eſt immobile, & non contractum ad aliquod genus, vel ſpeciem, ideò in eo eſt etiam voluntas, & quidem perfectè & principaliter; ſicut in angelis, & hominibus per quandam participationem, & imitationem. d. 45. pr. 1. q. 1.

Petrus Aur. reſp. quod voluntas dicit perfectionem ſimpliciter, & eſt nobilior, & dignior intellectu, & ideò ſicut intellectus verè, & realiter eſt in Deo, ita & voluntas, non tamen vt concipitur ſub ratione potentiæ, aut habitus inclinantis ad actum, quia ſic expectaret perfici, & informari ab eo, & conſequenter diceret imperfectionem; ſed vt concipitur per modum velle ſubſiſtentis, & puri actus. d. 46. ar. 1.

Thomas ab Arg. reſp. quod voluntas non ſolum eſt ponẽda virtualiter in Deo, ſed etiam formaliter; primò, quia dicit perfectionem ſim- d. 45. q. 1. ar. 1.

ſimpliciter, cum enim ſit potentia eſſentialiter libera, in quocunque reperitur melior eſt ipſa, quam non ipſa; ſecundò, quia Deus habet cognitionem intellectiuam, quam ſequitur appetitus intellectiuus, ſeù voluntas; tertiò, quia in ipſo reperitur delectatio cum libertate, & immobilitate; quartò, quia voluntas eſt de integritate, & perfectione intellectualis naturæ. Et quia (inquit Ioannes de Baſſ.) eſt verè dominus, & princeps vniuerſi, vnde debet habere potentiam, ad quam præcipuè pertinet imperium, & hæc eſt voluntas.

q. 44. ar. 1. Marſilius reſp. quod in Deo eſt ſumma fælicitas, ſumma perfectio, & eſt naturæ intellectualis, & idcircò eſt voluntas in eo.

q. 19. ar. 1. Ludouicus Mol. reſp. quod ideò in Deo eſt voluntas, quia Deus eſt agens per intellectum, quia eſt ſummè beatus, & quia voluntas dicit perfectionem ſimpliciter. Valentia, Quia Deus eſt ens infinitè perfectum & voluntas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Suarez, Et quia eſt perfectio ſimpliciter, & quia ſequitur intellectum. Vaſquez, Sicut Deo tribuimus perfectionem creaturarum intellectualium; ſeclusis tamen imperfectionibus earum, ſicut ſcire, & intelligere, ita & appetitum rationalem, qui ſequitur propoſitionem per iudicium, & intellectum.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod cum nomine Dei intelligamus id, quod eſt prius, & perfectius omni ente, conſequens etiam eſt, vt intelligamus in ipſo eſſe voluntatem, quod enim non per voluntatem eſt, aut non per voluntatem operatur, non poteſt intelligi prius, & perfectius eſſe eo, quod voluntate eſt, & voluntate operatur; ſicut id quod agitur non poteſt eſſe prius, & perfectius eo, quod agit; cum itaque voluntas primitatem dicat, & perfectionem ſimpliciter, in primo, & perfectiſsimo ente, quod eſt Deus, debemus intelligere eſſe voluntatem.

Obiectio. Sed ſi voluntas eſt appetitus, appetitus autem cum ſit reſpectu boni conſequendi, quod non habet, imperfectionem importat?

Reſpondetur, quod voluntas non ſolum hunc actum habet, quod appetat, quod non habet, ſed etiam vt amet, quod habet, & delectetur in illo, & in ipſum quieſcat, & ſecundum hoc ponitur in Deo, & imperfectionem non importat. Ita D. Thomas. Ægidius reſpondet quod voluntas non eſt propriè appetitus, & ideò non eſt reſpectu boni conſequendi.

QVÆSITVM II.

An in Deo ſit liberum arbitrium?

D. Thomas reſp. quod liberum arbitriũ non eſt niſi reſpectu illorum, quę non neceſſariò, & naturaliter volumus, vndè nec nos liberum arbitrium habemus, ad hoc quod velimus eſſe fælices, nec alia animalia, quæ naturali inſtinctu mouentur ad aliquid; cum ergo Deus neceſſariò velit bonitatem ſuam, alia autem à ſe nõ neceſſariò, ideò reſpectu illius non dicitur habere liberum arbitrium, ſed reſpectu aliorum à ſe. Item Molina. p. p. q. 10. a. 12.

Henricus reſp. quod liberum arbitrium eſt nomen potentiæ, quæ eſt ipſa voluntas, ſed ſolummodo addit determinationem reſpectus ad actum determinatum, qui eſt eligere, vndè voluntas dicitur abſolutè, quæ reſpicit actum circa finem, dicitur liberum arbitrium, quæ eſt circa ea, quæ ſunt ad finem, & ſic libertas ſimpliciter in nomine voluntatis ſimpliciter intellecta eſt libertas ſimpliciter reſpectu cuiuſcunque actus intellectus, libertas verò expreſſa in libero arbitrio eſt libertas reſpectu actus eligendi ſolum; cum itaque Deus velit alia à ſe voluntate determinante ſeipſum, & liberè alteri alterum præferente, ideò voluntas eius eſt voluntas liberi arbitrij. a. 45. q. 4.

Domin. Bannes reſp. & probat quod in Deo eſt liberum arbitrium dupliciter; primò, quia eſt maxima perfectio in nobis, ex perfectionibus autem in nobis diuinas perfectiones inueſtigamus; ſecundò, quia naturaliter inclinamur ad ipſum glorificandum, non ſic autem inclinaremur, ſi neceſſariò, & non liberè diſponeret omnia, & gubernaret. q. 19. a. 10.

Petrus Trig. reſp. quod liberum arbitrium dicit perfectionem ſimpliciter & ideò eſt in Deo, eſt enim Deus dominus ſuorum actuum, non quidem quoad ſubſtantiam actus, qu a actus Dei cum ſit ſibi naturalis eſt ſua eſſentia, ſed quoad ordinationem, & terminationem ad obiecta, nam quod hanc, & illam creaturam producat, eſt in libertate Dei. q. 13. ar. 2. dub. 4.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod liberum arbitrium eſt circa ea, quæ ſunt in poteſtate noſtra, vt velimus, & non velimus, & ſecundum hunc ſenſum dicimus, quod in Deo eſt liberum arbitrium, non quidem reſpectu ſui, vel neceſſariorum ſimpliciter, cum huiuſmodi nõ

poſsit niſi velle, ſed aliorum à ſe, & contingentium, quia huiuſmodi velle poteſt, & non velle.

Obiectio. Sed ſi liberum arbitrium indifferentiam dicit ad deliberandum aliquid, vel non deliberandum? hæc autem indifferentia Deo repugnat, cum ſit ei proprium eodem modo ſemper ſe habere?

Reſpondetur, quod indifferentia priuatiuè ſumpta, ſecundum quam illud dicitur indifferens, quod eſt aptum determinari, nondum tamen determinatur, Deo repugnat, nō autem negatiuè intellecta, ſecundum quam illud dicitur indifferens, quod non habet aliquam determinationem, ad aliquid volendum; vtramq. autem indifferentiam dicit liberum arbitrium. Ita Bannes.

QVÆSITVM III.

An Deus velit ſe tantum, an etiam alia à ſe?

d. 45. q. 1. ar. 2. D. Thomas reſp. quod ſicut Deus cognoſcendo eſſentiam ſuam cognoſcit omnia, quæ ſunt ab eo, inquantum ſunt ſimilitudo quædam veritatis ejus, ita etiam volendo eſſentiam ſuam, vult omnia, quæ fiunt ab eo, inquantum habent ſimilitudinem bonitatis eius, vndè id quod eſt volitum primum ab eo, eſt ſua bonitas tantum, alia verò in ordine ad bonitatem ſuam.

1. p. q. 19. ar. 2. Et iterum reſp. quod hoc pertinet ad rationem voluntatis Dei, vt ipſe alijs communicet bonum ſuum, ſecundum quod poſſibile eſt: igitur & velle ſe, & alia à ſe, ſed ſe vt finem, alia à ſe, vt ad finem, inquantum decet diuinam bonitatem, vt ipſam eandem alia participent.

d. 45. ar. 1. q. 2. Ægidius reſp. quod Deus non vult tantum ſe, ſed etiam alia à ſe, primò tamen, & principaliter vult ſe, alia verò à ſe ſecundariò. Item Trigoſius.

q. 2. & 4. Ricardus reſp. quod voluntas Dei eſt rectiſſima, & ideò vult, quod eſt maximè volibile, & quod habet rationem finis; cum autem ipſe ſit maximè volibilis, & ſit omnium finis, ſequitur etiam quod velit ſe; & ſimiliter vult alia à ſe, quia ſicut ſua entitas, & veritas inquantum cognita eſt ratio cognoſcendi alias entitates, & veritates, ſic ſua bonitas inquantum volita, eſt ratio volendi alias bonitates.

d. 46. q. 1. a. 1. Herueus reſp. quod cum quodlibet agens per intellectum, & voluntatem velit effectui ſuo omne bonum, quod facit in eo, Deus autem ſit agens per intellectum & voluntatem, & faciat omne ſiuè mediatè ſiuè immediatè, quod eſt in qualibet creatura, ſequitur quod omni creaturæ velit aliquod bonum.

Durandus reſp. quod Deus non tantum vult ſe, ſed etiam alia à ſe; primò, quia bonum quod eſt obiectum voluntatis, non ſolum ſe extendit ad bonum increatum, quod eſt Deus, ſed etiam ad quælibet bona creata, quæ ſunt alia à Deo; ſecundò, quia conſtruat, & producit omnia alia à ſe liberè, quodlibet autem agens liberè, eſt agens per voluntatem. d. 45. q. 1.

Petrus Aur. reſp. quod ſicut Deus intelligendo ſe intelligit etiam quamcunque aliam entitatem æquipollenter, ita volendo ſe, vel complacendo ſibi vult alia à ſe, & in eis complacet, itaquod non terminatur volitio ſua ad illa. d. 47. ar. 1.

Ioannes de Baſſ. reſp. quod duplex eſt velle, velle ſcilicet complacentiæ, quo quis ſibi complacet in aliquo bono, & velle efficax, quo non ſolum ſibi complacet in aliquo bono ſic abſolutè, ſed etiam proponit ponere illud in effectu, & in re, diſponendo efficaciter omnia neceſſaria ad hoc, vt illud ponatur in eſſe; velle ergo complacentiæ vult omnia alia bona à ſe, efficaci verò ſolum illa, quæ diſponit ponere in re, & in effectu. d. 45. q. 2.

Petrus Trigoſius reſp. quod voluntas duplex obiectum habet primarium, & principale, & hoc eſt diuina bonitas, ſecundarium, & mediatum, & hoc eſt creatura, primarium dicitur per ſe primo volitum, alia verò ſecundarium quia ratione diuinæ bonitatis. ar. 2. dub. 2.

Franc. Suarez reſp. quod voluntas diuina poteſt verſari circa alia, vt obiecta ſecundaria, & non vult illa ſecundum illud eſſe ſolum increatum, & eminens, quod in ipſo Deo habent, nam illud non eſſet velle creaturas, ſed ſeipſum tantum; vult ergo, vt fiant, & ſint, & & hoc eſt velle illa in proprio eſſe illarum, quia in tali eſſe facit. de tr. lib. 3. c. 6.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod voluntas Dei non ſolum ſe extendit ad ſe, vt ad quid intimum ſibi, ſed etiam ad alia à ſe, & ad illa, ad quæ etiam ſua potentia ſe extendit, cum enim in omni agente ex voluntate, voluntas ea ſit, quæ actuat potentiam ad hoc vel illud agendum, & Deus ſit agens ex voluntate, & potentia eius ſe extendat ad alia à ſe, conſequens eſt, vt & voluntas ad eadem ſe extendat.

Obiectio. Sed ſi omnia alia à Deo ſunt vilia reſpectu Dei? volens autem vilia viloſcit.

Reſpondetur, quod volens vilia vileſcit, quando in vilibus conſtituit finem ſuum, ſed quan-

quando vult vilia tanquam ea, quæ ſunt ad finem, non vileſcit, quia non quieſcit in eis, & ſic Deus non vileſcit volendo alia à ſe, quia non vult ea vt finem, ſed vt ea, quæ ſunt ad finem.

QVAESITVM IV.

An Deus velit liberè, an neceſſariò ea, quæ vult?

p. p. q. 19. ar. 3. D. Thomas reſp. quod Deum aliquid velle ex neceſſitate poſſumus intelligere dupliciter, vel ex neceſſitate abſoluta, vel ex neceſſitate ſuppoſitionis, ex neceſſitate abſoluta vult bonitatē ſuam, quoniam eius voluntas ad eam habitudinem neceſſariam habet, vt ad proprium eius obiectum, quælibet enim potentia habet habitudinem neceſſariam ad proprium obiectum, vt viſus ad colorem, alia autem à ſe vult inquantum ordinantur ad illam, vt in finem; & quoniam volens finem non ex neceſſitate vult ea, quæ ſunt ad finem, niſi ſint talia, ſine quibus finis eſſe non poſſit, & bonitas diuina poſſit eſſe ſine illis, quia ex ſe perfecta eſt, & nihil perfectionis ei ex alijs accreſcit, ideò non ex neceſſitate vult alia à ſe, quamuis ex neceſſitate velit bonitatem ſuam; ex neceſſitate tamen ſuppoſitionis poſſumus dicere Deum velle alia à ſe, quia ſuppoſito, quod Deus velit illa, non poteſt non velle. Item Ricardus, Trigoſius, & Molina.

d. 45. q. 3. Henricus reſp. quod Deus habet voluntatē liberam; tum quia omnia, quæ ſunt rationalis, & intellectualis naturæ liberam habent ordinationem in motus, & fines ſuos; tum quia dignior eſt voluntas, quæ eſt libera, quam quæ ſeruilem habet conditionem; tum tertiò quia libertas eſt de intrinſeca ratione voluntatis, eſt enim voluntas appetitus liber, vndè dum Deus habeat voluntatem, & liberam, ſequitur quod quicquid vult non neceſſariò velit.

d. 39. q. 5. a. 1. Ioannes Scotus reſp. quod Deus omnia alia à primo obiecto contingenter vult, & liberè, non quidem ea libertate, quæ eſt ad oppoſitos actus nolendi, & volendi, quia hæc non eſt ſine imperfectione etiam in noſtra voluntate, ſed libertate, quæ eſt ad oppoſita obiecta, hæc enim dicit perfectionem; ſicut igitur voluntas noſtra diuerſis volitionibus poteſt tendere in diuerſa volibilia, ita & diuina, vnica tamen ſimplici, & illimitata volitione.

d. 47. ar. 1. Petrus Aur. reſp. quod voluntas diuina ad producendum res ad extra eſt voluntas complacentiæ, quæ complacentia immutabilis eſt, & neceſſaria abſolutè, non tamen Deus determinatur ab illa ad producendum, vel non producendum, ſed hoc Deus habet in ſuo pleno dominio, vt producat, & non producat.

Gregorius reſp quod quicquid Deus facit, vult contingenter facere, nam ſi aliqua, quæ Deus facit non contingenter vellet illa facere, ſequeretur quod non poſſet non velle illa facere; vel hoc ergo eſſet, quia non eſſet poſſibile Deum nō facere illa, & ſic quicquid Deus faceret non contingenter faceret, vel quia eſſet poſſibile Deum illa non facere, & ſic aliqua, quæ impoſſibile eſt Deum non velle facere eſſet poſſibile Deum non facere, & per conſequens poſſibile eſſet Deum aliquod velle facere, & non illud facere, quod eſt inconueniens, quia omnia quæ vult facit, & quæ non vult non facit. d. 45. q. vn.

Marſilius reſp. quod voluntas Dei reſpectu effectuum, quos facit eſt contingens cauſa producens, ſiuè conſeruans, quia liberè libertate contradictionis res producit, & cōſeruat. q. 44. ar. 1.

Ioannes de Baſſ. reſp. quod libertas eſt de ratione voluntatis, & ideò quicquid Deus vult liberè vult, ſeipſum, & alia à ſe, ſeipſum quidem non libertate contradictionis, ſed libertate, quæ eſt ſpontaneitas, & ſpontanea neceſsitas, qua voluntas diuina ex ſeipſa ſpontè, & tamen neceſſariò determinata eſt ad volendum eſſentiam diuinam ſic quod ipſam non poteſt non velle, alia à ſe, quæ poſſibilia ſunt, & non ponenda in effectu voluntate complacentiæ, & neceſſariò, quia huiuſmodi diligibilia ſunt, & participantia bonitatem diuinā, quæ verò poſsibilia ſunt, & ponenda in effectu contingenter, & voluntate efficaci. Ad hoc autem (inquit) nulla demonſtratio adduci poteſt, ſed tantum fides, & quæ rationes ſolent adduci à diuerſis Doctoribus, tam Theologis, quam Philoſophis ſolui poſsunt. d. 45. q. 1. ar. 2.

Franc. Suarez reſp. quod Deus vult ſe, & bonitatem ſuam neceſſariò, non ſolum neceſſitate, quo ad ſpecificationem, ſed etiam quo ad exercitium, quia non poteſt ceſſare ab hoc actu; voluntate autem ſimplicis complacentiæ neceſſariò vult creaturas ſecundum eſſe poſsibile, & bonitatem poſsibilem, quia nec in Deo poteſt eſſe mutabilitas, nec in ipſis vt poſsibiles ſunt, cum non poſsint non eſſe poſsibiles; voluntate tamen efficaci liberè vult creaturas ſecundum eſſe actuale, & bonitatem actualem. 1. Met. d. 30. ſect. 16. q. 3.

Gabriel Vaſqu. reſp. quod amore complacentiæ vult omnes creaturas poſſibiles non liberè, ſed neceſſariò; at voluntate efficaci liberè tantum vult eas. diſp. 79. c. 2.

Reſo-

Reſolutio.

RESPONDEO, quod quę ſimpliciter neceſſaria ſunt, & non poſſunt non eſſe, Deus quoque neceſſariò vult, vt quod homo ſit animal, quod equus non ſit aſinus, & huiuſmodi, alioquin poſſet velle implicantia, quod incõuenit; quæ verò ſunt contingentia,& ſuæ potentiæ aliquo modo ſubſunt, vt quod homo ſit, & non ſit; quod murus ſit albus, & non ſit albus, & huiuſmodi Deus non neceſſariò, ſed liberè vult, ſicut non neceſſariò, ſed liberè poteſt.

Obiectio. Sed ſi quicquid Deus ſcit ex neceſſitate ſcit? ſicut autem ſcientia diuina eſt eius eſſentia, ita & voluntas.

Reſpondetur, quod ſcientia eſt de rebus, ſecundum quod ſunt in ſciente, & ideò ſcientia diuina habet neceſſariam habitudinem ad ſcita, & propterea quicquid ſcit Deus ex neceſſitate ſcit; at voluntas comparatur ad res ſecundum quod ſunt in ſeipſis, & ideò voluntas diuina non neceſſariam habitudinem habet ad eas, quapropter neque vult eas ex neceſſitate.

QVÆSITVM V.

An Dei voluntas ſit mutabilis?

d.45. a.10. ALBERTUS reſp. quod mutabilitas infirmitatem ſonat,& impotentiam,quam Deus nec ex ſe habet, nec vt cauſa eſt, ſed incidit ex defectu creaturarum, & propterea voluntas eius mutabilis eſſe non poteſt.

p. p. q.19. ar.7. D. Thomas reſp. quod tunc voluntas alicuius dicitur mutari, quãdo aliquod incipit velle, quod prius non voluit, vel deſinit velle, quod voluit, quod quidem contingere non poteſt, niſi præſuppoſita aliqua mutatione, vel ex parte cognitionis, vt quod volens cognoſcat aliquid ſibi eſſe bonum, quod prius non cognoſcebat, vel circa diſpoſitionem ſubſtantiæ ipſius voluntatis,vt quod illud incipiat ſibi eſſe bonum, quod prius non erat, ſicut aduenıente frigore incipit eſſe bonum ſedere ad ignem, quod prius non erat; cum autem tam ſubſtantia Dei, quam eius cognitio, ſeù ſcientia mutari non poſſit, ſequitur quod nec voluntas eius ſit mutabilis.

d.47. ar.1. Thomas ab Arg. reſp. quod diuinum velle menſuratur nunc æternitatis, in quo nulla poteſt eſſe ſucceſſio, & conſequenter nulla mutatio; ex quo Deus neque poteſt velle, quod primo non voluerit, neque velle oppoſitum eius, quod aliquando voluerit, cum enim velle, & non velle reſpectu eiuſdem voliti ab eadem voluntate ſint contradictoria,non poſſunt eſſe ſimul

Gregorius de Val. reſp. quod quando Deus dicitur velle,non per aliud vult, quam per ſuã entitatem, cum autem eius entitas ſit inuariabilis, ſequitur quod etiam eius voluntas inuariabilis exiſtat. q.19. p.4.

Gabriel Vaſquez reſp. quod voluntas Dei libera circa res producendas nihil addit ſupra eſſentiam præter reſpectum rationis, qui cum in tempore mutari non poſſit, res enim futuræ ab æterno futuræ ſunt, nec in tempore incipiant eſſe futuræ, ſequitur quod nec mutari poteſt ipſa voluntas. ar.7.

Reſolutio.

RESPONDEO, quod obiectum voluntatis eſt bonum, intantum igitur voluntas tendit in aliquid, inquantum illud apprehendit ſub ratione boni, & intantum reſpuit, inquantum apprehendit non ſub ratione boni; ſi ergo contingit aliqua mutabilitas in ea, hoc eſt, quia aliquis error in apprehenſione contingit & propterea mutabilitas in voluntate ſemper arguit defectum in intellectu; cum igitur nullus poſsit eſſe defectus in diuino intellectu, nec conſequenter aliquas mutabilitas poteſt eſſe in diuina voluntate.

Sed ſi Deus aliquando pronunciauit aliquid eſſe futurum, & poſtea noluit eſſe futurum? vt contingit in perſona Ezechię regis per Eſaiam dicentem, Diſpone domui tuæ, quia morieris. Obiectio.

Reſpondetur, quod Deus pronunciauit aliquando aliquid eſſe futurum, ſecundum quod continebatur in ordine cauſarum inferiorum, vt puta ſecundum diſpoſitionem naturæ, vel meritorum, quod tamen non factum fuit,quia aliter erat in cauſa ſuperiori diuina,& ſic prædixit per Eſaiam Ezechiæ mortem,quæ tamen non euenit,quia ab ęterno aliter erat in ſcientia, & voluntate diuinæ, & ſic non fuit facta aliqua mutatio in voluntate. Ita D. Thomas.

QVÆSITVM VI.

An voluntas Dei ſit cauſa rerum?

ALEX. reſp quod voluntas diuina eſt cauſa vniuerſalis omnium, quæ fiunt ex cauſa efficiente, vt ſunt omnia bona, ex deficiente, vt ſunt omnia mala. q.34. m.2.

Alber-

Digitized

d.45. ar.2. Albertus reſp. quod voluntas Dei, quæ dicit eſſentiam diuinam cum reſpectu ad volitum, & connotans effectum eſt cauſa rerum creatarum, quia illa eſt voluntas, vt res fit. & hæc eſt ſufficiens actio Dei ad hoc vt fiat omne quod fit.

q.7. D. Thomas reſp. quod cum potentia Dei ſit infinita non magis determinatur ad hoc, quam ad illud, oportet ergo quod ſupra rationem potentiæ ſit aliquid aliud, per quod opus determinetur, hoc autem fit per ſcientiam, quæ propriam rationem rei cognoſcit, ſed quoniã ſcientia ſe habet ad oppoſita, eſt enim & bonorum, & malorum, ideò oportet aliquod adhuc addere, in quo perficiatur ratio cauſæ, & hoc eſt voluntas, quæ determinatè accipit vnum ex duobus, quæ ſcit, vel quæ poteſt.

ar. 2. q. 1. D. Bonau. reſp. quod cum verè intelligamus voluntatem eſſe in Deo, & proprietas voluntatis ſit producere ea, quæ exeunt per modum liberalitatis, dicimus Deum inquantum voluntas eſt, eſſe cauſam rerum; ratio autem quare voluntati attribuitur cauſalitas, hæc eſt, quia ratio cauſandi eſt bonitas, & in ratione effectiui, & in ratione finis, voluntas autem ea eſt, quæ vnit effectiuum cum fine.

pr. 2. q. vn. Ægidius reſp. quod ex differentia, quam habet actio diuina ad actionem naturæ facilè deducitur, quod Deus ſit agens liberum, & ſua voluntas ſit cauſa rerum, natura enim agit inquantum eſt ordinata, Deus autem agit inquantum omnia ordinat, & ideò neceſſe eſt, quod actio eius ſe extendat ad omnia, & conſequenter liberè agat, & voluntas ſua ſit cauſa rerum, ex differentia verò quam habet actio eius ad actionem artis creatæ deducitur, quod ſit agens primum, & ſua voluntas ſit ſuprema cauſa rerum, agens enim creatum per ſuam artem formam tantum accidentalem inducit, & ideò non poteſt eſſe primum, ſeù ſupremum agens, agens verò diuinum, quod eſt Deus per artem ſuam, etiam formam ſubſtantialem producit, & naturam rei, eius appetitum, & inclinationem, & propterea eſt ſupremum agens, & ideò etiam eius voluntas eſt ſuprema cauſa rerum.

q.1. ar.2. Ricardus reſp. quod Deus eſt omnium rerum cauſa per ſuam ſapientiam dirigentem, per ſuam voluntatem imperantem, & per ſuã potentiam exequentem; quia tamen ſcientia, & potentia ſe habent indeterminatè ad multa, & voluntas eſt, quæ determinat potentiam ad exequendum determinatè hoc, vel illud, ideò actualis productio rerum magis attribuitur voluntati ſicut cauſæ, quam ſcientiæ, vel potentiæ.

Herueus reſp. quod ideò cauſalitas rerum magis attribuitur diuinæ voluntati, quam potentiæ executiuè, vel intellectui, quia Deus eſt agens per intellectum, in agente autem per intellectum plena cauſalitas, & plena determinatio ad agendum, qua poſita neceſſariò ſequitur effectus, attribuitur voluntati. d. 45. ar. 3

Petrus Aur. reſp. quod quicquid Deus producit ad extra voluntate producit, quia producit quadam denominatiua vi, & poteſtatiua virtute, quæ eſt ipſamet ratio deitatis, qua poteſt producere, vel non producere, & ſic eſt velle diuinum principium omnium actionum ad extra. d. 47. ar. 1.

Guilelmus Occham reſp. quod cum nulla ſit penitus diſtinctio inter eſſentiam diuinam, & diuinam voluntatem; tam eſt diuina eſſentia cauſa rerum, quam diuina voluntas. d. 45. q. vn.

Thomas ab Arg. reſp. quod libertas eſt principalis proprietas voluntatis, quod ergo procedit ab aliquo agente liberè, cauſa eſt voluntas producentis; cum itaque res omnes producantur à Deo liberè, voluntas Dei eſt cauſa earum. q. 1. ar. 2.

Gregorius reſp. quod Deus quicquid facit voluntate facit, cum ergo omnia ſint à Deo, omnia item ſunt ab eius voluntate, vt cauſa. q. vn.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod cauſa dicitur id, ad cuius eſſe ſequitur aliud; cum itaque res ſint, ſecundum quod pendent à primò agente, ratio autem agendi ei ſit ipſa voluntas, prout eſt agens ex voluntate, idcircò ſicut ipſum eſt cauſa rerum vt quod, ita etiam & eius voluntas, vt qua.

Obiectio. Sed ſi Deus non producit res niſi operando? principium autẽ operationis eſt potentia.

Reſpondetur, quod in his, quæ agunt per voluntatem potentia eſt principium operationis in exequendo, voluntas autem in imperando, & ideò cauſalitas magis attribuitur voluntati, quam potentiæ. Ita D. Thomas, & Aegidius.

QVÆSITVM VII.

An voluntas diuina ſit cauſa rerum immediata?

Alexander reſp. quod voluntas Dei eſt cauſa immediata rerum, nec intercedit medium inter illam, & effectum, quia hoc medium vel eſſet creatum, vel increatum, ſi increatum eſſet idem, quod Deus, & ipſa eadem voluntas, ſi creatum requireret q. 35. m. 2. S. 1.

aliud

aliud medium, & ſic in infinitum, quod eſt inconueniens.

d 45. ar. 8. Albertus reſp. quod omnia quæcunque facit natura, & voluntas, magis facit Deus in natura, & voluntate, & operatur vt cauſa vniuerſalis, & immediata.

ar. 2. q. 2. D. Bonau. reſp. quod diuina voluntas eſt cauſa prima, & vniuerſaliſſima, & actualiſſima, & ideò poteſt in totum effectum, & in totam rei ſubſtantiam, etiam ſine adminiculo alterius cauſæ, nec aliqua cauſa poteſt aliquid, vel modicum ſine ipſa, & ideò neceſſe eſt, quod ipſa ſit cauſa immediata in omni actione, & re.

q. 2. ar. 2. Ricardus reſp. quod voluntas Dei, quorundam eſt immediata cauſa tantum, ſcilicet eorum, quæ ſunt à Deo non mediante cauſa ſecunda; quorundam verò eſt cauſa mediata, & immediata, eorum ſcilicet, quæ ſunt à Deo mediante cauſa ſecunda.

q. vn. Guilelmus Occham reſp. quod quamuis ex puris naturalibus demonſtrari non poſſit, quod eſſentia diuina, ſeù eius voluntas ſit cauſa immediata omnium rerum, poteſt tamen ſic perſuaderi. Non minus dependet cauſa ſecunda à cauſa prima, & ſimpliciter illimitata, & perfecta, quam à cauſa ſecundum quid illimitata, & imperfecta; ſed cauſa ſecunda aliquando ſic dependet à cauſa vniuerſali, quæ eſt ſecundum quid illimitata, quod non poteſt in effectum ſuum, niſi immediatè illa concurrat, vt patet de Sole; igitur ſimpliciter nulla cauſa poteſt in effectum ſuum niſi concurrat immediatè cauſa prima ſimpliciter, quę eſt Deus, ſeù eius eſſentia, & volũtas.

q. 1. ar. 2. Thomas ab Arg. reſp. quod quamuis cauſæ ſecundæ in aliquibus effectibus cooperentur Deo, tamen illud idem, quod ab eis producitur intimius ab ipſo Deo attingitur, ex quo voluntas diuina producit totum effectum in productione rerum, & quoniam cauſa producens totum effectum eſt cauſa talis effectus immediata, effectus enim à nullo immediatius attingitur, quam ab eo, à quo totus producitur, ideò diuina voluntas eſt cauſa immediata. Item Marſilius, & Trigoſius.

q vn. Gregorius reſp. quod voluntas Dei eſt quidem cauſa immediata omnium efficiens, & conſeruans, ſed non ſola, quia multæ creaturæ etiam ipſæ immediatè aliquid producunt; ſi enim non immediatè producerent, vel producerent mediante Deo, & ſic Deus eſſet inſtrumentum creaturæ in agendo, quod eſt inconueniens, vel producerent mediantibus alijs creaturis, & ſic daretur proceſſus in infinitum, quod ſimiliter eſt incõueniens. Item Opimus.

Nicol. de Nijſe reſp. quod diuina voluntas illorum effectuum, qui ſola creatione producuntur eſt cauſa immediata ſimpliciter, creatio enim à ſolo Deo eſt, eorum verò ad quos concurrit etiam cauſa ſecunda, eſt cauſa mediata, & immediata, mediata inquantum huiuſmodi effectus ſunt à diuina voluntate mediante cauſa ſecunda, immediata autem inquantum actio cauſæ ſecundæ eſt ab ipſa voluntate. tr. 1. p. 3. q. 1.

Reſolutio.

RESpondeo, quod (ſicut dictum eſt) diuina voluntas ſecundum noſtrum modum intelligendi actuat diuiſam potentiam, vt per illam hoc ſit, vel non ſit; ſicut ergo diuina potentia immediatè in omnia poteſt, alioquin infinita non eſſet, ita voluntas immediatè omnia vult, & conſequenter eorum, quæ cauſat, immediata eſt cauſa.

Sed ſi multi ſunt effectus immediatè prouenientibus à cauſis ſecundis, vt calor ab igne, ſplendor à ſole, & huiuſmodi? Obiectio.

Reſpondetur, quod per hoc, quod aſſerimus Deum eſſe cauſam immediatam omnium non excludimus tamen cauſas ſecundas, vndè ad productionem eiuſdem effectus poſſunt concurrere duæ immediatæ, non tamen eiuſdem generis, ſed vna creata, & dependens, altera increata, & independens. Ita D. Bonauentura, & Ricardus.

QVAESITVM VIII.

An voluntas diuina ſit cauſa rerum magis immediata, quam ſcientia, & potentia?

HErueus reſp. quod voluntas in quocunque agente per intellectum, & voluntatem, immediatius ſe habet ad effectum, quam intellectus, & ratio eſt, quia eſt poſterius mota reſpectu intellectus habentis exemplar ipſius factibilis, prius enim eſt intellectum concipere naturam ipſius factibilis, deinde ſequitur iudicium, quo iudicatur bonum eſſe hoc fieri, tandem ſequitur electio voluntatis, quo vult illud proſequi; quanto autem aliquid eſt poſterius motum, tanto immediatius ſe habet vltimo effectui. d. 46. q. p. ar. 4.

Durandus reſp. quod in omni agente à propoſito creato, vel increato, voluntas magis de propè ſe habet ad productionem rei, quam intellectus, vel ſecundum rem, vbi intellectus, & voluntas differunt realiter, vel ſecundum rationẽ, vbi ſecundum rationẽ differunt, d. 45. q. 2.

pri-

primò, quia voluntas eſt medium inter ſcire, & operari, igitur & propinquior ad operationem, quam ſcientia, & eo magis, quia voluntas præſupponit ſcientiam; ſecundò, quia in nobis etiam voluntas immediatius ſe habet ad operationem, igitur & in Deo.

d. 47. ar. 3. Petrus Aur. reſp. quod tria concurrunt ad perfectam cauſalitatem in omni agente à propoſito, apprehenſio intellectus, determinatio voluntatis, & actiuitas potentiæ executiuæ, per quę immediatè attingit operationem, principalius tamen concurrit cauſalitas voluntatis, quia ad interrogationem factam de tali agente propter quid hoc, vel illud faciat, non reſpondetur per cauſalitatem intellectus, ſed per voluntatem, quia ſcilicet habens vim executiuam vult ea vti, & vult ſic agere.

q. 44. ar. 1. Marſilius reſp. quod quamuis ſingularum rerum productarum, vel conſeruatarum potentia diuina, ſcientia & voluntas ſit cauſa, & æquè immediatè quo ad rem, tamen in ordine ad noſtrum intelligere immediatior eſt voluntas, quam ſcientia, & potentia, & ratio eſt triplex; prima, quia poſita voluntate ponitur effectus, non autem poſita ſcientia, & potentia, non enim oportet, quod Deus omnia faciat, quæ nouit, & poteſt; ſecunda, quia voluntas eſt medium inter ſcientiam, & operationem, vndè propinquior eſt operationi; tertia, quia & in nobis ſcientia præcedit voluntatem. Vt Durandus.

d. 45. q. 2. a. 2. Ioannes de Baſſ. reſp. quod Deus eſt cauſa rerum, & per ſuam voluntatem, & per ſuum intellectum, ſeù ſcientiam, ſed principalius per ſuam voluntatem, quam per ſuum intellectum, ſeù ſcientiam; primò, quia quod intellectus habeat cauſalitatem ſuper res hoc habet ex voluntate, vel in ordine ad voluntatem, cum non ſit operatiuus alicuius extrinſeci, niſi ex appetitu finis, qui pertinet ad voluntatem; ſecundò, quia voluntatis eſt omnibus alijs potentijs imperare, ac proindè principaliter operari, & conſequenter producere; tertiò, quia libertas primò, & principaliter pertinet ad voluntatem, in productione autem libera principalius eſt illud, ad quod primò, & principaliter pertinet libertas; quartò tandem, quia per voluntatem primò, & principaliter determinatur res eſſe futuras.

ar. 3. dub. 2. Petrus Trig. reſp. quod ſi effectus rerum conſiderantur quantum ad exercitium, immediatius ſe habet diuina voluntas ad operationem rerum, quam intellectus, Deus enim multa ſcit, quæ nunquam faciet, & tamen omnia, quæ vult facit; ſi verò conſiderantur quantum ad ſuam ſpecificationem, diuina voluntas non dicitur cauſa immediata eorum, ſed potius Idea, quæ eſt in intellectu diuino, nam effectus quantum ad ſpecificationem non aſſimilatur voluntati, ſed Ideæ diuinæ.

Gabriel Vaſqu. reſp. quod cauſa rerum proxima eſt voluntas Dei, remota autem intellectus, nam ſicut intellectus artificis prius proponit opus, & modum faciendi, deindè voluntas vult illud illo modo fieri, & tandem ſequitur executio, vndè intellectus primo accurrit, poſtea voluntas, proximior potentia exequens; ſic etiam debemus philoſophari in Deo, ipſa tamen potentia exequens non eſt diſtincta in Deo ab intellectu, & voluntate. diſp. 81. c. 2.

Reſolutio.

RESpondeo, quod in effectione rerum ſecundum noſtrum modum intelligendi potentia præcedit ſcientiam, ſcientia verò voluntatem, non enim intelligimus, niſi quod poſſumus, & non volumus, niſi quod intelligimus, & ideò in effectione earum immediatius ſe habet voluntas, quam ſcientia, & potentia.

Sed ſi res oppoſito modo comparantur ad Deum, & ad nos? ſcientia enim Dei eſt cauſa rerum, noſtra verò cauſatur à rebus; vndè ſi in nobis volũtas eſt immediatior, non in Deo. Obiectio.

Reſpondetur, quod oppoſito modo res cõparantur ad Deum, & ad nos, quo ad ſcire, nam ſcientia Dei eſt cauſa rerum, noſtra verò cauſatur à rebus, ſed ſuppoſito ſcire, ſimili modo ſe habet Deus ad producendũ res creatas, ſicut nos ad producendum res artificiales, quantum ad hoc, quod vtrobiq. immediatius ſe habet ad producendum voluntas, quam intellectus. Ita Durandus.

QVÆSITVM IX.

An voluntas in Deo habeat aliquam cauſam, & rationem?

ALexander reſp. quod voluntas diuina non habet propriè cauſam, & rationem, quia nihil eſt, quod poſſit eſſe eius proprium principium, aut finis; dicitur tamen habere rationem, ſicut idem dicitur habere ſeipſum, quia voluntas, & ratio in Deo ſunt idem. q. 35. m. 3.

Albertus reſp. quod nec in præſcientia, nec extra præſcientiam, voluntas Dei habet cauſam aliquam, ſed tamen poteſt habere rationem, ad quam terminatur voluntas ſecundum actum. d. 45. ar. 5.

D. Thomas reſp. quod voluntas conſequitur intellectum, ſicut ergo in intellectu vnico in- p. p. q. 19.

Digitized by Google

ar. 5. intuitu apprehendente principia, & concluſionem, etiam ſi principia ſint cauſæ concluſionis, ſcientia concluſionis non cauſatur ab intellectu principiorum, alioquin idem cauſaretur à ſeipſo, quod eſt inconueniens; ita in voluntate vno actu volente finem, & ea, quæ ſunt ad finem, etiamſi ea, quæ ſunt ad finem ſint ordinata in finem, velle finem non eſt cauſa volendi ea, quæ ſunt ad finem; cum itaque Deus ſicut vnico actu omnia intelligit in eſſentia ſua, & omnia vult vnico actu in ſua bonitate, ita ſicut intelligere cauſam, non eſt cauſa intelligendi effectus, ſic & velle finem, non eſt cauſa volendi ea, quæ ſunt ad finem, quamuis ea velit eſſe ordinata in finem; Deus ergo quāuis velit hoc eſſe propter hoc, non tamen propter hoc vult hoc, & ſic nullam contingit aſſignare cauſam, ſiuè rationem ſuæ voluntatis.

d. 45. q. 4. ar. 4. Ricardus reſp. quod diuinæ voluntatis nulla eſt ratio motiua, cum ſit idem quod ipſe Deus, eſt tamen aliqua ratio ordinationis, quæ eſt inter diuinam voluntatem, & ipſum volitum reſpectu alicuius voliti, vt quia vult Petrum ſaluare, vult etiam quod decedat in gratia, non tamen reſpectu cuiuſcunque, nam quod ab æterno determinauerit Petrum ſaluare, non Iudam, fuit, quia voluit.

d. 47. ar. 4. Petrus Aureol. reſp. quod voluntas diuina ad aliquid agendum à nullo mouetur, quia ſi moueretur, moueretur in ratione finis, & quia finis ſupponit ea, quæ ſunt ad finem, ratio eius, quod eſt ad finem imperfecta eſt, & incompleta, eſt enim finis, & complementum idem, vndè & ratio eius, quod eſt ad finem eſt eadem cum ratione eius, quod eſt ad complementum, ſed ratio incompleta non habet locum in Deo, cum ſit re, & ratione perfectiſſimus, igitur non mouetur in ratione finis.

q. 19. ar. 5. Ludou. Mol. reſp. quod diuinæ voluntatis licet omnino nulla cauſa aſſignari poſſit, eoq. nullius comparatione poſſit ſubire rationem effectus, poteſt tamen aliqua ratio notari, etenim noſtro modo intelligendi ratio à priori, quod Deus velit, eſt, quia eſt intelligens, ipſius etiā bonitas ratio eſt, quod voluerit creaturas, & quoniam omnia vult ad debitum finem, & per conuenientia media, verè iudicatur rationabilis.

ar. 5. Gregorius de Val. reſp. quod nulla cauſa poteſt aſſignari diuinæ voluntatis, quia Deus non vult vnum propter aliud, ita vt vnus actus ſit cauſa alterius, nam Deus vno, & eodem actu ſimpliciſsimo vult omnia, quæ vult, nec vllo modo ab obiecto mendicat cognitionem ſuam, vult tamen vnum propter aliud, inquantum vult aliquid, quod habeat ordinem ad aliud, & ſic vult alia à ſe propter ſe, & propter finem, & vnumquodque ex illis propter aliud; ſed hoc non arguit aliquam cauſalitatem in voluntate, ſicut cum vnus actus eſt cauſa alterius.

Petrus Trig. reſp. quod diuinæ voluntatis non eſt aſſignare aliquam cauſam ex parte actus, quia talis actus eſt neceſſarius, & eſt Deus, bene tamen ex parte determinationis, vel ordinationis ipſius volitionis ad hoc, vel illud volitum poteſt dari cauſa minus principalis ex parte illius voliti, ſicut me vult ſaluandum, quia vult me mori in gratia finali. dub. 2

Gabriel Vaſqu. reſp. quod inter obiecta creata nullum Deo eſt ratio volendi aliud, ſed ſola ſua bonitas eſt ratio per modum finis volendi reliqua, & hoc intelligendum eſt de fine, non ſecundum veram rationem cauſæ, ſed quatenus concipitur vt ratio volendi per modum finis, & ideò nullam aliam rationem volendi habet diuina voluntas, præter ipſam diuinam bonitatem. diſp. 82. c. 2.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod Deus nihil irrationabiliter agit, quis enim audeat (inquit D. Aug. l. 83. quæſt. 46.) Deum dicere irrationabiliter omnia condidiſſe? & ideò quælibet actio eius cauſam habet, & rationem; cum itaque voluntas quācunque actionem præcedat, aut ſaltem concomitetur, nihil enim Deus agit, quod non velit agere, vel volendo non agat, conſequens eſt, vt & ipſa etiā cauſā habeat, & rationem, vndè ſicut bonitas eius cauſa eſt, & ratio, quare vniuerſum cōdiderit, ita etiam cauſa eſt, & ratio quare voluerit cōdere, & ſicut eius iuſtitia cauſa eſt, & ratio, quare impios dānet, ita etiam cauſa eſt, & ratio, quare dānare velit, & propterea ad interrogationē factam, quare Deus vult impios dānare, & ſaluare iuſtos, congrua reſponſio eſt, quia iuſtus eſt, & quare vniuerſum voluerit condere, quia bonus eſt, huius ergo volitionis cauſa eſt, ſeu ratio iuſtitia, & bonitas; atque ita diuina attributa ſe ad inuicem conſequuntur, & vnum poteſt eſſe cauſa, & ratio alterius; & ſic diuina voluntas cauſam habet, & rationem, non tamen extraneam à ſe, ſed intraneam, & ſibi coeſſentialem.

Sed ſi Deus vnico, & ſimpliciſsimo actu omnia vult, quæ vult? Obiectio.

Reſpondetur, quod eſt vnicus actus, & ſimpliciſsimus, quo Deus vult omnia, quæ vult, ſecundum realitatem, plurificatur tamen ſecundum rationem, & reſpectum ad ea, quæ vult,

Digitized by Google

vult, ſecundum quem reſpectum alia ratione vult hoc, & alia ratione vult illud, quia enim iuſtus eſt vult peccatorem punire, quia verò miſericors, vult eius miſereri.

QVÆSITVM X.

An in Deo alia ſit voluntas beneplaciti, & alia voluntas ſigni?

q.36. m.1. ALex. reſp. quod voluntas beneplaciti eſt voluntas in Deo, qua vult, voluntas ſigni eſt id, quod vult, ſed voluntas, qua vult propriè dicitur voluntas, quod vult, impropriè ſecundum illum modum, quo dicit Hugo, quod ſigna iræ dicuntur ira, & ſigna dilectionis dilectio, ſic ſigna voluntatis diuinæ dicuntur voluntas.

d.45. q.1. ar.4. p. p. q.19. a.11. D. Thomas reſp. quod Deus poteſt dici aliquid velle dupliciter, vel propriè, & ſic dicitur velle illud, cuius voluntas verè eſt in eo, & quod ſibi placet, & hæc eſt voluntas beneplaciti, dicitur etiam aliquid velle metaphoricè, eo quod ad modum volentis ſe habet, inquantum præcipit, vel conſulit, vel aliquid huiuſmodi facit, vndè ea, in quibus attenditur ſimilitudo iſtius rei ad voluntatem Dei voluntates Dei dicuntur, & quia talia ſunt effectus dicuntur ſigna. Item Durandus. Intranſitiuè, & tranſitiuè diſtinguit Aureolus. Et hæc diſtinctio dicit Gregorius non eſt diſtinctio rei denotans in Deo aliquas diſtinctas voluntates; ſed eſt diſtinctio nominis ſecundum ſuas ſignificationes, propriam ſcilicet, & methaphoricam. Item Aliacenſis, & Caet. Et eſt conſtructio intranſitiua, inquit Opimus.

d.45. ar.3. q. 1. D. Bonau. reſp. quod ſicut intellectus dicitur vis intellectiua, & ipſum intellectum, ita voluntas dicitur ipſa vis volendi, & ipſum volitum, & quia voluntas Dei innoteſcit nobis per volitum, tanquam per ſignum, inde eſt, quod ipſam diuidimus in voluntatem beneplaciti, & voluntatem ſigni.

pr 3. q.vn. Ægidius reſp. quod ſicut ſignum alicuius rei aliquando nominatur illo nomine, quo res illa nominatur, ſicut imago Herculis dicitur Hercules, ita ſigna voluntatis diuinę, quæ ipſam manifeſtant, quamuis propriè non ſint voluntas, dicuntur tamen voluntas, & ſic in Deo eſt duplex voluntas, voluntas propriè dicta, & voluntas ſigni. Non enim (inquit Ioann. de Baſſol.) ſolus actus volendi in nobis dicitur voluntas; ſed etiam aliquod ſignum actus volendi, ſicut ſermo, vel verbũ, vel ſcriptum, & huiuſmodi. Itẽ Trigoſ.

d.46. Herueus reſp. quod voluntas beneplaciti dicitur finis actus volendi, quo aliquid ei placet, voluntas autem ſigni dicitur aliquod ſignum prætendens Deum velle aliquid, vel prætendens aliquid in Deo, ſecundum quod ſe habet ad modum voluntatis. q.1. ar.1.

Franc. Maro reſp. quod voluntas beneplaciti dicitur voluntas Dei efficax reſpectu cuiuſcunque effectus producibilis, vel producti, voluntas autem ſigni eſt voluntas Dei non efficax reſpectu eorundem, vndè voluntas beneplaciti ſemper impletur, non autem voluntas ſigni, & in hoc diſtinguuntur. d.44. q. 3.

Gulielmus Occham reſp. quod in Deo non eſt aliquo modo multiplex voluntas, cum ſit quid vnum, & idem cum diuina eſſentia, ſed hoc nomen eſt multiplex, quia in Scriptura ſacra, aliquãdo ſumitur prout ſignificat idem, quod præceptum, & aliquando idem, quod conſilium, & huiuſmodi, quæ dicitur voluntas ſigni. d.46. q.1.

Gerardus reſp. quod voluntas beneplaciti non eſt aliud, quam ipſum beneplacitũ, prout eſt idem, quod diuinum velle æternum, & immutabile, voluntas verò ſigni eſt omne ſignum exterius exhibitum, vel præceptum ad manifeſtationem diuini beneplaciti, ſiuè veraciter manifeſtet, ſiuè prætendat ſe illud manifeſtare & in hoc diſtinguuntur. Item Marſilius. d.45. q.vn.

Robertus Olchot reſp. quod iſta propoſitio Deus vult A eſſe, exponitur ſex modis; primo modo ſic. Placet Deo quod A ſit; ſecundo; Deus præcipit A eſſe; tertio Deus prohibet A non eſſe, & ideò dicitur, quod vult A eſſe; quarto Deus permittit A eſſe; quinto Deus conſulit A fore; ſexto Deus operatur A; primo modo itaque eſt Deum velle A eſſe voluntate beneplaciti, alijs modis voluntate ſigni. lib.2. q.1.

Paulus Scriptor reſp. quod voluntas diuina dupliciter ſumitur propriè, & impropriè, propriè eſt ipſa voluntas Dei infinita, impropriè actus eius, & hæc iterum ſumitur dupliciter, pro velle efficaci, & ſic dicitur beneplacitum Dei, vel voluntas beneplaciti, & pro velle ſimplici, ſiuè non efficaci, & ſic dicitur voluntas ſigni. d.46. q.vn.

Gregorius de Val. reſp. quod voluntas beneplaciti appellatur ipſa inclinatio, ſeu propenſio Dei in obiectum à ſe cognitum, quæ inclinatio propriè voluntas diuina nominatur; voluntas verò ſigni nominatur id, quod ſolet eſſe apud nos ſignum voluntatis erga aliquid, quodq. idcircò ex ratione quidem ſua ſolet eſſe, aut poteſt eſſe ſignum voluntatis etiam diuinæ; & hæc diuiſio voluntatis non eſt vniuoci in vniuocata, ſed analogi in analogata, nam de ſigno diuinæ voluntatis non ſuc.2.

Digitized by Google

non dicitur voluntatis nomen niſi methaphoricè, & analogicè propter habitudinem illius ad voluntatem diuinam propriè dictam. Item Suarez.

ar. 6. diſp. 83. ſ. 1. Gabriel Vaſqu. reſp. quod voluntas ſigni eſt, quando Deus exterius ita ſe gerit circa rem aliquam, vt indicet ſe habere voluntatem illius rei, cum tamen re vera eam non habeat; cuius exemplũ eſt in omnibus Prophetis, qui ſolam continent comminationem pęnæ, qua Prophetæ ſignificare videbãtur Deum pęnam ſtatuiſſe, cum tamen reuera ea voluntas in Deo non fuerit; voluntas verò beneplaciti eſt, quando non tantum eſt ſignum talis voluntatis, ſed etiam res ipſa, cuius dicitur in Deo eſſe voluntas, ipſi placet, & talis eſt voluntas eorum, quæ à Deo fiunt.

Reſolutio.

Respondeo, quod per voluntatem beneplaciti in Deo, & voluntatem ſigni, non intelligimus ipſam voluntatem formaliter, & eſſentialiter, hæc enim vnica eſt, & ſimpliciter indiſtincta; ſed per voluntatem beneplaciti intelligimus ipſum diuinum placitum, illud ſcilicet, quod eſt à Deo volitum, & quod ſibi placet; & per voluntatem ſigni intelligimus illud, quod indicat huiuſmodi volitum, & quod eſt à Deo placitum; ſicut ergo aliud eſt, quod eſt à Deo volitum, & aliud quod ſignificat, vel indicat hoc volitum, ita alia eſt voluntas beneplaciti, & alia voluntas ſigni.

Obiectio. Sed ſi ſcientia Dei ita eſt cauſa rerum, ſicut voluntas? & tamen non dicimus, quod alia ſit ſcientia veritatis, & alia ſcientia ſigni?

Reſpondetur, quod huiuſmodi ſigna dantur ad cognoſcendum aliqua ſpecialia, & quia Deus ſcit omnia, non tamen vult omnia, non oportet habere aliqua ſigna ad cognoſcendum diuinam ſcientiam, ſicut oportet habere ſigna, vt nobis innoteſcat diuina voluntas, ſeu diuinum volitum.

QVÆSITVM XI.

An ſint hec tantum quinque ſigna voluntatis, preceptum, conſilium, prohibitio, operatio, & permiſsio?

q. 36. m. 1. Alexander reſp. ex ſententia Hugonis, quod ſignum voluntatis diuinæ, aut accipitur generaliter, aut ſpecialiter; ſi generaliter ſecundum hoc ſigna ſunt permiſſio, & operatio, ſed operatio bonorum, permiſſio malorum; ſi ſpecialiter videlicet reſpectu rationalis creaturæ, ſecundum hoc eſt præceptum, & prohibitio, conſilium autem (inquit) non ponitur inter ſigna ab Hugone, ſed additur à Magiſtro, vt medium inter præceptum, & prohibitionem.

D. Thomas reſp. quod ſecundum quod Deus ſpeciali modo prouidet rebus humanis, ita hæc quinque aſsignantur ſigna diuinæ voluntatis, præceptum, conſilium, prohibitio, operatio, & permiſsio, nam ſecundum quod homines ordinat ad finem æternæ ſalutis, promouendo eos ad illum, eſt conſilium, & preceptũ, remouendo ab impedientibus talem finem, eſt prohibitio, ſecundum quod talem ordinem exequitur omnia bona operando in nobis, eſt operatio, & nos ſinendo exire ab hoc ordine per malas operationes, eſt permiſsio. d. 45. q. 1. ar. 4.

Et iterum reſp. quod ſigna voluntatis dicuntur ea, quibus ſolemus demonſtrare quod aliquis aliquid vult; poteſt autem aliquis demonſtrare ſe aliquid velle dupliciter, vel per ſeipſum, vel per alium; per ſeipſum, vel inquantum facit aliquid vel directè, vel indirectè, & per accidens; directè quidem cum per ſe aliquid operatur, & quantum ad hoc dicitur eſſe ſignum operatio, indirectè autem quatenus nõ impedit operationem, & quantum ad hoc dicitur permiſsio, per accidens autem inquantum ordinat alium ad aliquid faciendum, vel neceſſaria inductione, quod fit præcipiendo, quod quis vult, & prohibendo contrarium, vel aliqua perſuaſoria inductione, quod pertinet ad conſilium, quia igitur his modis aliquis declarat ſe velle aliquid, propterea iſta quinque nominantur interdum nomine voluntatis diuinæ ſigna eius. p. p. q. 19. a. 12.

D. Bonau. reſp. quod voluntas diuina, aut vult aliquid ſimpliciter, aut conditionaliter, cum vult aliquid ſimpliciter dicitur voluntas abſolùta, cum conditionaliter, dicitur antecedens, ſiuè conditionalis; voluntas itaque abſoluta poteſt ad aliquid comparari, aut per modum complacentiæ, aut diſplicentiæ, ſi diſplicentiæ cum illud nullo modo fiat, non contingit ſignari, ſi complacentiæ, aut quia placet quod fit, & ſic eſt impletio, ſiuè operatio, aut quia placet aliud ex illo, & ſic eſt permiſsio; voluntas verò coditionalis, ſi comparatur per modum complacentiæ; ita quod oppoſitum diſpliceat, ſic eſt præceptum, ſi per modum diſplicentiæ, ſic eſt prohibitio, ſi per modum complacentiæ, ita tamen quod oppoſitum non diſpliceat, ſic eſt conſilium. d. 45. ar 3. q 2.

Ægidius reſp. quod tria ſunt ſigna voluntatis antecedentis, vel enim voluntas ſumitur reſpectu mali vitandi, & ſic eſt prohibitio, vel d 45. pr. 3. q. 70.

boni

Digitized by Google

boni proſequendi, & ſic, ſi huiuſmodi bonum eſt neceſſarium ad ſalutem eſt præceptum, ſi verò eſt opus ſupererogationis eſt conſilium; duo autem ſunt ſigna voluntatis conſequentis, aut enim ſumitur reſpectu mali, quod fit, & ſic eſt permiſſio, nam Deus mala non agit, ſed permittit, aut reſpectu boni, & ſic eſt operatio, quia omnia opera noſtra bona operatur Deus. Item Marſilius.

ar.2. q.1. ar.3. Ricardus reſp. quod illa dicuntur ſigna voluntatis, quæ ipſam manifeſtant, manifeſtatur autem diuina voluntas, aut per effectum, quem Deus facit, & ſic eſt operatio, aut per effectum alienum, quem ipſe permittit, & ſic eſt permiſſio, aut per verbum approbans aliquod vt ad ſalutem neceſſarium, & ſic eſt præceptum, aut ſaltem quod eſt vtile, ſi non neceſſarium, & ſic eſt conſilium, aut per verbum reprobans, & ſic eſt prohibitio.

q.3. Durandus reſp. quod ſufficientia horum ſignorum, vel voluntatum ſigni, quod idem eſt, dupliciter accipitur, vno modo ex parte volitorum, alio modo ex parte volentis; ex parte volitorum ſic, aut ſignum eſt reſpectu boni, aut mali, ſi reſpectu mali, aut negatiuè, & ſic eſt prohibitio, aut affirmatiuè, & ſic eſt permiſsio; ſi reſpectu boni, aut boni præſentis, & ſic eſt operatio, aut futuri, & ſic eſt præceptum, & conſilium, præceptum quidem reſpectu boni neceſſarij ad ſalutem, conſilium verò reſpectu boni ſupererogationis; ex parte verò volentis accipitur ſic; ſignum voluntatis diuinæ, aut ſignificat id quod Deus vult facere per ſeipſum, aut per alium; ſi per ſeipſum, aut directè tanquam per ſe agens, & ſic eſt operatio, aut interpretatiuè, & ſic eſt permiſſio, ſi verò eſt ſignum eius, quod vult facere per alium, aut hoc eſt reſpectu boni faciendi, aut mali vitandi, ſi boni faciendi neceſſarij ad ſalutem, ſic eſt præceptum, ſi ſupererogationis eſt conſilium, ſi mali vitandi, prohibitio. Herueus primam aſſignationem ſufficientiæ adducit; Ioannes de Baſſol. ſecundam.

d.45. ar.3. Petrus Aureol. reſp. quod ſigna voluntatis ſunt illa, quæ exprimunt eius beneplacitum, exprimit autem ipſum beneplacitum voluntatis operationis executio, quæ executio, vel eſt per ſe, vel per alium; ſi per alium, vel corrigendo per præceptum, vel inducendo per conſilium, vel ab oppoſito retrahendo per prohibitionem, vel non impediendo per permiſſionem; per ſe verò per operationem, & ſic quinque ſunt ſigna diuinæ voluntatis iam enumerata.

d.44. Franc. Maro reſp. quod plura ſunt ſigna voluntatis diuinæ quam quinque, ſcilicet præceptum, prohibitio, conſilium, monitio, comminatio, punitio, remuneratio, permiſſio, & impletio. Item Iacob. Maleſoſsius. d.45.q.2. q.3.

d.45. q.vn. Gerardus reſp. quod omne ſignum indicatiuum diuinæ voluntatis, vel indicat eam vt ad bonum promouentem, vel vt ex malo bonum elicientem, ſi ergo indicat eam vt ex malo bonum elicientem, ſic eſt permiſsio, ſi vt ad bonum promouentem, vel retrahendo à malo, & ſic eſt prohibitio, vel directè dirigendo ad bonum, & hoc tripliciter, vel proponendo nobis ea, quæ ſunt noſtræ ſaluti neceſſaria, & ſic eſt præceptum, vel quæ ſunt expedientia, & ſic eſt conſilium, vel operando in nobis bonum, & ſic eſt operatio.

d.46. q.vn. Gregorius reſp. quod voluntas diuina eſt duplex, alia enim eſt ſimplicis complacentiæ, & diſplicentiæ, & alia proſecutionis, & fugę; tria ergo ſunt ſigna voluntatis ſimplicis complacentiæ, ſcilicet præceptum, prohibitio, & conſilium, duo verò proſecutionis, & fugæ proſecutionis quidem operatio, fugæ verò permiſsio; eſt autem proſecutio appetitus velle aliquid fieri, vel eſſe; fuga verò nolle eſſe, vel fieri.

q.14. ar.1. Petrus Aliac. reſp. quod quinque modis poſſumus imaginari Deum aliquid velle, primo modo vult aliquid fieri à creatura, & huius ſignum dicitur præceptum; ſecundo vult aliquid debere non fieri, & eſt prohibitio, tertio non vult aliquid nec debere fieri, nec debere non fieri, ſed expedire fieri, & eſt conſilium; quarto vult aliquid nec debere fieri, nec debere non fieri, ſed licere fieri, & eſt permiſsio; quinto vult ſimpliciter aliquid eſſe, vel fieri, & huius ſignum eſt operatio. Et hoc coincidit cum volũtate beneplaciti ſubiungit Paulus Scriptor, qui eodem modo reſpondet.

Reſolutio.

RESpondeo, quod hæc tantum quinque ſigna ponuntur diuinæ voluntatis ſcilicet præceptum, conſilium, prohibitio, operatio, & permiſsio, quia nec pluribus, nec paucioribus indicari ſolet diuinum beneplacitum, illud ſcilicet, quod eſt à Deo volitum.

Sed ſi eandem rem, quam præcipit, etiam in nobis operatur, & eandem, quam prohibet, etiam permittit? Obiectio.

Reſpondetur, quod nihil obſtat Deum circa eandem rem aliquam diuerſimode declarare ſe velle illam, & ideò nihil obſtat eandem rem eſſe ſubiectam præcepto, conſilio, & operationi, eandemq. prohibitioni, & permiſsioni. Ita D. Thomas.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSITVM XII.

An ſit alia voluntas Dei antecedens, & alia conſequens?

q.36. m. 2. ad 4. ALex. reſp. quod voluntas antecedens dicitur reſpectu bonorum, quæ antecedunt noſtrum meritum; conſequens verò dicitur boni, quod conſequitur noſtrum meritum, quod eſt bonum retributionis. Item Albertus.

d.46. ar.1. q.1. D. Bonau. reſp. quod differentia inter voluntatem antecedentem, & conſequentem non eſt ſecundum diuerſitatem affectionis, ſiuè modi volendi, qui ſit in Deo, ſed ſecundum rationem connotandi, & intelligendi; prout enim Deus dicitur velle omnium ſalutem, quantum in ſe eſt dicitur antecedenter velle, & connotat non ſalutem, ſed ordinabilitatem ad ſalutem; velle autem conſequens eſt velle dare ſalutem, & connotat ſalutem, & euentum ſalutis.

pr. 1. q.1. Ægidius reſp. quod diuina voluntas aliquando dicitur antecedens, & aliquando conſequens, non propter aliquam diuerſitatem in ea, ſed propter diuerſas conditiones volitorũ, quæ ordinantur in finem; tria enim ſunt, quæ conſiderantur in propoſito ſcilicet, ordo, ipſa ordinata, & auxilia, & ſecundum hæc omnia voluntas dicitur antecedens, & conſequens; in ordine eſt ordinis impoſitio, & executio, quantum ad ordinis impoſitionem dicitur voluntas antecedens, quantum ad executionem conſequens; in ordinatis ſcilicet in creaturis rationalibus eſt natura, & perſona, per comparationem ad naturam voluntas dicitur antecedens, per comparationem ad perſonam conſequens; in auxilijs, quædam ſunt communia, quædam propria, circa communia eſt voluntas antecedens, circa propria conſequẽs; quæ omnes differentiæ ad vnam reducuntur, nã voluntas antecedẽs accipitur ab ipſo Deo, conſequens ex cauſa noſtra, nam impoſitio ordinis, ordinatio naturæ, collatio auxiliorum communium totum eſt ex voluntate diuina; executio ordinis, & actiones perſonæ, & auxilia ſpecialia ex parte noſtra, & quia prius eſt, quod eſt ex ipſo Deo, ideò illa dicitur antecedens, hæc verò conſequens.

d. 46. ar. 1. q. 1 Ricardus reſp. quod cum dicitur in Deo voluntas antecedens, & conſequens, non eſt accipienda iſta antecedentia, & conſequentia ex parte volentis, ſed ex parte volitorum, ſicut ſi diceremus, quod iuſtus rex vult homines regni ſui non affligi habendo reſpectum ad conformitatem naturæ, & tamen ex conſequẽti vult aliquos puniri, inquantũ ſunt mali.

Herueus reſp. quod voluntas beneplaciti diſtinguitur in antecedentem, & conſequentem, quæ diſtinctio poteſt dupliciter intelligi; vno modo quod dicatur antecedens, quia vult aliquid rei manenti in ſua prima inſtitutione, & quod ei vellet, ſi in illis, quæ à Deo recipit ſtaret, nullum malum addendo; ſed voluntas conſequens dicitur illa, qua aliquid vult alicui, ſecundum quod conſideratur cum omnibus illis, quæ ſtatui, in quo conſtitutus eſt ſunt ſuperaddita, & ſecundum hunc ſenſum dicitur quod Deus voluntate antecedente vult omnes homines ſaluos fieri, conſequente autem vult aliquos damnare, & aliquos ſaluare; alio modo poteſt accipi voluntas conſequens, & antecedens, vt dicatur voluntas antecedens, quando aliquid Deus vult non in ſe, & ſimpliciter, ſed in ſuo antecedente; voluntas autem conſequens quando vult ſimpliciter. d.45. q. 2. ar.2.

Durandus reſp. quod voluntas beneplaciti diuiditur in antecedentem, & conſequentem; voluntas antecedens eſt ſola quædam velleitas, & cõſequens eſt ipſa voluntas ſimpliciter. d.47. q.1.

Franc. Maro reſp. quod voluntas antecedens dicitur vt fertur ſuper regulas iuſtitiæ legalis in vniuerſali; voluntas verò conſequens dicitur illa, vt fertur ſuper huiuſmodi regulas in particulari. d.44. q. 3.

Guilelm. Occham reſp. quod voluntas antecedens eſt, qua Deus dat alicui naturalia, vel antecedentia, quibus poteſt aliquid conſequi, cui etiam paratus eſt coagere, ſi ille velit, nec illi contrarium manifeſtabit cum præcepto, vel conſilio exequendi; voluntas autem conſequens eſt illa, qua Deus vult efficaciter ponendo aliquid in eſſe. Item Olchot. d.46. q.1.

Gerardus reſp. quod voluntas dicitur antecedens inquantum reſpicit communia, quæ duo ſunt in omnibus hominibus, ipſa natura, & auxilia, vt liberum arbitrium, præcepta, conſilia, & huiuſmodi; dicitur autem conſequens, inquantum reſpicit propria, ipſam ſcilicet perſonam, opera, & huiuſmodi. d.46. q. vn.

Ioannes de Baſſol. reſp. quod voluntas beneplaciti ea eſt, quæ diſtinguitur in antecedentem, & conſequentem; voluntas antecedens dicitur, prout eſt de aliquo non ſimpliciter, ſed ſecundum quid non omnibus penſatis, ſed ex aliqua cauſa, vt quis vult eſſe Abbas, quia habebit multos redditus, non tamen omnibus penſatis, quia penſato quod debet eſſe monachus, non vult eſſe Abbas; voluntas autem conſequens eſt de aliquo ſimplici- d.47. q. vn. ar. 1.

pliciter, & cum effectu, & omnibus penſatis, & iſta eſt voluntas efficax.

d. 45. disp. 2. Michael de Pal. reſp. quod hæc diſtinctio voluntatis in antecedentem, & conſequentem, non eſt in ipſa voluntate, quoniam in diuina voluntate nulla eſt anteceſſio, aut conſecutio, ſed hæc diſtinctio venanda eſt ex re volita; donatio mediorum adipiſcendæ vitæ ęternę neceſſariorum eſt ex voluntate antecedente, quia media antecedunt finem; finis verò collatio eſt ex voluntate conſequente, finis enim conſequitur ad media.

d. 45. q. vn. Iacobinus Maleſ. reſp. quod voluntas antecedens in Deo ſumitur tripliciter, vno modo vt antecedit ſuum velle in illo priori naturæ; ſecundo vt antecedit omnes creaturas; tertio inquantum vult omnes homines ſaluos fieri, non aſpiciendo merita, nec demerita, & ſic diſtinguitur contra conſequentem; quę etiam ſumitur tripliciter, vno modo pro volitione naturaliter conſequente voluntatem diuinam, ſicut actus naturaliter conſequitur potētiam; ſecundo pro complacentia ipſius Dei in rebus creatis, vel creandis; tertio pro voluntate diuina aſpiciente merita, & demerita, & ſic opponitur voluntati antecedenti.

ar. 6. disp. 1 Ludou. Mol. reſp quod voluntas conſequēs eſt, qua aliquid ex adiunctione aliquarum circunſtantiarum eſt abſolutè volitum, manente velleitate de oppoſito, quod proindè præciſis talibus circunſtantijs ſecundum ſe ſpectatum eſt nolitum; id verò, quod ſpectatum ſine eiuſmodi circunſtantijs eſt ſecundum ſe volitum, voluntate antecedente dicitur volitum.

q. 13. ar. 6. Petrus Trigoſius reſp. & non diſtinguendo voluntatem antecedentem à conditionali, nec conſequentem ab abſoluta, dicit quod voluntas antecedens, ſeù conditionalis eſt illa, qua Deus vult aliquid quantum in ſe eſt, non conſiderando circunſtantias ipſius rei volitæ; voluntas verò conſequens, ſeù abſoluta eſt illa, qua Deus vult aliquod ſimpliciter, & abſolutè omnibus circunſtantijs rei volitæ conſideratis.

disp. 83. c. 3. Gabriel Vaſqu. reſp. quod voluntas antecedens ea eſt, qua Deus nulla præuiſa determinatione voluntatis noſtræ ex ſe ſolo vult aliquid circa nos, & ad hanc pertinet voluntas ſimplex glorificandi, quatenus eſt ex parte ſua, & voluntas efficax vocandi, & huiuſmodi; eſt etiam voluntas comitans, & ea eſt; qua decernit efficaciter nobiſcum concurrere ad conſenſum, quem gratiæ vocanti præbemus; conſequens ea eſt, qua iam decernit efficaciter ex præuiſione noſtrorum operum, aut ſupplicium, aut præmium.

Reſolutio.

RESpondeo, quod hæc diſtinctio diuinæ voluntatis in antecedentem, & conſequentem non eſt ſumenda ex parte voluntatis, cum nulla ſit anteceſſio, & conſequutio in ea, ſed ex parte noſtri intellectus, qui dum voluntatem diuinam de ſalute noſtra conſiderat in ordine ad media, nominat antecedentem, dum verò conſiderat in ordine ad finem, quatenus eo volente in effectu ſaluamur, nominat conſequētem, hinc dicimus Deum velle omnium ſalutem voluntate antecedente, quia omnibus prouidet de medijs conferentibus ad ſalutem, non voluntate conſequente, quia non omnes in effectu ſaluantur.

Sed ſi voluntas finis antecedit voluntatem mediorum ad finem? ac proinde voluntas, quę eſt circa finem ſalutis noſtrę conuenientius dicitur antecedens, quæ verò circa media conſequens. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod voluntas finis antecedit voluntatem mediorum, quæ ſunt ad finem ordine intentionis, non executionis, ſecundum quem ordinem fit ab intellectu noſtro huiuſmodi diſtinctio voluntatis diuinæ in antecedentem, & conſequentem.

DISTINCTIO QVADRAGESIMA SEXTA.

Hic oritur quæſtio. Dictum eſt enim in ſuperioribus, & auctoritatibus cōmunitum, &c.

QVÆSITVM I.

An ſemper adimpleatur diuina voluntas?

ALexander reſp. quod ſi poſſet contingere, vt diuina voluntas beneplaciti fruſtraretur hoc eſſet; vel ratione ignorantiæ, vel ratione impotentiæ, quorum vtrumque relegatur à Deo, & ab ipſa voluntate, & propterea nunquam fruſtratur. Et quæſt. 40. m. 4. Voluntas beneplaciti ſemper impletur, voluntas ſigni ſimiliter, quæ eſt operatio, & permiſſio, ſed non, quæ eſt præceptum, vel prohibitio. q. 36. m. 2.

D. Thomas reſp. quod quicquid vult Deus voluntate conſequente, quia hoc eſt ſimpliciter, & perfectè volitum, totum fit, quod autem vult voluntate antecedente, quia hoc non eſt ſimpliciter volitum, ſed ſecundum quid, hoc poteſt non fieri, & ſic talis voluntas non impleri. Et p. p. q. 19. ar. 6. reſp. quod cum d. 47. q. 1. ar. 1.

vo-

Digitized by Google

voluntas Dei ſit cauſa omnium vniuerſalis, impoſſibile eſt, quod ſemper non conſequatur ſuum effectum, & ſi aliquando videtur aliquid recedere ab ea, ſecundum vnum ordinem, relabitur tamen in ipſam ſecundum alium, ſicut peccator, qui quantum eſt in ſe recedit à diuina voluntate peccando, incidit tamen in ordinem diuinæ voluntatis, dum per eius iuſtitiam punitur.

d.47. ar.1. q.1. D. Bonau. reſp. quod non eſt poſſibile aliquam voluntatem diuinam ſuperari. etſi enim homo non facit quod vult Deus, quantum in ſe eſt ſine voluntate antecedente, Deus tamen facit de ipſo, quod vult voluntate conſequente, & ſic ſemper impletur, vel de homine, vel ab homine.

pr.1. q.vn. Ægidius reſp. quod ex omnipotentia Dei, & eius immaterialitate poſſumus concludere diuinam voluntatem ſimpliciter ſemper impleri; ex eius omnipotentia, quia cum ſit omnipotens, poteſt quicquid habet rationem entis, ac proinde omnibus dat naturam, & eſſe; cum itaque omnis appetitus ſequatur naturã rei, ſequitur etiam quod nullus eſt appetitus, qui non poſſit inclinari ſecundum quod diuina voluntas ipſum voluerit inclinare; ex eius immaterialitate, quia ſicut virtutes organicę, & materiales appetitus reducuntur in primam virtutem corporalem, ſic etiam virtutes incorporeæ, & immateriales appetitus reducũtur in primam immaterialem virtutem, quæ eſt diuina voluntas.

d.48. q.1. Ricardus reſp. quod fieri non poteſt, vt Deus voluntate beneplaciti aliquid velit, & non eueniat, quia ſua voluntas omnipotens eſt, nec ſimiliter poteſt eſſe quod aliquid velit voluntate ſigni reſpectu pręſentis, vt quando aliquid permittit, vel operatur, & non fiat; poteſt eſſe tamen, vt aliquid velit voluntate ſigni reſpectu futuri, & non fiat.

d.46. q.vn. Ioannes Scotus reſp. quod quandocunque diuina voluntas determinat ſe vltima determinatione ad ponendũ aliquid, quod eſt velle voluntate beneplaciti, ſemper adimpletur; ſi enim non adimpleretur, vel hoc eſſet, quia ex ſe non ſufficeret, vel poſſet impediri effectus ille ab aliquo, vel mutari, antequam intelligeretur effectus poni in eſſe; ſed quoniam eſt omnipotens, nec inſufficiens eſſe poteſt, nec impediri, nec mutari, ideò voluntas eius ſemper adimpletur.

q.2. ar.2. Herueus reſp. quod voluntas antecedens nõ ſemper impletur, quia illud, quod Deus taliter vult, non ſimpliciter, & per ſe vult; ſed voluntas conſequens, qua ſimpliciter, & abſolutè, & in ſe Deus aliquid vult infallibiliter ſemper impletur, & ratio eſt; primò, quia eſt determinata ab æterno ad volendum ea, quæ vult, & eſt ſufficiens, & perfectiſſima, nec poteſt impediri niſi à fortiori ſe, nihil autem eſt Deo fortius, nec in medijs, quia nihil eſt, quod non ſubſit ei; ſecundò, quia Deus eſt agens per voluntatem, agens autem per voluntatem infallibiliter efficit quicquid perfectè vult, & poteſt facere; vndè dicit Ariſt. 9. Meth. t.10. quod volens, & potens neceſſariò operatur.

Durandus reſp. quod diuina voluntas ſemper adimpletur, quia agit per talem potẽtiam, quæ impediri non poteſt, nec in ſe, nec in medijs, per quæ agit, agit enim diuina voluntas per potentiam exequentem illud, quod ſcientia dictat, & voluntas imperat, potentia autem non poteſt impediri, nec in ſe, quia deficere non poteſt, nec in medijs, per quæ agit, quia etiam ſine quocunque medio poteſt producere omne producibile, quod non implicat contradictionem, & etiam nullo ex neceſſitate ſuppoſito ſubiecto, vndè aliquod impedimentum contingat. d.46. q.1.

Guilelm. Occham reſp. quod voluntas diuina beneplaciti antecedens non ſemper impletur, quia hac voluntate Deus dat cuilibet media ad conſequendum actum meritorium, & tamen non quilibet elicit actum meritorium; nec etiam ſemper impletur voluntas ſigni, quia multa fiunt contra diuina præcepta, & conſilia, bene tamen ſemper impletur voluntas beneplaciti conſequens, quia cum ſit omnipotens à nullo impediri poteſt, & ita ſimpliciter eſt concedendum voluntatem diuinam ſemper impleri, ſeù impediri non poſſe; ſub hoc tamen intellectu poſſe impediri, vt quia non obſeruatur præceptum diuinum, aut conſilium. q.2.

Gerardus reſp. quod ſi voluntas Dei, quæ iam ſupponitur ad alteram partem contradictionis determinata, non impleretur, hoc eſſet; vel quia de vna parte contradictionis ad alteram ſe mutaret, quod eſt impoſſibile, quia Deus eſt omnino immobilis, vel quia aliquod impedimentum ei obuiaret, quod ſimiliter eſt impoſſibile, quia Deus eſt omnipotens. q.vn.

Gregorius reſp. quod voluntas beneplaciti ſemper impletur, & hoc probat dupliciter; primò, quia ſi non ſemper adimpleretur, aut illud quod tunc vellet, vel nollet eſſet ſimpliciter impoſſibile, aut poſſibile, non primum, quia voluntas Dei eſſet irrationabilis, non ſecundum, quoniam tunc ſequeretur quod voluntas non eſſet omnipotens, quia non omne poſſibile eſſe poſſet facere eſſe; ſecũdò, quia ſi q.vn.

non

Digitized by Google

non adimpleretur, aliquid ei tunc reſiſteret, vel prohibendo fieri, quod ipſe vellet fieri, vel faciendo, quod ipſe nollet fieri, vel vellet non fieri, quod eſt contra Apoſt. dicentem. Voluntati eius quis reſiſtet? Voluntas autem ſigni non ſẽper impletur: multa enim præcipit Deus hominibus, quæ non faciunt, multa prohibet, quæ non cauent, & multa conſulit, quæ non implent. Item Aliacenſis. Et Valentia.

lib.2. q.1. Robertus Olchot reſp. quod voluntas beneplaciti ſemper impletur, quia non poteſt impediri, alioquin ſequeretur quod Deus non eſſet omnipotens, nec infinitæ virtutis, & ſimpliciter ſequeretur quod poſſet triſtari, quia omnis voluntas nata eſt triſtari quando impeditur ne fiat, quod ipſa vult.

q.45. a.1. Marſilius reſp. quod voluntas beneplaciti ſemper impletur, quia hæc eſt Deus, cui nihil reſiſtere poteſt, ſiue in rerum productione, quas vult fieri, ſiue in peccatorum conuerſione, quos vult conuerti; voluntas tamen ſigni non ſemper impletur, quia ſæpè agunt creaturæ contra diuinum præceptum, prohibitionem, & conſilium, Voluntas beneplaciti executorij ſemper impletur (inquit Opimus) ea autem, quæ eſt ſignum beneplaciti executorij, non ſemper.

d.48. q.vn. a.2. Ioannes de Baſs. reſp. quod voluntas antecedens beneplaciti non ſemper impletur, non enim ſemper impletur conſilium, præceptum, prohibitio, quæ ſunt ſigna voluntatis antecedentis, & ratio eſt, quia non connotat euentum rei; ſed tantum ordinabilitatem aptitudinalem, & potentialem ad effectum, & non eſt ſimpliciter efficax de volito, ſed tantum ſecundũ quid, & quaſi remiſſa; voluntas autẽ beneplaciti, quæ eſt cõſequens ſemper impletur, quia eſt ſimpliciter efficax, & connotat euentum rei futurum, cuius ſigna ſunt permiſſio, & operatio, quæ ſemper implentur, ſunt enim præſcientia, & ſigna voluntatis de re præſenti, tunc autem res eſt in impletione ſua, quando eſt in præſentialitate ſua.

a.6. diſp.2 Ludou. Molina reſp. quod voluntas Dei conditionalis non ſemper impletur, per hanc enim vult omnes homines ſaluos fieri, & tamen non omnes ſaluantur, vult, ſeruari præcepta, & non ſeruantur; at voluntas abſoluta ſemper impletur, ſiue aliquid velit ſine dependentia a libero arbitrio, ſiue cum dependentia, ſcilicet quod etiam idipſum velit; nititur enim huiuſmodi voluntas certitudini præſcientiæ diuinæ, quæ falli non poteſt, & ſcit omnia accommodare ſuis finibus a ſe præfinitis.

Gabriel Vaſquez reſp. quod non eſt abſurdum, vt quando Deus vult aliquid ſimplici affectu complacentiæ, ſiue ſit huiuſmodi voluntas conditionata, ſiue abſoluta, dum tamen non ſit efficax, illam impleri, non enim omne, quod ſibi placet neceſſe eſt fieri; ſecus tamen ſi quod vult tali affectu complacentiæ, voluntate efficaci velit, hanc enim ſemper neceſſe eſt impleri. diſp. 83. c.4.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſi loquamur de voluntate Dei beneplaciti, per quam intelligimus ipſum diuinum placitum, & ipſum abſolutum velle, tum ex eius immutabilitate, tum ex excellentia ſuæ virtutis clariſſimè deducimus ſemper adimpleri; ſuppoſito enim, quod Deus aliquid velit efficaciter eſſe, aut fieri, cum ſit immutabilis non poteſt non velle illud eſſe, aut fieri, atq; ita fruſtrari primam voluntatem, & cum ſit excellentiſſimæ, immò infinitæ virtutis, non poteſt vllo modo, neque vllo tempore, impediri ab alia inferiori potentia, quin illud idem conſequatur, & faciat, quod aliquando velit, quod eſt ipſam ſemper adimpleri.

Sed ſi non omnia, quæ ſunt a Dei voluntate ſunt neceſſaria? quinimmo multa contingentia, omnis autem effectus qui eſt a cauſa, quæ impediri non poteſt, eſt neceſſarius. Obiectio.

Reſpondetur, quod ſicut res relatæ in diuinam præſcientiam, contrahunt quandam neceſſitatem, non tamen propter huiuſmodi neceſſitatem remouetur contingentia a rebus; ſic prout referuntur in diuinam voluntatem, quandam neceſſitatem contrahunt, nec tamen propter hoc contingentia remouetur ab eis. Ita Aegidius.

QVAESITVM. II.

An poſſit aliquid fieri præter diuinam voluntatem?

D. Thomas reſp. quod tunc aliquid dicitur fieri præter voluntatem Dei, quando aliquid fit, de quo non eſt eius voluntas, nec tamen de ſuo oppoſito; loquendo ergo de voluntate beneplaciti, aliquid poteſt fieri præter eam, ſiue ſit conſequens, ſiue ſit antecedens; loquendo autem de voluntate ſigni poteſt vtique aliquid fieri præter præceptum, conſilium, prohibitionem, & operationem, ſed non d.46. a.2. q.2.

Digitized by Google

præter permiſſionem.

d.46. p.2. q.1. Aegidius reſp. quod cum voluntas diuina diſtinguatur in voluntatem beneplaciti, & voluntatem ſigni, & vtraque in voluntatem antecedentem, & conſequentem, aliquod poteſt fieri præter voluntatem beneplaciti, non ſolum antecedentem, ſed etiam conſequentem, quia poteſt fieri malum, quod cum non ſit volitum ab ea, nec etiam contra eam, quia permittitur; ſequitur quod ſit præter eam; aliquid etiam poteſt fieri præter voluntatem ſigni, quia aliquid poteſt fieri præter diuinum præceptum, conſilium, & prohibitionem, & etiam præter operationem, quia priuationes bonorum, & mala non operatur Deus; nihil tamen fieri poteſt prẹter permiſſionem, quia permiſſio reſpicit cauſam potentem deficere, & non deficere, vnde ſiue deficiat, ſiue non, non ſit præter permiſſionem ipſius.

d.45. q.2. a.2. Herueus reſp. quod aliquid ſit præter operationem, quia mala, inquantum mala non ſunt a Deo, nihil tamen ſit præter permiſſionem, quia quæcunque pars contradictionis ponatur, oportet ponere a Deo permitti, quia nihil poteſt euenire, quod ipſe velit impedire voluntate conſequente.

d.47. q.1. Durandus reſp. quod aliquid poteſt fieri præter voluntatem beneplaciti, tam antecedentem, quam conſequentem; & ſimiliter præter voluntatem ſigni, & etiam præter permiſſionem, non accipiendo tamen permiſſionem ſecundum generalem rationem nominis, prout permitti dicitur, quicquid non impeditur, quia ſic nihil præter eam poteſt fieri; non enim poteſt fieri, niſi quod non impeditur fieri; ſed accipiendo eam, vt diſtinguitur contra alia ſigna, pro eo quod eſt non impedire malum, & ſic etiam bona fiunt præter eius permiſſionem.

q.vn. a.2. Ioannes de Baſſolis reſp. quod mala naturę, & pœnę non fiunt præter diuinam voluntatem; ſed mala culpæ quantum ad deformitates, & carentias perfectionum, quas dicunt, quia huiuſmodi nullo modo directè, & aliquo actu recto cadunt ſub illa.

Reſolutio.

RESpondeo, quod aliquid fieri præter diuinam voluntatem non eſt aliud, quam aliquid fieri ſecluſa ipſa diuina voluntate ad hoc, vt fiat, vel non fiat; ſi itaque loquamur de voluntate beneplaciti, cum a nullo ſecludi poſſit ad hoc, vt fiat, vel non fiat, ſiue ſit opus naturę, ſiue gratiæ, cum ipſa ſit cauſa omnium, nihil poteſt fieri prẹter eam; ſi autem loquamur de voluntate ſigni vtique aliquid poteſt fieri præter eam, quia multa fiunt, de quibus non eſt præceptum, neque conſilium, neque aliquid aliud ex ſignis.

Sed ſi (vt dicit Eſaias) omnia opera noſtra operatur nobis dominus? ac proinde nihil poſſit fieri præter operationem diuinam, quę eſt voluntas ſigni. Obiectio.

Reſpondetur, quod alia eſt operatio diuina, quæ pertinet ad ſtatum, ſeu ordinem naturę, & alia, quę pertinet ad ſtatum, ſeu ordinem gratię; ea quę pertinet ad ſtatum, ſeu ordinem naturę eſt a voluntate beneplaciti, & cum hęc a nullo effectu ſecludi poſſit, nihil contingit fieri prẹter eam; ea verò, quę pertinet ad ſtatum, ſeu ordinem gratię eſt voluntas ſigni, & cum hęc a multis effectibus ſecludi poſſit, vt fiant, vel non fiant, contingit etiam aliquid fieri prẹter eam.

QVÆSITVM III.

An poſſit aliquid fieri contra diuinam voluntatem?

ALexander reſp. quod contra voluntatem beneplaciti nihil poteſt fieri, quia Dei voluntas eſt omnipotens, nec ſimiliter contra voluntatem ſigni, quę eſt permiſſio, & operatio, quia huiuſmodi ſigna reſpiciunt ipſum quod fit, vel quod factum eſt, quod autem fit, vel factum eſt non poteſt non fieri, vel factum eſſe, ſed bene poteſt aliquid fieri contra voluntatem ſigni, quæ eſt prẹceptum, & prohibitio, & conſilium, quia huiuſmodi ſigna reſpiciunt faciendum, vel vitandum de futuro, quod poteſt aliter euenire, vel in contrarium. q.40. m.4.

Albertus reſp. quod nihil ſit contra permiſſionem, quia illa coniuncta eſt operi, ſicut operatio, vnde non eſt hoc, quia eſt reſpectu mali, ſed ratione exiſtentiæ. d.47. a.3.

D. Thomas reſp. quod tunc aliquid dicitur fieri contra voluntatem Dei, quando fit aliquid, de cuius oppoſito eſt eius voluntas; loquendo ergo de voluntate beneplaciti conſequente, nihil fit contra eam, quia ſemper impletur; loquendo autem de voluntate antecedenre, ſic aliquid poteſt fieri contra eam, cum non ſemper adimpleatur, & ſimiliter poteſt aliquid fieri contra eius conſilium, præceptum, prohibitionem, non autem contra operationem; & permiſſio- d.46. a.2. q.2.

ſio-

ſionem. Item Aegidius, Herueus, Durandus, & Ioannes de Baſſolis.

d.47. a.1. q.2. D. Bonau. reſp. quod quædam ſunt ſigna reſpectu præſentis, vt impletio, & permiſſio, quædam reſpectu futuri vt præceptum, conſilium, & prohibitio; & quoniam de præſenti quod fit impoſſibile eſt in præſenti non fieri, nam omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe, ideo contra huiuſmodi ſigna non poteſt fieri, quoniam vero futura, vel facienda poſſunt non fieri, ideo contra huiuſmodi ſigna fieri poteſt; quædam ſimiliter ſunt ſigna diuinæ voluntatis abſolutæ, & ſic non poteſt fieri contra ea, & quædam conditionatæ, & ſic poteſt fieri contra ea, quia poteſt fieri contra voluntatem conditionatam, non tamen abſolutam.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod ſi quæritur de voluntate Dei beneplaciti, quæ eſt voluntas ſimpliciter, & abſoluta, cum hæc ratione ſuæ immutabilitatis, & excellentiæ ſemper adimpleatur, nihil poteſt fieri contra eam; ſi autem quæritur de voluntate ſigni, cum hæc prærequirat noſtrum liberum arbitrium, vtique poteſt aliquid fieri contra eam, vt contra præceptum, prohibitionem, conſilium, & ſimiliter contra operationem, nam aliquid poteſt fieri contra operationem, vel influentiam gratiæ, quam in nobis operatur dominus non acceptando eam, ſeu eidem reſiſtendo, & ſimiliter contra permiſſionem in ordine ſaltem ad intentionem finis, vt verbi gratia non ſuſtinendo patienter tentationes huius ſeculi, quibus affligi nos permittit Deus, volens inde exercitium noſtrum, & ſalutem.

Obiectio. Sed ſi diuina voluntas eſt potentiſſima, quæcunque illa ſit? potentior autem eſt voluntas contra quam nihil efficitur, quam ea contra quam aliquid efficitur.

Reſpondetur, quod non eſt ex impotentia diuinæ voluntatis, quod contra eam aliquid efficiatur, ſed hoc eſt ex ordine ſapiētię diuinæ, quæ nobis potentiam contulit ad vtrumlibet. Ita D. Thomas, & Aegidius.

QVAESITVM IV.

An quod fit contra diuinam voluntatem, aliquo modo obſequatur ei?

d.47. a.3. D. Thomas reſp. quod omnia, quæ fiunt præter voluntatem diuinam, etiam contra voluntatem antecedētem obſequuntur quodammodo voluntati conſequenti, ſiue accipiatur talis voluntas ſecundum quod ſequitur conceptionem finis tantum, ſiue ſecundum quod ſequitur conceptionem eius, quod eſt ad finem, vtroque enim modo quæ ſic fiunt redundant in ordinem pœnæ ad culpam.

Aegidius reſp. quod repugnantia ad diuinam voluntatem non quidem conſequentem, quia nihil repugnat voluntati conſequenti, ſed antecedentem, poteſt accipi dupliciter; vel quantum ad cauſam mali, quæ eſt humana voluntas, tunc enim humana voluntas repugnat diuinæ voluntati, quando non agit, quæ Deus præcipit, & non vitat, quæ prohibet; vel quantum ad ipſum malum, quia ipſum eſt, quod fit ab humana voluntate contra voluntatem diuinam, nihilominus tam humana voluntas, quam malum obſequitur diuinæ voluntati; ſed aliter repugnat, & aliter obſequitur, nam malum repugnat ſecundum ſe, obſequitur autem inquantum eſt ordinatum; voluntas autem humana, quę eſt cauſa mali repugnat voluntati diuinę antecedenti, quantum ad id, quod agit, ſed obſequitur conſequenti, quantum ad id, quod de ea efficitur, quia punitur, atque inde reſultat decor vniuerſi, quod eſt volitum voluntate conſequente. pr. 2. q.2.

Ricardus reſp. quod illud quod fit contra voluntatem ſigni obſequi voluntati beneplaciti poteſt dupliciter intelligi, aut per ſe, & ex intentione agentis, & ſic non eſt verum, aut per accidens, & per prouidentiam Dei cuncta ordinantis, & ſic eſt verum. q.8.

Herueus reſp. quod aliquid obſequi voluntati alicuius dupliciter contingit; vno modo directè, & per ſe, ſicut quando aliquis ex intentione facit, quod credit placere alteri; alio modo per accidens, & præter intentionem, & hoc modo obſequuntur mali faciendo contra voluntatem antecedentem voluntati conſequenti, inquantum reddunt ſe dignos pœna, quam Deus vult inferre eis. q.1.

Durandus reſp. quod aliquid poteſt obſequi diuinæ voluntati dupliciter, vno modo vt materia de qua, vel circa quam fit diuina voluntas, alio modo vt agens ſecundarium, cuius actio tendit ad illud, quod dictat, & vult principale agens; primo modo ergo illud quod fit contra voluntatem antecedentem obſequitur voluntati diuinæ conſequenti, vt materia de qua, vel circa quam, fit diuina voluntas, Deus enim vult voluntate conſequente punire perſeuerantes in malo, q.3.

Digitized by Google

qui faciunt contra voluntatem, antecedentem, dum ergo puniuntur fit de eis voluntas conſequens; ſecundo modo verò illud, quod fit contra voluntatem antecedentem non obſequitur voluntati conſequenti, quo ad genus operis, quia opus malum ex genere non poteſt eſſe volitum a voluntate conſequente, ſed bene quo ad aliquam circunſtantiam operantis, quia poteſt Deus aliquid velle fieri bona voluntate, quod homo vult facere mala voluntate.

q.xvi. a.1. Gerardus reſp. quod ſecundum duplicem diſtinctionem poſſumus reſpondere ad quęſitum; prima eſt iſta, quod aliquid obſequi diuinę voluntati poteſt intelligi dupliciter; vno modo, quod obſequatur ei tanquam aliquid, quod eſt ſibi placitum, & a Deo volitum; alio modo quod obſequatur ei tanquam illud, ex quo elicitur aliquid quod eſt Deo placitum, & a Deo volitum, primo modo ergo nihil quod eſt contra voluntatem Dei antecedentem obſequitur voluntati eius conſequenti, quia ſic mala eſſent Deo placita, & ab eo volita, ſed bene ſecundo modo, quia quamuis mala non placeant Deo, elicitur tamen ab eis aliquid bonum, quod placet ei, & eſt ab eo volitum; ſecunda eſt, quod aliquid obſequi voluntati conſequenti poteſt etiam dupliciter intelligi; vno modo quod obſequatur ei directè cum ea concordando; alio modo, quod obſequatur ei non concordando cum ea, ſed cum volito ab ea; primo modo nihil quod eſt contra voluntatem Dei antecedentem obſequitur eius voluntati conſequenti, immò ſicut diſcordat ab vna, ita etiam diſcordat ab altera, vt malum; ſecundo modo verò aliquid poteſt fieri contra voluntatem antecedentem, & obſequi voluntati conſequenti concordando cum volito ab ea, vt malum, quod eſt contra voluntatem antecedentem concordat cum bono iuſtitię, quod eſt volitum a Deo.

a.1. Ioannes de Baſſ. reſp. quod mala culpæ, licet non directè obſequantur diuinæ voluntati, tamen aliquo modo indirectè obſequuntur, non vt volita volitione efficaci directa, ſed vt permiſſa, & inquantum ex ipſis ſcit Deus elicere bonum.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod obſequium ordinem ſignificat, directionem, & tendentiam in finem; & quoniam omnia, quæ fiunt contra diuinam voluntatem, diriguntur ab ea, & ordinantur in bonum vniuerſi, hoc enim pertinet ad diuinam prouidentiam vt ſic omnia, & ſingula diſponat, quod nihil ſit, cuius vſu careat, & ratione, ac proinde aliquo modo non obſequatur ei, & in finem cedat a ſe ſummopere intentum.

Sed ſi mala fiunt præter intentionem Dei? quę autem fiunt præter intentionem agentis non obſequuntur voluntati eius. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod quamuis mala fiant præter intentionem Dei, ordinatio tamen malorum eſt intenta a Deo, & huic intentioni obtemperant operantes mala. Ita D. Thomas.

QVAESITVM V.

An diuina voluntas imponat neceſſitatem volitis?

D. Thomas reſp. quod quando aliqua cauſa eſt efficax ad agendum, effectus conſequitur cauſam, non tantum ſecundum id, quod fit, ſed etiam ſecundum modum fiendi, vel eſſendi, vnde ex debilitate virtutis actiuæ in ſemine contingit, quod Filius naſcitur diſſimilis Patri in accidentibus, quæ pertinent ad modum eſſendi; cum igitur diuina voluntas ſit efficaciſſima, non ſolum ſequitur quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, ſed quod eo modo fiant, quo vult fieri, & quoniam quædam vult fieri neceſſariò, quibus ſcilicet aptauit cauſas neceſſarias, quæ deficere non poſſunt, & quædam contingenter, quibus ſcilicet aptauit cauſas contingentes, quæ poſſunt deficere, ideo eius voluntas, quibuſdā volitis neceſſitatē imponit, quibuſdā non. p.p. q.19. a.8.

Herueus reſp. quod voluntas diuina etiāſi ſit infallibilis non tollit contingentiam a rebus, & probat dupliciter; primò, quia velle diuinum licet in ſe ſit neceſſarium neceſſitate abſoluta non habet tamen habitudinem neceſſariam neceſſitate abſoluta ad volita creata, ſed bene poteſt habere neceſſitatem ex ſuppoſitione tantum, quia ſcilicet ſuppoſito, quod velit, non poteſt non velle, & quia ſic aſpectui diuino ſunt omnia præſentia ab ęterno quantum ad ſuas exiſtentias, ſecundum quas res habent neceſſitatem ex ſuppoſitione, itaquod ab æterno pręſentantur voluntati diuinæ; ſecundo, quia Deus eſt agens per voluntatem, & ideo poteſt facere quod effectus eueniat ſecundum quod, & quo modo vult euenire, vnde non obſtante infallibilitate ſuæ voluntatis poteſt velle aliqua euenire contingenter, & aliqua neceſſariò. d.46. q.2. a.1.

Du-

Digitized by Google

q.2. Durandus reſp. quod loquendò de neceſſitate ſimpliciter voluntas diuina, nec imponit, nec imponere poteſt rebus volitis neceſſitatem, quia voluntas diuina ipſas liberè producit; hæc eſt autem natura agentis liberè, quod quantum eſt de ſe poſſit agere, & non agere, & conſequenter res eſſe, & non eſſe, nec ſimiliter res creatæ ſunt capaces talis neceſſitatis, quia totaliter dependent a Deo in fieri, & in eſſe, quia nulla neceſſitate eas cauſat; ſi verò loquamur de neceſſitate, quam res creatæ habere poſſunt ſub libertate diuina per cauſas medias, ſic aliquæ de neceſſitate eueniunt, aliquæ verò non, quia Deus cum ſit agens per intellectum, & voluntatem, eadem ſcientia, & voluntate poteſt præconcipere, & velle quædam euenire, mediantibus cauſis neceſſarijs, & alijs contingentibus.

q.15. a.2. dub.1 Petrus Trig. reſp. quod effectus contingentes, & liberi ſi comparentur ad diuinam voluntatem dicuntur neceſſarij ſecundum quid, ſiue ex ſuppoſitione, quæ neceſſitas vocatur conditionalis, & conſequentiæ, nam iſta conſequentia eſt bona, Deus vult hoc fore, ergo erit.

Reſolutio.

REſpondeo, quod diuina voluntas ad omnia ſe extendit, vt omnium cauſa, tam neceſſariorum, quam contingentium, vnde ſi rebus volitis imponeret neceſſitatem, omnia eſſent neceſſaria, & nulla contingentia, quod eſt falſum, cum liquidò conſtet multa eſſe contingentia, quæ tamen non ſubterfugiunt diuinam voluntatem.

Obiectio. Sed ſi quicquid eſt a Deo volitum neceſſariò eueniet? non enim poteſt diuina voluntas fruſtrari.

Reſpondetur, quod quicquid eſt a Deo volitum, infallibiliter quidem eueniet, ſed non neceſſariò, Deus enim volendo res non mutat earum contingentiam in neceſſitatem.

DISTINCTIO QVADRAGESIMA SEPTIMA.

Voluntas quippe Dei ſemper efficax eſt, vt fiat omne, quod velit, &c.

QVAESITVM I.

An Deus velit malum fieri?

c.121 q.2. GVilelmus Antiſiod. reſp. quod prout hoc verbum vult ſignificat voluntatem beneplaciti ſimpliciter, hæc eſt falſa, Deus vult malum fieri, & vult malum non fieri, quia ſi non vellet, non fieret; ſi vero ſignificat voluntatem beneplaciti ſecundum quid, ſic eſt vera.

Alex. reſp. quod voluntas noſtra ſubijcitur in malis actibus diuinæ voluntati materialiter, ſcilicet vt materia ſub agente, quia de voluntate noſtra mala, & actu malo voluntas Dei operatur bonum, in bonis verò actibus voluntas noſtra ſubijcitur diuinę voluntati, vt efficiens ſub efficiente; ſecundum illud Eſaiæ c. 26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis domine. q.40. m.1.

Albertus reſp quod hæc eſt falſa, Deus vult malum fieri, & ſi inuenitur a ſanctis eſt determinanda ſic. Deus vult bonum, quod elicitur a malo facto, propter quod ſinit malum fieri, ita quod cum dicitur Deus vult malum fieri, non tranſit voluntas ſupra malum, vt ſupra volitum. d.46. a.4.

D. Thomas reſp. quod ita ſe habet aliquid ad hoc, quod ſit volitum a Deo, ſicut ſe habet ad hoc, quod ſit bonum; cum itaque malum fieri ſecundum ſe non ſit bonum, nec per ſe erit a Deo volitum. d.47. a.4.

Et iterum reſp. quod cum ratio boni ſit ratio appetibilis, malum autem inquantum huiuſmodi opponatur bono, impoſſibile eſt quod aliquis appetat malum inquantum huiuſmodi, ſed bene inquantum coniungitur alicui bono, quod eſt velle malum per accidẽs, nullus autem nec etiam per accidens, vellet malum, quod coniungitur bono, niſi illud bonum, cui coniungitur malum magis vellet, quam illud, cuius eſt priuatio malum, malum enim quod coniungitur alicui bono eſt priuatio alterius boni; & quoniam Deus vult magis ſuam bonitatem, quam aliud bonum, cum malum culpæ opponatur ei, vt priuatio ordinis ad illam, nullum vult malum culpæ etiam per accidens; vult tamen malum naturalis defectus, vel malum pœnæ volendo aliquid bonum, cui coniungitur tale malum, ſicut volendo iuſtitiam vult pœnam, & volendo ordinem naturæ ſeruari, vult quædam naturaliter corrumpi. p.p. q.19. a.9.

D. Bonau. reſp. quod malum culpæ non eſt a Deo volibile, quia omnis voluntas inordinata eſt, cui placet illud malum. d.46. a.1. q.2.

Aegidius reſp. quod mala ſubduntur prouidentiæ diuinæ, non quod cauſentur ab ea, ſed quia ab ea ordinantur, & non impediuntur, vt fiant, ſecundum autem quod aliqua ſubduntur diuinæ prouidentiæ, fiunt eo auctore, quæ verò fiunt Deo auctore, pr a q.2.

fiunt

Digitized by Google

fiunt etiam (vt dicit D. Aug.) lib. 83. q. q. 3. eo volente.

a.1. q.2. Ricardus reſp. quod malum ſub ratione qua malum Deus non vult fieri, quia quamuis actio ſubſtrata malitiæ a Deo ſit, tamen ipſa malitia, quâ formaliter malum dicitur a Deo non eſt.

q.2. Durandus reſp. quod Deus nec per ſe, nec per accidens vult mala culpę, non per ſe, quia omne quod vult, vult ſub ratione boni quæ eſt communis, & formalis ratio obiecti voluntatis, non per accidens, quia voluntas recta, qualis eſt voluntas diuina, non poteſt velle illud, quod non iudicatur rectum ſecundum intellectum rectum, ſicut nec in creaturis appetitus ſenſitiuus poteſt appetere illud, quod non iudicatur conueniens ſecundum ſenſum.

d.47. a.4. Petrus Aureol. reſp. quod Deus non dicitur aliquid velle intrinſecè niſi complacendo, nec extrinſecè niſi liberum principium exiſtendo; cum itaque Deus non complaceat ſibi in malo culpæ, quia non ingreditur illud in bonitatem diuinam per modum eminentem, nec ſit etiam principium eius, quia ſecundum D. Aug. Deo auctore nemo fit malus, ideo Deus non vult fieri malum.

d.47. q.vn. Guilel. Occham reſp. quod Deus nec poteſt velle malum fieri, nec aliquid poteſt velle malè, & iniuſtè, quia non poteſt velle aliquid, cuius oppoſitum tenetur velle.

d.45. a.3. Thomas ab Arg. reſp. quod Deus vult quidem malum pœnæ, quia hoc malum habet rationem boni, ſed non vult fieri malum culpæ; primò, quia vt dicit D. Aug. Deo auctore non fiunt mala, idem eſt autem fieri Deo auctore, quod Deo volente; ſecundò, quia Deus non poteſt eſſe malus, qui autem vult malum culpæ, malus eſt; tertiò, quia voluntas Dei eſt ordinatiſſima, omnis autem voluntas ordinata volendo, aut vult finem, aut ea, quæ ſunt ad finem, malum autem culpæ nec poteſt habere rationem finis, quia non habet rationem optimi, nec eorum, quæ ſunt ad finem, quia eſt deuiatio ab eo; quartò, quia Deus nullo errore poteſt decipi, qui autem vult malum neceſſe eſt, vt aliquo errore decipiatur apprehendens ipſum ſub appetentia boni; quintò, quia Deus miſer eſſe non poteſt, eſſet autem miſer ſi aliquid fieri vellet, quod ipſe facere non poſſet, nec ſecundum rectam rationem fieri poteſt, Deus autem cum facere non poſſit malum, ſequitur quod nec poteſt velle fieri illud.

Robertus Olchot reſpondet, quod Deus, lib. 2. q. 1. & quælibet creatura in productione cuiuſcunque effectus ſunt cauſæ partiales, quia ſcilicet concurrunt in agendo, vel cauſando; Deus ergo agit in omni actione naturali, & voluntatis, & quoniam peccatum eſt actus voluntatis, ideo eſt eius cauſa, & conſequenter Deus voluntate beneplaciti vult peccatum eſſe, & fieri, omne enim illud, cuius Deus eſt cauſa effectiua Deus vult voluntate beneplaciti, & ſi quando dicit D. Aug. quod Deus non eſt auctor peccati, intelligitur ſic, quia nemini præſtat licentiam, & auctoritatem peccando, immò ſtatuit leges contra peccantes; quia ergo Deus eſt cauſa omnis rei, vt dicit D. Aug. 4. de Trin. c. 5. & 8. eſt etiam cauſa peccati, ſcilicet volitionis, quæ eſt peccatum.

q.45. a.2. Marſilius reſp. quod loquendo de voluntate beneplaciti Deus non vult mala fieri; primò, quia vel vellet in ſe, & ſic vellet ſe fieri malum, vel in alio, & ſic ipſe ſua voluntate faceret alium malum, quorum vtrumque eſt inconueniens; ſecundò, quia Deus vt ens optimum non poteſt velle, niſi quod eſt bonum eſſe, ſi ergo malum vellet eſſe, malum bonum eſſet, quod implicat; tertiò, quia vel vellet malum fieri, inquantum malum, & hoc repugnat ei, vt ſummo bono, vel inquantum bonum, & hoc eſt falſum, quia cum malum ſit pura priuatio nihil bonitatis in ſe habet; quartò, quia cum nihil velit voluntas niſi ratione boni, & nihil bonitatis habeat malum, volens illud decipitur, Deus autem decipi non poteſt; quintò, quia Deus non poteſt velle aliquam deformitatem in aliqua voluntate, alioquin iniuſtè puniret illum propter hoc malum.

d.46. q.vn. a.1. Ioannes de Baſſ. reſp. quod malum formaliter acceptum non eſt niſi carentia perfectionis debitæ ineſſe; vel negatio appetibilis in aliquo per ſe; eſt autem triplex malum naturæ, pœnæ, culpæ, Deus itaque non vult malum culpæ actu recto, ſed actu reflexo, quod eſt nec velle, nec nolle, qui vocatur permiſſio; malum verò naturæ, & pœnæ vult eo modo fieri, quo ipſius eſt fieri, per accidens tamen, vnde mali vt malum eſt nõ eſt fieri, ſicut nec facere, vult autem huiuſmodi malum; primò, quia facit ad decorem vniuerſi; ſecundò, quia facit ad bonum eius, cum generatio vnius ſit corruptio alterius, & econuerſò; tertiò, quia facit ad decorem iuſtitiæ, nam iuſtus iudex debet infligere pœnam male agentibus; quartò,

quia

Digitized by Google

quia eſt rationabile, quod aliquod ens careat aliqua perfectione debita ei ineſſe, quod autem eſt huiuſmodi poteſt Deus velle in creatura.

a. 2. Guilel. Varrill. reſp. quod omnis voluntas aut denominat volitum, aut denominatur a volito; ſi igitur Deus velit mala fieri aut voluntas diuina erit malitioſa, aut fieri malum bonum erit propter bonitatem diuinæ voluntatis, quorum vtrumque eſt falſum, & intelligitur de malo culpæ, non pęnæ, nec damni, hoc enim malum damni, cum ſit priuatio pura non habet cauſam ſui efficientem, ſed deficientem, & non niſi ratione ordinis, debitè enim a Deo ordinatum eſt vt damnati Dei viſione priuentur.

diſp. 1 q. 19. pūc. 3 Gregorius de Val. reſp. quod Deus nullo modo vult malum culpæ, nec etiam per accidens ſub ratione alicuius boni, & hoc probat dupliciter; primò, ſi Deus ſub quacunque ratione vult malum culpæ, ergo licebit etiam omnibus cum diuina voluntate ſe conformare, & illud idem velle, ſub eadem ratione, qua Deus, & conſequenter non peccarent illud ita volendo, nec conſequenter damnari; ſecundò, quod ſub nulla ratione bonum honeſtum eſt, ſub nulla ratione poteſt rectè cadere in Dei, aut cuiuſque alterius voluntatem; ſed malum culpæ ſub nulla ratione bonum honeſtum eſt, quinimmo manet ſemper malum ſimpliciter abhorrens a recta ratione, & peruertit omnem ordinem rectum actionis ad Deum, igitur ſub nulla ratione poteſt cadere in Dei voluntatem.

q. 14. a. 9. Ludou. Molina reſp. quod fieri non poteſt, vt malum quodcumque illud ſit, ſiue culpæ ſiue pęnæ, ſiue defectus naturæ per ſe, ſeu ſub ratione mali appetatur a Deo, & ratio eſt, quia obiectum volitionis eſt bonum ſub ratione boni, & ideo fieri nequit vt volitio feratur in malum per ſe ſub ratione mali; malum tamen per accidens quatenus eſt cõiunctum cum aliquo bono terminare poteſt appetitum, ac volitionem ratione boni, cui eſt coniunctum.

lib 3. c. 7. Franciſcus Suarez reſp. quod quædam ſunt mala pęnæ, & ſub his naturales defectus, & corruptiones comprehenduntur, & quædam ſunt mala culpæ; illa ergo mala interdum vult Deus non ſolum permittendo, ſed etiam agendo, hæc verò non vult propter ſe, ſed propter aliquam rationem boni maiorem, vel magis vniuerſalem, ideo dicitur velle quaſi per accidens, non quia reuera illa non velit directè, & in ſe, ſed quia ſolum illa vult, vt neceſſariò conſequuntur ex alijs bonis.

Reſolutio.

RESpondeo, quod Deus per ſe, & directè non vult malum fieri, cum enim ex ſua natura ſit optimus non poteſt velle niſi bonum, indirectè tamen, & quaſi per accidens vult fieri malum, vt ex eo eliciat bonum tanquam per ſe, & directè a ſe intentum, hoc autem malum, ſi eſt malum culpæ vult ſola voluntate ſigni, ipſum ſcilicet permittendo, ſi verò eſt malum pœnæ, aliquãdo etiam voluntate beneplaciti, ipſum ſcilicet efficaciter, & ſimpliciter volendo. Obiectio.

Sed ſi Deus per ſe directè, & efficaciter voluit mortem Chriſti? igitur & eorum culpam, qui condemnauerunt eum; qui enim vult aliquod antecedens, & vult conſequentiam bonam, vult etiam conſequens.

Reſpondetur, quod qui vult antecedens, & conſequentiam bonam, non vult conſequens, quoad eius totalem ſignificationem niſi eodem modo ſe habeant, & ſic Deus voluit Chriſtum mori, ſed non quoad totalem eius ſignificationem, quia in morte Chriſti, vt in quodam bono, ſi voluit ſubſtantiam actus quaſi præuentus aliquo modo voluntate eorum ſic eligente, non tamen turpitudinem actus voluntate beneplaciti.

QVÆSITVM II.

An ſit conueniens, quod Deus permittat malum fieri?

ALex. reſp. quod Deus permittit malum fieri triplici ratione; prima eſt ad commendationem bonorum; ſecunda, ad eruditionem electorum; tertia, ad exercitationem, & probationem bonorum. q 38. m. 2.

Et eadem queſt. m. 2. Iuſtum eſt (inquit) ſinere mala fieri, non iuſtitia, quæ eſt exigentia meritorum, nec iuſtitia, quæ eſt diuina veritas, ſed iuſtitia, quæ eſt condecentia bonitatis Dei, decet enim ſuam iuſtitiam, vt ſicut naturam hominum conſtituit liberam, ita ſinat eam liberè agere, ſicuti vult.

Albertus reſp. quod Deus permittit malum fieri iuſtitia condecente ſuæ æquitatis, & bonitatis, quia ſi non ſineret tolleretur ratio boni laudabilis, & præmiabilis. d. 46. a. 9.

D. Bonau. reſp. quod duplex eſt ordo rerum, vnus in vniuerſo, alter in finem, & vter- d 47. q 4.

ſe, & ideò illud aliquando præcipit, ſed non alind. Item Varrill.

pr.2 q.3. Aegidius reſp. quod Deus poteſt diſpenſare in præceptis ſecundæ tabulæ, & quæ ſunt iniuſta ſecundum vnum modum ordinis facere iuſta ſecundum alium modum, & ita non manente in malis ſua malitia, ipſa aliquando præcipit, ſicut præcepit Oſeæ, vt ſumeret mulierem fornicariam, & ex ea faceret filios fornicationis.

q.4. Durandus reſp. quod Deus nõ poteſt præcipere mala coniunctim, vt quod ſcilicet remaneant ſub conditione mali, ſed diuiſim, quia ſcilicet ſua poteſtate, & auctoritate bona fiunt.

d.47. q.vn. Guilelm. Occham reſp. quod ſicut eſt impoſſibile, quod Deus præcipiat aliquid iniuſtè, & malè, ita eſt impoſſibile quod præcipiat aliquid iniuſtum, & malum, & ideo ſpoliare Ægyptios non fuit malum, ſed bonum, vnde Deus hoc præcipiendo præcepit bonum, & non fecerunt malum Iſraelitæ obediendo, ſed bonum.

q.14. Petrus Aliac. reſp. quod Deus poteſt præcipere odium ſui, quod eſt maximum malum, quia nulla apparet contradictio, quare id non poſſit, de ſua potentia abſoluta.

q.46. a.2. Marſilius reſp. quod Deus non poteſt præcipere malum ſic, quod maneat malum, quia ſic creatura poſſet obligari ad culpam, quod eſt inconueniens, neque cum incluſione illius paſſionis, quæ deordinat voluntatem, vt quod aliquis ex inuidia aliquem interficiat; benè tamen poteſt præcipere, & diſpenſare ſuper illud malum, quod non includit turpitudinem, niſi quia prohibitum, & ita diſpenſauit ſuper concubitum Oſeæ, & ſuper ablationem rerum Aegyptiorum.

q.vn. a.3. Ioann. de Baſſ. reſp. quod ſunt quidam actus, quibus neceſſariò conuoluitur malum culpæ, vt odire Deum, blaſphemare, & huiuſmodi, & talia non poſſunt bene fieri, & tales actus non poteſt Deus præcipere fieri, alij ſunt actus, qui non ſunt conuoluti neceſſariò malo culpæ, vt occidere hominem, rem alienam accipere, & huiuſmodi, & poſſunt bene fieri, & huiuſmodi ſunt actus multi pertinentes ad hominem in ordine ad proximum, & iſtos poteſt Deus præcipere, ſed diuino præcepto cadente ſuper eos, non ſunt amplius culpabiles, vel mali, ſed liciti

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut Deus ratione ſuæ bonitatis per ſe, & directè non vult fieri malum, ita nec etiam præcipit, non tamen implicat, quod aliquando præcipiat in ordine ad bonum per ſe, & principaliter a ſe intentum; tunc enim malum illud, ſiue ex parte circunſtantiarum, ſiue ex parte finis, induit aliquam rationem boni, ob quam præcipitur.

Obiectio. Sed ſi malum eſt priuatio boni? ac proinde nullam poteſt habere rationem boni, ob quam præcipiatur, ſicut nec cæcitas poteſt habere aliquam rationem viſus.

Reſpondetur, quod eſt aliquod malum, quod non eſt priuatio omnis boni ſimpliciter, ſed tantum huius, & hoc habet aliquam rationẽ boni, propter quam aliquando Deus ipſum præcipit.

QVÆSITVM IV.

An bonum ſit mala fieri, vel eſſe?

ALexand. reſp. quod mala fieri non eſt bonum ſimpliciter, ſed ſecundum quid, ratione ſcilicet boni, quod ex ipſis elicitur. q.40. m.2.

Albertus reſp. quod hæc propoſitio eſt abſolutè falſa, bonum eſt malum fieri, vel eſſe, quia conuertitur cum iſta, quæ ſimiliter eſt falſa, Deus vult malum fieri, vel eſſe; ſi enim Deus omne bonum vult, & quicquid vult non eſt niſi bonum, ſi bonum eſt malum fieri, ergo Deus vult malum fieri; ſi autem determinatur ſic, malum fieri eſt occaſio boni, propter quod permittitur malum fieri, tunc eſt propoſitio vera, malum fieri, vel eſſe, eſt bonum. d.46. m.2.

D. Thomas reſp. quod ſicut malum per ſe non eſt bonum, ita mala fieri vel eſſe ſimpliciter eſt malum, & non bonum. a.2.

D. Bonau. reſp. quod tunc aliquid fieri dicitur bonum quando ducit in finem bonum, ducere autem in bonum aliquid dicitur tripliciter, vel per modum cauſæ, vel per modum caſus, vel per modum occaſionis; quod ergo ducit per modum cauſæ in bonum habet intra ſe rationem ordinationis in finem, & ideò cum in ipſo ſit bonitas rectè denominatur bonum; quod verò ducit per modum caſus, & occaſionis, cum nullam habeat intra ſe rationem ordinationis in finem, nec bonitatem, propterea non poteſt denominari bonum per ſe, niſi cum additione illius, per quod ordinatur, in quo ſcilicet conſiſtit ratio ordinationis, & bonitatis; quoniam ergo malum non ducit in bonum ex ſe, ſed per illud, quod elicitur ex ipſo, a Deo (abſo- a.1. q.2.

Digitized by Google

ſolutè loquendo) malum fieri non eſt bonũ.

pr. 2 q. 1. Aegidius reſp. quod aliquid dicitur habere rationem boni tripliciter, vel ratione termini, vel ratione cauſæ, vel ratione naturæ propriæ: ratione termini, vt quando eſt via ad acquirendam aliquam perfectionem; ratione cauſæ, vt quando efficitur ad exemplar alicuius boni, & producitur ab aliquo bono, & tendit in aliquod bonum tanquam in finem; ratione naturæ propriæ, vt quando eſt per ſe intentum, eſt ordinatum, & eſt natura aliqua; & quoniam operatio malorum non eſt via ad acquirendam aliquam perfectionem, nec ſimiliter efficitur ad ſimilitudinem alicuius boni, nec producitur a bono, nec etiam tendit in bonum, quia eſt deuiatio a bono, nec tandem eſt quid per ſe intentum, quia nullum agens agit reſpiciens ad malum, nec ordinatum, quia malum operari eſt deficere ab ordine, nec eſt natura aliqua, quia malum non eſt exiſtens, vt dicit D. Dyon. nec in exiſtentibus, idcirco mala fieri, vel mala operari non eſt bonum ſimpliciter, licet per accidens habeat rationem boni, prout ex ipſis malis multa eliciuntur bona.

q. 6. Ricardus reſp. quod malum fieri non eſt bonum ſimpliciter ratione illius deformitatis, qua formaliter eſt malum, nec alicui eſt bonum per ſe, ſed per accidens, inquantum ex operatione illius mali poteſt aliquis cognoſcere, quam malum ſit ſuperbire, & incautum eſſe, in his maximè, quæ ſpectant ad ſalutem, ac proinde redire ad pænitentiã.

a. 4. Thomas ab Arg. reſp. quod malum culpæ non poteſt eſſe bonum fieri, quia eius vſus non eſt bonus, cuius enim vſus eſt bonus, & ipſum bonum, vt dicit Ariſtot. 4. Topic. & ſimiliter quia bonum fieri eſt bonum, ergo malum fieri eſt malum, ſicut enim ſe habet oppoſitum in oppoſito, ſic ſe habet propoſitum in propoſito; malum verò pœnæ fieri eſt bonum, quia ſic leges bene manutenentur, & pax vniuerſi promouetur.

Reſolutio.

RESPONDEO, quod Deus per ſe, & directè non poteſt velle niſi bonum, cum ergo per ſe, & directè non velit malum fieri, ſequitur quod malum eſſe, vel fieri non eſt ſimpliciter bonum; ſicut tamen vult malum fieri quaſi per accidens, & indirectè, ita etiam malum fieri eſt aliquo modo bonum, indirectè ſcilicet, & per accidens, quia ex ipſo elicitur per ſe, & ſimpliciter bonum.

Sed ſi prohibemur a quacunque perpetratione mali? non enim (inquit Paulus Apoſtolus) ſunt facienda mala, vt veniant bona. *Obiectio.*

Reſpondetur, quod Paulus Apoſtolus loquitur ſecundum præſentem iuſtitiam, ſecundum quam deterremur a quacũque perpetratione mali; non tamen inde infertur, quod aliquando ex huiuſmodi malis non conſequamur aliquod bonum, ratione cuius dici poſſit, eſſe bonum fieri malum.

DISTINCTIO QVADRAGESIMA OCTAVA.

Sciendum quòque eſt, quod aliquando mala eſt voluntas hominis idem volentis, quod Deus, &c.

QVÆSITVM I.

An ſit poſſibile voluntatem noſtram voluntati diuinæ conformari?

ALex. reſp. quod conformitas voluntatis noſtræ voluntati diuinæ poteſt attendi ſecundum quatuor genera cauſarum; ſcilicet in volendo, quod Deus vult, quæ eſt conformitas materialis; in volendo vt vult, quæ eſt formalis; in volendo quod ſcimus ipſum velle, quæ eſt in ratione cauſæ efficientis; in volendo, ad quod vult, & eſt in ratione finis; ſecundum hæc omnia genera eſt conformitas perfecta, & ſufficiens quando volumus ſicut vult Deus, & propter quod vult, imperfecta verò quando volumus quod Deus vult vel ſcimus Deum velle. q. 41. m. 2.

Albertus reſp. quod eſt conformitas aſſimilationis perfectè, vel proportionis determinatè, & ſecundum hanc conformitatem non eſt poſſibile voluntatem noſtram diuinæ voluntati conformari; eſt etiam conformitas in aliquo, quæ eſt conformitas imitans perfectionem ſuæ voluntatis in volito, & forma volendi, & fine, & ſecundum hanc eſt poſſibile voluntatem noſtram diuinæ voluntati conformari. d. 48. a. 1.

D. Thomas reſp. quod conformitas eſt conuenientia in forma, & ſic idem eſt, quod ſimilitudo, quam (vt dicit Ariſt. 5. Meth. t. 10.) cauſat vnitas qualitatis, vnde hoc modo aliquid dicitur Deo conformari, quod ſibi aſſimilatur; contingit autem aliqua dici ſimilia dupliciter, vel ex eo, quod participant vnam formam, vt duo alba ab q. 1. a. 1.

bc

-bedinem, & ſic nihil creatum conformatur Deo, vel ex eo quod vnum, quod participatiuè habet formam imitatur illud, quod eſſentialiter habet, & ſic aliquid creatum poteſt conformari Deo, & hoc modo voluntas noſtra poteſt etiam conformari diuinæ voluntati.

a.1. q.1. D. Bonau. reſp. quod aliquid conformari alicui contingit dupliciter, aut quantum ad ſimilitudinem; & de hac conformitate nihil agitur in præſenti, aut quantum ad habitudinem, & ſic aliquid conformari alicui contingit, quando ſecundum quandam proportionem, quæ eſt rerum eiuſdem generis, vel proportionabilitatem, quæ eſt etiam rerum diuerſorum generum (licet largè vtraque appellatur proportio) alteri comparatur, & ſic voluntas noſtra poteſt conformari voluntati diuinæ, & per ſimilem habitudinem ad actum, vt ſi Deus vult liberaliter, & charitatiuè, ita & nos, & per ſimilem comparationem ad obiectum, vt ſi hoc vult Deus, id velimus & nos, & eodem fine, vt ſi ad hunc finem vult hoc Deus, ad eundem velimus & nos.

q.1. a.1. Herueus reſp. quod conformitas poteſt eſſe inter aliqua duo dupliciter; vno modo ſecundum eſſentiam in aliquo vno prædicabili, ſicut Sortes, & Plato dicuntur eſſe conformes in eo, quod vterque eſt homo; alio modo ſecundum quod regulabile poteſt conformari ſuæ regulæ, a qua regulatur, ſecundum quod obediens dicitur conformari præcipienti; primo modo nulla poteſt eſſe conformitas inter voluntatem noſtram, & voluntatem diuinam, niſi ſecundum quandam analogiam; ſecundo modo vero poteſt eſſe quadrupliciter, ſcilicet ſecundum quatuor genera cauſarum efficientis, finalis, materialis, & formalis; vt cum velimus quod Deus vult nos velle, & eo fine quem intendit, & illud bonum quod ipſe vult, & ex charitate. Item Ioannes Maior, & Maleſoſſius.

q.14. a.2. Petrus Aliac. reſp. quod tunc voluntas creata eſt conformis voluntati diuinæ beneplaciti in volendo, vel non volendo, quando nullam volitionem habet, quam Deus velit voluntate beneplaciti, quod teneatur non habere; nec aliqua voluntate caret, quam Deus velit voluntate beneplaciti, quod teneatur carere.

d.48. q.vn. a.1. Io. Baſſ. reſp. quod voluntas noſtra poteſt conformari diuinæ voluntati tanquam ſuæ regulæ, & ſuæ menſuræ in volendo conformitate quadam, quæ eſt relatio de tertio modo, vel aliquo modo ſic ſe habens ſicut illa; & voluntatem noſtram ſic conformari diuinæ voluntati eſt voluntatem noſtram eſſe rectam in agendo, vel operando, vel etiam in ceſſando ab actione, vel operatione.

Guil. Varrill. reſp. quod quælibet voluntas creata in eſſe quiditatiuo voluntatis, ſeu ratione formali conformatur cum diuina, quicquid enim competit diuinæ voluntati inquantum voluntas, competit etiam creatæ, vt agere non per modum naturæ, & præſuppoſito intellectu, & huiuſmodi; conformatur etiam in imitatione, quia creata voluntas, ex quo a diuina producta eſt, diuinam imitatur velut effectus cauſam, & ſimiliter in proportionabilitate, quod apparet, vtriuſque conſiderata libertate, & exceſſu in diuina voluntate ſuper creatam; at in ratione volendi non conformatur, niſi voluntas iuſta, dum vult, quod Deus vult debitis circunſtantijs ad actum volendi requiſitis. a.2.

Reſolutio.

Reſpondeo, quod voluntas noſtra cum ſit voluntas creata, & efficaciæ finitæ, non eſt poſſibile, quod conformetur voluntati diuinæ, quæ increata eſt, & efficaciæ infinitæ in natura, & cauſalitate, ſiue virtute, quia tamen poteſt inclinari in illud idem, in quod inclinatur diuina voluntas, & eodem modo, & reſpectu eiuſdem, idcirco etiam poſſibile eſt, quod in his conformetur ſcilicet in volito, in modo volendi, & in fine.

Sed ſi voluntas Dei, & voluntas noſtra in infinitum diſtant? Obiectio.

Reſpondetur, quod quando aliqua in infinitum diſtant, vnum alteri conformari non poteſt entitatiuè, bene autem obiectiuè ita vt vtrumque poſſit tendere in idem obiectum, & eadem ratione, & fine; Ita Thomas ab Argentina.

QVAESITVM II.

An teneamur conformare voluntatem noſtram voluntati Dei?

Alex. reſp. quod in præceptis negatiuis ſemper tenemur conformare voluntatem noſtram voluntati Dei, & ad ſemper, quia huiuſmodi præcepta obligant ſemper, & ad ſemper; ſed non in præceptis affirmatiuis, quia hæc obligant ſemper, ſed non ad ſemper. q.41. m.3.

Digitized by Google

d.48. q.1. a.3. D. Thomas reſp. quod defectus voluntatis ab eo, ad quod ordinata eſt, non ſolum habet rationem peccati, ſed etiam culpæ; cum itaque conformitas eius attendatur, ſecundum quod tendit per actum ſuum in id, ad quod ordinata eſt, ſi non habet talem conformitatem peccatum incurrimus, & culpam, & quoniam ad illud propriè aliquis dicitur teneri, quod ſi non facit peccatum incurrit, ideo ſicut cum non conformamus voluntatem noſtram voluntati diuinæ incurrimus peccatum, propterea ipſam tenemur ei conformare.

q.1. a.3. Herueus reſp. quod quandocunque aliquis non conformat voluntatem ſuam voluntati diuinæ,cum voluntas diuina ſit regula voluntatis noſtræ, peccat, & quoniam quiſque tenetur ad vitandum peccatum, ideo quiſque tenetur conformare voluntatem ſuam voluntati diuinæ.

q.1. a.3. Thomas ab Arg. reſp. quod omnes nos tenemur obedire Deo, velle ſaluari, & eſſe ſancti, & quoniam hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio noſtra, ideo tenemur conformare voluntatem noſtram voluntati eius, vt cuidam rectæ regulæ, per quam, & ipſa recta eſſe poſſit, & non deficiat.

lib.2. q.1. Robertus Olchot reſp. quod voluntas noſtra ſemper tenetur ſe conformare voluntati Dei beneplaciti, quando ſibi conſtat de ea, niſi tamen habeatur præceptum in contrarium, nam ſemper tenetur ſe conformare habitualiter, vel actualiter voluntati præcepti, alioquin non caueret peccatum; voluntati autem Dei beneplaciti ſecundum quid, & conditionatæ non tenetur ſemper ſe conformare.

d.48. q.vn. Michael de Bon. reſp. quod quilibet tenetur reddere Deo ſibi honorem debitum, igitur, & velle, quod vult eum velle, nam ſicut dicit D. Anſelmus, Totus honor quem debemus Deo, eſt, vt volũtas noſtra ſit ſubiecta diuinæ voluntati.

q.14. a.2. Petrus Aliac. reſp. quod voluntas noſtra ſic tenetur ſe diuinæ voluntati beneplaciti vniuerſaliter conformare, vt velit, vel nolit, quicquid Deus tali voluntate vult eam teneri velle; ſicut enim impoſſibile eſt voluntatem noſtram teneri ad aliquam diſpoſitionem habendam, & non ſic obligari per diuinum beneplacitum, ſic impoſſibile eſt diuinum beneplacitum velle ipſam teneri ad illam diſpoſitionem habendam, & ipſam non teneri ad habendum illam.

d.48. q.vn. a.1. Ioannes de Baſſ. reſp. quod omnis ſubiectus legi tenetur conformiter agere legi, & conſequenter conformare voluntatem ſuam voluntati legiſlatoris, alioquin non eſſet ſubiectus legi; & quoniam omnis creatura rationalis, vel intellectualis eſt ſubiecta legi diuinæ, quam Deus impreſſit ei, vel legi, quam in ſcripturis expreſſit, vel in aliquo ſibi incluſo, ideo tenetur ſe conformare illi legi, & conſequenter voluntati eius, qui legem conſtituit.

Reſolutio.

RESpondeo, quod diuina voluntas adeo conſtans eſt in bono, quod a rectitudine nullo modo deflectere poteſt, & ideo voluntas noſtra, quæ multis erroribus implicabilis eſt tenetur ſe conformare ei, & regulare volitiones ſuas ſecundum leges eius, tam in volito, quam in modo, & fine volendi.

Obiectio. Sed ſi ſuppoſito quod Deus velit nobis gratiam ſubtrahere, ſi delinquamus?

Reſpondetur, quod ſubtractio gratiæ non eſt a Deo abſolutè volita, ſed cum hac conditione, ſi deliquerimus; quando autem Deus vult aliquid conditionaliter, quicunque vult oppoſitum illius conditionis oppoſitæ, ille poteſt velle oppoſitum talis voliti, quod Deus conditionaliter voluit manẽte conformitate voluntatis illius ad diuinam voluntatem. Ita Ioannes Maior.

QVAESITVM III.

An conformitas voluntatis noſtræ ad diuinam faciat eam eſſe rectam, & iuſtam?

c.12. q.8. 4.p. GVilelmus Antiſiod. reſp. quod voluntas noſtra non eſt bona ex eo ſolo, quod eſt conformis voluntati diuinæ in volito, ſed oportet quod ſit conformis in fine volendi, & in alijs circunſtantijs bonis.

d.48. a.2. D. Thomas reſp. quod voluntas diuina eſt regula voluntatis humanæ, & ſicut nullum regulatum ſit rectum niſi per conformitatem ad regulam, ideo ad hoc vt voluntas noſtra ſit recta, oportet vt conformetur diuinæ voluntati.

a.1. q.2. D. Bonau. reſp. quod conformitas voluntatis noſtræ ad diuinam attenditur ſecundum proportionem, dupliciter autem poteſt proportionari ad eam, vel quo ad actum vt ſicut Deus vult ex charitate, liberaliter, & recto fine; ita & nos, vel quo ad volitum, vt quod vult Deus velimus, & nos; ad

ad hoc ergo quod voluntas noſtra ſit iuſta, non ſufficit ſola conformitas ad volitum, ſed etiam ad actum.

Thomas ab Argentina reſp. per tres concluſiones; prima eſt, quod ad rectitudinem voluntatis noſtræ requiritur neceſſariò, vt velimus omne illud, quod euidenter nobis conſtat Deum velle ſimpliciter, & abſolutè quod enim vult Deus eſt iuſtum, & quilibet amicus debet velle, quod iuſtè vult amicus, contrarietas enim voluntatum, vt dicit Ariſt. 9. Ech. c. 7. diſſoluit amicitiam. Secunda concluſio eſt, quod cõformatio humanæ voluntatis ad diuinam tantummodo in volito cum præciſione conformationis, quæ attenditur in modo volendi non ſufficit pro rectitudine illius, quia conformatio tantum in volito conuenit quandoque peſſimis hominibus; Tertia concluſio eſt, quod ad rectitudinem voluntatis philoſophicè loquendo ſufficit, quod voluntas velit bonum in ordine ad bonum finem, ſed theologicè loquendo requiritur, quod habitu charitatis informata velit ea, quæ ſecundum legem euangelicam ſunt volibilia cum intentione boni finis.

q. vn. a. 1. Ioannes de Baſſol. reſp. quod tunc voluntas noſtra eſt recta in operando, quando conformatur rectæ rationi naturali, quæ nobis imprimitur a Deo, vel ſupernaturali, quæ in ſcriptura, & fide proponitur.

q. 2. Andreas de Nouo caſtro reſp. quod ad iuſtè velle, ſeu ad rectitudinem volendi requiritur, & ſufficit voluntatem velle id, quod Deus vult eam velle, & ſicut eam velle Deus vult, loquendo de diuino velle, vt eſt præceptiuum, vel perſuaſiuum, & ſpecialiter approbatiuum, & intelligitur, vt ly ſicut determinat ly velle, non ly vult, & vt ly ſicut notat modum volitionis, & volendi in voluntate creata, non modum volitionis diuinæ, Deus enim immutabiliter vult, quicquid vult.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut conformitas menſurati ad menſuram rectam, & iuſtam facit ipſum menſuratum eſſe rectum, & iuſtum; ita cum voluntas diuina ſit menſura, & regula a rectitudine, & iuſtitia omnino indeclinabilis, voluntatis noſtræ, ſequitur quod tunc voluntas noſtra recta eſt, & iuſta, quando conformis eſt voluntati diuinæ, econtra verò iniuſta, & improba, quando ab ipſa aliquo modo declinat.

Obie. Sed ſi voluntas Dei eſt beata, & tamen voluntas noſtra per hoc, quod eſt illi conformis, non ſit beata?

Reſpondetur, quod beatitudo dicit iuſtam conſumationem, vnde plus requiritur ad hoc quod voluntas ſiat beata, quam iuſta, & ideo non ſequitur, quod ſi conformatio non faciat eam beatam, nec etiam faciat eam rectam, & iuſtam. Ita D. Bonau.

QVÆSITVM IV.

An teneamur conformare voluntatem noſtram voluntati Dei in omni volito?

GVilelmus Altiſiod. reſp. quod duplex eſt voluntas in nobis rationis, & ſenſualitatis, voluntate rationis tenemur velle, quicquid ſcimus Deum velle, non voluntate ſenſualitatis, quia nec Chriſtus hac voluntate voluit quicquid Pater voluit. c. 12. q. 4. p q. 1.

Alex. reſp. quod illud, quod Deus vult aut eſt ſcitum a nobis, aut ignoratum, ſi ignoratum non tenemur ad volendum illud, quia ignorantia excuſat, ſi cognitum tenemur ipſum velle voluntate rationis, non ſenſualitatis. d. 41. m. 4. et 5.

D. Thomas reſp. quod Deus dicitur aliquid velle voluntate antecedente, & de hoc non eſt dubium, quin voluntatem noſtram in tali volito diuino conformare debeamus, quia hoc eſt, in quod voluntas noſtra ordinata eſt; dicitur etiam aliquid velle voluntate conſequente, & hoc volitum quamuis non ſit ſemper nobis notum, niſi quatenus per operationem eius, vel reuelationem manifeſtatur, debemus tamen conformare voluntatem noſtram in eo; per deliberationem factam, & apprehenſionem rationis alicuius bonitatis, quam addit hoc, quod eſt eſſe volitum, eo enim ipſo quod aliquid apprehenditur vt volitum a Deo, apprehenditur, vt bonum. d. 48. q. 1. ar. 4.

D. Bonau. reſp. quod non tenemur conformare voluntatem noſtram voluntati Dei in omni volito, ſed in eo tantum, quod nobis innoteſcit ſe velle voluntate abſoluta, & quantum in ſe eſt, ſicut eſt omne bonum, quod facit, alioquin eſſemus praui, & iniqui; quoniam autem aliquid aliquando vult etiam voluntate abſoluta, ſed tamen vult oppoſitum quantum in ſe eſt, ſicut eſt omne malum pœnæ, quod infligit, hoc etiam & nos tenemur velle voluntate abſoluta, & deliberatiua, poſſumus tamen voluntate pietatis velle oppoſitum eius. a. 2. q. 2.

Her-

q.11. Herueus reſp. quod licet non teneamur
a.3. velle quicquid Deus vult, voluntate, quæ eſt appetitus ſenſitiuus, vel voluntate etiam, quæ eſt appetitus intellectualis naturalis, tenemur tamen velle voluntate, quæ eſt appetitus intellectualis deliberatiuus in ordine ſcilicet ad finem, propter quem vult illud Deus.

q.1. Thomas ab Arg. reſp. quod de voluntate
a.4. quandoque loquimur largè, & ſic appetitus ſenſitiuus dicitur voluntas, quandoque propriè, & ſic voluntas eſt potentia partis intellectiuæ, & hæc poteſt conſiderari dupliciter, vno modo quantum ad motus primos venientes ex naturali inſtinctu ſine deliberatione præuia, & vt ſic, dicitur voluntas naturalis, alio modo prout motus, vel actus eius ſequitur deliberationem, & vt ſic, dicitur voluntas deliberatiua, primis duobus modis planum eſt, quod in his, quæ contriſtant, vel nociua ſunt ſenſui, & naturæ, non poſſumus voluntatem noſtram conformare voluntati diuinæ, vt ſi Deus vellet me mori, at tertio modo tenemur conformare voluntatem noſtram voluntati diuinæ in omni eo quod nobis euidenter conſtat, Deum velle ſimpliciter, & abſolutè.

q.14. Petrus Aliac. reſp. quod voluntas noſtra
a.2. non ſic tenetur voluntati diuinæ beneplaciti ſe conformare, vt velit quicquid Deus vult tali voluntate diſtinctè, & in particulari, cum non omne volitum a Deo ſit ſibi illo modo notum, ſed in generali, quod non eſt aliud dicere, niſi quod tenetur velle iſtam vniuerſalem, quod quicquid Deus vult eſſe vel fieri, ſit, vel fiat nec quicquid ipſe vult eam velle, quia ſi quis vult implere opera conſiliorum Deus vult eum ſic velle, & tamen non tenetur hoc velle, nec ſimiliter tenetur velle, quicquid ſcit & cognoſcit tali voluntate beneplaciti Deum velle, quia dato quod Deus reuelet Sorti, quod velit eum teneri ad non faciendum actum, quem tamen vult Deus vt faciat, non tenetur velle quod vult, alioquin teneretur ad oppoſita ad velle A, quia vult Deus ipſum teneri ad velle A, & ad non velle A, quia ſcit, Deum velle ipſum non velle A, quod eſt impoſſibile. Item Paulus Scriptor.

d.48. Laur. Opimus reſp. quod non tenemur
q.1. conformare voluntatem noſtram voluntati Dei in quolibet volito legi æternæ, ſed ſolum in eo, quod vult nos velle, & ideo tenemur conformare eam in præceptis, & prohibitionibus, non conſilijs, & permiſſionibus, nullus enim tenetur velle peccata eſſe, etiam ſi Deus permittat peccata eſſe.

Ioannes de Baſſ. reſp. quod in bonis præ- q.vn.
ceptorum a Deo volitis tenemur conforma- a.2.
re voluntatem noſtram neceſſariò, quia ſumus ſubiecti ei, in conſilijs non tenemur de neceſſitate, ſed de bono, & æquo, quantum ad indifferentia non tenemur, quantum ad mala prohibita tenemur de neceſſitate in non volendo ea ſemper, & pro ſemper, quantum ad mala venialia non tenemur ex neceſſitate præcepti; ſic ergo tenemur conformare voluntatem noſtram voluntati Dei in volito, loquendo de voluntate antecedente, cuius ſunt tria ſigna præceptum prohibitio, conſilium, & etiam de voluntate cōſequente, cuius ſūt duo ſigna permiſſio, & operatio, debet enim placere nobis nō velle malum culpæ pro loco, & tempore, & nolle pro loco, & tempore, & ſimiliter malum pœnæ, & naturæ, & aliud quodcunque bonum, reſpectu cuius eſt operatio.

Andreas de Nouo caſtro reſp. quod aliquā- q.3.
do contingit voluntatem noſtram ſine iniuſtitia velle oppoſitum eius, quod Deus abſolutè, & formaliter vult, ſic enim Abraham volebat mortem filij, quam Deus nolebat, & diſcipuli nolebant Chriſtum pati, quem Deus volebat; aliquando etiam contingit vt non niſi iniuſtè velit, quod Deus ſimpliciter vult, vult enim Deus ſimpliciter Sortem vendicare de Platone, quod ſi velit Sortes, non niſi iniuſtè vult, quia peccat; nunquam tamen licet noſtræ voluntati ſcienter velle abſolutè oppoſitum eius, quod Deus vult abſolutè per ſe, & directè voluntate præceptū tanquam iuſtum, & meritorium, quia hoc eſt velle inobedientiæ illicitum, & iniuſtum, & hoc modo tenemur conformare voluntatem noſtram voluntati Dei in volito.

Ioannes Maior reſp. quod non ſemper te- d.47.
nemur conformare voluntatem noſtram voluntati Dei in volito; quia ſæpe ignoramus ipſam, tenemur tamen eam conformare ei in particulari agnitæ, nedum quia ſi non conformaremus eam ei videremur quodammodo velle impediri illam, ſed etiam quia tenemur diligere Deum pluſquam nos ipſos, non autem diligeremus, ſi non faceremus quod ipſe præcipit, & vult.

Reſolutio.

RESpondeo, quod cum diuina voluntas ſit recta, ac proinde nihil ſit volitum a Deo niſi bonum, ſi indubitanter ſcimus hoc, & illud eſſe volitum a Deo, tenemur illud idem vel tanquam bonum quod eſt obie-

obiectum voluntatis, & ſic voluntatem noſtram conformare voluntati Dei in omni volito.

Obiectio. Sed ſi aliquid ſcimus eſſe melius diuino volito? vt hominem impeccabilem homine peccabili?

Reſpondetur, quod homo impeccabilis eſt quidem melior homine peccabili per comparationem ad naturam, non per comparationem ad diuinam voluntatem, fuit enim melius, quod Deus fecerit hominem peccabilem, quam impeccabilem; & ideo in hoc volito debemus conformare voluntatem noſtram voluntati Dei tanquam in meliori volito.

QVAESITVM V.

An teneamur conformare voluntatem noſtram voluntati Dei in forma, & modo volendi, vt ſcilicet ex charitate velimus, quod volumus?

d.48. a.2. q.1. D. Bonauentura reſp. quod ſicut tenemur Deum diligere ex charitate, ita tenemur conformare voluntatem noſtram voluntati Dei in ratione volendi, ita quod ſicut ille vult ex charitate, quod vult, ita & nos quod volumus, ex charitate velimus, & hæc obligatio non intelligitur per modum præcepti negatiui, quæ obligat ſemper, & ad ſemper, ſed affirmatiui, quæ obligat ſemper, non ad ſemper, ſed pro tempore, & loco, & non ad omnem actum voluntatis, nec ad omne præceptum, ſed tunc ſolum, quando tenemur exire in actum voluntatis.

d.9. a.8. Herueus reſp. quod licet ad vitandum nouum peccatum non teneamur velle ex charitate quicquid Deus vult, ad merendum tamen vitam æternam teneamur, quia talis dilectio ex charitate eſt neceſſaria ad merendum vitam æternam.

q. vn. a.3. Ioannes de Baſſolis reſp. quod diligere ex charitate eſt neceſſarium, & quantum ad intentionem præcipientis, & quantum ad obligationem præcepti, ſed quoniam eſt præceptum affirmatiuum, licet ſemper ad charitatem teneamur, non tamen pro ſemper, ſed pro loco, & tempore.

Reſolutio.

RESpondeo, quod ſicut in Republica conformitas voluntatum ciuium voluntati iuſti principis eſt actio moraliter bona, ita & in vniuerſo, conformatio voluntatis humanæ voluntati primi agentis eſt naturaliter bona, & ideo ad ipſam etiam ſecluſa charitate omnes naturaliter tenemur; ſed tamen vt in huiuſmodi conformatione mereamur, neceſſaria eſt charitas, quia charitas eſt principium omnis meriti, atque ita tenemur conformare voluntatem noſtram voluntati Dei in modo volendi, ſcilicet ex charitate.

Sed ſi non eſt in poteſtate noſtra habere charitatem, quando volumus? Obiectio.

Reſpondetur quod non eſt in poteſtate noſtra proxima habere charitatem quando volumus, ſed bene diſpoſitiua, poteſt enim quilibet facere quod ipſo facto habeat charitatem, & ideo ſi non facit imputatur ei. Ita D. Bonau. & Ioannes de Baſſolis.

Atque ita hoc opus inceptum Senis Anno Domini 1615. diuino fauore abſolutum Romæ hoc anno 1633.

SIT NOMEN DOMINI BENEDICTVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

TABVLA.

Quæſitorum ſuper primum Sententiarum Pauli Ciera Veneti Ordinis Sancti Auguſtini.

Prooemialium.

1 AN Deus ſit cognoſcibilis à nobis? pag. 1
2 An Deus ſit cognoſcibilis a nobis quantum cognoſcibilis eſt? 1
3 An Deus ſit cognoſcibilis a nobis immediatè, & in ſeipſo, an verò mediante aliqua ſpecie? 2
4 An Deus ſit cognoſcibilis a nobis, quantum ad quod quid eſt? 3
5 An Deus ſit cognoſcibilis a nobis per fidem? 4
6 An Deus ſit cognoſcibilis a nobis per diſcurſum naturalem & rationem? 4
7 An Theologia ſit ſcientia? 5
8 An Theologia ſit ſapientia? 8
9 An Theologia ſit ſcientia vniuerſalis? 9
10 An Theologia ſit de omnibus, vt de materia eius? 9
11 An Theologia ſit ſcientia vna? 10
12 An Theologia ſit ſcientia diſtincta a quacunque alia? 12
13 An Theologia ſit omnibus alijs ſcientijs dignior? 13
14 An Theologia ſit omnibus alijs ſcientijs certior? 14
15 An Theologiæ ſubiectum ſit Deus? 14
16 An denominatio ſcientiæ practicæ, & diſtinctio eiuſdem a ſpeculatiua, & econuerſò ſumatur ab obiecto, an verò a fine? 17
17 An Theologia ſit ſcientia practica, an verò ſpeculatiua? 18
18 An Theologia ſit ſcientia ſubalternans ſibi aliam ſcientiam? 20
19 An Theologia ſit ſcientia ſubalternata alteri ſcientiæ? 21
20 An principia Theologiæ, ſint articuli fidei. 23
21 An poſſit eſſe aliqua probabilitas de articulis fidei? 24
22 An poſſit eſſe ſcientia de articulis fidei? 24
23 An modus procedendi in Theologia ſit multiplex? 25
24 An modus procedendi in Theologia ſit ſcientialis? 26
25 An aliquis poſſit habere ſcientiam Theologiæ non illuſtratus lumine fidei? 26
26 An ad hoc quod aliquis habeat ſcientiam Theologiæ præter lumen fidei ſit neceſſarium aliud lumen ſupernaturale? 27
27 An Theologia ſit ſcientia nobis neceſſaria? 28
28 An habitus Theologiæ ſit realiter diſtinctus ab habitu fidei? 29

Diſtinctionis I.

1 AN fruitio ſit dilectio, an verò delectatio? 30
2 An fruitio ſit idem, quod beatitudo? 32
3 An fruitio ſit actus intellectus, an verò voluntatis? 32
4 An ſolo Deo ſit fruendum? 34
5 An aliqua creatura poſſit clarè videre Deum, & non frui eo? 37
6 An aliqua creatura poſſit clarè videre Deum, & ipſum odio habere, reſpuere, ac triſtari eo? 38
7 An aliqua creatura poſſit frui Deo abſque quod clarè videat eum? 39
8 An fruamur Deo, Patre ſcilicet, Filio, & Spiritu ſancto fruitione vna? 40
9 An ſit poſſibile frui eſſentia non fruendo perſonis? 41
10 An ſit poſſibile frui perſonis non fruendo eſſentia? 43
11 An ſit poſſibile frui vna perſona non fruendo altera? 43
12 An Deo conueniat frui? 44
13 An ſola creatura intellectualis fruatur Deo? 45
14 An homini exiſtenti in puris naturalibus conueniat frui? 46
15 An homini tantum in patria conueniat frui? 47
16 An ſit aliquis actus medius inter frui, & vti? 47
17 An frui, & vti ſint actus realiter diſtincti? 48
18 An vſus ſit actus alicuius determinatæ potentiæ? 49
19 An Deo, Angelis, & hominibus exiſtentibus in patria conueniat vſus? 50
20 An rationali naturæ tantum conueniat vti? 51
21 An Deo ſit vtendum? 51
22 An omnium citra Deum poſſit eſſe vſus? 52

Dddd Di-

Diſtinctionis II.

1 AN Deum eſſe ſit per ſe notum? 53
2 An Deum eſſe demonſtrari poſſit? 56
3 An Deus poſſit cogitari non eſſe? 58
4 An Deus ſecundum eſſentiam ſit tantum vnus, idque ratione aliqua naturali demonſtrari poſſit? 59
5 An ſtante vnitate Dei ſecundum eſſentiam ſit in eo pluralitas ſecundum perſonas? 62
6 An perſonæ diuinæ ſint infinitæ ſecundum numerum? 64
7 An tantum ſint tres perſonæ diuinæ? 64
8 An naturaliter probari poſſit, quod ſint tres perſonæ diuinæ? 65

Diſtinctionis III.

1 AN ſit aliquid in creaturis, quod quaſi veſtigium ducat nos in cognitionem Trinitatis? 68
2 An veſtigium Trinitatis, quod apparet in creaturis accipiendum ſit penes aliqua diſtincta in eis? 69
3 An ſit veſtigium Trinitatis in omni creatura? 70
4 An veſtigium Trinitatis ſit in omni creatura æqualiter? 71
5 An repreſentatio Trinitatis per veſtigium differat ab ea, quæ eſt per imaginem? 71
6 An ſit aliquid in homine, quod per modum imaginis ducat nos in cognitionem Trinitatis? 73
7 An imago Trinitatis, quæ eſt in homine attendatur principaliter penes eſſentiam animæ eius, an penes ſuas potentias, memoriam ſcilicet, intellectum, & voluntatem, an penes actus? 74
8 An potentiæ animæ, penes quas attenditur imago ſint ſemper in actu? 76
9 An in ſolo homine ſit Trinitatis imago? 76
10 An potentiæ animæ ſint idem cum eſſentia eius? 77
11 An memoria, intellectus, & voluntas diſtinguantur realiter inter ſe? 78
12 An potentiæ animæ oriantur ab anima? 79
13 An vna potentia animæ oriatur ab alia? 80

Diſtinctionis IV.

1 AN in diuinis ſit generatio? 80
2 An diuina generatio ſit in Filio? 83
3 An diuina generatio ſit in Patre? 83
4 An diuina generatio ſit in omnibus perſonis? 84
5 An generatio in Patre ſit idem quod dictio, ſeu verbi productio? 83
6 An generatio in Patre ſit idem quod intellectio? 85
7 An generatio in diuinis ſit vniuoca, an æquiuoca? 85
8 An generatio dicatur vniuocè de generatione, quæ eſt in diuinis, & de generatione, quæ eſt in creaturis? 86
9 An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, Deus generat Deum? 87
10 An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, Deus generat ſe Deum? 88
11 An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, Deus generat eundem Deum? 89
12 An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, Deus generat alium Deum? 89
13 An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, Deus generat Deum, qui eſt Deus Pater? 90
14 An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, Deus non generat? 91

Diſtinctionis V.

1 AN diuina eſſentia generet? 92
2 An diuina eſſentia generetur? 95
3 An Filius generetur de eſſentia, ſeu de ſubſtantia Patris? 96
4 An diuina eſſentia ſit ſubiectum diuinæ generationis? 97
5 An diuina eſſentia ſit terminus formalis diuinæ generationis? 98
6 An eſſentia diuina communicetur Filio per generationem? 101
7 An filius generetur de nihilo. 101

Diſtinctionis VI.

1 AN Pater generet Filium neceſſitate? 102
2 An Pater generet Filium natura? 104
3 An Pater generet Filium arte? 105
4 An Pater generet Filium voluntate? 105
5 An Pater generet Filium intellectu? 107

Diſtinctionis VII.

1 AN ad generandum Filium in diuinis ſit potentia in Patre? 109
2 An potentia ad generandum Filium in diuinis ſit in ſolo Patre? 111
3 An ſit in Filio potentia ad generari? 112
4 An potentia generandi in Patre ſit potentia elicitiua, generare verò actus elicitus? 113
5 An potentia generandi in Patre dicat aliquid abſolutum, an reſpectiuum? 114

An

6 An ſit poſſibilis generatio plurium Filiorum in diuinis? 117
7 An ſit eadem potentia in Deo generandi, & potentia creandi? 120
8 An potentia generandi in diuinis ſit prior potentia creandi? 121

Diſtinctionis VIII.

1 AN Deus ſit immutabilis? 121
2 An ſolus Deus ſit immutabilis? 123
3 An Deus ſit æternus? 125
4 An ſolus Deus ſit æternus? 126
5 An æternitas poſſit dici menſura Dei. 126
6 An conueniat Deo præſens, præteritum, & futurum? 127
7 An ſit in Deo aliqua compoſitio, an verò ſumma ſimplicitas? 127
8 An ſolus Deus ſit, in quo nulla eſt compoſitio ſed ſumma ſimplicitas? 129
9 An Deus in compoſitionem aliorum veniat? 131
10 An ſit accidens in Deo? 132
11 An Deus ſit idem quod ſua eſſentia, ſeu natura? 132
12 An Deus ſit idem quod ſuum eſſe? 133
13 An in Deo idem ſit eſſentia, & eſſe? 133
14 An Deus ſit in genere, ſiue in aliquo prædicamento? 134
15 An aliquid dicatur de Deo, quod ſit in genere? 137
16 An ſit aliquid diuinum, quod nomine attributi ſignificari poſſit? 138
17 An plura ſint diuina attributa? 139
18 An diuina attributa ſint diſtincta realiter à diuina eſſentia, & inter ſe? 140
19 An diuina attributa ſint formaliter diſtincta à diuina eſſentia, & inter ſe? 141
20 An diuina attributa ſint diſtincta aliquo modo ex natura rei ab eſſentia, & inter ſe? 143
21 An aliquid in re reſpondeat diuinis attributis? 144
22 An diuina attributa ſint diſtincta ſecundum rationem tantum ab eſſentia, & inter ſe? 144
23 An diſtinctio attributorum ſecundum rationem in Deo ſit accipienda per comparationem ad intra, an verò per comparationem ad extra? 146
24 An poſſit vnum attributum prædicari de altero? 147

Diſtinctionis IX.

1 AN ſit ordo inter diuinas perſonas? 148
2 An inter diuinas perſonas ſit ordo naturæ? 148
3 An inter diuinas perſonas ſit ordo originis? 149
4 An Pater poſſit dici alius à Filio, Filius alius à Patre, & Spiritus ſanctus alius ab vtroque, an aliud? 150
5 An Pater ſit prior Filio prioritate durationis? 150
6 An Pater ſit prior Filio prioritate originis? 151
7 An Pater ſit prior Filio prioritate naturæ? 152
8 An Pater ſit prior Filio prioritate intelligentiæ, ſeu rationis? 153
9 An Pater ſit prior Filio prioritate dignitatis? 154
10 An Pater ſit prior Filio prioritate cauſalitatis? 154
11 An eſſentialia in diuinis ſint priora notionalibus? 154
12 An paternitas ſit prior generatione actiua? 155
13 An paternitas ſit prior ſpiratione actiua? 156
14 An generatio Filij ſit æterna? 156
15 An generatio Filij poſſit exprimi non tantum per verbum temporis præſentis, ſed etiam præteriti, & futuri? 157
16 An ſemper Pater generet Filium? 158
17 An diuina generatio conuenientius exprimatur per verbum præſentis temporis, quam præteriti, & futuri? 159
18 An Pater, Filius, & Spiritus ſanctus poſſint dici plures æterni? 160

Diſtinctionis X.

1 AN in diuinis ſit aliqua perſona, quæ propriè dicatur Spiritus ſanctus? 161
2 An Spiritus ſanctus, propriè dicatur amor? 162
3 An Spiritus ſanctus dicatur propriè nexus Patris, & Filij? 165

Diſtinctionis XI.

1 AN Spiritus ſanctus procedat à Filio? 166
2 An ſit de intrinſeca ratione Filij producere Spiritum ſanctum? 169
3 An congruè quæri poſſit, ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, diſtingueretur ab eo? 170
4 An Spiritus ſanctus diſtingueretur à Filio, ſi non procederet ab eo? 171
5 An pater, & Filius producant Spiritum ſanctum voluntate, tanquam principio productiuo?

ſtiuo ? 174

6 An Pater, & Filius neceſſariò producant Spiritum ſanctum, an liberè ? 176

7 An Pater neceſſariò coexigat Filium ad producendum Spiritum ſanctum ? 178

8 An Pater, & Filius producant Spiritum ſanctum inquantum vnum, an inquantum plura ? 180

9 An Pater, & Filius poſſint dici duo, ſiue plura principia producentia Spiritum ſanctum ? 182

10 An Pater, & Filius poſſint dici idem principium Spiritus ſancti ? 185

11 An Pater, & Filius ex eo quod ſpirant Spiritum ſanctum poſſint dici duo ſpirantes ? 185

12 An Pater, & Filius poſſint dici duo ſpiratores in eò, quod ſpirant Spiritum ſanctum ? 186

13 An virtus, qua Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum dicat quid, an ad aliquid ? 188

Diſtinctionis XII.

1 AN Pater producat Spiritum ſanctum prius quam eundem producat Filius ? 189

2 An Pater producat Spiritum ſanctum principalius, quam filius ? 190

3 An Pater producat Spiritum ſanctum plenius, ſeu magis, ac perfectius, quam Filius ? 191

4 An Pater, & Filius ſint omninò conformes in producendo Spiritum ſanctum ? 192

5 An Pater producat Spiritum ſanctum mediante filio ? 192

6 An Pater producat Spiritum ſanctum per Filium ? 193

7 An ſit prior generatio Filij proceſsione Spiritus ſancti ? 194

Diſtinctionis XIII.

1 AN detur alia proceſsio in diuinis, præter generationem Filij tant̃ ? 196

2 An detur alia productio in diuinis, præter generationem Filij, & proceſsionem Spiritus ſancti ? 197

3 An diſtinguatur generatio Filij à proceſsione Spiritus ſancti ? 198

4 An diſtinguantur proceſsiones diuinæ prout ſunt in eadem perſona ? 201

5 An Spiritus ſanctus poſſit dici genitus, eiuſque proceſsio generatio ? 202

6 An Spiritus ſanctus poſſit dici ingenitus ? 204

Diſtinctionis XIV.

1 AN conueniat Spiritui ſancto temporaliter procedere ? 205

2 An conueniat ſoli Spiritui ſancto temporaliter procedere ? 207

3 An temporalis proceſsio ponat in numerum cum æterna ? 207

4 An ſit idem Spiritui ſancto temporaliter procedere quod alicui creaturæ dari, & mitti ? 209

5 An cum Spiritus ſanctus alicui creaturæ datur, detur perſonaliter, an tantum ſecundum dona ſua ? 210

6 An cum Spiritus ſanctus perſonaliter datur, detur prius, quam dentur dona eius ? 211

7 An Spiritus ſanctus perſonaliter detur cum quolibet dono ſuo ? 212

8 An Spiritus ſanctus poſſit aliquando perſonaliter dari ſine quolibet dono ſuo ? 214

9 An quælibet perſona diuina poſſit perſonaliter dari ? 215

10 An quælibet diuina perſona poſſit dare quamlibet ? 215

11 An aliqua creatura poſſit dare Spiritum ſanctum ? 216

Diſtinctionis XV.

1 AN ſit aliqua perſona in diuinis, quæ mittat, aliqua verò, quæ mittatur ? 217

2 An quælibet perſona poſſit mittere ? 219

3 An quælibet perſona poſſit mitti ? 220

4 An poſſit aliqua perſona mittere ſeipſam ? 221

5 An vna perſona poſſit mitti ſine alia ? 223

6 An ſit alia miſsio Filij, alia miſsio Spiritus ſancti ? 224

7 An mittantur diuinæ perſonæ in quolibet augmento gratiæ ? 225

8 An miſsio importet eſſentiam, an notionem ? 225

9 An miſsio in diuinis dicenda ſit temporalis, an æterna ? 227

10 An perſona diuina modò mittatur plenius, quã ante incarnationem filij Dei ? 227

11 An perſona diuina mittatur tantum ad homines, an verò etiam ad Angelos ? 228

Diſtinctionis XVI.

1 AN aliqua diuina perſona viſibiliter mittatur ? 228

2 An quælibet diuina perſona viſibiliter mittatur ? 229

An

Digitized by Googl

3 An diuinarum perſonarum viſibilis miſsio ſit vtilis? 230
4 An conuenienter Spiritus ſanctus miſſus fuerit ſub illis ſpeciebus, ſub quibus apparuit, an verò conuenientius fuiſſet, ſi ſub humana ſpecie apparuiſſet, ſicut Filius? 231
5 An fuerint vera res ſpecies illa, in quibus apparuit Spiritus ſanctus? 232
6 An ſpecies illa in quibus miſſus eſt Spiritus ſanctus fuerint formata miniſterio Angelorum? 234
7 An miſsio viſibilis Spiritus ſancti debeat fieri quocunque tempore, & ad quaſcunque perſonas? 235

Diſtinctionis XVII.

1 An poſsit ſuſtentari ſententia Magiſtri, qua dicit, quod Spiritus ſanctus eſt charitas, qua Deum diligimus & proximum? 236
2 An ad diligendum Deum & proximum meritoriè requiratur aliquis habitus ſupernaturaliter infuſus, qui eſt charitas? 237
3 An ſit adeo neceſſarius habitus charitatis ad diligendum Deum, & proximum meritoriè, vt etiam de potentia Dei abſoluta nequeamus ipſum meritoriè diligere ſine eo? 240
4 An charitas augmentum recipere poſſit? 242
5 An augmentum charitatis propriè dicatur augmentum? 243
6 An augmentum charitatis fiat per aliquid quod addatur ei? 244
7 An quolibet actu charitatis augeatur charitas? 246
8 An realiter diſtinguatur charitas aucta a charitate remiſſa? 247
9 An charitas augeatur ſecundum eſſentiam, an ſecundum eſſe? 249
10 An charitas augeri poſsit in infinitum? 250
11 An charitas poſſit minui? 253

Diſtinctionis XVIII.

1 An eſſe donum in diuinis conueniat eſſentia, an perſona tantum? 256
2 An cuilibet diuina perſona conueniat eſſe donum? 257
3 An ſit idem Spiritui ſancto eſſe donum, quod eſſe datum? 259
4 An Spiritui ſancto conueniat eſſe donum, vt ſingularis proprietas conſtitutiua, ſeu diſtinctiua eius perſona? 260
5 An Spiritui ſancto conueniat eſſe donum ab aterno? 261
6 An Spiritus Sanctus dicatur eſſe donum in ordine ad creaturam tantum? 262
7 An Spiritui ſancto ita conueniat eſſe donum, quod in ipſo omnia alia dona dentur? 263
8 An Spiritui ſancto eo conueniat eſſe donum, quo conuenit eſſe Deus? 264
9 An conuenienter dici poſsit Spiritum ſanctum eſſe donum noſtrum? 261
10 An Spiritus ſanctus poſsit dici Spiritus noſter? 265
11 An Spiritus ſanctus dici poſsit Spiritus ſanctus noſter? 266

Diſtinctionis XIX.

1 An ſit aqualitas in diuinis? 263
2 An aqualitas qua eſt in diuinis ſit aqualitas propriè dicta? 290
3 An aqualitas, qua eſt in diuinis attendatur ſecundum hac tria, eſſe, virtutem, & operationem? 270
4 An aqualitas, qua eſt inter diuinas perſonas ſit aqualitas perfecta? 271
5 An aqualitas, qua eſt inter diuinas perſonas ſit aqualitas ſumma? 271
6 An aqualitas, qua eſt inter diuinas perſonas ſit vna numero? 272
7 An aqualitas, qua eſt inter diuinas perſonas ſit aqualitas mutua? 272
8 An qualibet diuina perſona ſit in altera? 273
9 An perſona diuina ſint partes ſubiectiua diuina eſſentia, ipſa verò totum vniuerſale? 277
10 An perſona diuina ſint partes integrantes diuinam eſſentiam, ipſa verò totum integrale? 278
11 An ſecluſa ratione partium ab ipſis diuinis perſonis, habeat diuina eſſentia per aliquid aliud, vndè dicatur tota? 279
12 An veritas ſit aliquid reale, an rationis tantum? 280
13 An veritas ſit aliquo modo in rebus? 281
14 An ſit vna tantum veritas, an plures? 282
15 An veritas ſit immutabilis? 283
16 An veritas ſit in Deo? 283
17 An veritas prima ſit omnium aliarum veritatum cauſa? 283
18 An falſitas ſit in rebus, an verò in intellectu? 284

Diſtinctionis XX.

1 An perſona diuina ſint aquales in potentia? 285
2 An ex hoc quod Filius, & Spiritus ſanctus non poſſunt generare, ſicut Pater, poſsint dici non eſ-

eſſe omnipotentes, ſicut ipſe, ac proinde non eſſe æquales in potentia? 287

Diſtinctionis XXI.

1 AN hæc dictio excluſiua ſolus poſſit ſumi cum terminis eſſentialibus, vel notionalibus in propoſitionibus de diuinis? 289
2 An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera in diuinis, ſolus Pater eſt? 290
3 An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, ſolus Pater in diuinis eſt Deus? 291
4 An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, ſolus Deus eſt Deus? 293
5 An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera in diuinis, ſolus Pater eſt Pater? 293
6 An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, ſolus Deus eſt Pater? 294
7 An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, Pater in diuinis eſt ſolus Deus? 295
8 An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, Trinitas eſt ſolus Deus? 296
9 An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, ſola Trinitas eſt Deus? 296
10 An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, Trinitas eſt Deus ſolus? 297
11 An hæc propoſitio ſit concedenda vt vera, Trinitas eſt ſolum, ſeu tantum Deus? 297
12 An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, Trinitas eſt vnus, ſolus, verus Deus? 298
13 An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera in diuinis, ſolus Pater eſt tantus, quantus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus? 298

Diſtinctionis XXII.

1 AN Deus ſit nominabilis a nobis? 299
2 An Deus ſit nominabilis a nobis pluribus nominibus? 300
3 An Deus ſit nominabilis a nobis per comparationem tantum ad creaturas? 301
4 An omnia nomina, quibus a nobis nominatur Deus ſint ſecundum tranſlationem accipienda? 302
5 An omnia nomina, quibus a nobis nominatur Deus ſint nomina Synonima? 303
6 An omnia nomina, quibus a nobis propriè nominatur Deus ſignificent ſubſtantiam? 304
7 An nomina, quibus a nobis nominatur Deus, cum eiſdem etiam nominentur creatura, dicantur vniuocè, an æquiuocè, ſeu analogicè de eo, & de creaturis? 305
8 An aliqua nomina dicantur de Deo ex tempore? 306
9 An nomina, quæ dicuntur de Deo ex tempore dicantur per accidens? 307
10 An nomina, quæ dicuntur de Deo ex tempore ſignificent ſubſtantiam, an relationem? 307
11 An Deus ſit nominabilis a nobis aliquo nomine propriè, & diſtinctè ſignificante eius naturam. 308
12 An nomen hoc Deus ſit nomen naturæ, an operationis? 310
13 An nomen hoc Deus dici poſſit de creaturis? 310
14 An hoc nomen Deus cum dicitur de Deo, & de creaturis dicatur vniuocè, an æquiuocè, ſeu analogicè de eis? 311
15 An nomen hoc, Qui eſt, ſit nomen proprium Dei? 312

Diſtinctionis XXIII.

1 AN Deo conueniat nomen, & ratio entis? 312
2 An Deo conueniat nomen, & ratio eſſentiæ? 313
3 An Deo conueniat nomen, & ratio ſubſtantiæ? 313
4 An Deo conueniat nomen, & ratio ſubſiſtentiæ? 314
5 An Deo conueniat nomen, & ratio perſonæ? 315
6 An hoc nomen eſſentia pluraliter dici poſſit in diuinis? 316
7 An hoc nomen ſubſtantia pluraliter dici poſſit in diuinis? 316
8 An hoc nomen ſubſiſtentia pluraliter dici poſſit in diuinis? 317
9 An hoc nomen res pluraliter dici poſſit in diuinis? 318
10 An hoc nomen ens pluraliter dici poſſit in diuinis? 318
11 An hoc nomen perſona pluraliter dici poſſit in diuinis? 319
12 An hoc nomen perſona importet aliquid poſitiuum, an verò negatiuum? 320
13 An hoc nomen perſona importet aliquid commune in diuinis? 320
14 An hoc nomen perſona habeat rationem vniuerſalis in diuinis? 322
15 An hoc nomen perſona ſit nomen primæ, an verò ſecundæ intentionis? 322
16 An hoc nomen perſona in diuinis ſignificet ſubſtantiam, an relationem? 324
17 An poſſit abſtrahi a diuinis perſonis conceptus communis prædicabilis in quid de eis? 327

Di-

Distinctionis XXIV.

1 AN in diuinis ſit aliqua diuerſitas? 327
2 An in diuinis ſit aliqua diſtinctio? 328
3 An in diuinis ſit aliqua diuiſio? 328
4 An in diuinis ſit alienitas. 328
5 An in diuinis ſit diſcretio? 329
6 An in diuinis ſit ſingularitas? 329
7 An in diuinis ſit multiplicitas? 329
8 An ſit aliquid in diuinis, quod poſſit dici vnicum? 330
9 An ſit aliquid in diuinis, quod poſſit dici vnum? 330
10 An vnum, quod dicitur de diuinis ſit vnum, quod conuertitur cum ente, an vnum quod eſt principium numeri? 331
11 An vnum cum dicitur in diuinis ſignificet aliquid in eis ſupra id, quod ſignificat ille terminus, cui adiungitur? 332
12 An nomen hoc vnum dicatur eſſentialiter, an notionaliter in diuinis? 333
13 An in diuinis ſit numerus? 334
14 An termini numerales, cum de diuinis dicuntur ſignificent aliquid ſupra id, quod ſignificant illi termini, quibus adiunguntur? 336
15 An termini numerales, cum de diuinis dicuntur, dicantur eſſentialiter, an perſonaliter? 337
16 An iſte terminus numeralis Trinitas conuenienter dicatur de diuinis? 338
17 An de diuinis poſſit dici iſte terminus numeralis triplicitas? 339
18 An iſte terminus numeralis Trinitas ſignificet ſubſtantiam, an relationem, cum dicitur de diuinis? 339
19 An poſſit dici Deus trinus? 340
20 An poſſit dici Trinitas trina? 340

Distinctionis XXV.

1 AN ſit conueniens hæc diffinitio perſonæ; rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia? 341
2 An hoc nomen perſona dicatur vniuocè, an æquiuocè, an verò analogicè de perſona diuina, & humana? 342

Distinctionis XXVI.

1 AN ſint aliquæ relationes reales in diuinis? 344
2 An relationes reales in diuinis ſint tantum quatuor paternitas ſcilicet, filiatio, ſpiratio, proceſſio? 345
3 An ſint aliquæ proprietates in diuinis perſonis? 347
4 An proprietates in diuinis perſonis ſint tantum tres, ſcilicet, paternitas, filiatio proceſſio? 348
5 An ſint aliquæ notiones in diuinis, per quas ipſæ perſonæ diuinæ ſpecialiter notificentur? 348
6 An notiones, per quas perſonæ diuinæ ſpecialiter notificantur ſint tantum quinque, ſcilicet innaſcibilitas, paternitas, filiatio, communis ſpiratio, & proceſſio? 349
7 An relatio, proprietas, & notio idem ſint in diuinis? 350
8 An qualibet relatio diſtinguatur a qualibet relatione, proprietas a proprietate, & notio a notione realiter? 351
9 An perſonæ diuinæ per aliquid conſtituantur in ſuo eſſe perſonali? 352
10 An illud, per quod diuinæ perſonæ conſtituuntur in eſſe perſonali reſpectiuum ſit, an abſolutum? 353
11 An perſonæ diuinæ per aliquid ab inuicem diſtinguantur? 356
12 An relationes, & proprietates per intellectum abſtrahi poſſint a diuinis perſonis? 358
13 An abſtractis per intellectum relationibus a diuinis poſſint intelligi perſonæ diſtinctæ? 359
14 An ſit ponere vnum ſuppoſitum abſolutum in diuinis? 360
15 An liceat de relationibus, proprietatibus, & notionibus contraria opinari? 361

Distinctionis XXVII.

1 AN verbum ſit aliquid in nobis? 362
2 An verbum propriè ſit in diuinis? 363
3 An verbum eſſentialiter dicatur, an verò perſonaliter, ſeu notionaliter in diuinis? 364
4 An dicere ſumatur eſſentialiter, an verò notionaliter in diuinis? 366
5 An ſoli Filio in diuinis conueniat eſſe verbum? 367
6 An nomine verbi in diuinis importetur reſpectus ad creaturam? 368
7 An ſit aliquid in diuinis, cui conueniat nomen & ratio imaginis? 369
8 An hoc nomen imaginis cum dicitur de diuinis ſumatur eſſentialiter, an verò perſonaliter? 370
9 An ſoli Filio conueniat eſſe imago ſecundum quod perſonaliter ſumitur in diuinis? 371

Distinctionis XXVIII.

1 AN innaſcibilitas, ſeu eſſe ingenitum ſit proprietas, ſeu notio Patris? 372

An

2 An innaſcibilitas, ſiue eſſe ingenitum ſit conſtitutiuum Perſonæ patris? 374
3 An ſit prior innaſcibilitas paternitate? 376
4 An eſſe ingenitum, ſeu innaſcibilitas dicat aliquid poſitiuum, an verò priuationem tantum. 376
5 An innaſcibilitas, ſeu eſſe ingenitum dicatur ſecundum ſubſtantiam, an verò ſecundum relationem? 378

Diſtinctionis XXIX.

1 AN aliqua perſona diuina dici poſsit principium alterius? 378
2 An dicatur hoc nomen principium in diuinis per prius ſecundum reſpectum vnius perſonæ ad alteram, quam per reſpectum ad creaturas? 379
3 An hoc nomen principium cum dicitur de Deo reſpectu creaturarum, & de vna perſona reſpectu alterius dicatur vniuocè, an æquiuocè, an verò analogicè? 380
4 An aliqua perſona diuina dici poſsit cauſa alterius? 382
5 An Pater dici poſsit auctor Filij, Filiuſque auctor Spiritus ſancti? 383

Diſtinctionis XXX.

1 AN creaturæ habeant aliquam relationem realem ad Deum? 384
2 An Deus habeat aliquam relationem realem ad creaturas? 384
3 An relatio, quam Deus habeat ad creaturam, ſit relatio noua, ſeu de nouo adueniens ei? 387

Diſtinctionis XXXI.

1 AN æqualitas, ſimilitudo, identitas, cum de diuinis dicuntur important aliquid poſitiuum, an priuationem tantum, ſeu negationem in eis? 390
2 An æqualitas, ſimilitudo, identitas, cum de diuinis dicuntur, dicantur ſecundum ſubſtantiam, an ſecundum relationem? 391
3 An æqualitas, ſimilitudo, identitas, in diuinis ſint relationes reales? 392
4 An æqualitas, ſimilitudo, identitas ab inuicem diſtinguantur realiter in diuinis? 395
5 An ſint plures æqualitates, plures ſimilitudines, plures identitates in diuinis? 396
6 An conuenienter approprientur aliqua attributa eſſentialia diuinis perſonis? 397
7 An conuenienter approprietur potentia Patri, ſapientia Filio, bonitas Spiritui ſancto? 398
8 An conuenienter approprietur æternitas Patri, ſpecies Filio, vſus Spiritui ſancto? 399
9 An conuenienter approprietur vnitas Patri, æqualitas Filio, nexus, ſiue concordia Spiritui ſancto? 399
10 An conuenienter dicantur omnia in diuinis eſſe vnum propter Patrem, æqualia propter Filium, connexa propter Spiritum ſanctum? 400
11 An hæc ſit conueniens appropriatio Patri ex ipſo, Filio per ipſum, Spiritui ſancto in ipſo? 402

Diſtinctionis XXXII.

1 AN Pater, & Filius diligant ſe inuicem Spiritu ſancto? 403
2 An Pater ſeipſum diligat Spiritu ſancto? 406
3 An Pater, & Filius diligant Spiritum ſanctum Spiritu ſancto? 407
4 An Spiritus ſanctus diligat ſe ſeipſo? 407
5 An pater, & filius diligant nos, & alias creaturas Spiritu ſancto? 408
6 An Pater ſit ſapiens ſapientia genita? 409
7 An Pater ſit ſapiens ſapientia ingenita? 411
8 An Filius ſit ſapiens ſapientia genita? 411
9 An Filius ſit ſapiens ſapientia ingenita? 413

Diſtinctionis XXXIII.

1 AN relationes, ſiue proprietates perſonales diſtinguantur a diuina eſſentia? 414
2 An relationes, ſiue proprietates perſonales diſtinguantur a diuinis perſonis? 418
3 An relationes diuinæ, ſeu proprietates perſonales ſint in eſſentia, an verò tantum in perſonis? 418
4 An poſſint prædicari adiectiua notionalia de diuinis relationibus? 419
5 An adiectiua eſſentialia de diuinis relationibus prædicari poſſint? 419

Diſtinctionis XXXIV.

1 AN perſona in diuinis diſtinguatur ab eſſentia? 420
2 An tres perſonæ diuinæ conuenienter dicantur vnius eſſentiæ? 423
3 An ſit conueniens aliqua nomina tranſlatiuè accepta de Deo dici? 424
4 An ex rebus vilibus conuenienter tranſlatio fiat? 425

Diſtinctionis XXXV.

1 AN in Deo ſit ſcientia? 425
2 An ſcientia vniuocè ſumatur, an æquiuo-

uocè an verò analogicè cum dicitur eſſe in Deo, & in nobis? 427
3 An ſcientia Dei ſit vniuerſalis, an verò particularis? 429
4 An ſcientia Dei ſit in eo habitus, an actus? 430
5 An ſcientia Dei ſit diſcurſiua? 431
6 An Deus cognoſcat ſeipſum? 432
7 An Deus cognoſcat alia a ſe? 433
8 An Deus cognoſcat alia à ſe ſecundum propria vniuſcuiuſque natura, & diſtinctè? 436
9 An Deus cognoſcat alia a ſe per aliquid aliud à ſe, an verò per ſeipſum, ſiue per eſſentiam ſuam? 438
10 An ſcientia Dei ſpeculatiua ſit, an practica? 439
11 An ſcientia Dei ſit variabilis? 442
12 An ſcientia Dei ſit cauſa rerum? 443
13 An Deus cognoſcat non entia? 444
14 An Deus cognoſcat infinita ſecundum numerum? 445
15 An Deus cognoſcat infinitum ſecundum magnitudinem? 447
16 An Deus cognoſcat ſingularia? 447
17 An Deus cognoſcat mala? 449
18 An Deus cognoſcat enunciabilia? 450
19 An Deus poſſit non ſcire ea, quæ ſcit? 452
20 An Deus poſſit ſcire, quod non ſcit? 453
21 An ſint ponendæ ideæ in Deo? 454
22 An ſint plures ideæ in Deo? 456
23 An ſint infinitæ ideæ in Deo? 458
24 An ideæ in Deo ſint diuina eſſentia, an verò creatura cognita? 459
25 An omnia habeant ideam in Deo? 461
26 An mala habeant ideam in Deo? 463
27 An ideæ pertineant ad ſcientiam practicam an verò ſpeculatiuam? 464

Diſtinctionis XXXVI.

1 An res creatæ ſint in Deo? 465
2 An res creatæ ſint in Deo verius, quam in proprio genere, ſiue in ſeipſis? 466
3 An res creatæ fuerint in Deo ab æterno? 467
4 An mala ſint in Deo? 467
5 An res creatæ in Deo, ſint in eo vita? 468

Diſtinctionis XXXVII.

1 An Deus ſit in loco? 469
2 An Deus ſit vbique? 469
3 An ſoli Deo conueniat eſſe vbique? 470
4 An eſſe vbique conueniat Deo ab æterno? 471
5 An Deus ſit extra omnem locum, & res? 472
6 An Deus ſit in ſeipſo? 473
7 An Deus ſit in omnibus rebus? 474
8 An Deus ſit in omnibus rebus uniformiter? 475
9 An Deus ſit in omnibus rebus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam? 475

Diſtinctionis XXXVIII.

1 An Deus cognoſcat futura contingentia? 476
2 An Deus certò, determinatè, ac infallibiliter cognoſcat futura contingentia? 478

Diſtinctionis XXXIX.

1 An in Deo ſit prouidentia? 480
2 An prouidentia in Deo diſtinguatur ab eius ſcientia, diſpoſitione, ſolicitudine, & gubernatione? 481
3 An prouidentia pertineat ad ſcientiam, an ad voluntatem, an verò ad potentiam? 482
4 An prouidentia diuina ſit æterna. 482
5 An omnia ſubſint diuinæ prouidentiæ? 483
6 An omnia ſubſint æqualiter diuinæ prouidentiæ? 485
7 An Deus immediatè prouideat omnibus? 485
8 An prouidentia diuina diſtinguatur à fato? 486

Diſtinctionis XXXX.

1 An Deus aliquas creaturas ab æterno prædeſtinauerit? 487
2 An prædeſtinatio ſit aliquid diſtinctum à Deo? 487
3 An prædeſtinatio ſit aliquid abſolutum, an reſpectus tantum? 488
4 An prædeſtinatio ſit in Deo tantum, an verò etiam in creaturis? 489
5 An prædeſtinatio ponat aliquid, vel efficiat in prædeſtinato? 489
6 An prædeſtinationis ſit aliqua diffinitio? 491
7 An prædeſtinatio pertineat ad intellectum, an verò ad voluntatem? 492
8 An prædeſtinatio ſit æterna? 493
9 An prædeſtinatio ſit non entium? 494
10 An prædeſtinatio ſit hominum tantum? 495
11 An prædeſtinatio ſit naturæ, an perſonæ, effectuum, an finis? 496
12 An prædeſtinatio ſit omnium hominum? 496
13 An potuerit Deus ab æterno non prædeſtinare, quos prædeſtinauit. 496
14 An poſſit aliquis homo modo prædeſtinari, qui ab æterno non ſit prædeſtinatus, & econuerſò? 497

15 An prædeſtinatorum numerus augeri poſſit, & minui? 498
16 An prædeſtinati poſſint damnari? 499
17 An prædeſtinatio imponat neceſſitatem ad ſalutem? 501
18 An prædeſtinatio iuuari poſſit precibus ſanctorum? 502
19 An prædeſtinatio diſtinguatur à libro vitæ? 503
20 An aliqui poſſint deleri de libro vitæ? 504
21 An prædeſtinatio diſtinguatur à prouidentia? 504
22 An prædeſtinatio diſtinguatur à præſcientia? 506
23 An prædeſtinatio diſtinguatur ab electione? 506
24 An ſit aliquis actus in diuina mente, vel voluntate, qui prædeſtinationem præcedat in ordine ad ſaluandos? 507
25 An Deus ab æterno aliquas creaturas reprobauerit? 508
26 An reprobationis ſit aliqua diffinitio? 509
27 An Deus efficiat aliquid circa reprobatos? 510
28 An reprobatio diſtinguatur à præſcientia? 510
29 An reprobatio diſtinguatur ab obduratione, & excæcatione? 511
30 An obduratio, ſiue excæcatio culpa ſit, an pœna? 511
31 An Deus ſit cauſa obdurationis, & excæcationis noſtræ? 512

Diſtinctionis XXXXI.

1 An ſit aliqua cauſa prædeſtinationis noſtræ? 513
2 An ſit aliqua cauſa reprobationis noſtræ? 516

Diſtinctionis XXXXII.

1 An in Deo ſit potentia reſpectu aliorum à ſe? 518
2 An potentia, quæ eſt in Deo reſpectu aliorum à ſe diſtinguatur à potentia intellectiua, volitiua, & executiua? 520
3 An potentia Dei reſpectu aliorum à ſe ſit vna tantum, & eadem reſpectu omnium. 521
4 An potentia Dei ſe extendat ad omnia ea, quæ ſunt poſſibilia creaturis? 523
5 An potentia Dei ſe extendat ad ea, quæ ſunt impoſſibilia creaturis? 523
6 An potentia Dei ſe extendat ad ea, quæ implicant contradictionem? 524
7 An potentia Dei ſe extendat ad præterita? 525
8 An potentia Dei ſe extendat ad ea, quæ ſunt contra naturam? 526
9 An potentia Dei ſe extendat ad ea, quæ aliquando potuit ipſe Deus? 526
10 An potentia Dei ſe extendat ad quemcunque effectum immediatè, etiam ſine concurſu ſecundarum cauſarum? 527
11 An Deus dicendus ſit omnipotens? 528
12 An poſſit naturaliter demonſtrari Deum eſſe omnipotentem? 528
13 An ſit attendenda poſſibilitas, & impoſſibilitas rerum ſecundum comparationem ad cauſam ſuperiorem, an verò inferiorem? 530
14 An potentia Dei ſit infinita? 531
15 An naturaliter poſſit demonſtrari Deum eſſe infinitæ potentiæ? 533
16 An Deus poſſit per ſuam infinitam potentiam producere actu infinita ſecundum multitudinem? 534
17 An Deus poſſit per ſuam infinitam potentiam producere actu infinitum ſecundum magnitudinem? 536
18 An omnipotentia Dei alicui creaturæ communicari poſſit? 537
19 An ſit vna, & eadem potentia Dei abſoluta, & ordinata? 538
20 An Deus poſſit aliquid de potentia abſoluta, quod non poſſit de potentia ordinata? 539

Diſtinctionis XXXXIII.

1 An Deus ſit agens ex neceſſitate naturæ? 540
2 An Deus ſit agens ex neceſſitate iuſtitiæ? 541

Diſtinctionis XXXXIV.

1 An Deus poſſit facere aliquam creaturam meliorem, quam fecerit? 542
2 An Deus poſſit facere vnam creaturam meliorem altera procedendo in infinitum? 543
3 An Deus poſſit facere vniuerſum melius, quam fecerit? 544
4 An Deus potuerit facere vniuerſum antiquius quam fecerit? 545
5 An Deus poſſit facere aliud vniuerſum ab iſto diſtinctum? 545

Diſtinctionis XXXXV.

1 An in Deo ſit voluntas? 546
2 An in Deo ſit liberum arbitrium? 547
3 An Deus velit ſe tantum, an etiam alia à ſe? 548
4 An Deus velit liberè, an neceſſariò ea, quæ vult? 549
5 An Dei voluntas ſit mutabilis? 550

An

Digitized by Google

6 *An voluntas Dei ſit cauſa rerum?* 550
7 *An voluntas diuina ſit cauſa rerum immediata?* 551
8 *An voluntas diuina ſit cauſa rerum magis immediata, quam ſcientia, & potentia?* 552
9 *An voluntas in Deo habeat aliquam cauſam, & rationem?* 553
10 *An in Deo alia ſit voluntas beneplaciti, & alia voluntas ſigni?* 555
11 *An ſint hæc tantum quinque ſigna voluntatis præceptum, conſilium, prohibitio, operatio, & permiſſio?* 556
12 *An ſit alia voluntas Dei antecedens, & alia conſequens?* 558

Diſtinctionis XXXXVI.

1 *AN ſemper adimpleatur diuina voluntas?* 559
2 *An poſſit aliquid fieri præter diuinam voluntatem?* 561
3 *An poſſit aliquid fieri contra diuinam voluntatem?* 562
4 *An quod fit contra diuinam voluntatem aliquo modo obſequatur ei?* 563
5 *An diuina voluntas imponat neceſſitatem volitis?* 564

Diſtinctionis XXXXVII.

1 *AN Deus velit malum fieri?* 565
2 *An ſit conueniens quod Deus permittat malum fieri?* 567
3 *An Deus præcipiat aliquando mala fieri?* 568
4 *An bonum ſit mala fieri, vel eſſe?* 569

Diſtinctionis XXXXVIII.

1 *AN ſit poſſibile voluntatem noſtram voluntati diuinæ conformari?* 570
2 *An teneamur conformare voluntatem noſtram voluntati Dei?* 571
3 *An conformitas voluntatis noſtræ ad diuinam faciat eam eſſe rectam, & iuſtam?* 572
4 *An teneamur conformare voluntatem noſtram voluntati Dei in omni volito?* 578
5 *An teneamur conformare voluntatem noſtram voluntati Dei in forma, & modo volendi, vt ſcilicet ex charitate velimus, quod volumus?* 575

LAVS DEO.

Digitized by Google

q.11. a.3. Herueus reſp. quod licet non teneamur velle quicquid Deus vult, voluntate, quæ eſt appetitus ſenſitiuus, vel voluntate etiam, quæ eſt appetitus intellectualis naturalis, tenemur tamen velle voluntate, quæ eſt appetitus intellectualis deliberatiuus in ordine ſcilicet ad finem, propter quem vult illud Deus.

q.1. a.4. Thomas ab Arg. reſp. quod de voluntate quandoque loquimur largè, & ſic appetitus ſenſitiuus dicitur voluntas, quandoque propriè, & ſic voluntas eſt potentia partis intellectiuæ, & hæc poteſt conſiderari dupliciter, vno modo quantum ad motus primos venientes ex naturali inſtinctu ſine deliberatione præuia, & vt ſic, dicitur voluntas naturalis, alio modo prout motus, vel actus eius ſequitur deliberationem, & vt ſic, dicitur voluntas deliberatiua, primis duobus modis planum eſt, quod in his, quæ contriſtant, vel nociua ſunt ſenſui, & naturæ, non poſſumus voluntatem noſtram conformare voluntati diuinæ, vt ſi Deus vellet me mori, at tertio modo tenemur conformare voluntatem noſtram voluntati diuinæ in omni eo quod nobis euidenter conſtat, Deum velle ſimpliciter, & abſolutè.

q.14. a.2. Petrus Aliac. reſp. quod voluntas noſtra non ſic tenetur voluntati diuinæ beneplaciti ſe conformare, vt velit quicquid Deus vult tali voluntate diſtinctè, & in particulari, cum non omne volitum a Deo ſit ſibi illo modo notum, ſed in generali, quod non eſt aliud dicere, niſi quod tenetur velle iſtam vniuerſalem, quod quicquid Deus vult eſſe vel fieri, ſit, vel fiat nec quicquid ipſe vult eam velle, quia ſi quis vult implere opera conſiliorum Deus vult eum ſic velle, & tamen non tenetur hoc velle, nec ſimiliter tenetur velle, quicquid ſcit & cognoſcit tali voluntate beneplaciti Deum velle, quia dato quod Deus reuelet Sorti, quod velit eum teneri ad non faciendum actum, quem tamen vult Deus vt faciat, non tenetur velle quod vult, alioquin teneretur ad oppoſita ad velle A, quia vult Deus ipſum teneri ad velle A, & ad non velle A, quia ſcit Deum velle ipſum non velle A, quod eſt impoſſibile. Item Paulus Scriptor.

d.48. q.1. Laur. Opimus reſp. quod non tenemur conformare voluntatem noſtram voluntati Dei in quolibet volito legi æternæ, ſed ſolum in eo, quod vult nos velle, & ideo tenemur conformare eam in præceptis, & prohibitionibus, non conſilijs, & permiſſionibus, nullus enim tenetur velle peccata eſſe, etiam ſi Deus permittat peccata eſſe.

q.vn. a.2. Ioannes de Baſſ. reſp. quod in bonis præceptorum a Deo volitis tenemur conformare voluntatem noſtram neceſſariò, quia ſumus ſubiecti ei, in conſilijs non tenemur de neceſſitate, ſed de bono, & æquo, quantum ad indifferentia non tenemur, quantum ad mala prohibita tenemur de neceſſitate in non volendo ea ſemper, & pro ſemper, quantum ad mala venialia non tenemur ex neceſſitate præcepti; ſic ergo tenemur conformare voluntatem noſtram voluntati Dei in volito, loquendo de voluntate antecedente, cuius ſunt tria ſigna præceptum prohibitio, conſilium, & etiam de voluntate cōſequente, cuius ſūt duo ſigna permiſſio, & operatio, debet enim placere nobis nō velle malum culpæ pro loco, & tempore, & nolle pro loco, & tempore, & ſimiliter malum pœnæ, & naturæ, & aliud quodcunque bonum, reſpectu cuius eſt operatio.

q.3. Andreas de Nouo caſtro reſp. quod aliquā do contingit voluntatem noſtram ſine iniuſtitia velle oppoſitum eius, quod Deus abſolutè, & formaliter vult, ſic enim Abraham volebat mortem filij, quam Deus nolebat, & diſcipuli nolebant Chriſtum pati, quem Deus volebat; aliquando etiam contingit vt non niſi iniuſtè velit, quod Deus ſimpliciter vult, vult enim Deus ſimpliciter Sortem vendicare de Platone, quod ſi velit Sortes, non niſi iniuſtè vult, quia peccat; nunquam tamen licet noſtræ voluntati ſcienter velle abſolutè oppoſitum eius, quod Deus vult abſolutè per ſe, & directè voluntate præceptu tanquam iuſtum, & meritorium, quia hoc eſt velle inobedientiæ illicitum, & iniuſtum, & hoc modo tenemur conformare voluntatem noſtram voluntati Dei in volito.

d.47. Ioannes Maior reſp. quod nō ſemper tenemur conformare voluntatem noſtram voluntati Dei in volito; quia ſæpe ignoramus ipſam, tenemur tamen eam conformare ei in particulari agnitæ, nedum quia ſi non conformaremus eam ei videremur quodammodo velle impediri illam, ſed etiam quia tenemur diligere Deum pluſquam nos ipſos, non autem diligeremus, ſi non faceremus quod ipſe præcipit, & vult.

Reſolutio.

RESpondeo, quod cum diuina voluntas ſit recta, ac proinde nihil ſit volitum a Deo niſi bonum, ſi indubitanter ſcimus hoc, & illud eſſe volitum a Deo, tenemur illud idem vel tanquam bonum quod eſt obie-

obiectum voluntatis, & ſic voluntatem noſtram conformare voluntati Dei in omni volito.

Obiectio. Sed ſi aliquid ſcimus eſſe melius diuino volito? vt hominem impeccabilem homine peccabili?

Reſpondetur, quod homo impeccabilis eſt quidem melior homine peccabili per comparationem ad naturam, non per comparationem ad diuinam voluntatem, fuit enim melius, quod Deus fecerit hominem peccabilem, quam impeccabilem; & ideo in hoc volito debemus conformare voluntatem noſtram voluntati Dei tanquam in meliori volito.

QVAESITVM V.

An teneamur conformare voluntatem noſtram voluntati Dei in forma, & modo volendi, vt ſcilicet ex charitate velimus, quod volumus?

d.48. a.2. q.1. D. Bonauentura reſp. quod ſicut tenemur Deum diligere ex charitate, ita tenemur conformare voluntatem noſtram voluntati Dei in ratione volendi, ita quod ſicut ille vult ex charitate, quod vult, ita & nos quod volumus, ex charitate velimus, & hæc obligatio non intelligitur per modum præcepti negatiui, quæ obligat ſemper, & ad ſemper, ſed affirmatiui, quæ obligat ſemper, non ad ſemper, ſed pro tempore, & loco, & non ad omnem actum voluntatis, nec ad omne præceptum, ſed tunc ſolum, quando tenemur exire in actum voluntatis.

d.9. a.1. Herueus reſp. quod licet ad vitandum nouum peccatum non teneamur velle ex charitate quicquid Deus vult, ad merendum tamen vitam æternam teneamur, quia talis dilectio ex charitate eſt neceſſaria ad merendum vitam æternam.

q vn. a.3. Ioannes de Baſſolis reſp. quod diligere ex charitate eſt neceſſarium, & quantum ad intentionem præcipientis, & quantum ad obligationem præcepti, ſed quoniam eſt præceptum affirmatiuum, licet ſemper ad charitatem teneamur, non tamen pro ſemper, ſed pro loco, & tempore.

Reſolutio.

REſpondeo, quod ſicut in Republica cõformitas voluntatum ciuium voluntati iuſti principis eſt actio moraliter bona, ita & in vniuerſo, conformatio voluntatis humanæ voluntati primi agentis eſt naturaliter bona, & ideo ad ipſam etiam ſecluſa charitate omnes naturaliter tenemur; ſed tamen vt in huiuſmodi conformatione mereamur, neceſſaria eſt charitas, quia charitas eſt principium omnis meriti, atque ita tenemur conformare voluntatem noſtram voluntati Dei in modo volendi, ſcilicet ex charitate.

Sed ſi non eſt in poteſtate noſtra habere charitatem, quando volumus? Obiectio.

Reſpondetur quod non eſt in poteſtate noſtra proxima habere charitatem quando volumus, ſed bene diſpoſitiua, poteſt enim quilibet facere quod ipſo facto habeat charitatem, & ideo ſi non facit imputatur ei. Ita D. Bonau. & Ioannes de Baſſolis.

Atque ita hoc opus inceptum Senis Anno Domini 1615. diuino fauore abſolutum Romæ hoc anno 1633.

SIT NOMEN DOMINI BENEDICTVM.

Digitized by Google

TABVLA.

Quæſitorum ſuper primum Sententiarum Pauli Ciera Veneti Ordinis Sancti Auguſtini.

Procœmialium.

1 AN Deus ſit cognoſcibilis a nobis? pag. 1
2 An Deus ſit cognoſcibilis a nobis quantum cognoſcibilis eſt? 1
3 An Deus ſit cognoſcibilis a nobis immediatè, & in ſeipſo, an verò mediante aliqua ſpecie? 2
4 An Deus ſit cognoſcibilis a nobis, quantum ad quod quid eſt? 3
5 An Deus ſit cognoſcibilis a nobis per fidem? 4
6 An Deus ſit cognoſcibilis a nobis per diſcurſum naturalem & rationem? 4
7 An Theologia ſit ſcientia? 5
8 An Theologia ſit ſapientia? 8
9 An Theologia ſit ſcientia vniuerſalis? 9
10 An Theologia ſit de omnibus, vt de materia eius? 9
11 An Theologia ſit ſcientia vna? 10
12 An Theologia ſit ſcientia diſtincta a quacunque alia? 12
13 An Theologia ſit omnibus alijs ſcientijs dignior? 13
14 An Theologia ſit omnibus alijs ſcientijs certior? 14
15 An Theologiæ ſubiectum ſit Deus? 14
16 An denominatio ſcientiæ practicæ, & diſtinctio eiuſdem a ſpeculatiua, & econuerſò ſumatur ab obiecto, an verò a fine? 17
17 An Theologia ſit ſcientia practica, an verò ſpeculatiua? 18
18 An Theologia ſit ſcientia ſubalternans ſibi aliam ſcientiam? 20
19 An Theologia ſit ſcientia ſubalternata alteri ſcientiæ? 21
20 An principia Theologiæ, ſint articuli fidei. 23
21 An poſſit eſſe aliqua probabilitas de articulis fidei? 24
22 An poſſit eſſe ſcientia de articulis fidei? 24
23 An modus procedendi in Theologia ſit multiplex? 25
24 An modus procedendi in Theologia ſit ſcientialis? 26
25 An aliquis poſſit habere ſcientiam Thologiæ non illuſtratus lumine fidei? 26
26 An ad hoc quod aliquis habeat ſcientiam Theologiæ præter lumen fidei ſit neceſſarium aliud lumen ſupernaturale? 27
27 An Theologia ſit ſcientia nobis neceſſaria? 28
28 An habitus Theologiæ ſit realiter diſtinctus ab habitu fidei? 29

Diſtinctionis I.

1 AN fruitio ſit dilectio, an verò delectatio? 30
2 An fruitio ſit idem, quod beatitudo? 32
3 An fruitio ſit actus intellectus, an verò voluntatis? 38
4 An ſolo Deo ſit fruendum? 34
5 An aliqua creatura poſſit clarè videre Deum, & non frui eo? 37
6 An aliqua creatura poſſit clarè videre Deum, & ipſum odio habere, reſpuere, ac triſtari eo? 90
7 An aliqua creatura poſſit frui Deo abſque quod clarè videat eum? 39
8 An fruamur Deo, Patre ſcilicet, Filio, & Spiritu ſancto fruitione vna? 40
9 An ſit poſſibile frui eſſentia non fruendo perſonis? 41
10 An ſit poſſibile frui perſonis non fruendo eſſentia? 43
11 An ſit poſſibile frui vna perſona non fruendo altera? 43
12 An Deo conueniat frui? 44
13 An ſola creatura intellectualis fruatur Deo? 45
14 An homini exiſtenti in puris naturalibus conueniat frui? 45
15 An homini tantum in patria conueniat frui? 47
16 An ſit aliquis actus medius inter frui, & vti? 47
17 An frui, & vti ſint actus realiter diſtincti? 48
18 An vſus ſit actus alicuius determinatæ potentiæ? 49
19 An Deo, Angelis, & hominibus exiſtentibus in patria conueniat vſus? 50
20 An rationali naturæ tantum conueniat vti? 51
21 An Deo ſit vtendum? 52
22 An omnium citra Deum poſſit eſſe vſus? 52

Diſtinctionis II.

1 AN Deum eſſe ſit per ſe notum? 33
2 An Deum eſſe demonſtrari poſſit? 56
3 An Deus poſſit cogitari non eſſe? 58
4 An Deus ſecundum eſſentiam ſit tantum vnus, idque ratione aliqua naturali demonſtrari poſſit? 59
5 An ſtante vnitate Dei ſecundum eſſentiam ſit in eo pluralitas ſecundum perſonas? 62
6 An perſonæ diuinæ ſint infinitæ ſecundum numerum? 64
7 An tantum ſint tres perſonæ diuinæ? 64
8 An naturaliter probari poſſit, quod ſint tres perſonæ diuinæ? 65

Diſtinctionis III.

1 AN ſit aliquid in creaturis, quod quaſi veſtigium ducat nos in cognitionem Trinitatis? 68
2 An veſtigium Trinitatis, quod apparet in creaturis accipiendum ſit penes aliqua diſtincta in eis? 69
3 An ſit veſtigium Trinitatis in omni creatura? 70
4 An veſtigium Trinitatis ſit in omni creatura æqualiter? 71
5 An repreſentatio Trinitatis per veſtigium differat ab ea, quæ eſt per imaginem? 71
6 An ſit aliquid in homine, quod per modum imaginis ducat nos in cognitionem Trinitatis? 73
7 An imago Trinitatis, quæ eſt in homine attendatur principaliter penes eſſentiam animæ eius, an penes ſuas potentias, memoriam ſcilicet, intellectum, & voluntatem, an penes actus? 74
8 An potentiæ animæ, penes quas attenditur imago ſint ſemper in actu? 76
9 An in ſolo homine ſit Trinitatis imago? 76
10 An potentiæ animæ ſint idem cum eſſentia eius? 77
11 An memoria, intellectus, & voluntas diſtinguantur realiter inter ſe? 78
12 An potentiæ animæ oriantur ab anima? 79
13 An vna potentia animæ oriatur ab alia? 80

Diſtinctionis IV.

1 AN in diuinis ſit generatio? 80
2 An diuina generatio ſit in Filio? 83
3 An diuina generatio ſit in Patre? 83
4 An diuina generatio ſit in omnibus perſonis? 84
5 An generatio in Patre ſit idem quod dictio, ſeu verbi productio? 83
6 An generatio in Patre ſit idem quod intellectio? 85
7 An generatio in diuinis ſit vniuoca, an æquiuoca? 85
8 An generatio dicatur vniuocè de generatione, quæ eſt in diuinis, & de generatione, quæ eſt in creaturis? 86
9 An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, Deus generat Deum? 87
10 An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, Deus generat ſe Deum? 88
11 An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, Deus generat eundem Deum? 89
12 An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, Deus generat alium Deum? 89
13 An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, Deus generat Deum, qui eſt Deus Pater? 90
14 An hæc propoſitio ſit concedenda, vt vera, Deus non generat? 91

Diſtinctionis V.

1 AN diuina eſſentia generet? 92
2 An diuina eſſentia generetur? 95
3 An Filius generetur de eſſentia, ſeu de ſubſtantia Patris? 96
4 An diuina eſſentia ſit ſubiectum diuinæ generationis? 97
5 An diuina eſſentia ſit terminus formalis diuinæ generationis? 98
6 An eſſentia diuina communicetur Filio per generationem? 101
7 An filius generetur de nihilo. 101

Diſtinctionis VI.

1 AN Pater generet Filium neceſſitate? 102
2 An Pater generet Filium natura? 104
3 An Pater generet Filium arte? 105
4 An Pater generet Filium voluntate? 105
5 An Pater generet Filium intellectu? 107

Diſtinctionis VII.

1 AN ad generandum Filium in diuinis ſit potentia in Patre? 109
2 An potentia ad generandum Filium in diuinis ſit in ſolo Patre? 111
3 An ſit in Filio potentia ad generari? 112
4 An potentia generandi in Patre ſit potentia elicitiua, generare verò actus elicitus? 113
5 An potentia generandi in Patre dicat aliquid abſolutum, an reſpectiuum? 114

An

6 An ſit poſſibilis generatio plurium Filiorum in diuinis? 117
7 An ſit eadem potentia in Deo generandi, & potentia creandi? 120
8 An potentia generandi in diuinis ſit prior potentia creandi? 121

Diſtinctionis VIII.

1 AN Deus ſit immutabilis? 121
2 An ſolus Deus ſit immutabilis? 123
3 An Deus ſit æternus? 125
4 An ſolus Deus ſit æternus? 126
5 An æternitas poſſit dici menſura Dei. 126
6 An conueniat Deo præſens, præteritum, & futurum? 127
7 An ſit in Deo aliqua compoſitio, an verò ſumma ſimplicitas? 127
8 An ſolus Deus ſit, in quo nulla eſt compoſitio ſed ſumma ſimplicitas? 129
9 An Deus in compoſitionem aliorum veniat? 131
10 An ſit accidens in Deo? 132
11 An Deus ſit idem quod ſua eſſentia, ſeu natura? 132
12 An Deus ſit idem quod ſuum eſſe? 133
13 An in Deo idem ſit eſſentia, & eſſe? 133
14 An Deus ſit in genere, ſiue in aliquo prædicamento? 134
15 An aliquid dicatur de Deo, quod ſit in genere? 137
16 An ſit aliquid diuinum, quod nomine attributi ſignificari poſſit? 138
17 An plura ſint diuina attributa? 139
18 An diuina attributa ſint diſtincta realiter à diuina eſſentia, & inter ſe? 140
19 An diuina attributa ſint formaliter diſtincta à diuina eſſentia, & inter ſe? 141
20 An diuina attributa ſint diſtincta aliquo modo ex natura rei ab eſſentia, & inter ſe? 143
21 An aliquid in re reſpondeat diuinis attributis? 144
22 An diuina attributa ſint diſtincta ſecundum rationem tantum ab eſſentia, & inter ſe? 144
23 An diſtinctio attributorum ſecundum rationem in Deo ſit accipienda per comparationem ad intra, an verò per comparationem ad extra? 146
24 An poſſit vnum attributum prædicari de altero? 147

Diſtinctionis IX.

1 AN ſit ordo inter diuinas perſonas? 148
2 An inter diuinas perſonas ſit ordo naturæ? 148
3 An inter diuinas perſonas ſit ordo originis? 149
4 An Pater poſſit dici alius à Filio, Filius alius à Patre, & Spiritus ſanctus alius ab vtroque, an aliud? 150
5 An Pater ſit prior Filio prioritate durationis? 150
6 An Pater ſit prior Filio prioritate originis? 151
7 An Pater ſit prior Filio prioritate naturæ? 152
8 An Pater ſit prior Filio prioritate intelligentiæ, ſeu rationis? 153
9 An Pater ſit prior Filio prioritate dignitatis? 154
10 An Pater ſit prior Filio prioritate cauſalitatis? 154
11 An eſſentialia in diuinis ſint priora notionalibus? 154
12 An paternitas ſit prior generatione actiua? 155
13 An paternitas ſit prior ſpiratione actiua? 156
14 An generatio Filij ſit æterna? 156
15 An generatio Filij poſſit exprimi non tantum per verbum temporis præſentis, ſed etiam præteriti, & futuri? 157
16 An ſemper Pater generet Filium? 158
17 An diuina generatio conuenientius exprimatur per verbum præſentis temporis, quam præteriti, & futuri? 159
18 An Pater, Filius, & Spiritus ſanctus poſſint dici plures æterni? 160

Diſtinctionis X.

1 AN in diuinis ſit aliqua perſona, quæ propriè dicatur Spiritus ſanctus? 161
2 An Spiritus ſanctus, propriè dicatur amor? 162
3 An Spiritus ſanctus dicatur propriè amor Patris, & Filij? 165

Diſtinctionis XI.

1 AN Spiritus ſanctus procedat à Filio? 166
2 An ſit de intrinſeca ratione Filij producere Spiritum ſanctum? 169
3 An congruè quæri poſſit, ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, diſtingueretur ab eo? 170
4 An Spiritus ſanctus diſtingueretur à Filio, ſi non procederet ab eo? 171
5 An pater, & Filius producant Spiritum ſanctum voluntate, tanquam principio produ-

ſtino ? 174
6 An Pater, & Filius neceſſariò producant Spiritum ſanctum, an liberè ? 176
7 An Pater neceſſariò coexigat Filium ad producendum Spiritum ſanctum ? 178
8 An Pater, & Filius producant Spiritum ſanctum inquantum vnum, an inquantum plura ? 180
9 An Pater, & Filius poſsint dici duo, ſiue plura principia producentia Spiritum ſanctum ? 182
10 An Pater, & Filius poſsint dici idem principium Spiritus ſancti ? 185
11 An Pater, & Filius ex eo quod ſpirant Spiritum ſanctum poſsint dici duo ſpirantes ? 185
12 An Pater, & Filius poſsint dici duo ſpiratores in eo, quod ſpirant Spiritum ſanctum ? 186
13 An virtus, qua Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum dicat quid, an ad aliquid ? 188

Diſtinctionis XII.

1 AN Pater producat Spiritum ſanctum prius quam eundem producat Filius ? 189
2 An Pater producat Spiritum ſanctum principalius, quam filius ? 190
3 An Pater producat Spiritum ſanctum plenius, ſeu magis, ac perfectius, quam Filius ? 191
4 An Pater, & Filius ſint omninò conformes in producendo Spiritum ſanctum ? 192
5 An Pater producat Spiritum ſanctum mediante filio ? 192
6 An Pater producat Spiritum ſanctum per Filium ? 103
7 An ſit prior generatio Filij proceſsione Spiritus ſancti ? 194

Diſtinctionis XIII.

1 AN detur alia proceſsio in diuinis, præter generationem Filij ? 196
2 An detur alia productio in diuinis, præter generationem Filij, & proceſsionem Spiritus ſancti ? 197
3 An diſtinguatur generatio Filij a proceſsione Spiritus ſancti ? 198
4 An diſtinguantur proceſsiones diuinæ prout ſunt in eadem perſona ? 201
5 An Spiritus ſanctus poſsit dici genitus, eiuſque proceſsio generatio ? 202
6 An Spiritus ſanctus poſsit dici ingenitus ? 204

Diſtinctionis XIV.

1 AN conueniat Spiritui ſancto temporaliter procedere ? 205
2 An conueniat ſoli Spiritui ſancto temporaliter procedere ? 207
3 An temporalis proceſsio ponat in numerum cum æterna ? 207
4 An ſit idem Spiritui ſancto temporaliter procedere quod alicui creaturæ dari, & mitti ? 209
5 An cum Spiritus ſanctus alicui creaturæ datur, detur perſonaliter, an tantum ſecundum dona ſua ? 210
6 An cum Spiritus ſanctus perſonaliter datur, detur prius, quam dentur dona eius ? 211
7 An Spiritus ſanctus perſonaliter detur cum quolibet dono ſuo ? 212
8 An Spiritus ſanctus poſsit aliquando perſonaliter dari ſine quolibet dono ſuo ? 214
9 An qualibet perſona diuina poſsit perſonaliter dari ? 215
10 An qualibet diuina perſona poſsit dare quamlibet ? 215
11 An aliqua creatura poſsit dare Spiritum ſanctum ? 216

Diſtinctionis XV.

1 AN ſit aliqua perſona in diuinis, quæ mittat, aliqua verò, quæ mittatur ? 217
2 An qualibet perſona poſsit mittere ? 219
3 An qualibet perſona poſsit mitti ? 220
4 An poſsit aliqua perſona mittere ſeipſam ? 221
5 An vna perſona poſsit mitti ſine alia ? 213
6 An ſit alia miſsio Filij, alia miſsio Spiritus ſancti ? 224
7 An mittantur diuinæ perſonæ in quolibet augmento gratiæ ? 225
8 An miſsio importet eſſentiam, an notionem ? 225
9 An miſsio in diuinis dicenda ſit temporalis, an æterna ? 227
10 An perſona diuina modo mittatur plenius, quã ante incarnationem filij Dei ? 227
11 An perſona diuina mittatur tantum ad homines, an verò etiam ad Angelos ? 228

Diſtinctionis XVI.

1 AN aliqua diuina perſona viſibiliter mittatur ? 228
2 An qualibet diuina perſona viſibiliter mittatur ? 229

An

Digitized by Google

3 An diuinarum perſonarum viſibilis miſsio ſit vtilis? 230
4 An conuenienter Spiritus ſanctus miſſus fuerit ſub illis ſpeciebus, ſub quibus apparuit, an verò conuenientius fuiſſet, ſi ſub humana ſpecie apparuiſſet, ſicut Filius? 231
5 An fuerint veræ res ſpecies illæ, in quibus apparuit Spiritus ſanctus? 232
6 An ſpecies illæ in quibus miſſus eſt Spiritus ſanctus fuerint formatæ miniſterio Angelorum? 234
7 An miſsio viſibilis Spiritus ſancti debeat fieri quocunque tempore, & ad quaſcunque perſonas? 235

Diſtinctionis XVII.

1 An poſsit ſuſtentari ſententia Magiſtri, quæ dicit, quod Spiritus ſanctus eſt charitas, qua Deum diligimus, & proximum? 236
2 An ad diligendum Deum & proximum meritoriè requiratur aliquis habitus ſupernaturaliter infuſus, qui eſt charitas? 237
3 An ſit adeo neceſſarius habitus charitatis ad diligendum Deum, & proximum meritoriè, vt etiam de potentia Dei abſoluta nequeamus ipſum meritoriè diligere ſine eo? 240
4 An charitas augmentum recipere poſſit? 242
5 An augmentum charitatis propriè dicatur augmentum? 243
6 An augmentum charitatis fiat per aliquid quod addatur ei? 244
7 An quolibet actu charitatis augeatur charitas? 246
8 An realiter diſtinguatur charitas aucta a charitate remiſſa? 247
9 An charitas augeatur ſecundum eſſentiam, an ſecundum eſſe? 249
10 An charitas augeri poſsit in infinitum? 250
11 An charitas poſſit minui? 251

Diſtinctionis XVIII.

1 An eſſe donum in diuinis conueniat eſſentiæ, an perſonæ tantum? 256
2 An cuilibet diuinæ perſonæ conueniat eſſe donum? 257
3 An ſit idem Spiritui ſancto eſſe donum, quod eſſe datum? 259
4 An Spiritui ſancto conueniat eſſe donum, vt ſingularis proprietas conſtitutiua, ſeu diſtinctiua eius perſonæ? 260
5 An Spiritui ſancto conueniat eſſe donum ab æterno? 261
6 An Spiritus Sanctus dicatur eſſe donum in ordine ad creaturam tantum? 262
7 An Spiritui ſancto ita conueniat eſſe donum, quod in ipſo omnia alia dona dentur? 263
8 An Spiritui ſancto eo conueniat eſſe donum, quo conuenit eſſe Deus? 264
9 An conuenienter dici poſsit, Spiritum ſanctum eſſe donum noſtrum? 261
10 An Spiritus ſanctus poſsit dici Spiritus noſter? 265
11 An Spiritus ſanctus dici poſsit Spiritus ſanctus noſter? 266

Diſtinctionis XIX.

1 An ſit æqualitas in diuinis? 267
2 An æqualitas, quæ eſt in diuinis ſit æqualitas propriè dicta? 296
3 An æqualitas, quæ eſt in diuinis attendatur ſecundum hæc tria, eſſe, virtutem, & operationem? 270
4 An æqualitas, quæ eſt inter diuinas perſonas ſit æqualitas perfecta? 271
5 An æqualitas, quæ eſt inter diuinas perſonas ſit æqualitas ſumma? 271
6 An æqualitas, quæ eſt inter diuinas perſonas ſit vna numero? 272
7 An æqualitas, quæ eſt inter diuinas perſonas ſit æqualitas mutua? 272
8 An quælibet diuina perſona ſit in altera? 273
9 An perſonæ diuinæ ſint partes ſubiectiuæ diuinæ eſſentiæ, ipſa verò totum vniuerſale? 277
10 An perſonæ diuinæ ſint partes integrantes diuinam eſſentiam, ipſa verò totum integrale? 278
11 An ſecluſa ratione partium ab ipſis diuinis perſonis, habeat diuina eſſentia per aliquid aliud, vndè dicatur tota? 279
12 An veritas ſit aliquid reale, an rationis tantum? 280
13 An veritas ſit aliquo modo in rebus? 281
14 An ſit vna tantum veritas, an plures? 282
15 An veritas ſit immutabilis? 283
16 An veritas ſit in Deo? 283
17 An veritas prima ſit omnium aliarum veritatum cauſa? 283
18 An falſitas ſit in rebus, an verò in intellectu? 284

Diſtinctionis XX.

1 An perſonæ diuinæ ſint æquales in potentia? 285
2 An ex hoc quod Filius, & Spiritus ſanctus non poſſunt generare, ſicut Pater, poſſint dici non

eſ-

eſſe omnipotentes, ſicut ipſe, ac proinde non eſſe æquales in potentia? 287

Diſtinctionis XXI.

1 AN hæc dictio excluſiua ſolus poſſit ſumi cum terminis eſſentialibus, vel notionalibus in propoſitionibus de diuinis? 289
2 An hæc propoſitio ſit concedenda, ut vera in diuinis ſolus Pater eſt Deus? 290
3 An hæc propoſitio ſit concedenda, ut vera, ſolus Pater in diuinis eſt Deus? 291
4 An hæc propoſitio ſit concedenda, ut vera, ſolus Deus eſt Deus? 293
5 An hæc propoſitio ſit concedenda, ut vera in diuinis, ſolus Pater eſt Pater? 293
6 An hæc propoſitio ſit concedenda, ut vera, ſolus Deus eſt Pater? 294
7 An hæc propoſitio ſit concedenda, ut vera, Pater in diuinis eſt ſolus Deus? 295
8 An hæc propoſitio ſit concedenda, ut vera, Trinitas eſt ſolus Deus? 296
9 An hæc propoſitio ſit concedenda, ut vera, ſola Trinitas eſt Deus? 296
10 An hæc propoſitio ſit concedenda, ut vera, Trinitas eſt Deus ſolus? 297
11 An hæc propoſitio ſit concedenda ut vera, Trinitas eſt ſolum, ſeu tantum Deus? 297
12 An hæc propoſitio ſit concedenda, ut vera, Trinitas eſt unus, ſolus, verus Deus? 298
13 An hæc propoſitio ſit concedenda, ut vera in diuinis, ſolus Pater eſt tantus, quantus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus? 298

Diſtinctionis XXII.

1 AN Deus ſit nominabilis a nobis? 299
2 An Deus ſit nominabilis a nobis pluribus nominibus? 300
3 An Deus ſit nominabilis a nobis per comparationem tantum ad creaturas? 301
4 An omnia nomina, quibus a nobis nominatur Deus ſint ſecundum tranſlationem accipienda? 302
5 An omnia nomina, quibus a nobis nominatur Deus ſint nomina Synonima? 303
6 An omnia nomina, quibus a nobis propriè nominatur Deus ſignificent ſubſtantiam? 304
7 An nomina, quibus a nobis nominatur Deus, cum eiſdem etiam nominentur creatura, dicantur univocè, an æquiuocè, ſeu analogicè de eo, & de creaturis? 305
8 An aliqua nomina dicantur de Deo ex tempore? 306
9 An nomina, quæ dicuntur de Deo ex tempore dicantur per accidens? 307
10 An nomina, quæ dicuntur de Deo ex tempore ſignificent ſubſtantiam, an relationem? 307
11 An Deus ſit nominabilis a nobis aliquo nomine propriè, & diſtinctè ſignificante eius naturam. 308
12 An nomen hoc Deus ſit nomen naturæ, an operationis? 310
13 An nomen hoc Deus dici poſſit de creaturis? 310
14 An hoc nomen Deus cum dicitur de Deo, & de creaturis dicatur univocè, an æquiuocè, ſeu analogicè de eis? 311
15 An nomen hoc, Qui eſt, ſit nomen proprium Dei? 312

Diſtinctionis XXIII.

1 AN Deo conueniat nomen, & ratio entis? 312
2 An Deo conueniat nomen, & ratio eſſentiæ? 313
3 An Deo conueniat nomen, & ratio ſubſtantiæ? 313
4 An Deo conueniat nomen, & ratio ſubſiſtentiæ? 314
5 An Deo conueniat nomen, & ratio perſonæ? 315
6 An hoc nomen eſſentia pluraliter dici poſſit in diuinis? 316
7 An hoc nomen ſubſtantia pluraliter dici poſſit in diuinis? 316
8 An hoc nomen ſubſiſtentia pluraliter dici poſſit in diuinis? 317
9 An hoc nomen res pluraliter dici poſſit in diuinis? 318
10 An hoc nomen ens pluraliter dici poſſit in diuinis? 318
11 An hoc nomen perſona pluraliter dici poſſit in diuinis? 319
12 An hoc nomen perſona importet aliquid poſitiuum, an verò negatiuum? 320
13 An hoc nomen perſona importet aliquid commune in diuinis? 320
14 An hoc nomen perſona habeat rationem uniuerſalis in diuinis? 322
15 An hoc nomen perſona ſit nomen primæ, an verò ſecundæ intentionis? 323
16 An hoc nomen perſona in diuinis ſignificet ſubſtantiam, an relationem? 324
17 An poſſit abſtrahi a diuinis perſonis conceptus communis prædicabilis in quid de eis? 327

Di-

Digitized by Google

Diſtinctionis XXIV.

1 AN in diuinis ſit aliqua diuerſitas? 327
2 An in diuinis ſit aliqua diſtinctio? 328
3 An in diuinis ſit aliqua diuiſio? 328
4 An in diuinis ſit alienitas. 328
5 An in diuinis ſit diſcretio? 329
6 An in diuinis ſit ſingularitas? 329
7 An in diuinis ſit multiplicitas? 329
8 An ſit aliquid in diuinis, quod poſſit dici vnicum? 330
9 An ſit aliquid in diuinis, quod poſſit dici vnum? 330
10 An vnum, quod dicitur de diuinis ſit vnum, quod conuertitur cum ente, an vnum quod eſt principium numeri? 331
11 An vnum cum dicitur in diuinis ſignificet aliquid in eis ſupra id, quod ſignificat ille terminus, cui adiungitur? 332
12 An nomen hoc vnum dicatur eſſentialiter, an notionaliter in diuinis? 333
13 An in diuinis ſit numerus? 334
14 An termini numerales, cum de diuinis dicuntur ſignificent aliquid ſupra id, quod ſignificant illi termini, quibus adiunguntur? 336
15 An termini numerales, cum de diuinis dicuntur, dicantur eſſentialiter, an perſonaliter? 337
16 An iſte terminus numeralis Trinitas conuenienter dicatur de diuinis? 338
17 An de diuinis poſſit dici iſte terminus numeralis triplicitas? 339
18 An iſte terminus numeralis Trinitas ſignificet ſubſtantiam, an relationem, cum dicitur de diuinis? 339
19 An poſſit dici Deus trinus? 340
20 An poſſit dici Trinitas trina? 340

Diſtinctionis XXV.

1 AN ſit conueniens hæc diffinitio perſonæ; rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia? 341
2 An hoc nomen perſona dicatur vniuocè, an æquiuocè, an verò analogicè de perſona diuina, & humana? 342

Diſtinctionis XXVI.

1 AN ſint aliquæ relationes reales in diuinis? 344
2 An relationes reales in diuinis ſint tantum quatuor paternitas ſcilicet, filiatio, ſpiratio, proceſſio? 345
3 An ſint aliquæ proprietates in diuinis perſonis? 347
4 An proprietates in diuinis perſonis ſint tantum tres, ſcilicet, paternitas, filiatio, proceſſio? 348
5 An ſint aliquæ notiones in diuinis, per quas ipſæ perſonæ diuinæ ſpecialiter notificentur? 348
6 An notiones, per quas perſonæ diuinæ ſpecialiter notificantur ſint tantum quinque, ſcilicet inaſcibilitas, paternitas, filiatio, communis ſpiratio, & proceſſio? 349
7 An relatio, proprietas, & notio idem ſint in diuinis? 350
8 An qualibet relatio diſtinguatur a qualibet relatione, proprietas a proprietate, & notio a notione realiter? 351
9 An perſonæ diuinæ per aliquid conſtituantur in ſuo eſſe perſonali? 352
10 An illud, per quod diuinæ perſonæ conſtituuntur in eſſe perſonali reſpectiuum ſit, an abſolutum? 353
11 An perſonæ diuinæ per aliquid ab inuicem diſtinguantur? 356
12 An relationes, & proprietates per intellectum abſtrahi poſſint a diuinis perſonis? 358
13 An abſtractis per intellectum relationibus a diuinis poſſint intelligi perſonæ diſtinctæ? 359
14 An ſit ponere vnum ſuppoſitum abſolutum in diuinis? 360
15 An liceat de relationibus, proprietatibus, & notionibus contraria opinari? 361

Diſtinctionis XXVII.

1 AN verbum ſit aliquid in nobis? 362
2 An verbum propriè ſit in diuinis? 363
3 An verbum eſſentialiter dicatur, an verò perſonaliter, ſeu notionaliter in diuinis? 364
4 An dicere ſumatur eſſentialiter, an verò notionaliter in diuinis? 366
5 An ſoli Filio in diuinis conueniat eſſe verbum? 367
6 An nomine verbi in diuinis importetur reſpectus ad creaturam? 368
7 An ſit aliquid in diuinis, cui conueniat nomen & ratio imaginis? 369
8 An hoc nomen imaginis cum dicitur de diuinis ſumatur eſſentialiter, an verò perſonaliter? 370
9 An ſoli Filio conueniat eſſe imago ſecundum quod perſonaliter ſumitur in diuinis? 371

Diſtinctionis XXVIII.

1 AN innaſcibilitas, ſeu eſſe ingenitum ſit proprietas, ſeu notio Patris? 372

An

2 An innaſcibilitas, ſiue eſſe ingenitum ſit conſtitutiuum Perſonæ patris? 374
3 An ſit prior innaſcibilitas paternitate? 376
4 An eſſe ingenitum, ſeu innaſcibilitas dicat aliquid poſitiuum, an verò priuationem tantum. 376
5 An innaſcibilitas, ſeu eſſe ingenitum dicatur ſecundum ſubſtantiam, an verò ſecundum relationem? 378

Diſtinctionis XXIX.

1 AN aliqua perſona diuina dici poſsit principium alterius? 378
2 An dicatur hoc nomen principium in diuinis per prius ſecundum reſpectum vnius perſonæ ad alteram, quam per reſpectum ad creaturas? 379
3 An hoc nomen principium cum dicitur de Deo reſpectu creaturarum, & de vna perſona reſpectu alterius dicatur vniuocè, an æquiuocè, an verò analogicè? 380
4 An aliqua perſona diuina dici poſsit cauſa alterius? 382
5 An Pater dici poſsit auctor Filij, Filiuſque auctor Spiritus ſancti? 383

Diſtinctionis XXX.

1 AN creaturæ habeant aliquam relationem realem ad Deum? 384
2 An Deus habeat aliquam relationem realem ad creaturas? 384
3 An relatio, quam Deus habeat ad creaturam, ſit relatio noua, ſeu de nouo adueniens ei? 387

Diſtinctionis XXXI.

1 AN æqualitas, ſimilitudo, identitas, cum de diuinis dicuntur importent aliquid poſitiuum, an priuationem tantum, ſeu negationem in eis? 390
2 An æqualitas, ſimilitudo, identitas, cum de diuinis dicuntur, dicantur ſecundum ſubſtantiam, an ſecundum relationem? 391
3 An æqualitas, ſimilitudo, identitas, in diuinis ſint relationes reales? 392
4 An æqualitas, ſimilitudo, identitas ab inuicem diſtinguantur realiter in diuinis? 395
5 An ſint plures æqualitates, plures ſimilitudines, plures identitates in diuinis? 396
6 An conuenienter approprientur aliqua attributa eſſentialia diuinis perſonis? 397
7 An conuenienter approprietur potentia Patri, ſapientia Filio, bonitas Spiritui ſancto? 398
8 An conuenienter approprietur æternitas Patri, ſpecies Filio, vſus Spiritui ſancto? 399
9 An conuenienter approprietur vnitas Patri, æqualitas Filio, nexus, ſiue concordia Spiritui ſancto? 399
10 An conuenienter dicantur omnia in diuinis eſſe vnum propter Patrem, æqualia propter Filium, connexa propter Spiritum ſanctum? 400
11 An hæc ſit conueniens appropriatio Patri ex ipſo, Filio per ipſum, Spiritui ſancto in ipſo? 402

Diſtinctionis XXXII.

1 AN Pater, & Filius diligant ſe inuicem Spiritu ſancto? 403
2 An Pater ſeipſum diligat Spiritu ſancto? 406
3 An Pater, & Filius diligant Spiritum ſanctum Spiritu ſancto? 407
4 An Spiritus ſanctus diligat ſe ſeipſo? 407
5 An pater, & filius diligant nos, & alias creaturas Spiritu ſancto? 408
6 An Pater ſit ſapiens ſapientia genita? 409
7 An Pater ſit ſapiens ſapientia ingenita? 411
8 An Filius ſit ſapiens ſapientia genita? 411
9 An Filius ſit ſapiens ſapientia ingenita? 412

Diſtinctionis. XXXIII.

1 AN relationes, ſiue proprietates perſonales diſtinguantur à diuina eſſentia? 414
2 An relationes, ſiue proprietates perſonales diſtinguantur à diuinis perſonis? 418
3 An relationes diuinæ, ſeu proprietates perſonales ſint in eſſentia, an verò tantum in perſonis? 418
4 An poſsint prædicari adiectiua notionalia de diuinis relationibus? 419
5 An adiectiua eſſentialia de diuinis relationibus prædicari poſsint? 419

Diſtinctionis XXXIV.

1 AN perſona in diuinis diſtinguatur ab eſſentia? 420
2 An tres perſonæ diuinæ conuenienter dicantur vnius eſſentiæ? 423
3 An ſit conueniens aliqua nomina tranſlatiuè accepta de Deo dici? 424
4 An ex rebus vilibus conuenienter tranſlatio fiat? 425

Diſtinctionis XXXV.

1 AN in Deo ſit ſcientia? 425
2 An ſcientia vniuocè ſumatur, an æqui-

Digitized by Google

uocè an verò analogicè cum dicitur eſſe in Deo, & in nobis? 427
3 An ſcientia Dei ſit uniuerſalis, an verò particularis? 429
4 An ſcientia Dei ſit in eo habitus, an actus? 430
5 An ſcientia Dei ſit diſcurſiua? 431
6 An Deus cognoſcat ſeipſum? 432
7 An Deus cognoſcat alia a ſe? 433
8 An Deus cognoſcat alia à ſe ſecundum propria uniuſcuiuſque natura, & diſtinctè? 436
9 An Deus cognoſcat alia a ſe per aliquid aliud a ſe, an verò per ſeipſum, ſiue per eſſentiam ſuam? 438
10 An ſcientia Dei ſpeculatiua ſit, an practica? 439
11 An ſcientia Dei ſit variabilis? 441
12 An ſcientia Dei ſit cauſa rerum? 443
13 An Deus cognoſcat non entia? 444
14 An Deus cognoſcat infinita ſecundum numerum? 445
15 An Deus cognoſcat infinitum ſecundum magnitudinem? 447
16 An Deus cognoſcat ſingularia? 447
17 An Deus cognoſcat mala? 449
18 An Deus cognoſcat enunciabilia? 450
19 An Deus poſſit non ſcire ea, quæ ſcit? 452
20 An Deus poſſit ſcire, quod non ſcit? 453
21 An ſint ponendæ ideæ in Deo? 454
22 An ſint plures ideæ in Deo? 456
23 An ſint infinitæ ideæ in Deo? 458
24 An ideæ in Deo ſint diuina eſſentia, an verò creatura cognita? 459
25 An omnia habeant ideam in Deo? 401
26 An mala habeant ideam in Deo? 403
27 An ideæ pertineant ad ſcientiam practicam an vero ſpeculatiuam? 464

Diſtinctionis XXXVI.

1 AN res creatæ ſint in Deo? 465
2 An res creatæ ſint in Deo verius, quam in proprio genere, ſiue in ſeipſis? 466
3 An res creatæ fuerint in Deo ab æterno? 467
4 An mala ſint in Deo? 467
5 An res creatæ in Deo, ſint in eo vita? 408

Diſtinctionis XXXVII.

1 AN Deus ſit in loco? 469
2 An Deus ſit vbique? 469
3 An ſoli Deo conueniat eſſe vbique? 470
4 An eſſe vbique conueniat Deo ab æterno? 471
5 An Deus ſit extra omnem locum, & rem? 472
6 An Deus ſit in ſeipſo? 473
7 An Deus ſit in omnibus rebus? 473
8 An Deus ſit in omnibus rebus uniformiter? 475
9 An Deus ſit in omnibus rebus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam? 475

Diſtinctionis XXXVIII.

1 AN Deus cognoſcat futura contingentia? 476
2 An Deus certò, determinatè, ac infallibiliter cognoſcat futura contingentia? 478

Diſtinctionis XXXIX.

1 AN in Deo ſit prouidentia? 480
2 An prouidentia in Deo diſtinguatur ab eius ſcientia, diſpoſitione, ſolicitudine, & gubernatione? 481
3 An prouidentia pertineat ad ſcientiam, an ad voluntatem, an verò ad potentiam? 482
4 An prouidentia diuina ſit æterna? 482
5 An omnia ſubſint diuinæ prouidentiæ? 483
6 An omnia ſubſint æqualiter diuinæ prouidentiæ? 485
7 An Deus immediatè prouideat omnibus? 485
8 An prouidentia diuina diſtinguatur a fato? 486

Diſtinctionis XXXX.

1 AN Deus aliquas creaturas ab æterno prædeſtinauerit? 487
2 An prædeſtinatio ſit aliquid diſtinctum a Deo? 487
3 An prædeſtinatio ſit aliquid abſolutum, an reſpectus tantum? 488
4 An prædeſtinatio ſit in Deo tantum, an verò etiam in creaturis? 489
5 An prædeſtinatio ponat aliquid, vel efficiat in prædeſtinato? 489
6 An prædeſtinationis ſit aliqua diffinitio? 491
7 An prædeſtinatio pertineat ad intellectum, an verò ad voluntatem? 492
8 An prædeſtinatio ſit æterna? 493
9 An prædeſtinatio ſit non entium? 494
10 An prædeſtinatio ſit hominum tantum? 495
11 An prædeſtinatio ſit naturæ, an perſonæ, effectuum, an finis? 496
12 An prædeſtinatio ſit omnium hominum? 496
13 An potuerit Deus ab æterno non prædeſtinare, quos prædeſtinauit. 496
14 An poſſit aliquis homo modo prædeſtinari, qui ab æterno non ſit prædeſtinatus, & econuerſò? 497

Eeee An

15 An prædeſtinatorum numerus augeri poſſit, & minui? 498
16 An prædeſtinati poſſint damnari? 499
17 An prædeſtinatio imponat neceſſitatem ad ſalutem? 501
18 An prædeſtinatio iuuari poſſit precibus ſanctorum? 502
19 An prædeſtinatio distinguatur a libro vitæ? 503
20 An aliqui poſſint deleri de libro vitæ? 504
21 An prædeſtinatio diſtinguatur a prouidentia? 504
22 An prædeſtinatio diſtinguatur a præſcientia? 506
23 An prædeſtinatio diſtinguatur ab electione? 506
24 An ſit aliquis actus in diuina mente, vel voluntate, qui prædeſtinationem præcedat in ordine ad ſaluandos? 507
25 An Deus ab æterno aliquas creaturas reprobauerit? 508
26 An reprobationis ſit aliqua diffinitio? 509
27 An Deus efficiat aliquid circa reprobatos? 510
28 An reprobatio diſtinguatur a præſcientia? 510
29 An reprobatio diſtinguatur ab obduratione, & excæcatione? 511
30 An obduratio, ſiue excæcatio culpa ſit, an pœna? 511
31 An Deus ſit cauſa obdurationis, & excæcationis noſtræ? 512

Diſtinctionis XXXXI.

1 An ſit aliqua cauſa prædeſtinationis noſtræ? 513
2 An ſit aliqua cauſa reprobationis noſtræ? 516

Diſtinctionis XXXXII.

1 An in Deo ſit potentia reſpectu aliorum a ſe? 518
2 An potentia, quæ eſt in Deo reſpectu aliorum a ſe diſtinguatur a potentia intellectiua, volitiua, & executiua? 520
3 An potentia Dei reſpectu aliorum a ſe ſit vna tantum, & eadem reſpectu omnium. 521
4 An potentia Dei ſe extendat ad omnia ea, quæ ſunt poſſibilia creaturis? 523
5 An potentia Dei ſe extendat ad ea, quæ ſunt impoſſibilia creaturis? 523
6 An potentia Dei ſe extendat ad ea, quæ implicant contradictionem? 524
7 An potentia Dei ſe extendat ad præterita? 525
8 An potentia Dei ſe extendat ad ea, quæ ſunt contra naturam? 526
9 An potentia Dei ſe extendat ad ea, quæ aliquando potuit ipſe Deus? 526
10 An potentia Dei ſe extendat ad quemcunque effectum immediatè, etiam ſine concurſu ſecundarum cauſarum? 527
11 An Deus dicendus ſit omnipotens? 528
12 An poſſit naturaliter demonſtrari Deum eſſe omnipotentem? 528
13 An ſit attendenda poſſibilitas, & impoſſibilitas rerum ſecundum comparationem ad cauſam ſuperiorem, an verò inferiorem? 530
14 An potentia Dei ſit infinita? 531
15 An naturaliter poſſit demonſtrari Deum eſſe infinitæ potentiæ? 533
16 An Deus poſſit per ſuam infinitam potentiam producere actu infinita ſecundum multitudinem? 534
17 An Deus poſſit per ſuam infinitam potentiam producere actu infinitum ſecundum magnitudinem? 536
18 An omnipotentia Dei alicui creaturæ communicari poſſit? 537
19 An ſit vna, & eadem potentia Dei abſoluta, & ordinata? 538
20 An Deus poſſit aliquid de potentia abſoluta, quod non poſſit de potentia ordinata? 539

Diſtinctionis XXXXIII.

1 An Deus ſit agens ex neceſſitate naturæ? 540
2 An Deus ſit agens ex neceſſitate iuſtitiæ? 540

Diſtinctionis XXXXIV.

1 An Deus poſſit facere aliquam creaturam meliorem, quam fecerit? 542
2 An Deus poſſit facere vnam creaturam meliorem altera procedendo in infinitum? 543
3 An Deus poſſit facere vniuerſum melius, quam fecerit? 544
4 An Deus potuerit facere vniuerſum antiquius quam fecerit? 545
5 An Deus poſſit facere aliud vniuerſum ab iſto diſtinctum? 545

Diſtinctionis XXXXV.

1 An in Deo ſit voluntas? 546
2 An in Deo ſit liberum arbitrium? 547
3 An Deus velit ſe tantum, an etiam alia a ſe? 548
4 An Deus velit liberè, an neceſſariò ea, quæ vult? 549
5 An Dei voluntas ſit mutabilis? 550

An

6 An voluntas Dei ſit cauſa rerum? 550
7 An voluntas diuina ſit cauſa rerum immediata? 551
8 An voluntas diuina ſit cauſa rerum magis immediata, quam ſcientia, & potentia? 552
9 An voluntas in Deo habeat aliquam cauſam, & rationem? 553
10 An in Deo alia ſit voluntas beneplaciti, & alia voluntas ſigni? 555
11 An ſint hæc tantum quinque ſigna voluntatis præceptum, conſilium, prohibitio, operatio, & permiſsio? 556
12 An ſit alia voluntas Dei antecedens, & alia conſequens? 558

Diſtinctionis XXXXVI.

1 AN ſemper adimpleatur diuina voluntas? 559
2 An poſsit aliquid fieri præter diuinam voluntatem? 561
3 An poſsit aliquid fieri contra diuinam voluntatem? 562
4 An quod fit contra diuinam voluntatem aliquo modo obſequatur ei? 563
5 An diuina voluntas imponat neceſsitatem volitis? 564

Diſtinctionis XXXXVII.

1 AN Deus velit malum fieri? 565
2 An ſit conueniens quod Deus permittat malum fieri? 567
3 An Deus præcipiat aliquando mala fieri? 568
4 An bonum ſit mala fieri, vel eſſe? 569

Diſtinctionis XXXXVIII.

1 AN ſit poſsibile voluntatem noſtram voluntati diuinæ conformari? 570
2 An teneamur conformare voluntatem noſtram voluntati Dei? 571
3 An conformitas voluntatis noſtræ ad diuinam faciat eam eſſe rectam, & iuſtam? 572
4 An teneamur conformare voluntatem noſtram voluntati Dei in omni volito? 573
5 An teneamur conformare voluntatem noſtram voluntati Dei in forma, & modo volendi, vt ſcilicet ex charitate velimus, quod volumus? 575

L A V S D E O.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google